Migne, Jacques Paul

PATROLOGIÆ

CURSUS COMPLETUS

SEU BIBLIOTHECA UNIVERSALIS, INTEGRA, UNIFORMIS, COMMODA, ŒCONOMICA,

OMNIUM SS. PATRUM, DOCTORUM SCRIPTORUMQUE ECCLESIASTICORUM,

SIVE LATINORUM, SIVE GRÆCORUM,

QUI AB ÆVO APOSTOLICO AD TEMPORA INNOCENTII III (ANNO 1216) PRO LATINIS ET AD CONCILII FLORENTINI TEMPORA (ANN. 1439) PRO GRÆCIS FLORUERUNT.

RECUSIO CHRONOLOGICA

OMNIUM QUÆ EXSTITERE MONUMENTORUM CATHOLICÆ TRADITIONIS PER QUINDECIM PRIORA ECCLESIÆ SÆCULA,

JUXTA EDITIONES ACCURATISSIMAS INTER SE CUMQUE NONNULLIS CODICIBUS MANUSCRIPTIS COLLATAS, PERQUAM DILIGENTER CASTIGATA; DISSERTATIONIBUS, COMMENTARIIS, VARIISQUE LECTIONIBUS CONTINENTER ILLUSTRATA; OMNIBUS OPERIBUS POST AMPLISSIMAS EDITIONES QUÆ TRIBUS NOVISSIMIS SÆCULIS DEBENTUR ABSOLUTAS DETECTIS, AUCTA; INDICIBUS PARTICULARIBUS ANALYTICIS, SINGULOS SIVE TOMOS SIVE AUCTORES ALICUJUS MOMENTI SUBSEQUENTIBUS, DONATA; CAPITULIS INTRA IPSUM TEXTUM RITE DISPOSITIS, NECNON ET TITULIS SINGULARUM PAGINARUM MARGINEM SUPERIOREM DISTINGUENTIBUS SUBJECTAMQUE MATERIAM SIGNIFICANTIBUS, ADORNATA; OPERIBUS CUM DUBIIS, TUM APOCRYPHIS, ALIQUA VERO AUCTORITATE IN ORDINE AD TRADITIONEM ECCLESIASTICAM POLLENTIBUS, AMPLIFICATA; DUCENTIS ET AMPLIUS LOCUPLETATA INDICIBUS AUCTORUM SICUT ET OPERUM, ALPHABETICIS, CHRONOLOGICIS, STATISTICIS, SYNTHETICIS, ANALYTICIS, ANALOGICIS, IN QUODQUE RELIGIONIS PUNCTUM, DOGMATICUM, MORALE, LITURGICUM, CANONICUM, DISCIPLINARE, HISTORICUM, ET CUNCTA ALIA SINE ULLA EXCEPTIONE; SED PRÆSERTIM DUOBUS INDICIBUS IMMENSIS ET GENERALIBUS, ALTERO SCILICET RERUM, QUO CONSULTO, QUIQUID NON SOLUM TALIS TALISVE PATER, VERUM ETIAM UNUSQUISQUE PATRUM, NE UNO QUIDEM OMISSO, IN QUODLIBET THEMA SCRIPSERIT, UNO INTUITU CONSPICIATUR; ALTERO SCRIPTURÆ SACRÆ, EX QUO LECTORI COMPERIRE SIT OBVIUM QUINAM PATRES ET IN QUIBUS OPERUM SUORUM LOCIS SINGULOS SINGULORUM LIBRORUM S. SCRIPTURÆ VERSUS, A PRIMO GENESEOS USQUE AD NOVISSIMUM APOCALYPSIS, COMMENTATI SINT.

EDITIO ACCURATISSIMA, CÆTERISQUE OMNIBUS FACILE ANTEPONENDA, SI PERPENDANTUR CHARACTERUM NITIDITAS CHARTÆ QUALITAS, INTEGRITAS TEXTUS, PERFECTIO CORRECTIONIS, OPERUM RECUSORUM TUM VARIETAS, TUM NUMERUS, FORMA VOLUMINUM PERQUAM COMMODA SIBIQUE IN TOTO PATROLOGIÆ DECURSU CONSTANTER SIMILIS, PRETII EXIGUITAS, PRÆSERTIMQUE ISTA COLLECTIO, UNA, METHODICA ET CHRONOLOGICA, SEXCENTORUM FRAGMENTORUM OPUSCULORUMQUE HACTENUS HIC ILLIC SPARSORUM, PRIMUM AUTEM IN NOSTRA BIBLIOTHECA, EX OPERIBUS ET MSS. AD OMNES ÆTATES, LOCOS, LINGUAS FORMASQUE PERTINENTIBUS COADUNATORUM.

SERIES LATINA

IN QUA PRODEUNT PATRES, DOCTORES SCRIPTORESQUE ECCLESIÆ LATINÆ A TERTULLIANO AD INNOCENTIUM III.

ACCURANTE J.-P. MIGNE,

BIBLIOTHECÆ CLERI UNIVERSÆ

SIVE CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE.

PATROLOGIÆ LATINÆ TOMUS LXIV

MANLIUS SEVERINUS BOETIUS.

PARISIIS

APUD GARNIER FRATRES, EDITORES ET J.-P. MIGNE SUCCESSORES,

IN VIA DICTA : *AVENUE DU MAINE*, 208

1891

BR
60
.M4
t.64
cop.2

PHILADELPHIA
DIVINITY SCHOOL

SÆCULUM VI, ANNUS 528.

MANLII SEVERINI

BOETII

OPERA OMNIA,

NON SOLUM LIBERALIUM DISCIPLINARUM,
SED ETIAM MAJORUM FACULTATUM STUDIOSIS UTILISSIMA,
MO ET SINE QUIBUS ARISTOTELES IN PRÆCIPUIS LOCIS INTELLIGI NON POTEST,

NUNC PRIMUM CURA QUA PAR ERAT IMPRESSA,

OPEM FERENTIBUS EDITIONIBUS VARIIS : QUARUM UNA, LIBRORUM SCILICET DE CONSOLATIONE PHILOSOPHIÆ, AD USUM DELPHINI ACCURATISSIME EXCUSA EST;

ALTERA, INTER OMNES AMPLITUDINE PRINCIPEM LOCUM OBTINENS, MEMORATISSIMO GLAREANI NOMINE PRÆSIGNATUR, QUI ARITHMETICAM ET MUSICAM DEMONSTRATIONIBUS ET FIGURIS AUCTIOREM REDDITAM SUO PRISTINO NITORI RESTITUIT;

TERTIA, QUÆ EST OPUSCULORUM THEOLOGICORUM, ERUDITISSIMUM VALLINUM AGNOSCIT AUCTOREM;

QUARTA DEMUM, NONNULLA MONUMENTA INEDITA EXHIBENS, ILLUSTRISSIMO CARDINALI MAIO DEBETUR.

ACCURANTE J.-P. MIGNE

Bibliothecæ Cleri universæ

SIVE CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORIS

TOMUS POSTERIOR

PARISIIS
APUD GARNIER FRATRES, EDITORES ET J.-P. MIGNE SUCCESSORES,
IN VIA DICTA : *AVENUE DU MAINE*, 208

1891

ELENCHUS

AUCTORUM ET OPERUM QUI IN HOC TOMO LXIV CONTINENTUR

MANLIUS SEVERINUS BOETIUS.

OPERA PHILOSOPHICA.

Dialogi in Porphyrium a Victorino translati.	*Col.*	9
Commentaria in Porphyrium.		71
In Categorias Aristotelis libri quatuor.		159
In librum Aristotelis de interpretatione Commentaria minora.		293
In eumdem librum Commentaria majora.		393
Interpretatio priorum Analyticorum Aristotelis.		639
Interpretatio posteriorum Analyticorum Aristotelis.		712
Introductio ad Syllogismos categoricos.		761
De Syllogismo categorico libri duo.		793
De Syllogismo hypothetico libri duo.		831
Liber de divisione.		875
Liber de diffinitione.		891
Interpretatio Topicorum Aristotelis.		909
Interpretatio Elenchorum Sophisticorum ejusdem.		1007
Commentaria in Topica Ciceronis.		1040
De Differentiis topicis.		1173
De rhetorica cognatione.		1217
Locorum rhetoricorum distinctio.		1221

Appendix ad opera philosophica.

De disciplina scholarium (*hunc librum, a primis editoribus corrupte omnino editum, non habuimus unde sanaremus. Vide Analysin operum Boetii hujus voluminis col. 1554 seq.*).		1223
Commentarius in Boetium de consolatione Philosophiæ.		1239

OPERA THEOLOGICA.

De unitate Trinitatis cum Gilberti Porretæ commentario.		1247
Utrum Pater et Filius et Spiritus sanctus de Divinitate substantialiter prædicentur. Accedit Gilberti Porretæ commentarius.		1299
Quomodo substantiæ bonæ sint, cum ejusdem Gilberti commentario.		1313
Brevis fidei Christianæ complexio.		1333
Liber de persona et duabus naturis, cum Gilberti Porretæ commentario.		1355

APPENDIX AD OPERA BOETII.

Historia Boetii operumque ipsius Analysis, cum Dissertationibus historico-theologicis, Gallice adornante Gervasio Turonensi presbytero.		1411

AN. MANL. SEV. BOETII

IN PORPHYRIUM DIALOGI

A VICTORINO TRANSLATI.

DIALOGUS PRIMUS.

Hiemantis anni tempore in Aureliæ montibus con-
cesseramus, atque ibi tunc cum violentior auster
ejecisset noctis placidam atque exturbasset quietem,
recensere libitum est ea quæ doctissimi viri ad illu-
minandas quodammodo acies intellectus densitate
caligantissimas, quibusdam quasi introductoriis com-
mentariis ediderunt. Ejus vero rei Fabius initium
fecit, qui cum me lectulo recumbentem, et quædam
super eisdem rebus cogitantem meditantemque vi-
disset, hortatus, ut quod sæpe eram pollicitus, ali-
quam illi ejus rei traderem disciplinam. Complaci-
tum est igitur, quoniam tunc et familiarium salutationes, et domestica negotia cessabant. Interrogatus
a me ergo super quibus vellet rebus me enodare at-
que expedire, tunc Fabius : Quoniam, inquit, tempus
ad studia vacat, et hoc otium in honestum negotium
converti licet, rogo ut mihi explices id quod Victori-
nus orator sui temporis ferme doctissimus a Porphy-
rio per εἰσαγωγήν, id est per introductionem in
Aristotelis Categorias dicitur transtulisse. Et primum
disciplinis didascalicis quibusdam me imbue, quibus
expositores vel etiam commentatores, ut discipulo-
rum animos docilitate quadam assuescant, ut untur.
Tunc ego : Sex omnino, inquam, magistri in omni
expositione prælibant. Prædocent enim quæ sit cu-
juscunque operis intentio, quod apud illos σκοπος
vocatur. Secundum quæ utilitas, quod a Græcis χρή-
σιμον appellatur. Tertium qui ordo, quod Græci vo-
cant τάξιν.. Quartum si ejus cujus esse opus dicitur,
germanus propriusque liber est, quod γνήσιον inter-
pretari solet. Quintum quæ sit ejus operis inscriptio,
quod ἐπιγραφήν Græci nominant. In hoc etiam quod
intentionem cujusque libri insolerter interpretaren-
tur, de inscriptione quoque operis apud quosdam
minus callentes hæsitatum est. Sextum est id dicere,
ad quam partem philosophiæ cujuscunque libri duca-
tur intentio, quod Græca oratione dicitur εἰς ποῖον
μέρος φιλοσοφίας ἀνάγεται. Hæc ergo omnia in quolibet
philosophiæ libro quæri convenit, atque expediri.
Tunc Fabius, quæ esset introductionis intentio inter-
rogavit. Et ego inquam : Aristoteles, qui factus est
introductionis pons, non aliter intelligi potest, nisi
ipsas res de quibus disputaturus est ad intelligen-
tiam præparemus. Videns enim Porphyrius quod in
rebus omnibus essent quædam prima natura, ex qui-
bus omnia, velut ex aliquo fonte manarent, et illa
quæ prima essent, et subsistentia esse, et generis
vocabulo nuncupari. Porro autem nunquam esse ge-
nus posse, nisi ei quædam alia subderetur, et quæ
A essent subdita species appellari : porro autem nun-
quam genus uni speciei genus esse posse, sed pluri-
bus. Plures autem species non posse esse multiplices, nisi eas aliqua discretio separet. Si enim nihil
sibi dissimiles forent, una species non multiplices vi-
derentur. Illa igitur divisio et dissimilitudo specie-
rum differentiæ nomine vocitantur. Omnia vero quæ
aliqua re differunt, fieri aliter non possunt nisi qui-
busdam propriis solitariisque naturis insignita sint.
Atque hæc hactenus. Videns ergo quod omnis om-
nium disparilitas in gemina rerum principia secare-
tur. in substantiam atque accidens, ita ut neque ac-
cidens sine substantia, neque sine accidenti sub-
stantia esse possit. Accidens quippe sine aliquo
substantiæ fundamento esse non potest : substantia
B vero ipsa sine superjecto accidente videri nullo modo
potest. Ut enim color sit quod est accidens, in cor-
pore erit quod est substantia. Porro autem cum cor-
pus, id est substantiam videris, insignitam eam
accidenti, id est aliquo colore, respicies. Itaque fit
ut neque substantia præter accidens sit, neque acci-
dens a substantia relinquatur. Ubi enim substantia
fuit, mox accidens consecutum est. Speculatus igitur
Porphyrius in his duabus rebus, id est accidenti et
substantia, genera, species, propria, differentiasque
versari, et quod ipsa per se sint genera, subjectis et
subjacentibus speciebus, quæ differentiis et propriis
insignitæ sunt, statuit principaliter de genere, spe-
cie, differentia, propriisque tractare. Et quoniam
tractatus hic in definitionibus, ut post docebimus,
proderit, si quis autem in definitione generali ponat
C accidens, eum non recte definire manifestum est,
quod suo loco tractabitur, statuit pauca de accident-
tibus prælibare. Ita enim nos prudentissimus doctor
instituit, ut tunc in definitionibus quibuslibet plenam
scientiam queamus accipere, cum quod prosit dictum sit, et quod non sit utile, segregetur. Hæc igitur hujus operis intentio est, de genere, specie, differentiis, propriis, accidentibusque tractare. Hic Fabius : Expedisti, inquit, de intentione, nunc utilitatem explica. Varia, inquam, et multiplex in hoc
opere commoditas utilitasque versatur. Primum
enim in Aristotelis categorias perquam uberrime
prodest. Quid autem prosit dicemus, cum de ejus
libri inscriptione tractabimus, sed in quibus aliis
prosit, paucis philosophiæ ipsius divisione facta per-
D stringam. Et prius quid sit ipsa philosophia conside-
randum est. Est enim philosophia amor et studium
et amicitia quodammodo sapientiæ. Sapientiæ vero

380

non hujus quæ in artibus quibusdam et in aliqua fabrili scientia notitiaque versatur,sed illius sapientiæ,quæ nullius indigens,vivax mens,et sola rerum primæva ratio est. Est autem hic amor sapientiæ intelligentis animi ab illa pura sapientia illuminatio, et quodammodo ad seipsum retractio atque advocatio,ut videatur studium æque sæpientiæ,studium divinitatis et puræ mentis illius amicitia. Hæc igitur sapientia cuncto animarum generi meritum suæ divinitatis imponit,et ad propriam naturæ vim puritatemque reducit. Hinc nascitur speculationum cogitationumque veritas, et sancta puraque actuum castimonia.Quæ res in ipsius philosophiæ divisionem sectionemque convertitur.Est enim philosophia genus, species vero ejus duæ,una quæ θεωρητικὴ dicitur,altera quæ πρακτικὴ, id est speculativa et activa. Erunt autem tot speculativæ philosophiæ species, quot sunt res in quibus justæ speculatio considerationis habetur.Quotque actuum diversitates,tot species varietatesque virtutem.Est igitur θεωρητικῆς, id est contemplativæ vel speculativæ triplex diversitas,atque ipsa pars philosophiæ in tres species dividitur. Est enim θεωρητικῆς pars una de intellectibilibus, alia de intelligibilibus,alia de naturalibus.Tunc interpellavit Fabius,miratusque est quid hoc novi sermonis esset,quod unam speculativæ partem intellectibilem nominassem.Nota,inquam,quoniam Latino sermone nunquam dictum reperi,intellectibilia,egomet mea verbi compositione vocavi.Est enim intellectibile quod unum atque idem per se in propria semper divinitate consistens,nullis unquam sensibus,sed sola tantum mente intellectuque capitur. Quæ res ad speculationem Dei atque ad animi incorporalitatem considerationemque veræ philosophiæ indagatione componitur.Quam partem Græci θεολογίαν nominant. Secunda vero pars est intelligibilis, quæ primam intellectibilem cogitatione atque intelligentia suscipiens,ea comprehendit quæ sunt omnium cœlestium supernæ divinitati operum causæ, et quidquid sub lunari globo beatiore animo atque puriore substantia valet; postremo humanarum animarum conditionem atque statum,quæ omnia cum prioribus illis intellectibiles substantiæ fuissent,sed corporum tactu,ab intellectibilibus ad intelligibilia degenerarunt,ut non magis ipsa intelligantur quam intelligant, et intelligentiæ puritate tunc beatiora sunt,quoties sese intellectibilibus applicarint. Tertia θεωρητικῆς species est,quæ circa corpora atque eorum scientiam cognitionemque versatur, id est physiologia,quæ naturas corporum passionesque declarat.Secunda vero,intelligibilium substantia, merito in medio collocata est, quod habeat et corporum animationem,et quodammodo vivificationem,et intellectibilium considerationem cognitionemque, ut dictum est. Practicæ vero philosophiæ,quam activam superius dici demonstratum est,hujus quoque triplex est divisio. Est enim prima quæ sui curam gerens cunctis sese erigit, exornat, augetque virtutibus,nihil invita admitens,quo non gaudeat, nihil faciens pœnitendum. Secunda vero est quæ reipublicæ curam suscipiens, cunctorum saluti suæ providentiæ solertia,et justitiæ libra,et fortitudinis stabilitate,et temperantiæ patientia medetur.Tertia vero quæ rei familiaris officium modiocri componens dispositione distribuit. Sunt harum etiam aliæ subdivisiones,quas nunc persequi supersedendum est. Ad hæc igitur ut sciri possint et superiora intelligi queant,necessarius maxime uberrimusque fructus est artis ejus,quam Græci λογικὴν, nos rationalem possumus dicere,quod recta orationis ratione quid verum, quidque decens sit,nullo erroris flexu diverticulove fallatur. Quam artem quidam partem philosophiæ,quidam non partem,sed ferramentum et quodammodo supellectilem judicarunt.Qua autem id utrique impulsi ratione crediderint,alio erit opere commemorandum. Hæc autem generis, speciei,differentia, proprii atque accidentis disputatio in omni nobis philosophiæ cognitione quasi quamdam viam parat.Nam cum quid genus sit docemur, quid species,intelligimus genus esse philosophiam, species vero indubitanter θεωρητικὴν et πρακτικὴν,id est speculativam et activam. De logica vero utrum sit species,eadem hac possumus ratione perpendere. Prodest nobis differentiæ cognitio ad ipsarum philosophiæ specierum differentias cognoscendas.Prodest proprii scientia ad cognoscendum quid unicuique philosophiæ speciei solitaria natura videatur ac substantia innatum. Prodest accidentis cognitio: per hoc enim quid principaliter in rebus sit cernere,et quid secundo contingentique loco conveniat,discernere valemus. Ita nobis harum quinque rerum scientia,ramosa quadam et multifida vi, in omnibus sese philosophiæ partes infundit. Ad grammaticam vero, non minor hujus rei usus est, quando orationem genus dicimus: octo vero partes orationis, per species, differentias propriaque metimur. Est vero hujus rei perquam rhetorice amica conjunctaque cognitio.Ita enim rhetoricam in tribus causarum possumus separare generibus,et eas in subjectis constitutionibus dissecare.Definitionem quoque quæ ad logicam pertinent magna atque utilis uberrimaque cognitio est,quas definitiones nisi per genera, species,differentias,proprietatesque tractaveris, nullus unquam definitionibus terminus imponetur.Nam si quid definis, ex quo sit genere primum tibi dicendum est,atque in hoc genus species que consummata sunt.Nam cujuscunque rei genus dixeris,ad quam rem illud dixeris,speciem facis.Ut si quid sit homo definias,dicas hominem esse animal.Igitur quoniam ad hominem aptasti animal,genus esse animal,et hominem speciem a te declaratum est,sed non sufficit sola generis in definitione monstratio.Si enim solum animal hominem esse dixeris,num potius hominem quam bovem asinumque aut equum definitione depinxeris? Prodest igitur etiam differentias adhibere, per quas id quod definies a speciebus aliis sejungatur, ut dicas hominem esse animal rationale. Et quoniam sub eadem differentia plures frequenter spe-

cies inveniuntur, ut sub rationali Deus atque homo est, utilissimus proprietatis usus est, ut id dicas, quod sola quam definis species, suum propriumque retineat. Fit ergo hujusmodi hominis definitio. Homo est animal, id est genus, homo vero species; rationale, quod differentia est; risus capax, quod proprium est; accidentium vero in definitionibus nullus usus est. Prodest ergo in definitionibus harum quinque rerum cognitio, ut nec ea quæ sunt utilia prætermittas, nec ea quæ nihil præstant commoditatis, adjungas. In divisione vero tantum prodest, ut nisi per horum scientiam, nulla res recte distribui, secarique possit. Nam quæ generum vel specierum recta distributio divisione erit, ubi ipsarum quæ dividuntur rerum nulla scientiæ cognitione dirigimur? Probationum vero veritas in his maxime constituta est: quod per ea quæ dividis, id quod dividis, vel quid aliud probas. Nam Marcus Tullius in Rhetoricorum primo, quoniam divisionem generum, causarum rite atque ordinate faciebat, ejus rei probationem ita esse debere per species generaque disposuit, cum ait easdem res aliis superponi, aliis supponi posse, eisdem et subjectas et superpositas esse non posse. Hæc fere de utilitate ad tempus dicenda credidimus. Tunc Fabius: Valde miror, inquit, cur inchoanti mihi tam subtilius inventas exercitatasque res edideris. Sed dic, quæso, quodnam hoc totum fuit consilium? Et ego, Dicam tibi quod assuescendus animus auditoris et mediocri subtilitate imbuendus est, ut cum sese hic primum exercuerit palæstra ingenii, quasi quodammodo prius luctatus, ea quæ sequentur sine ulla labore conficiat. Sed quid restet dicas licebit. Et Fabius: Ordinem, inquit, restare arbitror, si bene commemini. Atqui, inquam, hic ordo valde cum inscriptione conjunctus est. Si enim alterum noris, ambo noveris. Ordo tamen est quod omnes post Porphyrium ingredientes ad logicam, hujus primum libelli tractatores fuerunt, quod primus hic ad simplicitatem tenuitatis usque progressus, quo procedentibus viandum sit, præparat. Aristoteles enim, quoniam dialecticæ atque apodicticæ disciplinæ volebat posteris ordinem scientiamque contradere, vidit apodicticam dialecticamque vim uno syllogismi ordine contineri. Scribit itaque primos resolutorios quos Græci ἀναλυτικοὺς vocant, qui legendi essent antequam aliquid dialecticæ vel apodicticæ artis attingerent. Imprimis enim resolutoriis de syllogismorum ordine complexioneque et figuris tractatur. Et quoniam syllogismus genus est apodictici et dialectici syllogismi, dialecticam in Topicis suis exercuit, apodicticam in secundis resolutoriis ordinavit: horum disciplina, quam ille in monstrandis syllogismis ante collegerat, prius etiam in studiis lectitatur. Itaque primi prius resolutorii quam secundi qui de apodictico syllogismo, vel Topica quæ de dialectico syllogismo sunt, accipiuntur. Traxit igitur Aristoteles dialecticam atque apodicticam scientiam, adunavitque in syllogismorum resolutoria disputatione. Sed quoniam syllogismum ex propositionibus constare necesse est, librum Περὶ ἑρμηνείας, qui inscribitur de Propositionibus, adnotavit. Omnes vero propositiones ex sermonibus aliquid significantibus componuntur. Itaque liber quem de decem prædicamentis scripsit, quæ apud Græcos κατηγορίαι dicuntur, de primis rerum nominibus significantibusque est. Vidit enim Aristoteles infinitam miscellamque esse rerum omnium, verborumque disparilitatem, et ut eorum ordinem reperiret, in decem primis sermonibus, prima rerum genera significantibus, omne quidquid illud vel rerum, vel sermonum poterat esse, collegit. Sed Aristoteles hactenus. Speculatus autem Porphyrius si categoriæ genera sunt rerum, rerum vero sermonumque diversitas, speciebus, differentiis, propriisque insigniretur, videns etiam quod accidentium in categoriis magna vis esset (omnes enim res Aristoteles in duas primum partes dividit, in accidens atque substantiam), et accidens in novem membra dispersit, dicens, aut substantiam esse quamcumque illam rem, aut si accidens esset, quoniam aut qualitas, aut quantitas, aut ad aliquid, aut ubi, aut quando, aut jacere, aut habere, aut facere esset, aut pati. Prælibat igitur nos Porphyrius ad horum verissimam cognitionem hoc de generibus, speciebus, differentiis, propriis, accidentibusque tractatu. Sic igitur cum ante apodicticam dialecticamque rem syllogistica prælegantur, ante syllogisticam in propositionibus primus labor sit, ante, propositiones in categoriis pauca desudent, ante categorias in isagogis plurimum laborent, quæ de generibus, speciebus, differentiis, propriis, accidentibusque censentur, ordo est de his ipsis rebus pauca prælibare. Recte igitur ut filo quodam hic Porphyrii liber primus legentibus studiorum prægustator, et quodammodo initiator occurrit. Quod si in hac re, quod dictum est, sat est, rem etiam de inscriptione confecimus. Quo enim alio melius quam introductionis nomine nuncupetur hic liber? Est namque ad categorias Aristotelis introitus, et quædam quasi janua venientes admittit. Tum Fabius: Perge, quæso te; et si ejus hoc propriam germanumque opus est collige. Hoc, inquam, indubitatum est, omnibus enim Porphyrii libris stylus hic convenit. Et mos hic Porphyrio est, ut in his rebus quæ sunt obscurissimæ, introducenda quædam et prægustanda præcurrat, ut alio quodam libro de Categoricis syllogismis fecit, et de multis item aliis quæ in philosophia gravia illustriaque versantur. Et hoc apud superiores indubitatum est, quibus nolle credere inscitia est. Tum Fabius; Restat, inquit, ut ad quam partem philosophiæ ducatur, edisseras. Ei ego: Dicam tibi: Quoniam categoriæ ad propositiones aptantur, syllogismi de propositionibus componuntur, apodictici vero vel dialectici syllogismi in logicæ artis disciplina vertuntur. Constat quoque categorias quæ ad propositiones syllogismosque pertinent, logicæ scientiæ esse connexas. Quare introductio quoque in categorias ad logicam scientiam convenienter aptabitur. Quoniam ea quæ prædicenda sunt explicui, nunc textus ipsius ratio atque ordo videatur. Tum Fabius: Priusquam

explanatio sensus procedat id scire desidero, cur cum posset dicere : Cum necessarium sit, præposterato ordine, cum sit necessarium dixit. Et ego ; Quoniam, inquam, nullum accidens est, quod non substantiæ fundamento nitatur. Porro autem quidquid ad cujuslibet superjecti firmitatem est, id antequam ipsum esset, fuisse necesse est : ut enim in domibus, nisi prius fundamenta subjicias, nulla unquam fabrica, sic nisi prius substantiæ fundamenta sint, nulla unquam accidentia superponentur. Oportet enim prius esse aliquid, ut formam qualitatis arripiat, nam necessarium qualitas est : non absurde igitur prius esse posuit, post etiam necessarium, id est post substantiam, qualitatis nomen aptavit. Hic Fabius : Subtilissime, inquit, et lucide, sed nunc ordo ipse operis textusque videatur.

Cum sit necessarium, Menanti, sive ad Aristotelis categorias, sive ad definitionis disciplinam, nosse quid sit genus, quidve species, quid differentia, quid proprium, quid accidens, et omnino ad ea quæ sunt divisionis, vel quæ approbationis, quorum utilitas est et magna cognitio, breviter tibi explicare tentabo. Quæ apud antiquos quidem alte et magnifice quæstionum genera proposita sunt. Ego simplici sermone cum quadam conjectura in res considerationc alia ista explicabo mediocriter.

Tunc ego: Prædiximus quidem pauca superius, sed vel his quædam addere, vel hæc eadem rursus commemorare absurdum esse non arbitror. Totus autem sensus talis est : Scribens ad Menantium de utilitate libri, summatim pauca prædicit, quod elucubratior animus auditoris exercitatiorque ad hæc capienda perveniat. Prodesse autem ad Aristotelis categorias dicit, quod cum omnium sermonum significantium varietatem diversa rerum summa divideret, et in substantiam atque accidens omnes res secaret atque dispergeret, accidens in vocem secuit partes, quod superius demonstravi, et hæc genera generalissima nominavit, id est γενικώτατα, quod super ista alia genera inveniri non possint. Igitur si sunt genera sine speciebus esse non possunt. Si sub his species supponuntur, differentiis non vacabunt. Quod si differentias retinent, propriis indigebunt. Accidentis vero novem prædicamenta sunt. Quocirca non absurdum fuit hinc introductionem in prædicamenta componi, ut de generibus, speciebus, differentiis propriisque tractaret, quæ in ipsis prædicamentis inseparabiliter videntur inserta. Amplius. Quod Aristotelica subtilitas priusquam ad prædicamentorum ordinem veniretur, de æquivocis univocisque tractavit, definit vero æquivoca sic : Æquivoca sunt quorum nomen solum commune est, secundum vero nomen substantiæ alia ratio est, ut si qua sunt, quæ nomine tantum communicent, substantia vero dissimilent : univoca vero quæ sub eodem nomine et sub eodem substantia continentur. Omne igitur genus ad species quæ sunt sub ipso positæ univoce prædicari potest. Porro autem quidquid ad quaslibet res univoce prædicatur, in his sola diffinitio una est, genus vero speciesque convertitur. Animal enim et homo univocum est. Animal enim animalis nomine dicitur. Porro autem homini nomen etiam convenit animalis, ut dicatur animal, uno ergo nomine animalis homo et animal appellantur. Animalis vero diffinitio est, substantia animata sensibilis, quam si ad hominem vertas nihil absurdum feceris : potest enim homo esse substantia animata sensibilis, sed animal genus, homo vero species ; univoce igitur genus et species prædicantur. Æquivoca vero qui fuerint, quoniam definitionibus differunt, et eorum quorum definitiones aliæ sunt, alia est etiam substantia : quorum alia substantia est alia sunt etiam omnino genera, in his eisdem æquivocis constat, quod neque genus, neque species possit aptari : etenim si quis hominem marmoreum et hominem vivum hominis nomine appellet, idem nomen utrique fecerit substantiæ, differentia vero diffinitioque est dissimilis. Porro autem hominis et statuæ non unum genus est, sed statuæ inanimatum, hominis animatum. Quare constat quoniam nunquam sub eisdem generibus continentur quæcunque æquivoce prædicantur. Quam vim, nisi prius de generibus, speciebus, propriis et differentiis notitiam scientiamque perceperis, nullo nunquam tempore discernis. Idem Aristoteles ait quid sint primæ substantiæ, quid secundæ, et primas substantias dicit esse individuorum corporum et singulorum, ut est Cicero, aut Plato, aut Socrates. Secundas vero substantias species appellavit, ut est homo ; vel genera in quibus ipsæ species continentur, ut est animal. Hæc igitur nisi prælibata generis specieique cognitione sciri non possunt. Idem ait substantiam ab alia substantia, in eo quod substantia sit, nulla differentia disgregari. Idem substantiæ proprietates requirit, ut quasi impresso aliquo signo, sic proprietate nota, facilius quid substantia sit invenire atque expedire possimus. Atque hoc idem in accidentibus fecit. Nam et quantitatis et qualitatis et ad aliquid relationis propria collegit, et idem magna apud Aristotelem cura diligentiaque conspicitur. Videsne ut sesequinque harum rerum vis in categorias interserat, et prædicamentorum virtutibus inseparabiliter colligetur ? Non mendax igitur Porphyrius de hac cognitione, harum quinque rerum nobis in categorias, utilitate promisit. Definitionis vero disciplinam superius diximus præter genera, species, differentias et propria non posse tractari. Sed quoniam sunt quædam genera quæ genus habere non possunt, ut est substantia, et alia quæ Aristoteles in prædicamentis constituit, dicat quis hæc ad horum cognitionem nihil omnino prodesse quod non sit in his a genere trahenda definitio, in quibus genus inveniri non possit, quod si qua res genus non haberet, species non esset. Hoc ita posito ad generalissimorum generum definitionem nihil genera et species utilitatis habere. Ridicula mehercle atque absurda propositione. Præter scientiam enim generum specierumque magis genera illa generalissima cognoscere qui potis est, cum, hæc sola generum specierumque cognitio si amissa sit, nihil de generi-

bus speciebusque noscatur? In illis igitur quibus genus aliud superius inveniri non potest, nullius unquam terminus definitionis aptabitur, et in ipsius definitione genera speciesque cessabunt, et solæ differentiæ propriaque illius terminum definitionis informant. Cum enim id quod dicis, ab aliis rebus omnibus adjunctis differentiis segregaveris, et propriis impressis formam ejus figuramque monstraveris, genus quod invenire non poteris perquirere non labores. Sed in his species et genera non requiruntur, in quibus, quod ipsa generalissima sint genera, genus inveniri non queat. Porro autem in his quorum genus est aliquid, nisi a genere definitio ducatur, finis ejus definitionis vitiosa conclusione colligitur. Accidens vero ad definitiones nihil prodesse non dubium est. Definitio enim substantiam informare desiderat, accidens vero substantiam non designat. Accidens igitur in definitione nihil prodest. Est itaque necessaria generis specieique cognitio, ut si generalissima non sint quæ quisque definiturus est, a genere definitionem trahat. Si vero generalissima sint, ejus genus quærere, quod inveniri non potest, non laboret. Æque enim vitiosum est vel in generalissimis genera quærere, vel in subalternis generibus a generibus definitionem ducere supersedere. Differentiæ vero et propria, vel si magis genera sunt, vel si subalterna, maximam retinent utilitatem: et quoniam ad definitiones quæ pertinent quædam dicta sunt, pauca etiam de his ipsis rationabilius subtiliusque colligemus. Sit genus animal, sit species homo, sit differentia rationale vel mortale, sit proprium risibile; accidens vero quoniam ad definitiones incommodum est prætermittamus. Quisquis ergo speciem definit, ita de genere ab aliis eam generibus separat, ut si quis dicat quid est homo? animal. Dicens enim animal, separavit hominem ab omnibus generibus quæcunque animalia non sunt. Si quis vero differentiam dicat et eam ad speciem accommodet, res sub eisdem generibus per differentias segregravit. Nam cum dicis hominem esse animal rationale, cum etiam bos et equus species animalis sint, additum tamen rationale homini, ab aliis sub eodem genere speciebus, hominis speciem segregravit atque distinxit: propria vero cum dederis, res quæ sunt sub eisdem, differentiis segregabis. Nam cum dixeris hinnibile vel risibile, illud est equi proprium, illud hominis. Et cum equus cum bove atque cane sub eadem differentia sit, quod irrationabilia sunt omnia, adjectum hinnibile a cæteris equum sub eadem differentia speciebus dividit. Homo vero et Deus sub eadem differentia sunt, id est rationali, quod utrique rationales sunt, quamvis homo et Deus adjuncta mortali differentia separentur: proprio tamen, id est risibili, quod solus habet homo, naturalius substantialiusque disjungitur quod in aliis rebus in quibus nulla species tali differentia separatur melius cognosci potest. Nam cum sub eadem differentia sint irrationalia, equus, bos, canis, nec est ulla alia quæ eos separet differentia substantialis. Possunt enim accidentis esse differentiæ, ea quæ eos separent, quales sunt formarum, additum tamen equo proprium hinnibile, equum ab aliis sub eadem differentia speciebus proprietatis ipsius separatione disjunxit. Repetendum est igitur a primordio, quod genera in definitionibus ab aliis generibus separant, differentiæ ab ipsis speciebus, quæ sub eisdem generibus positæ sunt, propria a speciebus, quæ sub eisdem differentiæ supponuntur. Sed quoniam plene de diffinitione tractatum est, probationis vel divisionis vim subtilitatemque tractemus. Sed omnis divisio duplex est, aut cum totum corpus in diversa disjungis, aut cum genera per species distribuis. Si quis igitur harum quinque rerum minus solers divisiones rerum facere voluerit, non est dubium quin eas per inscientiam sæpe a speciebus in genera solvat, quod est factu fœdissimum, quod Hermagoræ in prima Rhetoricorum disputatione usu venit. In tales enim erroris nebulas incidit, ut duo genera sub æqualis generis parte poneret. Quod si divisionis vim veritatemque vidisset, et disciplinam generum, specierumque, propriorum et differentiam recepisset, nunquam tam insulsæ divisionis errore vivacissime a Marco Tullio culparetur. In probationibus vero tantus est hujus operis fructus, ut præter hæc nullius unquam rei possit provenire probatio. Quid enim monstrare digne queas, cum cujus differentias nescias, idipsum quale sit scire non possis? Quid autem digne exsequeris, cujus si genus nescias, ex quo idipsum fonte manet ignores? Vel quid in probationibus ratione possis ostendere, cujus si speciem nescias, idipsum de quo aliquid probare vis, quid sit non possis agnoscere? Quid si propria prætermittas? nullas unquam res valebis propriæ termino probationis includere. At vero si non vim accidentium naturamque perspicias, cum de cujusque substantia tractes, inane accidentis nomen æque in definitionibus probationibusque miscebis. Ita his rebus cognitis, integra stabilisque divisio et definitio permanebit; incognitis, debilis lababit et trunca probatio. Hæc se igitur Porphyrius (non Victorinus) breviter mediocriterque promittit exponere. Non enim introductionis vice fungeretur, si ea nobis a primordio fundaret, ad quæ nobis hæc tam clara introductio præparatur. Servat igitur introductionis modum doctissima parcitas disputandi, ut ingredientium viam ad obscurissimas rerum caligines aliquo quasi doctrinæ suæ lumine temperet. Dicit enim apud antiquos alta et magnifica quæstione disserta, quæ ipse nunc parce breviterque composuit. Quid autem de his a priscis philosophiæ tractatoribus dissertum sit, breviter ipse tangit et præterit. Tum Fabius: Quid illud, inquit est? Et ego: Hoc, inquam, quod ait se omnino prætermittere genera ipsa et species, utrum vere subsistant, an intellectu solo et mente teneantur; an corporalia ista sint an incorporalia: et utrum separata, an ipsis sensibilibus juncta. De his sese, quoniam alta esset disputatio, tacere promisit: nos autem adhibito moderationis freno, mediocriter unumquodque tangamus. Eorum ergo quæ se transire et præ-

termittere pollicetur, prima est quæstio, utrum genera ipsa et species vera sint, an in solis intellectibus, nuda inaniaque fingantur; quæ quæstio hujusmodi est: Quoniam hominum multiformis est animus, per sensuum qualitatem res sensibus objectas intelligit, et ex his quadam speculatione concepta; viam sibi ad incorporalia intelligenda præmunit: ut cum singulos homines videam, eos quoque me vidisse cognoscam, et quia homines sunt, me intellexisse profitear. Hinc igitur ducta intelligentia, velut jam sensibilium cognitione roborata, sublimiori sese intellectu considerationis extollit, et jam speciem ipsam hominis, quæ sub animali est posita, et singulos homines continet, suspicatur, et illud incorporeum intelligit, cujus anteparticulas corporales in singulis hominibus sentiendis et intelligendis assumpserat. Nam hominem quidem illum specialem, qui nos omnes intra sui nominis ambitum coercet, non est dicere corporalem, quippe quem sola mente intelligentiaque concepimus. Sic igitur mens rerum nixa primordiis altiori atque incorporabili intelligentia sublimatur. Hinc ergo animus non solum per sensibilia res incorporales intelligendi est artifex, sed etiam fingendi sibi atque etiam mentiendi. Inde enim ex forma equi et hominis falsam centaurorum speciem sibi ipsa intelligentia comparavit. Has igitur mentis considerationes, quas a rerum sensu ad intelligentiam protectæ, vel intelliguntur, vel certe figuntur, Φαντασίας Græci dicunt, generibus, speciebus et cæteris quærunt, utrum hæc vere subsistentia, et quodammodo essentia constantiaque intelligantur, ut a corporibus singulis vere atque integre ductam hominis speciem intelligamus, an certe quadam animi imaginatione fingantur, ut ille Horatii versus est: Humano capiti cervicem pictor equinam jungere si velit, quod neque est, neque esse poterit, sed sola falsa mentis consideratione fingitur. Nimis acuta et subtilis inquisitio, atque adrem maxime profutura. Scienda enim sunt, utrum vere sint: nec esset de his disputatio consideratioque si non sint. Sed si rerum veritatem atque integritatem perpendas, non est dubium quin veræ sint. Nam cum res omnes quæ veræ sunt, sine his quinque esse non possint has ipsas quinque res vere intellectas esse non dubites. Sunt autem in rebus omnibus conglutinatæ et quodammodo conjunctæ atque compactæ. Cur enim Aristoteles de primis decem sermonibus genera rerum significantibus disputaret? vel eorum differentias, propriaque colligeret, et principaliter de accidentibus dissereret, nisi hæc in rebus intimata et quodammodo adunata vidisset? Quod si ita est, non est dubium quin veræ sint, et certa animi consideratione teneantur, quod ipsius quoque Porphyrii probatur assensu. Nam quasi jam probato, et scito quod ita vere subsistant, aliam quæstionem inferre non dubitat, cum dicit: An corporalia ista sint, an incorporalia. Quæ nimis esset frivola atque absurda quæstio, utrum essent corporalia, nisi prius esse constaret. Hæc quoque non mediocriter utilis inquisito ita resolvitur: Incorporalia esse nullus dubitat, cumque ipsa nullis sensibus capiantur, animi tamen qualia sint consideratione clarescunt. Nam quia incorporeorum prima natura est, potest res incorporea parens esse quodammodo corporeæ. Corporea vero incorporeis præesse non poterunt, quod quoniam substantia genus est, corporale vero et incorporale species sunt substantiæ, corporale non esse genus hæc res declarat, quod substantiæ, id est generi, incorporale supponitur. Quod si corporale esset genus, nunquam sub eo species incorporea poneretur. Animadvertere igitur vehementissime, quam nunquam quidquam ate animadversum fuit. Genus ipsum quoniam species habet, species vero differentiis disjungantur, et proprietatibus informentur, quoniam quædam species reperiuntur quæ in contraria sub generis divisione contrarias obtinent vices: ut sub animali rationale atque irrationale contraria sunt, sub rationali, mortale atque immortale, et hæc quoque contraria. Quæritur, si animal solitario intellectu neque rationale neque irrationale sit, unde hæ differentiæ in speciebus natæ sint, quæ in genere ante non fuerant? Quod si genus, id est animal, utrasque res in se habet, ut et rationale et irrationale sit, in uno eodemque duo contraria eveniunt, quod est impossibile. Attingam igitur breviter quæstionem, et dicam quod non genus utrumque sit, id est rationale vel irrationale, vel quidquid aliud inter se species per contrarietates dividunt, sed vi sua et potestate genus hoc continet, ipsum vero nihil horum est. Ita ergo genus tale est, ut ipsum neque incorporale, neque corporale sit, utrumque tamen ex se possit efficere, quod secundo libro melius liquebit. Species vero alias corporalis, alias incorporalis est. Nam si hominem sub substantia ponas, corporalem speciem posuisti, sin Deum incorporalem. Eodem modo etiam differentiæ. Nam si corporales vel incorporales species dividunt, erunt alias incorporales, alio tempore corporales: ut si dicas quadrupes ad bipedem, corporalis differentia est; sed rationalis ad irrationalem, incorporalis est differentia, et propria nihilominus eodem modo. Nam æquale speciei cum proprium fuerit, si incorporalis erit species, incorporale erit proprium, sin corporalis, corporale vindicabitur. Et accidens eodem modo. Nam si incorporalibus quidem accidit incorporale esse, manifestum est ut in animo accidens est scientia, incorporalis scilicet. Corporalibus vero quæ accidunt, corporalia esse manifestum est: ut si quis dicat accidens me habere capillum crispum. Sic igitur genus neutrum per seipsum est, sed utrasque res ex seipso efficere potest, species, differentias, propria et accidentia, ut accepta in contrarias species fuerint, proinde vel corporalia vel incorporalia vocabuntur. Sed sunt quibus hoc ipsum integrum videri possit, et hæc solum incorporalia esse diffiniunt, qui sic dicant, non considerari genus in eo quod suapte natura constat, sed in eo quod genus sit. Itaque si substantia genus est, non consideratur in eo quod sub-

stantia est, sed in eo quod sub se species habet. Item si species corporeum et incorporeum est, non in eo quod Deus vel homo dicitur, considerantur, sed in eo quod est sub genere. Eodem modo etiam differentiæ non considerantur in eo quod bipes vel quadrupes si, sed in eo quod est differentia. Nam quadrupes hoc ipsum nulla differentia est, nisi sit bipes a quo differat. Itaque non quadrupes vel bipes respicitur, sed id quod medium est in bipede et quadrupede, id est differentia. Et de proprio idem. Nam quod cujuscunque est proprium, in eo proprium consideratur, quod ejus cujus dicitur esse proprium speciei solius est. Nam risibile non in eo est proprium hominis quod risus est, sed in eo quod solus homo potest ridere : quæ manifeste incorporalia esse indubitatum est. Deinde accidentia proinde sunt, qualia fuerunt ea quibus accidunt, ut superius dictum est : sed hi probare videntur hoc ipsius Porphyrii sententia, qui, veluti jam probato quod incorporea sint, ita ait : Et utrum separata, an ipsis sensibilibus juncta ; quod si esse hæc aliquando corporalia exstitisset, absurdum esset quærere utrum corporalia sejuncta essent a sensibilibus an juncta, cum sensibilia ipsa sint corporea. Talis autem est quæstio, ut quoniam quædam incorporales sunt res, quæ omnino corpora non patiuntur, ut anima vel Deus : quædam vero quæ sine corporibus esse non possunt, ut prima post terminos incorporalia : quædam autem quæ in corporibus sunt, et præter corpora sese esse patiuntur, ut anima ; quæritur ergo hæ quinque res ex quo incorporaliter sint genere, utrum eorum quæ omnino separantur a corpore, an eorum quæ a corporibus separari non possunt, an quæ jungantur aliquoties et aliquoties segregentur. Videtur autem quod et segragari et jungi possint. Nam quando corporalium divisio per genera in species fit, et eorum propria et differentiæ nominantur, hæc scilicet sensibilia, id est corporalia esse non dubium esse. Cum vero de incorporalibus rebus tractatus habetur, et per ea ipsa dividuntur quæ corpore carent, circa corporalia versantur. Quod si hoc est, non est dubium quod quinque hæc ex eodem sint genere, quod et præter corpora separatum esse possit, et corporibus jungi patiatur, sed ita, ut si corporibus juncta fuerint, inseparabilia a corporibus sint. Si vero incorporalibus, nunquam ab incorporalibus separentur, et utrasque in se contineant potestates. Nam si corporalibus jungantur, talia sunt, qualis illa prima post terminos incorporalitas, quæ nunquam discedit a corpore : si vero incorporalibus, talia sunt, qualis est animus, qui nunquam corpori copulatur. Hæc se igitur tacere Porphyrius pollicitus, breviter mediocriterque super his rebus tractare promittit, habita in res alias consideratione aut conjectura, quod simile est ac si diceret : Quoniam hæc ad prædicamenta et ad definitiones, et ad divisiones, et ad probationes pertinent, ideo hæc tractaturus assumo, et eatenus de his disseram, quatenus supradictis rebus proficiunt, non quatenus de his ipsis generibus speciebusque, et cæteris quævis tractari possint. Sunt enim illa (ut ipse ait) gravioris tractatus, quam doctrinam a Peripateticis acceptam, id est ab Aristotelicis, se sequi confessus est. Nam Stoici qui de his quoque rebus tractare voluerunt, non ommino a Porphyrio suscipiuntur, atque ideo ait se a Peripateticis rationem disputationis accipere. Tunc me Fabius ita percunctatus : Quid est, inquit, quod dudum dixeras, cum a te de incorporalibus tractaretur, esse quasdam incorporalitates quæ circa corpus semper constiterent, ut sunt primæ incorporalitates post terminos ? quæ est hæc incorporalitas, aut quos terminos dicis ? non enim intelligo. Et ego, Longus, inquam, tractatus est, et nihil nobis ad hanc rem quam quærimus profuturus. Sed dicam breviter terminos me dixisse extremitates earum quæ in geometria sunt figurarum : de incorporalitate vero quæ circa terminos constat, si Marcrobii Theodosii doctissimi viri primum librum quem de Somno Scipionis composuit in manibus sumpseris, plenius uberiusque cognosces. Sed nunc ad sequentia transeamus. Tunc Fabius, Ut placet, inquit, simulque sic incipit :

DE GENERE.

Videtur enim neque genus, neque species, simpliciter appellari, id est uno modo. Genus namque dicitur quorumdam ad se invicem, et ad aliquem quodam modo se habentium collectio, per quam Dardanidum dicitur genus. Dicitur rursus genus uniuscujusque generationis principium, aut a generante, aut ab eo loco in quo quis genitus est.

Cætera, inquit, fere nota sunt. Tunc ego : Si vim prius æquivocationis aspicias, divisionem generis diligenter agnosces. Placet enim generis nomen cum sibi subjectis æquivoce nominari. Æquivoca vero sunt, quæ cum nomine una sint, longe diversa substantiæ ratione et diffinitionis discreta sunt, ut si quis hanc, verbi gratia, statuam Veneris appellet, Congruunt igitur Venus ipsa et statua Veneris unius nuncupatione vocabuli, quod utrique Veneris nomen est. Si quis vero quid sit utrumque definiat, longe aliam veræ Veneris, aliam lapidis, rationem definitionemque constituet. Speculantibus igitur illa esse æquivoca, quæ uno vocabulo appellentur, definitionibus vero diversis constituantur, clarescet (ut opinor) participio generis quam Porphyrius fecit prævisa. Omne enim quidquid a genere in species ducitur, univocum, non aquivocum est. Univocum est, quod et eodem nomine vocari, et eadem definitione constitui potest, ut et animal genus, homo vero species, sed idem homo animal est. Genus igitur et species, id est animal atque homo possunt unius animalis nomine nuncupari, ut utrumque animal vocetur, sed eadem definitionibus non discrepant. Nam si definitionem reddas animalis, dicas id esse animal, quod est substantia animata sensibilis : quam definitionem si ad hominem vertas, non erit absurdum dicere hominem substantiam esse animatam atque sensibilem sicut animal, sed hoc supe-

rius dictum est. Si enim univoca sunt quæ uno nomine atque eadem definitione constituuntur, æquivoca vero quæ uno nomine sunt, et non sunt sub una definitione substantiæ, quidquid univocum est, ut animal genus ad suas species est, in his genera speciesque versantur: quidquid æquivocum est, ut aries, namque plura significans æquivocum est, sed non censetur participatione generis et speciei, non est in eis talis participatio, ut speciebus et generibus censeantur. Quæ enim erit in his generis specieique cognito, in quibus substantiæ definitio atque integerrima ratio disgregatur? Ita ergo Porphyrius nomen generis in tres dividit formas, sed ut æquivoca, non ut univoca, id est ut hæ formæ uno quidem generis nomine continentur, sui autem proprietate disgregata dissentiant: et hoc modo illud in tres dividit partes, ut dicat vocari semel genus eorum inter se plurimorumque collectio, qui ab uno quocunque nomen generis trahunt, ut Romani a Romulo trahentes genus, ex eodem genere esse dicuntur. Secundo vero loco dici genus affirmat, uniuscusque generationis principium, aut a generante, aut a loco in quo quis genitus est, ut Æneam ab Anchise et genere dicimus esse Trojanum. Tertium vero genus dicitur illud cui species supponitur. Victorinus vero duo superiora genera in unum redigit. Nam et multitudinis congruentiam inter se per eamdem generis nuncupationem, et quorumcumque a genere lineam et locum in quo quis natus est uno generis vocabulo et designatione esse declarat. Addit autem ipse quod soli Latinæ linguæ congruere possit: dicit enim secundo modo genus dici, ut est genus causæ honestum: quæ genera causarum Græci in rhetorica arte genera esse non putant, sed σχήματα vocant, id est figuras. Genera autem sola principalia accipiunt, demonstrativum, deliberativum et judiciale. Quæ ipsa εἴδη rhetorices vocant, id est species rhetoricæ, genera vero causarum non dicimus. Tertium vero genus est id quod Porphyrius ponit, id est sub quo differentiis distributæ species supponuntur. Sed quoniam de tertio genere tractaturus est, Victorini culpam, vel, si ita contingit, emendationem æqui bonique faciamus. Nunc ergo ad priorem apud Victorinum generis significationem revertamur, et ejus ut sunt verba enodanda atque explananda sumanus. Genus namque, inquit, dicitur quorumdam ad se invicem et ad aliquem quodammodo se habentium collectio. Hic ergo utrumque monstravit, et cognationem inter se multitudinis et lineæ ductum. Nam cum dicit genus quorumdam collectionem ad se invicem quodammodo habentium, id est aliqua inter se cognatione junctorum, cognatione monstrat; et quod addidit, et ad aliquem, generis lineam significat, quam singuli contingentes, ei ad usum sese ipsius generationis applicatione jungentes, plures ex eadem linea juncti atque cognati sunt, ut sit hic ordo: Genus dicitur quorumdam collectio ad se invicem quodammodo et ad aliquem habentium, id est ad alicujus lineam per genus contingentium, ut per collectionem cognationem demonstret, et per habitudinem quodammodo ad aliquem colligatam, lineam generis ductumque designet. Sequitur ergo, et id planius lucidiusque significat, cum dicit: Dicitur rursus genus cujuscunque generationis principium, aut a generante, aut ab eo loco in quo quis genitus est. Id ipsum latius expedit quod superius stricto et sentuoso brevitatis vinculo colligaverat. Dicit enim rursus genus dici, aut a generatione, id est a quo quis genitus est, aut ab eo loco in quo quis natus est. Sed rursus particula, si ad hoc connectatur, quod ait aut ab eo in quo quis genitus est, intellectus non titubat, ut sit ordo. Dicitur genus uniuscujusque nativitatis principium, aut a generante, aut rursus ab eo loco in quo quis genitus est; vel certe erit simplicior expositio, si priorem generi significationem, id est quorumdam ad aliquem quodammodo se habentium collationem, ad solius cognationem multitudinis accipiamus: lineæ vero ductum et loci generationem in inferiori significatione distribui, ita tamen ut una quodammodo generis significatione, et multitudinis cognationem, et a generante lineam, et loci nativitatem significet. Hæc enim omnia de sola cujuslibet nominatione tractantur. Quare non absurdum est omnia quæ ad ortum genitalem cujuslibet pertineant una significatione generis contineri. Proprie tamen et simplicissimæ expositionis est quatuor significationes generis constituisse Victorinum, ut ad tres Porphyrii unam ipse addiderit, et honestum genus causæ, ut sint generis hæ quatuor significationes, multitudinis cognatio, lineæ ductus, genus causæ, genus specierum. Sequitur secunda generis divisio apud Victorinum, ut est genus causæ quæ Græci (ut dictum est) non genera, sed σχήματα vocant. Tertiæ vero significationis generis hic modus est, genus dici cui supponitur species, id est genus illud a quo species derivantur, quod ait ad superiorum fortasse similitudinem æquitatemque dispositum. Sic enim genus speciebus suis principium est, ut Romulus his qui ab eo cognati sunt junctique Romani. Item eodem modo nomen Romuli Romanos omnes continet, quemadmodum nomine generis species continetur. Nam sicut a Dardano Dardanidæ prioris nomen Dardani in sese ipsos posteriores accipiunt: ita et animal, cum, verbi gratia, species habeat hominem atque equum, equus scilicet atque homo animalis in se vocabulum capere, ut dicantur ipsa animalia, non recusant. Eodem igitur modo species sub generibus continentur, quemadmodum cognati homines sub illo a quo illam cognationem sorte traxerunt. Nam et genus speciebus principium est, et plurimarum in se specierum collectivum est. Rursus primum cognationis nomen et ipsius generationis est principium, et in illius solius vocabulo diversitas hominum vocabuli et generis participatione colligitur, atque hoc est quod ait his verbis: Aliter dicitur genus cui supponuntur species, juxta similitudinem forte superiorum appellatum: etenim principium quoddam est genus his quæ sub ipso sunt, et

videtur multitudinem continere omnium quæ sub se sunt. Sed cautissime est additum, videtur. Si enim nihil hæc omnia distarent, una significatio generis esset, et ea quæ in species funditur, et ea quæ in cognitione dividitur. Sed est inter hæc genera talis diversitas, et quod genera earum specierum, quæ sub se habent alias species, æquævis speciebus æqualiter sunt genera. Hominem enim et equum, qui sub animali sunt, neutrum neutro possumus dicere prius, quantum pertinet ad tempus, inchoationemque nascendi. Nam si qua res una sit prior, altera posterior, et eas sub uniuscujusque generis nomine quis velit aptare, non poterit. Genus enim speciebus suis æqualiter genus est. Quod si genus speciebus suis æqualiter genus est, species ipsæ ejus ordinis inter se æquali tempore ortuque censentur. At vero in generibus quæ cognationes efficiunt non ita est. Quisquis enim fuit Capis pater, qui Capuam condidit, si solum filium Capim progenuit, et ab eo uno Capuanorum cognatio junctioque manavit, distat a genere cujus species supponuntur, quod genus uni speciei genus esse nunquam potest nisi pluribus, quod quoniam est idoneum genus illud, id est principium cognationum etiam ab uno filio colligere et congregare cognationem, quod genus per species ductum facere non potest, nisi plures species supponantur. Constat in hoc distare genus quod cognationem colligit, et a quo species dividuntur. Potest autem distare in hoc etiam quod genus, id est principium cognationis potest habere sub se duos, ex se non æquali temporis conditione progenitos, sed aliud posterioris ortus, alium vero senioris, quod in generibus, speciebusque non convenit. Nam (ut superius dictum est) species nisi sibi æquales fuerint non merito, sed natura, sub genere poni non possunt. His igitur expeditis sequitur :

Toties igitur de genere dicto, de postrema significatione inter philosophos disputatio est, quod definientes ita declarant ; Genus esse quod ad plurimas differentias specie distantes in eo quod quid sit, prædicetur.

Quod dicit toties, tertio demonstrare vult, atque hoc propter lucidam operis seriem admissum est, ut quoniam genus plurimorum nomen est, omnis ejus primum significatio diceretur, ut de qua disputandum esset, aliis rejectis, eligeretur. Quod ait hoc modo, Cum toties, id est tertio genus dicatur apud philosophos, unde ipse tractaturus est de postrema generis significatione quam dixit, id est de illo genere quod sub se species habet disputatio considerationque vertitur. At vero de superioribus generibus, id est de cognatione et loco in quo quis genitus est, aut historicorum, aut poetarum exspectatio est, secundi vero generis rhetorum, tertii philosophorum consideratio est. Etiam hic in disputationibus ordo est, quod cum inciderint res quæ multis possint nominibus nuncupari, et de uno quocunque eorum vocabulo tractari disserique necesse sit, ducuntur prius in ordinem omnia, ut id quod eligitur et rejicitur distinguatur. Sed illa quæ rejicienda atque explodenda sunt prius dicuntur. Illud vero quod disserendum tractandumque capitur posterius nominatur. ut hic illa posterior generis significatio posita est, quam disserendam accepturus, prius definiendam et termino quodam circumscribendam demonstrandamque suscepit. Omnis enim res nisi quod prius sit, constiterit, ejus tractatus vacuus modo speculationis habitur. Definit igitur genus sic : Genus esse, quod ad plures differentias specie distantes in eo quod quid sit prædicatur, velut animal, quæ diffinitio talis est : Omnia quæ distant, habet inter se quamdam differentiam qua distare et differre videntur. Porro autem si quod sit genus, et sub eo species supponatur, duas vel plures necesse est species poni sub genere, quoniam unius speciei genus esse non potest. Sed si plurimæ species erunt, aliqua necesse est differentia dividantur, aliter enim plures esse non possunt. Nam si nihil distant, non erunt plures species et nomen generis perit. Constat igitur eas sub genere poni species, quæ differentiis distributæ plures numero ipsarum differentiarum divisionibus componantur. Ergo, quoniam superius dictum est in omnibus definitionibus a genere definitionis trahendum esse principium, si quam cujuslibet speciam definire volueris, genus primo necessario nominabis, et ad illam speciem quam definis, generis nomen prius aptabis. Et hoc illam principaliter dicis esse quod est illud genus sub quo ipsa species quam definis est posita. Post autem differentiis propriisque eam ab aliis circumscriptione quadam definitionis excludis. Nam si dicis animal esse hominem, animal genus est, species vero homo. Nomen igitur animalis, id est generis, de homine, id est species prædicasti, cum dixeris hominem esse animal. Quod si nomen generis in definitionibus ad unam speciem dicere posses, de ea nomen generis prædicares : species autem ut non æquali modo generibus suis species sint, nihil vetat, imo etiam necesse est semper quæcunque sunt genera de sibi subjectis speciebus in definitionibus, vel in quibuslibet interrogationibus prædicari. Sed quoniam prædicatur genus de speciebus, quomodo prædicatur agnoscendum est. Nam si dixeris quid est homo ? et aliquis responderit, animal, bene et integre respondisse videtur, et certe. Nam cum tu quid sit homo interrogaveris, ille respondit animal, genus scilicet de specie in eo quod quid sit species prædicatur. Nam tu quid esset species interrogasti : ille vero in eo quod quid sit species de qua interrogasti, animalis nomen, id est genus accomodavit. Plena igitur et propria definitio facta est generis, hoc esse genus, quod ad plurimas differentias specie distantes in eo quod quid sit appellatur, ut animal : animal enim ad hominem, equum, bovem, corvum, anguem, et alia plura quæ differentiis speciebusque differunt, in eo quod quid sit appellatur. Sed utrum si dixit genus esse, quod ad plurimas species differentia distantes in eo quod

quid sit prædicetur, an sic dixit genus esse. quod ad plurimas genus differentias specie distantes in eo quod quid prædicetur, nihil interest. Nam sive differentiæ specie distent, sive species differentiis distent, utrumque idem est. Nam sive rationale et irrationale, quæ sunt differentiæ, specie hominis, verbi gratia, atque equi distent, sive species homo atque equus differentia rationali atque irrationali dividantur et distent, nihil interest. Quare plena perfectaque facta est generis diviso. Sed definitiones duplicibus modis fiunt : una enim definitio est, quæ (sicut dictum est) a genere trahitur. Sed quoniam sunt quædam genera magis, quæ super se genus aliud habere non possunt, ut sunt prædicamenta decem quæ Aristoteles constituit; eorum igitur definitio quæ haberi potest, quorum genus inveniri non potest quod omnium quæcunque sunt ipsa sunt genera. Horum ergo quod Græci ὑπογραφοὺς λόγους dicunt, Latini subscriptivas rationes dicere possunt, reddemus. Subscriptivæ autem rationes sunt demonstrativæ et quodammodo insignitivæ proprietatis illius rei, quæ cum ipsa generalissima sit, et genus ejus nullum reperiri possit, eam tamen definire necesse est : et Aristoteles, quoniam substantiam genus generalissimum definire volebat, et ejus nullum genus poterat invenire, proprietatem quamdam et demonstrationem subscriptionemque ipsius rei dicit esse subjectum. Substantia enim omnibus subjecta est. Accidens enim quod in novem dividit partes, præter substantiam esse non potest, atque ideo omnia quæcunque definienda sunt, si genus non habeant, eorum subscriptivam quamdam et demonstrativam rationem reddi necesse est. Sic igitur nunc genus, quoniam rem ipsam definiendam putabat, non duxit a genere definitionem, sed dedit quamdam generis demonstrationem proprietatemque. Dico autem quod Porphyrius vel subalternorum generum, vel illorum quæ generalissima sunt, hanc dederit definitionem, et quodammodo subscriptionem demonstrationemque. Nam si quod genus habet aliud genus, et item hoc ipsum aliud, et item aliud, si nullum erit supra genus, quod genus non habet, in infinitum procedit ratio. Sin vero habuerit, necesse est quoque istam definitionem aperte ordinateque congruere. Dico autem genus non animal animali, neque quod homo species sit homini, atque equus equo : sed illud quo ipsum animal homini atque equo genus est, animal enim ipsum per sese nulli genus est, neque homo ipsum per sese ulli species est, neque equus ipsum per sese ulli species est, sed sunt genere et species ad alterius participationem. Nam, quoniam sub animali est equus atque homo, non ad seipsum animal genus est, sed ad equum atque hominem. Et item species quæ vocantur, homo scilicet atque equus, non ad equum atque hominem, sed ad animal species sunt. Dico igitur genus et species non ipsas substantias in quibus genus et species sunt, sed ipsam participationem priorum ad subteriores, et subteriorum ad priores. Hæc igitur participatio, quoniam et in magis generibus, et in magis speciebus et in subalternis generibus, et in subalternis speciebus una atque eadem est, et hujus participationis inveniri genus non poterat, hæc definitio generis quæ facta, est non a genere tracta est, sed subscriptiva ratio et demonstrativa et designativa quodammodo generis est reddita. Hic Fabius : Subtiliter, mehercle, et quod nunquam fere ante hac audivimus, sed perge, quæso te. Jam enim certant sidera quodammodo, et nox luce superatur. Tunc ego : Sequitur rerum omnium prima brevisque divisio. Ita enim ait :

Eorum quæ dicuntur, alia ad unitatem dicuntur, sicut sunt omnia individua, ut est Socrates, et hoc et illud. Alia quæ ad multitudinem, ut sunt genera, species, et differentiæ, et propria, et accidentia. Hæc enim communiter non unius propriæ appellationis sunt Est enim genus ut animal, species ut homo, differentia ut rationale, proprium ut risibile, accidens ut album, sedere. Ab his igitur quæ ad unitatem dicuntur differt genus, quod genus est quod de pluribus prædicatur.

Brevis (ut supra dictum est) et distincta divisio. Omnis enim res, aut unius rei nomen est, aut plurimarum, et hoc est quod ait: Eorum quæ dicuntur alia ad unitatem dicuntur, sicut sunt omnia individua. Quid autem sit breviter explicandum est. Omne genus quoniam sub se species habet, species vero differentiis disjunguntur, et proprietatibus explicantur. Accidunt autem in speciebus accidentia secundo loco, principaliter vero in individuis quæ sunt sub speciebus. Quid autem sit posterius dicendum est Genera igitur et de speciebus dicuntur, et de differentiis quæ ipsas species distribuunt, et de propriis quæ species componunt, et de his accidentibus quæ cum principaliter in individuis fuerint, in speciebus esse dicuntur : hoc autem monstremus exemplis, et sit nobis genus animal, sit species homo, sit differentia rationale, sit proprium risibile, sit accidens stans vel ambulans, vel aliquid in mensura corporis ut tripedalis. Animal ergo quod genus est, dicitur de specie, id est de homine. Dicis enim hominem esse animal. Porro autem de speciei differentia nihilominus dicis genus. Dicis enim rationale esse animal. Nihil autem prohibet eodem modo et de proprio genus dicere. Nam si dicas. Quid est risibile ? non absurdum est animal nominare. Accidentia vero hoc modo principaliter in individuis, secundo vero loco sunt in speciebus. Nam si quis dicat singulos homines, utputa Ciceronem, sedere vel stare, vel quod aliud libet in specie hominis eadem quoque convenire necesse est. Nam si Cicero sedet, sedet etiam homo. Si Cicero ambulat, ambulat etiam homo. Ergo si qua accidentia venerint ab individuis, et ea tracta in speciebus conseserint, ad ipsa quoque accidentia dici poterit genus. Quid est enim ambulans, si quis interroget : merito animal dicitur. Nihil enim ambulare nisi animal potest. Porro autem sub speciebus individua sunt, ut Cicero et Virgilius sub homine, ad quæ individua genus speciei prædicari

potest. Nam si interrogaveris, quid est Cicero? merito animal dicas. Genus igitur et ad speciem et ad differentias, et ad accidentia, et ad propria, et ad individua nominatur. Porro autem species, non jam de genere, neque de differentiis, sed de solis propriis et subjectis individuis appellatur. In illis, id est individuis, quia superest in propriis, quia æqualis est. Quid autem sit hoc modo videmus: Omnia genera speciebus suis supersunt et abundant. Abundare autem genera dicimus speciebus, plus habere genera virtutis quam species. Homo enim quod est species solum homo est. Animal vero quod est genus, non solum homo est, sed et equus vel bos, vel quodlibet aliud animali suppositum. Ita major vis generis recte de minori sibi et subjecta species prædicatur. Alia vero sunt, quæ sibi sunt paria, ut sunt propria et species. Species est homo, proprium risibile. Quidquid ergo fuerit risibile, hoc est homo. Quidquid homo, hoc risibile est. Itaque neque risibile hominis, neque homo risibilis potentiam supervadit, sed æqualia sibi ad se invicem prædicari possunt, ut si dicas, quid est homo? Risibile. Quid est risibile? Homo. Ita igitur quæcunque superiora fuerint ad illa quæ subteriora sunt, prædicantur. Et quæcunque æqualia fuernt, pariter sibi ad invicem prædicantur. Illa vero quæ subteriora sunt et minora, de superioribus et abundantibus, ut sunt genera et species, prædicari non possunt. Nunquam enim recte speciem de genere prædicabis. Ita ergo species de proprio prædicatur ut pari. Sed quoniam sub speciebus sigillatim individua sunt: individua autem vocamus quæ in nullas species, neque in aliquas jam alias partes dividi possunt, ut est Cato, vel Plato, vel Cicero, et quidquid hominum singulorum est: hos enim in nullis partibus dividis, ut animal in species, hominem scilicet, atque equum, hominem quoque ipsum specialem, et singulos circumplectentem, in Catonem, Platonem. Virgilium, et omnes sigillatim homines distributos, hominem vero ipsum singularem, id est Ciceronem, in nullos alios distribere possumus, atque ideo ἄτομον, id est individuum vocitatum est. Species ergo quæ ad propria æqualiter prædicatur ad individua, quoniam major est species hominis, quam quodlibet aliud individuum, ita prædicatur ut superius ad id quod est subalterius. Cicero enim solus Cicero est, homo autem non solus est Cicero, quod si ad individua prædicatur, et ad individuorum accidentia prædicatur. Ita igitur species ad genus quod superius est non prædicatur, neque ad differentiam, quia differentia (ut nunc monstraturi sumus) super speciem est, ad proprium vero cui par species est, vel ad individuum cui superest, prædicatur. Differentia vero et ad species, et ad propria, et ad accidentia, et ad individua prædicatur. Namque rationale quod est differentia ad hominem prædicatur, quod est species. Ita rationale quod est differentia, prædicatur ad risibile, id est proprium. Dicitur enim id esse risibile, quod rationale. Nam si homo rationale, et homo risibile, constat id quod est risibile etiam rationale posse nominari quod si ad species differentia dicitur, species autem ad individua prædicatur, necesse est ut differentia quoque ad individua prædicetur. Dicis enim, qualis est Cicero? rationalis. Quod si differentia ad individua prædicatur, accidentia vero individuis accidunt, necesse est differentias ad accidentia prædicari. Proprium vero quoniam semper unius speciei proprium est, et ad unam speciem prædicatur solam, cui est proprium. Risibile namque, quod proprium est, ad solam hominis speciem prædicatur. Quod si ad hominis speciem prædicatur, species vero ad individua dicitur, non est dubium quin proprium quoque de individuis prædicetur. Nam si homo risibile animal est, Cicero quoque et Virgilius risibilia animalia recte dicuntur. Quod si proprium ad individuo recte dicitur, recte etiam et de accidentibus prædicatur, quæ ipsis accidunt individuis. Accidentia vero et ipsa, et de speciebus, et de aliis omnibus prædicantur, et de ipsis maxime individuis. Namque et albus equus et albus homo dicitur, et iterum niger equus, et niger Æthiops dicitur. Quod si ita est, animal quoque nigrum dicitur. Dicitur etiam rationale nigrum et irrationale nigrum, quippe si equus et homo Æthiops nigri sunt. Dicitur etiam risibile nigrum cum hominum quis niger fuerit. Dicitur etiam individuum nigrum, cum sic quis unus homo ex Æthiopia nominatur. Quod cum ita sit, constat et genus ad plurima prædicari, id est species, differentias, accidentia, propria, atque individua, nihilominus et differentiam ad plurima prædicari, id est ad species, propria ad individua et accidentia, et proprium ad plurima, id est speciem, individua et accidentia Et speciem ad plurima, id est individua et accidentia. Accidens vero et ad genus et ad speciem et ad proprium, et ad differentiam, et ad individua. Quod si ita est, has quinque res constat ad plurima prædicari. At vero individuum, quoniam sub se nihil habet, ad singularitatem quamdam et unitatem prædicatur. Cicero enim unus est, et ad unum nomen aptatur. Ita individua quæ ad unitatem dicuntur, cunctis superioribus supposita sunt, ut genus, species, differentia, ad propria, vel accidentia, quamvis ad se invicem dici possunt, ad individua tamen æqualiter prædicantur, ut superius demonstratum est. Individua vero, quoniam sub se nihil habent ubi secari distribuique possint, ad nihil aliud prædicantur, nisi ad seipsa quæ singula atque una sunt. Atque hoc est quod ait: Eorum quæ dicuntur alia ad unitatem dicuntur, sicut omnia individua, ut est Socrates, et hoc et illud. Alia quæ ad multitudinem, ut sunt genera, et species, et differentiæ, et propria, et accidentia. Hæc enim communiter non unius propriæ appellationis sunt. Simile est ac si diceret: Hæc enim communiter ad plurima prædicantur, non ad unitatem sicut individua. Et quid sint genera vel species vel differentiæ vel propria vel accidentia exemplum supponit dicens: Est enim genus, ut animal; species, ut homo, quam dudum hominis speciem cum aliis

animantibus sub animali posuimus. Differentia, ut rationale qua species, scilicet hominis ab irrationali distat animali. Proprium, ut risibile, quod nullum aliud animal, neque rationale, neque irrationale habet. Nullum enim animal ridet, nisi solus homo. Quare cum quædam cœlestium potestatum animalia rationabilia sint, eorum tamen proprium risibile non est, quoniam non rident. Recte igitur risibile solius hominis proprium prædicatur. Accidens, album, nigrum et sedere, quoniam in substantia hominum non sunt, merito accidentia nominantur. Nam si substantiæ cujuscunque speciei interesset id quod accidens dicimus, interempto accidenti periret etiam ejus speciei substantia cui accidit. Nam quoniam rationale in hominis substantia est, si rationabilitas interimatur, hominis quoque substantia necessario peritura est. Idcirco, quoniam in ipsius speciei substantia natura que versatur. At vero album et nigrum, vel quæcunque sunt accidentia si interimas, species ipsa in qua illa accidebant, manet. Nam neque omnis homo candidus, neque omnis niger est, et cui alterutra defuerint, ejus species non peribit. Atque idcirco hæc accidentia, veluti non innata in substantia, sed a foris venientia recte nominata sunt. Nunc ergo, quoniam quid sit genus ostenditur, et ea quæ ad unitatem dicuntur, ab iis quæ de plurimis prædicantur distinxit, atque distribuit, ipsius generis differentias, vel ab his quæ ad unitatem dicuntur, vel ab eis quæ ad pluralitatem congruunt, id est differentia, specie, proprio, accidentique declarat, et dicit genus ab illis quæ ad sola individua prædicantur, id est quæ ad unitatem, hoc differre, quod genus ad plurima prædicetur, individua vero ad singula. Sed, quoniam hæc differentia generis ad individua communis erat differentiis, speciebusque, propriis et accidentibus, ab illis ipsis aliis differentiis genus dividit atque disjungit. Quod ita demonstrat : Ab his igitur quæ ad unitatem dicuntur differt genus, quod genus est hoc quod de pluribus prædicatur.

Ab his ergo reliquis genus differt. Primo a specie, quoniam species, etsi de pluribus, non tamen specie differentibus, sed numero prædicatur.

Ac primum generis specieique distantiam monstrat, quæ prior est a genere. Nam quamvis differentia supra speciem sit, non super subalternam tamen, sed super speciem specialissimam differentia ponitur. Nam quamvis rationalis differentia super hominem ponatur, quæ species specialissima est, tamen ante speciem specialissimam ipsa differentia species est ejus generis, cui species specialissima supponitur. Nam sub animali ante hominem rationale ponitur. Igitur cum genus et species utraque ad plurima prædicentur, genus vero ad plurimas species in eo quod quid sit prædicatur, species non jam ad plurimas species, sed ad plurima individua prædicatur. Sunt autem quædam genera generalissima (ut dictum est) supra quæ aliud genus inveniri non possit. Sunt autem species sub quibus aliæ species inveniri non possint, et integra species illa nominatur, quæ nunquam genus est, id est sub qua species nullæ sunt. Nam si sub ea species essent, ipsa etiam genus esse posset. Species ergo quæ vere species est, alias sub se species non habebit, ut est homo. Namque homo, quoniam species est, singuli homines qui sub ipso sunt, non ejus species, sed individua nominantur. Nam si homo genus esset hominum singulorum, genus autem, sicut dictum est, ad plurimas res specie differente in eo quod quid sit appellatur : homo, id est species, si ut genus prædicaretur ad singulos homines, singuli homines specie ipsa differrent. Sed singuli homines specie non differunt, quod autem specie non differt, si quid ad hoc prædicatum fuerit, non prædicatur ut genus ad species, id est homo non prædicatur ad singulos homines ut genus ad res plurimas species differentes, sed ad res plurimas numero differentes : singuli enim homines numero a se tantum non specie distant. Atque ideo, quoniam genus sic ad subjecta prædicatur, ut ad plurimas res specie differentes prædicetur ; species autem ad subjecta ita prædicatur, ut ad plurimas res numero differentes prædicatur. Congruunt igitur sibi genus et species, quod genus et species ad plurima prædicantur, et utraque in eo quod quid sit. Nam si interroges quid est homo, animal dicitur, id est genus. Et si interroges quid est Cicero, homo dicitur, id est species. Distant autem, quod quamvis utraque ad plurima prædicentur, et id eo quod quid sit genus tamen prædicatur ad res specie differentes, species vero dicitur ad res tantum numero differentes, quod Porphyrius sic demonstrat :

Ab his vero reliquis quæ de pluribus appellantur. genus differt, primo a specie. Quoniam species, et si de pluribus prædicentur, non tamen species differentibus. sed numero : homo enim species cum sit, de Socrate, Platone et Cicerone prædicatur, qui non specie, sed numero differunt. Animal vero quod genus est, et bovis et equi prædicatio est, quæ differunt specie a se invicem, non numero solo.

Quod simile est ac si diceret, genus a specie unam differentiam plus habere. Congruunt namque genera speciebus, quod utraque in eo quod quid sit prædicantur, ut dictum est. Congruunt item genus et species quod utraque ad res plurimas prædicantur. Congruit item genus et species, quod utraque ad res numero differentes prædicantur. Nam et singuli homines ita a se divisi sunt, quantum ad numerum, ut homo ab equo vel bove, vel a cervo, vel a quibuslibet aliis animantibus. At vero distat a specie genus, quod genus de pluribus rebus specie differentibus prædicatur, quod species non habent. Nihil autem differre arbitror, utrum ita dicatur aliam rem ad aliam prædicari, an aliam rem de alia prædicari. Uterque enim idem intellectus est. Nam si animal prædicatur ad hominem, idem etiam animal de homine prædicatur. Nam cum interrogaveris quid est homo, respondes de hominis interrogatione hominem esse animal. Sed nunc oportet nos ea quæ sequuntur aspicere. Quid ergo sequitur.

A proprio autem genus differt, quod proprium juxta quamque speciem proprium appellatur cui proprium est et juxta ea quæ sub specie sunt, scilicet individua. Namque risibile hominis solum est, et singulorum utique hominum. Genus autem non ad unam speciem, sed ad plures res specie differentes semper aptatur.

Ergo hoc videtur hic dicere, quod omne proprium si fuerit speciei unius tunc vere est proprium. Nam si unius speciei non fuerit, sed duarum vel plurium, tunc duobus vel pluribus non proprium, sed erit in subtantiæ ratione commune. Constat ergo proprium ei cujus est proprium, soli speciei singulariter adhærere. Unde quoniam hominis species sola est quæ rideat, risibile homini proprie et singulariter aptatur. Ad unam semper igitur speciem proprietas adhibetur. Distat igitur proprium a genere, quod genus semper ad plurimas species appellatur, proprium vero de una tantum specie cujus est proprium. Nam si risibile dices, ad unam tantum speciem hominis appellatur. Congruit autem genus cum proprio in hoc quod genus et proprium de pluribus appellantur. Namque genus ad plures species appellatur. Appellatur etiam genus de his quæ sub speciebus sunt individuis. Nam si homo et equus animal est, erit etiam Cicero animal, et quilibet equus singulariter animal nominatur. Similiter et proprium ad plurima dicitur. Dicitur enim ad unamquamque speciem, et ad ea individua quæ sunt sub specie prædicatur. Nam si homo risibilis est, risibilis est etiam Cicero et Virgilius, et quicunque singulariter nominantur risibiles sunt. Congruunt etiam quoniam utraque in eo quod quid sit prædicantur. Nam genus de specie in eo quod quid sit prædicatur. Nam si dictis, Quid est homo? animal appellabis. Item proprium in eo quod quid sit prædicatur. Nam si dicis, Quid est homo? merito risibile prædicabis. Congruunt autem quod genus et proprium ad plurimas res numero differentes prædicantur. Nam ita a se differunt singula animalia, id est homo, equus et corvus, et cætera, ut singuli homines, quantum ad numerum. Distat autem a genere, quod genus ad plurimas species prædictatur, proprium vero ad unam solam cujus est proprium nominatur. Sed non est inter genus et proprium eadem differentia quæ est inter speciem et genus. Nam species de nulla omnino pecie prædicatur, proprium vero licet non ad plures, ad unam tamen solam speciem cujus est proprium, semper aptatur. Post hæc igitur de differentiæ accidentisque a genere distantia disserit dicens :

A differentia vero et ab accidentibus differt genus, quoniam et si etiam ista de pluribus specie differentibus prædicantur (differentiæ scilicet, et accidentia quæ communiter accidunt), non tamen in eo quod quid sit appellantur, cum interrogantibus nobis fit secundum ea responsio : magis enim quale quid sit ostendilur.

Differentiam vero et accidens idcirco posterius reservavit, quod eorum unam differentiam erat distantiamque dicturus. Differentia enim et accidens qualitatem cujuscunque speciei demonstrant : illa substantiæ qualitatem, id est differentia : illud, id est accidens, accidentalem qualitatem non substantiæ. Ergo quoniam genus supra speciem est, et species supposita generi, genus speciem, species individuum quid sit ostendit. Porro autem sola possunt species differentia segregari: qualitatibus enim substantialibus, id est substantias declarantibus, sejunguntur atque dispertiuntur. Nam cum animal genus sit, homo vero vel equus species, quales utræque species sint monstrat differentiæ segregatio, ut dicamus speciem esse hominis rationalem, speciem vero equi irrationalem. Si quis enim interroget quid est homo, animal dicitur. Sin autem quis dicat. Qualis est homo? rationalis respondetur. Ita semper differentia non in eo quod quid sit, sed in eo quod quale sit appellatur: de accidenti vero non dubium est, cum ipsa qualitas in accidentis partibus componatur. Namque in prædicamentis inter alias novem partes accidentis, etiam qualitas nominantur. Nam etiam si quis interroget qualis corvi species sit, nigra continuo respondetur, Congruunt ergo genera differentiis et accidentibus quod de speciebus pluribus prædicantur. Nam sicut genus species sub se plures habet, ita differentia. Nam rationalem dicimus Deum et hominem. Rursus etiam accidens de pluribus speciebus prædicatur. Nam nigrum dicimus et hominem, et equum, et corvum, et ebenum, et plurimas alias species. Rursus congruit genus differentiæ, quod, sicut genus, sic differentia æqualiter ad individuum prædicatur. Nam si Cicero animal est, quod est genus, et rationale animal est, quod est differentia. Congruunt etiam, quod de numero differentibus prædicantur, quod superius de aliis monstratum est. Distat autem quod (sicut dictum est) genus in eo quod quid sit appellatur: differentia vero vel accidentia in eo quod quale sit prædicantur. Nam si dicas, Quid est homo? appellabis genus, et dices animal esse hominem. Si vero qualis sit ad differentiam interrogaveris, rationale respondeam, vel accidens nigrum vel album, vel qualis quisque sit de quo interrogatur. His igitur distributis distantias ipsas a primordio rursus orditur dicens :

Unde hoc quod de pluribus prædicatur genus distat ab iis quæ de singulis prædicantur, hoc est ab individuis. Illo quod de specie differentibus prædicatur distat a speciebus et a propriis. Illo etiam in quo quid sit appellatur, secernitur a differentiis et a communiter accidentibus, quod hæc duo quale quid sit declarant.

Hoc dicit distare genus ab individuis, quod genus de pluribus (ut dictum est) prædicatur. Colligit autem et in unum redigit proprii specieique differentias. Nam, quoniam species de pluribus non specie, sed numero differentibus prædicatur, proprium vero de una tantum specie et de iis quæ sub eadem specie sunt individuis prædicatur. Quamvis enim de una specie prædicetur, tamen æqua est illi cum specie a genere differentia de pluribus specie differentibus non prædicari. Nam neque species prædicare omnino de speciebus aliquid poterit: neque proprium, quoniam proprium non de pluribus speciebus, sed de una tantum cujus est specie prædicantur. Quod si ita est, una

differentia a genere, species et propria sejunguntur. Accidens vero et differentia eadem quoque una a genere differentia separuntur, quod genus in eo quod quid sit dicitur, differentia vero vel accidentia, in eo quod quale appellantur. Has Porphyrius ad construendam generis rationem differentias quam parcissime potest colligit, et ipsas differentias multis modis posterius probaturus, nunc vero, quantum sat est, dicit se abundantem generis constituisse rationem, hoc dicens :

Hoc si ita est, nullo minus aut plus effecta est generis diffinitio.

Perfectam plenamque se generis diffinitionem fecisse dicit, quoniam neque plus neque minus facta sit diffinitio sed æqualiter ad genus pariliterque composita, Quod quale sit hoc modo monstrandum est : Novimus quod quædam res quæ ad alia prædicantur his de quibus prædicantur, abundant, ut genera et species. Namque animal quod genus est, de homine quod est species, hoc abundat, quod nomen generis etiam in equum atque bovem atque in alia valet aptari. Ergo si quis ad quamlibet rem abundantem fecerit majoremque definitionem quam ipsa res fuerit, quam definit, non erit integra propriaque definitio, quoniam non solam illam rem amplectitur quam definit, si major fuerit diffinitio, sed etiam alias quascunque res quibus ipsius definitionis terminus abundabit. Majorum igitur prædicamentorum major erit definitio, minorum vero minor erit etiam definitio. Animal ergo quod majus est, ita definiunt: Animal est substantia animata sensibilis : hominem vero quod ac animali minus est, ita definiunt: Homo est animal rationale, mortale, risus et disciplinæ perceptibile. Quod si majus est animal ab homine, major erit etiam animalis definitio ab hominis definitione. Plus enim erit dicere substantia animata sensibilis, quam animal rationale, mortale. Nam substantia animata sensibilis, sicut ipsum animal, non solum hominem complectitur, sed etiam equum et bovem atque alias hujusmodi species. Si quis ergo ad hominem majorem definitionem aptaverit, quæ est animalis, ut ita definiat hominem: Homo est substantia animata sensibilis, non est plena definitionis ratio, cum equus atque bos substantia animata atque sensibilis esse possint, quæ species hominis non sunt. Si quis vero majori rei minorem definitionem aptaverit, curtam et diminutam quodam modo facit rationem. Nam si quis animal definire volens dicat : Animal est res rationalis, risus et disciplinæ perceptibilis, non erit integra definitio, quoniam sunt quædam animalia quæ istius definitionis rationem subterfugere atque evadere possunt. Est enim animal bos, quod neque rationale sit, neque risus perceptibile. Sola igitur relinquantur bene definiri, quæcunque æqualibus definitionibus constituuntur, ubi autem æqualis definitio sit, hoc modo possumus reperire : Prædicamenta quæcunque fuerint, si majus prædicamentum de minore aliquo prædicatur, converti non potest, ut minor de majore prædicetur. Semper enim majora de minoribus, nunquam minora de majoribus prædicantur. Nam si quis dicat hominem esse animal, non poterit convertere animal esse hominem. Nam homo nihil aliud, quantum ad genus, nisi animal est: animal quantum ad species potest esse etiam non homo. Paria vero prædicamenta semper sibi ipsa invicem convertuntur. Nam quoniam risibile solius est hominis, risibile ad hominem prædicatum etiam converti potest, ut homo ad risibile prædicetur. Dicitur enim quidquid est homo, risibile : quidquid est risibile, homo. Ergo quascunque definitiones convertere potes, illæ veræ atque pares sunt: quascunque convertere non potes, aut majores, aut minores sunt, pares inveniri non possunt. Nam si dicas hominem esse substantiam animatam atque sensibilem, verum est. Item si convertas et dicas substantiam animatam atque sensibilem esse hominem, non omnino verum dixeris. Potest enim substantia animata esse atque sensibilis et homo non esse. Item si dixeris rem rationalem, mortalem, risus et disciplinæ capacem animal esse, verum dixeris. Si autem dicas atque convertas animal esse rem rationalem, mortalem, risus et disciplinæ perceptibilem, non omnino verum dixeris. Potest enim esse animal, et non esse rationale et risus capax. Ergo quoties major est definitio, quam id quod definitur. si prius dicitur id quod definitur, et major definitio adhibetur, vera esse poterit definitio. Si enim prius dixeris hominem rem minorem, et ad ipsum postea adhibueris definitionem majorem, ut prius dicas homo est, et postea subjungas subtantia animata sensibilis, utrum est. Homo enim necessario est subtantia animata sensibilis. Si vero prius dixeris definitionem, et postea dixeris id quod definies, vera esse non potest omnino. Nam si definitionem majorem prius dixeris, dicens, substantia animata sensibilis, et postea rem minorem intuleris, ut dicas homo est, ut sit substantia animata sensibilis homo est, non omnino verum est. Potest enim esse et substantia animata sensibilis, non tamen homo. At vero si minor fuerit definitio quam illa ipsa res quæ definitur, si prius dicta sit definitio vera est, posterior, falsa. Nam si dixeris definitionem quæ est minor, res rationalis, mortalis, risus et disciplinæ capax, et post intuleris animal est, ut sit, res rationalis, mortalis, risus et disciplinæ capax animal est, vera est. Omnis enim res, quæ rationalis et mortalis est, risus et disciplinæ capax, necessario animal est. At vero si converteris, et rem majorem prius dixeris: post vero minorem definitionem adhibueris, vera omnino esse non potest. Nam si dicas prius, animal est, postea autem junxeris, rex rationalis, mortalis, risus et disciplinæ perceptibilis, non omnino verum est. Potest enim esse animal, et rationale vel mortale non esse. Itaque si major est definitio quam res fuerit : si prius rem dixeris, postea definitionem intuleris, vera est. Si vero prius definitionem dixeris, post rem intuleris, falsa est. In minoribus vero definitionibus et majoribus rebus contra est. Nam si definitionem prius dixeris, postea rem subjeceris, vera est. Si vero rem prius dixeris, postea

definitionem subjeceris, vera omnino esse non potest. At vero in æqualibus definitionibus converti æqualiter potest. Nam quoniam solius hominis hæc est definitio, animal rationale, mortale, æqualis est hæc ad hominem definitio, quoniam non est aliud, cui possit aptari. Itaque si prius definitionem dixeris, postea rem subjeceris, vera erit, ut est : homo est animal rationale, mortale, risus et disciplinæ perceptibile. Sin vero converteris, et prius definitionem, postea rem dixeris, ut si dicas, animal quod fuerit rationale, mortale, risus et disciplinæ perceptibile homo est, hæc quoque vera est : ita semper ut definitiones veræ sint, neque plus, neque minus in definitionibus oportet aptari, sed æqualiter definitiones convenienterque disponi. Quod Porphyrius scilicet non ignorans ait, se neque plus, neque minus effecisse generis definitionem. Et Fabius : Sequitur inquit de specie disputare. Dic, inquam, quid sequitur? Et sequitur : Hic (ut opinor) ordo est :

DE SPECIE.

Species quoque multis dicitur modis. Nam et uniuscujusque hominis forma species appellatur. Rursus dicitur et pulchritudo vultus, unde pulcherrimos quosque speciosos dicimus. Dicitur species et ea quæ supposita est generi, unde hominem animalis speciem appellamus, cum animal ipsum genus sit : et album coloris speciem.

Tunc ego : Speciei quoque nomen sicut generis æquivocum puta. Nam et hoc quoque multifariam appellari designat. Dicitur enim, inquit, species et figura corporis, et fortasse alia plura. De quibus quoniam nullus tractatus habebatur, jure prætermissa sunt. Hic tamen a Victorino videtur erratum, quod cum idem sit cujuscunque hominis species et vultus, quasi in alia appellatione speciei vultus iterum pulchritudinem dixit : quasi vero non perinde pulchritudo vultus sit ac tota species fuerit, nam si quispiam pulcher fuerit toto corpore, etiam vultu. Sed, prætermissis his, ad illam speciem quæ sub genere ponitur atque genus efficit veniamus. Namque, ut dictum est, substantiæ ipsæ nullo speciei nomine generisve censentur, nisi quidam ad se invicem collatione sint comparationeque compositæ. Namque quod homo animal est, non idcirco ei genus est, quoniam animal est, sed idcirco quod sub se hominis atque equi, et cæterorum animantium species habet atque idcirco ait : Unde hominem animalis speciem appellamus, cum animal ipsum genus sit : neque enim homo species diceretur, nisi super ipsum animalis appellatio prædicaretur. Sed ut monstraret non in solis substantiis genera speciesque versari, sed etiam in omnium prædicamentorum nuncupationibus esse connexa, non solius substantiæ dedit exemplum sed etiam ejus quod reliquum remanserat accidentis. Quodenim ait : Et album coloris speciem in accidentis divisione ponitur qualitatis. Sed quoniam inter se quædam connexio est et talis comparatio atque relatio ut præter ad se invicem habitudinem genera et species esse non possint : nihil enim in eorum diffinitionibus concludi potest nisi alterutrum nominata sint. Nam si substantia generis speciei supposita, speciei vero substantia genere superposito, et ad ipsam prædicatio perficitur, non est dubium quin cum genus diffinire necesse sit jure speciem, et cum speciem, jure nobis genus prædicare necesse sit. Hæc igitur etiam in generis subscriptione servabatur distinctio, cum generis definitio habita est. Hoc enim dictum est tunc esse genus quod ad distantes species diceretur. Nunc vero dicendum est id esse speciem quæ sub genere ponitur. Sed multiplex ejus diffinitio haberi potest. Potest enim rursus dici id esse speciem, ad quam genus in eo quod quid sit, prædicatur. Quæ res utræque id significant, speciem poni sub genere. Nam prima quidem definitio, id aperte designat. Secunda non talis est : quoniam semper minora majoribus supponuntur. Genus ab eo aliquid in eo quod quid sit prædicatur : quod majus esse non dubium est. Quod si ita est, nullus est obscuritatis error, quin species quæ minor est majori sibi generi supponatur. Nihil igitur hæc secunda definitionis significatio a priore differt : non enim species sub genere poneretur, nisi genus ad speciem in eo quod quid prædicaretur. Tertia vero definitio speciei integra ratione collecta est, et ipsius speciei vim naturamque demonstrat. Dicit enim speciem esse quæ ad plurima numero differentia in eo quod quid sit prædicatur. Quæ diffinitio etiam ex superiore genere debuit esse planissima. Sed ego non quantum castigata permittit brevitas explicabo, sed prius de ipsis generibus speciebusque pauca dicenda sunt : Cum sint quædam genera quæ species habeant, atque ipsa aliis generibus species esse possint, non est dubium ea gemina comparationis habitudine fungi, ut ad alia species, ad alia genera nominentur. Sed si in uno filo atque ordine speculemur, et quodcunque genus alicujus rei repertum est, ejus rursus genus aliud requiramus, et rursus aliud atque aliud : iterum si nihil sit quo intellectus ratioque consistat, inexplicabilis ratio interminabilisque tractabitur : sed, quoniam multa sunt in his scientiæ fundamenta, quæ nulla ratione animi in infinitum procedentia concluduntur dicendum necessario est posse nos ascendentes usque ad tale aliquid pervenire, cujus cum ipsum cæteris genus sit, aliud genus invenire non possumus, quod genus primum, et magis genus, et generalissimum nuncupetur. Sed si hoc in genere contingit, ut ascendentes alicubi consistamus, non est dubium quin descendentes iterum species ad aliquem quodammodo calcem offenso termino consistamus. Igitur cum descenderimus per speciem et usque ad illam speciem venerimus, quæ sub se species nullas habet, illam speciem ultimam speciem et magis speciem et specialissimam nuncupemus. Sed, quoniam species aliquorum est continens (si aliquorum specie differentiam continens esset), non magis species, sed genus merito vocaretur. Sed, quoniam continet et non specie differentes res continet similes necesse est sibi contineat pluralitates : sed si continet pluralitatem, et majus semper est id quod continet, quam id quod continetur, de pluralitate illa species prædicabitur. Appellabitur igitur species

de pluribus rebus numero differentibus in eo quod quid sit. Species enim cum appellatur de subterioribus, superiorem speciem substantiaque declarat. Nam cum dicimus: Quid est Cicero? homo continuo respondetur. Cum ergo tribus modis speciei facta sit definitio, superiores duæ non tantum sunt speciei, sed etiam subalternæ speciei. Est enim species quæ et ipsa genus est: sit enim ipsa generalissimum genus substantia, et sub ea corpus, sub corpore, animatum corpus; sub animato corpore, animal; sub animali, homo; sub homine, individua. Sed hanc divisionem plenius posterius exsequemur, nunc autem hoc nobis tantum sufficit. Substantia igitur magis genus est, homo magis species, ita ut neque substantia species aliquando esse possit, nec homo genus: corpus vero animatum vel animal ad superiora species ad subteriora genera nominantur. Si quis ergo corpus animatum vel animal vel hominem velit exprimere et dicat: Species est quæ ponitur sub genere, et sed quam genus in eo quod quid sit prædicatur hæc definitio et magis speciem id est hominem, et subalternam speciem continet, id est corpus animatum vel animal. Namcorpus animatum et animal et homo sub genere sunt posita et ad eas omnes in eo quod quod sit appellatur, ut dictum est. Si quis vero illam speciem definitione monstrare velit quæ vere species est, id est speliacissimam speciem quæ tantum species et nunquam genus sit, hoc modo definiet. Speciem esse, quæ ad plurimas res numero differentes in eo quod quid sit prædicetur. Sed hæc definitio subalternis speciebus nunquam conveniet. Illæenim quæ subalternæ sunt species, possunt etiam pro generibus accipi, si ad subjecta prædicentur. Quod si possunt pro generibus accipi, cum pro generibus acceptæ fuerint, non tantum ab plurimas res numero, sed etiam specie differentes prædicabuntur, quippe cum sunt genera. Sed quia hoc in magis speciebus non evenit ut aliquando de specie differentibus prædicentur, hæc definitio posterior solius magis speciei definitio est, et eam cæteræ subalternæ species excludunt atque rejiciunt, quod Porphyrius ita demonstrat. Sed hæc definitio ejus speciei est, quæ magis species dicitur. Aliæ vero definitiones erunt etiam illarum quæ non sunt magis species, horum ergo ipsam subscriptionem demonstrationemque clarius seipsum dicere promittit cum dicit:

Manifestius autem hoc fiet quod dicimus hoc modo: In omnibus prædicamentis sunt quædam magis generum et magis specierum, sunt alia mixta: magis genera sunt supra quæ nullum aliud genus poterit inveniri. Magis species rursus, sub qua nulla species reperitur, horum intervalla quæ possident, et genera et species sunt, singula superioribus et inferioribus collata, ut alteri genus alteri species appellentur.

Hujusmodi sunt, inquit, quædam quorum genera inveniri non possunt, hæcque ipsa merito magis genera nominantur, quoniam majus ipsis aliquid inveniri non potest. Nam si ista sunt genera (genus autem omnibus sub se positis majus est) quorum genus nullum est, nihil eorum majus se poterit reperiri. At, quorum nihil majus poterit inveniri, merito ipsa magis genera vocitantur. Sunt autem quædam alia quæ magis species appellantur, sub quibus aliæ species locatæ non sunt. Nam plus videtur esse species ea et integrior, ac vere species est, quæ genus nunquam est, quam ea quæ aliquando genus esse potest. Quod si verior species est, quæ sola species, nunquam genus est, merito magis species appellata est. Igitur inter magis speciem et magis genus intervallum quod est, subalterna genera, et subalternæ species impleverunt. Nam subalterna vocamus quæcunque ad superiora species, ad inferiora pro generibus accipiuntur, idcirco quia, si omnes res ad inferiora componas, genera sunt, si ad superiora, species: et si ad superiora et inferiora eadem ducas, genera et species invenientur. Atque ideo subalterna genera et species nominata sunt, quod filo quodam atque ordine ad inferiora composita genera, et ad superiora species agnoscantur. Sed hæc ita genera speciesque esse possunt, non ut cui genus est, eidem iterum velut species supponatur. Nam si (ut prius ostensum est) specie sua majus est genus, non est dubium quin major res sub minori poni non possit: atque ideo ait, ut alteri genus, alteri species appellantur, quod nequaquam ad eamdem rem et genus esse et species conveniret. Dat igitur hujus rei exemplum, ut quod dicit, facilius possit agnosci. Facit igitur hanc divisionem. Ponit substantiam magis genus, supponitur substantiæ corpus et in incorporeum. Corpori, animatum corpus et inanimatum. Animato corpori animal sensibile, et animal insensibile, ut sunt ostrea vel conchilia, vel echini, vel arbores, et alia hujuscemodi, quæ vivendi animam habent, non etiam sentiendi. Sub animali, animal rationale et irrationale. Sub rationali, mortale et immortale. Sub mortali, hominem. Sub homine singulos homines, hoc est corpora individua, Ciceronem et Virgilium scilicet, et eos qui jam in partes sunt singuli. Substantia ergo quæ prior est, magis generis loco accipitur. Genus enim solum non etiam species est, quod nunquam ei genus superius invenitur, homo vero solum species est: nullas enim alias sub se species coercet, Singuli enim homines non specie, ut dictum est, sed numero differunt. Corpus vero quod pridem sub genere posuimus id est substantia, ad substantiam quædam species, ad animatum corpus genus accipitur. Animatum autem corpus ad corpus species et, ad animal genus; animal autem ad animatum corpus species videtur, ad rationale animal, genus. Rationale, item animal, mortalis genus est, species animalis. Mortale autem genus hominis est, species rationalis animalis: homo autem quod super individua est, nihil de generis natura sortitus est, sed tantum sola species appellatur. Sed hanc divisionem sicubi in aliis rebus transferri et aptari placet, ita considerandum est, ut quidquid fuerit cujus genus inveniri non potest, magis id genus appelletur. Et quidquid cujus nulla species fuerit, id est ut super individua collocetur, illa magis species. Oportet enim si quod genus sit, super differentes specie res poni,

a genus
Differentia

b gen. subalternum
Differentia

c gen. subalternum
Differentia

d gen. subalternum
Differentia

e species



a generalissimum

b species subaiterna
Differentia

c species subalterna
Differentia

d species subalterna
Differentia

e specialissima

Quod autem magis species, non super differentes species res poni, nunquam aliter digne species poterit appellari. Ergo, quoniam quemadmodum quod superius genus super se nullum genus habet, magis genus dicitur, : ita species, quoniam sub se species non habet, sed tantum individua, merito magis species appellatur. Illa autem quæ in medio posita sunt non ejusdem sunt habitudinis. Nam quoniam species esse possunt, non sunt magis genera : et quoniam genera esse possunt, idcirco nunquam magis species prædicantur. Nam illis quæ supersunt species sunt : illis vero quæ subsunt loco generis præponuntur. Cum igitur duæ formæ sint omnium rerum, ut aut genera præponantur, aut species supponantur, summitates, id est generalissimum genus, et specialissima species, singulas tantum continent habitudines. Illud, ut tantum genus, nunquam species videatur; illud, ut sola species, nunquam etiam genus appelletur. Subalterno vero quæ media sunt duas formas habent, id est utrasque. Namque (ut frequentius insinuatum est) et generis quodammodo parentelam, et speciei derivationem sortita sunt. Nec hoc fortasse nos turbet quod species specialissima habet aliquid sub se. Namque homo, cum sit magis species, habet sub se singulos homines. Hæc enim quamvis individuis supersit, nunquam formam specialitatis immutat. Cum enim sub se individua habeat quod ea contineat, quæ sub una specie sint, et nulla substantia, proprietate discrepent, species eorum vocatur quæ continet. Ita homo et animalis species dicitur, quia continetur : et hominum singulorum species est, quia eos continet qui nulla unquam specie discrepabunt. Definitio igitur magis generum magisque specierum talis est : Magis genus esse dicitur, quod genus semper sit, nunquam species, et quo superius nullum genus sit. Rursus magis species est, quæ species semper sit, nunquam genus. Et iterum quæ nunquam dividitur in species, et quæ ad plurima numero differentia in eo quod quid sit prædicatur. Illa vero alia (ut sæpe dictum est) et genera et species esse possunt, superioribus scilicet inferioribusque collata. Hoc autem attentissime respiciendum est, quod in diversis longe nationibus in eo genere, ubi ex sanguine aliqua cognatio deducitur diversarum cognationum gens ad unum caput generis duci potest. Namque cum Romani a Romulo sunt, Romulus autem a Marte, Mars a Jove, poterit genus Romanorum ad Jovem duci. Item quoniam Athenienses a Minerva, Minerva a Jove, potest Athenensium genus ad eumdem Jovem velut ad originem duci. Item quoniam Persæ a Sole, Sol autem a Jove, possunt Persæ quoque ad eumdem Jovem, velut ad originem propriam

deduci. Ita diversissimæ gentes ad unius cognationem erigi possunt, quod idem in speciebus generibus que non fit. Nunquam enim diversa genera sub uno genere potuerunt accommodari. Aristoteles enim primorum generum prædicamenta decem constituit, quæ velut aliquis fons, ita subterioribus omnibus ortum quodammodo nationemque profuderunt. Hæc igitur genera, quoniam generalissima sunt, et superius eis nullum aliud inveniri genus potest, ad unum genus reduci non potuerunt. Quod si decem genera prima ad unum genus reduci non potuerunt, nec illa quæ subsunt eisdem generibus, id est species subalternaque genera, ad unum genus aliquando potuerunt applicari. Nam si prima eorum genera ad unum superius duci non possunt, non est dubium quin ea ipsa quæ sub ipsis sunt, ab uno genere coerceri continerique non patiantur. Nam si substantia, qualitas, et quantitas, et cætera sub alio communi genere poni non possunt, quod ipsa magis sunt genera, nec quidquid substantia fuerit, id est sub eodem genere, ut animal vel homo, vel item sub qualitate vel quantitate, ad aliquod genus commune se potuerunt applicare). Nunquam enim inveniri genus poterit, quod hæc decem genera solitario et proprio intellectu intra se possit veluti species continere. At dicat quis : Hæc omnia decem genera si vere sunt subsistentia, quodammodo substantia vel entia dici posse. Flexus enim hic sermo est ab eo quod est esse, et id participii abusione tractum est propter augustationem Latinæ linguæ compressionemque. Hæc igitur (ut dictum est) entia possunt appellari, Et ens hoc ipsum, id est esse, genus eorum fortasse dici videbitur, sed falso. Namque omnia quæ inter se æquivoce nominantur, nunquam ejusdem continentiam generis sortiuntur. Quippe quorum substantia discrepat, non est dubium quin generis quoque ipsius definitio discrepabit : hæc autem ut entia nominentur, non univoce, sed æquivoce prædicantur. Nam quoniam substantia ens est, et item qualitas ens, si quis rationem definitionemque substantiæ et qualitatis dixerit, eadem nam utriusque non poterit convenire, non est dubium quin substantia et qualitas non univoce, sed æquivoce prædicentur. Quod si æquivoce prædicantur, sub ejusdem generis fonte poni non poterunt. Non est igitur in generibus speciebusque aliquod genus solum quod possit diversa rerum genera coercere. Tunc Fabius: Abunder hæc, inquit, omnia, et de his ipsis rebus frequentius inculcatum est. Sed perge ad sequentia. Faciam, inquam. Hæc enim, ut arbitror, sequuntur.

Ergo decem genèra constituit Aristoteles in prædicamentis quæ magis genera sunt. At vero illæ quæ magis species sunt, semper in plurimo quidem numero sunt, non tamen in infinito. At vero individua quæ sub magis speciebus sunt, infinita sunt semper.

Hoc enim dicere vult quod multo plures species sunt quam genera: habet enim genus sub se plurimas species : et quoniam decem genera rerum omnium prima sunt, species specialissimæ non solum decem sunt, sed plures, non tamen infinitæ. Individua vero quæ sub magis speciebus sunt infinita sunt, et eorum intelligentia nulla unquam capi scientia potest. Quæ enim infinita sunt nullo scientiæ termino concludentur. Igitur omnis a nobis divisio, omnisque scientia a magis generibus per subalterna genera usque ad magis species deducatur. Ibi enim consistentes integram superiorum scientiam accipere possumus ac retinere. Si quis autem individua velit scientia disciplinaque comprehendere, frustra laborat : sed ita jubemur a magis generibus usque ad magis species per media intervalla discurrere, ut specificis differentiis dividentes subalterna genera, a magis generibus usque ad magis species descendamus. Specificæ differentiæ sunt quæ speciem quamcunque declarant. Declarant autem species differentiis hoc modo. Si quis enim dicat substantiam, ut ponat sub substantia, corpus sub corpore, animatum corpus sub animato corpore, animal sub animali, rationale animal sub animali rationali, mortale, et omnes has species quæ sunt substantiæ cum differentiis posuerit, hominis scilicet species informabitur. Nam corpus animatum ab inanimato corpore differentia est. Porro autem animal ab insensibilibus, et rationale ab irrationali, et mortale ab immortalibus differentiæ sunt, hæc igitur omnia cum junxeris, unam speciem declarabis, id est hominem. Nam cum dicis corpus animatum, animal rationale et mortale, quæ scilicet differentiæ in subalterno ordine sibi suppositæ sunt, hominem demonstrasti. Sunt autem quædam aliæ differentiæ, quæ tales sunt, ac si dicas animal rhetoricorum, quod solus homo rhetor esse possit. Sed hæc differentia non specifica differentia est, et substantiam hominis naturamque non perficit, sed tantum artem quamdam scientiamque commendat. Illæ igitur in divisionibus differentiæ speciesque prosunt, ex quibus illa quæ dicitur magis species informatur, et hæc vocatur specifica differentia. quæ magis speciem possit efficere. Ergo cum per hæc descensum fuerit ad magis species, relinquenda sunt sub magis speciebus individua, nec eorum est aliqua scientia requirenda. Nam illa non solum infinita sunt, sed etiam quæcunque in sese continuerint infinita fiunt. Rhetorica enim species est. Sed cum venerit in singulos homines, tunc per singulos et infinitos divisa, singula etiam fiet et infinita. Si enim omnes quicunque sunt vel fuere numerentur rhetores, nullus unquam hujusce numerationis finis erit, cum præsertim etiam per infinita tempora in futurum singuli homines rhetores esse possint. Hic Fabius : Hoc igitur, inquit erat quod ait.

Porro autem vel artium vel disciplinarum cum individua per singulos homines esse cœperint, rationem ad percipiendum capere vel habere omnino non possunt.

Et ego : Hoc, inquam, est quod cum artes vel disciplinæ, quæ in sua specie una ante collecta fuerint, in individua venerint, id est, per singulos homines in infinitam multitudinem innumerabilemque sese dis-

pertiunt : hoc autem idcirco evenit, quod hæc eadem ratio est quam Porphyrius ipse dicere non neglexit. Genus enim cum unum sit, plurimarum specierum progenitivum est. Namque sub uno genere plures species inveniuntur, idcirco quoniam species genus illud unde profluunt, in plurima segregant atque dispertiunt. Genus autem plurimas colligit res, sicut ipsum a plurimis iterum speciebus dividitur. Namque homo, corvus et equus, quæ sunt species, quantum ad animal, æqualiter animalia sunt. Ita enim nomen animalis omnes suas species intra se continet. Quod si et in homine animalis nomen est, et in corvo, et in equo, non est dubium, quoniam illud genus, quod sub seipsum ea continet, species divisæ inter se dividant multiplicentque. Colligit igitur genus species in se, species vero suapte natura genus ipsum dispertiunt. Est igitur genus collectivum specierum suarum et quodammodo adunativum. Species vero divisæ generis quodammodo et multiplicativæ. Igitur quicunque ad magis genera ascendit, omnem specierum multitudinem per genera colligit adunatque. Cum vero a magis generibus usque ad magis species decurritur, omnis unitas generum superiorum in multifidas ramosasque species segregabitur. Quod autem sit multitudo capienda, perinde est ac si diceret, multitudo facienda est : nam cum dividis genus in species, easdem species multas esse accipis, quas tu idem fecisti. Species quoque ab hac generis adunatione ac quodammodo collectione non discrepant. Namque et ipsæ infinitatem individuorum ad unam revocant formam. Singulorum enim hominum species quæ est homo, collectiva est, hoc modo. Ad hominis enim speciem cuncti singuli homines, unus homo sunt, id est prima species quæ nos continet coercetque. Porro autem ipsa species in nos multos scissa dividitur. Omne enim quod singulum est atque individuum, illud unde nascitur dividit. Omne quod non est singulum atque individuum, sed dividi potest, non per se ipsum magis dividit subteriora, quam colligit. His igitur expeditis, constat et genus plurimarum specierum esse genus, et speciem plurima sub se individua coercere. Nam si illa quæ sunt subteriora dispertiunt, et in multitudinem dissipant dividuntque, non est dubium quin superiora semper inferioribus pauciora sint. Prædicamenta vero quæ aliud de alio prædicantur, vel ad se invicem quæ torquentur, hoc modo sunt : omnis enim res alia aut major erit, aut minor, aut aqua ; omne quod est majus, de minore poterit prædicari : nam cum animal sit majus ab homine, poterit animal de homine prædicari, minus vero de majore non dicitur. Nam quoniam animal est et homo et equus, ad animal hominem si prædicare volueris, tantum hæc convenit prædicatio, quantum convenit animal partem esse super hominem. Age enim, converte, et dic hoc esse animal quod hominem : quantum igitur pars est animalis, quæ hominis speciem contineat, tantum animal homo est. In illis autem aliis partibus animalis quæ aliud continent quam est species hominis, hominis appellatio non convenit. Nam si dicas animal, hoc est, quod homo in illa parte in qua equus est non erit homo, atque ideo universaliter non convertuntur. Nam si dicis, omnis homo animal, verum est. Si dixeris, omne animal homo est, falsum est. Quod si majora de minoribus idcirco prædicantur, quia omne majus minus in se continet : et minora de majoribus idcirco non prædicantur, quia majora minoris definitionem supervadunt, et quodammodo exsuperant, non est dubium quin illa quæ sunt æqualia, sibi possint ipsa converti. Æqualia autem illa sunt quæ neque minora neque majora sunt, id est, ut si in quamlibet speciem apponantur, et omni illi speciei adsunt, et nulli alii : nam omnis homo risibilis est, et nulla alia species risibili potest proprio nuncupari, atque ideo quoniam æqualia sunt convertuntur. Dicis enim : Quid est homo ? Risibile. Quid est risibile ? Homo : et item, Quid est hinnibile ? Equus. Quid est equus ? Hinnibile. Quod si semper majora de minoribus prædicantur, superiora necesse est genera esse, et omnia subalterna minora. Quod si subalterna omnia minora sunt, non est dubium quin si quis per subdivisionem descendat ad ultimam speciem, quodcunque genus de vicinis sibi prædicabitur, etiam de subalternis prædicetur : namque substantia habet sibi vicinum ad subteriora genus, ad se vero speciem, quod est corpus ; de hoc igitur substantia prædicatur. Si quis enim interroget quid est corpus, dicitur substantia. Sub corpore vero est animatum corpus, et sub eo animal. Ergo quoniam substantia idcirco prædicatur de corpore, quia illi est superior, necesse est, quibus corpus superius fuerit, eisdem etiam sit substantia superior. Nam si corpus prædicatur de animato corpore, et de animali, prædicabitur etiam substantia de animato corpore, et de animali. Sic igitur quæcunque superiora fuerint de subterioribus non solum sibi vicinis, sed etiam longe subterioribus prædicantur. Nam si majora sunt iis quæ sibi vicinæ sunt speciebus, multo majora erunt etiam illis quibus illæ vicinæ species fuerint ampliores : ergo de quibuscunque species prædicatur, de ipsis prædicabitur et illius speciei genus. Nam si species aliqua, aliqua re major est, multo genus speciei ipsius illa re qua species major est, majus erit. Atque ita ad id prædicabitur quemadmodum ipsa species antea prædicata est. Quod si ita est, non est dubium quin genus quoque generis illius, quod ad illud ad quod species prædicabatur, poterat prædicari, etiam id quoque de eo de quo species et genus speciei prædicabatur, prædicari posse. Nam si quis dicat Ciceronem esse hominem, cum animal hominis genus sit, non erit absurdum Ciceronem animal prædicari, et cum animalis ipsius substantia genus sit, non erit inconveniens Ciceronem substantiam prædicari, quoniam quæ supersunt de subterioribus prædicantur, et quæ subteriora sunt si qua alia sibi subteriora habeant, illud primum genus habebunt etiam ista subteriora, et de his non inconvenienter prædicabitur. Igitur species de individuo prædicatur ut magis, magis genus vero de omnibus

subalternis, et de magis specie prædicatur : æquo enim modo dicitur et corpus substantia, et animatum corpus substantia, et sensibile corpus substantia, et rationale animal substantia, et mortale substantia, et homo substantia, et de ipsis etiam magis genus individuis prædicatur, ut dictum est : potest enim Cicero dici substantia, species vero sola de nullis aliis, nisi de individuis prædicatur, ut prædictum est : individua autem ipsa de nullo alio prædicantur nisi de ipsis, id est singulis. Natura autem individuorum hæc est, quod proprietates individuorum in solis singulis individuis constant, et in nullis aliis transferuntur, atque ideo de nullis aliis prædicantur. Ciceronis enim proprietas cujuslibet modi fuerit, neque in Catonem, neque in Brutum, neque in Catullum aliquando conveniet. At vero proprietates hominis quæ sunt idem rationale, mortale, risibile, pluribus, et omnibus individuis possunt et singulis convenire. Omnis enim homo et sigillatim individuus, et rationalis est, et mortalis, et sensibilis, et risibilis. Atque ideo illa quorum proprietates possunt aliis convenire, possunt de aliis prædicari. Hæc autem quorum proprietas in aliis non convenit, nisi in se ipsis tantum singulariter, de aliquibus aliis præter se singulariter prædicari non possunt. Repetendum est igitur, quod omne individuum specie continetur, species vero ipsa coercetur a genere, et unum quasi omnium totum corpus, magis genus est, et nunquam est pars, individuum vero pars semper est, nunquam est totum. Species autem et pars et totum merito nuncupatur, nam ad genus pars est, ad individua totum : dividit enim genus (ut dictum est) et individua colligit. Sed species pars est alterius, id est, generis, totum vero non est partis, sed partium. Namque genus et unum est, et plures species unius rei, id est, unius generis species pars est. Et quoniam individua plura sunt, et infinita sub una specie quæ illa individua colligit, species illa non est unius totum, id est, non est partis totum, sed plurimorum, id est partium ; plures enim partes sub ea individuorum sunt, quarum totum species, id est homo, appellatur. Sed de genere et specie sufficienter dictum est. Et quoniam matutinæ salutationes vocant, in futuras noctis vigilias quod est reliquum transferamus.

DIALOGUS SECUNDUS.

DE DIFFERENTIA.

Multa tam nobis a parente natura quam cæteris animantibus gravia illustriaque concessa sunt, quæ nos ita quasi quædam benigna artifex humanitatis excoluit, ut primum nobis reputandi considerandique animos rationemque concederet, post vero rationem repertam proloquendi conferret, perinde ac si voluisset, jussissetque nos non corporis sensibus a belluis, sed mentis divinitate distare : quæ cum se ibi adjunxerit, et a suæ vivacitate naturæ non discesserit, tunc sic ut ipsa est æterni generis, ita quoque famam in posteros, vitamque gloriæ infinitissimis temporibus coæquat. Sin vero pravis se libidinibus corporis obnoxiam mens perdendam corrumpendamque permiserit, naturam corporis sequitur. Nam nihil ejus vivacitatis post corpora remanet, cui omnis labor et studium de rebus corporis atque in corpus impensum est. Quare advertendum est, ut nos meliores accuratioresque reddamus, non ea re qua pecudibus nihil distare possumus, sed quo cœlestium virtutum similitudine æternitatis gloriam factis egregiis dictisque mereamur. Sed de his alias, nunc ad propositum revertar. Cum igitur alterius noctis consueta lucubratio vigiliæque venissent, credo hesternæ rationis subtilitate captus, vel qua ipse est cupiditate discendi audiendique studio, vigilantius quam unquam surrexerat Fabius ad me perrexit, qui postquam consalutatus, sequentis a me operis promissam continuationem reposceret : Faciam, inquam, non invitus, quippe cum nec mihi sit in vita quidquam melius agere, et tu hanc mihi jocunditatem studio tuo augeas, quod mihi perquam gratissimum est, placuit igitur ut quoniam hesterna dissertatio speciem explicuerat, alterius expositionis principium de sequenti differentia sumeretur. Hic Fabius : Uberrime, inquit, a te hesternis vigiliis de generibus et speciebus expositum est. Sed (ut dici audio) subtilior de differentiis tenuiorque tractatus est. Non, inquam, immerito, nam varie acceptæ differentiæ varias habebunt etiam potestates. Erunt namque alias genera, alias species, alias vero differentiæ, sed hoc postea demonstrabitur. Nunc vero ita (ut arbitror) textus est :

Omnis differentia et communiter et proprie et magis proprie dicitur.

Differentiam quoque multis appellari modis designat. Dicit autem tribus his modis fieri differentiam, cum aut communes sunt, aut propriæ, aut magis propriæ. Communes sunt quibus omnes aut ab aliis differimus, aut a nobis ipsis : nam sedere vel ambulare vel stare differentia est : nam si tu ambules, ego vero sedeam, in situ ipso atque ambulatione differimus. Et item ego cum nunc sedeo, postea vero si ambulem, communi a meipso differentia discrepabo. Propriæ vero sunt quæ uniuscujusque individui formam aliqua naturali proprietate depingunt, ut si quis sit cæsiis oculis, vel crispo capillo. Etenim propria uniuscujusque singuli hominis sunt quocum ista nascuntur. Magis propriæ sunt quæ in substantia ipsa permanent, et totam speciem differentia descriptione neque permutant, ut est rationalis vel mortalis hominis differentia. Horum autem communes et propriæ differentiæ sub eadem specie singulos a se faciunt discrepare, illa propriis differentiis, illa communibus. Magis propriæ vero totam naturam cujuslibet speciei substantiamque permutant, et ab aliis speciebus segregant atque disjungunt. Harum ergo com-

munes et propriæ differentiæ, quoniam speciem non permutant, sed formam quodammodo et habitudinem solum faciunt discrepare, alteratum facere dicuntur, id est non integrum alterum facere, id est non integre permutare, sed quodammodo discrepantiam distantiamque faciunt, atque ideo non vocantur alterum facientes; id est permutantes, sed magis alteratum, id est non integre alterum facientes. Illa vero tertia, id est magis propria, quoniam substantialis est, et ipsius speciei inserta naturæ alterum facit. Nam quoniam homo atque equus quantum ad hoc quod animalia erant una illis erat substantia, veniens rationale disgregavit omnino speciem, et funditus alterum fecit. Ergo communes et propriæ differentiæ alteratum facientes vocantur, magis propriæ autem alterum facientes. Constat igitur differentiarum alias facere alterum, aliis alteratum: illæ quæ faciunt alterum, quæ substantiales sunt, et omnes naturam speciemque permutant, et specificæ prædicantur; valent enim quamlibet speciem constituere, et ab aliis omnibus segregare, et ejus formam naturamque componere. Nam si dicas mortale et rationale differentias et ea animali supponas, non dubium quin cum hominis speciem facias, speciei hujus sint perfectrices, atque ideo specificæ nominantur, quod et permutant naturam, et ipsam substantiam cujuslibet alius speciei constituant. Illæ vero aliæ nihil aliud efficiunt, nisi alteratum, quippe cum aut proprietate quadam formæ alius distet ab alio, aut aliqua habitudine et dispositione aliquid faciendi. Illa igitur magis propria differentia, quam specificam nominamus, sola poterit in generis divisione congruere. Etenim cæteræ nihil ad substantiam, sed ad quamdam quodammodo ejusdem similitudinis discrepantiam distantiamque ponuntur. Nihil enim in illis præter alteritatem solam reperire queas, quippe quæ non constituunt species, sed constitutas jam et effectas magis propriis suis qualitatibus ipsæ discriminant. Quod autem dicit:

Repetenti nunc a superioribus dicendum est, differentiarum alias esse separabiles alias inseparabiles, hoc est quod hic nunc divisio alia rursus assumitur. Nam cum prius differentiam in tribus partibus separaret, et postea tres illas in duarum tantum numerum quantitatemque colligeret, ut alias alterum facientes esse diceret, alias alterantes, ipsarum rursus trium tertia sumitur facienda divisio. Dicit enim alias esse separabiles, alias inseparabiles, et sicut in priore divisione alteratum facientes duæ fuerunt communes et propriæ, sola vero magis propria remanserat quæ alterum faciebat, eodem nunc etiam modo in separabilibus et in inseparabilibus: communis tantum separabilis differentia est, utraque aliæ, ut cæcitas oculorum, vel flava cæsaries, vel corporis proceritas, quæ sunt propriæ differentiæ; vel certe rationabilitas, vel mortalitas, quæ sunt magis propriæ differentiæ, non possunt unquam ab hominis specie segregari. Sedere vero vel currere, quæ communes sunt, separantur a singulis, et item rursus adduntur.

A Earum vero quæ sunt inseparabiles, aliæ per se veniunt, aliæ vero per accidens. Et illæ quæ per se veniunt, a magis propriis manant. Illæ quæ per accidens, a solis propriis effunduntur. Et inseparabile accidens est, quidquid per inseparabilem propriam differentiam unicuique speciei contigerit. Sed quanquam propria et magis propria inseparabiles differentiæ sint, nunquam tamen illam superiorem formam naturamque commutant. Nam magis propria semper alterum, propria solum semper efficit alteratum. Huc accedit quod inseparabiles propriæ possunt alicui plus minusve contingere. Inseparabiles magis propriæ, nec cumulis intentionis augent, nec imminutione decrescunt. Potest enim alius procerior, alius fuscior, deductioribus alius capillis, alius flavioribus B nasci, quæ sunt inseparabiles propriæ differentiæ. At vero magis propria, id est rationale neque plus, neque minus admittit. Omnes enim homines in eo quod homines sunt, æqualiter sunt rationales atque mortales. Nam si genus plus minusve esse possit genus, possunt etiam differentiæ vel intentione crescere, vel remissione decrescere. Nam quoniam animal non est plus homini quam equo, neque equo plus quam cæteris, et æqualiter subjectis omnibus genus est. Sic specierum differentiæ quas specificas appellamus magis minusve non capiunt. Nam si animal rationale, mortale, hominis est definitio, et hominum nihilominus singulorum, non est dubium quin hæc definitio ad omnes homines singulos æqualiter sempe aptetur, et nulli neque plus neque minus conveniat. C Quod si ita est, partes quoque totius definitionis, quæ sunt differentiæ, tales erunt ut nulli neque plus neque minus, sed æqualiter semper et convenienter aptentur. Partes autem hujus definitionis sunt rationale et mortale. Rationale igitur et mortale quæ sunt magis propriæ differentiæ plus minusve non capiunt. Ab hac igitur, id est, separabilium inseparabiliumque differentiarum divisioue tribus modis differentias speculamur. Nam aut separabiles sunt, aut inseparabiles. Inseparabilium vero aut per se veniunt aut per accidens. Quæ per se veniunt aliæ sunt quæ genus dividunt, aliæ speciem informant atque constituunt. Sed de superioribus prius dictum est. Nunc autem de iis genus dividunt et speciem constituunt disseramus. Omnis quæcunque fit generum divisio in species, si earum specierum alia subD divisio fiat, et a magis generibus per subalterna genera usque ad magis species decurratur, gemina in his erit duplexque divisio. Namque si contrarias differentias respicias, generum est divisio. Si subalternorum generum sit, specierum constitutio. Si enim genus dividamus, id est substantiam, ut jam in speciei disputatione divisa est, et sic ut substantia sit summa post substantiam, animatum corpus et inanimatum; sub animato corpore sensibile et insensibile; sub sensibili, id est animali, rationale et irrationale; sub rationali, mortale et immortale. Ilæ igitur differentiæ eædem species sunt, si contra seipsas in divisione respiciantur, et dividunt genus hoc

modo.Nam quoniam sub substantia animatum corpus et inanimatum posuimus,si animatum corpus contra inanimatum respicias,substantiam divisisti. Si vero subalterna genera in ipsis differentiis aspicias,speciem constitues.Nam si animatum corpus et quod sub ipso est sensibile corpus aspexeris,animal respexisti. Item si rationalem differentiam contra irrationalem differentiam acceperis,genus quod est utrorumque, id est animal divisisti.Si vero sub eodem ordine rationalem differentiamet et mortalem accipias,hominis sine dubio speciem demonstrasti. Ita hæ differentiæ alio modo acceptæ fiunt generis divisibiles,id est genera dividentes.Alio vero modo fiunt constitutivæ specierum,id est quæ species declarent atque constituant.

Nam si contrarias differentias respexeris, divides genus. Si vero subalternas,speciem constitues.

Differentiarum igitur vis,et separabilium et inseparabilium, cæteras tres res,id est genus,speciem, accidensque sic retinet,ut permutata comparatione per hæc eadem ipsa etiam permutentur.Nam rationale et mortale differentias si contra irrationale et immortale respexeris,divisibiles sunt generis differentiæ.Sin vero idem ipsum rationale et mortale ad superiora comparaveris,species erunt ejus quod eas continet animalis.

Si vero rationale atque mortale ad subjectum hominem consideres,genera ejus constitutivasque differentia contemplabere.

At vero de illis aliis inseparabilibus,id est propriis cadunt differentiæ inseparabilis accidentis.Inseparabile namque est accidens, cæcitas oculorum, et nasi curvitas,et alia hujusmodi.Et idem de separabilibus accidentibus,id est de communibus.Separabile namque accidens est,vigilare,dormire,currere, et sedere. Quod autem dicit: Sic igitur composita sit super omnia substantia,ut sint ejus differentiæ divisibiles animatum et inanimatum,contrarias differentias in species monstrat. Quod autem dicit : Hæc differentia animata atque sensibilis socia a substantiæ perficiet animal, constitutivas specierum differentias monstrat.Sic igitur variis modis acceptæ varias virtutes formasque sortitæ sunt.Sed et divisibiles et constitutivæ utræque specifice nominantur, et in divisionibus generum definitionibusque solæ sunt utiles.Cæteræ vero inseparabiles per accidens, inutiles,et multo magis illæ sunt inutiles,quæ separabili differentia discretioneque formatæ sunt.Has autem specificas differentias,qui de differentiarum divisione tractavere, tales esse declarant quibus species a genere abundant. Quid autem sit breviter explanandum est. Controversia est utrum genus differentias specierum suarum in se habeat,an minime, ut puta: Animal sub se habet species rationale et irrationale, id est hominem,et verbi gratia equum. Rationabilitatem igitur et irrationabilitatem,id est, hominis vel equi differentias,quibus a se species sub animali positæ differunt,utrum habet utrasque animal,an non habeat in controversia est. Nam si animal quod genus est,neque rationale est neque irrationale, species quæ sub ipso sunt positæ istas differentias non habebunt.Nam si genus istas differentias non habebit,unde erunt speciebus differentiæ,quibus a seipsis differunt?Sed si quis dicat esse in genere istas differentias(non enim habere differentias species, nisi prius genus habuisset), aliud majus continet incommodum. Nam quoniam æque sunt species quæ sub aliquo genere supponuntur,et æqualiter homo atque equus sub animali genere ponuntur neque homo prius est neque equus, sed uterque æqualiter animalis species nominantur.Igitur si rationale atque irrationale æqualiter sub eodem genere sunt,erunt etiam uno tempore.Quod si uno tempore et genus istas differentias habet, ut genus suapte natura,id est animal rationale sit et irrationale,non est dubium quod eadem res uno tempore duas contrarietates in sese substantialiter retineat, quod fieri nequit. Quid igitur? Dicendum est quoniam genus actu quidem ipso quod Græci ἐνέργειαν vocant istas differentias non habet.At vero potestate ab his ipsis differentiis, quas in suas species fundit non vacat. Quid autem sit actus et potestas castigatius explicandum est. Tantum interest actus a potestate, quantum homo ridens ab eo ridere possit, non tamen rideat. Ille enim agit ipsam rem, ille tantum potest, non etiam agit. Sic igitur et animal. Namque homo actu ipso rationalis est.Semper enim homo rationalis,et nihil aliud est: et equus semper irrationalis,et ejus irrationabilitas in actu posita est. At vero ipsum animal rationale vel irrationale non ipsum agit,neque est in eorum actu positum, sed in potestate.Potest enim ex se rationale atque irrationale profundere.Quare quoniam species actu differentias continet, genus vero potestate, species a genere merito differentiis abundare dicuntur Quoniam quod genus potest, id est differentias facere, species non solum possunt,sed etiam agunt.In ipsis enim speciebus positæ informatæque sunt. Est autem alia differentiæ definitio talis quæ dicat differentiam esse quæ ad plurimas species in eo quod quale sit,prædicatur.Differentia ad res plurimas dici potest,ut rationale dicitur ad hominem:homo enim est rationalis,dicitur ad Deum.Deus enim rationalis dicitur,sed non in eo quod quid sit,sed in eo quod quale sit.Nam si qualis homo sit interrogetur,rationalis continuo respondetur.Qualis Deus sit si interroges, rationale non absurde dixeris. Eodem modo etiam irrationabilitas dicitur et ad equum et ad bovem et ad piscem et ad avem,quæ omnia si qualia sint interrogaveris,irrationabilia prædicantur.Bona igitur et recta hæc est definitio,id est differentia est quæ ad plurimas res specie distantes in eo quod quale prædicatur.Et de mortali vero,et de aliis differentiis,eadem est ratio.Sequitur locus perdifficilis sed transferentis obscuritate Victorini magis quam Porphyrii proponentis,qui hujusmodi est:Dicit enim omnem rem quæcunque est corporea ex materia et forma constare.Namque si statuam dicas,constat statua ex ære(verbi gratia)et figura illa quamei suus fictor

imposuit,et est materia ex qua facta est æs: figura vero,id est,forma qua æs ipsum formatum est. Nam si hominem formabis ex ære et figura hominis,erit hominis figura,forma,æs vero materia. Eodem modo etiam genus.Namque genus in modum materiæ accipitur, differentia vero in modum formæ. Etenim quemadmodum quæcunque illa res ex materia et forma constat, sic etiam omnis species ex genere et differentia. Namque genus ita est hominis, ut est statuæ æs. Differentia vero sic est hominis, ut est forma illa ex qua æs effictum est.Nam sicut ex aliqua figura quæ ex æris materia efficta est,cujuscunque illius species statuæ sit, sic etiam in genus,id est in animal cum venerit differentia,id est rationale,hominis species fingitur. Ista igitur sibi proportionaliter sunt.Proportio autem est cujuscunque illius rei similis ad aliquam rem cognatam comparatio;ut puta si duo compares ad quatuor,dupla proportio est. Si vero viginti ad quadraginta,eadem dupla.Sub eadem ergo proportione sunt quatuor ad duo,sub quali quadraginta ad viginti,quod utraque duplex est numerorum comparatio. Sic igitur qualis proportio est, id est comparatio materiæ est figuræ,talis est proportio generis et differentiæ : et ista quatuor sibi proportionaliter sunt.Eodem enim modo ex materia et figura species uniuscujusque illius fictionis formata est,quemadmodum ex genere et differentiis species cujuscunque illius animantis inanimantisve formatur,quod Victorinus scilicet intellexisse minus videtur.Nam quod Porphyrius ἄλογον dixit,id est proportionale,ille sic accepit quasi ἀνάλογον diceret, id est irrationaliter.Atque ideo in loco ubi habet hoc modo scriptum : Omnes namque res ex forma et materia consistunt,ipsa autem forma irrationalis est,tollendum est irrationale.Et subterius paululum ubi habetur:Jam omnes genus simile materiæ est,et consistit irrationale, tollendum est irrationale,et ponendum est proportionale,ut sit,et consistit proportionaliter. Nam quæ proportio est figuræ ad materiam in efficienda cujuslibet corporis fictione, eadem est proportio differentiæ ad genus in efficienda cujuslibet specie animati atque inanimati. Sequitur item alia definitio quæ est hujusmodi: Dicunt enim esse differentiam quod possit separare quidquid sub eodem genere est,et recte dicunt.Nam dum sub eodem genere sit homo atque equus,quia utrumque est animal, cum venerit rationale vel irrationale, equum atque hominem quod sub eodem genere sunt. dividunt atque discernant. Sunt igitur illæ differentiæ quæ possunt res sub eodem genere separare. Est autem alia definitio : Differentiæ sunt quibus quodque ab alio distat. Nam homo atque equus rationali atque irrationali differentia discrepant,cum unum sint quantum ad genus,et hoc est quod dicit :

Differentia est qua differunt singula, quia per seipsum genus est,et illa quæ rationalia sunt,nos scilicet,et illa quæ irrationalia sunt. Namque et homo et equus et avis hæc omnia genus unum sunt,id est animal. Namque animal horum omnium genus est.

Sed si de hoc loco in quo positum est, quia per seipsum genus est,mutes et facias quæ per se ipsa animalia sunt,planior sensus erit.Generis enim hic nomine pro animalis abusus est,et erit hujusmodi ordo : Differentia est qua differunt singula,quæ per se ipsa animalia sunt,et illa quæ rationalia sunt animalia nos scilicet,et illa quæ irrationalia sunt.Quod si sic esset, nullus esset error omnino. Nunc vero genus quod ait,pro animalis nomine intelligendum est.Item dii atque homines cum utrique rationales sint,mortalitatis tamen nomine adjecto differunt discrepantque. Sic igitur differentia est qua singula differunt, sed hoc non simpliciter,sed illas tantum differentias hujusmodi esse putandum est,quæ ad substantiam prosint,et quæ ad id quod est et quæcunque speciei possunt esse aliquæ partes quæ hujusmodi est: Si equus atque homo,quorum utrorumque unum genus est animal,a se differunt rationali atque irrationali qualitate, attamen ista rationabilitas et irrationabilitas in substantia ipsarum specierum est hoc modo. Nam neque equus post esse sine irrationabilitate,neque homo sine rationabilitate.Atque ideo istæ differentiæ prosunt ad aliquid esse speciei illi cui fuerint accomodatæ,et substantiæ ipsius partes sunt. Nam cum homo ex his differentiis constet, id est ex rationali et mortali, rationale et mortale solum positum pars est substantiæ hominis. Nam si utraque simul unum hominem faciunt, non est dubius quin ad substantiam hominis efficiendam unaquæque earum res pars esse videatur.Quare illæ differentiæ quæcunque non prosunt ad esse, neque partes substantiæ cujuslibet speciei sunt, specificæ differentiæ dici non habent, quamvis sola hoc una species habeat. Nam si homo navigat, potest dici animal navigabile.Sed navigare in substantiam hominis non vertitur.Neque enim homo inde subsistit, quia navigat, quamvis hoc nullum aliud animal habere possit, id est, nullum possit animal navigare. Eodem modo et esse rhetorem vel grammaticum. Has igitur differentias quas ad esse non prosunt. Sed tantum artem aliquem scientiamque commemorant, non ponimus specificas esse, quamvis una qualibet animalis id species habeat. Ergo considerandum est, ut quoties dicimus definitionem differentiæ illam differentiam esse qua differant singula,illam significari differentiam intelligamus,quæ ad aliquid esse prodest et quæ est alicujus pars substantiæ speciei.Illa vero quæ ad esse non prosunt in hoc genere differentiarum,quamvis singulæ cujusque sint non ponamus. Sed quoniam de differentia dictum est,de proprio explicemus.Tunc Fabius,Ut arbitror, consequens est.

DE PROPRIO.

Proprium quatuor dicitur modis. Dicitur namque proprium quod uni speciei accidit, etiamsi non omnibus.

Et ego : Quatuor ergo modis propria dividuntur; est enim proprium quod uni accidit, etsi non omnibus, ut est rhetor vel geometer vel grammaticus. Hæc vero omnia uni soli speciei, id est homini acci-

dunt, non tamen omnibus. Neque enim omnes homines vel grammatici, vel rhetores, vel geometri sunt, itaque ideo vocabitur hoc proprium quod uni sit, etiamsi non omnibus. Est item alia proprietas quæ est omnibus, etiamsi non soli. Nam bipes omni homini accidit. Omnis enim homo bipes est; sed non soli hominum speciei accidit, sed etiam avibus. Et item tertium proprium quod omni et soli et aliquo tempore accidit, ut est in pubertate pubescere, et in senectute canescere. Namque et omnibus hominibus evenit, et nulli alii speciei nisi soli hominum, et aliquo tempore : constitutum enim tempus est vel adolescentibus pubescendi, vel senescentibus canescendi. Neque enim a sexto anno vel septimo aliquis pubescit, aut a vicesimo canescit, nisi forte aliquid accidat novi. Quartum proprium est, quod uni speciei accidit, et omnibus sub eadem specie individuis, et omni tempore. Nam risibilem esse hominem, et uni speciei solum, id est homini contingit, et omnibus sub eadem specie inviduis : omnes enim singuli homines rident, et omni tempore. Nunquam enim tempus fuit, ut quicunque ridere non possit. Sed risibile dico potestate, non actu. Namque etsi non rideat homo, tamen quia ridere potest, risibilis appellatur. Et sunt integre ei vere propria ista quæ et uni, et omnibus, et omni tempore insunt. Namque hæc speciebus suis converti possunt. Si enim dicas : Quid est homo? Risibile. Si quid est risibile interroges, homo prædicabis. Illa vero alia bipes, vel grammaticus propria quidem sunt, sed converti non possunt. Nam grammaticus semper homo, homo vero non semper grammaticus. Et econtrario homo semper bipes est, non econtra bipes semper homo est. Et hinnibile similiter magis proprium equi est. Nam eodem modo hæc proprietas ad suam speciem converti potest : nam si dicas quid est equus, hinnibile respondebis. Si, quid est hinnibile, equus prædicabitur. Sed quoniam de propriis dictum est, de accidentibus sequens tractatus habeatur. Tum Fabius : Definit Porphyrius accidens sic.

DE ACCIDENTI.

Accidens est quod infertur et aufertur sine ejus in quo est interitu.

Hoc autem dicere videtur, illud esse accidens sine quod potest constare illud cui accidit : ut puta si forte casu aliquo cuiquam facies irrubuerit, abscedente rubore illæsa facies permanebit, sicut eveniente non læsa est. Dividitur ergo accidens in separabile et in inseparabile. Namque separabiles accidens est, ut puta si quid sedeat vel ambulet : inseparabile est, ut si dicas corvum nigrum, cygnum album, atque hæc accidentia separari non possunt. Nascitur autem hujusmodi dubietas, utrum superior definitio vera sit, et omnium accidentium nomen includat. Nam quoniam sunt quædam (ut ipse ait) accidentia inseparabilia, in his talis definitio videtur convenire non posse. Nam si separari non possunt, non est in illis vera definitio quæ dicit : Accidens esse quod inferri et auferri potest sine ejus in quo est interitu. Nam cum inseparabilia sint, auferri non possunt. Sed hæc tam vehemens quæstio solvitur sic, quod hæc ipsa definitio de accidentibus facta est potestate, non actu, et intelligentia, non veritate. Nam quia Æthiops et corvus colorem amittant, sed sine isto colore ad intelligentiam nostram possunt subsistere. Nam verum est quoniam Æthiopem aut corvum color niger nunquam diserit. Sed si quis intelligat colorem istum Æthiopem vel corvum posse amittere, plumarum tantum color in corvo mutabitur, et erit avis alba specie et forma corvi, si quis hoc intelligat. An vero hominis, id est Æthiopis, amisso nigro colore, erit ejus species candida, sicut etiom aliorum hominum. Ergo hoc non ideo quia fiat dicitur, sed ideo quia si posset fieri, hujus accidentis susceptrix substantia non periret. Quod ipse hoc modo demonstrat.

Potest autem subintelligi et corvus albus, et Æthiops, ut corvus, amisso colore, in propriæ substantiæ natura permaneat, colorem suum perditurus sine interitu suo in quo color fuit.

Nihil enim ad speciem impedit, si Æthiops vel corvus, amisso colore, in propriæ substantiæ natura permaneat. Est autem alia definitio, quæ est hujusmodi :

Accidens est quod contingit alicui, et inesse et non inesse.

Nam quod in substantiam non vertitur, id accidens esse dicimus, id est non in substantia insitum, sed extrinsecus veniens. Erga ea quæ contingunt et esse et non esse, ideo accidentia vocata sunt, quoniam in substantiæ ratione non accipiuntur. Si enim in substantiæ ratione ponerentur, nunquam non essent, et si non essent, nunquam esse possent. Nam quoniam, verbi gratia, rationalis in substantia hominis est, nunquam homo esse poterit irrationabilis, quoniam irrationabilitas in substantia hominis non est. Ex hoc ergo venit etiam alia definitio :

Accidens esse illud, quod neque genus sit, neque species, neque differentia, neque proprium.

Nam quoniam genus, species, differentia, et proprium, in substantia sunt, et cujuscunque illius rei substantiam monstrant, idcirco quidquid horum aliquid non fuerit, id accidens merito prædicabitur. Explicitis igitur atque expeditis his quæ proposuit, id est genere, specie, propriis, differentis, accidentibusque tractare, nunc exsequitur illa quæ inter hæc omnia communia sunt, et quæ differentia.

DE COMMUNIBUS GENERIS, DIFFERENTIÆ, SPECIEI, PROPRII, ACCIDENTISQUE.

Et primo omnium simul inter se communiones explicat, post etiam singulorum, et dicit omnium esse commune de pluribus prædicari. Namque genus prædicatur de speciebus et de individuis, eodem modo prædicatur et differentia de speciebus et de individuis. Etiam proprium de specie et de individuis prædicatur. At vero species de solis tantum individuis appellatur. Genus enim, ut animal, prædicatur de equis, hominibus, bobus et canibus, id est speciebus.

Prædicatur item et de his quæ sub ipsis speciebus individua continentur. Nam sicut species ipsa canis vel equi vel hominis animalia sunt, sic vel unusquisque equus vel homo animalia prædicantur. Differentiæ vero prædicantur de speciebus et de individuis hoc modo. Namque homo et equus species sunt. Sed rationalis dicitur, et ad speciem hominis differentia prædicatur, eodem modo et ad Ciceronem. Nam cum sub hominis specie individuum sit, et ipse rationalis appellatur. Proprium autem de specie prædicatur, cum dicitur species quod est homo risibilis, et cum dicitur Cicero risibilis, quod est individuum, monstratur proprium de individuis prædicari. Species vero de suis tantum solis individuis prædicatur. Interrogatur enim quid est Cicero. Et homo respondetur. Accedens vero prædicatur de individuis, et postea de speciebus. Nam si quid dicat, homo sedet, quod est accidens separabile, quicunque singulum hominem, id est individuum sedere viderit, tunc idem et de specie prædicat, ut dicat, quoniam Cicero sedet. Cicero autem homo est, homo sedet. Eodem modo inseparabile accidens de speciebus et de individuis prædicatur. Expeditis ergo omnium communionibus generis et differentiæ primum communiones differentiasque declarat.

DE COMMUNIBUS GENERIS ET DIFFERENTIÆ.

Et primum dicit generi cum differentia esse commune, quod ab utrisque species continentur. Nam genus quod est animal, continet speciem hominis atque equi. Porro autem rationale, quod est differentia, continet et hominem et Deum. Et irrationale, quod est differentia, continet equum et bovem atque avem. Sed ita continet, ut genus semper plures species contineat, quam continet differentia. Namque genus et ipsas differentias continet. Genus enim, id est animal rationale atque irrationale, continet illas species quæ sunt sub rationali, et illas quæ sunt sub irrationali continet genus, id est animal. At vero differentia id est rationale, irrationale non continet, sed tantum hominem atque Deum. Plus igitur genus continet quam differentia. Est autem alia communio; si quid enim ad quodlibet genus ita prædicatur, ut ejus genus sit, et de illis speciebus quæ sunt sub illo genere ad quod prædicatur, illud genus appellatur, et de illis individuis quæ sub illis speciebus sunt. Namque animal genus est hominis et de animali prædicatur, ut genus substantia. Genus enim substantia animalis est. Ergo illa substantia quæ ad hominis genus, id est animal, ita prædicatur, ut genus prædicatur etiam et ad ipsum hominem: dicitur enim homo substantia. Prædicatur item illud generis genus, etiam de illis quæ sunt specie individuis. Dicitur enim Cicero, quod est sub hominis specie individuum, substantia: differentia eodem modo. Nam si qua differentia dicta fuerit de alia differentia, ut differentia intelligatur, prædicabitur, et ad speciem quæ sub illa differentia est ad quam prædicatur, et de illis individuis quæ sub eadem specie sunt. Nam ratione uti, differentia ad rationalem differentiam veluti cognata differentia prædicatur. Rationabile autem prædicatur ad hominem ergo ratione uti prædicabitur ad hominem. Idem etiam ratione uti, prædicatur ad Ciceronem, quod est individuum, sub illa specie ad quam speciem illa differentia, id est rationalis, prædicatur, de qua prædicabitur ut cognata illa differentia, id est ratione uti. Igitur est ista generis differentiæque communitas, quod ea quæ de genere specici prædicantur ut genus, et de sub eodem genere specie prædicantur, et de individuis: et illa quæ de differentia prædicantur ut differentia, et de sub eadem differentia specie prædicantur, et de individuis. Est autem alia communio, quod quemadmodum interempto genere species interimuntur, sic interempta differentia species sub eadem differentia interimuntur. Nam si interierit animal, homo atque equus continuo periturus est. Sin vero differentia interierit, id est rationale, dii atque homines interibunt, et nihil eorum erit quod uti ratione.

DE PROPRIIS GENERIS ET DIFFERENTIÆ.

Post demonstrationem igitur communionem proprietas eorum differentiasque designat, et dicit primam differentiam eam, qua genus non solum a differentiis, sed etiam speciebus, propriis et accidentibus differat. Namque dicit genus multo de pluribus prædicari, quam prædicatur differentia, vel species, vel accidens, vel proprium. Namque genus dicitur, id est animal de quadrupede, de bipede, de reptili, id est de serpente, de natali, id est de pisce. Quadrupes autem quod est a bipede differentia, de solis illis dicitur quæ quatuor pedes habent, id est, equus vel bos. De cæteris autem aliis, id est, bipede vel reptili vel natatili, unde genus æqualiter prædicatur, appellari non potest. Plus autem genus a speciebus prædicatur, quod cum homo species sit, et de solis individuis prædicetur, idem tamen homo de æquo vel bove vel cane non prædicatur. At vero animal quod est genus, de pluribus speciebus prædicatur. id est de homine, et de equo, et cane et bove, et de omnibus quæ sub ipsis posita sunt individuis. Genus autem a proprio prædicationibus abundat, quod proprium unius speciei semper est, et de sub eadem individuis. Genus vero de multis speciebus et propriis prædicatur, et de sub eisdem individuis. Ab accidentibus vero genus magis de plurimis prædicatur, quod cum unius cygni inseparabile fortasse accidens sit album, animal non solum de cygno prædicatur, sed etiam de albis omnibus et non albis animalibus. At vero accidens de solis tantum illis quibus inseparabiliter continetur, vel quibus separabiliter. Nam principaliter de individuis dicitur. Quare constat multo de pluribus prædicari genus quam accidentia prædicantur, quod accidentia principaliter de individuis, genera vero de individuis et de speciebus et de differentiis prædicantur.

Sed nunc illas differentias accipiamus quibus genus dividitur, non quibus species informantur.

Hoc autem est: Quoniam duas diximus differentiarum esse formas, ut aliæ sint divisibiles, aliæ

constitutivæ, constitutivas illas duximus, quæ sub eodem filo positæ et subalternis generibus descendentes speciem quamdam informant atque perficiunt ut est rationale vel mortale, quæ hominis speciem constituunt: alias vero divisibiles, quæ genus dividunt, non speciem informant, id est rationale et irrationale, mortale et immortale. Nunc de differentiis illis iste tractatus habetur quæ genus dividunt, non quæ speciem constituunt. Nam illæ quæ genus dividunt in differentiarum integro loco accipiuntur: illæ vero quæ speciem constituunt, in specierum generumque substantiam accipiuntur. Namque rationale mortalis genus est. Porro mortale hominis genus est, et istæ constituunt speciem. At vero rationale irrationalis species non est, neque genus. Nec mortale immortalis neque genus neque species est. Atque ideo quoniam propriam vim differentiarum ista retinent, quæ neque genera neque species sibi invicem esse possunt, ipsas nunc differentias accipiamus in quibus nulla quantum ad genus est speciemque communitas. Est etiam generis differentia. Namque genus a propriis differentiis prius est. Namque si abstuleris genus, omnes simul differentias abstulisti. Nam si abstuleris animal, rationale atque irrationale non remanent. Porro autem si rationale abstuleris, remanet animal. Sed si utrasque interemeris differentias, id est rationale et irrationale, potest tamen quoddam intelligi, quod sit substantia animata sensibilis, id est animal. Ita genus sublatum omnes secum aufert differentias. Sublatæ differentiæ genus secum non interimunt, quod intelligentia genus remanet, id est quoniam potest animal intelligi præter differentias, ut ejus tantum definitionem animo capias, et esse dicas substantiam animatam atque sensibilem. Quæ autem talia sunt, ut ipsa interempta interimant, non simul aliis interemptis ipsa interimantur, priora sunt illis quæ possunt interimere. Est etiam alia differentia, quod genus semper in eo quod quid sit prædicatur, ut dictum est, differentia vero in eo quod quale sit. Sed hoc frequentius inculcatum est, atque ideo id a nobis prætermittendum est. Est etiam alia differentia, quod ad omnem speciem unum semper genus aptatur. Homo enim unum tantum genus habet, ut animal appellatur: in unam autem speciem plurimæ differentiæ poterunt commodari. Namque homo et rationale est, quæ differentia est, et mortale, quæ eadem differentia est, et sensibile, quibus scilicet omnibus aliis differt. Differt enim his omnibus quod sensibilis est ab insensibilibus, quod rationalis ab irrationabilibus, quod mortalis ab immortalibus. Est etiam alia differentia quæ superius dicta est. Nam genus speciei ita est ut materies, differentia vero ut figura. Nam sicut in æris materiem veniens figura statuam efficit, ita animali, id est generi, veniens differentia, id est rationale vel irrationale, facit hominis vel pecudis speciem. Quæ autem communitates vel proprietates generis et differentiæ fuerunt, hactenus dixit, et fortasse erunt etiam aliæ, quæ propter brevitatem supersedendæ atque dimittendæ sunt.

DE COMMUNIBUS GENERIS ET SPECIEI.

Nunc autem de generis vel speciei communitatibus proprietatibusque tractatur, et dicit genus et speciem commune habere de pluribus prædicari, sicut dictum est. Nam genus et de speciebus pluribus prædicatur et de earum individuis. Et item species de sub se plurimis individuis appellatur, et hic quoque illæ species accipiuntur, quæ magis species sunt. Nam si subalternæ accipiuntur, non magis species quam genera videbuntur. Nam quæ subalternæ species sunt, etiam genera sunt, et erit absurdum et huic propositioni inconveniens de generum inter se differentiis communionibusque tractare. Accipiantur igitur illæ tantum species, quæ species et magis species appellantur. Est etiam alia eorum communio, quod sicut genus a specie primum est, sic species ab individuis primæ sunt. Nam si genus suferas, species abstulisti. Si species abstuleris, genera non peribunt. Porro si species abstuleris, individua morientur. Si individua interierint, species manent. Est etiam his alia communio quod quemadmodum genus quid sit totum declarat, sic etiam species. Nam totum quod est rationale, atque irrationale a genere declaratum est. Dicitur enim quidquid fuerit rationale vel irrationale, id esse animal: sic igitur totum quid sit a genere declaratum. Porro autem quid sit tota hominum diversitas, id est individuorum, a sola specie declaratur, cum dicitur homo. Nam et Scytha et Indus et totum quidquid individuum est, uno solo hominis, id est speciei, nomine continetur.

DE PROPRIIS GENERIS ET SPECIEI.

Dissertis igitur generis specieique communionibus, ad proprietates eorum vel differentias transitum fecit, dicens:

Differre inter se genus et species, quod genera species continent, nunquam rursus genera ab propriis speciebus continentur.

Oportet autem (ut dictum est) in hoc tractatu non subalternas, sed magis species considerari. Genus enim plurimarum specierum est continens, et unum omnium, et totum omnibus et singulos. Quod si ita est, et genus a suis speciebus singulis majus est, atque ideo eas dicitur continere, non est dubium quin ea ipsa genera quæ continent species, ab his ipsis contineri non possint. Insuper omnia genera præjacent. Hoc videtur dicere, quod omnia genera prius sint ab his speciebus quæ sub ipsis positæ continentur. Nam sicuti materies prima est ab illa re quæ veniens in materiam formam constituerit atque figuraverit, sic etiam prius est genus ab illa specie quam veniens differentia formavit atque constituit. Nisi enim in generibus differentia venerit species nunquam constituentur. Quare præjacent, id est præsunt, et antiquiora sunt genera speciebus suis. Atque ideo si genera interimantur, species quoque peribunt. Nam si animal sustuleris, hominem pecudemque sustulisti. Si vero species interimantur, non continuo genus interibit. Nam si homo perierit, animal continuo non interemptum est: alia enim remanebit species de qua

ipsum animal, id est genus prædicetur. Atque ideo genera ab speciebus suis priora sunt, et quod omnia genera univoce de speciebus prædicentur, species ipsæ de generibus nunquam. Hoc (arbitror) hesterna lucubratione jam dictum est. Nam genera semper de speciebus univoce prædicantur. Homo enim, et homo est et animal. Porro autem animal genus est hominis, et prædicatur animal de homine. Quoniam ergo animal prædicatur, et dicitur homo animal, animal et homo uno animalis nomine nuncupantur. Sed his ipsis definitio una conveniet. Est enim animal substantia animata sensibilis, quod non absurdum est in homine dici. Nam homo ipse si animal dicatur, non erit absurdum dici de homine substantia animata sensibilis. Igitur genus de speciebus suis univoce prædicatur, quod et eodem nomine, et eadem definitione conveniat. At vero species non modo univoce non prædicantur de generibus suis, sed nec omnino prædicantur. Nulla enim res minor de majore poterit prædicari. Atque ideo, quoniam species minores sunt suis generibus, de generibus suis neque univoce, neque aliquo modo poterunt appellari.

Amplius omnia genera abundant complexione sub se positarum specierum, ipsæ species abundant generum suorum propriis differentiis.

Quod dicit perinde est ac si diceret: Omne quod genus est, plures sub se species continet; omne vero quod species sub se plures habet, differentias habet. Genus enim, id est animal, in hoc homine, id est specie, superabundat et superest, quod homo solum homo est. Animal vero non solum homo, sed etiam bos vel avis, vel alia hujusmodi. Species vero in eo superant genera sua, quod eas differentias quas species in actu habent, eas genera non habent. Nam, sicut superius dictum est, genera differentias illas quas habent sub se species positæ, potestate continent, non etiam re. Atque ideo species quæ est homo, vel alia species, sicut est equus, a genere suo animali in hoc abundant et supersunt, quod animal ipsum per se neque rationale neque irrationale est. At vero homo vel equus hoc rationale, illud est rationis expers. Illud etiam quod species nunquam magis genus fiet, rursus et genus nunquam magis species fit, et ut sciremus hic non de subalternis speciebus, sed de illis magis speciebus specialissimisque tractari. Quid sit? Quod ea quæ sunt genera magis species fieri nunquam possunt, neque magis species aliquando fieri magis genus. Nam species nunquam genus est. Quidquid enim fuerit species, genus non erit, neque quidquid fuerit genus, species erit. Quare constat in his eum tractatibus de speciebus solis, non etiam de subalternis disserere. Subalterna enim possunt esse etiam genera, magis species vero (ut ipse ait) nunquam genera esse possunt, sed postquam de generum specierumque commutatibus differentiisque tractatus habitus est, ad genera propriaque transgressus est.

DE COMMUNIBUS GENERIS ET PROPRII.

Generis et proprii commune hoc est, adhærere speciebus et eas amplectari.

Dicit genera et propria in hoc sibi esse consimilia, quod omne genus a suis speciebus nunquam recedit. Eodem modo et propria. Nam si dixeris homo, cum ipso homine continuo animal nominasti, quod ipsius homini, id est speciei genus est. At vero etiamsi hominem dixeris, ejus etiam proprium continuo cum homine nominasti, omnis enim homo risibilis est. Ita semper genus et propria suis speciebus inserta et quodammodo conglutina sunt. Similiter et genus prædicatur de speciebus, et proprium de iis quæ sui participantia sunt, et æqualiter, inquit, omnes species eidem generi supponuntur, et ad eas genus illud appellatur, sicut propria ad ea prædicantur, quæ sui participari possunt. Namque æqualiter genus de homine dicitur, et de equo, et de bove, et de cæteris animantibus, quemadmodum et risibile, id est, proprium de Hortensio dicitur et Cicerone, et de singulis individuis quæ sub eadem specie continentur, ad quam speciem proprium, id est, risibile poterit prædicari. Adhuc commune est ipsis univoce prædicari. Namque sicut genus de suis speciebus (ut dictum est) univoce prædicatur, ita et proprium de ea specie cujus est proprium univoce prædicatur. Nam qui homo est, et risibile est. Porro autem si quis dicat hominem esse animal rationale et mortale, et dixerit risibile esse animal rationale et mortal, non errabit. Æqualiter igitur et genus de speciebus suis, et propria de ea specie, cujus sunt, propria univoce prædicant.

DE PROPRIIS GENERIS ET PROPRII.

Differt autem utrumque, quod genus primum est, secundum proprium. Genus enim si ab specie primum est, proprium autem uni tantum species adhæret, et eidem æquale est, non est dubium quin genus quod specie majus est, proprio etiam speciei majus sit. Nam ut sit risibile, animal prius est. Namque ut aliqua species informetur, propriis et differentiis primo erit genus, ubi illa conveniant, sicut frequentius inculcatum est. Accedit etiam quod genus de pluribus speciebus prædicatur. Namque genus, id est animal, de pluribus, at vero proprium, id est, risibile de sola tantum hominis specie prædicatur. Unde fit ut semper propria de speciebus suis conversim prædicari possint, species autem de genere nunquam. Neque enim quod animal est, homo est, neque omne quod animal est, risibile est. Potest enim esse et equus et hinnibile id quod animal nominatur. Porro autem omne quod est homo, id risibile est, et omne quod est risibile, id homo est. Possunt enim propria et species sibi ipsa converti, et conversim ad se invicem prædicari. Præterea omni speciei quidquid fuerit proprium, et omni et soli est. Namque risibile et omnibus hominibus est, et soli hominis speciei evenit. At vero animal, quod genus est, etsi uni speciei inest, non tamen soli. Namque animal omni homini inest, non soli tamen homini, quia inest etiam percudi et cæteris animantibus. Oportet autem hic illa propria intelligere, quæ magis propria sunt, id est quæ integre propria nominantur, quæ sunt hujus modi ut et

uni speciei et omnibus insint. Differunt ergo in hoc quoque genera et propria, quod propria et uni speciei adsunt, et omnibus individuis quæ in ea specie sunt: genera vero omnibus quidem individuis quæ in eadem specie sunt et sub eodem genere, non tamen uni soli speciei, cum genus semper de pluribus prædicatur. Unde fit, ut sublata propria non auferant genus, sublatis vero generibus, ipsa quoque propria auferantur. Nam si sustuleris proprium, id est risibile, remanet hinnibile, remanet natabile. Si vero genus sustuleris, simul quoque species sustulisti. Si species sustuleris, propria etiam quæ insunt speciebus simul interibunt. Itaque, sublatis generibus propria sustuleris, sublatis vero propriis, simul genera non auferentur.

DE COMMUNIBUS GENERIS ET ACCIDENTIS.

Peractis igitur generum propriorumque differentiis ad generum accidentiumque communitates vel proprietates transitum fecit, et unam eorum prædicat communitatem, quæ est quod de pluribus prædicatur. Namque sicut genus de pluribus speciebus prædicatur, ita etiam separabile accidens vel inseparabile de pluribus speciebus appellatur. Dicitur enim et de corvo et de Æthiope nigrum, et de equo et homine moveri, quod illud est inseparabile accidens, illud vero separabile; et quoniam longius a se distant, idcirco unam eorum solam communionem dixit, et alias si quæ forte essent quærere supersedit.

QUID INTER GENUS ET ACCIDENS.

Differt autem genus ab accidenti, quod genus ante species est, accidentia vero speciebus posteriora sunt. Semper genera super species, ei his præjacere et esse majora superius demonstratum est. Namque prius est animal ab homine, atque ideo consumptum animal species quoque consumit, consumptæ vero specie non interimunt genera. At vero accidens postea necesse est ut sit, quam sint ipsæ species. Erit enim prius aliquid cui possit accidere. Omne enim accidens propter illud cui accidit esse non potest. Atque ideo prius erit aliqua res cui accidat, quam sit ipsum accidens. Necesse est igitur ut omne accidens post species inveniatur, et magis post individua, quibus principaliter possit accidere. Huc accedit quod generis participantia æqualiter participant, sicut omne genus speciebus suis æqualiter genus est, ut sæpius dictum est, et species omnes æqualiter suo generi participant. Namque equus et homo æqualiter animalia sunt, neque equus homine plus, neque homo plus equo. At vero accidentia non æqualiter participant. Nam cum separabile accidens sit moveri, possunt aliæ inter se species eodem accidenti participantes tardius vel citius moveri, et de inseparabili accidenti eodem modo. Est enim ut aliquis nigrioribus oculis sit, et alius quamvis nigris, tamen ita purpureis, atque ideo ei intentionem et remissionem recipit accidens. Nam et candidus quod dicitur, et magis et minus dicitur, et alia hujusmodi. Quare distant hæc duo, quod genere, quæ participant, æqualiter participant, accidenti fortasse non æqualiter. Huc accedit quod genera non modo ante individua, sed ante species sunt, accidentia vero non modo post species, sed etiam post individua sunt. Ipsis enim principaliter accidunt, ut dictum est. Est etiam differentia, quæ jam superius dicta est: nam genus in eo quod quid sit prædicatur, accidens vero in eo quod quale sit, aut quomodo se habeat: nam si quid sit Socrates interroges, homo atque animal respondetur: si vero qualis sit, fortasse calvus, aut simus, quæ accidentia sunt inseparabilia. Sin vero quomodo se habeat, aut jacet respondetur, aut sedet, aut quid aliud facere contigerit. Ergo quoniam generis a specie et differentia et proprio et accidenti divisa substantia est, nunc posteriora persequitur. Sunt autem differentia viginti: nam cum quinque res sint, et unaquæque ipsarum ab aliis quatuor distet et item quatuor differentias habeat, quinquies quaternis viginti differentiæ efficiuntur; nam si genus differt ab specie, proprio, differentia et accidenti quatuor differentiæ fiunt. Sin vero species differt o genere, proprio, differentia, accidenti, item aliæ quatuor quæ junctæ cum superioribus octo fiunt. Et si differentia distat ab specie, proprio, genere et accidenti, aliæ quatuor supercrescunt. Quæ junctæ cum octo prioribus duodecim faciunt. At vero si proprium differt a genere, specie, differentia et accidenti, aliis quatuor differentiis super duodecim positis, omnes sedecim differentiæ fiunt. Quod si accidentis quoque differentias ad quatuor reliqua dixeris quatuor super sedecim crescentibus, viginti omnes differentiæ perficiuntur. Quæ ita viginti sunt ut ad sufficientem doctrinæ cumulum decem tantum differentiæ numerentur. Nam quod dictum est genus differre a differentia, specie,



proprio et accidenti, quatuor fuere differentiæ. Si autam differentiam dicamus differre a specie, proprio et accidenti, supervacuum est differentiæ cum genere differentiam commemorare, cum jam prius commemoraverimus, quando generis ad differentiam, differentias diximus: iisdem enim (ut opinor) differt differentia a genere, quibus differebat genus a differentia. Itaque relinquenda est hæc differentia, qua distat differentia a genere, quoniam superius jam dicta est, cum diceretur quo genus distaret a differentia. Remanent igitur tres differentia, quibus ipsa differentia ab specie, proprio, et accidenti distat, et est superioris generis ad alia, 4 differentiæ fuerint, nunc vero differentiæ ad alia, tres distantiæ videan-

tur,7, hæ distantiæ sunt. At vero species quo a genere distet jam tunc dictum est,cum dicebatur quo genus distet a specie.Quid autem differentia discreparet, tunc demonstratum est, cum diceremus in quo differentia a specie discerneretur. Remanent igitur duæ speciei, id est,cum proprio et accidenti differentiæ,quæ junctæ cum superioribus 7,9,differentias efficiunt. Restat igitur una proprii et accidentis differentia,quæ dicatur : nam quid a genere distet dictum est,cum quid genus distaret a proprio diceretur.Porro quid a specie distaret dudum dicebatur,cum quid species a proprio differet enumerabatur.Porro autem quid a differentia, etiam id dictum est,cum a proprio differentia separaretur.Sed nunc quemadmodum differentia a specie,proprio accidentique discernitur, viedamus.

DE COMMUNIBUS DIFFERENTIÆ ET SPECIEI.

Est communio differentiæ et speciei quod æqualiter species sub se individuis se permittit,et æqualiter individua specie ipsa participant : namque omnes homines æqualiter homines sunt,et hominis participatione æque participant: eodem modo etiam differentia: namque omnes homines æqualiter rationales sunt,et rationabilitate,quæ est differentia,omnes qui ratione participant æque participant.Est etiam alia communitas,quod quemadmodum species nunquam deserit ea quorum species est, et quibus superest, sic et differentia nunquam ea deserit quæ distare ab aliis facit : namque Socrates,cum sub specie hominis est,nunquam ab hominis specie deseritur. Semper enim Socrates homo est.At vero differentia Socratem,cum Socrates rationalis est, nunquam deserit. Semper enim Socrates rationale animal est.

DE PROPRIIS DIFFERENTIÆ ET SPECIEI.

Differunt autem inter se species et differentia, quod differentia semper in eo quod quale sit prædicatur.Nam dicitur Socrates quale animal sit,ut rationale respondeatur ; species vero in eo quod quid sit prædicatur. Nam dicitur quid sit Socrates, ut homo respondeatur.Namque hominis qualitas rationale est,sed non simpliciter. Illa enim qualitas pro differentia accipitur,quæ veniens in genere speciem constituit,et de qualitate substantiali facta est substantialis et specifica differentia. Ista igitur talis qualitas differentia nominatur,et ea in eo quod quale sit ad hominem prædicatur,hoc etiam in eorum est differentiis.Namque differentia frequenter in pluribus speciebus consideratur. Differentia enim quadrupes in bovis, et in equi, et in canis specie est : et differentia rationalis hominis et angeli, species vero nunquam aliis,nisi solis sub se positis individuis præest.Nunquam enim alia res homo est,nisi quod est individuum,ut est Socrates, et Plato, et Cicero. Unde fit ut sublata differentia,species quoque tollatur.Nam si sustuleris rationale, hominem sustuleris. Sin vero sustuleris speciem, differentia manet. Nam si sustuleris hominem rationalis angeli differentia manebit.Est vero etiam hæc differentia, quod differentia cum alia differentia jungi potest,ut aliqua ex his species informetur. Namque rationalis differentia et mortalis differentia junctæ unius hominis speciem reddiderunt.Junctæ vero species nunquam aliquam ex se speciem constituent.Si enim jungas hominem bovi, nulla ex his species informabitur. Sed fortasse dicat aliquis : Asini atque equi conjunctione mulus nascitur ; sed non ita est.Namque individui conjunctione natum est aliquid individuum. Si autem sic simpliciter speciem ipsam asini atque equi conjungas, nulla ex his unquam species constituitur. Neque enim si se possunt individua commiscere,idcirco etiam species individuorum in alterutram substantiam transeunt:atque ideo constat junctas species unam speciem non posse componere, quod differentiæ junctæ unius speciei constitutivæ sint.His itaque transactis ab differentiæ et propria communia veniamus.

DE COMMUNIBUS DIFFERENTIÆ ET PROPRII.

Differentia et proprium commune habent quod quibus differentia est et a quibus ipsa differentia participatur,æqualiter participatur : nam rationalis differentia cum inest hominibus,et omnes homines rationabili differentia participant, non est dubium quin omnes homines æqualiter sint rationales,atque æqualiter rationabilitate participent. At vero proprium,quod risibile est,æqualiter omnibus hominibus est: omnes enim homines æqualiter risibiles sunt. Est etiam hæc eorum communitas, quod sicut potestate risibile dicitur, etiamsi non rideat, ita etiam potestate bipes dicitur, etiamsi quis uno pede minuatur : non enim quod est dicitur, sed quod esse possit : nam quoniam ille ridere potest, risibilis nominatur ; quod ille duos pedes habere possit,bipes.Atque ideo nunquam ab illis in quibus sederint, proprium differentiaque discedent. Semper enim homo risibilis est, etiamsi non rideat. Semper bipes, etiamsi uno pede minuatur. In his enim differentiis et propriis (ut dictum est) quod potestate esse possit, non quod vere sit consideretur.

DE PROPRIIS EORUMDEM.

Differunt autem inter se,quod differentia de pluribus speciebus prædicatur,proprium vero de una. Namque differentia quæ est mortalis prædicatur de homine, de bove, de equo, et cæteris animantibus ; et rationale prædicatur, et de Deo, et de homine. At vero risibile de sola tantum specie hominis prædicatur. Unde evenit ut omnis differentia, quoniam plurimarum continens est specierum, a suis speciebus major sit, atque ideo ipsa de speciebus prædicari potest. Porro autem de ipsa species prædicari non potest : neque enim conversim dici potest. Nam quoniam homo dicitur rationalis, non contra dicitur quod rationale est id quod homo est. Potest enim esse etiam non homo, sed Deus.At vero proprium, quoniam æqualiter et ad unam speciem semper aptatur, æqua vice atque appellatione convertitur: dicitur enim, quid est homo ? risibile. Quibus per-

tractatis ad differentiam et accidens transgressa disputatio est.

DE COMMUNIBUS DIFFERENTIÆ ET ACCIDENTIS.

Differentia et accidens commune habent de pluribus prædicari. Namque differentia dicitur et de homine et de Deo, cum utrique rationales sunt. Et accidens dicitur et de homine et de equo, ut homo Æthiops niger, et equus niger. Est etiam alia communio quod inseparabile accidens cuicunque speciei fuerit, inseparabiliter et omnibus inest ut differentia. Namque inseparabiliter accidens quod est nigrum, corvo inseparabiliter accidit, et omnibus corvis. Eodem modo etiam differentia. Nam quoniam accidit homini ut bipes sit semper et omnibus hominibus est esse bipedibus.

DE PROPRIIS EORUMDEM.

Differunt autem inter se, quod omnis differentia species continet, non contra ipsa a speciebus continetur. Nam si differentia plures sub se species habet, ut dictum est, major erit sub se positis speciebus. Si major erit, nunquam eam quælibet species continet. Major enim a minori nunquam poterit contineri. Nam quod est rationale, continet hominem et Deum. Homo vero rationale non continet. Accidentia vero aliquoties continent, aliquoties continentur. Namque continent, quoniam frequenter unum accidens duas sub se species habet, ut nigrum habet Æthiopem et corvum Continentur vero quoniam sæpe una substantia habet duo vel tria vel quamlibet plurima accidentia. Si quis enim sit glaucus, vel crispus, vel candidus, vel procerus, hæc omnia accidentia unus cui accesserunt complectitur et continet. Atque ideo species illa quæ illud individuum continet quod individuum plura in se accidentia suscepit, accidentis illius complexiva est.

Dehinc differentia nunquam intenditur neque relaxatur.

Quod dicit hoc est rationale in unaquaque specie, neque plus neque minus est. Nullus enim homo alio homine ab substantiam plus rationalis est neque minus. At vero accidens et intenditur et remittitur. Dicitur enim quicunque procerior, dicitur quicunque velocior, dicitur quicunque crispior quæ omnia accidentia esse non dubium est.

Præterea immistæ semper sunt contrariæ differentiæ.

Immistæ ait, id est, immiscibiles quæ misceri non possunt. Neque enim rationale cum irrationali misceri potest, neque in una specie convenire. At vero contraria accidentia manifestum est in una specie posse congruere, Namque nigrum et album potest in una non modo specie, sed individuo congruere. Potest enim quicunque homo, cum ipse sit candidus, nigros tamen capillos habere. Ergo quemadmodum species differat a genere vel differentia dictum est, cum de generis ad speciem, et differentæ ad speciem distantia diceremus.

DE COMMUNIBUS SPECIEI ET PROPRII.

Nunc dicemus id quod reliqum est de speciei proA priique communibus. Et est una eorum communio, quod de se ipsa invicem prædicantur. Nam quoniam æqua sibi sunt, neque species hominis alii proprio convenit, nisi risibili, neque risibile alii convenit speciei, nisi homini, atque ideo dicitur, quid est homo ? risibile. Quid est risibile ? homo. Commune est etiam illud quod omne proprium æqualiter ad sub se posita prædicatur. Namque omnes homines æqualiter risibiles sunt, et species æqualiter ad sub se posita prædicatur. Namque omnes homines individui æqualiter uno nomine homines nuncupantur.

DE PROPRIIS EORUMDEM.

Differunt a se, quoniam species potest etiam genus alteri esse, proprium esse non potest. Sed hic illam speciem intelligamus quæ subalterna est, non illam
B quæ magis species est, et genus esse nunquam potest. Atque ideo nos illam modo solam, quæ subalterna species est intelligamus, quæ scilicet poterit esse et genus. Namque mortale cum rationalis generis sit species, hominis genus est. At vero risibile de nulla unquam alia specie poterit prædicari, neque alii esse proprium, sicut est hominis. Illa enim semper (ut dictum est) propria sunt, quæ nulli alii nisi ad unam speciem semper aptantur. Deinde species præcedit, et sic proprium sequitur. Quod dicit tale est : Omnis species ut habeat proprium, primo eam esse et constare necesse est. Oportet enim prius esse hominem ut sit risibilis, non prius esse risibile ut sit homo. Nam quoniam proprium dicitur, per se proprium non constat, nisi alicujus species sit. Atque ideo prius esse necesse est illud cujus est proprium
C quam sit proprium. Huc accedit quod species semper in opere intelligitur cujuscunque subjecti. Species enim semper in actu est, non solum propria potestate. Homo enim revera et opere et actu homo est, id est nunquam poterit esse non homo. At vero risibile quod est proprium, potestate tantum dicitur, etiamsi actu non sit. Potest enim quilibet ille non ridere, tamen quia ridere potest, risibile nominatur. Distant igitur in hoc quod semper species in actu est et in opere, proprium vero aliquoties potestate ; deinde quorum definitiones diversæ sunt, necessario etiam ipsa quoque diversa sunt. Omnis definitio substantiam definit. Ergo si quæ ejusdem substantiæ fuerint, eadem etiam definitione monstrantur. Si quæ ejusdem definitionis fuerint, eadem substantia
D prædicantur. At vero si quæ definitionibus differant, differunt etiam substantiis. Quæ substantiis differunt longe a seipsis alia sunt. Nunc igitur quoniam definitiones proprii et speciei differunt, species ipsa quoque et proprium a se differunt. Est autem speciei definitio sub genere esse, et ad plurima numero differentia in eo quod quid sit prædicari. At vero proprii uni tantum inesse speciei, et sub ipsa de omnibus individuis prædicari. Sed quoniam definitionibus differunt, ipsa quoque species a proprio distabit.

DE COMMUNIBUS SPECIEI ET ACCIDENTIS.

Post hæc ad communitates speciei et accidentis

disputationem transtulit, et dicit eorum raras alias esse communitates, nisi has solas quod de pluribus prædicantur. Longe enim a se distare videntur, in substantia sui et in potestate patiendi atque faciendi id quod alicui accidit, et id cui accidit. Namque illud cui accidit, quasi quoddam fundamentum est accidentis. Illud vero quod accidit, præter id cui accidit, esse in sui substantia non potest.

DE PROPRIIS EORUM.

Propria vero singulorum sunt hæc, quod species in eo quod quid sit prædicatur, accidens vero in eo quod quale sit et quodammodo se habens. Nam si quis dicat, quid Socrates est, homo dicitur. Si quis dicat qualis sit, calvus vel simus appellatur. Si quis vero quomodo se habens, sedens aut jacens appellabitur, Item in hoc differunt quod unaquæque substantia unam speciem habet. Namque hominis substantia unam solam hominis speciem habet. Substantia vero æque unam solius equi speciem habet. At vero una substantia plura frequenter accidentia continebit. Nam et in eodem equo quædam pars frequenter nigra quædam, alba est. Et est in eo procerilas, est altitudo, est æquilinum caput, et alia hujusmodi. Habet etiam non solum inseparabile accidens eadem substantia, sed etiam superabile. Nam fortasse quidam velox est, et idem etiam corpore validus est, idem etiam sagittator, et cætera. Huc accedit quod species prænoscuntur, id est præintelliguntur, hoc est ante esse cognoscuntur quam accidentia. Et prius erit aliqua res ubi accidat, quam illa quæ accidit, et quoniam species est subjectum accidentis ubi accidens accidat, ideoque ante species intelligitur esse quam accidens. Accidentia vero postea nata sunt, id est a foris venientia et extranea, a qualibet illa substantia, etiam si inseperabilia sunt Hæc quoque est eorum separatio, quod semper omnia quæ participant specie, æqualiter participant. Æqualiter enim et Socrates et Cicero et Plato sunt homines. At vero illa quæ participant accidenti, etiamsi inseparabile accidens sit, tamen æqualiter participant. Nam quamvis inseparabile sit accidens Æthiopi tus nigris esse, tamen est aliquis inter ipsos nigrior, nec omnes illa nigredine æqualiter participant.

DE COMMUNIBUS PROPRII ET ACCIDENTIS.

Relinquitur igitur de communibus proprii accidentisque tractare. Nam proprium quid distaret vel a specie, vel a genere, vel a differentia superius demonstratum est. Proprium autem et inseparabile accidens commune habent, quod sine his nunquam consistunt ea quæ eorum participant, et in quibus ipsa considerantur. Nam neque homo amittit risibile esse, nec Æthiops aut corvus, nigrum. Atque ideo sine his ipsis, id est propriis et accidentibus, quæ eorum participant, constare non possunt, ne forte contra superiorem definitionem accidentis venire videatur ista communio. Est enim ita definitum. Accidens est quod infertur et aufertur sine ejus in quo est interitu. Quod nunc dici videtur sine his constare non posse, cum superius sine eorum interitu posse diceretur auferri. Sed hoc modo dicitur, non quod si auferatur hoc accidens inseparabile, intereat illud cui accidit, sed quoniam separari non potest, idcirco sine his constare non possit. Est etiam inseparabilis accidentis et proprii alia communio, quod sicut et omni et semper inest proprium cui inest. id est homini (semper enim et omnis homo risibilis est), sic etiam quodlibet accidens inseparabile, et omni et semper est accidens inseparabile. Namque et omnis corvus, et semper niger est. Sola autem cum separabilibus accidentibus illa communio est, quod quemadmodum de multis individuis proprium prædicatur, ita etiam accidens de multis individuis potest prædicari. Plures enim currunt, plures etiam ambulant, quæ scilicet accidentia separabilia sunt, quemadmodum plures possunt esse risibiles.

DE PROPRIIS EORUM.

Differunt autem ista, quod proprium semper uni speciei inest, accidens vero pluribus. Nam accidens pluribus speciebus et animatis et inanimatis evenit, ut est ebeno nigrum, corvo nigrum, homini Æthiopi nigrum. Risibile vero nulli, nisi soli homini. Atque ideo conversim proprium prædicatur, quia unius speciei continens est, et illi speciei soli æqualis. est At vero accidens conversim prædicari non potest, quia plures sub se species habet. Non enim potest dicere id esse nigrum quod ebenum, cum dicas hoc esse ebenum quod nigrum. Potest enim esse nigrum et non esse ebenum. Deinde omne proprium æqualiter se his rebus quæ sub se fuerint dat et ab his æqualiter participatur. Socrates enim et Cicero et Vergilius æqualiter et risibili participant, et æqualiter risibiles sunt. At vero accidens non semper æqualiter est accidens. Potest enim quicunque esse procerior, et alius esse velocior. Quod scilicet illud separabile est accidens, illud inseparabile. Et fortasse aliæ eorum quædam proprietates et communiones esse videantur. Sed nunc, quantum introductioni sat est, ista sufficiant. Sed jam tibi, Fabi omnia quæcunque ad introductionem Porphyrii pertinent, plenius uberiusque tractata sunt. Post vero si quidem unquam me egueris, studiis præsertim tuis quæ nulla unquam honestate caruerunt, libens animo hortatorque ad easdem cupiditates parebo. Hic Fabius: Tu, inquit, paterno hæc mihi animo polliceris: verum ego nunquam deficiam ab his studiis, te præsertim docente, a quo totam fortasse logicæ Aristotelis, si vita suppetit, capiam disciplinam. Et ego faciam, inquam, libentissime. Sed quoniam jam matutinus (ut ait Petronius) sol tectis arrisit, surgamus, et si quid est illud, diligentiore postea consideratione tractabitur.

AN. MANL. SEV. BOETII
COMMENTARIA
IN PORPHYRIUM A SE TRANSLATUM.

LIBER PRIMUS.

Secundus hic arreptæ expositionis labor nostræ A seriem translationis expediet, in qua quidem vereor ne subierim fidi interpretis culpam, cum verbum verbo expressum comparatumque reddiderim. Cujus incœpti ratio est quod in his scriptis in quibus rerum cognitio quæritur, non luculentæ orationis lepos sed incorrupta veritas exprimenda est. Quocirca multum profecisse videbor, si philosophiæ libris Latina oratione compositis per integerrimæ translationis sinceritatem, nihil in Græcorum litteris amplius desideretur. Et quoniam humanis animis excellentissimum bonum philosophiæ comparatum est, ut viæ ex filo quodam procedat ratio, ex animæ ipsius efficiendis ordiendum est. Triplex omnino animæ vis in vegetandis corporibus deprehenditur. Quarum una quidem vitam corporis subministrat, B ut nascendo crescat, alendoque subsistat. Alia vero sentiendi judicium præbet. Tertia vi mentis et ratione subnixa est. Quarum quidem primæ id officium est, ut creandis, nutriendis, alendisque corporibus præsto sit, nullum vero rationis præstet sensusve judicium. Hæc autem est herbarum atque arborum, et quidquid terræ radicitus affixum tenetur. Secunda vero composita atque conjuncta est, et primam sibi sumens et in partem constituens, varium ac multiforme judicium capit, de quibus capere potest. Omne enim animal quod sensu viget, idem et nascitur et nutritur et alitur. Sensus vero diversi sunt et usque ad quinarium numerum tendunt. Itaque quidquid tantum alitur, non etiam sentit, quidquid vero sentire potest, ei prima quo- C que vis animæ, nascendi scilicet atque nutriendi probatur esse subjecta. Quibus vero sensus adest, non tantum eas rerum capiunt formas, quibus sensibili corpore feruntur præsente, sed absente quoque, sensibilibusque supositis ante cognitarum sensu formarum imagines tenent, memoriamque conficiunt, et prout quodque animal valet, longius breviusque custodit. Sed eas imaginationes confusas atque inevidentes sic sumunt, ut nihil ex earum conjunctione ac compositione efficere possint. Atque idcirco meminisse quidem possunt, nec æque omnia. Amissa vero oblivione, memoria recolligere ac revocare non possunt. Futuri vero his nulla cognitio est. Sed animæ vis tertia quæ secum priores alendi ac sentiendi vires trahit, hisque velut famulis atque obedientibus utitur, eadem D tota in ratione constituta est, eaque vel in rerum præsentium firmissima contemplatione, vel in absentium intelligentia, vel in ignotarum inquisitione versatur. Hæc tantum humano generi præsto est, quæ non solum sensus imagines perfectas et non inconditas capit, sed etiam pleno actu intelligentiæ quod imaginatio suggessit, explicat atque confirmat. Itaque, ut dictum est, huic divinæ naturæ non ea tantum in cognitione sufficiunt quæ subjecta sensibus comprehendit, verum etiam et insensibilibus imaginatione concepta, et absentibus rebus nomina indere potest, et quod intelligentiæ ratione comprehendit, vocabulorum quoque positionibus aperit. Illud quoque ei naturæ proprium est, ut per ea quæ sibi nota sunt ignota vestiget, et non solum unumquodque an sit, sed quid sit etiam et quale sit, nec non cur sit optet agnoscere. Quam triplicis animæ vim sola hominum (ut dictum est) natura sortita est. Cujus animæ vis intelligentiæ motibus non caret quia in his quatuor propriæ vim rationis exercet. Aut enim laiquid an sic inquirit, aut si esse constiterit, quid sit id dubitat. Quod si etiam utriusque scientiam ratione possidet, quale sit unumquoque vestigat, atque in eo cætera accidentium momenta perquirit, quibus cognitis, cur ita sit quæritur, et ratione nihilominus vestigat. Cum igitur actio sit humani animi, ut semper aut in præsentium rerum comprehensione, aut in absentium intelligentia, aut in ignotarum inquisitione atque inventione versetur, duo sunt in quibus omnem operam vis animæ ratiocinantis impendit. Unum quidem, ut rerum naturas inquisitionis certa ratione cognoscat; alterum vero, ut ad scientiam prius veniat quod post gravitas moralis exerceat, quibus inquirendis permulta esse necesse est, quæ vestigantem animum a recti itinere non minimum progressione deducant: ut in multis evenit Epicuro, qui atomis mundum constare putat, et honestum corporis voluptate metitur. Hæc autem idcirco huic atque aliis accidisse manifestum est, quoniam per imperitiam disputandi quidquid ratiocinatione comprehenderant hæc in res quoque ipsas evenire arbitrantur. Hic vero magnus est error: nec enim sese res ut in numeris, ita etiam in ratiocinationibus habet. In numeris enim quidquid in digitis recte computantis evenit, id sine dubio in res quoque ipsas necesse est evenire: ut si ex calculo centum esse contigerit, centum quoque res illi numero subjectas esse necesse est: hoc vero non æque in disputatione servat; nec enim quidquid

sermonum decursus invenerit,id natura quoque fixum tenetur.Quare necesse erat eos falli,qui abjecta scientia disputandi de rerum natura perquirerent. Nisi enim prius ad scientiam venerit,quæ ratiocinatio veram teneat disputandi semitam,quæ verisimilem? et nisi agnoverit quæ fida possit esse, quæve suspecta,rerum incorrupta veritas ex ratiocinatione non potest inveniri. Cum igitur veteres sæpe multis lapsi erroribus, falsa quædam et sibi contraria in disputatione colligerent, atque id fieri impossibile videretur,ut de eadem re contraria conclusione facta,utraque essent vera quæ sibi dissentiens ratiocinatio conclusisset, cuive ratiocinationi credi oporteret,esset ambiguum,visum est prius disputationis ipsius veramque integram considerare naturam,qua cognita tum illud quoque quod per disputationem inveniretur,an verum comprehensum esset,posset intelligi. Hinc profecta est igitur logicæ peritia disciplinæ quæ disputandi modos atque ipsas ratiocinationes et internoscendi vias parat,ut quæ ratiocinatio nunc quidem falsa,nunc autem vera sit,quæ vero semper falsa, quæ nunquam falsa, possit agnosci. Hujus autem vix duplex esse perpenditur,una quidem in inveniendo, altera in judicando, quod Marcus etiam Tullius in eo libro cui Topica titulus est, evidenter expressit, dicens: Cum omnis ratio diligens disserendi duas habeat partes,unam inveniendi,alteram judicandi,utriusque princeps (ut mihi quidem videtur) Aristoteles fuit. Stoici autem in altera elaboraverunt,judicandi enim viam diligenter persecuti sunt,eam scientiam quam dialecticen appellant: inveniendi vero artem quæ topice dicitur,quoque ad usum potior erat,et ordine naturæ certe prior totam reliquerunt. Nos autem quoniam in utraque summa utilitas est,et utramque si erit otium persequi cogitamus, ab ea quæ prior est, ordiemur. Cum igitur tantus hujus considerationis fructus sit, danda est huic tam solertissimæ disciplina tota mentis intentio,ut primis firmatis in disputandi veritate vestigiis, facile ad rerum ipsarum certam comprehensionem venire possimus. Et quoniam qui sit ortus logicæ disciplinæ prædiximus,esse reliquum videtur adjungere, an omnino quædam sit pars philosophiæ, an (ut quibusdam placet) supellex atque instrumentum, per quod philosophia cognitionem rerum naturamque deprehendat.Cujus quidem rei has e contrario video esse sententias.Hi enim qui partem philosophiæ putant logicam considerationem his fere argumentis utuntur,dicentes philosophiam indubitanter duas habere partes,speculativam atque activam.De hac tertia rationali, id est logica, quæritur an sit in parte ponenda,sed eam quoque partem esse philosophiæ non potest dubitari. Nam sicut de naturalibus cæterisque sub speculativa positis solius philosophiæ vestigatio est,itemque de moralibus ac de reliquis quæ sub activam partem cadunt sola philosophia perpendit, ita quoque de hac parte tractat, id est de his quæ logicæ subjecta sunt sola philosophia judicat. Quod si speculativa atque activa idcirco philosophiæ partes sunt, quia de his philosophia sola pertractat, propter eamdem causam erit logica philosophiæ pars, quoniam philosophiæ soli hæc disputandi materia subjecta est. Ita vero inquiunt: Cum in his tribus philosophia versetur: cumque activam et speculativam considerationem subjecta discernant,quod illa de rerum naturis,hæc de moribus quærit, dubium non est quin logica disciplina a naturali atque morali suæ materiæ proprietate distincta sit.Etenim logicæ tractatus est de propositionibus atque syllogismis et cæteris hujusmodi, quod neque ea quæ non de oratione, sed de rebus speculatur, neque activa pars,quæ de moribus invigilat,æque præstare potest. Quod si in his tribus,id est speculativa,activa atque rationali philosophia consistit,quæ proprio triplicique a se fine disjuncta sunt,cumque speculativa et activa philosophia partes esse videntur,non dubium est quin rationalis quoque philosophia pars esse convincatur.Qui vero non partem,sed philosophiæ instrumentum putant,hæc fere afferunt argumenta. Non esse inquiunt similem logicæ finem speculativæ atque activæ partis extremo: utraque enim illarum ad suum proprium terminum spectat,ita ut speculativa quidem rerum cognitionem,activa vero mores atque instituta perficiat,neque altera refertur ad alteram; logicæ vero finis esse non potest absolutus, sed quodammodo cum reliquis duabus partibus colligatus atque constrictus est. Quid enim est in logica disciplina quod suo merito debeat optari,nisi quod propter investigationem rerum hujus effectio artis inventa est?Scire enim quemadmodum argumentatio concludatur,vel quæ vera sit, quæ virisimilis,ad hoc scilicet tendit,ut vel ad cognitionem rerum referatur hæc rationum scientia,vel ad invenienda ea quæ in exercitium mortalitatis adducta beatitudinem pariunt. Atque ideo quoniam speculativæ atque activæ suus certusque finis est: logicæ autem ad duas reliquas partes refertur extremum,manifestum est non eam esse philosophiæ partem,sed potius instrumentum.Sunt vero plura quæ ex alterutra parte dicantur, quorum nos ea quæ dicta sunt strictim notasse sufficiat.Hanc litem vero tali ratione discernimus. Nihil quippe dicimus impendire ut eadem logica partis vice simul instrumentique fungatur officio.Quoniam enim ipsa suum retinet finem,isque finis a sola philosophia consideratur,pars quidem philosophiæ esse ponenda est; quoniam vero finis ille logicæ quem sola speculatur philosophia,ad alias ejus partes suam operam pollicetur,instrumentum esse philosophiæ non negamus: est autem finis logicæ inventio judiciumque rationum; quod quidem non esse mirum videbitur, quod eadem pars quoddam ponitur instrumentum, si ad partes corporis animum reducamus, quibus et fit aliquid ut his quasi quibusdam instrumentis utamur, et in toto tamen corpore partium obtinent locum. Manus enim ad tractandum, oculi ad videndum, cæteræque corporis partes proprium quoddam videntur officium habere. Quod tamen si ad totius utilitatem corporis referatur, in-

strumenta quædam corporis esse deprehenduntur quæ etiam partes esse nullus abnuerit. Ita quoque logica disciplina pars quædam philosophiæ est, quoniam ejus philosophia sola magistra est. Supellex vero est, quod per eam inquisita veritas philosophiæ vestigatur. Sed quoniam, quantum mihi quidem brevitas succincta largita est, ortum logicæ et quid ipsa logica esset explicavi, nunc de eo nobis libro pauca dicenda sunt quem in præsens sumpsimus exponendum. Titulo enim proponit Porphyrius introductionem se in Aristotelis prædicamenta conscribere. Quid vero valeat hæc introductio, vel ad quid lectoris animum paret breviter explicabo. Aristoteles enim qui de decem prædicamentis inscribitur librum hac intentione composuit, ut infinitas rerum diversitates quæ sub scientiam cadere non possent, paucitate generum comprehenderet, atque ita id quod per incomprehensibilem multitudinem sub disciplinam venire non poterat, per genera (ut dictum est) paucitatem, animo fieret scientiæque subjectum. Decem igitur genera rerum esse omnium consideravit Aristoteles, id est unam substantiam et accidentia novem, quæ sunt qualitas, quantitas, relatio, ubi, quando, situs, habere, facere, et pati : quæ quoniam genera essent suprema, et quibus nullum aliud superponi genus posset, omnem necesse est multitudinem rerum per horum decem generum specie inveniri. Qui quidem genera omnibus a se differentiis distributa sunt. Nec quidquam videntur habere commune nisi tantum nomen, quoniam omnia esse prædicantur. Quippe substantia est, qualitas est, quantitas est, et de aliis omnibus. Est verbum cummuniter prædicatur, sed non est eorum communis una substantia vel natura, sed tantum nomen : itaque decem genera ab Aristotele reperta omnibus a se differentiis distributa sunt. Sed quæ aliquibus differentiis disjunguntur, necesse est ut habeant proprium quiddam, quod ea in singularem solitariamque vindicet formam. Non est autem idem proprium quod accidens. Accidentia enim et venire et abesse possunt, propria vero ita sunt insita, ut absque his quorum propria sunt esse non possint. Quæ cum ita sint, cumque Aristoteles decem rerum genera reperisset, quæ vel intelligendo mens caperet, vel loquendo disputator efferret (quidquid enim intellectu capimus, id ad alterum sermone vulgamus), evenit ut ad horum decem prædicamentorum intelligentiam quinque harum rerum tractatus incurreret, scilicet generis, speciei, differentiæ, proprii et accidentis. Generis quidem, quoniam oportet ante prædiscere quid sit genus, ut decem illa quæ Aristoteles cæteris anteposuit rebus genera esse possimus agnoscere. Speciei vero cognitio plurimum valet, ut quæ cujusque generis sit species possit agnosci. Si enim quid sit species ignoramus, nihil impedit errore turbari ; fieri enim potest ut per speciei inscientiam sæpe quantitatis species in relatione ponamus, et cujuslibet primi generis species alteri cujuslibet generi subdamus, atque ita fiat permista rerum atque indiscreta confusio : quod ne accidat, quæ sit natura speciei ante noscendum est. Nec vero in hoc tantum prodest speciei cognoscenda natura, ne priorum generum species invicem permutemus, verum etiam ut in eodem quolibet genere proximas species cuilibet generi noverimus eligere, ut ne substantiæ mox animal dicamus esse speciem potius quam corpus, aut corporis hominem potius quam animatum corpus. At vero differentiarum scientia in his maximum retinet locum. Qui enim omnino qualitatem a substantia vel cætera a se genera distare cognoscimus, nisi eorum differentias noverimus? Quomodo autem discernere eorum differentias possumus, si quid ipsa sit differentia nesciamus ? Ne hunc solum nobis inscientia differentiæ infundit errorem, verum etiam specierum quoque tollit omne judicium. Nam omnes species informant differentiæ. Ignorata differentia species quoque necesse est ignorari. Quomodo ergo fieri potest ut quamlibet differentiam possimus agnoscere, si omnino quæ sit nominis hujus significatio nesciamus ? Jam vero proprii tantus usus est, ut Aristoteles quoque singulorum prædicamentorum propria perquisierit, quæ propria esse quis deprehenderit antequam quid omnino sit proprium discat. Nec in his tantum proprii hæc cognitio valet quæ singulis nominibus efferuntur, ut hominis risibile, verum etiam in his quæ in locum diffinitionis adhibentur. Omnia enim propria rem subjectam quodam termino descriptionis includunt, quod suo loco quoque opportunius commemorabo. Accidentis quoque cognitio quantum afferat, quis dubitare queat, cum videat inter decem prædicamenta novem tenere accidentis naturas ? Quæ quomodo accidentis esse putabimus, si omnino quid sit accidens ignoremus ? cum præsertim nec differentiarum, nec proprii scientia cognita sit, nisi accidentis naturam firmissima consideratione teneamus ; fieri enim potest ut differentiæ loco vel proprii per inscientiam accidens apponatur, quod esse vitiosum etiam diffinitiones probant quæ cum ipsæ ex differentiis constent, et fiant uniuscujusque diffinitiones propriæ, accidens tamen non videntur admittere. Cum igitur Aristoteles decem rerum genera collegisset, quæ nimirum diversas sub se species continerent, quæ species nunquam diversæ forent nisi differentiis segregarentur ; cumque omnia in substantiam atque accidens, accidens vero in alia prædicamenta solvisset ; cumque aliquorum prædicamentorum sit propria persecutus, de his ipsis quidem prædicamentis docuit : quid vero esset genus, quid species, quid differentia, quid illud accidens, de quo nunc dicendum est, vel quid proprium, velut nota præteriit. Ne igitur ad prædicamenta Aristotelis venientes, quid significaret unumquodque eorum quæ superius dicta sunt ignorarent, hunc librum Porphyrius de earum quinque rerum cognitione prescripsit, quo perspecto, et considerato quid unumquodque eorum quæ supraposuit designaret, facilior intellectus ea quæ ab Aristotele præponerentur addisceret. Hæc quidem intentio est hujus libri quem Porphyrius ad introductionem prædicamento-

rum se conscripsisse ipsa (ut dictum est) tituli inscriptione signavit. Sed licet ad hoc unum hujus libri referatur intentio, non tamen simplex est ejus utilitas, sed multiplex, et in maxima quæque diffusa, quam idem Porphyrius in principio hujus libri commemorat dicens :

Cum sit necessarium, Chrysaori, et ad eam quæ est apud Aristotelem prædicamentorum doctrinam nosse quid sit genus, quid differentia, quid species, quid proprium, et quid accidens, et ad diffinitionum assignationem, et omnino ad ea quæ in divisione et in demonstratione sunt, utili istarum rerum speculatione compendiosam tibi traditionem faciens, tentabo breviter, velut introductionis modo, ea quæ ab antiquis dicta sunt, aggredi, ab altioribus quidem quæstionibus abstinens, simpliciores vero mediocriter conjectans.

Utilitas hujus libri quadrifariam spargitur namque et ad illud ad quod ejus dirigitur intentio magno usui legentibus est, et ad cætera quæ cum extra intentionem sint, non tamen minor ex his legentibus utilitas comparatur. Est enim per hoc opusculum et prædicamentorum facilis cognitio, et diffinitionem integra assignatio, et divisionum recta perspectio, et demonstrationum veracissima conclusio. Quæ res quanto difficiles atque arduæ sunt, tanto perspicaciorem studiosioremque animum lectoris exspectant. Dicendum vero est quod in omnibus libris evenit. Nam primum si quæ sit intentio cognoscatur, quanta quoque utilitas inde provenire possit perpenditur, et licet extra multa (ut fit) hujusmodi librum sequantur, tamen illam proxime utilitatem videtur habere, ad quod ejus refertur intentio, ipso libro quem sumpsimus exponente ; cum ejus intentio sit ad prædicamenta intellectum facilem comparandi, non dubium est quin hæc ejus principalis probetur utilitas, licet non minores sint comites diffinitio, divisio ac demonstratio. Quorum nobis quædam hic principia suggeruntur, sensus vero hujusmodi est : Cum sit, inquit, utilis generis, speciei, differentiæ, proprii, accidentisque cognitio ad prædicamenta Aristotelis ejusque doctrinam, ad diffinitionum etiam assignationem, ad divisionem et ad demonstrationem, quia sit harum rerum utilis uberrimaque cognitio, compendiosam, inquit, traditionem faciens, ea quæ ab antiquis large ac diffuse dicta sunt tentabo breviter aperire. Neque enim esset compendiosa, nisi totum opus brevitate constingeret. Et quoniam introductionem scribebat. Altiores, inquit, quæstiones sponte refugiam, simpliciores vero mediocriter conjectabo, id est simpliciorum quæstionum obscuritatem habita in eis quadam conjecturæ ratiocinatione tractabo. Tota quidem sententia hujuscemodi proœmii talis est, quæ et utilitate uberrima et facilitate incipientis animo blandiatur. Sed dicendum est quidnam celet amplius altitudo sermonum. Necessarium in Latino sermone, sicut in Græco ἀναγκαῖον, plura significat. Diversa enim significatione Marcus Tullius dicit necessarium suum esse aliquem atque nostrum. Item necessarium dicimus, ut cum necessarium esse nobis dicimus ad forum descendere, qua in voce quædam utilitas significatur. Alia quoque significatio est qua dicimus solem necessarium esse moveri, id est necesse esse, et illa quidem prima significatio prætermittenda est, omnino enim ab eo necessaria quod hic Porphyrius ponit aliena est. Hæ vero duæ hujusmodi sunt, ut inter se certare videantur quæ hujus loci obtineat significationem, in quo dicit Porphyrius : Cum sit necessarium, Chrysaori, namque (ut dictum est) necessarium et utilitatem significat et necessitatem. Videntur autem huic loco utraque congruere. Nam et summe utile est ad ea quæ superius dicta sunt de genere et specie et cæteris disputare, et summa est necessitas, quia nisi sint hæc ante præcognita, illa ad quæ ista præparantur, non possunt cognosci quæ dicuntur prædicamenta. Nam neque præter cognitionem generis et speciei prædicamenta discuntur. Nec diffinitio genus relinquit et differentiam, et in cæteris quam sit utilis iste tractatus cum de divisione et demonstratione disputabitur apparebit. Sed quanquam necesse erit hæc quinque de quibus hic disputandum est prius ad cognitionem venire quam ea quibus illa præparantur, non tamen ea significatione hic a Porphyrio positum est, qua necessitatem significare vellet, ac non potius utilitatem ipsa enim oratis contextusque sermonum id clariseima intelligentiæ ratione significat Nec enim quisquam ita utitur ratione, ut aliquam necessitatem referri dicat ad aliud. Necessitas enim per se quidem est ; utilitas vero semper ad id quod utile est refertur, ut hic quoque. Ait enim : Cum sit necessarium, Chrysaori, et ad ad eam quæ apud Aristotelem prædicamentorum doctrinam. Si hic igitur neceasarium intelligamus utile, et ie nomine ipso vertamus dicentes : Cum sit utile, Chryspori, et ad eam quæ est apud Aristotelam prædicamentorum doctrinam, nose quid sit genus et cætera, rectæ intelligentiæ sermonum ordo convenit ; sid vero id ad necesse permutetur, ut dicamus. Cum sit necessarium, Chrysaori et ad eam quæ est apud Aristotelem prædicamentorum doctrinam nosse quid genus sit, et cætera, rectæ intelligeutiæ sermonum ordo convenit. Quocirca hic diutius immorandum non est. Quanquam enim sit summa necessitas bis ignoratis non posse ad ea ad quæ hic tractatus intendit perveniri, non tamen hic de necessitate dictum est, necessarium, sed potius de utilitate. Nunc vero licet idem superius dictum sit, tamen breviter quid ad prædicamenta generis, speciei, differentiæ, proprii atque accidentis prosit cognitio disputemus. Aristoteles enim in prædicamentis decem genera constituit rerum quæ de cunctis aliis prædicarentur, ut quidquid ad significationem venire posset, id si integram significationem teneret, cuilibet eorum subjiceretur generi de quibus Aristoteles tractat in eo libro qui de decem prædicamentis inscribitur. Hoc ipsum referri ad aliquid velut ad genus tale est quale si quis speciem supponat honeri. Hoc vero neque præter cognitionem speciei ullo modo fieri potest, nec vero ipsæ species

quid sint, vel cujus magis sint possumus agnoscere, A disi eorum differentiæ cognoscantur. Sed differentiarum natura incognita, quæ uniuscujusque speciei sint differentiæ, modis omnibus ignorabitur. Quare sciendum est quoniam si de generibus Aristoteles tractat in prædicamentis, et generum natura cognoscenda est, cujus cognitionem speciei quoque comitatur agnitio. Sed hoc cognito, quid si differentia non potest ignorari, quanquam in eodem libro plura sunt ad quæ nisi maximam peritiam et generis, et speciei, et differentiæ lector attulerit, nullus omnino intellectus pateat, ut cum ipse Aristoteles dicat: Diversorum generum et non subalternatim positorum diversæ secundum se species et differentiæ sunt, quod his ignoratis intelligi impossibile est; sed idem Aristoteles proprium uniuscujusque prædicamenti B diligentissima inquisitione vestigat, ut cum substantia proprium post multa dicit esse quod idem numero contrariorum susceptibile sit, vel rursus quantitatis quod in ea sola æquum atque inæquale dicatur, qualitatis etiam quod per eam simile aliud aliis aut dissimile proponimus; et in cæteris eodem modo, ut quæ sit contrarii proprietas, quæ secundum relationem oppositionis, quæ privationis et habitus, quæ affirmationis et negationis, in quibus ita tractat tanquam jam peritis scientibusque quæ sit proprietatis natura, quam si quis ignorat, frustra ea quæ de his disputantur aggreditur. Jam vero illud manifestum est, quod accidens maximum prædicamentorum obtineat locum, quod proprio nomine novem prædicamenta circumdat, et ad prædicamenta quidem C quanta sit hujus libri utilitas ex his manifestum est. Quod vero ait, et ad assignationem diffinitionum facile cognosci potest, si prius substantiæ rationum divisio fiat: substantiæ ratio, alia quidem in descriptione ponitur, alia vero in diffinitione; sed ea quæ est in descriptione proprietatem quamdam colligit ejus rei cujus substantiæ rationem prodit, ac non modo proprietate id quod monstrat informat, verum etiam ipsa fit proprium, quod in diffinitionem quoque venire necesse est. Si quis enim quantitatis rationem reddere velit, ut dicat licebit: Quantitas est secundum quam æquale atque inæquale dicitur. Sicut igitur proprietatem quantitatis in ratione posuit quantitatis, et ipsa tota ratio ipsius quantitatis propria est, ita descriptio et proprietatem colligit et propria fit ipsa descriptio. Definitio vero ipsa quidem propria non colligit, D sed ipsa quoque fit propria. Namqui substantiam monstrat genus differentiis jungit, et ea quæ per se sunt communia atque multorum redigens in unum, uni speciei quam diffinit reddit æqualia. Igitur ad descriptionem utilis est proprii cognitio, quoniam sola proprietas in descriptione colligitur, et ipsa fit propria sicut diffinitio quoque: ad diffinitionem vero genus quidem primum ponitur, et species ad quam genus illud aptatur, et differentiæ, quibus junctis cum genere, species diffinitur. Sed si cui hæc pressiora qurm expositionis modus expostulat videbuntur, hoc eum scire convenit, nos (ut in prima editione dictum est) hanc expositionem nostro reservasse judicio, ut ad intelligentiam simplicem hujus libri editio prima sufficiat; ad interiorem vero speculationem, confirmatis jam pene scientia, nec in singulis vocabulis rerum hærentibus, hæc posterior editio collocatur. Ad divisionem vero faciendam tam hic liber est utilis, ut præter earum scientiam rerum, de quibus in hac libri serie disputatur, casu fiat potius quam ratione partitio. Hoc autem manifestum erit si divisionem ipsam dividamus, id est si nomen ipsum divisionis in ea quæ significat partiamur. Est namque divisio generis in species, ut cum dicimus, Coloris aliud est album, aliud nigrum, aliud vero medium. Rursus divisio est quoties vox plura significans aperitur, et quam multa sint quæ ab ea voce signantur ostenditur, ut si quis dicat: Nomen canis plura significat, et hunc latrabilem quadrupedemque, et cœleste sidus, et marinam bestiam, quæ omnia a se diffinitione disjuncta sunt. Dividi autem dicitur et quoties totum in partes proprias separatur, ut cum dicimus: Domus aliud sunt fundamenta, aliud parietes, aliud tectum. Et hæc quidem triplex divisio secundum se partitio nuncupatur. Est autem alia quæ secundum accidens dicitur. Ea quoque fit tripliciter, aut cum accidens in subjecta dividimus, ut cum dico. Bonorum alia sunt in anima, alia in corpore alia extrinsecus, aut cum subjectum in accidentia distinguimus, ut: corporum alia sunt alba, alia nigra, alia medii coloris · aut cum accidens in accidentia separamus, ut cum dicimus: Liquentia alia alba, alia nigra, alia medii coloris. Et rursus alborum alia sunt dura, alia liquentia, quædam mollia. Cum igitur ita omnis fiat divisio aut secundum se, aut per accidens, et utraque partitio tripliciter, cumque in superiore secundum se triplici partitione sit una divisionis forma genus in species separare, id neque præter generis scientiam veri ullo modo potest, neque vero præter scientiam differentiarum quas necesse est in specierum divisione sumt. Manifestum est igitur quanta utilitas hujus libri ad hanc divisionem sit, quæ primo aditu genus ac species et differentias tractat. Secunda vero ea divisio, quæ est secundum vocis significantias, nec ipsa quidem ab hujus libri utilitate discreta est. Uno enim modo cognosci poterit, utrum vox cujus divisionem facere quærimus æquivoca esse videatur, an genus, si ea quæ significat diffiniantur; et si ea quæ sub commissione sunt una diffinitione claudantur, species esse necesse est, et illud commune genus earum. Quod si illa quæ proposita vox designat non possunt una diffinitione concludi, nemo dubitat quin illa vox sit æquivoca, nec communis his de quibus prædicatur, ut genus, quandoquidem ea quæ sub se posita significat, secundum commune nomen non possunt una diffinitione comprehendi. Si igitur ex diffinitione manifestum est quid genus sit, quidque nomen æquivocum, diffinitio vero per genera differentiasque discurrit, quisquamne dubitare potest et in hac divisionis forma plurimum hujus libri auctoritatem valere? Illa vero secundum

se divisio quæ est totius in partes quemadmodum discernitur, ac non potius generis in species divisio esse putabitur, nisi sint genus, et species, et differentiæ earum, quavis ante ratione disciplinæ tractata? Cur enim non quisquam dicat domus species potius esse quam partes fundamenta, parietes et tectum? Sed cum occurrerit generis nomen in unaquaque specie totum posse congruere, totius vero in unaquaque parte sua nomen convenire non posse, manifestum fiet aliam divisionem esse generis in species, aliam totius in partes. Convenire autem nomen generis singulis speciebus ostenditur per id quod et homo et equus singula animalia nuncupantur. Neque tectum vero, neque parietes aut fundamenta sigillatim domus nomine appellari solent. Sed cum fuerint junctæ partes, tunc recte totius nomen excipiunt. De ea vero divisione quæ secundum accidens fit, nullus ignorat, quin incognito accidenti, incognitaque vi generis ac differentiarum, facile evenire possit ut accidens ita in subjecta solvatur quasi genus in species, et postremo omnem hunc ordinem partitionis fœdissime permiscebit inscientia. Et quoniam quid ad divisionem hic liber prosit ostendimus, nunc de demonstratione dicemus, ne per ardua atque difficilia hæreat, qui in tanta hac disciplina vigilantissimo ingenio et solertissimo labore sudaverit: fit enim demonstratio, id est alicujus quæsitæ rei certa rationis collectio, ex ante cognitis naturaliter, ex convenientibus, ex primis, ex causa, ex necessariis, ex per se inhærentibus. Sed genera speciebus, species propriis priora sunt naturaliter. Ex generibus enim species fluunt. Item species sub se positis individuis priores naturaliter esse manifestum est. Quæ vero priora sunt, ea et prænoscuntur et notiora sunt subsequentibus naturaliter. Duobus enim modis primum aliquid et notum dicitur, secundum nos scilicet, et secundum naturam. Nobis enim illa magis cognita sunt, quæ sunt proxima, ut individua, dehinc species, postremo genera: at vero natura converso modo ea sunt magis cognita, quæ nobis minime proxima sunt. Atque ideo quatumlibet se longius a nobis genera protulerunt, tanto magis erunt incida et naturaliter nota. Differentiæ vero substantiales illæ sunt quas per se his rebus inesse quæ demonstrantur agnoscimus. Præcedere autem debet generum ac differentiarum cognitio, ut in unaquaque disciplina quæ sint ejus rei quæ demonstratur convenientia principia possit intelligi. Necessaria vero esse ea ipsa, quæ genera et differentias dicimus, nullus dubitat qui speciem sine genere et differentia intelligit esse non posse. Genera vero et differentiæ sunt causæ specierum. Idcirco enim species sunt quia genera earum et differentiæ sunt quæ in syllogismis posita demonstrantibus non rei solum, verum etiam conclusionis causæ sunt, quod postremi resolutorii locupletius dicent. Cum igitur perutile sit, et diffinitione quodlibet illud circumscribere, et divisione dissolvere, et demonstrantibus comprobare, hæc autem præter earum rerum scientiam de quibus A in hoc libro disputabitur, neque intelligi, neque exerceri valeant, quis unquam poterit dubitare quin hic liber maximum totius logicæ adjumentum sit, præter quem cætera quæ in ea magnam vim tenent nullum doctrinæ aditum præbent? Sed meminit Porphyrius introductionem sese conscribere, neque ultra quam institutionis modus est formam tractatus egredi. Ait enim se altiorum quæstionum modis abstinere, simpliciores vero mediocri conjectura perstringere. Quæ vero sint altiores quæstiones quas se differre promittit ita proponit:

Mox de generibus et speciebus illud quidem, sive subsistant, sive in solis nudis intellectibus posita sint, sive subsistentia corporalia sint an incorporalia, et utrum separata a sensibilibus an in sensibilibus posita: et circa B *hæc consistentia dicere recusabo. Altissimum enim negotium est hujusmodi, et majoris egens inquisitionis.*

Altiores, inquit, quæstiones prætereo ne eis intempestive lectoris animo ingestis initia ejus primitiasque perturbem. Sed ne omnino faceret negligentem, ut nihil præterquam quod ipse dixisset lector amplius putaret occultum idipsum cujus exsecutionem sese differre promisit, addidit, ne de his minime obscure penitusque tractando lectori quidquam obscuritatis effunderet, et tamen scientia roboratus quid quæri jure possit agnosceret. Sunt autem quæstiones quas sese reticere promittit et perutiles, et secretæ, et tentatæ quidem a doctis viris, nec a pluribus dissolutæ, quarum prima est hujusmodi: Omne quod intelligit animus, aut id quod est in re- rum natura constitutum, intellectu concipit, et sibi- C met ratione describit, aut id quod non est vacua sibi imaginatione depingit. Ergo intellectus generis et cæterorum cujusmodi sit quæritur, utrumne ita intelligamus spectes et genera, ut ea quæ sunt et ex quibus verum capimus intellectum, an nosmetipsos eludimus cum ea quæ non sunt nobis cassa imaginatione formamus. Quod si esse quidem constiterit, et ab his quæ sunt intellectum concipi dixerimus, tunc alia major ac difficilior quæstio dubitationem parat, cum discernendi atque intelligendi generis ipsius naturam summa difficultas ostenditur. Nam quoniam omne quod est, aut corporeum aut incorporeum esse necesse est, genus et species in aliquo horum esse oportebit. Quale erit igitur id quod genus dicitur; utrumne corporeum an incorporeum? D neque enim quid sit diligenter intenditur, nisi in quo horum poni debeat agnoscatur. Sed neque cum hæc soluta fuerit quæstio, omne excluditur ambiguum: subest enim aliquid, quod si incorporalia esse genus ac species dicantur, obsideat intelligentiam atque detineat, exsolvi postulans utrum circa corpora ipsa subsistant, an etiam præter corpora subsistentia incorporales esse videantur. Duæ quippe incorporeorum formæ sunt, ut alia præter corpora esse possint, et separata a corporibus in sua corporalitate perdurent, ut Deus, mens, anima. Alia vero cum sint incorporea, tamen præter corpora esse non possunt, ut linea, superficies, numerus et singulæ qua-

litates,quas tametsi incorporeas esse pronuntiamus, quod tribus spatiis minime distendantur,ita tamen in corporibus sunt,ut ab his divelli nequeant aut separari,aut si a corporibus separata sint, nullo modo permaneant.Quas licet quæstiones arduum sit ipso interim Porphyrio renuente, dissolvere, tamen aggrediar ita ut nec anxium lectoris animum relinquam,nec ipse in his quæ præter muneris suscepti seriem sunt tempus operamque consumam.Primum quidem pauca sub quæstionis ambiguitate proponam post vero eumdem dubitationis nodum exsolvere atque explicare tentabo. Genera et species aut sunt et subsistunt,aut intellectu et sola cogitatione formantur,sed genera et species esse non possunt. Hoc autem ex his intelligitur.Omne enim quod commune est uno tempore pluribus, id in se unum esse non poterit.Multorum enim est quod commune est,præsertim cum una atque eadem res in multis uno tempore tota sit ; quantæcunque enim sunt species, in omnibus genus unum est, non quod de eo singulæ species quasi partes aliquas carpant, sed singulæ uno tempore totum genus habeant: quo fit ut totum genus in pluribus singulis uno tempore positum unum esse non possit; neque enim fieri potest ut cum in pluribus totum uno sit tempore,in semetipso sit unum numero. Quod si ita est, unum quiddam genus esse non poterit,quo fit ut omnino nihil sit. Omne enim quod est,idcirco est quia unum est, et de specie idem convenit dici. Quod si est quidem genus ac species,sed multiplex, neque unum numero,non erit ultimum genus,sed habebit aliud super se positum genus, quod illam multiplicitatem unius sui nominis vocabulo concludat:ut enim plura animalia quoniam habent quiddam simile,eadem tamen non sunt,et idcirco eorum genera perquirunt, ita quoque quoniam genus quod in pluribus est,atque ideo multiplex,habet sui similitudinem quod genus est,non est vero unum, quoniam in pluribus est, ejus generis quoque genus aliud quærendum est, cumque fuerit inventum eadem ratione quæ superius dicta est,rursus genus tertium vestigatur ; itaque in infinitum ratio procedat necesse est,cum nullus disciplinæ terminus occurrat. Quod si unum quoddam numero genus est,commune multorum esse non poterit : una enim res si communis est, aut partibus communis est,et non jam tota communis,sed partes ejus proprie singulorum sunt,aut in usus habentium etiam per tempora transit ut sit commune,ut puteus et fons, ut servus communis vel equus,aut uno tempore omnibus commune fit,non tamen ut eorum quibus commune est substantiam constituat,ut est theatrum, vel spectaculum aliquod quod spectantibus omnibus commune est.Genus vero secundum nullum horum modum commune esse speciebus potest:nam ita commune esse debet, ut et totum sit in singulis, et uno tempore, et eorum quorum commune est constituere valeat et conformare substantiam. Quocirca si neque unum est,quoniam commune est, neque multiplex, quoniam ejus quoque multitudinis genus aliud inquirendum est,videbitur genus omnino non esse,idemque de cæteris intelligendum est. Quod si tantum intellectibus genera et species cæteraque capiuntur,cum omnis intellectus aut ex re subjecta fiat,ut sese res habet, aut ut res sese non habet,vanus est qui de nullo subjecto capitur nam ex nullo subjecto fieri intellectus non potest.Si generis et speciei cæterorumque intellectus ex re subjecta veniat,ita ut sese res ipsa habet quæ intelligitur,jam non tantum intellectu posita sunt, sed in rerum etiam veritate consistunt.Et rursus quærendum est quæ sit eorum natura,quod superior quæstio vestigabat : quod si ex re quidem generis cæterorumque sumitur intellectus,neque ita ut sese res habet quæ intellectui subjecta est, vanum necesse est esse intellectum,qui ex re quidem sumitur,non tamen ita ut sese res habet,id est enim falsum quod aliter atque res et intelligitur. Si igitur quoniam genus et species nec sunt,nec cum intelliguntur verus est eorum intellectus, non est ambiguum quin omnis sit deponenda de his quinque propositis disputandi cura, quandoquidem neque de ea re quæ sit,neque de ea de qua verum aliquid intelligi proferrive possit inquiritur: hæc quidem est ad præsens de propositis quæstio,quam nos Alexandro consentiente hac ratiocinatione solvemus.Non enim necesse esse dicimus omnem intellectum qui ex subjecto quidem sit,non tantum ut sese ipsum subjectum habet falsum et vacuum videri.In his enim solis falsa opinio ac non potius intelligentia est,quæ per conjunctionem fiunt.Si enim quis componat atque conjungat intellectu id quod natura jungi non patiatur,illud falsum esse nullus ignorat : ut si quis equum atque hominem jungat imaginatione,atque effigiet centaurum. Quod si hoc per divisionem et abstractionem fiat, non ita quidem res sese habet, ut intellectus est. Intellectus tamen ille minime falsus est : sunt enim plura quæ in aliis suum sese habent,ex quibus aut omnino separari non possunt,aut si separata fuerint, nulla ratione subsistunt.Atque ut hoc nobis in pervagato exemplo manifestum sit,linea in corpore est aliquid, et id quod est corpori debet, hoc est esse suum per corpus retinet,quod docetur ita : si enim separata sit a corpore non subsistit ; quis enim unquam sensu ullo separatam a corpore lineam cepit? Sed animus cum confusas res permistasque corporibus in se a sensibus cepit,eas propria vi et cogitatione distinguit. Omnes enim hujusmodi res incorporeæ in corpore suum esse habentes sensus cum ipsis nobis corporibus tradit : at vero animus,cui potestas est et disjuncta componere et composita dissolvere, quæ a sensibus confusa et corporibus conjuncta traduntur,ita distinguit ut in incorpoream naturam per se ac sine corporibus in quibus est concreta,et speculetur et videat.Diversæ enim proprietates sunt incorporeum corporibus permistorum, etiamsi separentur a corpore.Genera ergo et species cæteraque vel in corporeis rebus,vel in his quæ sunt corporea, reperiuntur : et si ea in rebus incorporeis invenit

animus, habet illico incorporeum generis intellectum. Si vero corporalium rerum genera speciesque prospexerit, aufert (ut solet) a corporibus incorporeorum naturam, et solam puramque ut in seipsa forma est contuetur. Ita hæc cum accipit animus permista corporibus, incorporalia dividens speculatur atque considerat. Nemo ergo dicat falsam nos lineam cogitare, quoniam ita eam mente capimus quasi præter corpora sit, cum præter corpora esse non possit. Non enim omnis qui ex subjectis rebus capitur intellectus aliter quam sese ipsæ res habent, falsus esse putandus est, sed (ut superius dictum est) ille quidem qui hoc in compositione facit falsus est, ut cum hominem atque equum jungens putat esse centaurum. Qui vero id in divisionibus et abstractionibus atque assumptibus ab his rebus in quibus sunt efficit, non modo falsus non est, verum etiam solus intellectus id quod in proprietate verum est invenire potest. Sunt igitur hujusmodi res in corporalibus atque in sensibilibus rebus. Intelliguntur autem præter sensibilia, ut eorum natura perspici et proprietas valeat comprehendi. Quocirca cum et genera et species cogitantur, tunc ex singulis in quibus sunt eorum similitudo colligitur, ut ex singulis hominibus inter se dissimilibus humanitatis similitudo, quæ similitudo cogitata animo veraciterque perspecta fit species, quarum specierum rursus diversarum considerata similitudo, quæ nisi in ipsis speciebus aut in earum individuis esse non potest, efficit genus, itaque hæc sunt quidem in singularibus. Cogitantur vero universalia, nihilque aliud species esse putanda est, nisi cogitatio collecta ex individuorum dissimilium numero substantiali similitudine, genus vero cogitatio collecta ex specierum similitudine. Sed hæc similitudo cum in singularibus est, fit sensibilis: cum in universalibus, fit intelligibilis; eodemque modo cum sensibilis est, in singularibus permanet, cum intelligitur, fit universalis. Subsistunt ergo circa sensibilia, intelliguntur autem præter corpora, neque enim interclusum est ut duæ res eodem in subjecto non sint ratione diversæ, ut linea curva atque cava: quæ res cum diversis diffinitionibus terminentur, diversusque earum intellectus sit, semper tamen in eodem subjecto reperiuntur; eadem enim cava linea eademque curva est. Ita quoque generibus et speciebus, id est singularitati et universalitati unum quidem subjectum est, sed alio modo universale est cum cogitatur, alio singulare cum sentitur in rebus his in quibus habet esse suum. His igitur terminatis omnis (ut arbitror) quæstio dissoluta est. Ipsa enim genera et species subsistunt quidem alio modo, intelliguntur vero alio modo, et sunt incorporalia, sed sensibilibus juncta subsistunt insensibilibus. Intelliguntur vero præter corpora, ut per semetipsa subsistentia, ac non in aliis esse suum habentia; sed Plato genera et species cæteraque non modo intelligi universalia, verum etiam esse atque propter corpora subsistere putat; Aristoteles vero intelligi quidem incorporalia atque universalia, sed subsistere in sensibilibus putat, quorum dijudicare sententias aptum esse non duxi. Altioris enim est philosophiæ, idcirco vero studiosius Aristotelis sententiam exsecuti sumus, non quod eam maxime probaremus, sed quod hic liber ad prædicamenta conscriptus est, quorum Aristoteles auctor est.

Hoc vero, quemadmodum de his ac de propositis probabiliter antiqui tractaverunt, et horum maxime Peripatetici, tibi nunc tentabo monstrare.

Prætermissis his quæstionibus, quæ altiores esse prædicit, exoptat mediocrem introductorii operis tractatum; sed ne ipsa harum quæstionum omissio vitio daretur, apposuit quemadmodum de propositis tractaturus est, ex quorumque hoc opus auctoritate subnixus aggreditur ante denuntiat. Cum mediocritatem quidem tractaturus promittit detracta obscuritatis difficultate, animum lectoris invitat ut vero acquiescat ac sileat ad id quod picturus est, Peripateticorum auctoritate confirmat. Atque ideo ait, de his, est de generibus et speciebus de quibus superiores intulerat quæstiones, ad de propositis id est de differentiis, propriis atque accidentibus, sese probabiliter disputaturum: probabiliter autem ait, id est verisimiliter, quod Græci λογικῶς vel ἐνδόξως dicunt. Sæpe enim et apud Aristotelem λογικῶς verisimiliter ac probabiliter dictum invenimus, et apud Boetium et apud Alexan. Porphyrius quoque ipse in multis hac significatione hoc verbo usus est, quod nos scilicet in translatione, quod ait λογικώτερον ita interpretari, ut rationabiliter diceremus, omisimus. Longe enim melior ac verior significatio ea visa est, ut probabiliter sese dicere promitteret, id est non præter opinionem ingredientium atque lectorum, quod introductionis est proprium. Nam cum ab imperitorum hominum mentibus doctrinæ secretum altioris abhorreat, talis esse introductio debet, ut præter opinionem ingredientium non sit. Ergo melius probabiliter quam rationabiliter, ut nobis videtur, interpretati sumus. Antiquos autem ait de eisdem disputasse rebus, sed eorum illum se maxime tractatum insequi quem Peripatetici Aristotele duce reliquerunt, ut tota disputatio ad prædicamenta conveniat.

LIBER SECUNDUS.

Quæri solet in expositionum principiis cur unumquodque cæteris in dispositionis ordine præponatur, velut nunc in genere dubitari potest cur genus speciei, differentiæ, proprio, accidentique prætulerit, de eo enim primitus tractat. Respondebimus itaque jure factum videri: omne enim quod universale est, intra semetipsum cætera concludit, ipsum vero non clauditur. Majoris itaque meriti est ac principalis naturæ, quod ita cætera coercet, ut ipsum naturæ suæ magnitudine nequeat ab aliis contineri. Genus igitur et

species intra se positas habet, et earum differentias propriaque, nihilominus etiam accidentia, atque ita de genere inchoandum fuit quod cætera naturæ suæ magnitudine coercet et continet. Præterea illa semper propria putanda sunt, quæ si auferat quis cætera perimuntur, illa posteriora quibus positis ea quæ cæterorum substantiam perficiunt consequuntur, ut in genere et cæteris. Nam si animal auferas, quod est hominis genus, homo quoque qui est species, et rationale quod differentia, et risibile quod proprium, et grammaticum quod accidens est, non manebit, et interemptum genus cuncta consumit. Si vero hominem esse constituas vel grammaticum, vel rationale, vel risibile, animal quoque esse necesse est. Sive enim est homo, animal est : sive rationale, sive risibile, sive grammaticum, ab animalis substantia non recedit. Sublato ergo genere et cætera consumuntur, positis vero cæteris sequitur genus : prior est igitur natura generis, posterior cæterorum. Jure igitur in disputatione præpositum est genus, sed quoniam generis nomen multa significat, hoc est enim quod ait :

DE GENERE.

Videtur autem neque genus neque species simpliciter dici.

Ubi enim non est simplex dictio, illic multiplex significatio est ; prius hujus nominis significationes discernit ac separat, ut de qua significatione generis tractaturus est sub oculis ponat. Sed cum neque genus, neque species neque differentia, nec proprium, nec accidens significatione simplicia sint, cur de his tantum duobus, genere, inquam, ac specie, dixit non simpliciter dici, cum proprium, differentia, atque accidens ipsa quoque sint significatione multiplicia? Dicendum est quoniam longitudinem vitans tantum speciem nominavit eamque idcirco ne solum genus esse significationis multiplicis putaretur. Enumerat autem primam generis significationem hoc modo :

Genus enim dicitur et aliquorum quodammodo se habentium ad unum aliquod et ad se invicem collectio, secundum quam significationem Romanorum dicitur genus ab unius scilicet habitudine, dico autem Romuli et multitudinis habentium aliquo modo ad se invicem eam quæ ab illo est cognationem, secundum divisionem ab aliis generibus dictum.

Una, inquit, generis significatio est, quæ in multitudinem venit a quolibet uno principium trahens, ad quod scilicet ita illa multitudo conjuncta est, ut ad se invicem per ejusdem unius principium copulata sit : ut cum Romanorum genus dicitur, multitudo Romanorum ab uno Romulo vocabulum trahens, et ipsi Romulo, et ad se invicem quasi quadam nominis hæreditate conjuncta est. Eadem enim quæ a Romulo societas descendit Romanos inter se omnes uno generis nomine devincit et colligit. Videtur autem secuisse hanc generis significationem in duas partes, cum copulativam conjunctionem admiscuit dicens : Genus dicitur aliquorum quodammodo se habentium ad unum aliquod et ad se invicem collectio, tanquam et illud genus dicatur ad unum aliquo modo se habere, et hoc rursus genus dicatur quod ad se invicem unius generis significatione conjuncti sint. Hoc vero minime est : eadem enim a quolibet uno propagata societas, et ad illum qui princeps est generis, totam multitudinem refert, et ipsam inter se multitudinem uno generis nomine connectit et continet. Quocirca non est putandus divisionem fecisse, sed omne quidquid in hac generis significatione intelligendum fuit, aperuisse. Ordo autem verborum ita sese habet qui est hyperbaton intelligendus : genus enim dicitur, et aliquorum ad unum se aliquo modo habentium collectio, et ad se invicem aliquo modo habentium, rursus collectio subaudienda est : est enim et zeugma cujus significationis adjecit exemplum, secundum quam significationem Romanorum dicitur genus, ab unius scilicet habitudine. Dico autem Romuli et multitudinis rursus habitudine habentium aliquo modo ad invicem cognationem, eam scilicet quæ ab illo est, id est Romulo, secundum divisionem ab aliis generibus dictum, scilicet multitudinis ; hæc enim multitudo aliquo modo ad unum et ad se invicem habens cognationem genus dicta est, ut ab aliis discerneretur, ut Romanorum genus ab Atheniensium genere cæterorumque separaretur, ut sit integer verborum ordo : genus enim dicitur et collectio aliquorum ad unum se quodammodo habentium, et collectio ad se invicem, secundum quam significationem Romanorum dicitur genus ab unius scilicet habitudine : dico autem Romuli et multitudinis secundum divisionem ab aliis generibus dictum scilicet hominum habentium aliquo modo ad invicem eam quæ est ab illo, id est Romulo, cognationem. Atque hæc hactenus ; nunc de secunda generis significatione dicendum est.

Dicitur autem et aliter rursus genus illud quod est uniuscujusque generationis principium, vel ab eo qui genuit, vel ab eo loco, in quo quis genitus est. Sic enim Orestem quidem dicimus a Tantalo genus habere, Hylum autem ab Hercule. Et rursus Pindarum quidem Thebanum esse genere, Platonem vero Atheniensem : etenim patria principium est uniuscujusque generationis, quemadmodum et pater : hæc autem videtur esse promptissima significatio generis Romani enim dicuntur qui ex genere descendunt Romuli, et Cecropidæ, qui ex genere descendunt Cecropis, et eorum proximi.

Quatuor omnino sunt principia, quæ unumquodque principaliter efficiunt : est enim una causa, quæ effectiva dicitur, velut pater filii ; est alia quæ materialis, velut lapides domus ; tertia est forma, velut hominis rationabilitas ; quarta quamobrem geritur, velut pugnæ victoria. Duæ vero sunt quæ per accidens uniuscujusque dicuntur esse principia, locus scilicet ac tempus. Quoniam enim omne quod nascitur et fit in loco ac tempore est, et quidquid loco vel tempore natum factumve fuerit, eum locum vel id tempus accidentaliter dicitur habere principium.

Horumomnium in hac secunda generis significatione duo quædam ex alterutris assumit quæ ad significationem generis videbantur accommodata. Ex his quidem causis quæ principalia sunt, effectivum; ex his vero quæ accidentia, locum: ait enim, Genus dicitur et a quo quis genitus est, quæ est effectiva principalium causa, et in quo quis loco est procreatus, quæ est accidens causa principii. Itaque hæc secunda significatio duo continet, eum a quo quis procreatus est, et locum in quo quis editus, ut exemplo quoque demonstrant. Orestem enim dicimus a Tantalo genus ducere. Tantalus quippe Pelopen, Pelops Atreum, Atreus Agamemnonem, Agamemnon genuit Orestem. Itaque a procreatione genus hoc dictum est. At vero Pindarum dicimus esse Thebanum, scilicet, quoniam Thebis editus tale generis nomen accepit: sed quoniam diversum est illud a quo quisque procreatus est, et locus in quo quis editus est, diversa videtur esse generis significatio procreantis et loci, quam in secunda parte enumerans unam fecit. Sed ne videretur duplex significatio generis, per similitudinem conjunxit dicens: Etenim patria principium est uniuscujusque generationis, quemadmodum et pater. Sed quoniam in significationibus evenit sæpe ut aliquid sit quod intellectui significatæ rei propinquum esse videatur, quoniamque duas generis apposuit significationes, multitudinis scilicet et procreantis, cui generis nomen convenientius aptetur judicat atque discernit, dicens, hanc esse promptissimam generis significationem, quæ a procreante deducta sit; hi enim maxime Cecropidæ sunt qui a Cecrope descendunt, hi Romani qui a Romulo: quæ cum ita sint, confundi rursus generis significationes videntur. Si enim sunt hi maxime Romani qui a Romulo originem trahunt, et hæc significatio est illa quæ a procreante deducitur, ubi est reliqua quam primam quoque enumeravit, quæ est multitudinis ad unum et ad se invicem quodammodo se habentium collectio? Sed acutius intuentibus plurimæ admodum differentiæ sunt. Aliud enim est a quolibet primo procreante genus deducere, aliud unum genus esse plurimorum. Illud enim per rectam sanguinis lineam fieri potest et non in multa diffundi, ut si per unicos familia descendat; huic enim aptatur secunda illa generis significatio, quæ a procreante deducitur, prima vero illa nonnisi in multitudine consistit. Illud quoque est quod prima procreationis principium non quærit, sed (ut ipse ait) sufficit aliquo modo se habere ad id unde hujusmodi generis principium sumitur: secunda vero significatio nullam vim nisi procreante sortitur. Item in illa prima significationis multitudine hujus secundæ particularitas continetur, ut in Romanorum genere Scipiadarum genus, natura cum sunt Romani Scipiadæ sunt. Quoniam enim et ad Romulum et cæteros Romanos secundum Romuli habitudinem juncti sunt, Romani sunt. Scipiadæ vero dicuntur ad secundam generis significationem, quod eorum familiæ Scipio et sanguinis principium fuit.

Ac prius quidem appellatum est genus uniuscujusque generationis principium, dehinc etiam et multitudo eorum qui sunt ab uno principio, ut a Romulo, quam devidentes et ab aliis separantes dicebamus omnem illam collectionem esse Romanorum genus.

Sensus facilis et expeditus est, si tamen ambiguitas una solvatur: cum enim prius multitudinis significationem retulerit ad generis nomen, post autem ad procreationis initium, nunc autem contrario modo illam prius a se dinumeratam significationem dicere videtur, quæ est procreationis, illam vero posteriorem, quæ est multitudinis, quod contrarium videri potest, si quis ad ordinem superius digestæ disputationis aspexerit. Sed hic non de se loquitur, sed de humani consuetudine sermonis, in quo prius eam significationem generis fuisse dicit, quæ a procreante sit ducta, accedente vero ætate usu loquendi nomen generis etiam ad multitudinem habentem se quodammodo ad aliquem fuisse translatum. Hoc vero idcirco dixit, quoniam superius dixerat: Hæc enim videtur esse promptissima significatio, ut ab hac, id est secunda, quam promptissimam esse significationem dixit, illa quoque nuncupata videretur, quæ multitudinis; prius enim genus inter homines appellatum est, quod quis a generante deduceret; post autem factum est ut per loquendi usum etiam multitudinis ad aliquem quodammodo se habentis genus diceretur propter divisionem, scilicet gentium, ut esset inter eas nominis societatisque discretio. His igitur expletis venit tertium genus quod inter philosophos tractatur, cujus ad dialecticam facultatem multus usus est, horum quippe generum historia magis vel poesis tractat exordium. Tertium vero genus apud philosophos consideratur, de quo hoc modo loquitur:

Aliter autem rursus dicitur genus, cui supponitur species ad horum fortasse similitudinem dictum. Etenim principium quoddam est hujusmodi genus earum quæ sub ipso sunt specierum, videturque et omnem eam multitudinem continere quæ sub ipso sunt specierum.

Duplicem significationem generis supra proposuit nunc tertiam monstrare contendit. Hanc autem ad superiorum similitudinem dictam esse arbitratur. Superius autem dictæ significationes duæ sunt, una quidem cum generis nomen quadam principii antiquitate ad se junctam multitudinem contineret; alia vero, cum genus ab unc quoque procreante duceretur, quod eorum quæ procreantur principium est. Cum igitur sint superius duæ generis significationes propositæ, tertium nunc addit de quo inter philosophos sermo est, illud scilicet cui supponitur species, quod idcirco genus vocatum esse sub opinionis creditur ambiguo, quoniam habet aliquam similitudinem superiorum; nam sicut illud genus quod ad multitudinem dicitur uno solo nomine multitudinem claudit, ita quoque genus plurimas species coercet et continet. Item ut genus illud quod secundum procreationem dicitur principium quoddam est eorum quæ ab ipso procreantur, ita genus constat suis speciebus esse principium. Ergo quoniam utrisque est simile, idcirco nomen quoque generis etiam in hoc

significatione a superioribus mutuatum esse verisimile est.

Tripliciter igitur cum genus dicatur, de tertio apud philosophos est sermo, quod etiam describentes assignaverunt, dicentes genus esse quod de pluribus et differentibus specie in eo quod quid sit prædicatur, ut animal.

Jure tertium genus philosophi ad disputationem sumunt, hoc enim solum est quod substantiam monstrat, cætera vero aut unde quid existat, aut quemadmodum a cæteris hominibus in unam quasi formam populi dividatur ostendunt: nam illud quod multitudinem continet genus, illius multitudinis quam continet substantiam non demonstrat, sed tantum uno nomine collectionem populi facit, ut ab alterius generis populo segregetur. Item illud quod secundum procreationem dictum est, non rei procreatæ substantiam monstrat, sed tantum quod ejus fuerit procreationis initium. At vero genus id cui supponitur species ad differentiam accommodatum, speciei substantiam informat: et quia inter philosophos hæc maxima quæstio est quid unumquodque sit, tunc enim unumquodque scire videmur, quando quid sit agnoscimus, idcirco rejectis cæteris de hoc genere quo maxime apud philosophos sermo est; quod etiam describentes assignaverunt ea descriptione quam subter annexuit. Diligenter vero ait describentes, non diffinientes; diffinitio enim fit ex genere, genus autem aliud genus habere non poterit, idque obscurius est quam ut primo aditu dictum pateat: fieri autem potest ut res quæ alii genus sit alii generi supponatur, sed cum supponitur non quasi genus, sed tanquam species sub alio collocatur. Unde non in eo quod genus est, supponi alicui potest, sed cum supponitur illico species fit: quæ cum ita sint, ostenditur genus ipsum in eo quod genus est genus habere non posse. Si igitur voluisset genus diffinitione concludere, nullo modo potuisset: genus enim aliud quod ei posset præponere non haberet, atque idcirco descriptionem ait esse factam, non diffinitionem: descriptio vero est (ut in priore volumine dictum est) ex proprietatibus informatio quædam rei, et tanquam coloribus quibusdam depictio. Cum enim in unum plura convenerint, ita ut omnia simul rei cui applicantur æquentur, nisi ex genere vel differentiis hæc collectio fiat, descriptio nuncupatur. Est igitur descriptio generis hæc: genus est quod de pluribus et differentibus specie in eo quod quid sit prædicatur. Tria hæc requiruntur in genere, ut de pluribus prædicetur, ut de specie differentibus, ut in eo quod quid sit: de qua re quoniam ipse posterius latius disputat nos breviter hujus rei intelligentiam significemus exemplo, hoc modo. Si enim nobis in forma generis animal, id de aliquibus sine dubio prædicatur, homine scilicet, equo, bove et cæteris, sed hæc plura sunt, animal igitur de pluribus prædicatur, homo vero, equus atque bos talia sunt ut a se discrepent, nec qualibet mediocri re, sed tota specie, id est tota forma suæ substantiæ, de quibus dicitur animal: homo enim et equus et bos animalia nuncupantur, prædicatur ergo animal de pluribus specie differentibus; sed quonam modo fit hæc prædicatio? non enim quidquid interrogaveris, mox animal respondetur; non enim si quantus sit homo interrogaveris, animal respondebitur, ut opinor; hoc enim ad quantitatem pertinet, non ad substantiam. Item si qualis sit homo interroges, ne huic quidem responsio convenit animalis; cæterisque omnibus interrogationibus hanc animalis responsionem ineptam atque inutilem semper esse reperies, nisi ei tantum apta est quæ quid sit interroget. Interrogantibus enim nobis quid si homo, quidque sit equus, quid bos, animal respondebitur: ita nomen animalis ad interrogationem quid sit de homine, equo, atque bove ac de cæteris prædicatur, unde fit ut animal prædicetur de pluribus differentibus specie in eo quod quid sit. Et quoniam generis hæc diffinitio est, animal hominis, equi, bovis genus esse necesse est: omne autem genus aliud est quod in semetipso atque in re intelligitur, aliud quod ad alterius prædicationem refertur, sua enim proprietas ipsum esse constituit. Ad alterum relatio genus facit, ut ipsum animal, si ejus substantiam quæras, dicam substantiam esse animatam atque sensibilem; hæc igitur diffinitio nem monstrat per se sicuti est, non tanquam referatur ad aliud; at vero cum dicimus animal genus esse, non (ut arbitror) tunc de re ipsa nomen hoc dicimus, sed de ea ratione qua potest animal ad cæterorum quæ sibi subjecta sunt, prædicationem referri. Itaque character quidam ac forma generis est in eo quod referri prædicatione ad eas res potest, quæ cum sint plures et specie differentes, in earum tantum substantia prædicatur. Hujus autem diffinitionis rationem per exempla subjecit dicens:

Eorum enim quæ prædicantur, alia quidem de uno dicuntur solo, sicut individua, ut Socrates, et hic et hoc; alia vero de plurinus, quemadmodum genera et species, et differentia, et propria, et accidentia communiter, sed non proprie alicui. Est autem genus quidem, ut animal; species vero ut homo: differentia, ut rationale; proprium, ut risibile; accidens, ut album, nigrum, sedere.

Omnium quæ prædicantur quolibet modo facit Porphyrius divisionem; idcirco ut a reliquis omnibus prædicationem generis sejungat ac separet, id facit hoc modo. Omnium, inquit, quæ prædicantur, alia de singularitate dicuntur, alia de pluralitate: de singularitate vero, inquit, prædicantur quæcunque unum quodlibet habent subjectum, de quo dici possint, ut ea quibus singula subjecta sunt individua, ut Socrates et Plato, ut hoc album quod in hac nive proposita est, ut hoc scamnum in quo nunc sedemus, non omne scamnum (hoc est enim universale), sed hoc quod nunc suppositum est; nec album quod in nive est (universale enim est album et nix), sed hoc album quod in hac nive nunc esse conspicitur: hoc enim non potest de quolibet alio albo prædicari quod in hac nive est, quia ad singularitatem dedu-

ctum est,atque ad individuam formam constrictum est individui participatione. Alia vero sunt quæ de pluribus prædicantur,ut genera,et species,et differentiæ,et propria,et accidentia communiter,sed non proprie alicui.Genera quidem de pluribus prædicantur speciebus suis, species vero de pluribus prædicantur individuis : homo enim, quod est animalis, species plures sub se homines habet de quibus appellari possit.Item equus,qui subest animali loco speciei,plurimos habet individuos equos de quibus prædicantur : differentia vero ipsa quoque de pluribus speciebus dici potest,ut rationale de homine ac de Deo corporibusque cœlestibus,quæ (sicut Platoni placet) animata sunt et ratione vigentia ; proprium item etsi de una specie prædicatur,de multis tamen individuis dicitur,quæ sub convenienti specie collocantur, ut risibile, de Platone, Socrate et cæteris individuis dicitur quæ homini supponuntur.Accidens etiam de multis dicitur; album enim et nigrum de multis omnino dici potest,quæ a se genere specieque sejuncta sunt.Sedere etiam de multis dicitur, homo enim sedit, simia sedet, aves quoque, quarum species longe diversæ sunt: accidens autem quoniam communiter accidens esse potest et proprie alicui, idcirco determinavit dicens et accidentia communiter, sed non proprie ; quæ proprie enim alicui accidunt individua fiunt,et de uno tantum valentia prædicari ; et ea quæ communiter accipiuntur,de pluribus dici queunt: ut enim de nive dictum est, illud album quod in hac subjecta nive est non est communiter accidens, sed proprie huic nivi quæ oculis ostensionique subjecta est ; ita quoque ex eo quod communiter prædicari poterat(de multis enim album dici potest, ut albus homo, albus equus, alba nix), factum est ut de una tantum nive prædicari illud album possit,cujus participatione ipsum quoque factum est singulare.Omnino autem omnia genera,vel species,vel differentias, vel propria, vel accidentia, si per semetipsa speculemur in eo quod genera,vel species, vel differentiæ, vel propria, vel accidentia sunt, manifestum est quoniam de pluribus prædicantur ; at si ea in his speculemur in quibus sunt, ut secundum subjecta eorum formam et substantiam metiamur, evenit ut ex pluralitate prædicationis ad singularitatem videantur adduci: animal enim quod genus est,de pluribus prædicatur; sed cum hoc animal in Socrate consideramus, ex pluralitate prædicationis adducitur ad singularitatem.Socrates enim animal est,ipsum animal fit individuum, quoniam Socrates est individuus ac singularis.Item homo de pluribus quidem hominibus prædicatur.sed si illam humanitatem quæ in Socrate est individuo consideremus,fit individua,quoniam Socrates ipse individuus est atque singularis.Item differentia ut rationale de pluribus dici potest,sed in Socrate individua est.Risibile etiam cum de pluribus hominibus prædicetur fit unicum ; communiter quoque accidens, ut album,cum de pluribus dici possit, in uno quoque singulari corpore perspectum individuum est.

A Fieri autem potuit commodior divisio hoc modo : Eorum quæ dicuntur,alia quidem ad singularitatem prædicantur,alia ad pluralitatem ; eorum quæ de pluribus prædicantur,alia secundum substantiam prædicantur, alia secundum accidens ; eorum quæ secundum substantiam prædicantur,alia in eo quod quid sit dicuntur,alia in eo quod quale sit ; in eo quod quid sit quidem genus et species,in eo quod quale sit differentia.Item eorum quæ in eo quod quid sit prædicantur,alia de speciebus prædicantur pluribus, alia minime ; de speciebus quidem pluribus prædicantur,ut genera,de nullis vero species. Eorum autem quæ secundum accidens prædicantur, alia quidem sunt quæ de pluribus prædicantur, ut accidentia alia quæ de uno tantum,ut propria. Posset autem fieri etiam hujusmodi divisio : eorum quæ B prædicantur, alia de singulis prædicantur, alia de pluribus, eorum quæ de pluribus, alia in eo quod quid sit,alia in eo quod quale sit prædicantur. Eorum quæ in eo quod quid sit,alia de differentibus speciebus dicuntur,ut genera, alia minime, ut species ; eorum autem quæ in eo quod quale sit de pluribus prædicantur,alia quidem de differentibus specie prædicantur,ut differentiæ et accidentia communiter,alia de una tantum specie,ut propria : eorum vero quæ de pluribus differentibus specie in eo quod quale sit prædicantur,alia quidem in substantia prædicantur,ut differentiæ,alia in communiter evenientibus,ut accidentia.Et per hanc divisionem quinque harum rerum diffinitiones colligi possunt hoc modo: Genus est quod de pluribus specie differentibus in eo C quod quid sit prædicatur. Species est quod de pluribus minime specie differentibus in eo quod quid sit prædicatur. Differentia est quod de pluribus specie differentibus in eo quod quale sit in substantia prædicatur.Proprium est quod de una tantum specie in eo quod quale sit non in substantia prædicatur.Accidens est quod de pluribus specie differentibus in eo quod quale sit non in substantia prædicatur.Et nos quidem has divisiones fecimus,ut omnia a semetipsis separaremus.Porphyrio vero alia intentio fuit. Non enim omnia tunc a semetipsis disjungere festinabat, sed tantum ut cætera a generis forma et proprietate separaret. At idcirco divisit omnia quæ prædicantur,aut in ea quæ de singulis prædicarentur,aut in ea quæ de pluribus ; ea vero quæ de plu- D ribus prædicantur,aut genera esse dixit,aut species aut cætera, horum quoque exempla subjiciens adjungit :

Ab his ergo quæ de uno solo prædicantur differunt genera,eo quod hæc de pluribus dicuntur. Ab his autem rursus quæ de pluribus, a speciebus quidem, quoniam species etsi de pluribus prædicentur, non tamen de differentibus specie,sed numero: homo enim cum sit species,de Socrate et de Platone prædicantur, qui non specie a se invicem differunt, sed numero. Animal vero cum sit genus,de homine, equo et bove prædicatur,qui differunt a se invicem specie, non numero solum. A proprio quoque differt genus, quoniam

proprium de una sola specie, cujus est proprium, prædicatur, et de iis quæ sub una specie sunt individuis, quemadmodum risibile de homine solo, et de particularibus hominibus : genus autem non de una solum specie prædicatur, sed de pluribus et differentibus. A differentia vero ab iis quæ communiter sunt accidentia differt genus, quoniam etsi de pluribus et differentibus specie prædicentur differentiæ, et communiter accidentia, non tamen in eo quod quid sit prædicantur, sed potius in eo quod quale est, et quomodo se habet. Interrogantibus enim aliquibus quid est illud de quo prædicantur hæc, genus respondebimus, differentias autem et communiter et accidentia non respondebimus. Non enim in eo quod quid est prædicantur de subjecto, sed magis in eo quod quale sit. Interrogantibus enim qualis est homo, dicimus rationalis, et qualis est corvus, dicimus niger. Est autem rationale differentia, nigrum vero accidens. Quando autem quid est homo interrogamur, animal respondemus : est autem genus hominis animal.

Nunc genus a cæteris omnibus quæ quolibet modo prædicantur separare contendit hoc modo. Quoniam enim genus de pluribus prædicatur, statim differt ab his quidem quæ de uno tantum prædicantur, quæque unum quodlibet habent individuum ac singulare subjectum : sed hæc differentia generis ab his quæ de uno solo prædicantur communis est ei cum cæteris, id est specie, differentia, proprio atque accidenti, idcirco quoniam ipsa quoque de pluribus prædicantur. Horum igitur singulorum differentias a genere colligit, ut solum intelligendum genus quale sit sub animi deducat aspectum dicens : Ab his autem quæ de pluribus prædicantur differt genus : a speciebus quidem primum, quoniam species etsi de pluribus prædicantur, non tamen de differentibus specie, sed numero. Species enim sub se plurimas species habere non poterit, alioqui genus non species appellaretur. Si enim genus est quod de pluribus specie differentibus in eo quod quid sit prædicatur, cum species de pluribus prædicatur, et in eo quod quid sit, huic si addatur ut de specie differentibus prædicetur, speciei forma transit in genus, id quod exemplo quoque intelligi fas est. Homo enim cum sit species, prædicatur de Socrate, Platone et cæteris quæ a se non specie disjuncta sunt, sicut homo atque equus vel bos, sed numero, quod quidem habet dubitationem quid sit hoc quod numero dicitur differre. Numero enim differre aliquid videbitur quoties numerus a numero differt, ut grex boum qui fortasse continet triginta boves differt numero ab alio boum grege, si centum continet in se boves : in eo enim quod grex est, non differt, neque in eo quod boves, nec nisi numero quidem differunt, quod illi plures, illi vero sunt pauciores. Quomodo igitur Socrates et Plato specie non differunt, sed numero, cum et Socrates unus sit, et Plato unus, et unitas numero ab unitate non differat ? sed ita intelligendum est quod dictum est, numero differentibus, id est in numerando differentibus, hoc est dum numerantur differentibus : cum enim dicimus hic Plato est, hic Socrates, duas fecimus unitates, ac si digito tangamus dicentes, hic unus est de Socrate, rursus de Platone hic unus est, non eadem unitas in Socrate numerata est quæ in Platone ; aliqui posset fieri, ut secundo tacto Socrate, Plato etiam demonstraretur, quod non fit : nisi enim tetigeris Socratem vel mente, vel digito, itemque nisi tetigeris Platonem, non facies duos, dum numerantur. Ergo differunt quæ sunt numero differentia : cum igitur species de numero differentibus non de specie prædicetur, genus de pluribus et differentibus specie dicitur, ut de bove, de equo et de cæteris quæ a se specie invicem differunt, non numero solo. Tribus enim modis unumquodque vel differre ab aliquo dicitur, vel alicui idem esse, id est genere, specie, numero. Quæcunque igitur genere eadem sunt, non necesse est esse eadem specie, ut si eadem sint genere differant specie ; si vero eadem sunt specie, genere quoque eadem esse necesse est : ut cum homo atque equus idem sunt genere (uterque enim animal nuncupatur) differunt specie, quoniam alia est hominis species, alia equi. Socrates vero atque Plato cum idem sint specie, idem quoque sunt genere, uterque enim sub animalis prædicatione ponitur : si quid vero vel genere vel specie idem sit, non necesse est idem esse numero, ut Socrates et Plato, cum et genere animalis et specie hominis idem sint, numero tamen reperiuntur esse disjuncti. Quod si idem sit numero, idem et genere et specie esse necesse est. Gladius enim atque ensis idem sunt numero, nihil enim omnino aliud est ensis quam gladius ; sed nec specie diversi sunt, utrumque enim gladius est ; nec genere, utrumque enim instrumentum est, quod est gladii genus. Quoniam igitur homo, bos atque equus, de quibus animal prædicatur, specie differant, numero etiam eos differre necesse est : idcirco hoc plus habet genus a specie, quod de differentibus specie prædicatur. Nam si integram generis diffinitionem demus, dabimus hoc modo : genus est quod de pluribus differentibus specie, non solo numero, et in eo quod quid sit prædicatur. At vero sic species : species est quod solum de pluribus numero differentibus in eo quod quid sit prædicatur. A proprio vero differt genus quoniam proprium de una sola specie cujus est proprium prædicatur, et de his quæ sub una specie sunt individuis ; proprium enim semper speciei uni adesse potest, neque eam relinquit, nec transit ad aliam, atque idcirco proprium nuncupatum est, ut risibile hominis est ; itaque et de ea specie cujus est proprium prædicatur, et de his individuis quæ sub illa sunt specie, ut risibile de homine dicitur, et de Socrate, et de Platone, et cæteris de sub hominis nomine continetur : genus vero non de una tantum specie, ut dictum est, sed de pluribus. Differt igitur genus a proprio, eo quod de pluribus speciebus prædicetur, cum proprium de una tantum specie de qua dicitur appellatur, et de iis quæ sub illa sunt individuis, differentia atque accidentis discrepan-

tia a genere una separatione concluditur. Omnino enim quia hæc in eo quod quid sit minime prædicantur, eo ipso segregantur a genere : nam in cæteris propinqua sunt generi, nam et de pluribus prædicantur, et de specie differentibus, sed non in eo quod quid sit. Si quis enim interroget qualis est homo, respondetur rationalis, quod est differentia. Si quis interroget qualis est corvus, dicitur niger, quod est accidens. Si autem interroges quid est homo, animal respondebitur, quod est genus. Quod vero ait, non in eo quod quid sit prædicari dicimus, sed magis in eo quod quale sit, hoc magis quæstioni occurrit hujusmodi. Aristoteles enim differentias in substantia putat oportere prædicari, quod autem in substantia prædicatur, hoc rem de qua prædicatur, non quale sit, sed quid sit ostendit ; unde non videtur differentia in eo quod quale sit prædicari, sed potius in eo quod quid sit, sed solvitur hoc modo : differentia enim ita substantiam demonstrare solet, ut circa substantiam qualitatem determinet, id est substantialem qualitatem proferat. Quod ergo dictum est magis, tale est tanquam si diceret, videtur quidem substantiam significare, atque in eo quod quid sit prædicari ; sed magis illud est verius, quia tametsi substantiam monstret, tamen in eo quod quale sit prædicatur.

Quare genus de pluribus prædicari dividit ipsum ab iis quæ de uno solo dicuntur, sicut individua ; de differentibus vero specie, separat eumdem ab iis quæ sicut species prædicantur, vel sicut propria : in eo autem quod quid sit prædicari, dividit ipsum a differentiis et communiter accidentibus, quæ singula non in eo quod quid prædicatur, sed in eo quod quale est, vel quomodo se habet.

Tria hæc esse diximus quæ significationem hanc tertiam generis informarent, id est de pluribus prædicari, de specie differentibus, et in eo quod quid sit, quæ singulæ partes genus a cæteris quæ quomodolibet prædicantur distribuunt ac secernunt, quod ipse breviter colligens dicit : id enim quod de pluribus prædicatur genus ab his dividit quæ de uno tantum prædicantur individuo. Individuum autem pluribus dicitur modis : dicitur individuum quod omnino secari non potest, ut unitas vel mens ; dicitur individuum quod ob soliditatem dividi nequit, ut adamas ; dicitur individuum cujus prædicatio in reliqua A similia non convenit, ut Socrates : nam cum illi sint cæteri homines similes, non convenit proprietas et prædicatio Socratis in cæteris ; ergo ab iis quæ de uno tantum prædicantur genus differt, eo quod de pluribus prædicetur. Restant igitur quatuor, species, et proprium, et differentia, et accidens, quorum a genere differentias colligamus. Singulis igitur differentiis ab his rebus segregabitur genus : ea quidem differentia quæ de specie differentibus prædicari genus dicitur, separatur ab his quæ sicut species prædicantur, vel sicut propria ; species enim omnino de nulla alia specie dicetur, proprium vero de una tantum specie prædicatur, atque ideo non de specie differentibus. Item genus a differentia et accidenti differt, quod in eo quod quid sit prædicatur, illa vero in eo quod quale sit appellantur ut dictum est : itaque B genus quidem ab iis quæ de uno prædicantur differt in quantitate prædicationis, quod de pluribus prædicetur ; a speciebus vero et proprio in subjectorum natura, quoniam genus de specie differentibus dicitur, proprium vero et species minime. Item genus in qualitate prædicationis a differentia accidenteque dividitur. Qualitas enim prædicationis quædam est, vel in eo quod quid sit, vel in eo quod quale sit prædicari.

Nihil igitur neque superfluum, neque minus continet generis dicta descriptio.

Omnis enim descriptio vel diffinitio debet ei quod diffinitur æquari : si enim diffinitio diffinitæ rei non sit æqualis, et si quidem major sit, etiam quædam alia continebit, et non necesse est ut semper diffiniti C subetantiam monstret ; si minor sit, ad omnem diffinitionem substantiæ non pervenit. Omnia enim quæ majora sunt de minoribus prædicantur, ut animal de homine ; minora vero de majoribus minime : nemo enim vere dicere potest, omne animal homo est, atque idcirco si sibi prædicatio convertenda est, æqualis oportet ut sit. Id autem fieri potest, si neque superfluum quidquam habet neque diminutum, ut in ea ipsa generis descriptione ; dictum est enim genus esse quod de pluribus differentibus specie in eo quod quid sit prædicatur, quæ descriptio cum genere converti potest, ut si dicamus quod de pluribus specie differentibus in eo quod quid sit prædicetur, id genus esse : quod si converti potest (ut ait) nec plus nec minus continet generis facta descriptio.

LIBER TERTIUS.

Superior disputatio de genere videtur forsitan D quidem dubitari potest : si enim hæc fuit ratio proponendi genus reliquis omnibus, quod naturæ suæ magnitudine cætera contineret, non æquum erat differentiæ speciem in ordine tractatus anteponere, quod differentia speciem contineret, cum præsertim differentiæ ipsas species informent : prius autem est quod informat quam id quod ejus informatione perficitur. Posterior igitur species est differentia : prius igitur de differentia tractandum fuit ; etenim procemio etiam omnem etiam speciei consumpsisse tractatum : nam cum genus ad aliquid prædicetur, id est ad speciem, cognosci natura generis non potest, si speciei quæ sit intelligentia nesciatur. Sed quoniam diversa est in suis naturis eorum consideratio atque discretio diversa in permistis, idcirco sicut singula in procemio proposuit, ita dividere cuncta prosequitur, ac primum post generis disputationem de specie tractat, de qua

consentiret, in quo eum ordinem collocavit quem naturalis ordo suggessit, dicens utile esse nosse quid genus sit, et quid differentia. Huic respondendum est quæstioni, quoniam omnia quæcunque ad aliquid prædicantur, substantiam semper ex oppositis sumunt; ut igitur non potest esse pater nisi filius sit, nec filius nisi præcedat pater, alteriusque nomen pendet ex altero, ita etiam in genere ac specie videre licet, species non potest nisi referatur ad speciem: nec vero esse quippe nisi generis non est, rursusque genus substantiæ quædam aut res absolutæ esse putandæ sunt genus ac species, ut superius quoque dictum est, sed quidquid illud est quod in naturæ proprietate consistat, id tunc genus fit ac species, cum vel ad inferiora vel ad superiora refertur. Quorum igitur relatio alterutrum constituit, eorum continens factus est jure tractatus; de specie igitur inchoans ait hoc modo:

DE SPECIE.

Specie autem dicitur quidem et de uniuscujusque forma, secundum quam dictum est: primum quidem species digna est imperio: dicitur autem species, et ea quæ est sub assignato genere, secundum quam solemus dicere hominem quidem speciem animalis, cum sit genus animal; album autem coloris speciem, triangulum vero figuræ speciem.

Sicut generis supra significationes distinxit æquivocas, ita idem in specie facit dicens non esse speciei simplicem significationem, et ponit quidem duas: longæ autem plures esse manifestum est, quas idcirco præteriit ne lectoris animum prolixitate confuderet. Dicit autem primum quidem speciem figuram uniuscujusque vocari, quæ ex accidentium congregatione perficitur. Cautissime autem dictum est uniuscujusque, hæc enim secundum accidens dicitur, quæ cuique individuo forma est; ea enim non ex substantiali quadam forma species, sed ex accidentibus evenit. Alia est enim substantialis formæ species, quæ humanitas nuncupatur, ea quæ non est quasi supposita animali, sed est tanquam ipsa qualitas substantiam monstrans; hæc enim et ab hac diversa est quæ uniuscujusque corpori accidentaliter insita est, et ab ea quæ genus deducit in partes; postremumque plura sunt quæ cum eadem sint, diversis tamen modis ad aliud atque ad aliud relata intelliguntur, ut hanc ipsam humanitatem in eo quod ipsa est si perspexeris. Species est ea quæ substantialem determinat qualitatem: si sub animali eam intelligendo locaveris, deducit animalis in se participationem, separaturque a cæteris animalibus, ac fit species generis; quod si uniuscujusque proprietatem consideres, id est quam virilis vultus, quam firmus incessus, cæteraque quibus individua conformantur, et quodammodo depinguntur, hæc est accidentis species secundum quam dicimus quemlibet illum imperio esse aptum propter formæ eximiam dignitatem; huic aliam adjungit speciei significationem, id est eam quam supponimus generi. Nos vero triplicem speciei significationem esse subjicimus, unam quidem substantialem qualitatem, aliam cujuslibet propriam formam individui, tertiam de qua nunc loquitur, quæ sub genere collocatur. Credendum vero est propter obscuritatem ejus quam nos adjecimus, quia nimirum altiorem atque eruditiorem quæreret intellectum, ea tacita prætermissa quæ cæteras edidisse: cujus quidem speciei hæc exempla subjecit, ut hominem quidem animalis speciem, album autem coloris, triangulum vero figuræ; hæc enim omnia species nuncupantur eorum quæ sunt genera, animal quidem hominis color autem albi, figura vero trianguli.

Quod si etiam genus assignantes speciei meminimus, dicentes quod de pluribus et differentibus specie in eo quod quid prædicatur, et speciem dicimus id quod sub assignato genere ponitur.

Dudum cum generis descriptionem assignaret, in generis diffinitione speciei nomen injecit dicens id esse genus quod de pluribus specie differentibus in eo quod quid sit prædicaretur, ut scilicet per speciei nomen diffiniret genus; nunc vero cum speciem diffinire contendat, generis utitur nuncupatione dicens speciem esse quæ sub genere ponatur, cui quidem dicto illa quæstio jure videtur opponi. Omnis enim diffinitio rem debet declarare quam concludit, eamque apertiorem reddere quam suo nomine monstrabat. Ex notioribus igitur fieri oportet diffinitionem quam res illa sit quæ diffinitur. Cum igitur per speciei nomen describeret vel diffiniret genus, abusus est vocabulo speciei velut notiore quam generis, atque ita ex notioribus descripsit genus: nunc vero cum speciem vellet termino descriptionis includere, generis utitur nomine, rerumque convertit notionem, ut in generis quidem descriptione sit notius speciei vocabulum, in speciei autem descriptione sit notius generis, quod fieri nequit: si enim generis vocabulum notius est quam speciei, in diffinitione generis speciei nomine uti non debuit. Quod si speciei nomen facilius intelligitur quam generis, in diffinitione speciei nomen generis non fuit apponendum, cui quæstioni occurrit dicens:

Nosse oportet quod quoniam genus alicujus est genus, et species alicujus est species, idcirco necesse est et in utrorumque rationibus utriusque uti.

Omnia quæcunque ad aliquid prædicantur, ex his de quibus prædicantur substantiam sortiuntur; quod si diffinitio uniuscujusque substantiæ proprietatem debet ostendere, jure ex alterutro fit descriptio in his quæ ad se invicem referuntur. Ergo quoniam genus speciei genus est, et substantiam suam et vocabulum genus a specie sumit, in diffinitione generis speciei nomen fuit advocandum. Quoniam vero species id quod est sumit ex genere, nomen generis in descriptione speciei non fuit relinquendum: quoniam vero diversæ sunt specierum qualitates; aliæ enim sunt species, quæ et genera esse possunt; aliæ quæ in sola speciei proprietate permanent, neque in naturam generis transeunt, idcirco multiplicem speciei diffinitionem dedit dicens:

Assignant ergo et sic speciem: Species est quæ sub

assignato genere ponitur, et de quâ genus in eo quod quid sit prædicatur. Amplius autem sic quoque: species est quæ de pluribus et differentibus numero in eo quod quid sit prædicatur; sed hæc quidem assignatio specialissima est, et ejus quæ solum species est, non etiam genus; aliæ vero et non specialissimarum esse possunt.

Tribus speciem diffinitionibus informavit, quarum quidem duæ omni speciei conveniunt, omnesque quæ quolibet modo species appellantur sua conclusione determinant. Tertia vero non ita: cum enim duæ sint specierum formæ, una quidem cum species alicujus aliquando etiam alterius genus esse potest; altera cum tantum species est, neque in formam generis transit. Priores duæ, illa scilicet in qua dictum est id esse speciem quod sub genere ponitur, et rursus in qua dictum est id esse speciem de qua genus in eo quod quid sit prædicetur, omni speciei conveniunt. Id enim tantum hæ diffinitiones monstrant, quod sub genere ponitur: nam et ea quæ dicit, id esse speciem quod sub genere ponitur, eam vim significat speciei, qua refertur ad genus; et ea quæ dicit, id esse speciem de qua genus in eo quod quid sit prædicatur, eam rursus significat speciei formam quam retinet ex generis prædicatione. Idem est autem et poni sub genere, et de eo prædicari genus, sicut idem est supponi generi, et ei genus præponi. Quod si omnes species collocantur sub genere, manifestum est omnem speciem hoc ambitu descriptionis includi. Sed tertia diffinitio de ea tantum specie loquitur, quæ nunquam genus est, et quæ solum species restat: hæc autem species est ea quæ de differentibus specie minime prædicatur. Nam si id habet genus plus a specie, quod de differentibus specie prædicatur, si qua species quidem prædicetur de subjectis, sed non de specie differentibus, ea solum erit species superioris generis, subjectorum vero non erit genus. Igitur prædicatio ea quam species habet ad subjecta, si talis sit ut de differentibus specie non prædicetur, distinguit eam ab his speciebus quæ genera esse possunt, et monstrat eam solum speciem esse, nec generis prædicationem tenere. Illa igitur tertia descriptio speciei quæ magis species ac specialissima dicitur, diffinitur hoc modo: Species est quod de pluribus numero differentibus in eo quod quid sit prædicatur, ut homo: prædicatur enim de Cicerone ac Demosthene et cæteris qui a se (ut dictum est) non specie, sed numero discrepant. Ex tribus igitur diffinitionibus duas quidem et specialissimas et non specialissimas species claudit, hæc vero tertia solum ultimam speciem: ut autem apertius id liqueat, rem paulo altius orditur, eamque congruis illustrat exemplis:

Planum autem erit quod dicitur hoc modo. In unoquoque prædicamento sunt quædam generalissima, et rursus alia specialissima, et inter generalissima et specialissima sunt alia quæ et genera et species eadem dicuntur. Est autem generalissimum quidem supra quod non est aliud aliquod superveniens genus. Specialissimum autem post quod non est alia aliqua inferior species. Inter generalissimum autem et specialissimum, alia sunt quæ et genera et species sunt eadem, ad aliud tamen et ad aliud sumpta. Sit autem manifestum in uno prædicamento quod dicitur substantia: est quidem et ipsa genus, sub hac autem est corpus, et sub corpore animatum corpus, sub quo animal; sub animali vero, rationale animal, sub quo, homo; sub homine vero, Socrates et Plato, et qui sunt particulares homines. Sed horum substantia quidem generalissimum est et genus solum; homo vero specialissimum et solum species; corpus vero species quidem est substantiæ, genus vero corporis animati; sed et animatum corpus, species quidem est corporis, genus vero animalis. Rursus animal species quidem est corporis animati, genus vero animalis rationalis; sed rational animal species quidem est animalis, genus autem hominis; homo vero species est rationalis animalis, non autem etiam genus particularium hominum, sed solum species. Ac omne quod est ante individua, proximeque de ipsis prædicatur, species erit solum, non etiam genus.

Prædiximus ab Aristotele decem prædicamenta esse disposita, quæ idcirco prædicamenta vocaverit, quoniam de cæteris omnibus prædicantur: quidquid vero de alio prædicatur, si non potuerit prædicatio converti, major est res illa quæ prædicatur ab ea de qua prædicatur. Itaque hæc prædicamenta maxima rerum omnium, quoniam de omnibus prædicantur, ostensa sunt. In uno quoque igitur horum prædicamentorum quædam generalissima sunt genere, et est longa series specierum, atque a maximo decursus ad minima. Et illa quidem quæ de cæteris prædicantur ut genera, neque ullis aliis supponuntur ut species, generalissima genera nuncupantur, idcirco, quia his nullum aliud superponitur genus. Infima vero quæ de nullis speciebus dicuntur, specialissimæ species appellantur, idcirco quoniam integrum cujuslibet rei vocabulum illa suscipiunt, quæ pura immistaque in ea de qua quæritur proprietate sunt constituta: at quoniam species id quod species est ex eo habet nomen, quia supponitur generi, ipsa erit simplex species, si ita generi supponatur, ut nullis aliis speciebus præponatur ut genus. Species enim quæ sic generi supponitur alii, ut alii præponatur, non est simplex species, sed habet quamdam generis admixtionem: illa vero species quæ ita supponitur generi, ut minime speciebus aliis præponatur, illa solum simplexque species est atque idcirco et maxime species est, et specialissima nuncupatur. Inter genera igitur quæ sunt generalissima, et species quæ sunt specialissimæ, in medio sunt quædam quæ superioribus quidem collatæ sunt species, inferioribus vero genera. Hæc subalterna genera nuncupantur, quod ita sunt genera, ut alterum sub altero collocetur. Quod igitur solum genus est, id dicitur generalissimum genus; quæ vero ita sunt genera ut esse species possint, vel ita species ut sint genera nonnunquam, subalterna genera vel species appellantur. Quod vero ita est species, ut alii genus esse non possit, specialissima species dicitur. His ergo cognitis sumamus unius prædicamenti exemplum, ut ab eo in cæteris quoque

prædicamentis atque in cæteris generibus et speciebus filo atque ordine quid eveniat possit agnosci. Substantia igitur generalissimum genus est; hoc enim de cunctis aliis prædicatur, ac primum hujus species duæ sunt, corporeum et incorporeum, nam et quod corporeum est substantia dicitur, et item quod incorporeum est substantia prædicatur; sub corporeo vero animatum atque inanimatum corpus ponitur; sub animato corpore, animal ponitur: nam si sensibile adjicias animato corpori, animal facis, reliqua vero pars, id est, species, continet inanimatum et sensibile corpus; sub animali autem rationale atque irrationale; sub rationali Deus et homo, nam si rationali mortale subjeceris, hominem constitues; si immortale, Deum; Deum vero dico corporeum, hunc enim mundum veteres Deum vocabant, et Jovis eum appellatione dignati sunt, Deumque, solem, cæteraque cœlestia corpora, quæ animata esse cum Plato, tum plurimus doctorum chorus arbitratus est, sub homine vero individui singularesque homines sunt, ut Plato, Cato, Cicero, quorum numerum pluralitas infinita non recipit, cujus rei subjecta descriptio sub oculis ponat exemplum.



Socrates. Cicero. Cato.

Superius posita descriptio ordinem a generalissimo usque ad individua præ dicationis ostendit, in qua quidem substantia generalissimum dicitur genus, quoniam præposita est omnibus, nulli vero ipsa supponitur, et solum genus propter eamdem scilicet dicitur causam, homo autem species solum, quoniam Plato, Cato, Cicero, quibus est ipsa præposita non differunt specie, sed numero tantum; corporeum vero quod secundum a substantia collocatur, et species esse probatur, et genus, substantiæ species, genus animati; at vero animatum, genus est animalis, corporei species. Est autem animatum genus sensibilis animatum vero sensibile animal est: igitur ipsum animatum, propter propriam differentiam quæ est sensibile, recte genus dicitur esse animalis. Animal vero rationalis genus est, et rationale genus est mortalis; cumque rationale et mortale nihil aliud sit quam homo, rationale fit animalis species, hominis vero genus; homo vero ipse Catonis, Platonis, Ciceronis non erit (ut dictum est) genus, sed solum species; nec solum differentiæ rationalis species est homo, verum etiam Catonis et Platonis cæterorumque species appellatur, propter diversam scilicet causam. Nam rationalis idcirco est species, quoniam rationale per mortale atque immortale dividitur, cum sit homo mortale; idem vero homo species est Platonis atque cæterorum, in forma enim eorum omnium homo erit substantialis atque ultima similitudo. Est autem communis et omnium regula, esse eas species specialissimas quæ supra sola individua collocantur, ut homo, equus, corvus; sed non avis, avium namque multæ sunt species, sed hæ tantum species dicuntur esse, quorum subjecta ita sibi sunt consimilia, ut substantialem differentiam habere non possint. In omni autem hac dispositione priora genera cum inferioribus conjunguntur, ut posteriores efficiant species: nam ut sit corpus substantia, cum corporalitate conjungitur, et est substantia corporea corpus. Item ut sit animatum, corporeum atque substantia animato copulatur, et est animatum substantia corporea habens animam. Item ut sit sensibile, eidem tria illa superiora unguntur. Nam quod est sensibile, tantum est, quantum substantia corporea animata retinens sensum quod totum animal est. Item superiora omnia rationali juncta rationale efficiunt, postremumque hominem superiora omnia nihilominus terminant, id est substantiam hominis addito tantum rationali mortali; est enim homo substantia corporea, animata, sensibilis, rationalis, mortalis. Nos vero diffinitionem hominis reddimus dicentes, animal rationale mortale, in animali scilicet includentes et substantiam et corporeum et animatum atque sensibile; et in cæteris quidem speciebus atque generibus ad hunc modum vel dividuntur genera, vel species describuntur.

Quemadmodum igitur substantia cum suprema sit, eo quod nihil supra eam sit, genus est generalissimum, sic et homo, cum sit species post quam non est alia species, neque aliud eorum quæ possunt dividi in species, sed solum individua (individuum enim est Socrates et Plato, et hoc album) species erit solum, et ultima species (et ut dictum est) specialissima: quæ vero in medio

sunt, eorum quidem quæ supra se sunt species erunt, eorum vero quæ post genera sunt, quare hæc quidem duas habent habitudines, illam quæ est ad superiora, secundum quam species dicuntur esse ipsorum, et eam quæ est ad posteriora, secundum quam genera ipsorum esse dicuntur. Extrema vero habent unam habitudinem, nam et generalissimum ad ea quæ posteriora sunt, habet habitudinem, cum genus sit omnium supremum: eam vero quæ est ad superiora non habet, cum sit supremum, et primum principium, et (ut diximus) supra quod non est aliud superveniens genus: et specialissimum etiam unam habet habitudinem, ea quæ est ad superiora, quorum est species: eam vero quæ est ad posteriora non diversam habet sed eamdem, nam et individuorum species dicitur. Sed species quidem dicitur individuorum, velut ea continens, species vero superiorum, ut quæ ab illis contineatur.

Ex proportione speciei nomen etiam generis ostenditur, nam ut genus, quoniam non habet genus supra se generalissimum genus dicitur, ut substantia: ita species, quoniam non habet sub se, speciem, sed individua specialissima species dicitur, ut homo; quod autem est species non habere sub se, id est his præesse, quæ neque in dissimilia dividi possunt, ut genera dividuntur, neque in similia secantur, ut species. Illa vero quæ inter genera generalissima, speciesque specialissimas constituta sunt, species et genera nuncupantur, quæ et ipsa aliis supponuntur, et his alia subjiciuntur, quorum in dissimilia vel in similia possunt esse partitiones. Cumque duæ sint habitudines et quasi comparationes oppositæ, quæ in omnibus generibus speciebusque versantur, una quidem quæ ad superiora respicit, ut specierum quæ suis generibus supponuntur: alia vero quæ ad inferiora, ut generum cum speciebus propriis præponuntur: generalissima quidem genera unam tantum retinent habitudinem, eam scilicet quæ inferiora amplectitur, illam vero quæ ad præposita comparatur non habent. Generalissimum enim genus nulli supponitur. Item species specialissima unam possidet habitudinem, per quam scilicet ad sola genera comparatur. Illam vero quæ ad inferiora committitur, non habet, nullis enim speciebus ipsa præponitur; at vero quæ subalterna sunt genera utraque habitudine funguntur, nam et illam possident, quæ ad superiora respicit, quoniam quæ subalterna sunt habent superpositum genus, et illam quæ de inferioribus prædicatur: habent enim subalterna genera supposita species, ut corporeum ad substantiam quidem eam retinet habitudinem qua potest poni sub genere: ad animatum vero eam qua potest de specie prædicari. Specialissimæ vero species licet ipsæ individuis præponantur, tamen præpositi habitudinem non habent, idcirco quoniam illa quæ speciei ultimæ supponuntur talia sunt, ut quantum substantia unum quiddam sunt non habentia substantialem differentiam sed accidentalem, efficitur ergo, ut numero saltem distare videantur, ut pene dici possint, et pluribus præesse speciebus, et quodammodo nulli omnino esse præpositæ: nam cum

A

B

C

D

species substantiam monstret, unaque sit omnium individuorum sub specie positorum substantia quodammodo nulli præposita est, si ad substantiam quis velit aspicere: at si accidentia quis consideret, plures de quibus prædicatur species fiunt, non substantiæ diversitate, sed accidentium multitudine; itaque fit ut genus quidem semper plurimas sub se species habeat: de differentibus enim specie prædicatur, differentia vero nisi pluralitati non convenit: at vero species etiam uni aliquando individuo præesse potest: si enim unus (ut perhibetur) est phœnix, phœnicis species de uno tantum individuo prædicatur. Solis etiam species unum solum intelligitur habere subjectum: ita nullam multitudinem species per se continet, cum etiam si unum sit tantum individuum, speciei tamen non pereat intellectus, quibusdam enim suis quasi similibus partibus præest: ut si æris virgulam dividas, secundum id quod æs dicitur, idem et partes esse intelligitur, et totum. Idcirco dictum est speciem, licet sit individuis præposita, unam tantum habitudinem possidere, illam unam scilicet qua species est; quando enim præpositis subditur species nuncupatur, et est superiorum species tanquam subjecta, inferiorumque species, idcirco quoniam eorum substantia monstratur. Nec ita est species, individuorum, quemadmodum speciei genus: illud enim pars est substantiæ, ut animal hominis. Reliquæ enim partes rationale atque mortale adduntur animali ad diffiniendam substantiam hominis: homo vero Socratis atque Ciceronis tota substantia est: nulla enim additur differentia substantialis ad hominem, ut Socrates fiat aut Cicero, sicut additur animali rationale atque mortale, ut homo integra diffinitione claudatur. Idcirco igitur species specialissima tantum est species, atque hanc solam possidet habitudinem ad superiora quidem, quoniam ab his continetur: ad inferiora vero, quoniam substantiam eorum format et continet.

Determinant ergo generalissimum ita, quod cum genus sit non est species: et rursus, supra quod non est aliud superveniens genus: specialissimum vero, quod cum sit species, non est genus, et quod cum sit species, non amplius in species dividere possumus, et hoc modo quod de pluribus et differentibus numero, in eo quod quid sit, prædicatur. Ea vero quæ sunt in medio extremorum, subalterna vocantur genera et species, et unumquodque eorum species esse potest et genus, ad aliud quidem, et ad aliud sumpta. Ea vero quæ sunt supra specialissima usque ad generalissimum ascendentia, vicissim genera dicuntur et species, ut Agamemnon, Atrides, Pelopides, Tantalides, et ultimo Jovis. Sed in familiis quidem plerumque reducuntur ad unum principium, verbi gratia, ad Jovem.

Postquam naturam generum ac specierum diversitatemque monstravit, eorum ordinem diffinitionis descriptionisque commemorat, ac primum quidem generalissimi generis terminum inducit dicens generalissimum genus esse quod cum ipsum sit genus non habet superpositum genus, hoc est speciem non

esse, et rursus supra quod non erit aliud genus supraveniens. Si enim haberet aliud genus superveniens minime ipsum generalissimum vocaretur. Specialissima vero species hoc modo describitur, quod cum sit species non est genus, scilicet ex opposito, quoniam opposita ex oppositis describuntur interdum, nam quoniam præpositio opposita est suppositioni: genus autem præponitur, species vero supponitur. Si idcirco erit primum genus, quia ita superponitur ut minime supponatur idcirco erit ultima species, quia ita supponitur, ut præponi non possit : igitur recte oppositorum ex oppositis facta est diffinitio. Est alia rursus descriptio speciei, quod cum sit species, nunquam dividitur in species, id est genus esse non potest. Si enim omne genus specierum genus est, si quid non dividitur in species, genus esse non potest. Est rursus alia diffinitio, quod de pluribus differentibus numero in eo quod quid sit prædicatur, de qua diffinitione sæpe est superius demonstratum: nunc illud attendendum est (sicut paulo supra dictum est) speciei unum individuum potest subjectum esse, ut phœnici atomus sua, ut soli corpus hoc lucidum, ut mundo vel lunæ, quorum species singulis suis individuis superponuntur: quod si ita est ut species de uno quolibet individuo prædicetur, ut de phœnice, quomodo convenit dicere speciem esse quæ de pluribus numero differentibus in eo quod quid sit prædicetur? sunt enim quædam quæ de numero differentibus minime dicuntur, ut phœnix sol, luna, sed de his illa ratio est de qua etiam superius pauca reddidimus, quæ paululum implexa commodissime nodum quæstionis absolvet. Omnia enim quæ sub specialissimis speciebus sunt, sive infinita sint, sive finito numero constituta, sive ad singularitatem deducantur, dum est aliquod individuum semper species manebit, neque individuorum diminutione si quodlibet unum maneat, species consumitur, quoniam, ut dictum est, tamen si plura sint individua substantiales differentias non habebunt: id ergo in genere dici non convenit, quod his præest, quæ substantiali a se differentia disgregata sunt, præest enim speciebus quæ diversis differentiis informantur. Si igitur una eorum perierit, et ad unitatem speciei redacta fuerit, ratio generis genus esse non poterit, quia de defferentibus specie prædicatur, non ita in speciebus. Nam si omnium individuorum natura consumpta sit, et ad unius singularitatem individui suppositæ speciei prædicatio venerit, est tamen species ac permanet. Talia enim sunt illa quæ pereunt ac desunt, quale est id quod permansit et subjacet. Quod vero dicimus de pluribus numero differentibus speciem prædicari, duobus id recte excusatur modis : uno quidem, quia multo plures sunt species quæ de numerosis individuis prædicantur, quam hæ quibus unum tantum individuum videtur esse suppositum : deinde hoc modo, quia multa secundum potestatem dicuntur, cum actu non semper ita sint, ut risibilis homo dicitur, etiamsi minime rideat, quoniam ridere potest. Ita etiam species de numero differentibus prædicatur : nihil enim minus phœnix de pluribus prædicaretur, si plures essent quam nunc quando unus esse perhibetur. Item solis species de hoc uno sole quem novimus, nunc dicitur: at si in animo plures soles et in cogitatione fingantur, nihilominus de pluribus solibus individuis nomen solis quam de hoc uno prædicabitur. Idcirco igitur species de pluribus numero differentibus dicitur prædicari, cum sint aliquæ quæ de singulis individuis appellentur. Illa vero quæ subalterna vocantur ita diffiniri queunt : Subalternum genus est quod esse genus et species poterit ad eum modum qui est in familiis quæ procreant et procreantur, ut etiam subjectum monstrat exemplum, ut Agamemnon, Atrides, et Pelopides, et Tantalides, et ultimum Jovis. Atreus enim Pelopis filius tanquam ejusdem species quasi Agamemnonis genus est. Item Agamemnon Pelopides et Tantalides, cum Pelops ad Tantalum comparatur, Tantalusque ad Jovem quasi species, itemque Tantalus ad Pelopem, Pelops ad Atreum quasi genera esse videantur, cum Jupiter sit horum velut generalissimum genus. Sed in familiis quidem plerumque reducuntur ad unum principium, verbi gratia, ad Jovem.

In generibus autem et speciebus non sic se habet. Neque enim unum commune genus omnium est ens, nec omnia ejusdem generis sunt secundum unum supremum genus, quemadmodum dicit Aristoteles, sed sint posita, quemadmodum dictum est in prædicamentis, prima decem genera, quasi decem prima principia. Et si omnia quis entia vocet, æquivoce, inquit, nuncupabit non univoce : si enim ens unum esset commune omnium genus, univoce omnia entia dicerentur: cum vero sint decem prima, commune est ens secundum nomen solum, non etiam secundum rationem, quæ secundum entis nomen est.

Quoniam cum de subalternis generibus diceret, familiæ cujusdam posuit exemplum, quæ ab Agamemnone pervenit ad Jovem, quem pro numinis quidem reverentia, ultimum posuit. Quantum enim ad veteres theologos, refertur Jupiter ad Saturnum, Saturnus ad Cœlum, Cœlus vero ad antiquissimum Ophionem ducitur, cujus Ophionis nullum principium est. Ne igitur quod in familiis est, id in rebus quoque esse credatur, ut res omnes possint ad unum sui nominis redire principium, idcirco determinat hoc in generibus ac speciebus esse non posse; neque enim sicut familiæ cujuslibet, ita etiam omnium rerum unum esse principium potest. Fuerint enim qui hac opinione tenerentur, ut rerum omnium quæ sunt unum putarent esse genus quod ens nuncupatur, tractum ab eo quod dicimus est: omnia enim sunt et de omnibus esse prædicatur. Itaque substantia est, et qualitas est, item quantitas est, cæteraque esse dicuntur: nec de his aliquid tractaretur, nisi hæc quæ prædicamenta dicuntur, esse constaret. Quæ cum ita sint, ultimum omnium genus ens posuerint, scilicet quod de omnibus prædicaretur. Ab eo enim quod dicimus est participium inflectentes, Græco

quidem sermone ὄν Latine ens appellaverunt. Sed Aristoteles sapientissimus principiorum cognitor reclamat huic sententiæ, nec ad unum res omnes putat duci posse primordium, sed decem esse genera in rebus ; quæ cum a semetipsis diversa sunt, tum ad nullum commune principium educuntur : hæc autem decem genera statuit substantiam, quantitatem, qualitatem, ad aliquid, ubi, quando, situm, habere, facere, pati quod vero occurrebat, quoniam de his omnibus esse prædicaretur. Omnia enim quæ superius commemorata sunt genera esse dicuntur : ita discussit, ac repulit dicens, non omne commune nomen communem etiam formare substantiam, nec ex eo debere genus esse commune arbitrari, quod de aliquibus commune nomen prædicaretur. Quibus enim diffinitio communis nominis convenit, illa communis nominis jure species judicabuntur, et communi illo vocabulo univoce prædicantur : quibus vero non convenit, vox his communis tantum est, nulla vero substantia. Id autem manifestius declaratur exemplis hoc modo: Animal hominis atque equi genus esse prædicamus; demus igitur animalis definitionem quæ est substantia animata sensibilis, hanc si ad hominem reducamus, erit homo substantia animata sensibilis, nec ulla falsitate diffinitio maculatur. Rursus si ad equum, erit equus substantia animata sensibilis, id quoque verum est. Convenit igitur hæc diffinitio et animali, quod commune est homini atque equo, et eadem equo atque homini quæ species ponuntur animalis : ex quo fit, ut homo atque equus utraque animalia univoce prædicentur. At si quis hominem pictum hominemque verum communi animalis nomine nuncupaverit, diffiniat (si libet) animal hoc modo, substantiam animatam esse atque sensibilem. Sed hæc diffinitio ei quidem homini qui vivus est convenit, ei vero qui dictus est, minime : neque enim est animata substantia; igitur homini vivo atque picto quibus communis nominis diffinitio, id est animalis non potest convenire. Non est animal commune genus, sed tamen commune vocabulum dicitur, quod hoc nomen animal in vivo homine atque picto non ut genus, sed ut vox plura significans: vox enim plura significans æquivoca nuncupatur, sicut ea vox quæ genus ostendit, univoca dicitur. Itaque id quod dicitur ens, et si de omnibus dicitur prædicamentis: quoniam tamen nulla ejus diffinitio inveniri potest, quæ omnibus prædicamentis possit aptari, idcirco non dicitur univoce de prædicamentis, id est ut genus, sed æquivoce, id est ut vox plura significans. Convincitur hac quoque ratione id quod dicimus ens, prædicamentorum genus esse non posse: unius enim rei duo genera esse non possunt, nisi alterum alteri subjiciatur, ut hominis genus est animal atque animatum cum animal animato velut species supponatur. At si duo sibimet ita æqualia sint, ut nunquam alteri alterum supponatur, hæc utraque eidem speciei genera esse non possunt. Ens igitur atque unum neutrum alteri supponitur, neque enim unius dicere possumus genus ens, nec ejus, quod dicimus ens, unum. Nam quod dicimus ens, unum est, et quod unum dicimus, ens est; genus autem est species sibi invicem minime convertuntur. Si igitur prædicatur, ens de omnibus prædicamentis, prædicatur etiam unum. Nam substantia unum est, qualitas unum est. quantitas unum est cæteraque ad hunc modum. Si igitur quoniam esse de omnibus his prædicatur, omnium genus erit ens: et unum, quoniam de omnibus prædicatur, erit omnium genus, sed unum atque ens (ut demonstratum est) minime alterum alteri præponitur; duo igitur æqualia singulorum prædicamentorum genera sunt, quod fieri nequit : cum hoc igitur ita sit, id Porphyrius determinavit dicens ; non ita in rebus, ut in familiis omnia ad unum principium posse deduci, ne omnium rerum commune esse genus posse, ut Aristoteli placet, sed sunt præposita, inquit, quemadmodum in prædicamentis dictum est, prima decem genera quasi decem prima principia, scilicet ut nulla interim ratio perquiratur, sed Aristotelis auctoritati concedentes, hæc decem genera nulli alii generi credamus esse subjecta, quæ si quis entia vocet æquivoce nuncupabit, non univoce, neque enim una eorum omnium secundum commune nomen diffinitio poterit adhiberi, quæ res facit, ut non univoce de his aliquid prædicetur. Si enim univoce prædicaretur, genus esset eorum commune nomen quod de omnibus prædicaretur ; at si genus essst diffinitio generis conveniret in species, quod quia non fit, commune his id quod dicimus ens, vocabulum est vocis significatione, non ratione substantiæ.

Decem quidem igitur generalissima sunt, specialissima vero in numero quidem quodam sunt, non tamen infinito. Individua autem quæ sunt post specialissima, infinita sunt quapropter usque ad specialissima a generalissimis descendentes jubebat Plato quiescere. Descendere autem per media dividendo specificis differentiis, infinita vero relinquenda suadet, usque enim eorum posse fieri disciplinam.

Quoniam specierum nosse naturam ad sectionem generis pertinet, quoniamque scientia infinita esse non potest (nullus enim intellectus infinita circumdat), idcirco de multitudine generum, specierum atque individuorum rectissima ratione persequitur dicens : Supremorum generum numerum notum esse, decem enim prædicamenta ab Aristotele esse reperta quæ rebus omnibus generis loco præferenda sunt. Species vero multo plures esse quam genera, nam cum decem suprema sint rerum genera, cumque uni generi non una sed multæ species supponantur, proximæque species supremis generibus subalterna sint genera usque dum ad ultimas species descendant, ut nimirum unius generis multas species necesse est esse utrobique diffusas. Specialissimas vero multo plures esse quam subalterna, quoniam per multitudinem generum subalternorum ad specialissimas descenditur species quas multo plures esse quam genera subalterna ; hoc maxime ostenditur, quod inferiores sunt, et semper subalterna genera in plura subjecta dividuntur. Decem vero generum spe-

ciesmulto plures quam unius existere manifestum est, verumtamen et si plures sunt,certo tamen numero continentur,quem facile si quis discutiat omniumque generum species prosequatur possit agnoscere. Individua vero quæ sub unaquaque specie sunt infinita sunt,vel eo quod tam multa sunt diversisque locis posita, ut scientia numeroque in unum concludi comprehendique non possit vel quod in generatione et corruptione posita nunc quidem incipiunt esse, nunc desinunt,atque idcirco suprema quidem genera et subalterna et species easque specialissime nuncupantur : quoniam finitæ sunt numero potest terminus scientiæ includere, individua vero nullo modo. Idcirco igitur Platomagis a generibus quam a speciebus idem specialissimis præcipiebat facere sectionem, per ea enim quæ finita essent numero jubebat descendere dividentem,ubi autem ad individua veniretur, standum esse suadebat, ne quod natura non ferret,infinita colligeret,ita vero genera in species dividi comprobat,ut in specificis differentiis solverentur. De specificis vero differentiis melius in eo titulo ubi de differentia disputatur ac largius disseremus. Hic enim hoc tantum dixisse sufficiat eas esse specificas differentias, quibus species informantur,ut rationale mortale hominis. Cum igitur dividimus animal rationale atque irrationale,mortale immortaleque separamus,cæteraque genera talibus differentiis,quæ subjectas species informent. Plato censuit esse dividenda usque dum ad specialissima veniretur, dehinc consistere nec infinita sequi,quoniam individuorum nunquam esset nec disciplina nec numerus.

Descendentibus igitur ad specialissima necesse est, dividendo per multitudinem ire.Ascendentibus vero ad generalissima necesse est colligere multitudinem in unum : collectivum enim multorum in unam naturam species est, et magis etiam genus. Particularia vero et singularia e contrario, in multitudinem semper dividunt id quod unum est, participatione enim speciei, plures homines, sunt unus homo, in particularibus autem et singularibus,unus et communis,plures ; divisivum enim est semper quod singulare est, collectivum autem et adunativum quod commune est.

Dividere enim est in multitudinem quod unum ante fuerat dissolvere. Omnisque divisio econtrario compositionem conjunctionemque meditatur.Quod enim cum sit unum dispartiendo dividitur,idipsum ex pluribus rursus partibus adunando componitur, Ut igitur superius dictum est,individuorum quidem similitudinem species colligit,specierum vero genus. Similitudo autem nihil est aliud nisi quædam unitas qualitatis,ergo substantialem similitudinem individuorum species colligere manifestum est.Substantialem vero similitudinem specierum genera contrahunt,et ad seipsas reducunt.Rursus generis adunationem differentiæ distribuunt in species,specieique adunationem in singulares individuasque personas accidentia partiuntur.Cum igitur hoc ita sit,necesse est semper cum a genere descendis ad species, dividendo,semper facere multitudinem.Cum vero a speciebus ascendis ad genera,componendo,colligere et plures in specierum differentiis quæ diversæ fuerant similitudinem qualitates adunare in speciebus:etiam idem considerari potest,ut enim ipsa individua quæ sunt infinita unam similitudinem substantialem colligunt, ita individua speciem propriam infinite distribuunt.Omnia enim individua disgregativa sunt et divisiva. Species vero et genera collectiva, species quidem individuorum collectiva atque adunativa. Specierum vero genera, et ita dicendum sit, genus quidem species distribuunt,et species ab individuis in multitudinem deducuntur: rursus autem genus quidem multas species colllgit.Species autem singularem particularemque multitudinem ab singularitatis deducit unitatem,igitur plus genus adunativum est quam species.Species namque sola individua colligit. Genus vero tam species quam ipsarum quoque specierum individuas contrahit singularesque personas, sed in hoc convenienti utitur exemplo dicens, participatione speciei, id est hominis Cato, Plato, Cicero pluresque reliqui homines: unus,id est millia hominum in eo quod sunt homines, unus homo est. At vero est unus homo, qui specialis est, si ad nominum multitudinem qui sub ipso sunt consideretur, plures fiunt,ita et plures homines in speciali homine unus est.Et specialis,unus est in pluribus infinitus. Sic igitur quod singulare quidem est divisivum est, quod commune vero quoniam multorum unum est, ut genus ac species,collectivum atque adunativum.

Assignato autem genere,specie quid sit utrumque,et genere quidem uno existente,speciebus vero pluribus : semper enim divisio generis in species plures est,genus quidem semper de speciebus prædicatur, et omnia superiora de inferioribus,species autem neque de proximo sibi genere,neque de superioribus,neque enim convertitur. Oportet enim aut æqua de æquis prædicari,ut hinnibile de equo,aut majora de minoribus,ut animal de homine, minora vero de majoribus, minime : nec enim animal dicis esse hominem,quemadmodum dicis hominem animal, de quibus autem species prædicatur, de his necessario et speciei genus prædicatur et generis genus, usque ad generalissimum. Si enim verum est dicere : Socratem hominem, hominem autem animal, animal vero substantiam,verum est Socratem animal dicere atque substantiam : semper igitur cum superiora de inferioribus prædicentur,species quidem de individuo prædicabitur,genus autem et de specie et de individuo ; generalissimum autem et de genere,et de generibus,si plura sunt media et subalterna,et de specie, et de individuo : dicitur enim generalissimum quidem de omnibus sub se positis generibus et speciebus et individuis ; genus autem quod ante specialissimum est, de omnibus specialissimis et de individuis, solum autem species de omnibus individuis,individuum autem prædicatur de uno solo particulari. Individuum autem dicitur Socrates, et hoc album, et hic veniens Sophronisci filius, si solus sit ei Socrates filius.

Breviter quæcunque superius dicta sunt commemorat hoc modo : Cum,inquit,assignaverimus quid

sit genus, et quid species ; cumque suis etiam ea diffinitionibus comprehenderimus docuerimusque genus semper in plurimas species solvi, illud, inquit, adjungimus, quoniam omnia superiora de inferioribus prædicantur, inferiora de superioribus minime. Et ea quæ sunt utilia de prædicationis modo rite pertractat. Ostendit autem unum genus in plurimas species solvi semper assignata generis diffinitione. Quod enim de pluribus rebus specie differentibus in eo quod quid sit prædicaretur, esse diffinivit genus. Nihil autem sunt plurimæ res specie differentes, nisi plurimæ species; de quibus autem prædicatur genus, in ea ipsa dissolvitur. Ostensum est igitur ex diffinitionis assignatione, unius generis semper esse species plures, quæ cum ita sint, genus quidem de specie prædicatur, species vero de individuis, omniaque superiora de inferioribus, inferiora de superioribus nullo modo. Id quare eveniat paucis absolvam. Quæ superiora sunt, substantialia ea genera esse prædiximus : qua vero genera sunt, ampliora sunt quam unaquæque species. Neque enim in plurima divideretur genus, nisi ab unaquaque specie majus existeret. Id cum ita sit, nomen generis toti convenit speciei: non enim coæquatur solum speciei generis magnitudo, verumetiam speciem ipsam supervadit. Idcirco igitur omnis homo animal est, quoniam intra animalis vocabulum et homo et cætera animalia continentur. At vero nullus dixerit, Omne animal homo est; non enim pervenit ad totum animal hominis nomen, quia cum sit minus, nullo modo generis vocabulo coæquatur. Itaque quæ majora sunt de minoribus prædicantur, quæ vero minora sunt, non convertuntur ut de majoribus prædicentur. At vero si qua sint æqualia, ea secundum naturæ parilitatem converti necesse est, ut hinnibile atque equus, quoniam ita sibimet coæquantur, ut neque equus sit nisi hinnibile, neque quid sit hinnibile, nisi equus. Fit ergo ut omne hinnibile equus sit, et omnis equus hinnibile, quæ cum ita sint, ea quæ superiora sunt non modo de sibi proximis inferioribus prædicantur, verumetiam de inferiorum inferioribus: nam si illud recipitur, ut ea quæ superiora sunt de inferioribus prædicentur, inferiorum inferiora superioribus multo magis inferiora sunt, velut substantia prædicatur de animali quod est inferius ; sed animali inferius est homo, prædicatur igitur etiam substantia de homine. Rursus Socrates inferius est homine, prædicabitur igitur substantia de Socrate. Itaque species quidem de individuis prædicantur : genera vero et de speciebus et de individuis, quod converti non potest : nam neque individua de speciebus, et de generibus prædicantur, nec species de generibus. Itaque fit ut genus quidem generalissimum de omnibus subalternis generibus prædicari, et de speciebus et de individuis possit, de ipso vero nihil. Ultimum vero genus id autem est quod ante specialissimas species collocatur sine medio, et de solis speciebus specialissimis dici potest et de earum individuis : species vero de individuis, ut dictum est, individua enim de singulis prædicantur, ut Socrates et Plato, eaque maxime sunt individua, quæ sub ostensione, indicationeque digiti cadunt, ut hoc scamnum, et hic veniens, eaque quæ ex aliqua proprietate accidentium designantur nota, ut si quis Socratem significatione velit ostendere, non dicat Socrates, ne sit alius qui forte hoc nomine nuncupetur, sed dicat Sophronisci filius, si unicus Sophronisci fuerit: individua enim maxime ostendi queunt, si vel tacito nomine, sensui ipsi oculorum digito, tactuve monstrentur, vel ex aliquo proprio nomine, si solus illud adeptus est, nomen : vel si ex parentibus, si illorum est unicus filius, vel si ex quolibet alio accidenti singularitas demonstratur, eo quod accidentia ad unam se prædicationem habeant, ejusque vel prædicatio vel dictio non transeat ad alterum, sicut generis quod ad species, specierum vero ad individua.

Individua autem dicuntur hujusmodi, quoniam ex proprietatibus consistit unumquodque eorum, quarum collectio nunquam in alio quolibet eadem erit. Socratis enim proprietates nunquam in aliquo quolibet erunt particularium eædem. Hæ vero quæ sunt hominis proprietates : dico autem ejus qui est communis, erunt eædem pluribus, magis autem in omnibus particularibus hominibus in eo quod homines sunt.

Quoniam superius individuum appellavit, hujus nominis rationem conatur ostendere : ea namque sola dividuntur quæ pluribus communia sunt: in his enim unumquodque dividitur, quorum est commune, quorumque naturam ac similationem continet. Illa vero in quibus commune dividitur, communi natura participant, proprietasque communis rei his quibus communis est convenit. At vero proprietas individuorum nulli communis est. Socratis enim proprietas, si fuit calvus, simus, propensa alvo, cæterisque corporis lineamentis, aut morum institutione, aut forma vocis non conveniebat in alterum: hæ enim proprietates, quæ ex accidentibus ei obvenerant, et ejus formam figuramque conjunxerant, in nullum alium conveniebant. Cujus vero proprietates in nullum alium conveniunt, proprietates ejus nulli poterant esse communes. Cujus autem proprietas nulli communis est, nihil est quod ejus proprietatem participet. Quod vero tale est ut proprietatem ejus nullus participet dividi in ea quæ non participat non potest: recte igitur hæc quorum proprietates in alium non conveniunt, individua nuncupantur. At vero hominis proprietas, id est specialis convenit in Socratem et Platonem et in cæteros, quorum proprietates ex accidentibus venientes, in quemlibet alium singularem nulla ratione conveniunt.

Continetur igitur individuum quidem sub specie, species autem sub genere. Totum enim quidem est genus, individuum autem pars, species vero totum et pars: sed pars quidem alterius, totum vero non alterius sed in aliis. In partibus enim totum est. De genere quidem est specie, et quid sit generalissimum, et quid specialissimum, et quæ genera, et species eadem sunt,

et quæ individua, et quot modis genus et species dicatur, sufficienter dictum est.

Retractat omnia breviter quæ supra latius absolvit dicens individuum a specie contineri, species vero ipsas a genere, hujus causam reddens ait : Omne genus totum est, individuum vero pars. Genus enim in eo quod totum est, continet totum, et si species esse potest: totum enim non ut genus et species, sed ut ea quæ supponitur generi. Genus igitur in eo quod genus est, totum est speciebus: semper enim continet eas. At vero individuum semper est pars, nunquam enim ipsum aliquid sua proprietate concludit. Species vero, et pars et totum est, pars quidem generis, totum vero individuis. Et cum pars est ad singularitatem refertur, cum totum ad pluralitatem. Quoniam enim unum genus pluribus speciebus superest, una quælibet species pars est generis, id est unius. Quoniam autem species pluribus individuis præest, non est uni individuo totum, sed plurimis. Idcirco enim totum dicitur, quia plura continet et coercet. Nam ut pars sit aliquid, unum ipsum unius pars esse poterit: ut vero totum sit, unum ipsum uni totum esse non poterit. Idcirco alterius quidem pars est species, aliis vero totum ; sed de genere quidem et specie dictum est, et quid sit generalissimum genus: quoniam id cui nullum aliud superponitur genus, et quid specialissima species: quoniam ea cui species nulla supponitur, et quæ genera eædem sunt et species, scilicet subalterna quibus aliquid supraponitur, aliquid vero supponitur; quæ etiam individua, ea scilicet quorum proprietates alteri nequeunt convenire, et quot modis genus et species dicitur. Genus quidem aut in multitudine aut in procreatione aut in participatione substantiæ consistit, species autem ex figura, aut ex generis suppositione, ut sufficienter dictum est. Quibus absolutis, modum voluminis terminabo, ut quarti area libri differentia reservetur.

LIBER QUARTUS.

De differentia disputanti non æque illud debet occurrere, quod in generis specieique tractatu de collocationis ordine quærebatur. Illic enim meminimus inquisitum cur esset omnibus præpositum genus ut id primum ad disputationem veniret, cur post genus species esset injecta; nunc vero supervacuum est dicere cur post speciem differentia sumpta sit, cum illud jam fuerit inquisitum cur non ante speciem collocata sit. Quod si mirum videbatur speciem differentiæ in disputationis loco fuisse præpositam, eo quod differentia continentior ac magis amplior esset specie, quid est quod possit quisque mirari, si eamdem differentiam ante proprium atque accidens collocaverit? Cum proprium unus semper sit speciei, ut posterius demonstrabitur, accidens vero exteriorem quamdam ostendat naturam, nec omnino in substantia prædicetur, differentia vero utrumque contineat, et de pluribus speciebus et in substantia prædicetur. Sed hæc hactenus, nunc ad ipsa Porphyrii verba redeamus.

DE DIFFERENTIA.

Differentia vero communiter, proprie, et magis proprie dicitur. Communiter quidem differre alterum ab altero dicitur, quoniam alteritate quadam differt quocunque modo, vel a seipso vel ab alio ; differt enim Socrates a Platonea alteritate quadam, et ipse a se puero jam vir factus, et a se faciente aliquid cum quiescit, et semper in aliquo modo habendi se alteritatibus spectatur. Propriæ autem differre alterum ab altero dicitur, quando inseparabili accidente alterum ab altero differt. Inseparabile vero accidens est, ut nasi curvitas, cæsitas oculorum, et cicatrix cum ex vulnere occalluerit. Magis autem proprie alterum differre ab altero dicitur, quando specifica differentia differt, quemadmodum homo ab equo specifica differentia differt rationali qualitate.

Tribus modis aliud ab alio distare prædiximus, genere, specie, numero, in quibus omnibus aut secundum substantiales quidam differentias alia res distat ab alia, aut secundum accidens. Nam quæ genere vel specie distant, substantialibus quibusdam differentiis disgregata sunt, idcirco quoniam genera et species quibusdam differentiis substantialibus informantur. Nam cum homo ab arbore genere distet, animalis sensibilis qualitas in eo differentiam facit. Addita enim sensibilis qualitas animato animal facit eidem detracta facit inanimatum atque insensibile, quæ virgulta sunt; igitur homo atque arbor genere differunt : utraque enim sub animalis genere poni non possunt nam, differentia sensibili secundum genus discrepant quæ unius ex propositis tantum genus id est hominis informat, ut dictum est. Illa vero quæ specie distant manifestum est, quod ipsa quoque differentiis substantialibus discrepant ut homo atque equus differentiis substantialibus rationalitate atque irrationalitate distant. Ea vero quæ individua sunt, et solo numero discrepant, solis accidentibus distant hæc autem sunt vel separabilia vel inseparabilia. Separabilia quidem, ut moveri, dormire; distat enim alius ab alio quod ille somno prematur, hic vigilet. Distat item inseparabilibus accidentibus, quod hic statutæ sit longioris, hic minime. Quæ cum ita sint, in ternarium numerum has differentiarum diversitates Porphyrius colligit, hisque ipse nomina quibus postutatur, apponit, dicens : Omnis differentia vel communiter vel propria, vel magis propria nuncupatur. Communiter quidem eam differentiam sumens quæ quodlibet accidens monstraret, quæ in quadam alteritate consistit, ut si Plato a Socrate differat quod ille sedeat, hic ambulet, vel quod ille senex, hic vero sit juvenis; a seipso etiam sæpe aliquis differre potest; ut si nunc quidem faciat aliquid cum ante quieverit, vel si nunc adolescens jam factus sit, cum prius te-

nera vixisset infantia. Communes autem differentiæ nuncupatæ sunt, quoniam nullius propriæ esse possunt differentiæ, et quæ separabilia accidentia sola significant. Nam et stare et sedere et facere aliquid ac non facere, multorum atque adeo omnium sunt, et separabilia esse accidentia manifestum est. Quibus si qua differunt, communibus differentiis distare dicuntur. Præterea puerum esse atque adolescentem vel senem, ea quoque veraciter separabilia sunt accidentia. Nam ex pueritia ad adolescentiam, atque hinc ad senectutem, ab hac denique ad decrepitam usque ætatem, naturæ ipsius necessitate progredimur. Illud forsitan sit dubitabile de uniuscujusque forma corporis, an ullo modo separari queat. Sed ea quoque est separabilis forma, nullius enim diuturna ac stabilis forma perdurat. Idcirco nec peregrinus pater relictum domi puerum, si adolescentem redux viderit, potest agnoscere: forma enim semper quæ ante fuerat, permutatur, atque ipsa alteritas qua distamus ab altera semper diversa est. Constat igitur, hanc communem differentiam separabilibus maxime accidentibus applicari, propria vero est quæ inseparabilia significat accidentia. Ea hujusmodi sunt ut si quis cæsiis nascatur oculis, si qui incurvo naso: dum enim adest nasus atque oculi, ille cæsius, ille semper erit incurvus, atque hoc per naturam. Sunt vero alia quæ per accidens corporibus fiunt, ut si cui vulnus inflictum cicatrice fuerit obductum, hoc si occalluerit propriam differentiam facit: distabit enim alter ab altero quod hic cicatricem habeat, ille vero minime, postremoque in his omnibus vel separabilibus accidentibus vel inseparabilibus, alia sunt naturaliter accidentia, alia extrinsecus. Naturaliter quidem ut pueritia vel juventus et totius conformatio corporis. Sicque cæsii oculi, et curvitas nasi, et superiora quidem exempla separabilis accidentis per naturam sunt, posteriora vero inseparabilis accidentis. Item extrinsecus vel ambulare, vel currere; id enim non natura, sed sola affert voluntas. Natura vero tantum posse dedit non etiam facere, atque hæc sunt separabiles accidentis extrinsecus venientis exempla. Illa vero inseparabilis accidentis extrinsecus; ut si qua cicatrix obducta vulneri occalluerit. Magis propriæ autem differentiæ prædicantur, quæ non accidens, sed subtantiam formant, ut hominis rationabilitas: differt enim homo a cæteris quod rationalis est vel quod mortalis. Hæ sunt igitur magis propriæ, quæ monstrant uniuscujusque substantiam. Nam si illæ quidem idcirco communes dicuntur, quia separabiles atque omnium sunt, aliæ autem propriæ, quoniam separari non possunt, quamvis sint in accidentium numero, illæ jure magis propriæ prædicantur, quæ non modo a subjecto separari non possunt, verum etiam subjectis ipsis speciem substantiamque perficiunt. Ex his igitur tribus differentiarum diversitatibus, id est communibus, propriis, et magis propriis fiunt secundum genus, vel speciem, vel numerum discrepantiæ. Nam ex communibus, et propriis secundum numerum distantiæ nascuntur: ex magis propriis vero secundum genus ac speciem,

Universaliter ergo omnis differentia alteratum facit cuilibet adveniens: sed ea quæ est communiter et proprie, alteratum facit: illa autem quæ est magis proprie, aliud. Differentiarum enim, aliæ quidem alteratum faciunt: aliæ vero aliud. Illæ igitur quæ faciunt aliud, specificæ vocantur, illæ vero quæ alteratum, simpliciter differentiæ: animali enim rationalis differentia adveniens aliud facit, et speciem animalis facit. Illa vero quæ est movendi, alteratum facit a quiescente. Quare hæc quidem aliud, illa vero alteratum solum facit.

Omnis differentia alterius ab altero distantiam facit. Sed quæ hæc facit alteratum, vel est communis vel continens vel cum quodam proprio et magis proprio differentiarum modo, quare quidquid qualibet ratione ab alio diversum est, alteratum esse dicitur. Si vero accesserit illi diversitati, ut etiam specifica quadam differentia sit diversum, non alteratum solum verum etiam aliud esse prædicatur. Alteratio igitur continens est, aliud vero intra alterationis spatium continetur; igitur omne quod aliud est, alteratum est, sed non omne quod alteratum est, aliud dici potest. Itaque si accidentibus aliquibus fuerit facta diversitas, alteratum quidem effectum est. Quoniam quidem quolibet modo, vel ex quibuslibet differentiis considerata diversitas alterationem facit intelligi, aliud vero non fit, nisi substantiali differentia alterum ab altero fuerit dissociatum. Itaque communes et propriæ differentiæ, quoniam accidentium (ut dictum est) sunt quæ solum efficiunt alteratum, aliud vero minime: magis autem propriæ, quoniam substantiam tenent et in subjecti forma prædicantur, non modo alteratum, quod est commune et substantiali et accidentali differentiæ, sed etiam aliud faciunt, quod ea sola retinet differentia, quæ substantiam continet formamque subjecti. Atque hæ quidem differentiæ quæ faciunt aliud, specificæ nuncupantur idcirco quod efficiunt speciem, quam, cum substantialibus differentiis informaverint, faciunt ab aliis ita esse diversam, ut non alterum solum sit, verum etiam tota aliud esse prædicetur. Itaque fit hujusmodi divisio: differentiarum aliæ alteratum faciunt, aliæ vero aliud, et illæ quidem quæ faciunt alteratum, simpliciter puroque nomine differentiæ nuncupantur, illæ vero quæ aliud, specificæ differentiæ prædicantur. Atque ut planius liqueat quid sit alteratum, et quid aliud, tali describuntur termino vel declarantur exemplo: aliud est quod tota speciei ratione diversum est, ut equus ab homine, quoniam rationalis differentia animali adveniens hominem facit, aliudque eum quam equum esse constituit. Item si unus homo sedeat, alter assistat, non efficietur homo diversus ab homine, sed eos alteratio sola disjungit, ut eum qui assistit ab ea qui sedet alteratum faciat. Itemque si ille sit nigris oculis, iste cæsiis, nihil, quantum ad formam humanitatis attinet, permutatum est, ita secundum has differentias alteratio sola consistit: at si equus quidem jaceat, homo vero ambulet, et aliud est equus ab homine et alteratum, dupliciter quidem alteratum, se-

mel vero aliud.Alteratum est, quod omnino specie diversum est,et est aliud.Omne enim aliud,ut dictum est,etiam alteratum est,vel quod accidentibus distat, quod ille jaceat hic ambulet. Semel vero est aliud, quod rationabili atque irrationabili differentiis segregatur,quæ specificæ sunt,et substantiales dicuntur. Est igitur alteratum,quod ab aliquo qualibet ratione diversum est.

Secundum igitur aliud facientes differentias et divisiones fiunt a generibus in species,et diffinitiones assignantur,quæ sunt ex genere,et hujusmodi differentiis:secundum autem eas quæ solum alteratum faciunt, alterationes solum consistunt, et aliquo modo se habentis permutationes.

Quoniam in principio hujus operis generis, specieique differentiæ,proprii et accidentis notitiam ad divisionem atque diffinitionem utilem esse prædixit, idcirco nunc differentiarum ipsarum facta divisione easdem partitur et segregat,quænam differentiæ,divisionibus ac diffinitionibus accommodentur, quæ vero minime.Quoniam igitur divisio generis ita in species facienda est,ut illæ a se species omni ratione substantiæ diversæ sint,idcirco non probat esse assumendas eas ad divisionem differentias, quæ vel separabilis, vel inseparabilis accidentis significationem tenent,vel eas differentias quæ solum faciunt alteratum,aliud vero perficere et informare non possunt.Inutiles enim sunt ad divisionem hæ differentiæ quæ faciunt alteratum.Segregandæ igitur sunt communes et propriæ a generis divisione, illæ assumendæ tantum quæ sunt magis propriæ. Nam illæ faciunt aliud,quod generis divisio videtur exposcere. Ad diffinitionem quoque eædem magis propriæ plurimum valerent. Communes et propriæ,velut inutiles segregantur : communes enim et propriæ,quoniam accidens diversi generis ferunt,nihil substantiæ ratione conformant,diffinitio vero omnis substantiam conatur ostendere.Specificæ vero differentiæ illæ sunt quæ,ut superius dictum est,speciem informant substantiamque perficiunt, hæ sunt magis propriæ.Eædem igitur sicut in divisionem generis, ita etiam in diffinitionem specierum assumuntur, nunc divisivæ,ad partitionem generis accommodantur.Ita igitur cum divisivæ sint generis aliud constituunt quam erat, in substantiæ vero diffinitione speciei informationem faciunt : cumque magis propriæ et aliud faciunt et specificæ sint, eo quod aliud faciunt,divisionibus aptæ sunt : hæ vero,qua speciem informant diffinitionibus accommodatæ sunt.Communes autem et propriæ quoniam neque aliud faciunt, sed alteratum, neque omnino substantiam monstrant, æque a divisione ut a diffinitione disjunctæ sunt.

A superioribus rursus inchoanti dicendum est,differentiarum alias quidem esse separabiles, alias vero inseparabiles. Moveri enim et quiescere, et sanum esse, et ægrum,et quæcunque his proxima sunt,separabilia sunt. At vero aquilum esse, vel simum, vel rationale, vel irrationale, inseparabilia sunt.Inseparabilium autem,aliæ quidem sunt per se,aliæ vero per accidens nam rationale per se inest homini et mortale, et disciplinæ esse susceptibile.At vero aquilum esse vel simum, per accidens et non per se.

Superius differentias triplici divisione partitus est dicens,aut communes esse,aut proprias,aut magis proprias,deinceasdem alia divisione in duas secuit partes,dicens has quidem aliud facere,illas vero alteratum.Nunc tertiam earumdem facit divisionem, dicens alias esse separabiles, posse autem de unoquoque cujus multæ sunt differentiæ,plurimas fieri divisiones,ut ex ipsa differentiarum natura manifestum est. Nam si omnis divisio differentiis distribuitur,quorum multæ sunt differentiæ,multas etiam divisiones esse necesse est.Fit autem ut animal dividatur hoc modo:Animalium alia quidem sunt rationalia,alia irrationalia.Item alia mortalia,alia immortalia. Item alia pedes habentia, alia minime. Rursus alia herbis vescentia,alia carnibus, alia seminibus.Ita nihil mirum videri debet si multiplex differentiæ est facta partitio,ac primum quidem cum in ternarium differentiæ numerum membra secuisset,communes; proprias et magis proprias nuncupavit. Secunda vero divisio communes et proprias intra nomen alteratum facientis inclusit, magis propriasvero intra aliud facientis.Hæc vero tertia divisio qua ait differentiarum alias esse separabiles, alias inparabiles,unam quidem ex facientibus alteratum separabilibus differentiis adjungit,cæteras vero inter separabilis differentiæ vocabulum claudit:unam enim ex alteratum facientibus,id est propria differentia,et reliqua quæ aliud facere demonstrata est,id est magis propria,inseparabiles differentiæ esse dicuntur,quarum ita subdivisio fit: inseparabilium differentiarum aliæ sunt per se,aliæ per accidens:per se quidem,magis propriæ; secundum accidens vero, propriæ:per se autem aliquid inesse dicitur,quo alicujus substantiam informat.Sienim idcirco quælibet species est,quoniam substantiali differentia constituitur, illa differentia per se subjecto adest,neque per accidens,aut per quodlibet aliud medium,sicut per ardorem solis adhæret nigredo faciei hominis,sed sui præsentia speciem quam tuetur informat, ut hominem rationalitas : homini enim hujusmodi differentia per se inest, idcirco homo est,quia rationabilitas adest. quæ si discesserit, species hominis non manebit,et has quidem quæ substantiales sunt inseparabiles esse nullus ignorat.Separari enim a subjecto non poterunt, nisi interempta sit natura subjecti. Secundum accidens vero quæ inseparabiles differentiæ sunt, hæ quæ propriæ nuncupantur, ut aquilum esse, vel simum, quæ idcirco per accidens nuncupatur,quoniam jam constitutæ speciei extrinsecus accidunt,nihil subjecti substantiæ accommodantes.

Illæ igitur quæ per se sunt,in ratione substantiæ accipiuntur,et faciunt aliud: illæ vero quæ secundum accidens,nec in substantiæ ratione accipiuntur,nec faciunt aliud, sed alteratum.Et illæ quidem quæ per se sunt, non sunt suscipiunt magis et minus:illæ vero quæ accidens,per etsi inseparabiles sint,intensionem accipiunt et remissionem: nam neque genus magis et minus præ-

dicatur de eo cujus est genus, neque generis differentiæ, secundum quas dividitur : ipsæ enim sunt quæ uniuscujusque rationem complent; esse autem, unicuique unum et idem, nec intensionem nec remissionem suscipiens est, aquilum autem vel simum esse, vel coloratumaliquo modo, et intenditur et remittitur.

Differentiis rite partitis earum inter se distantiam monstrat Porphyrius, atque unam quidem repetit quam superius dixit.Cum enim tres esse dixisset differentias communes,proprias,et magis proprias,alteratum facere dixit proprias, sicut et communes, aliud vero minime, sed hoc solis magis propriis ervavit,nunc igitur idem repetit dicens:Quoniam in separabiles differentiæ quæ substantiam monstrant, id est quæ per se subjectis speciebus insunt easque perficiunt, aliud faciunt : illæ vero quæ sunt propriæ, id est secundum accidens inseparabiles differentiæ, neque in substantia sunt, neque aliud faciunt, sed tantum, ut superius dictum est, alteratum. Item alia distantia est earum differentiarum quæ secundum substantiam sunt,ab his quæ accidens: quoniam quæ substantiam monstrant,intendi aut remitti non possunt, quæ vero secundum accidens et intensione crescunt,et remissione decrescunt : id autem probatur hoc modo, unicuique rei esse suum neque crescere neque diminui potest, nam qui homo est humanitatis suæ nec crementa potest, nec decrementa suscipere.Nam neque ipse plus a se aut minus hodie vel quolibet alio tempore homo esse potest, nec homo rursus ab alio homine plus homo potest esse vel animal. Utrique enim æqualiter animalia, æqualiter homines esse dicuntur. Quod si unicuique esse suum nec cremento ampliari potest, nec imminutione decrescere, quod per id facile monstrari potest; quoniam quæ genera sunt vel species, nulla intensione vel remissione variantur, non est dubium quin differentiæ quoque, quæ uniuscujusque speciei substantiam informant, nec remissionis detrimenta suscipiant,nec intensionis augmenta.Itaque substantiales differentiæ neque intensionem, neque remissionem suscipiunt,hujus causa hæc est :Quoniam esse unicuique unum est, et idem est, et intensionem remissionemque non suscipit, hujus exemplum sit. Genus enim dici non potest plus minusve cuilibet esse genus, omnibus enim genus æqualiter superponitur. Differentiæ quoque quæ dividunt genus et informant speciem,quoniam speciei essentiam complent, nec intensionem recipiunt, nec remissionem. Quæ vero secundum accidens differentiæ sunt inseparabiles,ut simum esse, vel aquilinum, vel coloratum aliquo modo, et intensionem suscipiunt et remissionem. Fieri enim potest ut hic paulo sit nigrior, hic vero amplius simus sit, ille minus aquilus. At vero quod non omnes homines æqualiter rationales mortalesque sint, nec specierum,nec differentiarum natura videtur admittere.

Cum igitur tres species differentiæ considerentur,et eum hæ quidem sintseparabiles,illæ vero inseparabiles, et rursus inseparabilium, hæc quidem sint per se, illæ vero per accidens,et rursus earum quæ per se sint differentiarum,aliæ quidem sunt, secundum quas dividimus genera in species : aliæ vero secundum quas ea quæ divisa sunt specificantur,ut cum per se differentiæ omnes hujusmodi animalis sint, animalis et sensibilis, rationalis et irrationalis,mortalis et immortalis, ea quidem quæ est animati et sensibilis differentia, constitutiva est animalis substantiæ:est enim animal substantia animata sensibilis, ea vero quæ est mortalis et immortalis differentia,itemque rationalis et irrationalis, divisivæ sunt animalis differentiæ,per eas enim genera in species dividimus.

Fit nunc differentiarum plena et suprena divisio, quæ est hujusmodi : differentiarum aliæ sunt separabiles, aliæ inseparabiles, inseparabilium aliæ sunt secundum accidens, aliæ substantiales. Substantialium aliæ sunt divisivæ generis,aliæ constitutivæ specierum. Quod vero ait : Cum igitur tres species differentiæ considerentur, ad hoc retulit, quod in prima differentiarum divisione,partim eas communes dicit esse, partim proprias,partim magis proprias dixit, quas rursus tres differentias, alias separabiles esse monstravit, alias inseparabiles. Separabiles quidem communes, inseparabiles vero proprias, ac magis proprias.Inseparabilium vero fecit divisionem dicens, alias esse secundum accidens,alias secundum substantiam considerari, et illas esse secundum accidens,quæ propriæ nuncupantur: magis proprias vero secundum substantiam considerari.Earum vero quæ secundum substantiam sunt, subdivisionem facit, quod aliæ earum genus dividant, aliæ speciem informent.Ad cujus rei facilem cognitionem,illa tertii libri specierum generumque dispositio transcribatur, sitque primum substantia, sub hac corporeum atque incorporeum,sub corpore animatum atque inanimatum, sub animato sensibile atque insensibile, sub quo animal, sub animali rationale atque irrationale, sub rationali mortale atque immortale,et sub mortali species hominis, quæ solis deinceps individuis præponatur. In hac igitur divisione, omnes hæ differentiæ specificæ nuncupantur,generum enim specierumque differentiæ sunt: sed generum quidem divisivæ, specierum autem constitutivæ, id autem probatur hoc modo : substantiam quippe corporei atque incorporei differentiæ partiuntur, corporeum vero animati atque inanimati animatum sensibilis atque insensibilis partiuntur.Ita igitur genera substantiales differentiæ partiuntur,et dicuntur generum divisivæ.At vero si eædem differentiæ quæ a genere descendentes genus dividunt, colligantur, et ad unum ad quod possunt juingi copulentur,species informantur: nan cum animal substantiæ sit species (omnia enim superiora de inferioribus prædicantur,et quidquid inferius fuerit,species erit etiam superioris),animatum tamen atque sensibile quæ sunt ejusdem differentiæ,si referantur ad genera divisivæ sunt, si ad speciem, constitutivæ fiunt animalis,ejusque substantiam formant atque constituunt,diffinitionemque conformant, ut sit animal substantia animata sensi-

bilis. Substantia quidem est genus, animatum vero atque sensibile divisivæ ejusdem differentiæ, constitutivæ animalis. Item animal rationabilitas atque irrationabilitas, mortalitas atque immortalitas dividit, sed juncta rationalitas atque mortalitas, quæ animalis divisiva fuerant, fiunt hominis constitutivæ, ejusque perficiunt speciem, atque omnem ejus rationem diffinitionis informant atque perficiunt. At si irrationabilitas cum mortalitate jungatur, fiet equus atque quodlibet animal, quod ratione non utitur. Rationabilitas vero atque immortalitas copulatæ substantiam Dei informant. Ita igitur eædem differentiæ cum referuntur ad genera, divisivæ generum fiunt. Si vero ad inferiores species considerentur, informant species, earumque substantiam convenienti copulatione constituunt. In hoc quæsitum est, quemadmodum dicerentur esse hæ differentiæ specierum constitutivæ, cum irrationabilis differentia atque immortalis nullam speciem videantur efficere. Respondemus primum quidem placere Aristoteli, cœlestia corpora animata non esse. Quod vero animatum non sit animal esse non posse : quod vero non sit animal, nec rationale esse concedi, sed eadem corpora propter simplicitatem et perpetuitatem motus æterna esse confirmat. Est igitur aliquid quod ex duabus his differentiis conficiatur, irrationabili scilicet atque immortali. Quod si magis concedendum Platoni est, et cœlestia corpora animata esse credendum, nullum quidem his differentiis potest esse subjectum. Quidquid enim irrationabile est corruptioni subjacens et generationi, immortale esse non poterit. Sed tamen hæ differentiæ, quoniam in substantiarum differentiarm numero sunt, si jungi ullo modo potuissent, earum naturam et speciem quoque possent efficere : atque ut intelligatur quæ sit hæc potentia efficiendæ substantiæ specieique formandæ, respiciamus ad proprias atque communes, quæ tametsi jungantur, speciem substantiamque nulla ratione constituunt. Si quis enim loquatur ambulans, quæ sunt duæ communes differentiæ, vel si longus ac albus, num idcirco eisdem ejus substantia constituitur ? minime. Cur ? Quia non ejusdem sunt generis, quæ alicujus possunt constituere et conformare substantiam : ita igitur hæ, id est irrationale atque immortale, etiams, subjectum aliquod substantiæ habere non possunti possent tamen substantiam efficere, si ullo modo jungi copularique potuissent. Præterea irrationale junctum cum mortali substantiam pecudis facit. Est igitur constitutiva irrationalis differentia. Item immortale atque rationale conjuncta, efficiunt Deum. Est igitur immortale quod speciem format. Quod si inter se jungi nequeunt, non idcirco quod in natura eorum est, abrogatur.

Sed hæ quidem quæ divisivæ sunt differentiæ generum, completivæ fiunt et constitutivæ specierum : dividitur enim animal rationali et irrationali differentia, et rursus mortali et immortali differentia ; sed eæ quæ sunt rationalis differentiæ et mortalis, constitutivæ sunt hominis, rationalis vero et immortalis, Dei : illæ vero quæ sunt irrationalis et mortalis, irrationabilium animalium. Sic et suprema substantia, cum divisiva sit animati et inanimati differentia, sensibili et insensibili, animata et sensibilis congregatæ ad substantiam, animal perfecerunt, animata vero et insensibilis perfecerunt plantam.

Geminum differentiarum usum esse demonstrat, unum quidem quo genera dividuntur, alium quo species informantur : neque enim hoc solum differentiæ faciunt, ut genera partiantur, verumetiam dum genera dividunt, species in quas genera deducuntur efficiunt. Itaque quæ divisæ sunt generum, fiunt constitutivæ specierum, hujusque illud exemplum est, quod ipse subjecit : animalis quippe differentiæ sunt divisivæ, rationale atque irrationale, mortale atque immortale, his enim prædicatio dividitur animalis. Omne enim quod animal est, aut rationale, aut irrationale, aut mortale, aut immortale est. Sed istæ differentiæ quæ dividunt genus quod est animal, speciei substantiam formamque constituunt. Nam cum sit homo animal, efficitur rationali mortalique differentiis. quæ dudum animal partiebantur. Item cum sit equus animal, irrationali mortalique differentiis constituitur, quæ dudum animal dividebant. Deus autem cum sit animal, ut de sole dicamus, rationali immortalique efficitur differentiis, quas dividere genus habita partitio paulo monstravit. Sed hic (ut diximus) Deum corporeum intelligi oportet, ut solem et cœlum cæteraque hujusmodi, quæ cum animata et rationabilia Plato esse confirmat, tum in deorum vocabulum antiquitatis veneratione probantur assumpta, de primo quoque genere, id est substantia demonstrantur venire differentiæ. Nam cum ejus divisivæ sint differentiæ animatum atque inanimatum, sensibile atque insensibile, junctæ differentiæ sensibilis atque animati efficiunt substantiam animatam atque sensibilem, quod est animal. Jure igitur dictum est quæ divisivæ sunt differentiæ generum, easdem constitutivas specierum.

Quoniam ergo eædem aliquo modo acceptæ fiunt constitutivæ, aliquo modo autem divisivæ, omnes specificæ dicuntur : et his maxime opus est ad divisiones generum et diffinitiones specierum, sed non his quæ secundum accidens inseparabiles, nec magis his, quæ sunt separabiles.

Omnes a genere differentias procedentes genus ipsum a quo procedunt, dividere nullus ignorat. Ipsæ autem quæ dividunt genus, si ad posteriores species applicentur, informant substantias earum, easque perficiunt. Eædem igitur quæ sunt constitutivæ specierum, eædem sunt divisibiles generum, alio tamen modo atque alio consideratæ, ut si relatæ quidem ad genus in contrariam divisionem spectentur, divisibiles generis inveniuntur. Si vero junctæ aliquid efficere possunt, specierum constitutivæ sunt. Quæ cum ita sint, hæ differentiæ quæ genus dividunt, rectissime divisivæ nominantur : quæ enim constituunt speciem specificæ nuncupantur, sed constituunt speciem hæ differentiæ quæ sunt generis divisivæ. Igitur eædem

quæ sunt specierum constitutivæ, specificæ nuncupantur: quare quæ generum divisivæ, et quæ specierum constitutivæ sunt, jure specificæ nuncupantur. Has igitur in divisione generis et in diffinitione specierum accipi oportere, manifestum est: quoniam enim divisivæ sunt, per eas dividi oportet genus: quoniam autem constitutivæ, per eas species diffiniri, quibus enim unumquodque constituitur, hisdem etiam diffinitur. Constituitur autem species per differentias generis divisivas, quæ sunt specificæ. Jure igitur hæ specificæ solæ, et in generis divisione, et in specierum diffinitione ponuntur, et de specificis quidem hæc ratio est. De his autem quæ vel separabilia, ve inseparabilia continent accidentia, nihil in generum divisione, vel in diffinitione specierum poterit assumi, idcirco quoniam quæ divisibiles sunt, substantiam generis dividunt: et quæ constitutivæ sunt, substantiam speciei constituunt: quæ vero sunt inseparabilia accidentia, nullius speciei substantiam informant; unde fit ut multominus separabilia accidentia ad divisionem generum vel specierum diffinitiones accommodentur. Omnino enim dissimiles sunt substantialibus differentiis. Nam in separabilia accidentia hoc fortasse habent commune cum specificis, hoc est cum substantialibus differentiis, quod æque subjectum non relinquunt, sicut nec specificæ differentiæ. Separabilia autem accidentia, ne hoc quidem: separari enim possunt non tantum potestate et mentis ratiocinatione, sed actus etiam præsentia, et omnino veniendi vel discedendi varietatibus permutantur.

Quas etiam determinantes dicunt: Differentia est qua abundat species a genere. Homo enim ab animali plus habet rationale et mortale: animal enim ipsum nihil horum est, nam unde haberent species differentias? nec enim omnes oppositas habet, namque idem simul habebit oppositas, sed quemadmodum probant, potestate quidem habet omnes differentias sub se, actu vero nullam. Et sic nec ex his quæ non sunt, aliquid fit, nec in eodems imul opposita erunt.

Specificas differentias diffinitione concludit, dicens substantiales differentias a quibusdam tali descriptionis ratione diffiniri. Differentia specifica est qua abundat species a genere, fit enim genus animal, species homo: habet igitur homo differentias in se, quæ ipsum constituunt rationale atque mortale: omnis enim species constitutivas formæ suæ differentias in se retinet, nec præter illas esse potest, quarum congregatione perfecta est. Si igitur animal quidem solum genus est, homo vero est animal rationale mortale, plus habet homo ab animali id quod rationale est atque mortale. Quo igitur abundat species a genere, id est quo superat genus, et quo plus habet a genere, hoc est specifica differentia? Sed huic diffinitioni quædam quæstio videtur occurrere, habens principium ex duabus propositionibus per se notis: una quidem, quoniam duo contraria in eodem esse non possunt: alia vero, quoniam ex nihilo nihil fit. Nam neque contraria pati sese possunt, ut in eodem simul sint, nec aliquid ex nihilo fieri: omne enim quod fit, habet aliquid unde effici possit atque formari. Quæ propositiones talem faciunt quæstionem: dictum est differentiam esse id qua plus habet species a genere. Quid igitur? dicendumne est, genus eas differentias, quas habet species non habere: et unde habebit species differentias quas genus non habet? nisi enim sit unde veniant, differentiæ in speciem venire non possunt: quod si genus has differentias non habet, species autem habet, videntur ex nihilo differentiæ in speciem convenisse, et factum esse aliquid ex nihilo, quod fieri non posse superius dicta propositio monstravit: quod si differentias omnes genus continet, differentiæ autem in contraria dissolvuntur, fiet ut rationabilitatem atque irrationabilitatem, mortalitatem atque immortalitatem simul habeat animal, quod est genus, et erunt in eodem bina contraria, quod fieri non potest. Neque enim in corpore solet esse alia pars alba, alia nigra, ita fieri in genere potest: genus enim per se consideratum partes non habet, nisi ad species referatur: quidquid igitur habet, non partibus, sed tota sui magnitudine retinebit. Nec illud dubium est quin in partibus suis genus habeat contrarietates, ut animal in homine habet rationabilitatem, in bove vero contrarium. Sed nunc non de speciebus quærimus de quibus constat quod dictum est, sed an ipsum per se genus eas differentias, quas habent species, habere possit, atque intra suæ subtantiæ ambitum continere: hanc igitur quæstionem tali ratione dissolvimus: Potest quidlibet id quod est non esse, sed alio modo esse, alio vero non esse, ut Socrates cum stat, et sedet et non sedet, sedet quidem potestate, actu vero non sedet. Cum enim stat, manifestum est eum non agere sessionem, sed potius standi immobilitatem. Sed rursus cum stat, sedet, non quia jam sedet, sed quia sedere potest: ita actu quidem non sedet, potestate vero sedet. Et ovum animal est, et non est animal: non est quidem animal actu, adhuc namque ovum est, nec in animalis processit vivificationem, sed idem est tantum animal potestate: quia potest effici animal, cum formam ac speciem vivificationis acceperit. Ita igitur genus habet has differentias et non habet, non habet quidem actu, sed habet potestate. Si enim ipsum per se animal consideretur, differentias non habet. Si autem ad species reducatur, habere potest, sed distributim, atque ut ejus speciebus separatim nihil possit evenire contrarium. Ita ipsum genus si per se consideretur differentiis caret: quod si ad species referatur per distributas species, velut in partibus suis contraria retinebit, atque ita nec ex nihilo venerunt differentiæ quas genus retinet potestate, nec utraque contraria in eodem sunt, cum contrarias differentias in eo quod dicitur genus, actu non habeat: impossibilitas enim ejus propositionis quæ dicit contraria in eodem esse non posse, in eo consistit quod contraria actu in eodem esse non possunt. Nam potestate, et non actu duo contraria in eodem esse nihil impedit. Quæ vero nos contraria diximus, Porphyrius opposita nuncupavit. Est enim genus contrarii oppositum: omnia

enim contraria, si sibimetipsis considerentur, opposita sunt.

Definiunt autem et hoc modo: Differentia est quæ de pluribus et differentibus specie in eo quod quale sit prædicatur: rationale enim et mortale de homine prædicatum in eo quod quale est homo dicitur, sed non in eo quod quid est: quidnam enim est homo interrogatis nobis, conveniens est dicere, animal: quale autem requisiti, rationale et morale, convenienter assignabimus,

Tres sunt interrogationes ad quas genus, species, differentia, proprium, atque accidens respondetur, hæ autem sunt: quid sit, quale sit, quomodo se habet. Nam si quis interroget quid est Socrates, respondere per genus ac speciem convenit aut animal, aut homo. Si quis quomodo se habeat Socrates interroget, jure accidens respondetur, id est aut sedet aut legit, et cætera. Si quis vero qualis sit Socrates interroget, aut differentia, aut proprium, aut accidens respondebitur, id est vel rationalis, vel risibilis, vel calvus. Sed in proprio quidem illa est observatio quod illud proprium dici potest, quod de una specie prædicatur: accidens vero tale est quod qualitatem designat quæ non substantiam significat. Differentia vero talis est, quæ subtantiam demonstret, interroganti igitur qualis unaquæque res sit, si volumus reddere substantiæ qualitatem differentiam prædicamus. Quæ differentia nunquam de una tantum specie prædicatur, ut mortale vel rationale, sed de pluribus. Quod igitur de pluribus speciebus inter se differentibus prædicatur ad eam interrogationem, quæ quale sit id de quo quæritur interrogat, ea est differentia, cujus talem posuit diffinitionem: Differentia est quod de pluribus specie differentibus in eo quod quale quid sit prædicatur; cujus diffinitionis causam rationemque pertractans ait:

Rebus enim ex materia et forma constantibus, vel ad similitudinem proportionemque materiæ et formæ constitutionem habentibus, quemadmodum statua ex materia quidem est ærea, forma autem figura: sic et homo communis et specialis, ex materia quidem proportionaliter consistit genere: ex forma autem differentia, totum autem hoc animal rationale mortale, homo est, quemadmodum statua.

Dixit superius differentias esse quæ in qualitate speciei prædicarentur: nunc autem causas exsequitur, cur speciei qualitas differentia sit: Omnes inquit, res vel ex materia formaque consistunt, vel ad similitudinem materiæ atque formæ substantiam sortiuntur. Ex materia quidem formaque subsistunt omnia quæcunque sunt corporalia. Nisi enim sit subjectum corpus quod suscipiat formam, nihil omnino esse potest. Si enim lapides non fuissent tanti, mori parietesque non essent. Si lignum non fuisset, omnino nec mensa quidem, quæ ex ligni materia est, esse potuisset. Igitur supposita materia ac præjacente cum ipsam figura supervenerit, fit quælibet illa res corporea ex materia formaque subsistens: ut Achillis statua ex æris materia, et ex ipsius Achillis figura perficitur. Atque ea quidem quæ corporea sunt, manifestum est ex materia formaque subsistere: ea vero quæ sunt incorporalia, ad similitudinem materiæ atque formæ habent superpositas priores antiquioresque naturas, superquas differentiæ venientes efficiunt aliquid, quod eodem modo sicut corpus, tanquam ex materia ac figura consistere videatur, ut in genere ac specie, additis generi differentiis effecta est. Ut igitur est in Achillis statua, æs quidem materia est, forma vero Achillis qualitas, et quædam figura, ex quibus efficitur Achillis statua, quæ subjecta sensibus capitur: Ita etiam in specie quæ est homo, materia quidem ejus genus est quod est animal, cui superveniens qualitas rationalis, animal rationale, id est speciem facit. Igitur speciei materia quædam est genus: forma vero, quasi qualitatis differentia. Quod est igitur in statua æs, hoc est in specie genus: quod in statua figura conformans, id in specie differentia. Quod in statua est ipsa statua, quæ ex ære figuraque conformatur, id in specie est ipsa species, quæ ex genere differentiaque conjungitur. Quod si materia quædam speciei genus est, forma autem differentia: omnis vero forma qualitas est, jure omnis differentia qualitas appellatur. Quæ cum ita sint, jure in eo quod quale sit interrogantibus respondetur.

Describunt autem hujusmodi differentias, et hoc modo: Differentia est quod est aptum natum dividere ea quæ sub eodem genere sunt: rationale enim et irrationale, hominem et equum quæ sub eodem genere sunt animali dividunt.

Hæc quidem diffinitio cum sit usitata et ante oculos exposita: eam tamen exempli insuper luce reseravit. Omnes enim differentiæ idcirco differentiæ nuncupantur, quia species a se differre faciunt, quas unum genus includit, ut homo atque equus propriis discrepant differentiis: nam sicut homo animal est, ita etiam equus, ergo secundum genus nullo modo distant. Quæ igitur secundum genus nullo modo discrepant, ea differentiis distribuuntur. Additum enim rationale quidem homini, irrationale vero equo, equus atque homo quæ sub eodem fuerant genere, distribuuntur et discrepant, additis scilicet differentiis.

Assignant etiam hoc modo: differentia est, qua differunt a se singula, namque et homo equus secundum genus non differunt. Sumus enim animalia nos et irrationabilia, sed additum rationale disjunxit nos ab illis: rationales quoque sumus et nos et dii, sed mortale appositum disjunxit nos ab illis.

Vitiosa ratione et non sana quod vult explicat diffinitio quorumdam. Id enim dicit esse differentiam, qua unaquæque res ab alia distat, in qua diffinitione nihil interest quod ita dixit, an ita concludat: Differentia est id quod est ipsa differentia; etenim differentiæ nomine in ejusdem differentiæ usus est diffinitione dicens: Differentia est qua differunt a se singula. Quod si adhuc differentia nescitur, nisi diffinitione clarescat, differre quoque quid sit quomodo possumus agnosere? ita nihil amplius attulit ad

agnitionem, qui differentiæ nomine in ejusdem usus est diffinitione. Est autem communis et vaga nec includens substantiales differentias, sed quaslibet etiam accidentales hoc modo: Differentia est qua a se differunt singula; quæ enim genere sunt eadem, differentia discrepant: ut cum homo atque equus idem sint in animalis genere, quoniam utraque sunt animalia, differunt tamen differentia rationali: et cum dii atque homines sub rationalitate sint positi, differunt tamen mortalitate. Rationabile igitur hominis ad equum differentia est, mortale hominis ad Deum, atque hoc quidem modo substantiales differentiæ colliguntur. Quod si Socrates sedeat, Plato vero ambulet, erit differentia sessio vel ambulatio, quæ substantialis non est. Namque istam quoque differentiam diffinitio videtur includere cum dicit, differentia est qua differunt a se singula; quomodocunque enim Socrates a Platone distiterit? nullo autem alio modo distare ab illo nisi accidentibus potest. Id erit differentia secundum superioris terminum diffinitionis, quam rem scillcet viderunt etiam hi qui diffinitionis hujus vagum communemque finem reprehendentes certæ conclusionis terminum subjecerunt.

Interius autem perscrutantes differentiam dicunt, non quodlibet dividens ea quæ sub eodem genere sunt esse differentiam, sed quod ad esse conducit, et quod est pars ejus, et quod est esse rei. Neque enim quod aptum natum est navigare, erit hominis differentia, etsi proprium sit hominis. Dicimus enim animalium hæc quidem apta esse ad navigandum, illa vero minime, dividentes hominem ab aliis: sed aptum esse ad navigandum, non erit completivum substantiæ, nec ejus pars, sed aptitudo quædam solum. Idcirco quia non est talis differentia, quales sunt differentiæ quæ specificæ dicuntur, erunt ergo specificæ differentiæ, quæcunque alteram faciunt speciem, et quæcunque in eo quod quid est esse rei accipiuntur. Ac de differentiis quidem ista sufficiant.

Sensus propositionis hujusmodi est: Quoniam superius dixit determinasse quosdam differentiam esse qua a se singula discreparent, ait alios diligentius de differentia perscrutantes, non fuisse arbitratos recte esse superius propositam diffinitionem. Neque enim omnia quæcunque sub eodem posita genere differre faciunt differentiæ de quibus nunc tractatur, id est specificæ nominari queunt. Plures enim sunt quæ ita dividunt species sub uno genere positas, ut tamen eorum substantiam minime conforment: quia non videntur esse differentiæ specificæ, nisi illæ tantum quæ ad id quod est esse proficiunt, id est hæ quæ in diffinitionibus alicujus partes ponuntur: hæ autem sunt, ut rationale hominis. Nam substantiam hominis conformat, et ad esse hominis proficit, et diffinitionis ejus pars est: ergo nisi ad id quod est esse conducit, et ejus quod est esse rei pars sit, specifica differentia nullo modo poterit nuncupari. Quid est autem esse rei nihil aliud nisi diffinitio. Unicuique enim rei interrogatæ quid est, si quis quod est esse monstrare voluerit, diffinitionem dicit. Ergo si quid diffinitionis pars fuerit, ejus erit pars quæ uniuscujusque rei quid esse sit designet. Diffinitio est quidem quæ quid una quæque res sit, ostendit ac profert, demonstraturque quod unicuique rei sit esse per diffinitionis assignationem. Illæ vero differentiæ quæ non ad substantiam conducunt, sed quoddam extrinsecus accidens afferunt, specificæ non dicuntur, licet sub eodem genere positas species faciant discrepare: ut si quis hominis atque equi hanc differentiam dicat aptum esse ad navigandum homo autem aptus est ad navigandum, equus vero minime: et cum sit equus atque homo sub eodem genere animalis, addita differentia, aptum esse ad navigandum, equum distinxit ab homine. Sed aptum esse ad navigandum non est hujusmodi, quod possit hominis formare substantiam sicut rationale, quæ est substantialis qualitas, sed tantum quamdam quodammodo aptitudinem monstrat, et ad faciendum aliquid vel non faciendum opportunitatem, idcireo igitur specifica differentia non dicitur. Quo fit ut non omnis differentia quæ sub eodem genere positas species distribuit, specifica esse possit, sed ea tantum quæ ad substantiam speciei proficit, et quæ in parte diffinitionis accipitur. Concludit igitur eas esse specificas differentias quæ alteras a se species differre faciunt per distantias substantiales: nam si unicuique id est esse, quodcunque substantialiter fuere, quæcunque differentiæ substantialiter diversæ sunt, et illas species quibus adsunt omni substantia faciunt alias ac discrepantes, atque hæ in diffinitionis parte sumuntur, nam si diffinitio substantiam monstrat, et substantiales differentiæ species efficiunt, substantiales differentiæ partes sunt diffinitionum.

DE PROPRIO.

Proprium vero quadrifariam dividunt: nam et id quod soli alicui speciei accidit, et si non omni, proprium est: ut homini esse medicum vel geometram. Et quod omni accidit, et si non soli, quemadmodum homini esse bipedem. Et quod soli et omni et aliquando, ut homini in senectute canescere. Et quod soli et omni et semper, quemadmodum homini esse risibile: nam etsi non rideat semper, tamen risibilis dicitur, non quod semper rideat, sed quod semper aptus natus sit ad ridendum, hoc autem ei semper naturale est, ut et equo hinnibile. Hæc autem nominantur vere propria, quoniam convertuntur: quidquid enim est equus hinnibile est, et quidquid hinnibile, equus.

Superius dictum est omnia propria ex accidentium genere descendere. Quidquid enim de aliquo prædicatur aut substantiam informat, aut secundum accidens inest. Nihil vero est quod cujuslibet rei substantiam monstret nisi genus, species, et differentia. Genus quidem et differentia, speciei: species vero individuorum. Quidquid ergo reliquum est in accidentium numero ponitur. Sed quoniam ipsa accidentia habent inter se aliquam differentiam, idcirco alia quidem propria, alia priore atque antiquiore nomine accidentia nuncupantur, et de accidentibus paulo post. Nunc de propriis quæ quadrifariam dividuntur,

non tanquam genus aliquod proprium in quatuor species dividi secarique possit, sed hoc quod ait dividunt, ita intelligendum est tanquam si diceret nuncupant, id est proprium quadrifariam dicunt, cujus quadrifariæ appellationis significationes enumerat, ut quæ sit conveniens et congrua nuncupatio proprietatis ostendat. Dicit ergo quod proprium primo est, accidens quod ita uni speciei adest, ut tamen nullo modo coæquetur ei, sed infra subsistat ac maneat, ut hominis dicitur proprium medicum esse, idcirco quod nulli animalium inesse potest. Nec illud attendendum an hoc de omni homine prædicari possit, sed illud tantum quod de nullo alio nisi de homine dici potest, medicum esse. Et hæc quidem significatio proprii dicitur esse soli, etiamsi non omni. Soli enim speciei, etiamsi non omni coæquatur, ut homini medicum esse, soli quidem inest homini, sed non omnibus hominibus ad scientiam adest. Aliud proprium est quod huic econtrario dicitur omni etiam non soli, quod hujusmodi est, ut omnem quidem speciem contineat eamque transcendat. Et quoniam quidem nihil est ex subjectis speciei quod illo proprio non utatur dicimus omni. Quoniam vero transcendit in alias, dicimus non soli, hoc hujusmodi est quale homini esse bipedem. Proprium enim est hominis esse bipedem. Omnis enim homo bipes est etiamsi non solus, aves enim et bipedes sunt. Geminæ igitur significationes proprii quæ superius dictæ sunt habent aliquid minus; prima quidem quod non omni, secunda vero quod non soli, quas si jungimus, facimus omni et soli. Sed dempsimus aliquid secundum tempus, si ei adjiciatur aliquando, ut sit hæc tertia proprii nuncupatio, omni et soli, sed aliquando, ut est in senectute canescere, vel in juventute pubescere : omni enim homini adest in juventute pubescere, et in senectute canescere et soli. Pubescere enim solius est hominis, sed aliquando, neque enim in omni tempore, sed in sola tantum juventute. Hæc igitur determinatio proprii in eo quidem quod omni, et soli inest, absoluta est, sed ex eo minus aliquid contrahit, cum dicimus aliquando, quod si auferamus, fit proprii integra et simplex significatio hoc modo : proprium est quod omni, et soli, et semper adest, ut homini risibile, equo hinnibile. Omnis enim homo, et solus homo risibilis est et semper, similiter et equus hinnibile. Neque illud nos ulla dubitatione perturbet quod semper homo non rideat : non enim ridere proprium est homini, sed risibile, quod non in actu, sed in potestate consistit ; ergo etiamsi non rideat, quia ridere tamen possit, soli et omni homini semper adesse dicitur, et convenienter proprium nuncupatur. Nam si actu separetur a specie potestate nulla ratione disjungitur. Quatuor igitur significationes proprii dixit. Nam prima quidem est quando accidens ita subjectæ speciei adest, ut soli ei adsit, etiamsi non omni, ut homini medicina. Secunda vero cum soli quidem non adest, omni vero semper adjungitur, ut homini esse bipedem. Tertia vero cum omni et soli, sed aliquando, ut homini in juventute pubescere. Quarta cum omni, et soli, et semper adest, ut esse risibile. Atque ideo cætera quidem converti non possunt. Neque enim coæquatur quod soli, sed non omni speciei adest. Species quidem de ipso dici potest, ipsum vero de specie minime. Qui enim medicus est, potest dici homo. Homo vero qui est, medicus etiam non dicitur. Rursum quod ita est alii proprium, ut omni adsit etiamsi non soli, ipsum quidem de specie prædicari potest, species vero de eo minime. Nam bipes prædicari de homine potest, homo vero de bipede nullo modo. Rursus quod ita adest, ut omni, et soli, sed aliquando adsit, quoniam de tempore habet aliquid diminutum, nec simpliciter adest, reciprocari non poterit. Possumus enim dicere, omnis qui pubescit homo est, non tamen dicimus, omnis qui est homo pubescit : potest enim minime adjuventutem venire, atque ideo nec pubescere (nisi forte non sit pubescere hominis proprium), sed in juventute pubescere solummodo. Aut etiam cum nondum est in juventute, aut etiam præteriit, tamen sit ei proprium non tale quale tunc fieri potest, cum præter juventutem est, sed quale cum in juventute consistit, atque ideo hoc quod non in omne tempus tenditur, etiamsi tale est quod omni speciei adsit, quod tamen in tempus aliquod differatur, integrum atque absolutum proprium esse non dicitur. Quartum est quod ita adest, ut et solam teneat speciem, et ut omni adsit, et absolutum sit a temporis conditione, ut risibile quod a superiori plurimum distat, nam quod risibile est, semper ridere potest. Rursus qui potest in juventute pubescere, cum ipsa juventus non sit semper, non ei adest, semper ut in juventute pubescat : hæc autem quarta proprii significatio quam nulla temporis diffinitio constringit, absoluta est, atque ideo etiam convertitur, et de se invicem proprium atque species prædicantur : homo enim omnis risibilis est, et omne risibile homo.

DE ACCIDENTI.

Accidens est quod adest et abest, præter subjecti corruptionem. Dividitur autem in duo, in separabile et in inseparabile. Separabile enim accidens et dormire : nigrum vero esse, inseparabiliter corvo et Æthiopi accidit : potest autem intelligi, et corvus albus, et Æthiops nitens candore præter subjecti corruptionem. Diffinitur autem sic quoque : accidens est quod contingit eidem inesse vel non inesse, et quod neque genus est, neque species, neque differentia, neque proprium, semper autem est in subjecto subsistens. Omnibus igitur determinatis quæ proposita sunt : dico autem genere, specie, differentia, proprio, et accidente, dicendum est quæ sint ipsis communia, et quæ propria.

Quoniam, ut superius dictum est, omnia quæ de aliquo prædicantur, vel substantialiter vel accidentaliter dicuntur, cumque ea quæ substantialiter prædicantur, ejus de quo dicuntur substantiam diffinitionemque contineant, et sint eo antiquiora atque majora quod ex substantialibus prædicatis efficitur : cumque ea quæ substantialiter dicuntur pereunt, necesse est ut simul etiam ea interimantur, quorum naturam,

substantiamque formabant : quæ cum ita sint, necesse est ut quæ accidentaliter, dicuntur, quoniam substantiam minime informant, et adesse et abesse possint præter subjecti corruptionem. Ea enim tantum cum absunt subjectum corrumpere possunt, quæ efficiunt atque conformant quæ sunt substantialia : quæ vero non efficiunt substantiam, ut accidientia, ea cum adsunt, vel absunt, nec informant substantiam nec corrumpunt. Est igitur accidens quod adest et abest præter subjecti corrumptionem. Id autem dividitur in duas partes. Accidens enim aliud est separabile, aliud inseparabile. Separabile quidem, ut dormire, sedere Inseparabile vero Æthiopi atque, corvo, color niger.. In qua re talis oritur dubitatio ita enim est diffinitum ; accidens est quod adest et abest præter subjecti corruptionem. Idem tamen accidens aliquando inseparabile dicitur : quod si inseparabile est, abesse non poterit. Frustra igitur positum est accidens esse quod adesse, et abest possit, cum sint quædam accidentia, quæ a subjecto non valeant separari. Sed fit sæpe ut quæ actu disjungi non valeant, mente et cogitatione separentur. Sed si animi ratione disjunctæ qualitates a subjectis non ea perimunt, sed in sua substantia permaneant, atque perdurant, accidentes esse intelliguntur. Age igitur quoniam Æthiopi color niger auferri non potest, animo eum et cogitatione separemus, erit igitur color albus Æthiopi. Num idcirco species consumptæ sunt? Minime. Item etiam corvus, si ab eo colorem nigrum imaginatione separemus, permanet tamen avis, nec interiit species : ergo quod dictum est adesse et abesse, non re, sed animo intelligendum est, alioquiet substantialia quæ omnino separari non possunt, sæpe animo et cogitatione disjungimus, ut si ab homine rationabilitatem auferamus, quam licet actu separare non possumus, tamen si animi imagitione disjungimus, statim perit hominis species, quod idem in accidentibus non fit. Sublato enim accidenti cogitatione, species manet. Est quoque alia accidentis diffinitio cæterorum omnium privatione, ut id dicatur accidens quod neque genus sit, neque species, neque differentia, neque proprium, quæ diffinitio plurimum vaga est valdeque communis. Sic enim etiam genus diffiniri potest, quod neque species, neque differentia, neque proprium sit, nec accidens : eodem quoque modo species ac differentia atque proprium. Cum autem eadem similitudine definitionis plurima definiri queunt, non est terminans et circumclusa descriptio, præsertim cum longe sit ab definitionis integritate sejunctum, quod cujuslibet rei formam aliarum rerum negatione demonstrat. Quibus omnibus expeditis, id est genere, specie differentia, proprio atque accidenti, descriptisque eorum terminis quantum postulabat institutionis brevitas, ea ipsa communiter pertractanda persequitur, ut quas inter se habeant differentias hæc quinque, de quibus superius disputatum est, quasve communiones mediocri consideratione demonstret, ut non solum quæ ipsa sint, verum etiam quemadmodum ipsa inter se comparentur, appareat.

LIBER QUINTUS.

Expeditis per se omnibus quæ præposuit, et quantum in uniuscujusque consideratione poterat, ad scientiæ terminum breviter adductis, nunc jam non de singulorum natura, id est vel generis, vel differentiæ, vel speciei, vel proprii, vel accidentis, sed de ad se invicem relatione pertractat. Nam quia communiones ac differentias rerum colligit, non ut sunt per se res illæ considerat, sed ad alias qualiter comparentur. Id autem duplici modo fit, vel similitudine dum retractat communitates, vel dissimulitudine dum differentias : quæ cum ita sint, nos quoque (ut adhuc fecimus) propter planiorem intellectum philosophi vestigia persequentes, ordiemur de his communitatibus quæ adsunt generi, speciei differentiæ, proprio, atque accidenti.

Cum igitur omnibus est de pluribus prædicari. Sed genus quidem de omnibus sub se speciebus et de individuis, similiter et differentia prædicatur, species vero de his quæ sub ipsa sunt individuis : at proprium, et de specie cujus est proprium, et de his quæ sub ea specie sunt individuis. Accidens autem, et de speciebus, et de individuis : namque animal et de equis, et de bobus prædicatur, quæ sunt species, et de hoc equo, et de hoc bove, quæ sunt individua. Irrationale vero de equis et bobus, et de his qui sunt particulares prædicatur. Homo præterea de his qui sunt particulares, prædicatur. Risibile quoque et de homine, et de his qui sunt particulares, prædicatur. Nigrum postremo de corvo et ebeno, et de his qui sunt particulares, quod est accidens inseparabile. Item moveri de homine et de equo, et de his qui sunt particulares, quod est accidens separabile, sed principaliter quidem de individuis, secundario vero et de his quæ continent, individua prædicatur.

Antequam singulorum ad unumquodque habitudinem tractet, illam prius respicit, quam omnes ad se invicem habere videntur : hæc autem est una communio quæ propositarum quinque rerum numerum pluralitate prædicationis includit, omnia enim de pluribus prædicantur ; in hoc ergo sibi cuncta communicant, nam et genus de pluribus prædicatur, itemque species ac differentia, et proprium, atque accidens : quæ cum ita sint, est eorum una atque indiscreta communio de pluribus prædicari. Designat autem Porphyrius ipsam de pluribus prædicationem, quemadmodum in singulis fiat, et unumquodque propositorum de quibus pluribus prædicetur ostendit. Ait enim genus quidem de pluribus prædicari, id est speciebus ac specierum individuis, ut animal prædicatur de homine atque equo, ac de his individuis quæ sub eis sunt. Item genus prædicatur de differen-

tiis specierum, atque id jure: quoniam enim species differentiæ informant. Cum igitur genus de speciebus prædicetur, consequens est ut etiam de his dicatur, quæ specierum substantiam formamque efficiunt, quo fit, ut genus etiam de differentiis prædicetur, ac non de una, sed de pluribus: dicitur enim quod rationale est esse animal, et rursus quod irrationale est, esse animal. Ita genus de speciebus ac differentiis prædicatur, ac de his quæ sub ipsis sunt individuis, differentiæ vero de pluribus dicuntur speciebus ac de earum individuis, ut irrationale et de equo prædicatur ac bove, quæ sunt plures species, et de his quæ sub ipsis sunt individuis eodem modo dicitur: nam quod de universali prædicatur, prædicatur et de individuo. Quod si differentia de speciebus dicitur, prædicabitur etiam de ejusdem speciei subjectis. Species vero de suis tantum individuis prædicatur: neque enim fieri potest, ut quæ species est ultima quæque vere species ac magis species nuncupatur, hæc alias deducatur in species; quod si ita est, sola post speciem individua restant: jure igitur species de suis tantum individuis prædicatur, ut homo de Socrate, Platone, Cicerone, et cæteris. Proprium item de specie prædicatur cujus est proprium, neque enim esset proprium alicujus si de aliquo prædicaretur, de quo enim quæque res, et soli et omni, et semper dicitur, ejusdem proprium esse monstratur: quæ cum ita sint, proprium de specie dicitur, ut risibile de homine, omnis enim homo risibilis est. Dicitur etiam de individuis speciei de qua prædicatur. Est enim Socrates, Plato, et Cicero risibilis: accidens vero et de speciebus pluribus dicitur, et de diversarum specierum individuis. Dicitur enim corvus atque Æthiops niger, et hic Æthiops atque hic corvus, qui sunt individui, nigri autem secundum nigredinis qualitatem vocantur, atque hoc quidem est accidens inseparabile. Sed multo magis separabilia accidentia pluribus inhærescunt, ut moveri homini, et bovi; uterque enim movetur. Et rursus ea quæ sub homine sunt atque bove individua, moveri sæpe prædicantur. Sed advertendum est, auctore Porphyrio, quod ea quæ accidentia sunt principaliter quidem de his dicuntur, in quibus sunt individuis: secundo vero loco, ad universalia individuorum referuntur, atque ita prædicatio subteriorum superioribus redditur, ut quoniam nigredo singulis corvis adesse dicitur, dicitur etiam adesse speciali corvo. Nam quia omnia particularia qualitas ista accidentis nigredinis inficit, idcirco eamdem nigredinem de specie quoque prædicamus dicentes, corvum ipsam speciem, nigrum esse. In quibus omnibus mirum videri potest, cur genus de proprio prædicari non dixerit: nec vero speciem de eodem proprio, nec differentiam de proprio, sed tantum genus quidem de speciebus atque differentiis. Differentiam vero de specibus atque individuis. Speciem de individuis. Proprium de specie atque individuis. Accidens de speciebus atque individuis. Fieri enim potest ut quæ majoris prædicationis sunt, ea de cunctis minoribus prædicentur, et quæ

A æqualia sunt sibimet convertantur. Eoque fit ut genus de differentiis, et speciebus, et proprius atque accidentibus prædicetur, ut cum dicimus quod rationale est, animal est; genus de differentia, quod homo est, animal est; genus de specie, quod risibile est, animal est; genus de proprio, quod nigrum est; si forte corvum vel Æthiopem demonstremus, animal est, genus de accidenti prædicamus. Rursus quod homo est, rationale est differentiam de specie. Quod risibile est, rationale est, differentiam de proprio. Quod nigrum est, rationale est; si Æthiopem demonstremus, differentiam de accidente. Item quod risibile est, homo est, speciem de proprio. Quod nigrum est, homo est, si Æthiopem designemus, speciem de accidenti. Qua in re quod nigrum est, etiam risibile est, in Æthiopis demonstratione, proprium de accidenti prædicatur: converti autem ad totum accidens potest, ut quoniam individuis singulorum esse præponitur, idcirco de superioribus etiam prædicatur, ut quoniam Socrates animal est, rationale est, risibile est, et homo est. Cumque in Socrate sit calvitium quod est accidens, prædicatur idem de animali, de rationali, de risibili, de homine, ut accidens de quatuor reliquis prædicetur. Sed horum profundior quæstio est, nec ad solvendum satis est temporis, hoc tantum ingredientium intelligentia exspectet, quod alia quidem recto ordine prædicantur, alia vero obliquo, quoniam moveri hominem rectum est, id quod movetur hominem esse conversa locutione proponitur. Quocirca rectam Porphyrius in omnibus propositionem sumpsit. Quod si quis vim prædicationis solutionisque attenderit in singulis comparans prædicationis, eas quidem prolationes quæ rectæ sunt, inveniet a Porphyrio esse numeratas: eas vero quæ converso ordine prædicantur, fuisse sepositas.

Communes est autem generi et differentiæ continentia specierum: continet enim et differentia species, etsi non tot quot genera; rationale enim, etsi non contineat irrationabilia quemadmodum animal, tamen continet hominem et Deum, quæ sunt species. Et quæcunque prædicantur de genere, ut genus, et de his quæ sub ipso sunt speciebus prædicantur. Item quæcunque de differentia prædicantur, ut differentia, et de his quæ ex ipsa sunt speciebus prædicabuntur. Nam cum genus sit animal, non solum de eo prædicatur substantia, et animatum, et sensibile, sed etiam de his quæ sub animali sunt speciebus omnibus prædicantur hæc usque ad individua. Cumque sit differentia rationale, prædicatur de ea ut differentia, id quod est ratione uti; non solum autem de eo quod est rationale, sed etiam de his quæ sub rationali sunt speciebus prædicabitur ratione uti. Commune vero est, et hoc peremptio genere vel differentia, simul perimi et ea quæ sunt sub ipsis; quemadmodum enim si non sit animal, non est equus neque homo: sic si non sit rationale, nullum erit animal quod utatur ratione.

Post eam quæ cunctis adesse visa est communitatem, singulorum ad se similitudines ac dissimilitudines quærit. Et quoniam inter quinque proposita ge-

nus ac differentia universalioris sunt prædicationis. Siquidem genus,et species continet et differentias: differentiæ vero species continent,neque ab his ullo modo continentur.Primum generis et differentiarum similitudines colligit,ac primum quidem ponit hanc. Dicit enim commune esse generi ac differentiæ, ut species claudant: nam sicut genus sub se habet species, ita etiam differentia, et si non tot quot habet genus. Etenim quoniam genus differentiam etiam claudit, et non unam tantum sub se differentiam coercet ac retinet,plures necesse est ut habeat sub species,quam quælibet una earum quas claudit differentiarum : ut animal prædicatur de rationabili et irrationabili. Quod si ita est, prædicabitur et de his quæ sub rationali sunt positæ speciebus, et de his quæ sub irrationali.Est ergo commune animali et rationali,id est generi et differentiæ, quod sicut genus de Deo et homine prædicatur,ita etiam rationale quod est differentia,de Deo et de homine dicitur.Sed non tantum hæc prædicatio funditur quantum animalis, id est generis. Animal enim non de Deo solum atque homine dicitur,sed de equo et bove prædicatur,ad quæ rationalis differentia non pervenit. Sed quandocunque Deum supponimus animali, secundum eorum opinionem facimus, qui solem, stellasque atque totum hunc mundum animatumesse confirmant, quæ etiam deorum nomine (ut sæpe dictum est) appellaverunt.Secunda item communio est generis ac differentiæ, quoniam quæcunque prædicantur de genere ut genera, eadem et de his quæ sub ipso sunt speciebus prædicantur ad hanc similitudinem : et quæcunque prædicantur de differentia ut differentia, eadem quoque et de his quæ sub ipsa differentia sunt,ut differentiæ prædicantur. Cujus sententiæ talis est expositio : Sunt plura quæ de generibus prædicantur,ut genera ; ut de animali dicitur animatum et substantia,atque hæc ut genera. Hæc igitur prædicantur et de his quæ sub animali sunt,rursusque ut genera : nam hominis,et animatum et substantia genus est,sicut ante fuerat animalis.Item in ipsis differentiis quædam differentiæ inveniuntur quæ de ipsis differentiis prædicantur,ut de rationali duæ differentiæ dicuntur. Quod enim rationale est utitur ratione, vel habet rationem. Aliud est autem uti ratione, aliud est habere rationem,ut aliud est habere sensum, aliud uti sensu. Habet quippe sensum et dormiens,sed non utitur. Ita quoque dormiens habet rationem, sed minime utitur; ergo ipsius rationabilitatis quædam differentia est ratione uti,sed sub rationabilitate positus est homo. Prædicatur igitur de homini ratione uti, ut quædam differentia.Differt enim a cæteris animalibus homo, quia ratione utitur, Demonstratum est igitur quod sicut ea quæ de genere prædicantur,dicuntur de generi subjectis : ita etiam ea quæ de differentia prædicantur,dicuntur de his quæ differentiis suis supponuntur.Tertium commune est,quod sicut absumptis generibus,species interimuntur,ita consumptis differentiis species de quibus differentiæ prædicantur intereunt. Commune enim est hoc, universalium in substantia pereuntium perire subjecta. Sed prima communio demonstravit genera de speciebus prædicari,sicut etiam differentias.Propter hanc igitur similitudinem si auferantur genera,species pereunt. Sic etiam species perire necesse est quæ sub differentiis sunt,si universales earum differentiæ consumantur,cujus exemplum est: Si enim auferas animal hominem atque equum sustuleris, quæ sunt species positæ sub animali. Si auferas rationale, hominem Deumque sustuleris,qui sunt sub rationali differentia collocati.Et de communitatibus quidem hactenus, nunc de generis et differentiæ dissimilitudine perpendit.

Proprium autem generis est de pluribus prædicari quam differentia, et species, et proprium, et accidens: animal enim de homine, et equo, et ave, et serpente prædicatur. Quadrupes vero de solis quatuor pedes habentibus,homo vero de solis individuis hominibus; item hinnibile de solo equo et de his qui sunt particulares : similiter et accidens de paucioribus quam genus. Oportet autem differentias accipere quibus dividitur genus,non eas quæ complent substantiam generis.Amplius,genus continet differentium potestate ; animalis enim hoc quidem rationale est,illud vero irrationale; differentiæ vero non continent genera.Amplius,genera quidem priora sunt his quæ sub se sunt positæ differentiis,et propter hoc simul quidem eas auferunt,non autem simul auferuntur ab eis : sublato enim animali aufertur rationale et irrationale,differentiæ vero non auferunt genus : nam etiamsi omnes interimantur,tamen substantia animata sensibilis,intelligi potest,quæ est animal.Amplius,genus in eo quod quid est,differentia in eo quod quale quid est prædicatur,quemadmodum dictum est.Amplius,genus unum quidem est secundum unamquamque speciem, ut est hominis animal; differentiæ vero plures, ut rationale, mortale, mentis et disciplinæ susceptibile,quibus ab aliis differt.Amplius, genus quidem simile est materiæ,formæ vero differentia: cum autem sint,et alia communia,et propria generis et differentiæ, nunc ista sufficiant.

Proprium quidem quod sit convenienti atque integro vocabulo diffinitum est.Sed per abusionem illa etiam propria quorumlibet dicuntur,quæ in unaquaque re ab aliis continent differentiam,licet cum aliis sint ea ipsa communia.Per se quippe proprium est homini quod ei omni, et soli, et semper adest, ut risibilitas : per usurpatam vero locutionem etiam proprium hominis rationabilitas dicitur,non per se proprium, quippe quod ei cum deorum est natura commune,sed homini rationabilitas proprium dicitur,ad discretionem pecudis quod rationale non est: id vero propter hanc causam,quoniam id proprium uniuscujusque dicitur quod habet suum ; quo igitur quis ab alio differt,proprium ejus non absurda usurpatione prædicatur. Sed nunc quod dicit proprium generis esse de pluribus prædicari quam cætera quatuor,idipsum generis tale proprium est,quale per se proprium dici solet, id est,quod semper, et soli, et

omni adsit generi. Generi enim soli adest, ut differentia, specie, proprio atque accidente uberius atque affluentius prædicetur. Sed de his differentiis, propriis atque accidentibus, id dici potest, quæ sub quolibet genere sunt, id est de differentiis quidem quæ quodlibet dividunt genus: specie vero quæ divisibili generis differentia informatur. Proprio autem illi speciei quæ sub illo genere est, quod differentiis est divisivum, accidentibusque quæ his hærent individuis quæ sub ea specie sunt, quam designatum genus includit. Hoc facilius exempla declarant. Sit enim genus animal, quadrupes ac bipes differentiæ sub animalis positæ continentia, homo atque equus species sub eodem genere constitutæ, risibile atque hinnibile propria earumdem specierum, velox et bellator, accidentia quæ his individuis accidunt, quæ sub speciebus hominis atque equi continentur. Animal igitur quod est genus, prædicatur de quadrupede et bipede quæ sunt differentiæ: quadrupes vero non dicitur de bipede, sed tantum de his animalibus quæ quatuor pedes habent. Plus igitur prædicatur genus quam differentia. Rursus homo de Platone et Socrate prædicatur, et de cæteris: animal vero non modo de hominis individuis, verumetiam de cæteris irrationabilibus individuis dicitur: plus igitur genus quam species prædicatur. Sed cum sit proprium equi hinnibile, cumque genus quam species uberius prædicetur, prædicatio quoque generis proprii supergreditur prædicationem. Accidens quoque, et si pluribus inesse potest, tamen sæpe genere contractius invenitur, ut bellator, non proprie nisi homo dicitur, et velocitas in paucis animalibus invenitur: quo fit, ut genus et differentia, et specie, et proprio, et accidente, amplius prædicetur. Atque hæc est una proprietas generis quæ genus ab aliis omnibus disjungat ac separet. Oportet autem, inquit, nunc eas differentias intelligere, quibus dividitur genus, non quibus informatur genus: illæ enim a quibus informatur genus, plus quam ipsum genus sine dubio prædicantur, ut animatum et corporeum ultra animal tendunt dum sint differentiæ animalis non divisivæ, sed potius constitutivæ. Omnia enim superiora de inferioribus prædicantur. Quæ vero de inferioribus prædicantur, neque converti possunt, hæc ab eis quæ inferiora sunt amplius prædicantur. Post hoc aliud proprium generis ostendit quo ab his differentiis quæ sub eodem sunt positæ segregatur. Omne enim genus continet differentias potestate: differentia vero genus non potest continere. Animal enim rationale atque irrationale continet potestate, neque enim rationabilitas, aut irrationabilitas animal poterit continere. Potestate autem ait continere animal differentias, quia (ut superius dictum est) genus quidem omnes habet sub se differentias potestate, actu vero minime: ex quo fit, ut alia proprietas oriatur. Sublato enim genere, perit differentia: veluti sublato animali interimitur rationabilitas, quod est differentia. At si rationabile interimas, irrationabile animal manet. Sed objici potest. Quid si utrasque differentias simul abstulero, A num poterit remanere genus? Dicimus, potest. Unumquodque enim non ex his de quibus prædicatur, sed ex his ex quibus efficitur substantiam sumit. Itaque fit ut genus, sublatis differentiis divisivis, permanere possit, dum tamen maneant illæ quæ ipsius generis formam substantiamque constituunt. Quoniam enim animal animata atque sensibilis differentiæ constituunt: hæ si maneant atque jungantur, perire animal non potest, licet ea pareant de quibus animal prædicatur, rationale scilicet atque irrationale: unumquodque enim (ut dictum est) ex his substantiæ proprietatem sumit ex quibus efficitur, non ab his de quibus prædicatur. Amplius si utrasque differentias genus potestate continet, ipsum per se neutram earum intra se positam collocatamque concludit: quod si actu quidem eas non continet, sed potestate, actu B etiam ab his poterit separari: hoc ipsum enim, quod est eas potestate continere, id erat actu non continere. Genus vero, quia quaslibet differentias actu non continet, actu ab eisdem etiam separatur. Rursus aliud est generis proprium, quod ex proprietate prædicationis, agnoscitur. Omne enim genus ad interrogationem quid est unumquodque, responderi convenit, ut animal in eo quod quid est de homine prædicatur: differentia vero minime, sed in eo quod quale sit; omnis enim differentia in qualitate consistit. Sed hoc proprium tale est quale superius diximus, non per se, sed secundum alicujus differentiam dictum, alioqui commune est hoc generi cum specie, ut in eo quod quid sit prædicetur: sed quia hac in re genus a differentia discrepat, quoniam differentia C quidem in eo quod quale est, genus vero in eo quod quid est prædicatur, generis proprium dicitur non per se, sed ad differentiæ comparationem, et in omnibus reliquis eamdem rationem conveniet speculari; quodcunque enim ita proprium generi dicitur, ut nulli sit alii commune, sed tantum hoc genus habeat, et semper, id secundum se proprium nuncupatur: quidquid vero cum alio commune est, id non per se, sed ad alterius differentiam proprium dicitur. Alia rursus generis et differentiæ separatio est, quod genus quidem speciei unum semper adest, scilicet proximum: plura enim possunt esse superiora, velut hominis animal atque substantia, sed proximum ejusdem hominis animal tantum: differentiæ vero plures uni speciei adesse poterunt, ut rationale atque mortale homini. Itaque fit definitio ex uno quidem D genere, sed pluribus differentiis, ut hominis animal rationale atque mortale. Rursus alia discretio est, quod genus quidem velut quemdam subjecti locum tenet, differentia vero formæ, ita ut illud sit materia quædam, quæ figuram suscipiat: hæc vero sit forma, quæ superveniens speciei substantiam rationemque perficiat. Idcirco pluribus differentiis a genere differentiam segregavit, quia hæc maxime generis quamdam similitudinem continet, quia est universalis, et præter genus inter cætera maxima. Sed cum alia plura communia, pluraque propria generis inter se ac differentiæ valeant inveniri, sufficiant nunc, inquit,

ista. Satis est enim ad discretionem quaslibet differentias assumere, etiamsi quæ dici possunt non omnia colligantur.

Genus autem, et species commune quidem habent de pluribus prædicari, quemadmodum dictum est. Sumatur autem species, ut species solum, non autem ut genus, si fuerit idem species et genus. Commune his est etiam hoc, priora his esse de quibus prædicantur, et totum quoddam esse utrumque.

Generis et speciei enumerat tria communia, unum quidem de pluribus prædicari: genus enim et species de pluribus prædicantur, sed genus de speciebus, ut dictum est, species vero de individuis. Sed nunc de illa specie loquitur quæ tantum species est, ut homo, id est quæ non etiam genus est, sed ultima species. Quod si talem speciem ponamus quæ etiam genus esse potest, ac de ea dicamus quod commune habet cum genere de pluribus prædicari, nihil interest an ita dicamus, ipsum genus id secum habere commune, de pluribus prædicari. Talis est enim species, quæ non solum est species, sed etiam genus est. Est autem commune his quoque quod utraque priora sunt his de quibus prædicantur. Omne enim quod de pluribus prædicatur, si recto (ut superius dictum est) ordine dicatur, prius est his de quibus prædicatur. Præterea est illis hoc etiam commune, quod genus ac species totum sunt eorum quæ intra suum ambitum continent et coercent: omnium enim specierum totum genus est, et omnium individuorum totum est species. Æque enim genus et species adunativa est plurimorum, quod vero multorum adunativum est, id eorum quæ ad unitatis formam reducit, recte dicitur totum.

Differunt autem eo quod genus quidem species continet, species vero continetur, et non continent genera. De pluribus enim prædicatur genus quam species. Amplius genera quidem præjacere oportet, et informata differentiis specificis perficere species; unde et priora sunt naturaliter genera, et secum species interimentia, nec tamen ab eis interimuntur: nam si species sit, est et genus: genus vero si sit, non omnino erit species. Et genera quidem univoce de speciebus prædicantur, species vero de generibus minime. Amplius genera quidem excedunt eas quæ sub ipsis sunt species, continentia: species autem excedunt genera propriis differentiis; amplius nec species fiet unquam generalissimum, nec genus fiet unquam specialissimum.

Expeditis communibus generis et speciei, nunc de eorum discretione pertractat. Differre enim dicit genus a specie, quoniam genus continet species, ut animal continet hominem; species vero non continet genera, neque enim homo de animali prædicatur. Itaque fit ut species quidem contineatur a generibus, nunquam vero contineat genera. Omne enim quod amplius prædicatur, illius est continens, quod minus dicitur. Quod si genus amplius prædicetur quam species, necesse est, ut species quidem contineatur a genere, genus vero nullo modo speciei ambitu prædicationis includatur: hujus autem ratio est quoniam genus semper suscipiens differentiam, speciem facit, hoc est genus quod habet latissimam prædicationem, coarctatum in differentias et contractum facit speciem: omnino enim generi juncta differentia speciem reddit, et ex universalitate et latissima prædicatione in angustum speciei terminum contrahit. Animal enim cujus prædicatio per se longe lateque diffusa est, si corripiat rationalis differentiam et mortalis, diminuit atque contrahit in unum hominis speciem: unde fit ut minor sit semper species quam genus, atque ideo contineatur, sed non contineat, sublatoque genere auferatur species: si enim totum auferas, pars non erit; quod si species auferatur, genus manet: veluti cum animal sustuleris, interimitur etiam homo; si hominem auferas, animal restat: hoc etiam causa est ut genus de specie univoce prædicetur, id est, ut species suscipiat diffinitionem generis et nomen, sed non e converso, diffinitionem; quippe speciei genus suscipere non videtur, substantiam enim priorum inferiora suscipiunt. Si enim diffinias animal, et dicas substantiam esse animatam atque sensibilem: aut si prædices de homine animal, verum dixeris. Si etiam animalis diffinitionem de homine prædicaveris, dicasque hominem esse substantiam animatam atque sensibilem, nihil fuerit in propositione falsi, sed si hominis rationem reddas, animal rationale mortale, ea animali non conveniunt; neque enim id quod animal est, id dici poterit animal rationale mortale; fit igitur, ut sicut species generis nomen suscipit, ita etiam capiat diffinitionem: et sicut genus nomen speciei non suscipit, ita nec ejusdem diffinitione, monstretur, sed cujus nomen et diffinitio de aliquo prædicatur, id univoce dicitur. Cum igitur generis et nomen et diffinitio de specie prædicetur, genus de specie univoce dicitur. Quoniam vero speciei de genere neque nomen neque diffinitio prædicatur, non convertitur univoca prædicatio. Differunt genera a speciebus hoc quoque modo, quod genera supervadunt species suas aliarum continentia specierum; species vero genera differentiarum pluralitate. Animal enim quod est genus, supervadit hominem, quod est species, quia non hominem solum continet, verumetiam bovem, equum aliasque species, quas suæ prædicationis spatio includit. Species vero ut homo supervadit genus, ut animal multitudine differentiarum. Nam actu genus non habet rationale vel mortale, nullas quippe actu genus retinet differentias, easdem species suæ substantiæ inhærentes atque insitas tenet. Homo enim rationalis est atque mortalis, quod genus minime est. Animal enim neque mortale est per se, neque rationale. Quod si genus quidem plus quam unam continet speciem, at vero species multis differentiis informantur; superat quidem genus speciem continentia specierum, species vero vincit genus differentiarum pluralitate. Illa quoque est differentia, quod genus quoniam omnium primum est, nunquam in tantum descendere poterit ut fiat ultimum: species vero quæ cunctis est inferior, nunquam in tantum ascendere poterit, ut suprema omnium fiat;

nunquam igitur nec species generalissimum fiet, nec genus specialissimum. Sed ex his quæ dictæ sunt differentiis, aliæ sunt quæ genus a specie propriæ conjunctæque disterminant, aliæ vero quæ non solum genus a specie, verumetiam a cæteris deducunt ac disterminant, neque enim de his tantum oportet differentiis quæ sunt dictæ, verumetiam in cæteris considerare, si proprie normam discretionis quærimus agnoscere.

Generis autem et proprii commune quidem est sequi species : namque si homo est, animal est : et si homo est, risibile est. Commune est quoque æqualiter prædicari genus de speciebus, et proprium de his quæ participant illo individuis. Æqualiter enim et homo et bos animal est, et Cicero et Cato sunt risibiles. Commune demum est his univoce prædicari, genus de propriis speciebus, et proprium de his quorum est proprium.

Tria interim generis ac proprii dicit esse communia, quorum primum illud est, quoniam ita genus sequitur species ut proprium ; posita enim specie necesse est intelligamus genus et proprium, neutrum enim species proprias derelinquit : nam si homo est, animal est ; si homo est, risibile est : ita quemadmodum genus, sic proprium ab ea specie cujus est proprium non recedit. Illud quoque est commune quod æqualis est generis participatio, sicut etiam proprii. Omne enim genus æqualiter a suis speciebus participatur, proprium vero individuis omnibus æqualiter adhærescit. Manifestum est autem participatione esse generi æquale proprium ; neque enim plus homo animal est quam equus atque bos, sed in eo quod sunt animalia, æqualiter animalis, id est generis, vocabulum trahunt. Cato enim et Cicero æqualiter risibiles sunt, etiam si æqualiter non rideant ; in eo enim quod apti ad ridendum sunt, dici risibiles possunt, non quod semper rideant. Æqualiter ergo ea quæ sub genere sunt, suscipiunt genus, sicut ea quæ sub propriis propria. Tertium illud, quod sicut genus de propriis speciebus univoce prædicatur, ita etiam proprium de sua specie univoce dicitur. Genus enim quoniam substantiam speciei continet, non modo ejus nomen de specie, verumetiam diffinitio prædicatur. Proprium vero quia speciem non relinquit, eique semper æquatur, nec in aliam speciem transgreditur, nec infra subsistit, diffinitionem quoque proprium speciebus tradit; cujus enim nomen uni tantum convenit speciei cui æquatur, dubitari non potest quin ejus quoque diffinitio speciei conveniat. Quo fit ut sicut genus de speciebus, ita proprium de sua specie univoce prædicetur.

Differunt autem, quoniam genus prius est, posterius proprium ; oportet enim esse prius animal, dehinc dividi differentiis et propriis. Amplius, genus quidem de pluribus speciebus prædicatur quarum est genus, proprium vero de una sola specie cujus est proprium. Amplius, proprium quidem conversim de eo cujus est proprium prædicatur, genus vero de nullo conversim prædicatur : nam nec si animal est, homo est : nec si animal est, risibile est ; si vero risibile est, homo est, et econverso. Amplius, omni speciei inest proprium cujus est proprium et soli et semper, genus vero omni quidem speciei inest cujus fuerit genus, et semper, non tamen soli. Amplius, propria quidem interrempta non simul interimunt genera : genera vero interempta interimunt species quarum sunt propria. Quare his interemptis quorum sunt propria, et ipsa simul interimuntur.

Tale rursus proprium sumit, quod ad alterius comparationem proprium nuncupetur : dicit enim proprium esse generis, prius esse quam propria. Oportet enim prius esse genus, quod veluti materia differentiis supponatur, venientibusque differentiis fieri speciem cum quibus propria nascuntur. Si igitur prius est genus quam differentiæ, prius etiam differentiæ quam species, et speciebus propria coæquentur, non est dubium quin propria generibus posteriora sint, ac per hoc quod dictum est, proprium esse generis, prius esse quam propria : commune hoc est generi cum differentia. Differentiæ enim species conformantes priores considerantur esse quam propria. Siquidem speciebus ipsis priores sunt, quas propria ratione determinant ; sed ut dictum est hoc proprium, ad differentiam proprii intelligendum est, non quale superius proprium per se constitutum est. Rursus differt genus a proprio, quod genus quidem de pluribus prædicatur speciebus, proprium vero minime : nam neque genus est, nisi plures ex se species proferat, nec proprium si alteri cuilibet speciei possit esse commune. Fit igitur ut genus quidem plurimas sub se species habeat, ut animal hominem atque equum ; proprium vero unam tantum, sicut risibile, hominem, quo fit ut illa quoque proprietas ex differentia nascatur : genus enim prædicatur quidem de speciebus, ipsum vero in nulla prædicatione supponitur ; proprium vero et species alterna prædicatione mutantur. Fit enim prædicatio aut a majoribus ad minora, aut ab æqualibus ad æqualia. Genus igitur, quod majus est, de speciebus omnibus prædicatur ; species vero quoniam minores sunt, de generibus non dicuntur, ut animal de homine dicitur ; homo vero de animali nullo modo prædicatur. At vero proprium, quoniam speciei æquale est, æque prædicatur atque præponitur : ut risible de homine dicitur, omnis enim homo risibilis est, eodemque modo convertitur, omne enim risibile homo est. Differt etiam proprium a genere, quod proprium uni speciei et omni et semper adest ; genus vero ex his quidem duo retinet, in uno vero diversum est ; nam speciebus suis et semper adest et omnibus, non vero solis : hoc enim erat tantum propriis esse, quod singulas species tantum continent, hoc enim generibus quod plures. Igitur propria quidem singulas obtinent species, genera vero non singulas ; adest igitur proprium uni soli speciei et semper et omni : genus vero et omni quidem et semper, sed non soli : ut risibile homini soli, animal vero eidem homini, sed non soli ; præest enim cuntis quæ irrationabilia nuncupamus. Præterea si auferamus genus, species interimuntur, nam si non sit ani-

mal,non erit homo : si auferamus species,non interimitur genus,nam si non sit homo,animal non peribit species vero et propria,quoniam sunt æqualia, alterna se vice consumunt,nam si non sit risibile, homo non erit ; si homo non sit, risibile non manebit.Consumunt igitur genera sub se positas species, non vero ab his invicem consumuntur : species vero et proprium invicem perimuntur et perimunt.

Generi vero et accidenti commune est de pluribus (quemadmodum dictum est) prædicari,sive separabile sit accidens, sive inseparabile ; etenim et moveri de pluribus,et nigrum de corvis et de Æthiopibus et aliquibus inanimatis prædicantur.

Nihil est quod inter cætera ita sit a generis ratione disjunctum sicut est accidens : nam cum genus cujuslibet substantiam monstret, accidens vero a substantia longe disjunctum sit,et extrinsecus veniens, nihil vero notius commune potest habere cum genere quam de pluribus prædicari. Genus enim de pluribus prædicatur speciebus, accidens vero non modo de pluribus speciebus, verumetiam generibus animatis atque inanimatis,ut nigrum dicitur de rationali homine, et de irrationali corvo,et de inanimato ebeno. Album etiam de cygno et marmore, moveri de homine, de equo, et de stellis,ac de agitatis, quæ sunt separabilis accidentis exempla.

Differt autem genus ab accidenti, quoniam genus ante species est, accidentia vero speciebus posteriora sunt : nam et si inseparabile accidens sumatur,tamen natura prius est illud cui accidit quam accidens.Et genera quidem quæ participant, æqualiter participant, accidentia vero non æqualiter. Intensionem enim et remissionem suscipit accidentium participatio,generum vero minime.Et accidentia quidem principaliter in individuis consistunt ; genera vero et species naturaliter priora sunt individuis substantiis.Et genera quidem in eo quod quid sit prædicantur de his quæ sub ipsis sunt : accidentia vero in eo quod quale aliquid sit,vel quomodo se habet unumquodque : qualis est enim Æthiops interrogatus,dicis,niger; et quomodo Socrates se habet, dicis, sedet vel ambulat.

Differentiam generis et accidentis hanc primum proponit,quod genus quidem ante species sit,quippe quod materiæ loco est, et differentiis informatum species gignit,at vero accidens esse post species invenitur.Oportet enim prius esse cui aliquid accidat, post vero ipsum accidens supervenire ; nam si subjectum non sit quod suscipiat,accidens esse non poterit. Quod si genus quidem speciebus subjectum est, non possunt esse species nisi eis genus, velut materia supponatur : accidentia vero esse non possunt nisi eis species supponatur, nam manifestum est genus quidem ante species esse, accidentia vero post species.Rursus alia differentia,quoniam genus neque intensionem neque remissionem suscipere potest,quo fit ut quæ participabant genere, æqualiter ejus,nomen diffinitionemque suscipiant:omnes enim homines æqualiter animalia sunt, eodemque modo equi ; nec non inter se homo atque equus et cætera animalia comparata æque animalia prædicantur.Accidentis vero participatio et intenditur et remittitur. Invenies enim quemlibet paulo diutius ambulantem, et paulo amplius nigrum et si in ipsis Æthiopibus considerabis,omnes non æque nigro colore esse obductos invenies. Alia quoque differentia est, quoniam omne accidens in individuis principaliter subsistit ; genera vero speciebus et individuis priora sunt ; nisi enim singulariter corvi nigredine infecti essent,corvi species nigra esse nullo modo diceretur, ita fit ut accidentia post individua videantur. Nam si prius est id cui aliquid accidit quam illud quod accidit,non est dubium prius esse individua, posterius vero accidens : genera vero et species supra individua considerantur;hoc idcirco fit,quoniam de his omnibus prædicantur,eorumque substantiam propria prædicatione constituunt. Sed dici potest genera quoque et species posteriora individuis inveniri ; nisi enim sint singuli homines, singulique equi,homines atque equi species esse non possunt, et nisi sint singulæ species,earum genus animal esse non poterit.Sed meminisse debemus superius dictum esse genus non ex his sumere substantiam de quibus prædicatur, sed de eo potius quo differentiis constitutivis ejus substantia formaque perficitur. Itaque si genus quidem divisivis differentiis interemptis non perimitur, sed manet in iis, quæ ejus constitutivæ sunt, quæ ejus formam diffinitionemque perficiunt:eumque differentiæ divisivæ generis speciebus sint priores (ipsæ enim species conformant atque constitutum),non est dubium quin genus etiam pereuntibus speciebus possit in propria permanere,substantia,ita de specie permanere substantiam idam de speciebus dictum sit. Species enim superioribus differentiis, non posterioribus individuis,formantur. Quæ cum ita sint, species quoque ante individua subsistunt : accidentia vero nisi sint quibus accidunt,esse non possunt: nullis vero prius accidunt quam individuis.Hæc enim generationi et corruptioni supposita, variis semper accidentibus permutantur.Illam quoque annumerat differentiam quæ dicta est superius,quod genus,quia rem demonstrat et de substantia prædicatur, in eo quod quid est dicitur : accidens vero in eo quod quale est, aut in eo quod quomodo sese habet res : nam si qualitatem interroges,accidens respondebitur,ut si qualis est corvus ? niger. Si quomodo se habet ? aliud rursus accidens, aut sedet,aut volat,aut crocitat. Nam cum accidens in novem prædicamenta dividatur, qualitatem,quantitatem, ad aliquid,ubi, situm, habitum, quando, facere, pati, cætera quidem omnia in quomodo se habet interrogatione ponuntur : qualitas vero in qualitatis sciscitatione responderi solet: nam si interrogemur qualis est Æthiops, respondebimus accidens, id est niger. Si quomodo se habet Socrates,tunc dicimus aut sedet, aut ambulat, aut superiorum aliquod accidentium.

Genus itaque quomodo ab aliis quatuor differat dictum

est. Contingit autem etiam unumquodque aliorum differre ab aliis quatuor : ut cum quinque quidem sint, et ununquodque ab aliis quatuor differat, quater quinque viginti fiant omnes differentiæ ; sed non sic se res habet, sed semper posterioribus enumeratis, et secundis quidem una differentia superatis, propterea quia jam sumpta est : tertiis vero duabus, quartis vero tribus, quintis vero quatuor, decem fiunt omnes differentiæ, quatuor, tres, duæ, una. Genus etenim quo differt a differentia et a specie, et a proprio, et ab accidente dictum est ; quatuor ergo sunt generis differentiæ ; differentia vero quo differt a genere dictum est, quando quo differt genus ab ea dicebatur ; relinquitur ergo quo differat a specie, proprio, et accidenti dicere, et ita fiunt tres. Rursus species quo quidem differt a differentia, dictum est, quando quo differt a specie differentia dicebatur : et quo differat a genere, dictum est quando quo differat genus a species dicebatur : reliquum est igitur quo differat species a proprio et ab accidenti dicere, et sunt duæ hæ differentiæ. Quo autem differt proprium ab accidenti relinquitur. Nam quo a genere et specie, et differentia differat, prædictum est in illorum ad ipsum differentiis : quatuor igitur sumptis generis differentiis ad alia, tribus vero differentiæ, duabus speciei, una autem proprii ad accidens, A *decem erunt omnes, quarum quatuor quæ erant generis ad reliqua, superius demonstravimus.*

Quoniam differentias atque communitates generis ad differentiam, speciem, proprium atque accidens, idem quoque de cæteris facere contendens prædicit, quot omnes differentiæ possunt esse quæ inter se comparatis commistisque rebus iis quæ supra positæ sunt efficiantur. Sunt autem viginti, nam cum quinque sint res, et unaquæque res earum a quatuor aliis differat, quinquies quater differentiæ fiunt, quod appositarum litterarum manifestatur exemplo. Sint quinque res veluti quinque litteræ *a, b, c, d, e* : differat igitur *a* quidem ab aliis quatuor, id est *b, c, d, e* ; fient quatuor differentiæ ; rursus *b* differat ab aliis quatuor, id est *a, c, d, e;* erunt rursus quatuor, quæ superioribus junctæ octo conjungunt; *c* vero ter- B tia a reliquis differt quatuor, videlicet *a, b. c, d. e,* quæ quatuor differentiæ superioribus octo copulatæ duodecim reddunt ; quarta *d*, si reliquis quatuor comparetur, differt æque ab eisdem, id est *a, b, c, e ;* fient igitur rursus quatuor, quæ superioribus XII appositæ, XVI copulant. Quod si ultima *e* ab aliis quatuor differat, videlicet *a, b, c, d,* fient aliæ quatuor differentiæ, quæ, compositæ prioribus, XX perficiunt, et sit quidem hujusmodi descriptio.



Quæ cum ita sint; in generibus quoque et speciebus C et cæteris idem considerabitur. Erunt ergo quatuor differentiæ, quibus genus a differentia, specie, proprio, accidentique disjungitur. Aliæ rursus quatuor, quibus differentia a genere, specie, proprio atque accidenti discrepat. Rursus quatuor speciei ad genus, differentiam, propriam atque accidens. Quatuor etiam proprii ad genus, differentiam, speciem, atque accidens. Quatuor insuper accidentis ad genus, differentiam, speciem atque proprium : quæ conjunctæ omnes viginti explicant differentias. Sed hoc fiet si ad numeri referatur naturam, comparationisque alternationem : nam si ad ipsas differentiarum naturas vigilans lector aspiciat, easdem sæpe sumptas differentias inveniet. Quo enim genus differt a differentia, eodem differentia distat a genere : et quo differentia D distat a specie, eodem species a differentia disgregatur, et in cæteris eodem modo. In hac igitur differentiarum dispositione, quam supra disposui, easdem sæpius annumeravi. At si differentiarum similitudines detrahamus, decem fient omnino differentiæ, quas ad præsentem tractatum velut diversas atque dissimiles oportet assumi. Age enim differat genus a differentia, specie, proprio atque accidenti, quatuor differentiis, quas supra jam diximus. Item sumamus differentiam, distabit hæc a genere primum, dehinc a specie, proprio atque accidenti ; sed quo discrepet a genere jam superius explicatum est, cum diceremus quo genus a differentia discreparet. Detracta igitur hac comparatione, quoniam supra commemorata est, relinquuntur tres discrepantiæ, quibus differentia a specie, proprio, accidentique disjungitur, quæ junctæ cum superioribus quatuor, septem reddunt differentias. Post hanc species si sumatur, quatuor quidem ejus erunt differentiæ secundum numeri diversitatem, cum ad genus, differentiam, propriam atque accidens comparatur, sed priores duæ comparationes jam dictæ sunt ; nam quo species differat a genere tunc dictum est, cum quid genus differret a specie dicebamus : quo vero species a differentia distet commemoratum est, cum differentiæ ad speciem dissimilitudines redderemus. Quibus detractis duæ supersunt integræ atque intacta speciei ad proprium et accidens discrepantiæ. Quæ junctæ cum septem, novem differentias copulant : proprii vero si ad numerum differentiæ considerentur, quatuor erunt scilicet ad genus, differentiam, speciem atque accidens comparati, quarum quidem tres superiores differentiæ jam dictæ sunt. Nam quid a genere proprium distet tunc a dictum est, cum quid genus a proprio distaret ostendimus. Rursus quid proprium a differentia discrepet, in colligenda distantia differentiæ propriique

superius demonstratum est : nam quid proprium differat a specie, tunc expositum est, quando quid species distaret a proprio dicebatur. Restat igitur differentia una proprii ad accidens, quæ,superioribus juncta, decem differentias claudit : accidentis vero ad cætera possent quidem esse quatuor, nisi jam omnes probarentur esse consumptæ.Nam quid differat vel genus, vel differentia, vel species, vel proprium ab accidenti supra monstratum est : nec sunt plus diversæ differentiæ accidentis ad cætera quam cæterorum ab accidens.Itaque fit,ut cum sit quinque rerum numerus, si prima assumatur,quatuor fiant differentiæ;si secunda,tres,vincanturque secundæ rei ad cæteras differentiæ,a primis ad cæteras una tantum distantia.Nam cum prima habuerit quatuor, secunda retinet tres ;tertia vero si sumatur, duas habebit differentias,quæ vincuntur a primis quatuor differentiis duabus: quarta vero si sumatur unam habebit differentiam, quæ vincitur a primis quatuor differentiis tribus;quinta vero,quoniam nullam habebit omnino differentiam novam, totis quatuor a primis differentiis superatur,atque hoc numerorum gradu quidem usque ad denarium numerum tenditur, quatuor, tres, duæ,una:ut generis quidem quatuor,differentiæ vero tres,speciei duæ,proprii una,accidentis nulla sit.Primæ generis quidem comparationes quatuor novas tenent differentias : secundæ vero differentiæ comparationes tres novas tenent:una enim superius enumerata est,vincitur autem a primis quatuor novis differentiis una tantum; speciei vero tertia comparatio duas tantum habet differentias novas,duas quippe superius enumeratas cognoscimus,et vincitur a quatuor primis duabus tantum differentiis novis; proprium vero unam tantum retinet novam,quoniam tres habet superius enumeratas,vinciturque a prima,novis tribus differentiis ; quinti vero accidentis comparationes, quoniam nullam retinent novam differentiam,totis quatuor primis generis transcenduntur. Atque ad hunc modum ex viginti differentiis secundum numerum decem secundum dissimilitudinem contrahuntur,ut tamen has secundum dissimilitudinem differentias non in quinario tantum numero, verum in cæteris quoque notas habere possimus,dabitur regula talis,quæ plenam differentiarum dissimilitudinem in qualibet numeri pluralitate reperiat. Propositarum enim numero rerum si unum dempseris,atque id quod dempto uno relinquitur,in totam summam numeri multiplicaveris,dimidium ejus quod ex multiplicatione factum est, coæqualiter ei pluralitati quam propositarum rerum differentiæ continebant. Sint ergo res quatuor, *a*, *b*, *c*, *d*; his aufero unam, fiunt tres;has igitur per totam summam quater multiplico,fiunt duodecim ; horum si dimidium teneo, sex erunt.Tot erunt igitur differentiæ inter se rebus quatuor comparatis,*a* quippe ad *b* et *c* et *d* tres retinet differentias.Rursus *b* ad *c* et *d* duas, *c* vero ad *d* unam,quæ junctæ senarium numerum complent: atque hanc quidem regulam simpliciter ac sine demonstratione nunc dedisse sufficiat.In prædicamentorum vero expositione,ratio quoque cur ita sit explicabitur.

Commune ergo est differentiæ et speciei æqualiter participari:homini enim æqualiter participant particulares homines, et rationali differentia. Commune quoque est et semper adesse his quæ eorum participant. Semper enim Socrates rationalis est,et semper homo est.

Dictum est sæpius ea quæ substantiam formant nec remissione contrahi, nec intensione produci : unicuique enim id quod est,unum atque idem est. Quod si differentia specierum substantiam monstrat, species vero individuorum,æqualiter utraque ab intensione et remissione sejuncta sunt,quo fit ut æqualiter participentur.Omnes enim individui mortales sunt atque rationales sicut homines : nam si idem est esse homini quod est esse rationale,cum omnes homines æque sint homines,necesse est ut sint æqualiter rationales. Aliud quoque commune habet differentia cum specie, quoniam ita differentiæ sui participantia non relinquunt ut species,semper enim Socrates rationalis est.Socrates enim qui rationabilitate participat, semper homo est, quia scilicet humanitate participat: ut igitur differentiæ sui participantia non relinquunt, ita species his quæ eam participant semper adjuncta est.

Proprium autem est differentiæ quidem in eo quod quale sit prædicari,speciei vero in eo quod quid est : nam et si homo velut qualitas accipiatur,non erit tamen simpliciter qualitas,sed secundum id quod generi advenientes differenti eum constituerunt.Amplius, differentia quidem sæpe in pluribus speciebus consideratur, quemadmodum quadrupedes in pluribus animalibus specie differentibus:species vero in solis his quæ sub una specie sunt individuis. Amplius, differentia quidem prior est ea specie quæ est sub ipsa,simul enim ablatu rationale interimit hominem: homo vero interemptus non aufert rationale,cum supersit Deus.Amplius,differentia quidem componitur cum alia differentia,rationale enim et mortale compositum est in substantiam hominis:species vero speciei non componitur,ut gignant alteram speciem;quædam enim equa cuidam asino permiscetur ad muli generationem,equa enim simpliciter asino conveniens nunquam perficeret mulum.

Expositis communitatibus quantum ad institutionem pertinebat differentiæ et speciei,earumdem nunc disimilitudines colligit dicens:Differunt quidem species in eo quod quid sit prædicatur, differentia autem in eo quod quale sit. Huic differentiæ poterat quæstio occurrere:nam si humanitas ipsa quæ species est,qualitas quædam est,cur dicatur species in eo quod quid sit prædicari,cum propter quamdam suæ naturæ proprietatem quædam qualitas esse videatur. Huic respondemus, quia differentia solum qualitas est:humanitas vero non solum est qualitas, sed tantum qualitate perficitur.Differentia enim su-

perveniens generi speciem facit:ergo genus quadam differentiæ qualitate formatum est ut procedat in speciem:species vero ipsa qualis quidem est secundum differentiam illius quæ est pura ac simplex qualitas,qua scilicet perficitur et conformatur:qualitas vero ipsa pura simplexque nullo modo est, sed ex qualitatibus effecta substantia.Itaque jure differentia quæ pure ac simpliciter qualitas est in eo quod quale est sciscitantibus respondetur, species vero in eo quod quid sit : licet ipsa quoque quædam qualitas sit non simplex,sed ab aliis qualitatibus informata. Rursus illa quoque differentia est,quia plures differentia sub se species continet: species vero tantum individuis præest. Rationalitas enim et hominem claudit et Deum:quadrupes,equum,bovem,canem, et cætera:homo vero sola individua ; atque in aliis speciebus eadem ratio est.Idcirco enim diffinitiones quoque secutæ sunt, ut differentia vocaretur, quod de pluribus specie differentibus in eo quod quale sit prædicetur:species vero quod de pluribus numero differentibus in eo quod quid sit prædicetur. Ideo etiam superioris naturæ sunt differentiæ quam species, quoniam continentes sunt specierum:nam si quis auferat differentiam,speciem quoque sustulerit, ut si quis auferat rationabilitem hominem Deumque consumpserit : si quis vero hominem tollat, rationabilitas manet in reliquis speciebus constituta:igitur differentiæ distant a specie,quod una differentia plures species continere potest, species vera nullo modo.Alia rursus est differentia,quoniam ex pluribus differentiis una species jungitur : ex pluribus vero speciebus nulla speciei substantia copulatur. Junctis enim differentiis mortali ac rationali factus est homo;junctis vero speciebus nulla unquam species informatur.Quod si quis occurrat dicens quoniam permistus asino equus efficit mulum, non recte dixerit.Individua enim individuis juncta, individua rursus alia fortasse perficiunt;ipse vero equus simpliciter,id est,universaliter,et asinus universaliter,neque permisceri possunt,neque aliquid si cogitatione misceantur, efficiuntur.Constat igitur differentias quidem plurimas ad unius speciei substantiam convenire : species vero in alterius speciei naturam nullo modo posse congruere.

Differentia vero et proprium commune quidem habent æqualiter participari ab iis quæ eorum participant : æqualiter enim rationalia,rationalia sunt;et risibilia, risibilia.Item semper et omni adesse commune utrique est:si enim curletur qui bipes est,tamen id ad quod natum est semper prædicatur,nam et risibile ad id quod natum est semper dicitur,sed non in eo quod semper videat.

Nunc differentiæ proprilque communia continua oratione prosequitur. Commune enim dicit esse proprio ac differentiæ,quod æqualiter participantur: æque enim omnes homines rationales sunt, æque risibiles:illud, quia substantiam monstrat ; istud, quia est æquum propriæ speciei, et subjectam speciem non relinquit.Aliud etiam his commune subjungit; æqualiter enim differentia semper subjectis adest, ut proprium: semper enim homines rationales sunt, ut semper quoque visibiles. Sed objici poterat non semper esse bipedem hominem,cum sit bipes differentia,si unius pedis perfectione curtetur: quam tali modo solvimus quæstionem. Propria et differentiæ non in eo quod semper habeantur,sed in eo quod semper naturaliter haberi possunt, semper dicuntur adesse subjectis.Si enim quis curtetur pede, nihil attinet ad naturam,sicut nihil ad detrahendum proprium valet,si homo non rideat.Hæc enim non in eo quod adsint,sed in eo quod per naturam adesse possint,semper adesse dicuntur.Ipsum enim semper non actu esse dicimus, sed natura. Nunquam enim fieri potest,ut per naturæ ipsius proprietatem non semper homo bipes sit,etiam si fieri potest ut uno pede vel ambobus curtetur,vel etiam si diminuto pede natus sit;in his enim non speciei atque substantiæ, sed nascenti individuo derogatur.

Proprium autem differentiæ est,quod hæc quidem de pluribus speciebus dicitur sæpe,ut rationale de homine et de Deo:proprium vero de una sola specie, cujus est proprium.Amplius, differentia illis est consequens, quorum est differentia, sed non convertitur : propria vero conversim prædicantur de his quorum sunt propria,propter id quod convertuntur.

Distat a proprio differentia quia differentia plures species claudit,ac de his omnibus prædicatur: proprium vero uni tantum speciei conjungitur atque æquatur.Rationale enim de homine atque de Deo prædicatur:quadrupes vero de equo et cæteris quadrupedibus.Risibile vero unam tantum speciem continet, id est hominem:unde fit ut differentia semper speciem consequatur,species vero differentiam minime.Proprium vero ac species alternis sese vicibus æqua prædicatione comitantur:sequi vero dicitur aliquid,quando qualibet re prius nominata,posterius reliqua convenit nuncupari:ut si dicam,Omnis homo rationabilis est,prius hominem,posterius differentiam posui; sequitur ergo differentia speciem.At si convertam nomina dicamque:Omne rationabile homo est,propositio non tenet veritatem;igitur species nulla ratione differentiam comitatur : proprium vero et species, quia converti possunt,mutuo se sequuntur:ut omnis homo risibilis,et omne risibile homo.

Differentiæ autem et accidenti commune quidem est de pluribus dici:commune vero ad ea quæ sunt inseparabilia accidentia semper et omnibus adesse: bipes enim semper adest et omnibus corvis, et nigrum similiter.

Duo quidem differentiæ et accidentis communia proponit,quorum unum inseparabilibus et separabilibus accidentibus cum differentia commune est : ab altero vero separabile accidens segregatur.Tantum vero inseparabile secunda communione claudit.Est enim commune differentiæ cum omnibus accidentibus de pluribus prædicari:nam et separabilia et inseparabilia accidentia sicut differentia de pluribus speciebus et individuis prædicantur:ut bipes de corvo atque cygno nuncupatur,et de his individuis

quæ sub corvo et cygno sunt. Item de eodem corvo atque cygno album et nigrum, quæ sunt inseparabilia accidentia, prædicantur. Ambulare enim vel stare, dormire ac vigilare de eisdem dicimus, quæ sunt accidentia separabilia : reliqua vero communitas ea tantum accidentia videtur includere quæ sunt inseparabilia: nam sicut differentia semper subjectis speciebus adhærescit, ita etiam inseparabilia accidentia nunquam videntur deserere subjectum: ut enim bipes quod est differentia, nunquam corvorum speciem derelinquit, ita nec nigrum quod accidens inseparabile est: differentia vero idcirco non relinquit subjectum, quoniam ejus substantiam complet ac perficit: accidens vero hujusmodi est, quia non potest separari, neque enim posset accidens inseparabile, si subjectum aliquando relinqueret.

Differunt autem quod differentia quidem continet et non continetur: continet enim rationalitas hominem et Deum, accidentia vero quodammodo continent, eo quod in pluribus sunt, et quodammodo continentur, eo quod non unius accidentis susceptibilia sunt subjecta, sed plurimorum. Et differentia quidem inintensibilis est et irremisibilis· accidentia vero minus et magis recipiunt. Amplius, impermistæ sunt quidem contrariæ differentiæ, miscentur vero contraria accidentia. Hujusmodi quidem communiones et proprietates differentiæ et cæterorum sunt: species vero quo quidem differat a genere et differentia, dictum est quando dicebamus quo genus et differentia differat a cæteris, reliquum est quo differat a proprio et accidenti dicere.

Post differentiæ et accidentis redditas communitates, nunc de eorum differentiis tractat, ac primum quidem talem proponit: Differentia omnis, inquit, speciem continet. Rationabilitas enim continet hominem, quoniam plus rationabilitas quam species, id est homo, prædicatur: supergressa enim substantiam hominis in Deum usque diffunditur. Accidentia vero aliquando quidem continent; aliquando continentur. Continent quidem, quia quodlibet unum accidens speciebus adesse pluribus consuevit, ut album cygno et lapidi: ut nigrum corvo et Æthiopi atque ebeno. Continentur vero, quoniam plura accidentia uni accidunt speciei, ut videatur illa species plura accidentia continere : cum enim Æthiopi accidit ut sit niger, accidit ut sit simus, ut crispus, quæ cuncta accidentia sunt Æthiopis, species est, quæ est homo, intra se plurima accidentia videtur includere. Huic occurri potest: cum differentiæ quoque aliquo modo continentur, alio modo continent, ut rationabilitas continet hominem (plus enim quam de homine prædicatur) continetur quoque ab homine, quoniam non solum hanc differentiam homo continet, verum etiam mortale. Respondebimus contra hoc, Omnia quæcunque substantialiter de pluribus prædicantur ab his de quibus dicuntur non poterunt contineri; quo fit ut differentia quidem non contineantur a specie, et si sint plures differentiæ quæ speciem informent. Accidentia vero continentur, quoniam accidentia speciei substantiam nulla prædicatione constituunt : nam nec proprie universalia donuntur accidentia, cum de speciebus pluribus dicuntur: differentiæ vero maxime dicuntur universalia et proprie. Quæ enim quorumlibet universalia sunt, ea necesse est eorum quorum sunt universalia etiam substantiam continere; quo fit ut quia substantiam differentiæ monstrant, intensione ac remissione careant, una enim quæque substantia neque contrahi neque remitti potest. At vero accidentia quoniam nullam constitutionem substantiæ profitentur intensione crescunt, et remissione decrescunt. Illa quoque eorum differentia, quod differentia contrariæ permisceri, ut ex eis fiat aliquid, non queunt: accidentia vero contraria, et quædam medietas ex alterutra contrarietate conjunguntur. Ex rationabili enim et irrationabili nihil in unum jungi potest: ex albo vero et nigro conjunctis fit aliquis medius color. Expositis igitur distantis differentiæ ad cætera, restat de specie dicere, cujus quidem differentias ad genus ante collegimus, cum generis ad speciem differentias dicebamus, ejusdem etiam speciei distantias ad differentiam diximus, cum differentiæ ad speciem dissimilitudines monstrabamus. Restat igitur speciem proprio et accidenti communione conjungere, tum differentia segregare.

Speciei vero et proprii commune est quidem de se invicem prædicari, nam si homo est, risibile est ; ac si risibile, homo: riribile vero secundum id quod natum est ridere accipi, sæpe jam dictum est. Commune est quoque æqualiter participari : æqualiter enim insunt species his quæ eorum participant, et propria quorum sunt propria.

Commune, inquit, habent proprium atque species ad seipsa prædicationes habere conversas. Nam sicut species de proprio, ita proprium de specie prædicatur: nam ut est homo risibilis, ita est risibile homo : idque jam superius dictum esse commemorat, cujus communitatis rationem subdit, eam scilicet qua æqualiter species individuis participantur, sicut eadem propria his quorum sunt proprias quæ ratio non videtur ad conversionem prædicationis accommodata, sed potius ad illam aliam similitudinem, quia sicut species æqualiter ab individuis participantur, ita etiam propria; æque enim Socrates et Plato homines sunt, sicut etiam risibiles. Itaque tanquam aliam communionem debemus accipere illud quod est additum: æqualiter enim sunt species his quæ eorum participant, et propria quorum sunt propria. An magis intelligendum est hoc modo dictum, tanquam si diceret, Æqualia sunt species et propria : nam quia species eorum sunt species, quæ speciebus ipsis participant : et propria eorum propria, quæ propriis participant; proprium atque species æqualiter utrisque insunt, id est, neque species supervadit ea quæ specie participant, neque propria supervadunt ea quæ propriis participant. Cumque hæc propria specierum sint propria, species ad propria æqualia esse necesse est, atque invicem prædicari.

Differt autem species a proprio, quoniam species quidem potest et aliis esse genus, proprium vero aliarum

speciorum esse impossibile est. Et species quidem ante subsistit, quam proprium, proprium vero post fit in specie: oportet enim ante hominem esse ut sit risibile. Amplius species quidem semper actu adest subjecto, proprium vero aliquando actu, potestate vero semper; homo enim semper actu est Socrates, non vero semper ridet, quamvis sit natura semper risibilis. Amplius, quorum termini differentes sunt et ipsa sunt differentia: est autem speciei quidem esse sub genere, et de pluribus differentibus numero in eo quod quid sit prædicari, et cætera hujusmodi : proprii vero est, soli et omni, et semper adesse.

Primam proprii et speciei differentiam dicit, quoniam species potest aliquando in alias species derivari, id est, potest esse genus : ut animal, cum sit species animati potest esse genus hominis (sed nunc non de his speciebus loquitur quæ sunt specialissimæ atque hunc confundere videtur errorem, quod cum de his speciebus dicere proposuerit quæ essent ultimæ, nunc de his quæ sunt subalternæ, et sæpe locum generis obtineant disserit ; propria vero nullo modo genera esse possunt, quoniam specialissimis adæquantur. Quæ quoniam genera esse nequeunt, nec propria quæ sunt ipsis æqualia esse permittuntur. Rursus species semper ante subsistit quam proprium nisi enim sit homo, risibile esse non poterit, et cum ista simul sint, tamen substantiæ cogitatio præcedit proprii rationem. Omne enim proprium in accidentis genere collocatur. Eo enim differt ab accidenti, quia circa omnem solam quamlibet unam speciem vim propriæ prædicationis continet : accidens autem quando continet ad multas species potest diffundi. Quod si priores sunt substantiæ quam accidentia (species vero substantia est, proprium vero accidens), non est dubium quin prior sit species, proprium vero posterius. Discernuntur etiam species a proprio actus potestatisque natura, species enim actu semper individuis adest, propria vero non semper, sed aliquoties actu, potestate autem semper. Socrates enim et Plato actu sunt homines, non vero semper actu rident, sed risibiles esse dicuntur, quia tametsi non rideant, ridere tamen possunt. Natura itaque species ut proprium semper subjectis adest, sed actu species, proprium vero non semper actu, ut dictum est. At rursus quoniam diffinitio substantiam monstrat quorum diversæ sunt diffinitiones, diversas necesse est esse substantias: speciei vero et proprii diversæ sunt diffinitiones, diversæ igitur sunt substantiæ. Est autem speciei diffinitio sub genere esse, et de pluribus numero differentibus in eo quod quid sit prædicari, quam superius frequenter expositam nunc iterare non opus est. Proprium vero ita diffinitur: proprium est quod et omni et semper speciei adest. Quod si diffinitiones diversæ sunt, non est dubium speciem, et proprium secundum naturæ suæ terminos discrepare.

Speciei vero et accidentis commune quidem est de pluribus prædicari; raræ vero sunt aliæ communitates, propterea quod plurimum distant a se accidens et id cui accidit.

A Speciei et accidentis similitudinem communem dicit de pluribus prædicari: de pluribus enim dicitur species, sicut et accidens. Raras vero dicit esse alias eorum communiones, idcirco quoniam longe diversum est, id quod accidit et cui accidit. Cui enim accidit subjectum est atque suppositum. Quod vero accidit superpositum est, atque advenientis naturæ. Item quod supponitur substantia est, quod vero velut accidens prædicatur, extrinsecus venit. Quæ omnia multam ejus quod est subjectum, et ejus quod est accidens differentiam faciunt, tamen inveniri etiam aliæ possunt species et accidentis inseparabilis communitates, ut semper subjectis adesse : æque enim homo singulis hominibus semper adest, et inseparabilia accidentia singuli individuis præsto sunt: et
B quod sicut species de his quæ continet individua, æque de pluribus, ut accidentia individuis prædicantur. Nam homo de Socrate, Platone, nigrum vero atque album de pluribus corvis et cygnis quibus accidit nuncupatur.

Propria vero utriusque sunt, species quidem in eo quod quid est prædicari de his quorum est species, accidentis autem in eo quod quale est, vel quomodo se habens. Amplius unamquamque substantiam, una quidem specie participare, pluribus autem accidentibus, et separabilibus, et inseparabilibus. Et species quidem ante intelligi possunt quam accidentia, etiamsi sint inseparabilia: oportet enim ante esse subjectum, ut illi aliquid accidat: accidentia vero posterioris generis sunt, et adventitiæ naturæ. Et speciei quidem participatio
C *æqualiter est, accidentis vero vel si inseparabile sit, non æqualiter: Æthiops enim plus alio Æthiope habebit colorem vel intensum, vel remissum secundum nigredinem. Restat igitur de proprio et accidenti dicere: quo enim proprium a specie, et differentia, et genere differt, dictum est.*

Quod nunc proprium speciei et accidentis se exsequi pollicetur, tale proprium intelligendum est, quod superius dictum est, ad comparationem dicatur differentium rerum. Species vero in eo quod quid est prædicatur, accidens vero in eo quod quale est, qua differentia non ab accidentibus solum species discernitur, verum etiam a differentiis et proprijs, nec solum species ab eisdem, verum etiam genus. Præterea quod species in eo quod quid est prædicatur, accidens
D vero in eo quod quomodo se habeat; id quoque commune est speciei cum genere, genus quippe ab accidenti in eo quod quid est, et quomodo se habeat prædicatione dividitur. Item unamquamque substantiam una videtur species continere, ut Socratem homo, atque ideo Socrati una tantum propinquitas speciei est hominis. Rursus individuo equo una species equi est proxima, itemque in cæteris: unicuique enim substantiæ una species præest, at vero unicuique substantiæ non unum accidens jungitur: unicuique enim substantiæ plura semper accidentia supervenunt, ut Socrati quod calvus, quod simus, quod glaucus, quod propenso ventre, et in aliis quidem substantiis de numero accidentium idem convenit

dicere. Deinde semper ante accidentia species intelliguntur: nisi enim sit homo cui addicit aliquod accidens esse non poterit: et nisi sit quælibet substantia cui accidens possit adjungi, accidens non erit. Omnis autem substantia propria specie continetur, recte igitur prius species, accidentia vero posterius intelliguntur, posterioris enim sunt generis, ut ait, et adventitiæ naturæ. Nam quæ substantiam non informant, recte adventitiæ naturæ esse dicuntur, et posterioris generis. Hic enim substantiis adsunt quæ ante differentiis informatæ sunt: rursus quoniam species substantiam monstrat, substantia vero (ut dictum est) intensione ac remissione caret, speciei participatio intensionem remissionemque non suscipit: accidens vero vel si inseparabile sit, potest intensionis remissionisque cremento et decremento variari, ut ipsum inseparabile accidens, quod Æthiopibus inest, nigredo. Potest enim quibusdam talis adesse ut sit fuscis proxima, aliis vero talis, ut sit nigerrima. Restat nunc proprii accidentisque communiones ac differentias persequi. Sed quo proprium differat a genere, specie et differentia, superius demonstratum est, cum quod genus, species, et differentia a proprio distaret ostendimus. Nunc reliqua de communitate et differentia consideratio est, quæ proprium accidentibus aut jungit aut segregat.

Communis autem proprii et accidentis inseparabilis est, quod præter ipsa nunquam consistant ea in quibus considerantur; quemadmodum enim præter risibile non subsistit homo, ita nec præter nigredinem subsistit Æthiops: et quemadmodum semper et omni adest proprium, sic et inseparabile accidens.

Quoniam proprium semper adest speciebus, nec eas ullo modo relinquit, quoniamque inseparabile accidens a subjecto non potest segregari, hoc illis inter se videtur esse commune, quod ea quibus insunt, præter propria et inseparabilia accidentia, esse non possunt. Inseparabilia vero accidentia comparat proprio, quoniam ut in specie dictum est, rarissimæ sunt speciei atque accidentis similitudines, quocirca multo magis proprii atque accidentis communitates difficile reperiuntur: accidens enim in contrarium dividi solet, in inseparabile accidens atque separabile: quæ vero sub genere in contrarium dividuntur, ea nullo alio nisi tantum generis prædicatione participant. Quod si proprium inseparabile quoddam accidens est, a separabili accidenti plurimum differt, atque ideo nullas proprii et separabilis accidentis similitudines quærit. Sed quoniam ipsum proprium certis quibusdam rationibus ab inseparabilibus accidentibus differt, horum et communitates inveniri possunt: et inter se differentiæ, quarum una quidem ea est quam superius exposuimus, secunda vero quoniam sicut proprium semper, et omni speciei adest, ita etiam inseparabile acoidens: nam sicut risibile omni homini, et semper adest, ita etiam nigredo omni corvo, et semper adjuncta est.

Differt autem, quoniam proprium uni soli speciei adest, quemadmodum risibile homini: inseparabile vero accidens, ut nigrum, non solum Æthiopi, sed etiam corvo adest, et carboni, et ebeno, et quibusdam aliis. Amplius, proprium conversim de eo cujus est proprium prædicatur: inseparabile vero accidens conversim non prædicatur. Et propriorum quidem æqualis est participatio, accidentio vero hæc quidem magis, illa vero minus. Sunt quidem et aliæ communitates et proprietates eorum quæ dicta sunt sed sufficiunt hæc et ad discretionem ipsorum, et ad communitatis traditionem.

Proprii atque accidentis prima quidem differentia est, quia proprium semper de una tantum specie dicitur, accidens vero minime: sed ejus prædicatio in plurimas diversi generis substantias speciesque diffunditur, risibile enim de nullo alio nisi de homine prædicatur. Nigrum vero, quod est quibusdam inseparabile accidens, tam corvo, et Æthiopi quæ diversa sunt specie, quam corvo atque ebeno, quæ differunt generibus non tantum specie, præsto est: quo fit ut propriis quidem conversio æqua servetur, in accidentibus vero minime. Quoniam enim propria in singulis esse suum habent, atque omnes continent species proprias, converso ordine prædicantur. Nam quod risibile est, homo est: et quod homo, risibile; nigrum vero non ita, sed ipsum quidem de his prædicari potest quibus inest. Illa vero ad hujus prædicationem converti retrahique non possunt: nigrum enim de carbone, ebeno, homine, atque corvo prædicatur, hæc vero de nigro minime. Nam quæ plura continent, de his quæ continent prædicari possunt, ea vero quæ continentur de sese continentibus nullo modo prædicantur. Rursus proprium quidem æqualiter participatur, accidens remissionibus atque intensionibus permutatur: omnis enim homo æque risibilis est, Æthiops vero non æqualiter niger est, sed (ut dictum est) aliquis quidem paulo minus niger, alius vero teterrimus invenitur. Et de proprii quidem atque accidentis differentiis satis dictum est. Restabat vero accidentis ad cætera communiones proprietatesque explicare sed jam superius annumeratæ sunt cum generis, differentiæ, proprii et accidentis similitudines ac differentias assignavimus. Fortasse autem his institutus animus, et solertior factus, alias præter eas, quas nunc diximus, communitates et differentias quinque rerum quæ superius sunt positæ reperiet, sed ad discretionem atque ad eorum similitudines comparandas ea fere quæ sunt dicta sufficiant. Nos etiam quoniam promissi operis portum tenemus, atque hujus libri seriem primo quidem a rhetore Victorino, post vero a nobis Latina oratione conversam gemina expositione patefecimus, hic terminum longo statuimus operi continenti quinque rerum disputationem et ad prædicamenta servienti.

AN. MANL. SEV. BOETII
IN CATEGORIAS ARISTOTELIS
LIBRI QUATUOR.

LIBER PRIMUS.

Expeditis his quæ ad prædicamenta Aristotelis Porphyrii institutione digesta sunt, hos quoque commentarios in prædicamenta perscribens mediocris styli seriem persecutus, nihil de altiorum quæstionum tractatione permiscui, sed dilucidandi moderatione servata, nec angere lectorem brevitate volui, nec dilatatione confundere. Quare prius breviter hujus operis aperienda videtur intentio, quæ est hujusmodi : Rebus præjacentibus, et in propria principaliter naturæ constitutione manentibus, humanum solum genus exstitit, quod rebus nomina posset imponere. Unde factum est ut sigillatim omnia prosecutus hominis animis singulis vocabula rebus aptaret. Et hoc quidem, verbi gratia, corpus, hominem vocavit, illud vero, lapidem, aliud lignum, aliud vero colorem. Et rursus quicunque ex se alium genuisset, patris vocabulo nuncupavit. Mensuram quoque magnitudinis proprii forma nominis terminavit, ut diceret bipedale esse, aut tripedale, et in aliis eodem modo. Omnibus ergo nominibus ordinatis, ad ipsorum rursus vocabulorum proprietates figurasque reversus est, et hujusmodi vocabuli formam, quæ inflecti casibus possit, nomen vocavit ; quæ vero temporibus distribui, verbum. Prima igitur illa fuit nominum positio, per quam vel intellectui subjecta vel sensibus designaret. Secunda consideratio, qua singulas proprietates nominum figurasque perspicerent, ita ut primum nomen sit ipsum rei vocabulum : ut, verbi gratia, cum quælibet res homo dicatur. Quod autem ipsum vocabulum, id est homo, nomen vocatur, non ad significationem nominis ipsius refertur, sed ad figuram, idcirco quod possit casibus inflecti. Ergo prima positio nominis secundum significationem vocabuli facta est, secunda vero secundum figuram : et est prima positio, ut nomina rebus imponerentur, secunda vero ut aliis nominibus ipsa nomina designarentur. Nam cum homo vocabulum sit subjectæ substantiæ, id quod dicitur homo, nomen est hominis, quod ipsius nominis appellatio est. Dicimus enim, Quale vocabulum est homo ? et proprie respondetur, nomen. In hoc igitur opere hæc intentio est, de primis rerum nominibus, et de vocibus res significantibus disputare, non in eo quod secundum aliquam proprietatem figuramque formantur, sed in eo quod significantes sunt. Nam quodcunque de substantia vel facere vel pati dicitur, non ita tractatur, quasi unum eorum casibus inflecti possit, aliud vero temporibus permutari, sed quasi aut hominem, aut equum, aut individuum aliquod, aut, speciem genusve significet. Est igitur hujus operis intentio de vocibus res significantibus, in eo quod significantes sunt pertractare. Hæc quidem est tempori introductionis, et simplicis expositionis apta sententia, quam nos nunc Porphyrium sequentes, quod videbatur expeditior esse planiorque digessimus. Est vero in mente de intentione, utilitate et ordine, tribus quæstionibus disputare, videlicet in alio commentario quem componere proposui de eisdem categoriis ad doctiores, quarum una est quid prædicamentorum velit intentio, ibique numeratis diversorum sententiis, docebimus cui nostrum quoque accedat arbitrium, quod nemo huic in præsentia sententiæ repugnare miretur, cum videat quanto illa sit altior cujus non nimium ingredientium mentes capaces esse potuissent, adquos mediocriter imbuendos ista conscripsimus. Efficiendi ergo, et quodam modo disponendi mediocri expositione sunt in ipsi quasi disciplinæ hujus foribus, quos ad hanc paramus scientiam admittere. Hanc igitur causam mutatæ sententiæ utriusque operis lector agnoscat, quod illic ad scientiam Pythagoricam perfectamque doctrinam, hic ad simplices introducendorum motus expositionis sit accommodata sententia ; sed nunc ad propositum revertamur, sitque in præsens prædicamentorum intentio, quæ superius est comprehensa, id est, de primis vocibus significantibus prima rerum genera, in eo quod significantes sunt disputare : et quoniam res infinitæ sunt, infinitas quoque voces, quæ significent eas esse necesse est : sed infinitorum nulla cognitio est, infinita namque animo comprehendi nequeunt. Quod autem ratione mentis circumdari non potest, nullius scientiæ fine concluditur, quare infinitorum scientia nulla est : sed hic Aristoteles non de infinitis rerum significationibus tractat, sed decem prædicamenta constituens, ad quæ ipsa infinita multitudo significantium vocum referri debeat, terminavit : ut, verbi gratia, cum dico homo, lignum, lapis, equus, animal, plumbum, stannum, argentum, aurum, et alia hujusmodi quæ nimirum infinitum sunt, hæc omnia ad unum substantiæ vocabulum deducantur. Hæc namque, et si qua sunt alia quæ certæ sunt infinita vocabula unum substantiæ nomen includit. Rursus cum dico bipedale, tripedale, sex, quatuor, decem, lineam superficiem, soliditatem, et quæcunque alia ex eodem genere quæ infinita sunt, uno quantitas nomine continentur, ut hæc omnia sub quantitate ponantur. Rursus cum dico album, vel scientiam, vel bonum, vel malum, vel alia hujusmodi, quæque in hoc quoque genere

infinita sunt,unum tamen nomen concludens omnia qualitatis occurrit,et de aliis quoque similiter.Rerum ergo diversarum indeterminatam infinitamque multitudinem,decem prædicamentorum paucissima numerositate concludit,ut ea quæ infinita sub scientiam cadere non poterant,decem propriis generibus diffinita scientiæ comprehensione claudantur.Ergo decem prædicamenta quæ dicimus, infinitarum in vocibus significationum genera sunt, sed quoniam omnis vocum significatio de rebus est, quæ voce significantur in eo quod significantes sunt,genera rerum necessario significabunt.Ut igitur concludenda sit intentio, dicendum est in hoc libro de primis vocibus, prima rerum genera significantibus in eo quod significantes sunt,dispositum esse tractatum. Sed quoniam de intentione dictum est, breviter hujus operis utilitas explicanda est. Nam cum res infinitæ infinitis quoque vocibus significarentur,et (ut dictum est) sub scientiam venire non possent, hac definitione,qua decem prædicamentorum divisio facta est,cunctarum rerum et vocum significantium acquirimus disciplinam.Hinc est quod ad logicum tendentibus primus hic liber legendus occurrit,idcirco quod cum omnis logica syllogismorum ratione sit constituta syllogismi vero propositionibus jungantur, propositiones vero sermonibus constent, prima est utilitas quid quisque sermo significet,propriæ scientiæ diffinitione cognoscere. Hæc quoque nobis de decem prædicamentis inspectio,et in physica Aristotelis doctrina,et in moralis philosophiæ cognitione perutilis est,quod per singula currentibus magis liquebit. Quocirca de ordine quoque libri hujus eadem ratio est.Nam quoniam res simplices compositis natura priores sunt,quæ enim composita sunt,ex simplicibus componuntur. Hic quoniam de simplicibus vocibus res significentibus disputatur, secundum ipsius simplicitatis principalem naturam, primus hic Aristotelis liber inchoantibus addiscitur. Nec illud fere dubium est,ad quam partem philosophiæ hujus libri ducatur intentio, idcirco quoniam qui de significativis vocibus tractat,de rebus quoque est aliquatenus tractaturus.Res etenim et rerum significatio juncta est,sed principalior erit illa disputatio quæ de sermonibus est: secundo vero loco illa quæ de rerum ratione formatur. Quare quoniam omnis ars logica de oratione est,et in hoc opere de vocibus principaliter tractatur (quanquam enim sit hujus libri relatio ad cæteras quoque philosophiæ partes) principaliter tamen refertur ad logicam,de cujus quodammodo simplicibus elementis,id est, de sermonibus in eo principaliter disputavi.Aristotelis vero neque ullius alterius liber est,idcirco quod in omni philosophia sibi ipse de hujus operis disputatione consentit,et brevitas ipsa atque subtilitas ab Aristotele non discrepat,alioqui interruptum imperfectumque opus edidisse videretur qui de syllogismis scriberet,si aut de propositionibus prætermisisset, aut de primis vocibus tractatum, quibus ipsæ propositiones continentur,omitteret.Quanquam exstet alter Aristotelis liber de eisdem disputans, eadem fere continens, cum sit oratione diversus; sed hic proprietatis liber calculum cœpit. Archites etiam duos composuit libros quos Καθόλους Λόγους inscripsit,quorum in primo hæc decem prædicamenta disposuit.Unde posteriores quidam non esse Aristotelem hujus divisionis inventorem suspicati sunt,quod Pythagoricus vir eadem conscripsisset, in qua sententia Jamblicus philosophus est non ignobilis,cui non consentit Themistius,neque concedit eum fuisse Architem,qui Pythagoricus Tarentinusque esset,quique cum Platone aliquantulum vixisset, sed peripateticum aliquem Architem,qui novo operi auctoritatem vetustate nominis conderet,sed de his alias. Restat inscriptio quæ varia fuit. Inscripsere namque alii de rebus, alii de generibus rerum, quos eadem similisque culpa confudit. Namque (ut docuimus) non de rerum generibus,neque de rebus, sed de sermonibus rerum genera significantibus in hoc opere tractatus habetur, hoc vero Aristoteles ipse declarat cum dicit: Eorum quæ secundum nullam complexionem dicuntur, singulum aut substantiam significat,aut quantitatem.Quod si de rebus divisionem faceret, non dixisset significat; res enim significatur, non ipsa significat.Illud quoque maximo argumento est Aristotelem non de rebus, sed de sermonibus res significantibus speculari,quod ait: Singulum igitur eorum que dicta sunt,ipsum quidem secundum se in nulla affirmatione dicitur,horum autem ad se invicem complexione affirmatio fit.Res enim si jungantur,affirmationem nullo modo perficiunt,affirmatio namque in oratione est.Quocirca si prædicamenta juncta faciunt affirmationem (affirmatio vero non nisi in oratione est,quæ autem junguntur ut affirmatio fiat,hæ sunt rerum significantes voces)prædicamentorum tractatus non de rebus,sed de vocibus est;male igitur vel de rebus vel rerum generibus inscripserunt.Annotant alii hunc librum legendum ante Topica,quod nimis absurdum est. Cur enim non magis ante Physica? quasi vero minor hujus sit libri usus in Physicis, cum primi Resulotorii ante Topica legantur,et ante primos Resulotorios Perihermenias liber ad cognitionem veniat inchoantis,cur non magis hunc librum vel ante Perihermenias,vel ante Resolutorios inscripserunt? Quare repudianda est inscriptionis istius quoque ipsa sententia,dicendumque est: Quoniam rerum prima decem genera sunt,necesse fuit decem quoque esse simplices voces, quæ de subjectis rebus dicerentur: omne enim quod significat de illa re dicitur quam significat,ergo inscribendus liber est de decem Prædicamentis.Sed forte quis dicat,si de significantibus rerum vocibus ipsa disputatio est,cur de ipsis disputat rebus? Dicendum est,quoniam res semper cum propria significatione conjunctæ sunt, et quidquid in res venit,hoc quidem in rerum vocabulis invenitur: quare recte de vocabulis disputans, proprietatem significantium vocum de his quæ significabantur, id est de rebus assumpsit. Erit alia quoque fortasse quæstio: Cur enim hic orationem in

decem prædicamenta sit partitus, in Perihermenias libro in duas tantum partes divisionem fecit, in verbum videlicet et nomen ? Sed hoc interest quod illic figuras vocabulorum dividit, in hoc de significationibus tractat, quare non est sibi ipse contrarius. In Perihermenias enim libro de nomine et verbo considerat quæ secundum figuram quamdam vocabuli sunt, quod illud inflecti casibus potest, illud variari per tempora : hic vero non secundum has figuras, sed in eo quod voces significantes sunt disputatur : quare diversam in diversis rebus atque tractatibus faciendo divisionem, nulla contrarietate notabitur, neque nunc orationem dividit, sed ad multitudinem generum nomina ipsa dispertit : nam quoniam decem rerum genera sunt non secundum orationem, sed secundum rerum significationem in decem prædicamenta voces dividit, deque his tractat. Atque ideo necesse fuit quodammodo disputationem de rebus quoque misceri, ita (ut dictum est) ut non aliter nisi ex rebus proprietates in sermonibus apparerent, atque ita non de rebus proprie, sed de prædicamentis, id est, de ipsis rerum significativis vocibus in eo quod significantes sunt, seriem disputationis orditur. Cur autem, si de prædicamentis disputat, de æquivocis, vel univocis, vel denominativis primus illi tractatus est ? Idcirco nimirum quod quædam semper a disputantibus præmittuntur, quibus positis facilior de sequentibus possit esse doctrina : ut in geometria, prius termini præponuntur, post theorematum ordo conteritur. Ita quoque hic quidquid ad prædicamentorum disputationem possit esse utile, prius quam ad ipsa prædicamenta veniret, exposuit : quare quoniam quæ prædicenda erant explicavi, nunc ad ipsius disputationis seriem textumque veniamus. Quid autem æquivoca vel univoca vel denominativa utilitatis habeant, secundum ipsas singulorum rationes diffinitionesque tractabitur.

DE ÆQUIVOCIS.

Æquivoca dicuntur quorum solum nomen commune est, secundum nomen vero substantiæ ratio diversa, ut animal, homo et quod pingitur. Horum enim solum nomen commune est, secundum nomen vero substantiæ ratio diversa. Si quis enim assignet quid sit utrumque eorum, quo sint animalia, propriam assignabit utriusque rationem.

Omnis res aut nomine aut diffinitione monstratur : namque subjectam rem aut proprio nomine vocamus, aut diffinitione quid sit ostendimus. Ut verbi gratia, quamdam substantiam vocamus hominis nomine, et ejusdem definitionem damus dicentes esse hominem animal rationale, mortale ; ergo quoniam res omnis aut diffinitione aut nomine declaratur, ex his duobus, nomine scilicet et deffinitione, diversitates quatuor procreantur. Omnes namque res aut eodem nomine et eadem definitione junguntur, ut homo et animal, utraque enim animalia dici possunt, et utraque una diffinitione junguntur. Est namque animal substantia animata sensibilis, et homo rursus substantia animata sensibilis, et hæc vocantur univoca. Alia vero A quæ neque nominibus neque diffinitionibus conjunguntur : ut ignis, lapis, color, et quæ propriæ substantiæ natura discreta sunt, hæc autem vocantur diversivoca. Alia vero quæ diversis nominibus nuncupantur, et uni diffinitioni designationique subduntur, ut gladius, ensis ; hæc enim multa sunt nomina, sed id quod significant una diffinitione declaratur, et hoc vocatur multivocum. Alia vero quæ nomine quidem congruunt, diffinitionibus discrepant : ut est homo vivens et homo pictus ; nam utrumque vel animalia vel homines nuncupantur. Si vero quis velit picturam hominemque diffinire, diversas utrisque diffinitiones aptabit, et hæc vocantur æquivoca. Quare quoniam quid sint æquivoca dictum est, singulis Aristotelicæ diffinitionis sententias persequamur.

B Æquivoca, inquit, dicitur res scilicet, quæ per se ipsas æquivocæ non sunt, nisi uno nomine prædicentur : quare quoniam ut æquivoca sint, ex communi vocabulo trahunt, recte ait, æquivoca dicuntur. Non enim sunt æquivoca, sed dicuntur. Fit autem non solum in nominibus, sed etiam in verbis æquivocatio : ut cum dico complector te, et complector a te. In quibus significationibus cum unum nomen sit complector, alia tamen faciendi ratio est, alia patiendi : atque ideo hic quoque æquivocatio est : unum enim nomen quod est complector, diversis faciendi et patiendi diffinitionibus terminatur. In præpositionibus quoque, et in conjunctionibus frequenter æquivocatio reperitur, atque ideo quod ait : Quorum nomen solum commune est, nomen accipiendum

C est omnis rerum per vocem significatio, id est, omne vocabulum non proprium solum, aut appellativum, quod ab illud tantum nomen pertinet quod casibus inflecti potest, sed ad nomen rerum significationem, qua rebus imposita vocabula prædicamus. Solum autem duobus modis dicitur : semel cum aliquid unum esse dicimus, ut si dicamus solus est mundus, id est unus ; alio vero modo cum dicimus ad quamdam ab altero divisionem, ut si quis dicat solam me habere tunicam, id est, non etiam togam, ad divisionem videlicet togæ. Hic ergo Aristoteles posuit dicens, Solum nomen commune est, quasi hoc voluisset intelligi non etiam diffinitio, æquivoca enim junguntur nomine, sed diffinitione dissentiunt. Commune quoque multis dicitur modis. Dicitur commune quod in partes dividitur, et non jam totum commune

D est, sed partes ejus propriæ singularum, ut domus. Dicitur commune quod id partes non dividitur, sed vicissim in usus habentium transit, ut servus communis vel equus. Dicitur etiam commune quod utendo cujusque fit proprium, post usum vero in commune remittitur, ut est theatrum, nam cum eo utor, meum est, cum inde discedo, in commune remisi. Dicitur quoque commune, quod ipsum quidem nullis divisum partibus, totum uno tempore in singulos venit. ut vox vel sermo ad multorum aures uno eodemque tempore totus atque integer pervenit. Secundum hanc igitur ultimam communis significationem Aristoteles putat æquivocis rebus commune esse voca-

bulum. Namque in homine picto et in homine vivo totum in utrisque vocabulum dicitur animalis, secundum nomen vero substantiæ ratio diversa, hoc hac significatione præmittit, ut si aliter reddantur diffinitiones quam secundum nomen, statim tota diffinitio labet ac titubet. Ac primum de diffinitionis proprietate dicendum est. Illæ enim certæ diffinitiones sunt quæ convertuntur, ut si dicas, Quid est bono? animal rationale mortale? homo, hoc quoque verum est. At vero si ita quis dicat, Quid est homo? substantia animata sensibilis. verum est; quid substantia animata sensibilis? homo, hoc non modis omnibus verum est, idcirco quod equus quoque est substantia animata sensibilis, sed homo non est. Ergo illas constat esse diffinitiones integras quæ converti possunt. Sed hoc fit in iis quæ non de communi, sed uno tantum, ut cum de hominis nomine redduntur, verbi gratia. Animal est commune nomen, si dixerit quis, Homo est substantia animata sensibilis, procedi: si non convertatur, quia de communi nomine reddita est diffinitio; sin vero de uno nomine redditur, tunc de ipso nomine facienda est diffinitio; sic tamen est recta facienda, ut hominis diffinitio sit animal rationale mortale, non substantia animata sensibilis, illa enim secundum hominis nomen, ista secundum animalis est reddita. Idem etiam in his nominibus quæ de duabus rebus communiter prædicantur, si secundum nomen substantiæ ratio non reddatur, potest aliquoties fieri, ut ex univocis æquivoca sint, et ex æquivocis univoca; namque homo atque equus cum secundum nomen animalis univoca sint, possunt esse æquivoca, si secundum nomen minime diffinita sunt. Homo namque et equus communi nomine animalia nuncupatur, si quis ergo hominis reddat diffinitionem dicens, animal rationale mortale, et equi, animal irrationale hinnibile, diversas reddidit diffinitiones, et erunt res univocæ in æquivocas permutatæ. Hoc autem idcirco evenit, quod diffinitiones non secundum animalis nomen redditæ sunt, quod eorum commune vocabulum est, sed secundum hominis atque equi. Nam si secundum commune nomen quod est animal diffinitio redderetur, ita fieret, homo est substantia animata sensibilis, secundum nomen scilicet animalis; et rursus, equus est substantia animata sensibilis, secundum nomen rursus animalis, secundum idem namque animalis vocabulum equus atque homo univoce prædicantur. Rursus ex equivocis univoca fiunt hoc modo: si quis Pyrrhum Achillis filium et Pyrrhum Epiroten dicat esse univocos, idcirco quod uno nomine et Pyrrhi dicantur, et sint animalia rationabilia atque mortalia. Hic secundum nomen hominis reddita diffinitio, ex æquivocis fecit univoca. Quod si secundum nomen Pyrrhi diffinitionis ratio jungeretur vel a parentibus vel a patria, diversis eos oporteret diffinitionibus terminari. Recte igitur additum est, secundum nomen, idcirco quod si aliter facta sit diffinitio, stabilis esse non poterit, et frequenter diversos secum ducit errores. Ratio quoque multimodo dicitur. Est enim ratio animæ, et est ratio computandi, est ratio naturæ, ipsa nimirum similitudo nascentium, est ratio quæ in diffinitionibus vel descriptionibus redditur. Et quoniam generalissima genera genere carent, individua vero nulla substantiali differentia discrepant, diffinitio vero ex genere et differentia trahitur, neque generalissimorum generum, neque individuorum ulla potest diffinitio reperiri. Subalternorum vero generum, quoniam et differentias habent et genera, diffinitiones esse possunt. At vero quorum diffinitiones reddi nequeunt, illa tantum descriptionibus terminantur. Descriptio autem est, quæ quamlibet rem propria quadam proprietate designat. Sive ergo diffinitio sit sive descriptio, utraque rationem substantiæ designat. Quare cum substantiæ rationem dixit, et diffinitionis et descriptionis nomen inclusit. Æquivocorum alia sunt casu, alia consilio. Casu, ut Alexander Priami filius et Alexander Magnus. Casus enim id egit, ut idem utrique nomen poneretur. Consilio vero, ea quæcunque hominum voluntate sunt posita. Horum autem alia sunt secundum similitudinem, ut homo pictus et homo verus quo nunc utitur Aristoteles exemplo: alia secundum proportionem, ut principium est in numero unitas, in lineis punctus. Et hæc æquivocatio secundum proportionem esse dicitur. Alia vero sunt quæ ab uno descendunt, ut medicinale ferramentum; medicinale pigmentum, ab una enim medicina æquivocatio ista descendit. Alia quæ ad unum referuntur, ut si quis dicat salutaris vectatio est, salutaris esca est, hæc scilicet idcirco sunt æquivoca, quod ad salutis unum vocabulum referuntur. Cur autem prius de æquivocis post de univocis tractat? Idcirco quod ipsa decem prædicamenta cum diffinitionibus diversa sint, uno prædicationis vocabulo nuncupantur; cuncta enim prædicamenta dicimus, ipsa vero prædicamenta quoniam rerum genera sunt, de subjectis rebus univoce prædicantur. Omne enim genus de speciebus propriis univoce dicitur, quare rectius primo de omnibus prædicamentorum communi vocabulo tractat, quasi dehinc quemadmodum singula de speciebus propriis prædicarentur, exprimeret. At si (ut dictum est) non de rebus, sed de nominibus libri hujus intentio est. Cur de æquivocis et non de æquivocatione tractavit? æquivocæ namque res sunt, æquivocatio vero vocabulum. Idcirco, quoniam ipsum nomen nihil in se retinet æquivocationis, nisi diversæ sint res de quibus illud vocabulum prædicetur. Quare inde substantiam ipsa æquivocatio trahit, de ipsis dignus inchoatum est. Videtur autem alius esse modus æquivocationis quem Aristoteles omnino non recipit. Nam sicut dicitur pes hominis, ita quoque dicitur pes navis, et pes montis, quæ hujusmodi omnia secundum translationem dicuntur. Translatio vero nullius proprietatis est. Quare secundum translationem æquivoca nunquam sunt, nisi propriis et immutabilibus subjectæ res vocabulis appellentur. Est autem talis eorum universa-

lis inspectio. Neque enim omnis translatio ab æquivocatione sejungitur, sed ea tantum cum ad res habentes positum vocabulum, ab alia jam nominata re nomen ornatus causa transfertur, ut quia jam dicitur quidam auriga, dicitur etiam gubernator, si quis ornatus gratia cum qui gubernator est dicat aurigam, non erit auriga nomen æquivocum, licet diversa, id est, moderatorem currus navisque significet. Sed quoties res quidem vocabulo eget, ab alia vero re quæ vocabulum sumit, tunc ista translatio æquivocationis retinet proprietatem, ut ex homine vivo ad picturam nomen hominis dictum est. Et de æquivocis hactenus ; nunc de univocis pertractemus.

DE UNIVOCIS.

Univoca vero dicuntur quorum nomen commune est, et secundum nomen eadem ratio substantiæ, ut animal, homo atque bos, communi enim nomine utraque animalia nuncupantur, et est substantiæ ratio eadem. Si quis enim assignet utriusque rationem quidutrumque sit, quo sint animalia, eamdem assignabit rationem.

Post æquivocorum diffinitionem ad univocorum terminum transitum fecit, in quibus nihil aliud discrepat, nisi quod æquivoca diffinitione disjuncta sunt, univoca ipso quoque termino conjunguntur, sed cætera omnia quæcunque in æquivocorum diffinitione dicta sunt, in hac quoque univocorum designatione conveniunt. Nam quemadmodum in æquivocis secundum nomen æquivocarum rerum diffinitio fiebat, ita quoque in univocis secundum nomen substantiæ ratio assignabitur. Sunt autem univoca aut genera speciebus, aut species speciebus, genera speciebus, ut animal atque homo. Nam cum hominis genus sit animal, dicitur homo animal, ergo et animal et homo animalia nuncupantur. Secundum igitur commune nomen si utrosque diffinias, dicis animal esse substantiam animatam atque sensibilem, hominem quoque secundum id quod animal est, si substantiam animatam sensibilem dixeris, nihil in eo falsitatis invenies. Species vero speciebus univocæ sunt, quæ uno atque eodem genere continentur, ut homo, equus atque bos, his commune genus est animal, et communi nomine animalia nominantur. Ergo secundum nomen unum quod illis commune est animalis, una illius ratio diffinitionis aptabitur, omnia enim sunt substantiæ animatæ atque sensibiles. Secundum igitur posteriorem univocationis designationem Aristoteles qua speciebus species univocæ sunt, ut homo et bos, quæ sub eodem sunt genere, sumpsit exemplum.

DE DENOMINATIVIS.

Denominativa vero dicuntur quæcunque ab aliquo solo differentia casu secundum nomen habent appellationem, ut a grammatica grammaticus, et a fortitudine fortis.

Hæc quoque diffinitio nihil habet obscurum. Casus enim antiqui nominabant aliquas nominum transfigurationes, ut a justitia justus, a fortitudine fortis, etc. Hæc igitur nominis transfiguratio, casus ab antiquioribus vocabatur. Atque ideo quotiescunque aliqua res alia participat, ipsa participatione sicut rem, ita quoque nomen adipiscitur, ut quidam homo, quia justitia participat et rem quoque inde trahitet nomen, dicitur enim justus. Ergo denominativa vocantur quæcunque a principali nomine solo casu, id est sola transfiguratione discrepant. Nam cum sit nomen principale justitia, ab hoc transfiguratum nomen justus efficitur. Ergo illa sunt denominativa quæcunque a principali nomine solo casus id est sola nominis discrepantia, secundum principale nomen habent appellationem. Tria sunt autem necessaria, ut denominativa vocabula constituantur: prius ut re participet, post ut nomine, postremo ut sit quædam nominis transfiguratio, ut cum aliquis dicitur a fortitudine fortis, est enim quædam fortitudo qua fortis ille participet, habet quoque nominis participationem, fortis enim dicitur. At vero est quædam transfiguratio, fortis enim et fortitudo non eisdem syllabis terminantur. Si quid vero sit quod re non participet, neque nomine participare potest. Quare quæcunque re non participant, denominativa esse non possunt. Rursus quoque, quæ re quidem participant, nomine vero minime, ipsa quoque a denominativorum natura discreta sunt, ut si quis, cum sit virtus, virtute ipsa participet, nullo cum alio nomine nisi sapientem vocamus. Sed virtus et sapientia nomine ipso disjuncta sunt, hic ergo re quidem participat, nomine vero minime. Quare sapiens a virtute denominatus esse non dicitur, sed a sapientia, qua scilicet et participat, et nomine jungitur, et transfiguratione diversus est; rursus si transfiguratio non sit, ut quædam mulier musica, participat quidem ipsa musicæ disciplina, et dicitur musica. Hæ igitur appellatio non est denominativa, sed æquivoca, uno enim nomine et disciplina et ipsa mulier musica dicitur. Quoniam ergo similis terminus syllabarum est, et nomen simile, et nulla transfiguratio, denominativa esse non poterunt, quare quidquid denominativa esse non poterunt, quare quidquid denominativum esse dicitur, illud et re participabit et nomine, et aliqua transfiguratione vocabuli discrepabit. Hæc igitur quæ ad prædicamenta necessaria credidit, præmisit. Multivoca vero et diversivoca respuit, quod ad præsentem tractatum utilia non putavit. Breviter tamen utraque diffinienda sunt. Multivoca sunt quorum plura nomina una diffinitio est, ut est scutum, clypeus : his enim plura nomina, sed una diffinitio est; et Marcus Porcius Cato, his enim tot nominibus res una subjecta est. Diversifica sunt quorum neque nomen idem est, neque eadem diffinitio, ut homo, color, et quidquid omnino a se et nominis nuncupatione et diffinitionis ratione discretum est.

Eorum quæ dicuntur alia quidem secundum complexionem dicuntur alia vero sine complexione, et ea quæ secundum complexionem dicuntur sunt, ut homo currit, homo vincit : ea vero quæ sine complexione dicuntur sunt, ut homo, bos, currit, vincit.

Postquam de conjunctione diffinitionum atque nominum quantum ad præsens attinebat opus, sufficienter exposuit quoniam de primis nominibus prima

rerum genera significantibus divisio facienda est, non nomine, sed genere discrepantibus, nunc ostendit quid sit sine complexione cujuslibet vocabuli facta prolatio. Sine complexione enim dicuntur quæcunque secundum simplicem sonum nominis proferuntur, ut homo, equus: his enim extra nihil adjunctum est. Secundum complexionem dicuntur quæcunque aliqua conjunctione copulantur, ut aut Socrates aut Plato, vel quæcunque secundum aliquod accidens conjunguntur. Nam quia, verbi gratia, in Socratem venit ambulatio, dicimus: Socrates ambulat, et est prolatio ista secundum complexionem, idcirco quia cum dico Socrates ambulat, Socratem sum cum ambulatione complexus. Quod autem ait: Eorum quæ dicuntur, nihil aliud demonstrare vult nisi de primis rerum vocabulis hujus libelli disposuisse tractatum. Rerum enim vocabula sunt quæ dicuntur, ipsa enim proprie nominamus.

Eorum quæ sunt alia de subjecto quodam dicuntur, in subjecto vero nullo sunt: ut homo de subjecto quidem dicitur aliquo homine, in subjecto autem nullo est. Alia in subjecto quidem sunt, de subjecto autem nullo dicuntur. In subjecto autem esse dico, quod cum in aliquo non sicut quædam pars sit, impossibile est sine eo esse in quo est: ut quædam grammatica in subjecto quidem est, in anima, de subjecto autem nullo dicitur, et quoddam album in subjecto est corpore (omnis enim color in corpore est), de subjecto autem nullo dicitur. Alia et de subjecto quodam dicuntur, et in subjecto sunt: ut scientiæ in subjecto quidem est in anima, de subjecto autem dicitur, ut de hac grammatica. Alia neque in subjecto sunt neque de subjecto dicuntur, ut aliquis homo, vel aliquis equus: nullum enim horum neque in subjecto est, neque de subjecto dicitur. Simpliciter autem quæ sunt individua et numero singularia, de nullo subjecto dicuntur: in subjecto autem nihil prohibet horum aliqua esse, quædam enim grammatica in subjecto est, de subjecto autem nullo dicitur.

Hic Aristoteles sermonum omnium multitudinem in parvissimam colligit divisionem. Nam quod rerum vocabula in decem prædicamenta distribuit, major hac divisione non potest inveniri, nihil enim esse poterit quod huic divisioni undecimum adjici queat. Omnis enim res aut substantia est, aut quantitas, aut qualitas, aut ad aliquid, aut facere, aut pati, aut quando, aut ubi, aut habere, aut situs; quocirca tot erunt etiam sermones qui ista significent, et hæc est maxima divisio, cui ultra nihil possit adjungi: parvissima vero est quæ fit in quatuor, in substantiam et accidens, et universale et particulare. Omnis enim res aut substantia est, aut accidens, aut universalis, aut particularis. Sicut ergo decem superioribus nihil addi poterat, ita ex his quatuor nihil demi. Nam neque minor ulla divisio his quatuor fieri potest, nec major quam si denario limite prædicamenta claudantur. Cum autem in his quatuor divisio facta est, paucis exponam. Prima quidem rerum est omnium divisio in substantiam atque accidens. Sed quoniam substantia proferri non potest nisi aut universaliter aut particulariter intelligatur: nam cum dico homo, rem dixi universalem, idcirco quod nomen hoc de multis individuis prædicatur: cum vero dico Socrates vel Plato, rem dixi particularem; quoniam Socrates de nudo subjecto dicitur: et accidens quoque eodem modo; nam cum dixero scientiam, rem protuli universalem, idcirco quod scientia et de grammatica et de rhetorica, et de aliis omnibus sub se positis prædicatur; si vero dixero Platonis scientiam, quoniam omne accidens quod individua venit individuum fit, particularem scientiam dico, namque Platonis scientia, sicut ipse Plato, particularis est: igitur quoniam neque substantia neque accidens ullo modo proferri potest, nisi in suo nomine aut universalitatis vim, aut particularitatis induat, recte in quatuor divisio facta est, ut si omnis res aut substantia aut accidens, et horum aut universali, aut particularis. Ex his igitur quatuor fiunt complexiones. Nam cum venerit universalitas in substantiam, fit universalis substantia, ut est homo vel animal. Universale autem est quod aptum est de pluribus prædicari. Particulare vero quod de nullo subjecto prædicatur. Ergo es una complexio universalitatis et substantiæ, ut sit substantia universalis. Si vero particularis substantiæ copulatur, fit substantia particularis, ut est Socrates vel Plato, et quidquid in substantia individuum reperitur. At cum miscetur universalitas accidenti, fit accidens universale, ut scientia, quæ cum sit accidens, et præter animam cui accidit esse non possit, tamen universalis est, quod de subjecta grammatica vel aliis speciebus prædicari potest. Cum vero particularitas accidenti conjungitur, fit accidens particulare, ut Platonis vel Aristotelis scientia. Fiunt enim quatuor complexiones, substantia universalis, substantia particularis, accidens universale, accidens particulare. Ut autem accidens in substantiæ naturam transeat, vel substantia in accidens, fieri nullo modo potest, et accidens quidem venit in substantiam, sed non ut substantia fiat: neque enim quoniam color, quod est accidens venit in substantiam, idcirco color jam substantia est. Nec quoniam substantia suscipit colorem idcirco color jam substantia fit. Quare neque substantia in accidentis, neque accidens in substantiæ naturam transit. At vero nec particularitas, nec universalitas in se transeunt. Namque universalitas potest de particularitate prædicari, ut animal de Socrate vel Platone, et particularitas suscipiet universalitatis prædicationem, sed non ut universalitas sit particularitas, nec rursus ut quod particulare est universalitas fiat. Ergo quatuor complexiones, universalem substantiam, universale accidens, particularem substantiam, particulare accidens Aristoteles disponere cupiens, non dorum nomina, sed descriptiones apposuit. Et quoniam generalissimorum generum diffinitiones non poterat invenire, discriptionibus usus est his, id substantiam esse dicens quod in subjecto non esset, accidens vero quod in subjecto esset. Omne namque accidens in subjecto est, ut colore in corpore, scientia in anima, et subjectam ha-

bet substantiam omne accidens. Si quis enim substantiam tollat,accidens non erit. Quare substantia locus quidam est ubi accidentis valeat natura consistere.Ipsa vero substantia per se constat,atque ideo dicitur substantia,nec ullo subjecto alio nititur,sed cunctis ipsa substantia est. Alioqui si substantia in ullo subjecto esse posset,esset accidens.Omne enim accidens in subjecto est,et quidquid in subjecto est, illud est accidens.Quod si substantia esset in aliquo subjecto, continuo fieret accidens, sed substantia accidens esse non potest, sicut supra docuimus. Quare quoniam accidens in subjecto est,substantia vero accidens non est, substantia in subjecto non est. Universalitatis vero descriptio est, de subjecto prædicari.Omnis namque universalitas de subjectis particularibus prædicatur,nam quoniam universale est animal,vel homo,de Socrates prædicatur et Platone.Dicitur enim Socrates animal atque homo. Et quoniam universale est accidens scientia,dicitur de subjecta grammatica,grammatica enim scientia est.Particularitas vero quoniam ipsa est rerum ultima et nihil est illi subjectum,de nullo subjecto prædicatur ; nam quoniam universalitas de subjecto prædicatur, particularitas vero universalitas non est. particularitas de subjecto non prædicabitur. Ubi enim res discrepant,et definitio discrepabit;ita quoque in his,nam quoniam discrepat substantia et accidens,diffinitiones quoque eorum discrepabunt.Ut quoniam est accidens in subjecto, erit substantia non in subjecto. Et quoniam universalitas de subjecto prædicatur, particularitas autem ab universalitate discrepat,de subjecto non prædicatur. Has igitur hujusmodi descriptiones Aristoteles ita permiscuit dicens : Eorum quæ sunt, alia de subjecto quodam dicuntur, in subjecto vero nullo sunt, volens scilicet universalem substantiam demonstrare. Nam quod dixit de subjecto dicuntur,universale est, quod vero ait in subjecto nullo sunt, substantia : ergo quod ait quædam de subjecto dici,in subjecto vero nullo esse, universalem substantiam demonstrare contendit : ut enim sæpius dictum est, quod de subjecto dicitur, universale est ; quod in nullo subjecto est,substantia. Hæc juncta, id est de subjecto quodam dici,et in subjecto nullo esse,universalem substantiam damonstrant. Post universalem substantiam particulare accidens posuit dicens:Alia autem in subjecto quidem sunt, de subjecto autem nullo dicuntur.Nam quod ait in subjecto sunt, accidens monstrat,quod vero addidit,de subjecto autem nullo dicuntur, particulare. Accidens enim in subjecto est, particularitas de nullo subjecto prædicatur. Ergo quæcunque res ipsa quidem in subjecto est,sed si de nullo subjecto prædicatur, accidens est particulare,ut est de quædam grammatica,id est Aristarchi,vel alicujus hominis individua grammatica : illa enim quoniam individui hominis, ipsa quoque facta est individua et particularis; ergo quoniam quædam grammatica in anima est, accidens est, et quoniam de nullo subjecto prædicatur, particularis est ; quemadmodum enim ipse Aristarchus de nullo subjecto dicitur,ita quoque ejus grammatica de nullo subjecto prædicatur. Non autem dicit quod ipsa grammatica particularis est,sed quod quædam grammatica,id est alicujus hominis individui grammatica,quam scilicet homo particularis propria retinet cognitione.Et quoniam incorporale accidens posuit quod animæ accideret,id est grammaticam, quæ esset in anima,ponit quoque aliud exemplum corporale ; ait enim et quoddam album in subjecto est corpore, omnis enim color est in corpore : hic quoque non omne album dicit esse particulare,sed quod ad individuum corpus album venit. Probatur quoque particulare album in subjecto esse hoc modo, nam color quod genus est albi vel cujusdam albi in corpore est, et est in subjecto. Quare cujus genus in subjecto est, ipsum quoque in subjecto est. Omnes enim species vel individua propria genere continentur,et ejusdem habent naturam. Quoniam vero esse in aliquo multis dicitur modis, qui velit Aristoteles ostendere esse in subjecto,paucis absolvam. Dicitur enim esse aliquid in aliquo novem modis, dicimus enim esse aliquid in loco,ut in foro vel in theatro.Dicimus quoque esse in aliquo, ut in aliquo vase,ut triticum in modio.Dicitur etiam esse in aliquo velut pars in toto, ut manus in corpore.Dicitur esse in aliquo velut totum in partibus,ut corpus in omnibus suis partibus.Rursus velut in genere species,ut in animali homo,vel genus in speciebus suis. Dicimus quoque esse in aliquo,velut aliquid in fine esse, ut quoniam bonæ vitæ finis beatitudo est, si quis sit beatus; in fine est,scilicet bonæ vitæ.Dicimus quoque esse in aliquo ut in quolibet potente,ut in imperatore esse regimen civitatis.Dicimus quoque velut formam in materia,ut similitudinem Achillis in ære vel in marmore. Novem igitur modis aliquid in aliquo esse dicitur, ut in loco,ut in vase, ut pars in toto,ut totum in partibus,ut in genere species, ut in speciebus genus, ut in fine, ut in imperatores,ut in materia forma.Horum igitur Aristoteles tria sola commemorat,sed duo in unum conjuncta, aliud seperatum.Ait enim : In subjecto autem esse dico quod,cum in aliquo sit,non sicut quædam pars, impossibile est esse sine eo in quo est. Sensus autem talis est : Hoc, inquit, dico esse accidens, quod sit in subjecto,id est quod ita sit in altero,ut pars ejus non sit et sine aliquo subjecto esse non possit, ut, verbi gratia,color cum in corpore nulla pars corporis est,et si color a corpore separatur,color nusquam est. Omnis enim color in solo corpore est.Ergo illud est accidens quod semper ita in subjecto est altero, ut ejus pars non sit,ut cum ab eo in quo est separatur, ad nihilum redigatur, ut per se sine alterius subjecto esse non possit. Quod autem ait ut non sit sicut aliqua pars,ab ea scilicet significatione in aliquo consistendi dividere voluit, secundum quam partes in toto esse dicimus,non enim tale est subjectum, ut ejus accidens pars sit. Quod vero dicit, impossibile est esse sine eo in quo est,ab ea scilicet significatione divisit, quæ est esse aliquid in vase

vel in loco;quod enim in vase vel in loco est a vase vel loco poterit separari, ut triticum quod in modio est, potest a modio segregari, et homo a theatro discedere:accidens vero ab eo in quo est segregari non potest.Quare solas tres posuit significationes,id est secundum quam in vase,vel in loco dicitur esse, et secundum quam pars in toto est. Sed ut in vase et ut in loco una sententia distribuit dicens, impossibile est esse sine eo in quo est. Sed fortasse quis dicat non esse diffinitionem veram,illa esse in subjecto quæ sic sint in alio non ut sint partes,et sine eo in quo sint esse non possint, Socrates enim vel homo quilibet cum accidens non sit,tamen semper in loco est et sine loco esse non potest. Quibus respondendum est quod Socrates loca poterit permutare,et esse præter locum in quo fuit:et postremo si intelligentia capiamus,per se subsistit,accidentia vero per se ipsa non constant. Sed si quis quoque objiciat posse locum accidentia permutare, malum namque si in manu teneatur,manus mali odore completur, adeo odor quod est accidens, in aliud subjectum transire potest.Sed non hoc ait Aristoteles, quoniam mutare accidens locum non potest,nec ita dixit impossibile esse sine eo in quo erat, sed sine eo in quo est, hoc enim significat mutare quidem posse locum, sed sine aliquo subjecto non posse subsistere. Quare recta est atque integra diffinitio ejus quod in subjecto est,quod ita sint in altero non sicut quædam pars,et impossibile sit esse sine eo in quo est,secundum autem illam significationem dictum est secundum quam formam in materia esse dicimus.Namque forma,si in materia sit,per seipsam nulla ratione consistit.Postquam igitur particulare accidens quid esset ostendit dicens,quod in subjecto est et de subjecto non prædicatur, et in subjecto consistentis rei diffinitionem reddit dicens,quod cum in aliquo sit non sicut quædam pars,impossibile est esse sine eo in quo est. Ad universale accidens continenti disputatione revertitur quod definit hoc modo.Namque post ejus rei quæ in subjecto est diffinitionem,et post particularis accidentis exempla, ad universale accidens transitum fecit,inquiens alia esse quæ in subjecto sint,et de subjecto prædicentur,quod scilicet accidens universale significet:nam quoniam de subjecto dicitur, universale est, quoniam in subjecto est, accidens ; in subjecto ergo esse,et de subjecto prædicari, universale accidens monstrat.Hujus quoque complexionis convenientia proponit exempla : ait enim scientiam in subjecto esse,in anima:nam nisi anima sit in qua scit,scientia nulla est,idcirco quod scientia actus est animæ, nam ea quæ sunt inanimata nihil sciunt. Hinc sequitur substantiæ particularis propositio,quam scilicet ita declarat,quod neque in subjecto sit, neque de subjecto prædicetur, nam quod in subjecto non est,substantia est, et quod de subjecto non prædicatur,particularitas. Utraque igitur res de subjecto non prædicari,et in subjecto non esse, particularis est substantia.Res igitur quatuor cum propria complexione non secundum propria nomina,sed secundum proprias rationes diffinitionesque contexuit. Nam pro substantia universali posuit, quod in subjecto non est,et de subjecto prædicatur : pro accidenti particulari dixit, quod in subjecto est, et de subjecto non prædicatur. Accidens vero universale per hoc designavit quod ait,quod et in subjecto est, et de subjecto dicitur.Pro particulari substantia interposuit,quod nec in subjecto est,nec de subjecto prædicatur : simpliciter autem quæ sunt individua et numero singularia de subjecto nullo dicuntur;in subjecto autem nihil ea prohibet esse,quædam enim grammatica in subjecto est. Omnis particularitas aut substantia erit aut accidens;nam cum dico Socratem,individuam et particularem significavi substantiam; cum dico quamdam grammaticam, individuum et particulare accidens dixi.Individua autem sunt quæ neque in alias species dividi possunt,neque in alia individua. Nam quemadmodum animal dividitur in species,hominem atque equum, homo autem in singulos homines, id est in Socratem et Platonem et cæteros,sic Plato et Socrates non dividuntur in alios. Atque hoc idem de accidentibus dici convenit:nam quemadmodum scientia dividitur in species,grammaticam et rethoricam.grammatica vero ipsa in particulares grammaticas,quas scilicet particulares homines norunt, sic ipsa particularis grammatica in particulares grammaticas non secatur. Ergo individua sunt quæcunque sunt numero singularia, et in nullas alias multitudines secundum species vel secundum individua dividuntur. Omne individuum, quoniam particulare est, de subjecto non prædicatur ; omne autem quod de subjecto non prædicatur, aut substantia erit, ut Plato,aut accidens,ut quædam grammatica. Ex his ergo particularibus substantia scilicet atque accidenti quæ de subjecto non prædicantur,substantia quidem nec in subjecto est, accidens vero in subjecto est. Ita illa individua quæ substantiæ sunt in subjecto esse non poterunt,alia vero individua quæ secundum accidentis naturam dicuntur,illa in subjecto esse nihil prohibet.Atque hoc est quod ait: Simpliciter autem qua sunt individua et numero singularia, de nullo subjecto dicuntur in subjecto autem ea nihil prohibet eorum aliqua esse. Quædam enim grammatica in subjecto est, de subjecto autem nullo dicitur. Hoc enim maluit demonstrare, et accidentibus substantiis particularibus hoc esse commune,quod de subjecto non prædicantur.Hoc enim dixit: Simpliciter autem quæ sunt individua et numero singularia, de nullo subjecto dicuntur. Subaudiendo, scilicet sive substantiæ sint sive accidentia,sed non omnia individua non sunt in subjecto.Individua enim accidentia in subjecto esse nihil prohibet. Quædam enim grammatica cum sit individua et de subjecto non prædicetur,tamen in subjecto est, id est in anima. Sed ut congregatim dicatur,sensus hujusmodi est, omnia quidem quæcunque sunt individua,de subjecto quidem nullo dicuntur,sed non omnia non sunt in subjecto.Nam cum particularis substantia in subjecto non sit,ut Plato,particulare tamen accidens in sub-

jecto est, ut quædam grammatica in anima. Illud quoquem agna attentione notandum est, quis sit hujus ordo propositi. Nam cum sint quatuor complexiones, factæ ex quatuor rebus, quarum duæ natura discrepant, ut substantia et accidens, duæ quantitate, ut particularitas et universalitas conjunctis compositisque his quatuor omnibus, dissentientem lateribus dispositionem fecit. Posuit enim prius substantiam universalem dicens, quod in subjecto non est et de subjecto dicitur. Post hanc primam positionem totis discrepantem rebus, rem subdit, id est accidens particulare, quod in subjecto esset, et de subjecto non prædicatur. Nam cum accidens dixit, a substantia disgregavit, quod particulare addidit ab universali disjunxit. Rursus ex alio latere disposuit in divisione accidens universale, dicens quod in subjecto est, et de subjecto prædicatur; et ultimo substantiam particularem contrariam superiori accidenti dixit, quod neque in subjecto est, neque de subjecto prædicatur substantiæ particularitem universalitati accidentis opponens. Sed ut planius quod dicimus sit, figuram descriptionemque subjecimus in qua superius latus substantia accidentique notavimus, reliquum particularitatis et universalitatis titulo inscripsimus, Arisioteli-cam complexionem angulariter et per latera designantes.



Quando alterum de altero prædicatur ut de subjecto, quæcunque de eo quod prædicatur dicuntur, omnia etiam de subjecto dicuntur, ut homo prædicatur de quodam homine, animal vero de homine, ergo et de quodam homine animal prædicabitur, quidam enim homo, et homo est et animal.

Cum superius de his quæ in subjecto sunt, id est de accidentibus loqueretur, diffinitionem constitutæ in subjecto rei, et præter subjectum nullo modo permanentis, in media tractatione disposuit, dicens illud esse quod neque pars esset alicujus, nec sine subjecto posset ullo modo permanere. Patefacto igitur quid sit esse in subjecto, nunc quid sit prædicari de subjecto declarat. Duobus enim modis prædicationes fiunt, uno secundum accidens, alio de subjecto: de homine namque prædicatur album, dicitur enim homo albus, rursus de eodem homine prædicatur animal, dicitur enim homo animal. Sed illa prior prædicatio, quæ est, Homo albus est, secundum accidens est, namque accidens, quod est album, de subjecto homine prædicatur, sed non in eo quod quid sit, nam cum album sit accidens, homo substantia, accidens de substantia in eo quod quid sit prædicari non potest, ergo ista prædicatio secundum accidens dicitur. De subjecto vero prædicare est, quoties altera res de altera in ipsa substantia prædicatur, ut animal de homine; nam quoniam animal et substantia est, et genus hominis, idcirco in eo quod quid sit de homine prædicatur. Quare illa sola de subjecto prædicari dicuntur quæcunque in cujuslibet rei substantia et in diffinitione ponuntur; ergo quotiescunque hujusmodi fuerit prædicatio, ut alterum de altero ut de subjecto prædicetur, id est ut de ejus substantia dicatur, ut animal de homine, hanc proprietatem evenire necesse est, ut si de eo quod prædicatur, quidpiam ut de subjecto, id est ejus substantia, prædicetur necessario idem hoc quod de prædicato dicitur, dicatur etiam de prædicati subjecto, ut homo prædicatur quidem de Socrate in eo quod quid sit. Interrogantibus enim quid sit Socrates, hominem respondemus. At vero de ipso homine in eo quod quid sit animal dicitur, in substantia enim hominis animal prædicatur, atque ita fit ut animal quidem de homine, homo vero de Socrate in eo quod quid sit, ut de subjecto prædicentur. Ergo quoniam ista consequentia, et animal de Socrate in eo quod quid sit prædicabitur. Potest enim dici interrogantibus quid est Socrates, animal. Ergo manifestum est quod si qua res de alia ut de subjecto prædicetur, ut homo de Socrate, de eadem vero re quæ prædicatur, de homine scilicet, alia rursus superior, ut de subjecto prædicetur, ut animal necesse erit et hanc eamdem de subjecto ejus de quo ipsum dicitur prædicari, ut animal de Socrate, Socrates namque subjectus est homini, de quo animal prædicatur. Ergo constat hujusmodi diffinitio quæ dicit, quoties alterum de altero prædicatur ut de subjecto, si quid sit quod de eo quod prædicatur in eo quod quid sit dici possit, hoc idem ipsum de eo quod prius subjectum erat possit prædicari. Sed fortasse quisquam dicat minime verum esse quod dictum est, nam cum homo de Socrate prædicetur. Socrates enim homo est, de homine vero species, homo enim species est, Socrates species esse non dicitur. Et rursus cum animal de homine prædicetur, de animali vero genus, animal enim genus est, homo generis vocabulo caret, non enim dicitur homo esse genus, homo enim genus non est, sed tantum species. His dicendum est quod minus adverterint illam esse diffinitionem de subjecto prædicationis, quæ in eo quod quid sit unumquodque et in ejus substantia prædicaretur, nunc autem species de homine non in eo quod quid sit prædicatur. Neque enim si quis hominis diffinitionem reddat speciem nominavit, sed designativum nomen est tantum, utrum de pluribus speciei differentibus prædicatur hoc nomen quod est homo, an certe tantum de solis individuis. Nam quoniam de individuis solis homo prædicetur, idcirco species dicitur, et quoniam de specie differentibus animal dicitur, idcirco animal genus vocamus. Et sunt quodammodo nominum nomina. Quare neque

genus de animali, neque species de homine, in eo quod quid sit prædicatur, sed tantum designant, quomodo homo et animal de subjectis (ut dictum est) propriis prædicentur. Ergo non est mirandum si ad eorum subjectum quæ de subjecto dicuntur ejus prædicati quod de subjecto non dicitur prædicatio pervenire non potest.

Diversorum generum et non subalternatim positorum, diversæ secundum speciem sunt differentiæ, ut animalis et scientiæ, animalis siquidem differentiæ sunt, ut gressibile, volatile, bipes et aquatile, scientiæ vero nulla harum est, neque enim scientia a scientia differt in eo quod est bipes. Subalternorum vero generum nihil prohibet easdem esse differentias, superiora enim de inferioribus prædicantur, quare quæcunque fuerint prædicati differentiæ erunt eædem et subjecti.

Cum multis modis genus dicatur, solum quod nunc tractari convenit assumamus. Dicitur enim genus quod de pluribus specie differentibus in eo quod quid sit prædicatur, ut animal prædicatur de homine, et de equo, et de cane, et de bove, et de cæteris, quæ omnia specie ipsa a se discreta sunt. Species vero est quod de pluribus numero differentibus in eo quod quid sit prædicatur, ut homo prædicatur de Catone, Socrate, Platone, Virgilio, Cicerone, et de singulis hominibus, qui specie ipsa non differunt, sed tantum a se numero distant. Differentia vero est quæ sub eodem genere positas species propria qualitate disterminat, nam cum equus et homo quantum ad genus unum sint (uterque enim animal est), differentia rationalis et irrationalis utrosque disjungit ac discernit. Qualitate enim quadam rationabilitatis et irrationabilitatis uterque a propriæ substantiæ diffinitione dissentiunt. Ergo differentia est quæ de pluribus specie differentibus in eo quod quale sit prædicatur. Namque hæc ipsa differentia quæ est irrationabilitas de multis specie differentibus prædicatur, ut de cygno, et equo, et pisce, quæ omnia a se cum specie ipsa dissentiant, irrationabilitatis tamen qualitate conjuncta sunt. Sed non in omnibus differentia de pluribus specie differentibus prædicatur. Sunt enim quædam quæ non nisi de una specie prædicantur, ut gravitas de sola terra, levitas de solo igne, proprie dicitur. At vero nec species semper de pluribus numero differentibus prædicatur; mundi enim species de uno solo mundo dicitur, et phœnicis species de una tantum phœnice, sed idcirco ita diffinita est, quod frequentius differentia de pluribus specie differentibus prædicatur quam de uno. Eodemque modo et species frequentius invenitur de pluribus numero differentibus prædicari, quam de una tantum re ac singulari. His ita positis, sunt quædam genera, quæ generalissima nuncupantur, quibus genus inveniri non possit, sunt species quibus alias subjectas species nullus inveniet. Inter utraque autem sunt alia quæ subalterna genera nominantur, quæ superiorum quidem species sunt, posteriorum vero genera ut substantia genus quidem est generalissimum, ut ejus genus inveniri non possit, homo vero species est, ut ejus species alia reperiri non valeat. Animal vero ad substantiam quidem species est, ad hominem vero genus. Decem igitur prædicamentorum significatio nihil aliud demonstrat nisi rerum decem genera quæ generalissima nominamus. Ergo quoties genera generalissima discrepant, eorum quoque species discrepabunt; et quoties species discrepant, quoniam differentiis disjunguntur atque informantur, differentiæ quoque diversarum specierum discrepabunt. Animal namque et scientia, quoniam est animal substantia, scientia vero ad aliquid, quoniamque genus animalis est substantia, et genus scientiæ est ad aliquid, omni substantiæ a se ratione discreta sunt, et differentiæ quoque scientiæ atque animalis omnibus qualitatibus disjunguntur. Est namque differentia animalis, bipes et quadrupes, animal enim ab alio animali differt, quod hoc quidem bipes sit, ut homo vel avis, illud vero quadrupes, ut equus atque bos; illud vero multipes, ut formica vel apis. Sed scientia differentias hujusmodi non habet, neque enim scientia a scientia differt in eo quod bipes est. Quare constat quoties diversa sunt genera, specierum quoque differentias esse discretas. At hoc est quod ait. Diversorum generum et non subalternatim positorum diversas secundum speciem differentias esse. Et hoc exempli adjectione firmavit dicens: Animalis et scientiæ diversas esse differentias, nam cum sit bipes animalis differentia, scientiæ non est. Et hoc quidem de diversis generibus dictum est, id est, quæ subalterna non sunt. Quod si subalterna sunt genera, nihil prohibet alias easdem esse differentias, alias diversas, ut avis est species animalis, et rursus est genus corvi, et est subalternum genus, avis. Sed animalis differentiæ sunt rationalis atque irrationalis, avis vero differentia rationalis non est. Nulla enim avis ab alia avi differt, quod sit rationalis; ergo hoc loco non sunt eædem subalternorum generum differentiæ. Si quis vero has generis, id est animalis differentias dicat, ut animalium alia sunt quæ pascantur herbis, alia quæ seminibus, alia quæ carnibus, hæ differentiæ conveniunt in subalterno genere, videlicet in avi; namque avium sunt aliæ quæ seminibus vescuntur, aliæ quæ herbis, aliæ quæ carnibus, ut vultur et milvus; ergo in subalternis generibus nihil prohibet easdem esse differentias, et iterum discrepare; hoc autem idcirco evenit, quia quæ de prædicato dicuntur, possunt de subjecto prædicari. Quare quod dicitur de genere, potest etiam dici de specie, atque hoc est quod ait: Subalternorum vero generum nihil prohibet easdem esse differentias. Superiora enim de inferioribus generibus prædicantur; sed cum diceret nihil prohibet easdem esse differentias, hoc quodam modo voluit demonstrare esse quasdam easdem differentias, alias vero posse esse diversas, cui rem contrariam intulisse videtur, cum dicit: Quare quæcunque prædicati differentiæ fuerint, eædem erunt etiam subjecti: nam cum illic dixisset, nihil prohibet esse easdem differentias generum subalternorum, hic omnes easdem esse declarat, dicit enim: Quæcunque fuerint differentiæ prædicati, easdem etiam subjecti esse; atque hæc res plures maximis illigavit

erroribus, ut emendandum crederent locum non ut esset ita. Quare quæcunque prædicati differentiæ fuerint, eædem erunt etiam subjecti, sed ut hoc modo. Quare quæcunque subjecti differentiæ fuerint, eædem erunt etiam prædicati. Sed hoc adjiciendum est, neque enim fieri potest ut in rem superiorem prædicatio posterioris redundet. Nam cum dicitur, quæcunque subjecti fuerint differentiæ, eædem erunt prædicati, hoc scilicet significatur, ut prædicatio subjecti redeat, in prædicatum, quod fieri non potest. Sed dicendum est quod sunt aliæ differentiæ quæ dicuntur completivæ prædicati et cujuslibet illius speciem informantes, quæ communi nomine specificæ nominantur. Nam cum dico animatum et sensibile, si substantiæ conjungantur, diffinitionem et speciem mox animalis efficiunt. Animal enim est substantia animata sensibilis, atque hæ differentiæ dicuntur specificæ et completivæ. Sunt autem aliæ quæ ipsæ quidem nihil complent, nec ullam speciem reddunt, sed genus tantum dividunt, ut rationale et irrationale, hæc enim dividunt genus, id est animal, Animal enim rationali differentia irrationalique dividitur. Ergo illæ quæ sunt generis divisivæ differentiæ possunt aliquoties eædem esse, possunt aliquoties non eædem, ut animalis, quoniam divisibilis est differentia quæ est rationale, potest eam non habere avis, quæ est subalternum genus. Et rursus easdem divisibiles habere potest, ut easdem quas superius diximus. Nam cum dividant animal differentiæ, quæ carnibus, herbis, et seminibus vescuntur, eædem possunt esse subalterni generis, id est avis; ergo hæ divisibiles possunt etiam esse diversæ. Illæ vero quæ completivæ et specificæ sunt, aliquando non prædicari de subjecto non possunt. Ut quoniam animal habet differentias completivas et suæ speciei effectivas, sensibile scilicet et animatum, hæ differentiæ de homine quod est subjectum animalis non prædicari non possunt. Omnes enim specificæ differentiæ de his prædicantur, quorum speciem complent, ut de animali prædicatur sensibile et animatum, et hoc ut de subjecto. In substantia enim animalis utraque prædicentur, sed animal prædicatur de homine, ut de subjecto; necesse est ergo animatum ali[illegible]de homine prædicari ut de subjecto. Hoc est enim quod superius præmisit cum diceret: Quando alterum de altero prædicatur ut de subjecto, quæcunque de eo quod prædicatur dicuntur, omnia etiam de subjecto dicuntur; atque hoc in omnibus generibus recte constat intelligi. Ergo divisibiles differentiæ possunt aliquando cum subjectis esse communes, aliquando diversæ, specificæ vero et completivæ cum subjectis communes non esse non possunt. Quod ergo Aristoteles ait, Subalternorum generum nihil prohibere easdem esse differentias, divisibiles differentias easdem esse nihil prohibere putandum est, quæ possunt esse etiam diversæ. Quod ait vero: Quæcunque prædicati differentiæ fuerint, eædem erunt etiam subjecti, de specificis intelligendum est: quæ cum speciem cujuslibet informent, et de eo quod informant, ut de subjecto, prædicentur, ad quodcunque ut subjecto prædicatur illud quod ipsæ differentiæ informant, de eo ut de subjecto prædicabuntur, et de eo non prædicari non possunt. Quare nihil est in hujusmodi theoremate quod ullo modo debeat emendari.

Eorum quidem quæ secundum nullam complexionem dicuntur, singulum aut substantiam significat, aut quantitatem, aut qualitatem, aut ad aliquid, aut ubi, aut quando, aut situm, aut habere, aut facere, aut pati. Est autem substantia ut figuraliter dicatur, ut homo, equus. Quantitas, ut bicubitum, tricubitum. Qualitas, ut album, grammaticum. Ad aliquid, ut duplum, dimidium, majus, minus. Ubi, ut in lyceo, in foro. Quando, ut heri, superiori anno. Situm, ut sedet, jacet. Habere, ut calceatus, armatus. Facere, ut secare, urere. Pati, ut secari, uri. Singula igitur eorum quæ dicta sunt, ipsa quidem secundum se in nulla affirmatione dicuntur, aut negatione, horum autem ad invicem affirmatio vel negatio fit complexione. Videtur autem omnis affirmatio vel negatio, vel vera vel falsa esse: eorum autem quæ secundum nullam complexionem dicuntur, singula neque vera, neque falsa sunt, ut homo, album, currit, vincit.

Post parvissimam in quatuor enumerationem, id est in substantiam, accidens, universalitatem, particularitatem, nunc est de partitione maxima tractaturus, quæ fit in decem; hac enim enumeratione major non potest inveniri, neque enim undecim prædicamenta poterunt inveniri, nec ultra decem ullo modo aliquod genus recte excogitari potest quare facit hujusmodi enumerationem, sed non divisionem. Divisio namque fere est generis in species; prædicamentorum vero, quoniam genus unum non habent, divisio esse non potest, sed potius enumeratio est. Sunt vero quidam qui contendunt recte enumerationem non esse dispositam, alii namque ut supervacua quædam demunt, alii ut curto operi addunt, alii vero permutant, quos nimirum non recte sentire alio nobis opere dicendum est; ait autem: Eorum quæ secundum nullam complexionem dicuntur. Adeo non de rebus, sed de vocibus tractaturus est, ut diceret Dicuntur. Res enim proprie non dicuntur, sed voces: et quod addidit, singulum aut substantiam significat, late patet eum de vocibus disputare; non enim res, sed voces significant, significantur autem res. Sine complexione vero dicuntur (ut dictum est) quæcunque singulari intellectu et voce proferuntur: secundum complexionem vero quæcunque aliqua conjunctione vel accidentis copulatione miscentur. Sed quid ex iis quæ secundum nullam complexionem dicuntur efficitur, ipse demonstrat cum dicit: Singula igitur eorum quæ dicta sunt, ipsa quidem secundum se in nulla affirmatione dicuntur, horum autem ad se invicem complexione affirmatio fit; videtur enim omnis affirmatio vel falsa esse vel vera. Eorum autem quæ secundum nullam complexionem dicuntur, neque verum quidquam, neque falsum est, ut homo, album, currit, vincit. Significat ergo et hic ea quæ sine ulla complexione dicuntur affirmationis vim non obti-

nere. Si quis enim dicat homo, vel album; vel decem, vel quidlibet simplici modo, in eo neque verum aliquid inveniet, neque falsum, sed omnis affirmatio vel vera vel falsa est. Igitur universaliter pronuntiat prædicamenta affirmationis ratione penitus non teneri : sed hæc eadem si cum quadam complexione conjuncta sint, fieri propositiones necesse est, quæ in se verum falsumve contineant. Sed non omnis complexio propositionem facit, nec si dixero, Socrates in foro, idcirco jam propositio est ; sed si quis dicat, Socrates in foro ambulat, tunc fit propositio, quæ aut affirmatio est aut negatio. Affirmationes autem et negationes, vel veræ videntur esse vel falsæ : atque ideo quodcunque neque verum neque falsum est, illud propositio non est. Ergo quadam complexione ex iis quæ secundum nullam complexionem dicuntur veritas falsitasque conficitur. Affirmationem autem solam nunc Aristoteles interposuit, idcirco quod omnis affirmatio prior est; hoc enim negatio tollit, quod affirmatio ante constituit : prius quidem secundum significationem, sed non secundum genus, quod alio liquebit loco. Maxime autem monstrat Aristoteles se non de rebus, sed de vocibus tractaturum, quod ait : Horum autem ad se invicem complexione affirmatio fit ; non enim rerum complexione fit affirmatio vel negatio, sed sermonum, nec in rebus est veritas et falsitas, sed in intellectibus atque opinionibus, et post hæc in vocibus atque sermonibus. Atque hæc hactenus. Secundum complexionem ergo sunt quæcunque ex integris compositis fiunt, ut Socrates ambulat, nam et Socrates et ambulat uterque integer sermo est, et conjunctus affirmationem facit. At vero si quis dicat flammiger, vel multisonus, vel fluctivagus, secundum complexionem non erit ista prolatio, idcicco quod ex neutris integris factum est. Horum autem decem prædicamentorum diffinitiones inveneri non possunt, idcirco quod ea quæ significant generalissima sunt. Substantia enim et quantitas, et qualitas nulli unquam generi videntur esse subjecta. Quare quoniam diffinitio omnis a genere ducitur, genus quod alii generi subjectum non est a diffinitione relinquitur. Sed nunc quidem omnium prædicamentorum convenientia dixit exempla, post vero latius de unoquoque tractabitur : et quoniam diffinitio inveniri nulla potest, quibusdam proprietatibus informantur, quare quoniam de his dictum est plene, ad tractatum substantiæ transeamus.

DE SUBSTANTIA.

Substantia autem quæ proprie et principaliter et maxime dicitur, est quæ neque de subjecto dicitur, neque in subjecto est, ut aliquis homo, vel aliquis equus. Secundæ autem substantiæ dicuntur species, in quibus illæ quæ principaliter substantiæ dicuntur, insunt. Et hæ quidem et harum specierum genera, ut aliquis homo, in specie quidem est in homine, genus vero speciei, animal est. Secundæ ergo substantiæ hæ dicuntur, ut est homo atque animal.

Quæritur cur prædicamentorum tractatum a substantiis inchoaverit, nam quoniam omnis res aut in subjecto est, aut subjecto non est, quidquid in subjecto est, eget subjecto, quoniam in propriis natura non potest consistere : et quoniam rebus omnibus substantia subjecta est, nihil eorum quæ sunt in subjecto præter substantiam poterit permanere. Sed prior illa natura est, sine qua alia esse non possunt, quocirca prior naturaliter videtur esse substantia; non absurde igitur in disputatione quod prius per naturam fuit, prius etiam sumpsit, et diffinitionem quidem substantiæ proferre non potuit, sed post exemplum superius datum descriptionem quamdam profert qua quid sit ipsa substantia queamus agnoscere: hoc est autem, non esse in subjecto; substantia enim in subjecto non est. Facit autem quamdam substantiarum divisionem cum dicit, alias primas esse substantias, alias secundas : primas vocans individuas, secundas vero individuarum species et genera : Ergo cum primis secundisque subtantiis commune sit non esse in subjecto, additum primis substantiis, de subjectis non prædicari, primas substantias a secundis substantiis separat; substantia enim individua, in eo quod est substantia, in subjecto non est : quod autem individua est, de subjecto non prædicatur. Sunt ergo primæ substantiæ quæ neque in subjecto sunt, neque de subjecto dicuntur, ut est Socrates vel Plato. Hi enim quoniam substantiæ sunt, in subjecto nullo sunt. Quoniam vero particulares individuique sunt, ne nullo subjecto prædicantur. Secundæ vero substantiæ sunt, quibus commune est cum primis substantiis, quod in subjecto non sunt, proprium vero quod de subjecto prædicantur, quæ secundæ substantiæ sunt universales, ut est homo atque animal ; homo namque et animal in nullo sunt subjecto, sed de subjecto aliquo prædicantur. Sunt igitur primæ substantiæ particulares, secundæ universales. Proprie autem substantias individuas dicit, quod hominem quidem idem ipsam speciem, et animal, quod est genus, non nisi ex individuorum cognitione colligimus. Quare quoniam ex singulorum sensibus generalitas intellecta est, merito propriæ substantiæ individua et singula nominantur. Principaliter vero individuæ substantiæ dictæ sunt, quod omne accidens prius in individua, post vero in secundas substantias venit Nam quoniam Aristarchus grammaticus est homo vero est Aristarchus, est homo grammaticus : ita prius omne accidens in individuum venit, secundo vero loco etiam in species generaque substantiarum accidens illud venire putabitur. Recte igitur quod prius subjectum est, hoc substantia principaliter appellatur. Maxime autem substantia prima dicitur, idcirco quod quæ maxime subjecta est rebus aliis, ea maxime substantia dici potest : maxime autem subjecta est prima substantia ; omnia enim de primis substantiis dicuntur, aut primis substantiis insunt, ut genera et species : namque et genera et species prædicantur de propriis individuis, ut animal atque homo prædicantur de Socrate, id est secundæ substantiæ de primis : sin

vero sint accidentia, in primis substantiis principaliter sunt. Quare quoniam et accidentia in primis substantiis principaliter sunt, et secundæ substantiæ de primis substantiis prædicantur, primæ substantiæ secundis substantiis accidentibusque subjectæ sunt. Quare quoniam istæ maxime subjectæ sunt et accidentium subsistentiæ, et secundarum substantiarum prædicationi, idcirco maxime substantiæ nuncupantur. Dicit autem non omnis species neque omnia genera, secundas esse substantias, sed eas tantum quæ primas substantias contingerent, ut est homo atque animal; homo namque continet Socratem, id est aliquam individuam substantiam. Animal vero continet individuum speciemque, id est hominem et aliquem hominem. Quare genera et species quæ de primis substantiis prædicantur, ipsas secundas putat esse substantias; hoc autem hoc modo ait: Secundæ autem substantiæ dicuntur in quibus speciebus illæ quæ principaliter substantiæ dicuntur insunt: hæc et harum specierum genera, et inde convenientia ponit exempla, ac si diceret: Non omnia genera neque omnes substantias dico, sed eas tantum species in quibus individua illa, id est primæ substantiæ sunt, et harum specierum id est quæ continent primas substantias, genera. Hoc autem idcirco dictum videtur, ne quis colorem quod genus est, vel album quod est species, secundas putet esse substantias, ista enim primas sub se non continent. Sed dicat aliquis quemadmodum primæ poterunt esse substantiæ individuæ, cum omne quod prius est sublatum auferat id quod est posterius, posterioribus vero sublatis priora non pereant? homo namque si pereat, Socrates quoque sit continuo periturus; si vero Socrates interierit, homo continuo non peribit. Si igitur, sublatis generibus et speciebus, individua perimuntur, sublatis individuis, genera, speciesque permanent, magis primas substantias species et genera nominari dignum fuit. Sed hoc modo individuorum natura non recte accipitur. Neque enim cuncta individuorum substantia in uno Socrate est, vel quolibet uno homine, sed in omnibus singulis. Genera namque et species non ex uno singulo [illegible] sunt, sed ex omnibus singulis individuis, [illegible] ratione concepta. Semper etiam quæ sensibus propinquiora sunt; ea etiam proxime nuncupanda vocabulis arbitramur. Qui enim primus hominem dixit, non illum qui ex singulis hominibus conficitur, concepit, sed animo quemdam singularem atque individuum cui hominis nomen imponeret. Ergo, sublatis singulis hominibus, homo non remanet, et, sublatis singulis animalibus, animal interibit. Quocirca quoniam in hoc libro de vocabulorum significatione tractatus habetur, ea quibus vocabula prius posita sunt, merito primas substantias nuncupavit: prius autem illis vocabula sunt indita, quæ prius subsensibus cadere potuerunt. Sensibus vero objiciuntur prima individua, merito igitur ea prima in divisione posuit. Eodem quoque modo illa quæstio solvitur quæ dicit: Cum naturaliter primæ intellectibiles sint substantiæ, ut Deus et animus, cur non has primas substantias nuncupaverit? Quoniam hic de nominibus tractatus habetur, nomina autem primo illis indita sunt quæ principaliter sensibus fuere subjecta, posteriora vero in nominibus ponendis putantur quæcunque ad intelligibilem pertinent incorporalitatem; quare quoniam in hoc opera principaliter de nominibus tractatus est, de individuis vero substantiis quæ primæ sensibus subjacent prima sunt dicta vocabula in opere quo de vocabulis tractabatur, merito individuæ sensibilesque substantiæ primæ substantiæ sunt positæ. Cum autem tres substantiæ sint, materia, species, et quæ ex utriusque conficitur undique composita et compacta substantia, hic neque de sola specie, neque de sola materia, sed de utrisque mistis compositisque proposuit. Partes autem substantiæ incompositæ et simplices sunt, ex quibus ipsa substantia conficitur, species et materia, quas post per transitum nominat dicens, substantiarum partes et ipsa esse substantias, atque hæc hactenus. Nunc expositionis cursum ad sequentia convertamus.

Manifestum est autem ex iis quæ dicta sunt quoniam eorum quæ de subjecto dicuntur, necesse est et nomen et rationem de subjecto prædicari, ut homo de subjecto aliquo homine prædicatur: prædicatur quoque nomen ipsius, hominem enim de aliquo homine prædicabis. Ratio quoque hominis de subjecto aliquo homine prædicabitur: quidam enim homo et homo est et animal, quare et nomen et ratio prædicabitur de subjecto. Eorum vero quæ in subjecto sunt, in pluribus quidem neque nomen de subjecto neque ratio prædicabitur. In aliquibus autem nomen quidem nihil prohibet interdum prædicari de subjecto; rationem vero impossibile est prædicari, ut album, cum in subjecto sit in corpore, prædicatur de subjecto: dicitur enim corpus album, ratio vero albi nunquam de corpore prædicabitur. Alia autem omnia aut de subjectis dicuntur principalibus substantiis, aut in subjectis eisdem sunt: hoc autem manifestum est ex his quæ per singula proponentur, ut animal de homine prædicatur, ergo de aliquo homine; nam si de nullo aliquorum hominum, neque omnino de homine. Rursus color in corpore est, ergo et in aliquo corpore; nam si non in aliquo singulorum, nec omnino in corpore. Quare alia omnia aut de subjectis principalibus substantiis dicuntur, aut in subjectis eisdem sunt. Non existentibus ergo primis substantiis impossibile est esse aliquid aliorum.

Omnia quæcunque dicta sunt vel in subjecto sunt, vel de subjecto prædicantur, sed non omnia quæcunque in subjecto sunt, de subjectis propriis dicuntur, namque quod in subjecto aliquo est, de proprio subjecto prædicatur: ut album de corpore prædicatur, dicitur enim corpus album. Sed quoniam secundæ substantiæ primarum substantiarum vel species vel genera sunt (Socratis enim species homo est, et animal genus), genus autem de subjectis speciebus et individuis univoce prædicatur, secundæ substantiæ de subjectis speciebus univoca prædicatione dicuntur. Convenit namque primarum et secundarum substan-

tiarum si sit una facta, diffinitio. Namque animal et homo et Socrates una diffinitione jungitur, quod substantiæ animatæ atque sensibiles sunt. Igitur secundæ substantiæ ita de subjectis prædicantur propriis, id est de primis substantiis, ut univoce prædicentur. Illorum vero quæ sunt in subjecto aliquoties quidem neque nomen ipsum de subjecto dicitur. Nam virtus in anima est, sed virtus de animo minime prædicatur; aliquoties autem denominative dicitur, ut grammatica, quoniam est in homine, denominative grammaticus a grammatica dicitur. Sæpe autem ipsum nomen de subjecto prædicatur, ut quoniam album est in corpore, corpus album dicitur, sed sive nomen non prædicetur, sive denominative dicatur, sive proprio nomine prædicatio sit, diffinitio ejus quod est in subjecto de proprio subjecto nunquam prædicabitur ut album, quoniam est in subjecto corpore, prædicatur quidem aibi nomen de corpore, diffinitio vero albi ad corpus nullo modo dicitur, album namque vel corpus una ratione utraque diffiniri non possunt. Amplius, si omne accidens in subjecto est, et substantia subjectum est, differt ab accidente substantia, differt etiam diffinitio substantiæ atque accidentis, quod eadem diffinitio subjecti et ejus quod est in subjecto esse non potest. Atque hoc est quod ait: Eorum vero quæ sunt in subjecto, in pluribus quidem neque nomen de subjecto neque ratio prædicatur, ut virtus in anima Addidit quoque: In aliquibus autem nomen quidem nihil prohibet interdum prædicari, et in aliis quidem denominative, in aliis vero recto nomine fit prædicatio. De secundis vero substantiis semper ad primas substantias prædicatio pervenit. Nam si quidam homo, et homo est et animal, et cætera, una diffinitio animalis et ad hominem et ad quemdam hominem convenienter aptabitur Magis tamen esse substantias individuas et particulares ipse significantius monstrat. Namcum omnis res aut substantia sit aut accidens, et substantiarum aliæ sint primæ, aliæ secundæ, fit trina partitio, ita ut omnis res, aut accidens sit, aut secunda substantia, aut prima. Horum autem ut sub descriptione divisio fiat, hoc modo dicimus: Omnis res aut in subjecto est, aut in subjecto non est; eorum quæ in subjecto sunt, alia prædicantur de subjecto, alia minime; eorum quæ in subjecto non sunt, alia de nullo subjecto prædicantur, alia vero prædicantur. Ergo omnis res aut in subjecto est, aut in subjecto non est. Aut in subjecto est et de subjecto prædicatur, aut in subjecto est et de nullo subjecto prædicatur, aut in subjecto non est, et de subjecto prædicatur, aut in subjecto non est, et de nullo subjecto prædicatur. Hisigitur sumptis, si primas substantias separemus, remanent secundæ substantiæ atque accidentia. Sed secundæ substantiæ sunt quæ in subjecto non sunt et de subjecto prædicantur. Ergo esse suum, nisi in hoc quod de aliquo prædicantur, non retinent. Prædicantur autem secundæ substantiæ de primis, ergo ut secundæ substantiæ sint, prædicatio de primis substantiis causa est. Non enim essent secundæ substantiæ, nisi de primis substantiis, prædicarentur, illa vero quæ in subjecto sunt penitus consistere non valerent, nisi fundamenti quodammodo loco primis substantiis niterentur. Ergo omnia quæcunque sunt præter primas substantias, aut secundo substantiæ erunt aut accidentia. Sed secundæ substantiæ de primis substantiis prædicantur, accidentia in primis substantiis sunt. Quocirca omnia aut de primis substantiis prædicantur, ut secundæ substantiæ, aut in primis substantiis sunt, ut accidentia, quod Aristoteles proposuit hoc modo: Alia autem omnia aut de subjectis dicuntur principalibus substantiis, aut in subjectis eisdem sunt, hic quoque verissima sumit exempla. Ait enim: Si accidens in nullo subjecto corpore esset, nec in corpore esset omnino. Nam si in nullo singulorum, in nullo generaliter esse diceretur. Et item animal nisi de singularibus atque individuis hominibus prædicaretur, nec de homine prædicaretur omnino. Quare quoniam idcirco prædicantur secundæ substantiæ, quoniam sunt primæ, et idcirco sunt aliquid accidentia, quoniam eisdem primæ substantiæ subjectæ sunt, si primo substantiæ non sint, neque quæ de his prædicantur mansura sunt, neque quæ in his subjectis permanebunt.

Secundarum vero substantiarum magis substantia est species quam genus, propinquior enim est primæ substantiæ. Si quis enim assignet primam substantiam quid est, evidentius et convenientius assignabit speciem proferens quam genus, ut quemdam hominem assignans, manifestius assignabit hominem quam animal assignando. Illud enim proprium est magis alicujus hominis, hoc autem communius. Et cum aliquam arborem reddideris, manifestius assignabit, cum arborem reddideris, quam plantam.

Constat individuas substantias primas et maxime et proprie esse substantias. Secundæ vero substantiæ, id est genera et species, sicut non æqualiter a prima substantia distant, ita non æqualiter substantiæ sunt; nam quoniam propinquior est species primæ substantiæ quam genus, idcirco magis est substantia species quam proprium genus, ut homo propinquior est Socrati quam animal, atque ideo magis est homo substantia. Animal vero quanquam et ipsum substantia sit, minus tamen homine; hoc autem idcirco evenit, quod in omni diffinitione convenientis species ad primam substantiam dicitur, quam genus. Nam si quid sit Socrates aliquis velit ostendere, propinquius substantiam Socratis proprietatemque monstrabit, si dixerit eum esse hominem, quam si animal. Quod enim animal est Socrates, commune est cum cæteris qui homines non sunt, id est cum equo atque bove. Quod vero homo est, cum nullo alio est commune, nisi cum his qui sub eadem specie hominis continentur. Quocirca propinquior erit ad significationem disignatio, cum individuo species redditur, quam si generis vocabulum prædicetur. Rursus si quamlibet individuam arborem designare aliquis volens, arborem dicat, propinquius designabit quid sit id quod diffinivit, quam si plantam nominet: planta autem

genus est arboris; prædicatur enim planta et de iis quæ arbores non sunt, ut de caulibus atque lactucis: quare constat species magis esse substantias, eo quod sint primis et maxime substantiis propinquiores. Et quod in eo quod quid sit, assignata species convenientibus et evidentius assignet, genus vero longinquius atque communius.

Amplius principales substantiæ eo quod aliis omnibus subjectæ sunt, et alia omnia aut de his prædicantur, aut in eis sint, ideo maxime dicuntur substantiæ. Sicut autem principales substantiæ ad alia omnia se habent, sic et species ad genus se habet, subjacet enim species generi, genera enim de speciebus prædicantur, species autem de generibus non convertuntur. Quare et ex his manifestum est speciem magis genere substantiam esse.

Magis esse substantias species validiori rursus argumentatione confirmat, per similitudinem namque hoc ita esse declarat. Nam cum omnes substantiæ aut primæ sint aut secundæ, secundarum autem aut genera aut species, specierum atque generum quidquid similius primis substantiis invenitur, hoc magis substantia merito putabitur. Sed primæ substantiæ idcirco maximæ substantiæ dicuntur, quod omnibus ita subjectæ sunt, ut aut in ipsis sint cætera ut accidentia, aut de ipsis alia prædicentur ut substantiæ secundæ. Quod ergo in primas substantias, hoc idem in species venit. Namque species et cunctis subjacent accidentibus, et de speciebus genera prædicantur, de generibus vero species non prædicantur. Quare non similiter genera subjacent, quemadmodum species. Non enim de generibus species prædicantur. Ergo sicut primæ substantiæ subjectæ sunt secundis substantiis et accidentibus, ita species subjectæ sunt et accidentibus et generibus. Genera vero quanquam subjecta sint accidentibus, speciebus tamen ipsa non subjacent. Quocirca major est similitudo speciei ad primas substantias, quam generis, quod si major est similitudo specierum ad maximas substantias, ipsæ erunt magis substantiæ. Sed ne quis non arbitretur dicere quod ea quæ sunt genera species esse non possunt, sed in eo quod sunt genera, species esse non possunt. Nam in eo quod species est, de superioribus non prædicatur, sed in eo quod genus, de eo prædicabitur cujus est genus. Quocirca genera ipsa quorum sunt genera his subjacere non possunt, species vero quorum sunt species, de his prædicari non possunt.

Ipsarum vero specierum quæcunque non sunt genera, nihil magis alterum altero substantia est, nihil enim familiarius assignabis de aliquo homine, hominem assignando, quam de aliquo equo, equum. Similiter autem et principalium substantiarum nihil magis alterum altero substantia est, nihil enim magis aliquis homo substantia est, quam aliquis bos.

Prædictum est quoque, ut Porphyrius in libro de generibus, speciebus, differentiis, propriis, atque accidentibus planissime docuit, alia esse solum genera, quorum genus inveniri non posset, alia solum species, quæ in alias species dividi non valerent. Hæ autem sunt quæ de pluribus numero differentibus in eo quod quid sit prædicantur, ut homo de singulis hominibus dicitur, et equus de singulis equis, et bos de singulis bobus, qui sub propria specie positi a seipsis propriæ naturæ figura non discrepant. Ergo hujusmodi species, ut est homo atque equus, quæ solis individuis præsunt, quoniam genera esse non possunt, æqualiter semper substantiæ sunt. Nam tam propinque redditur de quolibet individuo equo, nomen equi, quam de quolibet individuo homine, hominis nomen. Quocirca ei æqualiter species hæ, quæ genera non sunt, ad primas substantias sunt, æqualiter esse substantiæ merito putabuntur; hoc autem dicit non quod omnes species aqualiter substantiæ sint, sed quæ æqualiter a primis substantiis distant. Potest enim fieri ut cujuslibet superioris generis una quælibet species sit, quæ comparata ad propriam speciem minus illa superior videatur esse substantia: ut animalis si quis dicat speciem esse avem, ejusdem quoque speciem hominem, avis et homo non æqualiter substantiæ sunt, idcirco quod avis homine superior est. Homo namque in alias species non dividitur, est enim magis species. Avis autem potest in alias dividi species, ut in accipitrem et vulturem, quæ quanquam aves sunt specie, tamen ipsæ dissentiunt. Proprie autem species accipere ac vultur est, hi enim solis individuis præsunt. Quare homo atque accipiter æqualiter a primis substantiis distant, et sunt æqualiter substantiæ. Homo vero atque avis, quoniam superior est avis homine, non æqualiter substantiæ sunt, magis enim substantia homo est. Ergo quæcunque species æqualiter a suis individuis distant, æqualiter substantiæ sunt. Quod quoniam species hæ quæ genera non sunt æqualiter a primis substantiis absunt, æqualiter substantiæ dicuntur. Planum autem est, ut expositione non egeat, primas quoque substantias æqualiter esse substantias, aliquis homo enim atque aliquis equus, quoniam sunt individua, principaliter substantiæ sunt, et propriæ et maximæ. Quocirca in maximis substantiis, neque minus, neque magis substantia poterit inveniri. Individua igitur æqualiter substantiæ sunt.

Merito igitur post principales substantias, sola aliorum species et genera dicuntur esse secundæ substantiæ. Eorum enim prædicantur, principalem substantiam sola hæc indicant. Aliquem enim hominem si quis assignaverit quid sit, speciem quidem vel genus assignans, familiariter assignabit et manifestus faciet hominem vel animal assignans. Aliorum vero quidquid assignaverit quilibet assignabit extraneæ, velut album, aut currit, aut quæcunque talium reddens, ergo merito hæ solæ aliorum, secundæ substantiæ dicuntur.

Ordine et convenienter post primas substantias, id est individua, genera et species secundas esse substantias constitutas monstrat Aristoteles, quæ est firma atque expedita probatio; ait enim: Post primas substantias recte genera et species secundas substantias esse nominatas. In diffinitionibus enim ubi sub-

stantia cujuslibet ostenditur,nihil aliud primas substantias monstrat, nisi genus et species.Socrates namque,si quis quid sit interroget,dicitur homo,vel animal,et in eo quod quid sit Socrates interrogatus, recte hominem vel animal esse respondet. Quare quid sint primæ substantiæ secundæ monstrant, quod si quis præter secundas substantias in interrogatione quid sit prima substantia dicat,id alienissime profert,ut si quid sit Socrates interroganti aliquis respondeat album,vel currit,vel aliquid hujusmodi,quod secunda substantia non sit,nihil convenienter unquam profert,si quid de prima substantia præter secundas substantias dicat. Quare quoniam nihil eorum quæ non sunt secundæ substantiæ, quid sit prima substantia declarat, secundæ autem substantiæ genera et species sunt, recte post primas substantias species et genera secundæ dicuntur esse substantiæ.

Amplius principales substantiæ eo quod aliis omnibus subjaceant, et alia omnia de ipsis prædicantur est in ipsis sunt, idcirco propriæ substantiæ dicuntur.Sicut autem primæ substantiæ ad omnia alia sese habent,ita principalium substantiarum genera et species ad omnia reliqua sese habent. De his enim omnia reliqua prædicantur, aliquem enim hominem dicis grammaticum esse,ergo et hominem et animal grammaticum dicis,similiter autem et in aliis.

Hæc quoque est de eadem re probatio,qua recte post primas substantias genera et species esse positas verissima ratione confirmat.Namque individua idcirco primæ dicuntur esse substantiæ,et quod aliis cunctis subjaceant.Nam quoniam secundis substantiis ad prædicationem suppositæ sunt,et de his secundæ substantiæ dicuntur,et quoniam accidentibus ut possint esse accidentia subduntur,idcirco primæ substantiæ sunt.Et sicut primæ substantiæ cunctis subjacent accidentibus, sic etiam secundæ. Nam quoniam aliquis homo accidentibus subjacet,et homo et animal accidenti supponitur,et quoniam est quidam homo grammaticus,id est Aristarchus,est homo grammaticus, est etiam animal grammaticum. Quocirca accidentibus primæ substantiæ principaliter subduntur,secundæ vero secundo loco,et quemadmodum primæ substantiæ et accidentibus et secundis substantiis subjacent,sic secundæ substantiæ accidentibus supponuntur,sed secundæ substantiæ species et genera sunt.Recte igitur post primas substantias species et genera secundas substantias esse proposuit.

Commune est autem omni substantiæ in subjecto non esse,principalis enim substantia neque de subjecto aliquo dicitur,neque in subjecto est.Secundæ vero substantiæ sic etiam constant,quia nulla est in subjecto.Etenim homo de subjecto aliquo homine dicitur, in subjecto autem nullo est, neque enim in aliquo homine homo est.Similiter animal de subjecto quidem dicitur aliquo homine,non est autem animal in aliquo homine.

Post enumerationem substantiarum et divisionem in qua alias primas,alias secundas esse proposuit, quoniam substantiæ diffinitio nulla est reddita,idcirco,quia generalissimum genus diffinitionibus non tenetur, proprietatem quamdam cupit exquirere, quasi signum aliquod quo substantiam queamus agnoscere,priusque quid ipsis substantiis communiter possit evenire proponit;post vero quid illis proprium sit quærit, sed idcirco ista præmittit, ut ad illud verum proprium sine ullo errore perveniat,et quod vere est substantiarum proprium ultimum dicat. Tribus autem modis proprium significatur.Est enim proprium quod alicui speciei omni evenit et non soli,ut homini bipedem esse.Omnis enim homo bipes est,sed non solus, aves namque et ipsæ sunt bipedes.Aut soli et non omni,ut eidem homini evenit ut sit grammaticus,sed non omni homini,neque enim omnis homo grammaticus est.Aut vero tertia proprii significatio est,quæ omni et soli et semper, ut risibile.Omnis enim homo risibilis est,et solum est animal homo quod rideat.Ex his igitur illa duo superiora quæ diximus, ubi omni et non soli, aut soli et non omni,esse quædam propria dicebamus, quæ a propriorum veritate esse videntur aliena.Hoc vero tertium quod omni inest et soli, hoc vere est proprium,illa autem superiora consequentia quidem dicuntur, non tamen vere propria, hoc autem ultimum vere est proprium.Quæcunque ergo talia propria Aristoteles invenerit,quæ aut solis et non omnibus substantiis,aut omnibus et non solis eveniant,velut non vere in natura cujuslibet constituta repudiat. Illud vero ultimum ponit quod et omni substantiæ et soli valeat evenire.Illa enim sunt propria quæ convertuntur,ut si quid fuerit homo, risibile est, si quid est risibile, homo est:hæc autem solum converti possunt, quæ omni solique contingunt, nam neque ulli alii magis, neque ulli minus evenient; quare his prædictis ad loci ipsius orationem expositionemque veniamus. Quod ergo dicit hoc est, omnibus substantiis commune est, ut in subjecto non sint,namque primæ substantiæ,id est individua in subjecto non sunt,quod planissime his demonstratur. Nunquam enim particularis substantia alicui accidens esse potest,secundæ vero substantiæ habent quamdam imaginem quod sint in subjecto,videntur enim secundæ substantiæ in subjectis,id est primis substantiis esse, sed falso, nam secundæ substantiæ de primis substantiis solum prædicantur, non in ipsis sunt.Animal enim de quodam homine tantum dicitur,non etiam in aliquo homine consistit, ut in subjecto.Hoc autem illa res probat,quod omnia quæcunque in subjecto sunt, eorum quoque individua in subjecto sunt,color quoniam in subjecto corpore est,et quidam color subjecto corpore nititur, in hoc vero quoniam primæ substantiæ,id est individua in subjecto non sunt,nec eorum universalia, id est secundæ substantiæ, quæ genera speciesque sunt, possunt aliquo niti subjecto. Quare secundæ substantiæ primas substantias ad prædicationem tantum subjectas habent, non etiam ut ipsæ primis substantiis accidant.Illud quoque maximum argu-

mentum est secundas substantias non esse in subjecto, quoniam omne quod in subjecto est potest mutari,illa quæ subjecta est non mutatur,ut color qui est in corpore, eodem corpore manente potest mutari,ut niger fiat ex albo.Manentibus autem substantiis primis,secundæ substantiæ non mutantur. Quam vero ipse Aristoteles posuit probationem,secundas substantias non esse in subjecto,hujusmodi est,prædocuit enim quorumdam quæ sunt in subjecto nomen de subjectis posse prædicari,rationem vero nunquam. Album enim cum sit in corpore,dicitur corpus album,et prædicatur albedo de corpore,sed alia est diffinitio albedinis, alia corporis. Secundæ vero substantiæ de primis substantiis et nomine prædicantur, et diffinitione junguntur. Nam quidam homo animal est et homo,sed quidam homo,et hominis,et animalis ratione diffinitur.Et ut veracissime sententia concludatur, omne quod est in subjecto, æquivoce de subjecto dicitur.Secundæ vero substantiæ de primis non æquivoce,sed univoce nuncupantur,idcirco quod (ut dictum est) et nomine et diffinitione consentiunt. Quare quemadmodum primæ substantiæ in subjecto non sunt,sic secundæ subjecto carebunt.Commune est igitur omnibus substantiis, et secundis et primis in subjecto non esse,et quodcunque substantia fuerit,consequens est ut in nullo subjecto sit.Sed quæritur utrum hoc soli substantiæ insit an etiam aliis,nam si soli substantiæ inest,quoniam omni substantiæ hoc inesse monstravimus, quod in subjecto non sit,verum proprium dicitur esse substantiæ, non esse in subjecto.Hoc enim dictum est esse maxime proprium,quod omnibus inesset et solis,sed hoc non esse substantiæ proprium verissima Aristoteles probatione confirmat dicens :

Amplius eorum quæ sunt in subjecto nomen quidem de subjecto aliquando nihil prohibet prædicari, rationem vero impossibile est.Secundarum vero substantiarum et nomen de subjectis et ratio prædicabitur, rationem enim hominis et animalis de aliquo homine prædicabis.Quare non erit substantia eorum quæ sunt in subjecto. Non est autem hoc proprium substantiæ, namque et differentia eorum est, quæ in subjecto non sunt, bipes enim et gressibile de subjecto quidem homine dicitur,in subjecto autem nullo est,non enim in homine est bipes,neque gressibile.Ratio quoque differentiæ de illo dicitur de quo ipsa differentia prædicatur,ut si gressibile de homine dicitur,et ratio gressibilis de homine prædicabitur,est enim homo gressibilis.

Non esse proprium hoc substantiæ dicit, idcirco quod in differentiis idem sit,in nullo enim differentia subjecto est,ad illud namque recurritur. Si differentia in subjecto esset,nomine tantum de subjecto prædicaretur,non etiam ratione.Differentia vero de eo de quo dicitur univoce prædicatur,ut si quis dicat gressibilem differentiam de homine,ipsius differentiæ diffinitio quoque homini convenienter aptabitur.Gressibile namque est quod per terram pedibus ambulat,et homo est quod per terram pedibus ambulat, ita differentiæ et ejus de quo ipsa differentia dicitur una poterit esse ratio substantiæ,id est unius possunt et nominis nuncupatione,et diffinitionis determinatione conjungi.Quod si in subjecto esset differentia,nequaquam de subjecto sibi univoce prædicaretur. Quare non proprium est substantiæ quod retinet etiam differentia, differentia namque substantia non est.Esset enim proprium substantiæ in subjecto non esse.Non est autem differentia accidens,esset enim in subjecto. Omnis autem res aut accidens est, aut substantia, id est aut in subjecto est,aut in subjecto non est,et sunt accidentia quæcunque in substantiam subjecti non veniunt, quæque permutata naturam substantiæ non perimunt. Si quibus vero peremptis subjecta interimantur, illa proprie accidentia non vocamus,differentia vero est quæ de pluribus specie differentibus in eo quod quale sit prædicatur.Sed differentia substantia non est, idcirco quod si esset substantia non in eo quod quale sit de subjecto,sed in eo quod quid sit prædicaretur. Qualitas vero solum non est,esset enim accidens et in subjecto.An magis ex substantia et qualitate differentia ipsa conficitur,ita ut illud de quo prædicatur, perempta differentia simul interimatur, ut calor,cum est in aqua,perempto calore,potest aqua in sua substantia permanere, et est calor in subjecta aqua,quo interempto,aqua non peribit.Idem tamen calor est in igne,sed perempto calore,ignem interire necesse est.Quare hæc qualitas caloris substantialiter inest igni,et est propria differentia,id est substantialis.Concludendum est igitur differentiam,neque solum substantiam esse,neque solum qualitatem, sed quod ex utrisque conficitur substantialem qualitatem,quæ permanet in natura subjecti,atque ideo quoniam substantia participat, accidens non est, quoniam qualitas est,a substantia relinquitur. Sed quoddam medium est inter substantiam et qualitatem,quæ quoniam in subjecto non est et substantia non est,proprium substantiæ non est non esse in subjecto.Post hoc illuc quoque dicit non debere nos conturbari, ne forte substantiarum partes,quæ ita sunt in toto quasi in aliquo subjecto,aliquando cogamur non substantias confiteri.Substantiarum partes in subjecto sunt,sed non ut accidentia,videmus enim quasdam partes substantiarum ita esse in toto quasi sint in subjecto,ut caput in toto corpore est, et manus in toto corpore est,forma quoque et materia quæ sunt partes compositæ substantiæ in ipsa composita substantia sunt. Ne forte ergo cogamur aliquando partes substantiarum, quoniam sunt in subjecto, suspicari non esse substantias, sed accidentia, præmonet dicens :

Non conturbent autem nos substantiarum partes,ut quæ ita sint in toto, quasi in subjecto, ne forte cogamur confiteri eas non esse substantias, non enim sic dicebamus ea esse quæ sunt in subjecto,ut quasi partes essent in aliquo.

Hoc enim rationis affert cur ista accidentia esse aliquis suspicari non debeat. Illa enim accidentia esse diffinita sunt in objecto, quæ non essent ut quædam pars,hoc enim superius ait.In subjecto autem esse dico,quod cum in aliquo sit,non sicut quæ

dam pars et impossible est esse sine eo in quo est. Quocirca quoniam accidentia ita sunt in subjecto, ut subjecti partes non sint, substantiarum vero partes in toto ita sunt, ut in subjecto non sint, partes substantiarum, partes accidentium esse nullus recte suspicari potest.

Inest autem substantiis et differentiis ex his omnia univoce prædicari. Omnia enim quæ ab his prædicata sunt, aut de individuis prædicantur, aut de speciebus; a prima namque substantia nulla est prædicatio, de nullo enim subjecto dicitur. Secundarum vero substantiarum species quidem de individuo prædicatur, genus autem et de specie et de individuo. Similiter autem et differentiæ de speciebus, et de individuis prædicantur. Rationem etiam suscipiunt primæ substantiæ specierum et generum, et species generis, quæcunque enim de prædicato dicuntur, eadem et de subjecto dicuntur. Similiter autem et differentiarum rationem suscipiunt et species, et individua, univoca autem erant, quorum, et nomen commune et ratio eadem est. Quare omnia quæ a substantiis et differentiis sunt, univoce dicuntur.

Quoniam in subjecto non esse differentiis et substantiis commune monstravit, aliam rursus communitatem substantiarum differentiarumque proposuit. Nam cum substantiarum aliæ sint primæ, aliæ secundæ, et primæ substantiæ sint individuæ, quoniam nihil individua possunt habere subjectum, ab individuis nulla prædicatio est. Secundæ vero substantiæ de individuis, id est de primis substantiis, prædicantur, et de his univoce dicuntur. Secundarum enim substantiarum nomen de individuis prædicatur et ratio. Ac de individuo quidem et species prædicatur et genus, ut de Platone, id est de aliquo homine, et homo dicitur, et animal, aliquis enim homo est, et animal, et utriusque de individuo prædicatur ratio. Dicimus enim aliquem hominem animal esse rationale mortale, quæ est speciei diffinitio, id est hominis. Et rursus aliquem hominem dicimus esse substantiam animatam atque sensibilem, quæ generis est diffinitio, id est animalis. Species vero generis sui et diffinitionem suscipit et vocabulum, de homine emin animal prædicatur, dicitur enim homo animal est, et idem ipse rursus homo rationem suscipit animalis. Dicimus enim esse hominem substantiam animatam atque sensibilem. Constat ergo quoniam et genera et species de individuis, et genera de speciebus univoce prædicantur, id est in omni prædicatione secundæ substantiæ univoca appellatione de subjectis dicuntur, quod his cum differentia commune est. Differentia namque de specie de qua dicitur, et de ejus individuo ipsa quoque univoce prædicatur. Nam cum sit gressibilis differentia de aliquo homine prædicatur, dicitur enim quidam homo gressibilis, ut Plato et Cicero, sed et diffinitionem differentiæ suscipiunt individua, de quibus illa differentia prædicatur. Gressibile namque est quod per terram pedibus ambulare potest. Et quemdam hominem possis ita secundum nomen differentiæ diffinire, ut dicas Platonem esse quod per terram pedibus ambulare possit. Et hoc idem evenit de specie cujusdam hominis, id est de homine : homo namque, id est ipsa species, cum sit gressiblis, potest diffiniri. Homo est quod per terram pedibus ambulare possit. Ergo et differentiæ de his de quibus pradicantur, univoce dicuntur. Quocirca quoniam et secundæ substantiæ de his de quibus prædicantur univoce dicuntur, et differentiæ eodem modo, quæcunque a substantiis vel differentiis prædicationes fuerint, hæc et de subjectis univoce prædicabuntur. Quæ autem causa sit ut secundæ substantiæ de primis substantiis univoce prædicentur, illa quam supra docuit Aristoteles nos admonens dixit, omnia enim quæcunque de prædicato dicuntur, eadem etiam dicentur de subjecto. Omnes enim differentiæ quæ sunt specificæ generis prædicantur et de specie et de individuo, ut quoniam animal efficiunt differentiæ animatum atque sensibile, eadem et de specie, id est homine, et de individuo, id est aliquo homine, prædicabuntur; quod cum superius dictum est, nunc quantum expositionis brevitas postulat, dixisse sufficiat.

Omnis autem substantia videtur hoc aliquid significare, atque in primis quidem substantiis indubitabile et verum est, quoniam hoc aliquid significant. Individuum enim et unum numero est quod significatur. In secundis vero substantiis, videtur quidem similiter appellationis figura hoc aliquid significare, quando quis dixerit vel hominem, vel animal, non tamen verum est, sed magis quale aliquid significat; neque enim est unum quod subjectum est, quemadmodum prima substantia, sed de pluribus homo dicitur et animal. Non autem simpliciter quale quid significat, quemadmodum album, nihil enim album aliud significat quam qualitatem, genus autem et species circa substantiam qualitatem determinant, qualem enim quamdam substantiam significant plus autem in genere quam in specie determinatio fit, dicens enim animal plus complectitur quam hominem.

Postquam superius geminas dixit substantiæ consequentias, id est in subjecto non esse, et cuncta ab his univoce prædicari, et eas a maximæ proprio substantiæ separavit, idcirco quod differentiis etiam videntur esse communes, aliud adjicit quod idcirco substantiæ proprium non sit, quod non sit in omni substantia. Nam quemadmodum quantitas, quantum significat, et qualitas quale, sic etiam substantia videtur hoc aliquid significare. Nam cum dico Socrates vel Plato vel aliquam individuam substantiam nomino, hoc aliquid significo, sed omnibus hoc substantiis non inest. Individuis namque quoniam particularia sunt et numero singularia, verum est hoc aliquid a substantiis significari. In secundis vero substantiis non idem est. Namque secundæ substantiæ non sunt unæ, nec numero singulares, sed species intra se plurima individua continent, et multas intra se species genus includit, quocirca cum dico homo, non hoc aliquid significavi, neque enim singulare est hominis nomen, idcirco quod de pluribus individuis prædicatur, sed potius quale quiddam ; qualis enim substantia sit demonstratur, cum dicitur

homo.Qualitas autem hæc circa substantiam terminatur,nam sicut individua qualitas species et genera qualitatis habet,et sicut singulas quantitates quantitas speciebus et generibus claudit,ita quoque individuarum substantiarum species et genera secundæ substantiæ sunt. Ergo cum dico homo, talem substantiam significo, quæ de pluribus numero differentibus in eo quod quid sit prædicatur,qualem ergo quamdam substantiam significo,cum hominem dixi, talem scilicet quæ individuis nominetur,idem quoque de genere est.Nam cum dico animal,talem substantiam significo quæ de pluribus speciebus dicatur.Est igitur qualitas,ut album,quæ semper sit in substantia,sed non ut ipsam substantiam interimat, idcirco quod proprietatem substantiæ albedo non habet. Qualitas vero hæc quæ de substantiis dicitur, circa substantiam qualitatem determinat, qualis sit enim illa substantia demonstrat.Nam si homo est rationalis,et substantia erit rationalis,sed rationalis qualitas est.Qualem ergo substantiam monstrant secundæ substantiæ. Quocirca non est hoc proprium substantiæ, hoc aliquid significare. Secundæ enim substantiæ non hoc aliquid, sed quale aliquid (ut dictum est) monstrant,ita tamen quale aliquid monstrant,ut ipsam qualitatem circa substantias determinent.Qualitas enim secundarum substantiarum in individuis est,de ipsis enim naturaliter prædicatur quæ ipsa individuæ substantiæ sunt.Qualitas igitur secundarum substantiarum circa individua, id est quæ prima sunt terminatur. Determinatio vero quoties ipse terminus multa concludit, major est, et minor quoties pauciora,quocirca genus plurima colligit, species vero non tam plurima.Nam cum dico animal, etiam hominem bovemque, et alia cuncta animalia hoc uno nomine clausi.Cum vero dico homo,solos homines individuos hac nominis significatione conclusi,quocirca major fit determinatio per genus quam per speciem,et fit determinatio circa substantiam qualitatis, vel quod substantialis qualitas in genere et specie est, vel quod secundum quamdam communionem subjectorum dicitur. Sed per se qualitas,ut album,neque ullius substantiam significat,neque ullam communionem,sicut genus specierum suarum,et individuorum species,ostendit.Quocirca aliud substantiæ proprium requirendum est.

Inest autem substantiis etiam nihil ipsis esse contrarium, primæ enim substantiæ quid erit contrarium, ut alicui homini vel alicui animali,nihil enim est contrarium, at vero nec homini nec animali aliquid est contrarium;non est autem hoc substantiæ proprium, sed etiam multorum aliorum,ut quantitatis : bicubito enim vel tricubito nihil est contrarium,at vero nec decem nec alicui talium.Nisi quis forte multa paucis dicat esse contraria,vel magnum pravo,determinatarum vero quantitatum nullum ulli est contrarium.

Adjecit quoque aliud substantiæ proprium dicens substantiæ nihil esse contrarium,hoc autem ex ea quæ sigillatim fit inductione confirmat. Homo enim homini vel equo, vel alicui alii animalium non est contrarius.Sed si quis forsitan dicat,cum ignis atque aqua substantiæ sint,ignem aquæ esse contrarium, mentietur.Non enim ignis aquæ contrarius est,sed qualitates ignis qualitatibus aquæ opponuntur.Calor enim et frigus contraria sunt,et humor et siccitas, quæ qualitates cum aliæ sint in igne, aliæ in aqua, ipsas substantias contrarias facere videntur,sed non sunt ; hoc autem ex omnibus aliis substantiis potest probari, in quibus nihil quisquam poterit invenire contrarium.Sed hoc solius substantiæ proprium non est, namque et quantitas definita contrariis caret. Nam neque duo tribus contraria sunt, nec duobus quatuor, nec aliquid hujusmodi: nam si dicamus tres duobus esse contrarios,cur non his duobus etiam quatuor vel quinque contrarios esse ponamus ?nulla enim afferri ratio potest, cum tres duobus contrarii sint,cur quatuor vel quinque duobus contrarii non sint. Quod si hoc est,vel quatuor,vel tres,vel quinque,vel quicunque a duobus distant numeri, contrarii fiant duobus, et erunt uni rei multa contraria, quod fieri non potest.Non est igitur contrarium aliquid quantitati.Sed si quis dicat magnum pravo vel multæ paucis esse contraria, hæc quidem etiamsi quis quantitates esse confirmat,tamen diffinitæ quantitates non sunt,quantum enim sit magnum vel quantum parvum,non definit qui loquitur, eodem modo, etiam de multis atque paucis. Quare si quis hæc quantitates esse dicat,indeterminatas indefinitasque esse confitebitur.Dicit autem Aristoteles terminatæ quantitati nihil esse contrarium,ut duobus vel tribus vel lineæ vel superficiei.Quod si etiam aliæ quantitates habent contraria,aliæ vero non habent,nihil omnino impedit ad hoc quod dicitur, proprium non esse substantiæ,idcirco quod constat quasdam quantitates non habere contraria.Quod si hoc et in quantitatibus evenit,non esse contrarium,substantiarum proprium non est.Atque hæc quidem si quis magnum vel parvum in quantitatibus ponat, manifestum est (ut ipse est posterius monstraturus) hæc non esse quantitates,sed ad aliquid,magnum enim ad parvum dicitur;sed cum ad ea loca venerimus, propositi ordinem loci diligentius exsequemur.Nunc quoniam declaratum est et substantiæ nihil esse contrarium, et hoc ei proprium non esse,quoniam idem etiam in quantitatibus consideratur,ad sequens proprium expositionis semitam convertamus.

Videtur autem substantia non suscipere magis et minus,dico autem hoc non quod substantia a substantia non sit magis et minus substantia,hoc enim dictum est, quia est,sed quoniam unaquæque substantia, hoc ipsum quod est,non dicitur magis et minus,ut si est hæc substantia,homo,non est magis aut minus homo,nec ipse seipso,nec alter altero,non est enim alter altero magis homo, sicut est album alterum altero magis album,et bonum alterum altero magis honum.Sed et ipsum se magis et minus dicitur :ut corpus cum sit album,magis album esse dicitur nunc quam prius ; et cum calidum sit, magis et minus calidum dicitur. Substantia vero non dicitur magis aut minus substantia,non enim homo

magis nunc homo quam prius dicitur, nec aliorum quidquam quæ substantiæ sunt, qua propter nec recipit substantia magis et minus.

Hoc proprium non simpliciter dicitur, sed cum aliqua distinctione: ait enim substantiam neque magis recipere, neque minus, non hoc dicens, quoniam substantia non est magis ab alia substantia. Namque quidam homo cum sit substantia, magis est substantia ab homine, id est ab specie, et homo ab animali, id est a genere. Ergo non hoc dicit, quoniam non inveniuntur substantiæ quæ a substantiis magis substantiæ sint, hoc enim dictum est, quoniam est, id est quoniam inveniuntur. Ait enim superius primas substantias, id est individuas, maxime esse substantias, in secundis vero substantiis, magis esse substantias species quam genera. Ergo non dicit, quoniam nulla substantia ab alia substantia magis substantia est, sed hoc ipsum quod est, quælibet illa substantia non dicitur magis et minus substantia, ut si est substantia homo, non dicit quoniam homo non est magis et minus substantia, individuus enim homo magis est substantia, species vero minus si ad primam, id est individuam, substantiam referatur. Sed hoc dicit, hoc ipsum quod est, id est, homo non erit magis homo vel minus homo ; quocirca non dicit quoniam homo non est magis substantia vel minus, sed quoniam homo, hoc ipsum quod est, non est magis vel minus homo, non est enim aliquis homo magis et minus homo ; et hoc idem in ejusdem comparatione convenit speculari. Nam ipse homo a seipso non est plus homo, at vero nec si ad alterum conferatur, ad alterum vero ita, ut sub eadem conjunctione sint, ut quidam homo individuus ad aliquem individuum hominem comparatus, non erit magis et minus homo, et ipsa species seipsa non erit magis et minus homo; sed hoc palam est in substantiis, in qualitatibus vero potest esse magis et minus, album enim potest fieri magis album seipso, et suscipere magis et minus, ut sit magis album et minus album; potest et alio albo plus esse album, ut lilium lana ; et alio albo minus esse album, ut lana lilio, et cygnus nive, atque idem in aliis qualitatibus, ut bono et calido. Namque hæc possunt temporibus permutari, et in plus minusve transduci, fit enim aliquoties bono melius et deterius, et calido fervèntius et tepidius : homo vero quod est substantia, neque nunc plus erit homo quam fuit antea, neque post magis aut minus erit homo quam nunc est. Quocirca cum substantia non suscipiat magis et minus, tamen proprium ejus hoc non erit. Sed cur non sit proprium ipse Aristoteles velut notum conticuit ; nos autem addimus, quoniam non solum substantiæ non suscipiunt magis et minus, sed et alia multa ; circulus enim alio circulo non erit magis circulus aut minus, nec duplum magis duplum vel minus ; æqualiter enim duplus est quaternarius : ad binarium, et denarius ad quinarium comparatus, quocirca quoniam etiam in aliis idem est, hoc substantiæ proprium non esse putandum est. Sed hæc quidem omnia quæcunque sunt A in substantiis omnibus, propria tamen substantiæ non sunt, eo quod etiam in aliis sint, consequentia substantiæ appellantur. Hæc enim omnia substantias consequuntur, ut ubicunque fuerit substantia, ea quæ dicta sunt inveniantur, id est in subjecto non esse, et prædicationes ab his univoce fieri, et quod hoc aliquid significet, et quod nihil sit illis contrarium, et quod non suscipiant magis et minus : illa vero quæ non omnibus substantiis insunt accidentia sunt substantiis, quocirca propria non sunt. Quod si propria non sunt, nondum quale sit substantia demonstrant. Quare ut substantiæ qualitatem proprie cognoscamus, talis est huic requirenda proprietas, quæ et solis substantiis insit et omnibus, hæc autem hujusmodi est, quam ipse proposuit.

B *Maxime vero substantiæ proprium esse videtur, cum unum et idem numero sit, contrariorum susceptibilem esse, et in aliis quidem non habebit quisquam quid proferat quæcunque non sunt substantiæ, quod cum sit unum numero, susceptibile contrariorum sit, velut color quod est unum et idem numero, non erit album et nigrum, neque eadem actio et una numero erit prava et studiosa. Similiter autem et in aliis quæ substantiæ non sunt. Substantia enim cum unum et idem numero sit, capax contrariorum est, ut aliquis homo eum unus et idem numero sit, aliquando quidem niger, aliquando autem fit albus, et calidus et frigidus, et pravus et studiosus. In nullis autem aliis aliquid tale videtur, nisi quis forsitan instet, dicens orationem et opinionem contrario-*
C *rum esse susceptibilia, eadem enim oratio vera et falsa esse videtur, veluti si vera sit oratio sedere quemdam, surgente eo, illa eadem oratio falsa erit, similiter autem et de opinatione. Si quis enim vere putat sedere aliquem, surgente eo, ille idem falsa putabit, eamdem haaens de eodem opinionem. Sed et si quis hoc suscipiat, tamen modo differt, nam ea quæ in substantiis sunt, ipsa mutata susceptibilia sunt contrariorum ; frigidum enim de calido factum mutatum est, alteratum enim est, et nigrum ex albo, et studiosum ex pravo. Similiter autem et in aliis, unumquodque ipsorum mu-*
D *tationem suscipiens, est susceptibile contrariorum. Oratio autem et opinio ipsa quidem immobilia omnino perseverant, cum vera res movetur, contrarium circa ea fit, oratio namque permanet eadem, sedere aliquem, cum vero res mota sit, aliquando quidem vera, aliquando autem falsa fit, similiter autem et in opinione. Quapropter quo admodum saltem substantiæ proprium est, eo quod secundum mutationem suam captabilis est contrariorum, si quis recipiat placitum et orationem susceptibilia esse contrariorum.*

Ait maxime proprium esse substantiæ, quod eadem et una numero contrariorum susceptiva sit, nihil contrarium superioribus dicens. Illic enim dixerat substantias substantiis non esse contrarias, hic vero dicit non substantias substantiis esse contrarias, sed res in se contrarias posse suscipere, ut unus atque idem homo, nunc quidem sit sanus, alio vero tempore sit æger, ægritudo autem et sanitas contraria sunt.

iam declaratum est substantiam posse

contraria suscipere, demonstrandum est quemadmodum hoc solis substantiis insit; hoc enim in nullis aliis invenitur, namque in qualitate qualitas non erit eadem, neque una numero contrariorum susceptiva, idem enim et unum numero non erit album atque nigrum, cum album fuerit et post in nigrum vertitur, tota qualitatis species permutatur, et non erit unum atque idem numero quod contrarium est, sed diversum. At vero et actio eadem et una numero non erit bona atque mala, sed fortasse una bona, alia mala, ita ut diversæ sint, non eædem numero, hoc etiam in aliis reperitur. Ipsa vero substantia cum una sit et numero singalaris, contraria suscipit, ut idem atque unus homo cum fuerit candidus atque albus a sole tactus nigrescit, et album in nigrum convertitur, et in contrarium permutatur, utrasque res in se contrarias suscipiens. Nulli igitur alii inesse hoc nisi solis substantiis, satis superiora demonstrant. Si quis autem opponat orationem et opinionem unam atque eamdem contrariorum esse susceptibilem, ideo quod cum dico Cicero sedet, vel eum sedere opinor, cum vere sedet, vera est et oratio de eodem et opinio quod sedet; cum vero surrexit ille, eadem permanet opinio vel oratio quæ dicit vel arbitratur Cicero sedet, sed falsa est, quod non sedet, videtur opinio atque oratio eadem et una numero nunc quidem esse vera, nunc autem falsa, et contraria ipsa suscipere, sed hoc falsum est, quod oratio et opinio contraria non recipiunt: nam si quis hoc recipiat quod etiam oratio atque opinio contrariorum susceptiva sint, non tamen eodem modo quo substantia. Nam substantia ipsa contraria suscipiens permutatur, Cicero namque ipse in se ægritudinem suscipiens ex sano factus est æger, et mutatus ipse contraria suscipit; sermo vero vel opinio ipsa quidem immutata permanent, sed cum rebus de quibus dicuntur permutatis ipsæ inveniuntur falsæ esse vel veræ. Et substantia quidem ipsa cum iis quæ suscipit contrariis permutatur; oratio vero et opinio, eo quod res de quibus dicuntur vel arbitrantur permutentur, ipsæ videntur falsæ esse vel veræ. Nam cum dico Cicero sedet, si ille surrexit, oratio quidem ipsa nihil passa est, sed res de qua fuit ipsa oratio mota est. Qui enim sedebat surrexit, idcirco ex vera oratione facta est falsa. Quocirca substantia ipsa suscipiens (ut dictum est) contraria permutatur, oratio vero vel opinio non mutatur, sed re circa eas mota ipsæ veræ vel falsæ sunt. Quare proprium substantiæ ita esse putabitur contrariorum susceptibile, ut ipsa permutata contraria suscipiat, non ut, re mutata, ipsa impermutata immutabilisque permaneat. Atque hoc dictum est, si quis orationem atque opinionem contrariorum susceptibiles putet, non autem esse orationem atque opinionem contrariorum susceptibiles. Ipse rursus adjecit.

Non est autem hoc verum; oratio namque et opinio non in eo quod ipsa aliquid recipiant contrariorum susceptibilia esse dicuntur, sed in eo quod circa alterum aliqua passio facta sit; nam quo res est vel non est, eo etiam oratio vera aut falsa esse dicitur, non eo quod A *ipsa sit susceptibilis contrariorum. Simpliciter enim a nullo nec oratio movetur, nec opinio. Quapropter non erunt susceptibilia contrariorum, cum nulla in eis contrariorum passio facta sit. At substantia eo quod ipsa contraria recipiat hoc susceptibilis dicitur contrariorum esse. Languorem enim et sanitatem suscipit, candorem et nigredinem, et unumquodque talium ipsa suscipiendo, contrariorum esse susceptibilis dicitur. Quare proprium erit substantiæ, cum idem et unum sit numero, contrariorum esse susceptibilem cum permutatione sui ipsius. Ac de substantia quidem dicta sufficiant.*

Ait enim orationem atque opinionem ipso quidem contrarii nullius esse susceptibila, neque enim falsitas veritasque in oratione vel opinione insita est, sed idcirco videntur contrariorum esse susceptibilia, quod B (ut ipse ait) circa alteram quamdam passionem sint, hoc est circa hoc esse opinionem vel orationem. Nam circa sedere et non sedere, quæ sunt contraria, est sedendi aliquem et non sedendi opinio vel oratio, atque ideo quoniam circa alias res sunt quæ sibi sunt contrariæ, illis permutatis, ista videntur esse contraria, non quod ipsa suscipiant contraria, sed quod circa contrarias passiones rerum sint. Nam neque oratio neque opinio permutatur, sed sola tantum de quibus est oratio atque opinio, id est sedere et non sedere. Quocirca quoniam nullam ipsa oratio vel opinio suscipiunt passionem, nec quidquam in eis fit, atque evenit contrarium, contrariorum esse susceptibilia non videntur. At substantia eo quod ipsa suscipiat contrarium, contrariorum dicitur esse susceptibilis. Cicero enim suscipiens sanitatem sanus fit, C et suscipiens ægritudinem fit æger. Oratio vero atque opinio (ut dictum est) contraria non suscipiunt. Quare erit hoc proprium substantiæ contrariorum esse susceptibilem. Sed si quis forsitan dicat cur cum ignis calidus, sit nunquam frigus suscipiat, et cur cum aqua sit humida nunquam suscipiat siccitatem. His enim oppositis, videtur non omnis substantia contrariorum esse susceptibilis, et substantiæ hoc proprium infirmabitur, cum non sit in omnibus substantiis. Sed dicendum est quoniam ea contraria suscipere videntur substantiæ quæ sunt in ejus natura non insita, alioqui non suscipit quidquid illi substantialiter adest. Suscipere enim dicimus aliquid de rebus extrinsecus positis et præter substantiam constitutis: quoniam igitur in substantia ignis inest calidum esse, ignis ca- D lorem non suscipit; quocirca neque est ignis caloris susceptibilis, neque frigoris. Calorem quidem non suscipit, idcirco quod ejus naturæ substantiæque immutabiliter adhæsit. Frigus enim non suscipit, quoniam caloris natura ipsius ignis contrarium sponte repudiat. Quocirca si quid est quod suscipiat ignis, id est extrinsecus positum, accipiat necesse est ejus quoque contrarium, ipse unus permanens ac singularis. Idem quoque de aqua dicendum est: illa enim sicut ignis calorem, sic non suscipit humiditatem, sed est quodammodo et ipsi humiditas naturaliter insita; atque ideo calor ignis, vel humiditas aquæ non solum qualitates dicuntur, sed etiam substan-

tiales igni et aquæ qualitates; namque aqua quoniam in se neque frigus neque calorem substantialiter habet, susceptibilis et frigoris et caloris esse dicitur. Quocirca non de his contrariis loquitur quæ substantialiter insunt, sed his quæ potest suscipere unaquæque substantia, id est quod potest extrinsecus adhiberi : hoc autem in omnibus esse substantiis manifestum est: nam quoniam Cicero sanus et æger est, homo sanus et æger est; et si homo sanus et æger est, animal sanum atque ægrotum est. Sed cum duobus modis animal atque homo spectentur, uno quod A de pluribus prædicentur, altero quod substantiæ sint, in eo quod de pluribus prædicantur contrariorum susceptiva non sunt : ut animal in eo quod de speciebus dicitur, neque sapiens est, neque insipiens, et homo in eo quod de individuis dicitur, neque sanus est, neque æger; in eo vero quod substantiæ sunt, et quod individuis substantiis præsunt, contrariorum susceptibiles sunt. Quocirca erit hoc solius proprium substantiæ, contrarium esse susceptibilem. Hæc de substantia dicta sufficiant. Secundi vero voluminis series ab expositione inchoabitur quantitatis.

LIBER SECUNDUS.

Et si nos curæ officii consularis impediunt quo minus in his studiis omne otium plenamque operam consumimus pertinere tamen videtur hoc ad aliquam reipublicæ, curam, elucubratæ rei doctrina cives instruere. Nec male de civibus meis merear, si cum prisca hominum virtus urbium cæterarum ad hanc unam rempublicam, dominationem, imperiumque transtulerit, ego id saltem quod reliquum est, Græcæ sapientiæ artibus mores nostræ civitatis instruxero. Quare ne hoc quidem ipsum consulis vacat officio, cum Romani semper fuerit moris quod ubicunque gentium pulchrum esset atque laudabile, id magis ac magis imitatione honestare. Aggrediar igitur et propositi sententiam operis ordinemque contexam.

DE QUANTITATE.

Quantitatis autem, aliud quidem est discretum, aliud autem continuum, et aliud quidem ex habentibus positionem ad se invicem suis partibus constat : aliud autem ex non habentibus positionem. Est autem discreta quantitas, ut numerus et oratio. Continua vero, ut linea, superficies, corpus. Amplius autem et præter hæc est tempus et locus. Partim etenim numeri nullus est communis terminus, ad quem copulentur particulæ ejus : ut quinque si ad decem sunt particulæ, ad nullum communem terminum copulantur quinque et quinque, sed semper discreta sunt et separata. Sic et tria et septem ad nullum communem terminum conjunguntur, omnino autem non habeas in numero accipere communem terminum partium, sed semper discretæ et separatæ sunt. Quapropter numerus quidem discretorum est, similiter autem et oratio discretorum est. Quod autem oratio quantitas sit manifestum est, mensuratur enim syllaba brevi et longa. Dico autem orationem cum voce factam, ad nullum enim communem terminum particulæ ejus copulantur. Non enim est communis terminus ad quem syllabæ copulentur, sed unaquæque divisa est, ipsa secundum seipsam.

Post substantiæ tractatum cur de quantitate potius ac non de qualitate proposuerit hæc causa est, quod omnia quæcunque sunt, simul atque sunt in numerum cadunt. Omnis enim res aut est una, aut plures: unum vero vel plures quantitatis scientia colliguntur. Sed non omnis res simul atque est aliquam accipit B qualitatem, ipsa enim materia sub quantitatis quidem principium cadit, quod una est sub qualitatem vero minime ; ipsa enim cunctis est interim qualitatibus absoluta, superaddita vero forma quadam afficitur qualitate: per se autem numero quidem una est, qualitate vero nulla : quocirca si res omnis simul atque est cadit in numerum, non autem omnis res mox ut est statim suscipit qualitatem, recte prius de quantitate proposuit. Est quoque alia causa cur prius de quantitatis ratione pertractet. Omne enim corpus ut sit, tribus dimensionibus constat, longitudine, latitudine, altitudine: ut vero sit corpus cum qualitate, tunc erit aut album, aut nigrum, aut quodlibet aliud; et quoniam prius est esse corpus, post vero esse corpus album, prius erit corpori tribus constare dimen- C sionibus quam esse album. Sed tres dimensiones et numero et continuatione spatii quantitates sunt. Longitudo enim et latitudo et altitudo in quantitatibus numerantur, album vero qualitatis est : quocirca si prius est ex tribus constare dimensionibus quam esse album, prior erit quantitas qualitate, quocirca recte est tractatus de quantitate propositus. Item alia causa, quod quantitas plura habet substantiæ consimilia: nam quemadmodum substantiæ nihil est contrarium, et substantia non recipit magis et minus, sic etiam quantitas: quantitati enim nihil est contrarium, nec quantitas recipit magis et minus, ut paulo post docebimus; qualitas vero et contraria suscipit, ut album et nigrum, et magis et minus, ut candidius et nigrius, et candidissimum et nigerrimum; id enim sumit intentionem quod potest sumere diminutio- D nem. Quod si substantiæ similior quantitas est, recte post substantiam de quantitate proposuit. Quantitatis autem dicit esse differentias duas : quantitatis namque alia discreta est disgregata, alia vero continua. Post hanc rursus divisionem alio modo partitus est quantitatem : dicit enim quantitatis aliam quæ constat ex habentibus positionem ad se invicem suis partibus; aliam vero ex non habentibus positionem. Unam vero rem diverse posse dividi manifestum est, hoc modo, ut si quis dividat animal dicens : Animalium alia sunt rationabilia, alia irrationabilia; et rursus eamdem ipsam rem alia modo partiamur, ut est,

Animalium alia sunt gressibilia, alia non gressibilia, eorumque animalium rursus, alia sunt carnibus vescentia, alia herbis, alia seminibus. Hic ergo una eademque res diverso ordine modoque divisa est. Ita igitur Aristoteles unum idemque quantitatis nomen diverse partitus est, in ea scilicet quæ discreta essent, et quæ continua, et in ea quæ haberent positionem partium, et quæ non haberent. Sed de secunda divisione posterius dicendum est, nunc prima tractetur. Ait enim de prima divisione hoc modo: Quantitatis aliud est continuum, aliud disgregatum. Disgregatum est cujus partes nullo communi termino conjunguntur. Continuum vero cujus partes habent aliquem communem terminum, ad quem videantur esse conjunctæ. Discretarum namque quantitatum ipse exempla ponit et species. Oratio enim discreta est quantitas, eodemque modo et numerus, et numerum esse quantitatem nemo dubitat. Discreta vero est, quoniam denarius numerus cum constet ex quinque et quinque, quæ res quinarium ad quinarium jungat ut faciat denarii corpus, non potest inveniri. Nam si tres et septem quis dixerit, quo communi termino tres et septem conjungantur, ut denarii reddatur unum integrum corpus, nullus inveniet, atque hoc quidem in omni numero speculari licet. Nullus enim numerus ita partes habet, ut eas aliquis communis terminus jungat, sed semper partes ipsæ disjunctæ atque discretæ sunt, et hujusmodi vocatur quantitas discreta. Numerus ergo discreta quantitas est, orationem vero quantitatem esse dicit, idcirco quod omnis oratio ex nomine constet et verbo, sed hæc syllabis constant. Omnis autem syllaba vel longa vel brevis est. Longum vero vel breve sine ulla dubitatione quantitas est, quocirca quod ex quantitatibus constat, id quantitatem esse quis dubitet? At vero oratio ipsa cum sit quantitas, illa quoque discreta est. Cum enim dico Cicero, quod orationis est pars, partes hujus nominis *ci* et *ce* et *ro* nullo communi termino conjunguntur. Non enim reperiemus quo communi termino jungatur *ci* syllaba ad *ce* syllabam, vel rursus *ce* syllaba ad *ro* syllabam. Quocirca etiam oratio quantitas videtur esse discreta. Sed si quis fortasse dicat hunc eorum esse communem terminum, quo ita junguntur, ut aliquid significent, ut in hoc ipso nomine Cicero communis syllabarum terminus ipsa significatio sit. Si enim *ce* syllaba, quæ media est, prima ponatur, et *ro*, quæ ultima est, media, et *ci*, quæ prima est, ultima, nomen quod erat antea, id est Cicero, transversis per loca syllabis nihil significabit. Illi dicendum est quoniam quæcunque in quadam oratione proferuntur, sive significent, sive nihil significent, syllabarum communis terminus nullus est. Nam si quis dicat, permutatis syllabis, quod est Cicero, *ceroci* significationem quidem amisit, sed æqualiter syllabæ ad nullum communem terminum conjunguntur. Quod si quis hunc quidem ipsum sermonem aliquid significare posuerit, ut hoc ipsum Cicero aliquid significat, significatio quidem addita est, nullus tamen syllabis terminus appositus. Quare sive significet, sive nihil significet nomen, partes ejus discretæ atque disjunctæ sunt, et nullo communi termino conjunguntur; quoniam vero Græca oratione λόγος dicitur etiam animi cogitatio, et intra se ratiocinatio, λόγος quoque et oratio dicitur, nequis Aristotelem cum diceret λόγον, id est orationem, quantitatem esse discretam, de eo putaret dicere quem quisque λόγον, id est rationem, in propria cogitatione disponeret, hoc addidi. Dico autem illam quæ fit cum voce orationem. Apud Ramanam namque linguam discreta sunt vocabula orationis atque rationis. Græca vero oratio utriusque vocabulum et rationis et orationis λόγον appellat. Quare ne quid mendax translatio culparetur, idcirco hoc quoque addidi: Dico vero illam quæ fit cum voce orationem, apud Latinos enim nulla alia oratio est præter hanc solam quæ fit cum voce orationem. Apud Græcos vero est alius λόγος qui fit in animi cogitatione. Quocirca nequid deesset, etiam hoc quod Latinam orationem minus esset conveniens, transtuli. Quod quare ita fecerim, hac expositione patefeci, atque hæc quidem de discreta quantitate sufficiant. Continua vero quantitas est (ut dictum est) cujus quantitatis partium communis terminus invenitur, ut est linea, superficies, corpus, et præter hæc tempus, et locus, quod ipse Aristoteles designat his verbis:

Linea vero continua est, est enim sumere communem terminum ad quem particulæ ejus copulantur, punctum, et superficiei, lineam, plani namque ad quemdam communem terminum particulæ copulantur. Similiter autem et in corpore poteris sumere communem terminum, lineam vel superficiem, ad quem copulantur corporis particulæ.

Postquam de discretis explicuit, transiit ad species continuæ quantitatis. Continuæ autem quantitates sunt (ut dictum est in quarum partibus quidam communis est terminus, ut linea. Si quis enim dividat lineam, quæ est longitudo sine latitudine, duas in utraque divisione lineas facit, et utriusque ex divisione lineæ singula in extremitatibus puncta redduntur. Lineæ enim termini puncta sunt. Quocirca cum illa linea divisa non esset, utraque puncta quæ in utrisque linearum capitibus post divisionem apparent, simul antea fuisse intelliguntur, quæ sunt in divisione separata. Intelligitur ergo partium lineæ communis terminus, punctum, id est quoddam parvissimum quod in partes dividi secarique non possit: Superficies quoque, quæ est latitudo sie altitudinne, communem terminum habet in partibus, lineam, corpus vero solidum, spuerficiem. Eodem enim modo divisa superficies duas per singulas partes lineas efficiet, quemadmodum et in linea divisa duo puncta altrinsecus reddebantur. Corpus quoque solidum cum diviseris, duas in utrisque divisionis partibus superficies facies, quæ cum conjuncta sint atque indivisa, punctum quidem partium lineæ intelligitur communis terminus. Linea vero superficiei, superficies autem solidi corporis. Est autem signum continui corporis, si una pars mota sit, totum corpus moveri; et si totum corpus movetur, certe simul alias

partes vicinæ movebuntur, ut si jaceat virgula vel ex ære, vel ex ligno, vel ex quolibet alio metallo, si quis unum ejus caput vel quamlibet ejus partem moveat, tota mox virgula commovetur. Hoc autem idcirco evenit quod ejus partes quodam communi termino conjunguntur, et ille communis terminus una parte mota cæteras movet. Hoc vero in discretis non est. In numero namque cum sint decem, si unum movero, cæteri non moventur, immoti enim permanent novem; et si plenus tritico sit modius, si unum tritici granum movero, non omnia continuo grana commovebuntur, idcirco quod discreta est multitudo, nec granum grano ullo communi termino videtur implicitum. At vero si ipsius grani pars una sit mota, totum corpus grani moveatur necesse est. Non autem nunc hoc dicitur, quod linea constet ex punctis, aut superficies ex lineis, aut solidum corpus ex superficiebus, sed quod et lineæ termini puncta sunt, et superficiei lineæ, et solidi corporis superficies, nullaque res suis terminis constat. Quocirca punctum lineæ non erit pars, sed communis terminus partium. Superficiei linea, et superficies solidi corporis non erunt partes, sed partium termini communes. Constat igitur, et lineam et superficiem, et solidi corporis crassitudinem esse continuam quantitatem. His alia rursus apponit.

Talium est autem et tempus et locus, præsens enim tempus et præteritum et futurum copulat. Rursus locus continuorum est, locum enim quemdam corporis particulæ obtinent, quæ ad quemdam communem terminum copulantur, igitur et loci particulæ quæ obtinent singulas corporis partes, ad eumdem terminum copulantur, ad quem corporis particulæ. Quapropter continuus erit locus. Ad unum enim terminum communem copulantur ejus particulæ.

Tempus quoque et locum continuæ quantitatis esse pronuntiat. Tempus namque esse quantitatem res illa demonstrat, quod in spatio, id est in longitudine et in brevitate, consideratur. Continuum vero esse res illa demonstrat quod partes temporis habeant aliquem communem terminum ac medium, ad quem conjungantur extrema. Nam cum sint partes temporis præteritum et futurum, horum præsens tempus communis est terminus, hujus namque finis est, illius initium. Locus quoque continuorum est. Locum vero dicimus quodcunque illud sit quod partes corporis tenet, sive supra, sive a latere, seu subter sit. Quod si cunctæ partes corporis locum aliquem tenent, et qui circa corpus est locus, per omne corporis spatium partesque diffunditur, omnes corporis partes et loci partibus occupabuntur. Quod si ita est, qui communis terminus conjungebat corporis partes, ejus termini locus illa quoque loca quæ sunt corporis partium jungit, et est eodem modo locus de continua quantitate, quemadmodum et corpus. Ita enim communis terminus invenitur in loco partium quemadmodum et corporis, idcirco quod corporis locus, per corpus omne diffunditur. Quod autem dixit: Sunt autem talium et locus et tempus, quoniam superius A de continuis loquebatur, tempus quoque et locum continuis addidit dicens: Sunt autem talium et tempus et locus, id est continuorum, sed post continuæ discretæque quantitatis divisionem aliam a principio rursus orditur.

Amplius autem aliæ quidem constant ex particulis quæ in eis sunt, positionem ad se invicem habentibus, aliæ autem ex non habentibus positionem, ut lineæ quidem particulæ positionem habent ad se invicem. Singulum enim eorum situm est alicubi, et habes unde sumas et assignes unumquodque ubi situm est in plano, et ad quam particulam reliquarum copulatur: similiter autem et particulæ plani habent quamdam positionem, similiter namque unumquodque ostenditur ubi jacet, et quæ ad se invicem copulentur, solidi quoque et loci simiB liter.

Rursus digerit quantitatis differentias. Sunt enim quantitatis aliæ quidem quæ ex habentibus positionem ad se invicem suis partibus constant, aliæ vero quæ nullam partium habent positionem. Positionem vero partium retinere dicuntur, quarum triplex ista natura est, primum ut ejus partes alicubi sint, deinde ne pereant, tertio vero ut sese partes ipsæ conjungant et propria se ordinatione continuent, ut est linea. Posita enim linea in superficie possis agnoscere ubi partes ipsius sint, caput quidem lineæ esse ac dexteram, medium medio loco, extremitatem vero ad sinistram, et hæc manentibus ipsis partibus dicuntur, partes enim lineæ non pereunt, sed in loco in quo sunt permanent. Possis quoque monstrare quæ pars C lineæ cui parti continuentur, id est ad quam partem caput alterius partis extremitasque conjungitur, ut dicas hæc pars, verbi gratia medietas, lineæ hic finitur, locum ubi desinat monstrans, alia rursus pars lineæ totius hic incipit. Ergo linea posita in superficie qualibet et locum aliquem partes ejus retinent, et partes ipsæ non pereunt, et posset quilibet agnoscere ubi extremitas partium conjungatur, et quo ad se invicem loco continuentur. Hoc quoque idem in superficie evenit, partes enim superficiei in aliquo loco sunt, et ipsæ quoque non pereunt, et ubi pars parti conjungatur ostenditur, idem quoque soliditas habet, et loci quoque partes continuantur ad eas scilicet partes ad quas corporis partes sibimet continuantur, sicut jam supra dictum est. Quocirca ejusdem naturæ erit et locus, cujus tota soliditas erit. D Ergo et locus ex eodem genere quantitatis est, quo est et soliditas, id est ex habentibus ad se invicem positionem suis partibus constans. Locus igitur et ipse ex habentibus suis partibus positionem ad se invicem constat. Ergo tria hæc (sicut supra dictum est) consideranda sunt, ut ad se invicem positionem partes habere videantur, id est locum in quo partes ipsæ sint positæ, ut partes illæ non pereant, ut sit partium continentia atque continuatio. Quod si quis dicat hanc rem loco deesse, eo quod in loco non sit, in loco enim cuncta sunt, locus autem in loco esse ipse non poterit. Dicendum est quoniam idcirco superficies et soliditas et linea habere positionem par-

tium dicuntur, quod in loco sint, et partes permaneant, et sint continuæ. Quare multo magis ipse locus, cujus neque partes pereunt, et sibi perpetue continuatimque conjunctæ sunt, habere positionem partium dicitur. Et de his quidem quæ ex habentibus positionem ad se invicem suis partibus constant hæc dicta sint ; quæ vero non habent positionem ipse rursus adjecit.

In numero autem non poterit quisquam ostendere quemadmodum particulæ ejus positionem aliquam ad se invicem habeant, aut ubi sitæ sint, aut quæ particulæ ejus ad se invicem nectantur. Sed neque illæ quæ temporis sunt, non enim permanent particulæ temporis, quod autem non est permanens, quomodo positionem aliquam habebit, sed magis quemdam ordinem particularum tempus habere dices, ut aliquid quidem prius sit temporis, aliud vero posterius. Sed et de numero similiter, eo quod prius numeratur unum quam duo, et duo quam tria, et ita habebunt quidem quemdam ordinem, positionem vero non multum accipies. Sed et oratio similiter, non enim permanent particulæ ejus, sed et dictum est et non amplius sumi hoc, quapropter non erit positio particularum ejus, siquidem nihil permanent. Alia itaque constant ex particulis quæ in eis sunt positionem ad se invicem habentibus, alia autem ex non habentibus positionem.

Hæc scilicet idcirco nullam positionem ad se invicem partium retinent, quod his aliquid de supradictis rebus deesse manifestum est. Numerus enim ipse discretus est, nec partes ejus ad se invicem conjunguntur, sed omnino discretæ sunt. Atque idcirco non est ex iis quæ habent ad se invicem aliquam partium positionem, nec vero possis ostendere qui numerus quo loco jaceat : habere autem positionem dicitur, quod (ut dictum est) et in loco aliquo positum est, et ipsa positio manentibus partibus constat, et ad se invicem conjunctis continuatisque, ut ubi quæque jaceat, et quæ ad quam continuetur possit ostendi ; in numero vero nihil horum est. Nam neque in aliquo loco esse positus demonstratur, nec ejus partes conjunctæ sunt. Quocirca numero ex tribus his quæ diximus duæ res desunt, loci positio et partium continuatio, tempus etiam quanquam sint ejus partes continuæ, tamen quoniam non permanent, sed semper moventur, semperque prætereunt, habere positionem partium non dicitur. Semper enim veloci agitatione torquetur, et currentis aquæ more in nulla unquam statione consistit, quod quia partes ejus non permanent, ex habentibus ad se invicem positionem suis partibus constare non dicitur. Sed hæc quanquam positionem partium habere non possunt, tamen habent ordinem quemdam, quem præter positionem partium tantum retinent. Dicimus enim priorem esse binarium quam ternarium, atque hunc quam quaternarium, et in tempore nimirum idem ordo revertitur. Posterius enim futurum præsente, præsensque præterito. Quocirca etsi hæc non habent aliquam partium positionem, retinent tamen ordinem. Quod vero dicit, positionem vero non multo accipies, tales est ac si diceret, penitus non accipias. Multum enim pro omnino videtur adjunctum, ac si diceret positionem vero non omnino accipies, idcirco quod ipsa quidem continuatio dat aliquam imaginem, quod possit habere aliquam partium positionem, sed hoc minime est, idcirco quod quamvis sint continuæ quantitates, si tamen uno careant ex his quæ superius dicta sunt, positionem partium habere non possunt. Nam aqua quam fistula evomit, dum cadit quidem retinet positionem ; cum vero jam effusæ undæ se miscuerit, positionem partium perdit : et fluvius quoque quando in pelagus fluit, et positionem videtur habere partium et esse continuus, cum nondum marinæ aquæ fluvii superficies ipsa permista est ; cum vero extremitas amnis marina alluvione contingitur, totam sine dubio positionem videtur amittere. Oratio quoque similiter sese habet ; nam nec ipsa ullo loco posita est, nec ejus partes ad aliquam conjunguntur, sed a se invicem illæ discretæ sunt, nec cum ejus partes dictæ sunt, permanent, atque hoc est quod ait. Sed dictum est, et non est ultra hoc sumi. Mox enim dicitur sermo, mox præterit, nec ulla ratione poterit permanere, quare mox ut aliquid dictum sit, ejus partes ostendi et demonstratione sumi non possunt. Constat igitur orationem quoque ex his esse quæ positionem partium non habent, de ordine vero dubium est. Nam si quis sermo aliquid significet, ut est Cicero, est in eo quidam ordo quod *ci* syllaba primum dicitur, secunda vero *ce*, tertia *ro*, et potius ex significatione ordinem sumit ; si vero nihil significet, nec ordinem dicitur habere, ut scindapsus nihil quidem significat ; sed sive secundam syllabam primam ponas, sive ultimam primam, sive quomodolibet syllabarum ordinem seriemque permisceas, idem erit : in significativis enim vocibus idcirco esse dicitur, quod illo ordine permutato vis significationis evertitur, hic vero, ubi nulla est significatio, nihil interest quomodolibet jaceant partes. Quare oratio in aliquibus quidem habet ordinem partium, in aliis vero nec ordo ipse poterit inveniri. An fortasse oratio dici non potest quæ nihil significat, et nulla est oratio, quæ ordinem non habeat ? Ergo secundum priorem quantitatis divisionem, ubi dicebatur quantitatis alia esse continua, alia vero discreta, quinque sunt continua, duo vero discreta. Continua quidem linea, superficies, soliditas, locus, tempus. Discreta vero numerus et oratio. In hac vero secunda divisione qua dicit alias quantitates ex habentibus ad se invicem positionem constare partibus, quatuor quidem sunt quæ retinent positionem, id est linea, superficies, corpus, locus ; tria vero quæ positionem non habent, sed ex his duo semper ordinem retinent, tempus scilicet et numerus. Oratio vero si quid significet, habet ordinem ; si vero nihil significet, inordinata est ; si tamen oratio nihil significans dici possit, his dictis ipse concludit dicens : Igitur alia ex habentibus ad se invicem partibus positionem constant, alia vero ex non habentibus positionem. Hac igitur divisione finita

transit ad cætera monstrans quæ proprie quantitates nuncupatur quæ secundum accidens.

Propriæ autem quantitates hæ solæ dicuntur quas diximus,alia vero omnia secundum accidens, ad hæc enim aspicientes et alia dicimus quantitates,ut multum dicitur album, eo quod superficies multa sit, et actio longa, eo quod tempus multum sit, et motus multas,neque enim horum singulum per se quantum dicitur, ut si quis assignet quanta sit aliqua actio, tempore diffiniet,anni mensuram vel sic aliquo modo assignans.Et album quantum sit assignans, superficie diffiniet.Quantum enim superficies fuerit,tantum esse album dicet. Quare solæ propriæ et secundum seipsas quantitates dicuntur quæ dictæ sunt,aliorum vero nihil per se, sed per accidens.

Principaliter aliquid esse dicitur,quod per se tale est quale esse demonstratur. Secundum accidens vero illud quod non per se, sed per aliud tale est quale esse dicitur,ut albedini per se inest color :secundum naturam enim albi, color esse dicitur albedo;cum vero homo dicitur coloratus, non per se dicitur,idcirco quod homo in eo quod homo est,color non est, sed quoniam habet colorem, idcirco dicitur coloratus. Ergo quemadmodum album idcirco color est per se quoniam color naturale quoddam est genus,homo vero idcirco coloratus dicitur quoniam habet colorem; et dicitur album quidem per se et principaliter color,homo vero secundum accidens coloratus. Ita quoque et quantitates; hæc enim omnia quæ dicta sunt, id est linea, superficies, corpus, numerus, oratio, tempus, per se et secundum et propriam naturam quantitates dicuntur. Si qua vero alia dicuntur secundum aliquam quantitatem, non per se,sed secundum accidens nominantur:ut album dicitur multum,non idcirco quod albedo sit quantitas,sed quoniam multa sit superficies,in quo illud album sit.Si enim multum spatium fuerit in quo album sit, multum erit album ; quocirca non quoniam ipsa albedo per se aliquam quantitatem habet,sed quoniam in aliqua quantitate est constituta,id est in superficie,idcirco secundum superficiem quod est quantitas quæ scilicet per se multa est,album multum dicitur,non secundum se,atque ideo album non per se,nec principaliter, sed secundum accidens multum dicitur. Actio quoque ideo dicitur longa, quod multo tempore acta sit;multam vero ægritudinem idcirco dicimus,si eadem multo sit tempore;et motum multum idcirco, quod multo tempore factus sit, ut si quis multo tempore currat. Si quis vero multum cursum illum dicat esse qui sit velocissimus, ille convenienter sermone non utitur. Velocitas enim non quantitas, sed potius qualitas est,quales enim secundum eam dicimur,id est veloces, non quanti. Secundum quantitatem vero multum dicitur, hoc autem monstrat ipsa rerum diffinitio; si quis enim album multum monstrare desideret,et proprio termino rationis includere, illi dicendum est multum esse album quod in multa jaceat superficie,et motum atque actionem multam quæ longo tempore perficiatur;quare quoniam ad proprias quantitates aspicientes, atque ad eas res cæteras referentes, quantitates vocamus,ut album ad superficiem quæ vera est quantitas,et cursum, et aliquem motum atque actionem ad tempus,quod ipsum vere quantitas est reducimus,hæc non per se quantitates, sed per eas quæ proprie quantitates dictæ sunt nominantur. Quocirca quoniam quod per se non est, secundum accidens est,recte cætera omnia præter ea quæ superius in quantitate numerata sunt per accidens esse, non per se quantitates dicuntur. Solæ igitur proprie et secundum se ipsæ quantitates dicuntur. hæ quæ superius comprehensæ sunt.Aliæ vero per se quantitas non sunt, sed (ut ipse ait) forte per accidens.Post divisionem igitur continui atque discreti et habentis positionem partium et non habentis,et quæ sunt per se principaliter, et rursus per accidens quantitates, solito more viam inveniendi quantitatum proprietas ingreditur.

Amplius quantitati nihil est contrarium,in definitis enim manifestum est quoniam nihil est contrarium: ut bicubito,vel tricubito,vel superficiei, vel alicui talium,nihil enim ipsis est contrarium.Nisi forte quis multa paucis dicat esse contraria,vel magnum parvo, horum autem nihil est quantitas,sed magis ad aliquid;nihil enim per seipsum parvum vel magnum dicitur, sed eo quod ad aliud refertur : nam mons quidem parvus dicitur, milium vero magnum, eo quod hoc quidem sui generis majus sit,illud vero minus sui generis; ergo ad aliud est eorum relatio, nam si per seipsum magnum vel parvum diceretur,nunquam mons quidem parvus,milium vero magnum diceretur.Rursus in vico plures homines esse dicimus, in civitate paucos, cum tamen sint eis multo plures, et in domo quidem multos, in theatro vero paucos, cum tamen sint plures.Amplius bicubitum vel tricubitum et unumquodque talium quantitatem significat, magnum vero vel parvum non significat quantitatem,sed magis ad aliquid,quoniam ad aliud spectat magnum vel parvum, quare manifestum est quoniam hæc ad aliquid sunt. Amplius sive ponat aliquis hæc esse quantitates, sive non ponat,nihil ipsis, contrarium est. Quod enim non potest sumi perseipsum,sed ad solam alterius relationem refertur,quomodo huic aliquid erit contrarium ? Amplius si erunt magnum et parvum contraria, continget ipsum idem simul contraria recipere,et ea ipsa sibimet esse contraria.Contingit enim idem ipsum simul et parvum esse et magnum, est enim aliquid ad hoc quidem parvum, ad aliud vero hoc idem ipsum magnum. Quare idem parvum et magnum in eodem tempore esse contingit, quare contraria simul suscipiet.Sed nihil est quod videatur simul contraria posse suscipere;ut substantia susceptibilis contrariorum quidem esse videtur,sed nullus simul et sanus est et æger, nec albus et niger simul est, nihilque aliud est quod simul contraria suscipiat. Et eadem sibiipsi contingit esse contraria,nam si est magnum parvo contrarium ipsum autem idem simul est et parvum et magnum,

ipsum sibi erit contrarium. Sed impossibile est idem sibi esse contrarium, non est igitur magnum parvo contrarium, nec multa pauci. Quare etiamsi non relativorum hæc aliquis dicat,sed quantitatis,nihil habebunt contrarium.

Definita quantitas est quæ alicujus termino numeri coercetur,ut sunt duo,vel tres,et quæ ad hunc modum dicuntur,ac si dicas bicubitum,tricubitum, et cætera. Et quæ aliquid propria significatione definita sunt,ut est superficies et soliditas,quid enim et quæ quantitates dicantur,agnoscitur : quocirca harum, quoniam sunt diffinitæ,nulla ulli contraria est; neque enim bicubito tricubitum contrarium est,sicut neque numerus ulli numero,at vero nec superficies soliditati,nec aliquid horum.Sed quoniam quædam indefinita imaginem quamdam quantitatis ostendunt ut magnum et parvum,quæ videntur esse contraria, hæc sibi Aristoteles opponit dicens non esse quantitates,sed magis ad aliquid, quod ipsius sermonibus astruamus.Sed non est hoc proprium quantitatis non habere contraria,non enim omnis quantitas contrariis caret,sed nobis per singula quæque currentibus quæ quantitatis species contraria non habeant,quæve habeant,considerandum est Linea quidem contrario caret, linea enim lineæ contraria non est;sed si quis dicat rectam lineam curvæ lineæ esse contrariam, fallitur.Non enim in eo quod linea est, curva linea rectæ lineæ contraria est,sed in eo quod curva est, et in his non lineæ videntur esse contrariæ, sed ipsa rectitudo et curvitas.Quare non in eo quod quantitas est, linea curva rectæ lineæ contraria est,sed in eo quod qualis. Nam quoniam curvitas et rectitudo contraria sunt, secundum id quod curva et recta est linea, non secundum quod lineæ sunt,suscipiunt contrarietatem ; quocirca linea in eo quod linea est contrario caret. At vero nec superficies superficiei contraria est.Sed forte dicat aliquis albam superficiem nigræ superficiei esse contrariam;cui similiter occurrendum est,in eo quod superficies sunt non esse contraria,sed in eo quod est in his albedo atque nigredo,quæ contraria esse quis dubitat?Eadem quoque modo et lenem et asperam superficiem si quis contraria dixerit, refellitur, quod non secundum quantitatem superficiei, sed secundum qualitatem asperitatis lenitatisque ipsæ superficies contrarium tenent.At vero nec corpori quidquam ullo modo contrarietatis opponitur, cui si qui dicat incorporale esse contrarium,refutabitur,quod omnis contrarietas propriis nominibus dicitur,ut bonum malum,album nigrum;corporale vero et incorporale non secundum contrarietatem,sed secundum privationem habitumque proferuntur.Incorporale enim corporis est privatio.Nec tempori quoque quidquam contrarium est,sed si nox diei videtur opposita,non in eo quod tempus est, sed in eo quod dies est aer lucidus, nox aer obscurus. Aer vero neque tempus neque quantitas est,lumen quoque et obscuritas qualitates sunt et non quantitates. Oratio etiam quanquam videatur habere contrarium.

A tamen contrariam non habet oppositionem,v etiam vera oratio esse et falsa, quæ sunt con sed oratio vera et falsa in significatione est enim quod est oratio significat,vera est; cun quod non est designat, tunc falsa est. Oratic non secundum id quod significat in quantitate ratur,sed secundum id quod profertur. Secu enim id quod proferimus orationem, longa s brevique componitur,quæ omnem orationem r cundum id quod ipsa significat, sed secund quod ad prolationem est, metiuntur. Illud q manifestum est in numero non esse contrari enim tribus,vel tres quaternario contrarii non nec ullus alter numerus cuilibet alii numero c rius est. Locus vero habet aliquam contrariet

B sursum enim et deorsum contrarium est.Sed q volunt non esse quantitatis quod sursum dici deorsum,sed potius habitudines,quas Græci e vocant:quæ enim pars ad caput nostrum est, sursum vocamus ; quæ pars pedibus subjac deorsum dicitur ; quocirca secundum habitu quamdam quodammodo ad nos ipsos relata s deorsumque prædicamus.Herminius quoque s sum et deorsum non esse loca,sed quamdam dammodo positionem loci.Est enim res sursu que deorsum,non est autem idem esse aliqui quod locum,loci enim est positio in loco,locu ipse positio non est.Sed si quis omnem mundi ciat figuram,quomodo rerum omnium formam ræ ambitus amplectitur,et terra media est,in s vero nihil est ultimum,nisi quod ejusdem terr

C medietatis obtinuit,quidquid in extremo cœ vexitatis est,illud sursum esse dicet, quod ve medium,illud deorsum.Quocirca sunt secund cum sursum deorsumque contraria,sursum in deorsum in terra,idcirco quod a se longe dis sunt, unde post quoque contraria hoc modo diffinita.Contraria sunt quæcunque a se longi distant:hinc est videlicet tracta diffinitio,quo niam cœlum terraque distant,longissime dist debantu, et illud esse sursum, hæc vero deo quoniam deorsum atque sursum non ob aliar sam contraria dicuntur,nisi quod a se longe d cta sunt, quod esse contrarium longissime d diffiniunt,quod Aristoteles hoc modo pronunt

Maxime autem circa locum videtur esse con

D *tas quantitatis, sursum enim ad id quod est de contrarium ponunt, locum qui est in medio de dicentes.eo quod multa distantia medii ad ter mundi sit, videntur autem et aliorum contrar diffinitionem ab his proferre, quæ enim a se in multum distant eorum quæ sub eodem gener contraria determinant.*

In omni enim sphæra media terra est,quo astrorum demonstrat ordinata vertigo,adjeci que causam cur hujusmodi loca contraria dic quod multa distantia est medietatis ad mundi t nos.Terminos vero mundi cœli ultimam conv tem dicit;ex hac igitur loci contrarietate et c

definita esse contraria sic demonstrat. Videntur autem et aliorum contrariorum diffinitionem ab his proferre, quæ enim multum a se distant in eodem genere contraria esse diffiniunt. Sed quoniam ne ordo contrarietate quantitatis impediretur, idcirco superioribus, in quibus singulis quantitatibus nihil esse contrarium dicebamus, has loci contrarietates adjecimus, et quædam in medio prætermissa sunt, rursus ad superiora redeamus, ut expositionis ordo sese ipse contineat. Ait enim superius, cum quantitati nihil esse contrarium proponeret, bicubito, vel tricubito, vel superficiei, vel aliqui talium nihil posse esse contrarium. Diffinitis enim his quantitatibus, contrarium nihil esse videtur, ut duobus vel tribus, sed quædam cum sint indefinita, nec quantitates et contraria videantur, hæc rursus adjecit. Nisi multa paucis dicat quis esse contraria, vel magnum parvo. Horum autem nihil est quantitas, sed ad aliquid, nihil enim per seipsum magnum dicitur vel parvum, sed ad aliquid refertur. Nam mons quidem parvus dicitur, milium vero magnum, eo quod hoc quidem sui generis majus sit, illud vero sui generis minus. Ergo ad aliud est eorum relatio, nam si per seipsum parvum vel magnum diceretur, nunquam mons quidem aliquando parvus, milium vero nunquam magnum diceretur. Rursus in vico quidem plures homines esse dicimus, in civitate vero paucos, cum tamen sint eis multo plures, et in domo quidem multos, in theatro vero paucos, cum sint plures. Amplius bicubitum et tricubitum et unumquodque talium quantitatem significat, magnum vero vel parvum non significat quantitatem, sed magis ad aliquid, quoniam ad aliquid spectatur magnum et parvum; quare manifestum est quod hæc ad aliquid sunt. Quemadmodum diffinitæ quantitates contrariis non tenentur, ipse superius comprobavit dicens bicubito vel superficiei nihil esse contrarium, indefinitæ vero, ut est magnum et parvum, multa et pauca, dant imaginem contrarietatis. Sed illud occurrit, has non esse quantitates. Omnis enim quantitas per se dicitur, bicubitum enim et tricubitum, et duo, et tres, et superficies ad nihil aliud refertur, magnum vero vel parvum sine aliis dici non possunt. Cum enim dicis magnum, ad alicujus alterius comparationem atque æquationem refertur. Eodem quoque modo et parvum, quod ipsa Aristotelica probat inductio. Si enim magnum et parvum per se dicerentur et non ad alterius relationem, nunquam diceremus montem parvum et milium magnum. Si enim magnum parvumque non ad relationem alterius diceretur, mons semper magnus, semperque parvum milium diceretur. Sed aliquem collem ad Atlantis altitudinem conferentes, dicimus parvum montem, et rursus milium ad minora alia grana milii conferentes, magnum milium nominanus, et simpliciter quidquid magnum vel parvum dicitur ad ejusdem generis speciem referentes, magnum parvumque nominanus, ut monti montem comparamus, milium vero milio, et alia hujusmodi. Multa et pauca eodem modo dicuntur; dicimus enim, si fuerint homines centum in vico, pures esse homines. At vero si in civitate sint, paucos dicimus, nunc ad parvitatem vicorum, nunc ad magnitudinem civitatum conferentes. Rursus si sint in domo quinquaginto, multi sunt, si in theatro pauci, ideo quod tunc in theatro esse paucos dicimus cum ad eos quanti in theatro esse debebant comparamus. Amplius, quoniam consistit magnum parvumque referri semper ad alterum, singulas vero quantitates nihil ad aliud comparantes, suas ac proprias nominanus, ut tres, duo, quator, lineam, superficiem, magnum parvumque, multa et pauca, a quantitatis divisione disjuncta sunt. Sunt enim ista non quantitates, sed potius relativa. Amplius, sive aliquis ponat eas esse quantitates, sive non ponat, nihil illis erit contrarium, quod enim non est sumere per seipsum, sed ad solam alterius relationem, quomodo huic aliquid erit contrarium. Hoc quoque validissimo argumento probatur quantitatibus his quæ prædictæ sunt nihil esse contrarium, nisi soli forsitan loco. Nam si quis magnum et parvum, vel multa et pauca in quantitatibus ponat, etiam hoc si concedatur, tamen quoniam semper referuntur ad aliud, contrariis non tenentur. Omne enim contrarium per se consistit, ne illud ad alterius comparationem relationemque profertur, ut bonum non dicitur mali bonum, nec rursus malum boni malum, sed ipsum in propria natura et prolatione consistit. Quæcunque sunt contraria, eodem modo sunt. Magnum vero et parvum quoniam non per se constant, sed ad alterius relationem referuntur, contraria esse non possunt. Amplius, si sunt magnum et parvum contraria, contingit idem simul contraria suscipere et ea ipsa sibi esse contraria. Contingit enim simul idem parvum esse et magnum. Est enim aliquid ad hoc quidem parvum, ad aliud vero hoc idem ipsum magnum. Quare idem parvum et magnum et eodem tempore esse contingit, quare simul contraria suscipiet, sed nihil est quod videatur simul contraria posse suscipere, ut substantia, susceptibilis quidem contrariorum videtur esse, sed non suscipit in uno eodem tempore, nam nullus simul est sanus et æger, nec albus et niger simul, nihilque aliud simul contraria suscipiet. Et eadem sibi ipsi contingit esse contraria. Nam si est magnum parvo contrarium, ipsum autem idem simul est parvum et magnum, ipsum sibi erit contrarium, sed impossibile est ipsum sibi esse contrarium. Non est igitur magnum parvo contrarium. Constat hoc et immutabile in propria ratione consistit, unam eamdemque rem uno eodemque tempore contraria non posse suscipere, ut substantia susceptibilis quidem contrariorum est. Homo namque cum substantia sit, et ægritudinem suscipiet et salutem, sed non eodem tempore, et albedinem et nigredinem capit, sed alio atque alio tempore, ut vero uno eodemque tempore contraria utraque suscipiat, fieri nequit, quod si magnum parvo aliquis contrarium ponat, eveniet quoddam impossibile, ut una atque eadem res eodem tempore utrasque suscipiat contrarietates, et eadem ipsa sibi possint esse contraria. Ponamus enim magnum parvo

esse contrarium, sed una atque eadem res, uno eodemque tempore potest magna esse et parva, ut si sit decem pedum mensura collata ad duorum pedum magnitudinem, magna est ad centum vero cubitorum magnitudinem mensuramque collata, eadem parva est. Potest ergo eadem res eodem tempore et magnitudinis esse susceptibilis et parvitatis. Eadem enim res uno eodemque tempore ad majorem minoremque collata eadem magna et parva est. Quod si magnum parvo contrarium est, eadem vero res eodem tempore et magnitudinem suscipit et parvitatem, eodem tempore contingit ut eadem res contraria utraque suscipiat, sed hoc impossibile est. Quocirca quoniam res eadem eodem tempore contrariorum susceptibilis non est, potest vero una atque eadem res magnitudinem parvitatemque suscipere, magnitudo et parvitas contraria non sunt. At vero si quis magnum parvo contrarium ponat, eadem ratione unam eamdemque rem sibi ipsi dicit esse contrariam. Nam si parvum magno est contrarium, eadem vero res (ut docui) parva et magna potest esse ad aliud et ad aliud scilicet comparata. Res quæ parva et magna est, eadem sibi potest esse contraria, parvum enim et magnum contrarium dictum est, sed est impossibile. Quocirca parvum et magnum contraria non sunt. Post hujusmodi vero rationem et argumentationis firmissimæ propositionem de contrarietate disserit loci, de qua superius jam diximus, quocirca prætereunda est, ne repetitæ expositionis iteratio, fastidio sit potius quam doctrinæ.

Non videtur autem quantitas suscipere magis et minus, ut bicubitum, neque enim est aliud alio magis bicubitum, neque in numero, ut ternarius quinario: nihil enim magis tria dicentur quam quinque, nec tria potius quam tria, neque tempus aliud alio magis et minus dicitur, nec in his quæ dicta sunt, magis et minus omnino dicitur. Quare et quantitas non suscipit magis et minus.

Aliud proprium rursus apposuit quod quamvis qaantitatis proprium non sit, cur tamen non sit ipse reticuit, nobis tamen est demonstrandum; quod autem dicit tale est: quantitas magis et minus non suscipit, nullus enim numerus alio numero nec magis nec minus est numerus. Nam ternarius si quinario comparetur, nec magis nec minus est numerus, et rursus ipsi tres sibiipsis comparati, nec magis nec minus sunt tres, nec tempus quoque habet aliquid magis et minus, ut magis aliud tempus sit alio tempore, longius quidem tempus tempore esse potest, ut vero dicatur magis tempus alio tempore vel minus fieri nequit. Hoc quoque etiam in substantia demonstratum est, homo nanque alio homine non est magis homo, nec minus. Idem quoque evenit etiam in quantitate. Quod quia etiam in substantia est, proprium quantitatis hoc non est, habet hoc quoque quantitas ut in sequenti ordine ipse monstravit. Quocirca quoniam prius hoc de substantia dixerat, nunc vero idem de quantitate proposuit, idcirco non esse hoc proprium quantitatis, commemorare neglexit. Cujus enim esset alterius non suscipere magis et minus, tunc dixit A cum de substantia disputaret. Ait enim quod substantia nunquam magis minusve suscipient, quocira ad maxima propria solita constituendi ratione regressus est.

Proprium autem maximæ quantitatis est, quod et æquale et inæquale dicitur: Singulum enim earum quæ dictæ sunt quantitatum æquale dicitur et inæquale, ut corpus et æquale et inæquale dicitur, et tempus æquale et inæquale dicitur, et numerus æqualis et inæqualis dicitur, et oratio æqualis et inæqualis. Similiter autem et in aliis quæ dicta sunt, singulum et æquale et inæquale dicitur. In cæteris vero quæ quantitates non sunt, non multum videbitur æquale et inæquale dici, nam affectio et dispositio æqualis et inæqualis non multum dicitur, sed magis similis et dissimilis, et album æquale B *et inæquale non multum dicitur, sed simile. Quare quantitatis maximæ est proprium æquale et inæquale dici.*

Quantitatis proprium apertissime designat esse, quod secundum quantitatem æqualitas et inæqualitas nuncupatur. Singulæ enim quantitates æquales atque inæquales dicuntur, ut æqualis linea lineæ, et rursus inæqualis, et superficiei superficies æqualis atque inæqualis dicitur, et corpus æquale et inæquale dicitur. Numerus quoque et tempus et locus æqualis atque inæqualis dicitur. In aliis autem quæ quantitates non sunt, non est facile ut æqualitas vel inæqualitas nominetur, dispositiones ergo quæ affectiones appellantur, non dicuntur æquales vel inæquales, sed magis similes et dissimiles. Dispositio autem vel affectio est ad aliquam rem accommodatio et applicatio, ut si C quis grammaticam legens, qui nondum perdidicit, habet ad eam aliquam dispositionem, id est, ea affectus est, et habet aliquid accommodatum, et quasi propinquum. Possunt autem similiter esse duo dispositi et affecti, æqualiter vero minime, ut duo similiter esse albi, æqualiter vero non. Nam si quis de duobus similiter albis æqualiter esse albos dicat, recta nominis nunc usurpatione non utitur. Omne enim æquale et inæquale, in mensura et in quantitate perficitur. Simile vero et dissimile quemadmodum de quantitate non dicitur, ita nec de alia qualibet re nisi de quantitate, recte æqualitas et inæqualitas nuncupantur. Quare proprium est quantitatis æquale et inæquale nominari, sed quoniam de quantitate dictum est, ad relativorum ordinem transeamus. Post D quantitatis tractatum tertium prædicamentum de relativis ingreditur, quare relativa hoc modo diffinit.

DE RELATIVIS.

Ad aliquid vero talia dicuntur, quæcunque hoc ipsum quod sunt aliorum esse dicuntur, vel quomodolibet aliter ad aliud, ut majus id quod est alterius dicitur, aliquo enim majus dicitur, et duplum alterius dicitur hoc ipsum quod est, alicujus enim duplum dicitur. Similiter autem et alia quæcunque sunt hujusmodi.

Cur autem de his quæ sunt ad aliquid disserat, omisso interim de qualitate tractatu, hæc causa est, quod posita quantitate magis minusve esse necesse est. Quare cum quantitatem continuo ad aliquid consequatur, recte post quantitatem relativorum series

est sensum sensibilis rei esse sensum,quod res sensibilis est quæ sentiri potest; est ergo habitus habilis rei habitus Habilis enim res est quæ haberi potest, illius enim rei habitus est quæ haberi potest.Quocirca erit habitus habilis rei habitus,sed res quoque habilis habitu erit habilis,ipso enim habitu res quæ haberi possunt habemus.Dispositio quoque eodem modo. Dispositio namque dispositæ rei dispositio est, et disposita res dispositione disposita est. Caloris enim dispositio calentis,id est,ad calorem dispositi, dispositio est. Eodem modo dispositus ad calorem caloris dispositione dispositus est: velut si hoc modo sit dictum,omnis affectio affecti affectio est,et omne affectum affectione affectum est.Et calor calentis fit calor, et calens calore fit calidum. Positio quoque relativa est, nam positio positæ rei positio est, et posita res positione posita est,et hoc intelligi convenit secundum priorem habitus et dispositionis modum.Illa quoque res probat positionem esse ad aliquid, quod ejus species relativæ sunt; statio enim stantis rei statio est, et qui stat statione stat; et de sessione quidem et de accubitu idem dici potest. Quocirca et habitus et dispositio vel affectio,et positio relativa sunt, et hæc omnia vel similibus vel dissimilibus convenientibus tamen prædicationi casibus convertuntur. Eorum autem quæ secundum casus convertuntur, alia sunt quæ eodem nomine prædicantur,alia vero quæ dispari: cum enim dico simile simili simile est,et æquale æquali æquale est, et dissimile dissimili dissimile est,eisdem vocabulis eisdemque nominibus tota fit prædicatio.Cum autem dico duplum medii duplum,vel majus minore majus, disparibus vocabulis facta est prædicatio.Quoniam vero relativorum diffinitionem ita proposuit,ut diceret: ad aliquid vero talia dicuntur quæcunque hoc ipsum quod sunt aliorum dicuntur,vel quomodolibet, aliter ad aliud;quid esset hoc ipsum quod sunt aliorum dicuntur, jam diximus nunc quid sit; quod ait, vel quomodolibet aliter ad aliud,requirendum est. Quod ipse Aristoteles convenientibus in ordine probat exemplis; ait enim.

Ad,aliquid ergo sunt quæcunque id quod sunt aliorum esse dicuntur, vel quomodolibet aliter ad aliud, ut mons magnus dicitur ad alium.Magnum enim ad aliquid dicitur, et simile aliqui simile dicitur, et omnia talia similiter ad aliquid dicuntur.Sunt autem et accubitus et statio et sessio,positiones quædam; positio vero ad aliquid dicitur.Accumbere autem,vel stare vel sedere,ipsa quidem non sunt positiones,denominative vero dicuntur ab iis quæ dictæ sunt positionibus.

Quoniam accubitus et statio et sessio positiones dicuntur,et quoniam omnis positio ad aliquid est, sufficienter superius comprehensum est.Nunc vero quid sit quod ait,vel quomodolibet aliter ad aliud, expediemus, in relatione per quam dicimus filius patris filius,nulla conjunctio mista est,nisi tantum sola casuum vis prædicationis hujus membra conjungit.Cum autem dico montem magnum,ad alium referens parvum,ita propono,mons magnus,ad montem parvum,et mons parvus ad magnum,hic nullo rum casuum vis: quanquam enim accusativus videtur esse permistus,tamen ille hujus relationis vim non tenet,sed præpositio quæ ad accusativum datur; cum enim dico,mons magnus ad parvum montem, præpositio sola est quæ vim hujus continet relationis, ut si quis dicat magnus mons parvum montem,nihil significet definitum.Quocirca quamvis accusativus casus in hac propositione sit, non tamen hic vim casus tenet,sed præpositio; atque hoc est quod ait, vel quomodolibet aliter ad aliud,ut quoniam superius secundum casus relationes fieri dixerat,erant autem quædam relationes quæ nullis casibus tenerentur,adjecit hoc,vel quomodolibet aliter ad aliud, ac si diceret: Omnis relatio aut casibus fit, quod per hoc demonstravit quod ait,quæcunque id quod sunt aliorum dicuntur,aut præter casus sunt,quod hæc sententia docet,vel quomodolibet aliter ad aliud, atque hæc hactenus.Sed cum positio sit ad aliquid, et sint species ejus relativæ (sessio enim et statio relativa sunt),sedere et stare nulla relatio est.Stare namque et sedere de statione et sessione denominative dicuntur.Omnis autem denominatio non est id quod est ea res de qua nominatur,ut grammaticus, non enim idem est quod grammatica de qua nominatus est.Quocirca si sedere de sessione,et stare de statione denominativum est, sessio vero et stati relativa sunt.sedere et stare, quæ a relativis denominativa sunt,relativorum genere non tenentur.Et universaliter, quidquid ex quibuslibet positionibus denominatur,illud non ad relativa,sed ad prædicationem quæ situs dicitur reduci potest.

Inest autem et contrarietas in relatione, ut virtus vitio contraria est, cum sit utrumque ad aliquid, et scientia inscientiæ.Non autem omnibus relativis inest contrarietas, duplici enim nihil est contrarium,neque triplici, nec talium ulli.

Quemadmodum in substantia vel quantitate si eorum esset proprium contraria suscipere rimatus est, ita quoque nunc in relativis de contrarietate considerat,utrum relativorum sit proprium contraria posse suscipere,et quoniam virtus et vitia utraque sunt habitus,virtus enim est mentis affectio in bonam partem,et difficile commutabilis,vitium affectio in malam partem,ipsa quoque difficile mobilis et diuturnitate perdurans: quoniam igitur et vitium et virtus habitus sunt,omnis autem habitus ad aliquid esse monstratus est (habilis enim rei habitus est)erunt virtus atque vitium relativa,sed hæc contraria sunt,igitur relativa contraria suscipere non recusant.Sed si dicat quis: quid causæ est ut virtutem atque vitium ipsumque habitum paulo post inter qualitates numeret? Atqui ut alia significatione una res diversis generibus supponatur, nihil prohibet, Socrates namque in eo quod est Socrates substantia est,in eo quod pater vel filius ad aliquid; ita ad aliud atque ad aliud ducta prædicatione eamdem rem sub diverso genere nihil poni prohibet.Habitus quoque et virtus et vitium eodem modo est.Potest enim in

qualitate poni habitus quod ex eo quales homines nuncupentur, habentes enim dicimus aliquos rei habitus retinentes. Virtus quoque qualitas est idcirco quod ex eo boni homines dicuntur et secundum illam qualitatem, id est bonitatem, quales homines, id est bonos homines nuncupamus; similiter autem et vitium. Ipse quoque habitus ad aliam prædicationem dictus fit iterum relativus: quod enim habitus habilis rei habitus est, ad aliquid est; et quod alicujus virtus est, ad aliquid virtus est, et quod alicujus vitium est, ad aliquid quoque ipsum est. Ergo nihil impedit easdem res ad aliud atque aliud versas diversæ prædicationi substitui. Ipsum vero ad aliquid præter ullum aliud prædicamentum intelligere non possumus, ut patrem et filium, dominum et servum secundum substantiam consideramus. Nam et qui dominus et qui servus est, substantia est. Duplum et triplum secundum quantitatem, hæc enim in quantitate consistunt, scientia vero et inscientia secundum qualitatem. Secundum enim has quales dicimur, scientes scilicet atque inscii. Quocirca quoniam præter aliud prædicamentum per se relativa nullus intelliget, secundum ea prædicamenta de quibus intelligitur relatio, secundum ea dicitur contraria posse suscipere: ut Socrates ipse quidem substantia est, sed substantia contrarium non recipit. Pater vero atque filius secundum substantiam prædicatur, non est enim pater atque filius nisi in substantia sit. Quocirca quoniam secundum substantiam dicitur, contrarietate caret. Rursus duplum vel dimidium secundum quantitatem dicitur, quantitas vero contraria non habere monstrata est; igitur nec duplum atque dimidium contrariis pugnat. Qualitas vero recipit contrarietatem; bonum enim et malum secundum qualitatem opponuntur, bonum igitur et malum contrariis non carent. Igitur secundum quæ prædicamenta relativa dicuntur, si illa suscipiunt contraria, et relatio suscipit. Sin vero illa prius repudiant contrarietatem, nec illud ad aliquid quod secundum ea dicitur ulla unquam contrarietate dividitur. Quare habere contraria relationis proprium non est, nam neque in sola relatione est (habet enim hoc quoque qualitas), nec in omnibus ad aliquid considerari potest. Quæ enim secundum talia prædicamenta dicuntur ad aliquid quæ non recipiunt contrarietatem, ut secundum substantiam pater et filius, vel secundum quantitatem duplum et medium, in talibus relativis contraria nullo modo reperiuntur. Quod vero neque soli neque omnibus inest, hoc proprium non est; non est igitur proprium relationis habere contraria.

Videntur autem magis et minus relativa suscipere: simile enim et dissimile magis et minus dicitur, et æquale et inæquale magis et minus dicitur, cum utrumque sit relativum, simile enim alicui simile dicitur, et inæquale alicui inæquale. Non autem omnia relativa suscipiunt magis et minus, duplex enim non dicitur magis et minus, duplex, nec talium ullum.

Quæritur nunc an relationis sit proprium suscipere magis et minus; sed in hoc illa ratio servatur, quemadmodum in contrariis dictum est. Quoniam quæcunque secundum ea dicuntur quæ contraria non recipiunt, ipsa quoque contrariis carent. In hoc vero cum secundum quantitatem dicatur æquale et inæquale, suscipit et magis et minus. Dicitur enim magis æquale et minus æquale. Eodem modo et simile, magis simile et minus simile dicitur. Sed si forte quis dicat: cur cum quantitatis sit dici æquale et inæquale, et quantitas magis atque minus non suscipiat, æquale et inæquale et intensione crescat et remissione minuatur? Dicendum est quoniam quemadmodum substantia ipsa per se in eo quod substantia est non est proprium, ipsi tamen proprium est contraria posse suscipere, ita et in quantitate consideratur, proprium enim est, non hoc ipsum cujus est proprium, sed quædam alia extrinsecus qualitas passioque. Passio enim qualitatis est, et quædam qualitas æquale et inæquale dici potest: quod quoniam non est idem proprium quod est illud cujus est proprium, et æquale vel inæquale dici, non est quantitas cujus est proprium, sed quædam qualitas et passio quantitatis. Hæc autem dicitur ad aliquid, ipsum enim quod est alterius dicitur, æquale enim æquali æquale dicimus, et similiter simile similis simile. Sed non capiunt omnia relativa magis et minus. Nullus enim potest dicere magis et minus duplum esse aliquid: nam sive denarius ad quinarium comparetur, sive quaternarius ad binarium, æque uterque duplus est, æque uterque medietas. Qualitas quoque recipit magis et minus, dicimus enim magis album et minus album. Quare quoniam neque omni relationi neque soli inest suscipere magis et minus, et per qualitatem relatio suscipit et magis et minus, relationis proprium non est suscipere magis et minus.

Omnia autem relativa ad convertentia dicuntur, ut servus domini, et dominus servi dominus, et duplum dimidii duplum, et dimidium dupli dimidium, et majus minore majus, et minus majore minus, similiter autem et in aliis. Sed casu aliquoties differunt secundum locutionem, ut scientia scibilis rei scientia dicitur, et scibile scientia scibile, et sensus sensibilis sensus, et sensibile sensu sensibile.

Clara hæc est proponentis et non involuta sententia. Dicit enim omnia relativa ad convertentia dici, quod ipse propriis patefecit exemplis. Omne enim ad aliquid ita ad aliud prædicatur, ut illud ad quod prædicatur videatur posse converti, et hoc est quod ait: Omnia relativa ad convertentia dicuntur. Converti autem est, ut si prima res dicitur ad secundam, secunda rursus dicatur ad primam. Ponatur enim primus pater, secundus filius, et dicatur hoc modo, pater filii pater est; id rursus converti potest, ut prius ponamus filium, et talis sit prædicatio, filius patris filius. Ergo pater ad talem dicitur, id est ad filium qui convertitur: et filius qui dicitur ad patrem, ad talem rem dicitur, quæ ipsa quoque convertitur, ut de filio prædicetur. Omniaque relativa hoc modo sunt, omne enim relativum ad tale aliquid prædicatur quod ipsum in prædicatione converti possit. Sed nec omnia dicun-

tur secundum eamdem vocis prolationem. Alia enim sunt quæ eisdem casibus convertuntur, ut dictum est, pater enim filii pater est, et filius patris filius est. Alia vero quæ non eisdem, ut scientia scibilis rei scientia est: hic genitivus est medius. Scibile autem scientia scibile est: hic septimus prædicationem tenet. Alia vero nullo (ut supra dictum est) casu conjuncta sibimet convertuntur, ut mons magnus ad parvum dicitur, et parvus ad magnum. Ergo omnia relativa ad convertentia dicuntur, quamvis non eisdem casibus convertantur, quod ipse ait dicens: Sed casu aliquoties differunt secundum locutionem. Quod vero addidit nimis diligenter adjectum est.

At vero aliquoties non videbitur converti, nisi convenienter ad quod dicitur assignetur. Si peccet is qui assignat, ut ala si assignetur avis, non convertitur avis alæ, neque enim prius convenienter assignatum est, ala avis; neque enim in eo quod avis est, in eo avis ala dicitur, sed in eo quod alata est. Multorum enim aliorum alæ sunt, quæ non sunt aves: quare si assignetur convenienter, convertitur, ut ala alati ala, et alatum ala alatum. Aliquoties autem forsitan et nomina fingere necesse erit, si non fuerit positum nomen, et ad quod convenienter assignetur, ut remus, si navis assignetur, non erit conveniens assignatio. Neque enim in eo quod est navis, in eo ejus remus dicitur, sunt enim naves quarum remi non sunt: quare non convertitur, navis enim non dicitur remi navis. Sed forte convenientior assignatio erit, si sic quodammodo assignetur, remus remitæ rei remus, aut aliquo modo aliter: nomen enim non est positum; convertitur autem si convenienter assignetur, remitum enim remo remitum est. Similiter autem et in aliis, ut caput, convenientius assignatur capitati, quam si animalis assignetur; neque enim in eo quod animal est, caput habet, multa enim sunt animalia quæ capita non habent.

Supra jam de relativorum conversione proposuit, dixitque quidquid est ad aliquid, vel eisdem casibus vel dissimilibus, tamen ad convertentia dici: hoc vero idcirco evenit quod omne ad aliquid esse suum ex alterius habitudine et comparatione trahit; quod si utraque secundum ad aliquid sint opposita, ad aliquid nuncupantur, æquam vim vocabuli nuncupationemque sortita. Nam si pater et filius utrique ad aliquid sunt, si pater ad filium prædicatur, quoniam ad aliquid est, filius quoque, quia ad aliquid est, ad quoddam aliud prædicabitur, sed nullius est filius nisi patris. Ergo hæc vocabula ex alterutra nuncupatione principium sumunt. Quocirca quæ sibi invicem substantiam donant, recte ad se invicem prædicantur, et hoc quidem in omnibus relativis constat intelligi. Sed hujusmodi conversio non uno modo, nec quomodolibet fieri potest; nisi enim convenienter quælibet illa res ad id quod dicitur prædicetur, hujusmodi conversio nulla ratione convertitur. Cum enim dicatur caput animalis caput dici non potest, animal capitis animal. Ergo ita redditum nulla ratione convertitur. Atque hoc est quod ait, non videri in omnibus relativis posse converti, nisi convenienter ad quod dicitur assignetur. Si enim peccet is qui assignat, ut non convenientem prædicationem faciat, conversio non procedit; quæ tamen est ipsa convenientia qua possint semper relativa converti, hujusmodi est. Cum enim dico alam avis esse alam, non convertitur, ut avis alæ sit avis, idcirco quod non est convenienter facta prædicatio: non enim in eo quod avis est, in eo habet alam; multa enim sunt quæ habent alam, aves tamen nullo modo nominantur, ut apes sunt et vespertiliones, et quidquid est aliud tale, habere quidem dicimus alas, eas tamen aves non dicimus. Quare non in eo quod avis est, in eo est ejus ala, sed in eo quod alata est; idcirco enim alam habet, quoniam alata est: et quidquid fuerit alatum, alas habebit. Quare ita facta prædicatio illam conversionem retinet atque custodit, ala enim alati ala est, et alatum ala alatum est. Eodem quoque modo de capite: si quis dicat caput animalis est caput, non convenienter vim prædicationis aptabit; non enim in eo quod animal est, in eo habet caput, multa enim sunt animalia quæ capite carent, ut ostrea, et conchylia, et cætera hujusmodi. Igitur dicendum est caput capitatæ rei esse caput, et capitatam rem capite esse capitatam. Videsne quemadmodum conveniens prædicatio alternam in se vocabuli conversionem reversionemque reddiderit? Ita quoque speculandum est et de alio exemplo quod ipse proposuit. Remus enim si navis remus dicatur, nullo modo convertitur, ut navis remi navis esse nominetur. Sunt enim quædam naves quæ remis penitus non utuntur, ut lintres quas solo subigunt conto, et idcirco non convertitur. Dicendum est igitur remum remitæ rei esse remum, et remitam rem remo esse remitam. Necesse quoque erit nomen fingere, si positum non sit: nam quemadmodum filius patris filius, et pater filii pater, reciproca conversione prædicantur, et utrumque nomen in usu est, sic, si defuerit nomen, ipse tibi aliquid debebis effingere, ut in eo quod est, ala alati ala; alatum enim noviter factum est, et nunquam ante dictum. Quo autem modo possimus nomina ipsa confingere, quoniam necessarium esse posuimus, artem quoque componendi sequenti ordine demonstremus. Sed hoc faciendum est, si prius illud purgavero, quod quidam contra Aristotelem culpandi studio ponunt. Aiunt enim non esse solius relationis ad convertentiam dici. Si quis enim sic dicat: cum sol super terram est, dies est, et cum dies est super terram, sol est, recipiunt hæc quoque conversionem, quæ confessæ a relativorum definitione segregata sunt. Non igitur in solis relativis, inquiunt, cadit ista conversio. Sed Jamblichus duas hujus rei protulit solutiones, unam pervacuam, aliam vero perforem. Ait enim nihil officere ad Aristotelis sententiam, si et alia convertantur; non enim inquit Aristoteles solis hoc relativis esse, sed, omnibus namque hoc relativis inest, nec ulla ratione negari potest: quocirca quoniam non dixit Aristoteles solis hoc inesse relativis, illorum quæstio hujus præclari philosophi sententiam non moratur. Sed hoc potius accidentis est quam naturæ, et ad aliud quodammodo refugium concurrentis potius quam ex ipsa Aristote-

lis auctoritate dictorum ejus aliquod propugnaculum comparantis. Aliam vero attulit causam prorsus gravem : ait enim proprium esse hoc relativorum, non secundum suam nuncupationem, sed secundum aliquam habitudinem, eodem modo converti. Qui enim dicit cum sol est super terram, dies est, et cum dies est, sol est super terram : nullam habitudinem monstrat, sed tantummodo consequentiam ostendit. Consequitur enim super terram solem esse cum dies est, et cum sol superterram cursus agat, diem esse ; cum vero aliquis dicit filius patris filius, et pater filii pater, habitudinem et comparationem et quodammodo continentiam utrorumque declarat. Atque hoc quoque in alia quavis relatione spectare licet. Quocirca quoniam omnia ad aliquid secundum quamdam ad se invicem habitudinem continentiamque dicuntur, secundum continentiam quoque et habitudinem eorum conversio facienda est, qua in re nos quoque graviter dicentis Jamblici auctoritati concedimus. Nunc vero quæ sit ars fingendi nomina sicubi desunt, dicendum videtur, quam ipse Aristoteles his verbis tradit.

Sic autem fortasse quis facile sumet in quibus nomen est positum, si ab his quæ prima sunt his ad quæ convertuntur nomina ponat, ut in his quæ dicta sunt, ab ala alatum, a remo remitum. Omnia ergo quæ ad aliquid dicuntur, si convenienter assignentur, ad convertentiam dicuntur.

Quoniam sunt quæ ita dicuntur ad aliquid, ut nisi convenienter aptentur conversio nulla sit, in omnibus autem ad aliquid conversionem exspectari necesse est, quæ sit hæc convenientia, et quemadmodum assignari relationes oporteat, ipse demonstrat. Si quid enim dicitur ad aliquid quod converti non possit, ab ipso quod dicitur si denominatio fit, mox convertitur : ut ala dicitur avis, et recta quidem est hæc prædicatio, sed ad naturam relationis incongrua. Nunc igitur quoniam dici non potest avis alæ, dicitur autem ala avis, ab ipsa prædicatione, quæ ad aliud prædicatur, si denominatio fit, mox redit consueta conversio relativis. Nam cum dicitur ala avis, ut dicatur avis alæ, inconveniens est ; si vero ex ala fiat denominatio, ut dicatur ala alati, sic conversio manet. Alatum enim ala alatum esse dicimus, sicut alam alati esse alam. Et hoc idem in remo evenit. Nam quoniam remus navis dicitur, et remi navis ut sit ulla ratione convertitur, si ex remo sit denominatio, statim reddit ex more conversio. Dicimus enim esse remum remitæ rei esse remum, et hoc illi convertitur. Remita enim res remo remita est. Ergo ex eo quod prius dicitur, nomen fingendum est, sicut ex eo quod est ala, quoniam prius ad avem non dicitur, quia avis ad alam non convertitur, denominatio facta est, ut diceretur alatum. Atque hoc est quod ait, si ab his quæ prima sunt his ad quæ convertuntur nomina ponantur. Prima namque prædicatio est ab ala. Dicimus enim alam avis, et hoc quærimus ut ad alam prædicatio convertatur. Ergo ab eo quod prius dicitur, illi ad quod convertitur nomen fingendum est, ut ea quæ prius dicitur ala, rei ad quam convertitur sic ut convenienter aptetur, fingendum est nomen alatum, quod ipsum ex ala denominatum est, atque hoc idem et in cæteris relativis licet intelligi.

Nam si ad quodlibet aliud assignentur, et non ad illud ad quod dicitur, non convertuntur. Dico autem quoniam nec eorum quæ indubitanter convertibilia dicuntur, et quibus nomina posita sunt, ullum convertitur, si ad aliquid eorum quæ sunt accidentia assignentur, et non ad ea ad quæ dicuntur : ut servus, si domini non assignetur servus, sed hominis, vel bipedis, aut alicujus talium, non convertitur. Non enim et conveniens assignatio.

Aliud quoque argumentum dedit, si relatione convenienter non reddantur, non posse converti. Fortasse enim quis dicat alam et caput non esse ad aliquid : quod si quis hoc quoque concedat, illud tamen nullus negare poterit, quin servus aut filius semper ad aliud prædicentur. Ergo in hac quoque re, quæ confessæ relativa est, perit relationis propria conversio, si non convenienter et ad illud ad quod proprie dicitur assignetur. Nam cum sit ad aliquid servus, nisi domini reddatur, id est, ad id ad quod convenienter dicitur, nulla hac ratione conversio est. Dicatur ergo servus hominis, vel servus bipedis, non convertitur, ut dicat quis bipedem esse servi, aut hominem esse servi. Eodem quoque modo de filio. Ergo quæcunque sunt extrinsecus, si ad ea id quod est ad aliquid prædicetur, nulla conversio est. Quod autem ait accidentia, non quod homo sit accidens, aut bipes, differentia hominis accidenter insit, sed interdum consuetudinis Aristotelicæ est, quæ secundo loco et extrinsecus prædicantur, dicere secundum accidens prædicari. Servus autem prius ad hominem est, secundo vero loco ad hominem. Idcirco enim quod dominus homo est, ideo servus ad hominem dicitur. Et idcirco quia dominus bipes est, ideo servus bipedis dicitur. Ergo secundum accidens dixit secundo loco, volens ostendere extraneam et non convenientem fieri prædicationem, si quis ad hominem vel bipedem servum et non ad dominum referat. Manifestum igitur est quoniam in his quoque quæ confessæ sunt ad aliquid, et in quibus nomina sunt. Nomen enim et servi et domini in usu est, non quemadmodum in remo aut in ala, ubi neque alatum neque remitum nomen fuit, nisi ipse fingeret Aristoteles. Cum ergo hæc ita sint, manifestum est quoniam si non convenienter aptarentur, conversionem prædicatio non teneret.

Amplius si convenienter assignetur id ad quod dicitur, omnibus aliis circumscriptis quæcunque accidentia sunt relicto solo illo ad quod assignatum est, semper ad ipsum convenienter dicitur : ut si servus dicatur ad dominum, circumscriptis aliis omnibus quæ sunt accidentia domino, ut esse bipedem, vel scientiæ susceptibilem, vel hominem, relicto solo domino, semper servus dicetur ad ipsum, servus enim domini servus dicitur. Si autem non convenienter reddatur id ad quod dicitur, circumscriptis omnibus aliis, relictoque illo solo ad quod redditum est, non dicetur ad aliud : assignetur enim servus hominis,

et ala avis, circumscribaturque ab homine esse dominum, non amplius servus ad hominem dicetur, cum enim dominus non sit, servus non est. Similiter autem et de ave : adimatur ab ea alatam esse, non erit amplius ala ad aliquid, cum enim non sit alatum, nec ala erit alicujus. Quare oportet assignare id ad quod convenienter dicitur. Ac si sit nomen positum, facilis erit assignatio ; sin autem non sit, fortasse erit necessarium fingere nomen ; si sic autem reddantur, manifestum est, quoniam omnia relativa conversim dicentur.

Aliud quoque validum addidit argumentum in omni secundum ad aliquid, prædicatione solam esse assignationis convenientiam requirendam. Quo enim permanente cunctis aliis pereuntibus relativorum prædicatio constat, et quo pereunte cunctis aliis permanentibus, ad aliquid prædicatio non manet, illud est ad quod convenienter nominis relatio referatur. Qui enim dominus est, idem ei homo est, idemque bipes, idem quoque scientiæ perceptibilis. Ad quodlibet igitur horum servus non prædicabitur, si dominus non sit ; quod si dominus sit, etiamsi quodlibet horum pereat, nihil impedit prædicationem. Prædicetur enim servus ad dominum, et ab eo cætera perimantur. Pereant enim ab eo quod est homo, ac bipes, quod scientiæ perceptibilis, his omnibus pereuntibus, dominus solus permaneat ; cæteris igitur pereuntibus, servus tamen nihilominus dicitur ad dominum, ad hominem vero non dicitur, pereunte enim domini nomine, servi ad hominem nulla prædicatio est, quod si ad dominum servus non referatur, pereatque domini nomen, omnibus aliis manentibus, non erit prædicatio. Auferatur enim dominus et maneat homo, et bipes, et scientiæ perceptibilis, non potest dici servus hominis, vel servus bipedis. Domino enim non manente servus interit : quare manente domino ad quod servus convenienter aptatur, cunctis aliis pereuntibus, prædicatio manet ; sublato vero domino, ad quem est conveniens prædicatio, cunctis aliis manentibus prædicatio non est. Eodem modo etiam de ala ; nisi enim ad alatum referatur, cunctis aliis manentibus integra prædicatio non est. Adeo non solum non convertitur, sed nec prædicatio ulla erit, nisi relatio ei ad quod convenienter dicitur assignetur. Simul etiam hæc quoque ars est et via noscendi, cum in natura multa sunt, ad quod potissimum relatio prædicetur. Nam cum in domino sit, et homo, et animal, et disciplinæ perceptibile, et bipes, in servo quoque idem, ad quod horum aut domini nomen aut servi referre possimus, sic ostenditur. Qua enim re manente sublatis cæteris prædicatio valet, et qua re sublata cæteris manentibus, intercipitur prædicatio, ad illud relatio rectissime prædicatur. His igitur positis totius argumenti vim sententiamque concludit, ait enim : omnia quæcunque ad aliquid sunt æqua prædicatione converti : hoc autem hujusmodi est. Quæcunque enim ad se invicem æqualiter prædicantur, et conversione facta retorquentur, illa æquali natura et dimensione fundata sunt, ut sunt propria et species. Relativa quoque ut convertantur, æqualia esse oportet. Nam si una res amplior, alia fuerit minor, conversionem non habent, nam in eo quod est ala avis, minus est avis ala, multa enim sunt quæ alas habent, et aves non sunt, atque ideo conversio non fit. Et in eo quod est remus navis, major est navis remo, multæ enim naves sunt quarum remi non sunt ; quare in his nulla potest esse conversio. Si vero sint æqualia ut filius atque pater, conversio non fugit. Nunquam enim est filius nisi patris, et rursus nunquam pater est nisi filii. Quocirca æqualia esse oportet quæcunque ad aliquid prædicantur. Horum vero si nomen sit positum, positis nominibus uti oportet. Si vero nomen positum non sit, ex his quæ in prima prædicatione sunt (ut superius dictum est) nomen oportet effigere. Quod si ita reddantur ut omne ad aliquid convenienter ad quod dicitur prædicetur, et æqualis erit prædicatio, et mox conversionis reciproca natura subsequitur. Constat igitur omnia relativa ad convertentia dici. His aliud proprium jungit.

Videntur autem ad aliquid simul esse natura, et in pluribus quidem verum est. In aliquibus autem verum non est : simul enim duplum est, et dimidium ; et cum sit dimidium, duplum est ; et cum sit dominus, servus est ; et cum sit servus, dominus est. Similiter autem his et alia, simul etiam auferunt hæc sese invicem. Si enim non sit duplum, non est dimidium, et si non est dimidium, non est duplum, similiter autem et in aliis quæcunque talia sunt.

Illa simul esse dicuntur quæcunque talia sunt, ut uno posito quolibet aliud necessario subsequatur, et uno quolibet perempto aliud modis omnibus interimatur, ut pater et filius. Nam cum pater est, filium quoque esse necesse est ; cum sit filius, pater est. Rursus si pereat filius, patrem quoque perire manifestum est, non quod pareat ipsa substantia, ut pereunte Hectore Priamus pereat, sed perit ipsa relatio. Ergo quoniam vel interempto patris nomine, filii nomen perit, sublato quoque filii nomine nomen patris perit. Posito etiam patre in substantia quoque constituto, filii quoque nomen infertur, et posito filii nomine sequitur patris et a patris nomine nunquam separatur, idcirco pater et filius simul esse dicuntur. Ergo simul ea sunt quæ se invicem vel interimunt vel inferunt, et de his quidem ipse posterius tractat. Nunc autem hoc quoque inesse relativis exposuit, dicens relativis quoque esse ut simul sint ; nam cum duplum sit, dimidium est, et cum dimidium, duplum. Hujus autem argumentum est, quod interempto duplo dimidium perit. Rursus quoque duplo constituto, dimidium constituitur. Igitur quoniam duplum atque dimidium relativa sunt, et hæc simul sunt natura, id est ipsa essentia, et hoc manifestum est quoque relativis accidere, ut simul natura esse videantur. Idem quoque est in eo quod est servus et dominus. Nam quoniam alterutris interemptis uterque deperit, et alterutro constituto uterque subsistit, constat servum atque dominum cum sint ad aliquid simul esse natura. Sed hæc ita sunt, ut sint quidem in relativis, sed omnibus his

quæ sunt ad aliquid non æquentur. Sunt enim quædam relativa quorum unum prius natura sit, quod ipse rursus adjecit.

Non autem in omnibus relativis verum videtur esse ut sint simul natura. Scibile enim scientia prius naturaliter esse videtur. Namque ut plurimum prius rebus subsistentibus scientias accepimus. In paucis vero vel nullis hoc quis reperiet, simul cum scibili scientiam esse factam.

Proposuit non in omnibus relativis esse hoc, ut videantur simul esse natura ; hoc autem probat ex his,quod quoniam scientia ad aliquid est (scibilis enim rei scientia dicitur), non poterit esse scientia, nisi sit res aliqua quæ sciri possit.Hanc autem primam esse necesse est, ut in matheseos disciplina. Scimus enim triangulum tres interiores angulos duobus rectis angulis æquos habere. Unde necesse est prius fuisse quod sciri posset, postea vero ad hanc rem aptam fuisse notitiam. Atque hoc est quod ait: Namque in pluribus subsistentibus rebus scientias accipimus.Prius enim rebus constitutis et quasi præpositis scientiæ ratio sequitur.Quare non est in omnibus relativis simul esse natura.Nam cum scientia et scibile relativa sint, antiquius est scibile quam scientia. Quod vero interposuit, in paucis enim vel nullis hoc quis perspiciet simul cum scibili scientiam factam,tale est.Quasdam namque res animus sibi ipse confingit, ut chimeram,vel centaurum,vel alia hujusmodi, quæ tunc sciuntur,cum ea sibi animus finxerit.Tunc autem esse incipiunt,quando primum in opinione versantur. Tunc igitur sciuntur, cum in opinione versata sint, et hæc simul habent esse et sciri. Nam quoniam in opinione nascuntur,mox esse incipiunt, sed cum in ratione sunt,tunc eorum scientia capitur.Igitur mox ut fuerint, mox sciuntur, et est eorum scientia cum eorumdem essentia conjuncta.Namque antequam chimera fingeretur, sicut ipsa in nulla opinione fuerat, ita quoque ejus scientia non erat. Postquam vero ipsa animarum imaginatione constituta est, ejus quoque cum ipsa imaginatione scientia consecuta est: atque ideo ait in paucis hoc posse perspici, ut simul cum scientia scibile sit, ut in hac eadem chimera, quæ cum sit scibilis, cum scientia nata est. Sed quoniam nihil quod in substantia non permanet, neque in veritate consistit, sciri potest (scientia enim est rerum quæ sunt comprehensio veritatis), et quidquid sibi animus fingit, vel imaginatione reperit, cum in substantia atque veritate constitutum non sit, illud posse sciri non dicitur, atque ideo non est eorum scientia ulla quæ sola imaginatione subsistunt.Idcirco itaque dubitans dixit,in paucis enim vel nullis.Hæc enim ipsa pauca ita quisque reperiet, ut si ad veram rationem examinationemque contenderit, nulla esse perpendat. Quod si quisquam chimeræ aliqua esse scientiam dicat,quæ non est, quanquam hoc falsum sit, tamen hoc quoque concesso pauca erunt in quibus scientia cum scibili simul natura sit. Multis enim antepositis et constitutis scientia nascitur.Quocirca non in omnibus relativis verum est,ut simul esse natura dicantur:et sicut falsum illud est,in nullis hoc esse relativis,ita falsum est rursus in omnibus.Sed hunc tractatum longius texit.

Amplius scibile quidem sublatum simul aufert scientiam, scientia vero simul non aufert scibile. Nam si scibile non sit, non est scientia; scientia vero si non sit, nihil prohibet esse scibile, velut circuli quadratura si modo est scibilis, scientia siquidem ejus nondum est ipsa vero scibilis est.

Diximus illa esse simul, quæcunque alterutro constituto, vel alterutro interempto, simul utraque constituerentur,vel etiam perimerentur.Constituto enim ut sit pater, constituetur esse filius, et pater simul infert substantiam filii.Eodem quoque modo filius simul infert vocabulum patris, non est enim filius nisi patris. Eodem quoque modo altero interempto utrumque perire necesse est, alterum autem altero prius multis dicitur modis;sed quod nunc quærimus tale est. Nam priora illa esse dicuntur, quæ ipsa quidem perempta res alias tollunt, ipsa vero illata atque constituta simul res alias non inferunt, ut est unus atque duo. Interempto enim uno, duo quoque pereunt.Unde enim est unius in duobus geminatio, si unus intereat?Constituto vero atque posito ut sit unus, nondum duo sunt· Nondum est enim facta unius geminatio. Ergo dicuntur illa priora esse, quæcunque alia simul quidem illata non inferunt, sed perimunt interempta.Scibile ergo et scientiam non esse simul illa res probat, quod si quis rem scibilem tollat, scientiam quoque sustulerit.Nulla potest enim scientia permanere, si res quæ sciri possit intereat.At si scibile esse constituas,non omnino scientia consequitur.Infantibus enim ea nobis quæ nunc novimus erant, et in suæ naturæ substantia permanebant,sed eorum apud nos scientia non erat. Multæ quoque sunt artes,quas esse quidem in suæ naturæ ratione perspicimus, quarum neglectus scientiam sustulit. Multumque ego ipse jam metuo ne hoc verissime de omnibus studiis liberalibus dicatur.Quocirca si et scientiam sublatum scibile perimit,et illatum scibile scientiam non infert,neque constituit, prius est id quod sciri potest quam illud,quod comprehendere videlicet atque complecti notitia.Ipse autem ad hanc rem obscurissimum commodavit exemplum. Solet enim in geometria hujusmodi esse propositio.Jubemur enim proposito quatuor laterum spatio, æquale triangulum constituere, et facimus hoc modo. Sit quatuor laterum spatium *a b*, oportet ergo *a b* spatio æquale triangulum constituere,et ut sit duplum *a b* spatio *c d e f* spatium. Ducatur angularis *c f*, dico quoniam *c d f* triangulum æquale est *a b* spatio,quoniam *c d e f* spatium duplum est *a b* spatio:*ab* igitur *c d e f* spatii medietas est, angularis enim *f c* totum *c d e f* spatium medium dividit.Quæ autem ejusdem sunt media, sibi æqualia sunt, *c d f* igitur et *c e f* triangulum *a b* spatio æquale est. Proposito igitur spatio *a b*, æquum triangulum constitutum est *c d f*, quod oportebat facere.Eodem quoque modo quæsi-



tum est si sit propositum circulo æquum fieri quadratum. Quadratum ergo est quod æqualibus lateribus omnes quatuor angulos æquos habet, id est rectos, et Aristotelis quidem temporibus non fuisse inventum videtur. Post vero repertum est, cujus quoniam longa demonstratio est, prætermittenda est. Atque hoc est, quod ait, velut circuli quadratura: nam sicut manente quadrato, linea per obliquum ducta triangula figura producitur; ita circulo non mutato circumpositis angulis, qui et ipsius circuli lateribus æqualiter diriguntur, quadrati forma consurgit, quod (ut potuimus) conjectura depinximus. Cum enim alicui circulo æquum quadratum constituitur, in quadraturam circuli illius mensura redigitur. Nunc ergo hoc est quod dicit, ut circuli quadratura, id est æqui quadrati ad circulum constitutio si fieri potest, et si res est quæ sciri possit, scientia quidem ejus nondum inventa est. Nondum enim quisquam sub Aristotele æquum quadratum circulo constituerat. Quod si est aliqua ejus scientia quæ nondum reperta est, certe prius est quod sciri possit, post vero scientia. Nam cum posset Aristotele vivo sciri circuli quadratura, nulla tamen adhuc ejus scientia reperta est, atque ideo prius erat quod sciri posset, quam ipsius rei ulla notitia.

Amplius, animali quidem sublato, non est scientia, scibilium vero plurima esse contingit.

Addit aliud validius argumentum, prius esse scibile scientia. Illud enim notum est si per desidiam disciplina depereat, interire quidem scientiam, sed scibile permanere. Scibile autem dico quod sciri possit. Quod si omnino animal non sit, cum quis scire possit omnino non fuerit, scientia quidem ipsa funditus interibit: nihil tamen probibet esse ea quæ permanente animali possit inquirentis animus scientiæ ratione complecti.

Similiter his sese habent et ea quæ de sensu sunt, sensile enim prius quam sensus videtur esse. Sublato enim sensili simul aufertur sensus: sensus vero sensile non simul aufert. Sensus enim circa corpus et in corpore sunt, sensibili autem perempto, peremptum est et corpus, sensile enim est et corpus ; cum vero corpus non sit, sublatus est et sensus. Quare simul aufert sensile sensum, sensus vero sensile non tollit. Animali

A *enim perempto, sensus quidem peremptus est, sensibile autem non, est autem sensile, ut corpus calidum, dulce, amarum et alia omnia quæcunque sensilia sunt.*

Id namque proponit sensibus inveniri. Dicit enim sensu prius esse sensibile, quod communi priorum diffinitione probabile esse constituit. Dictum est namque illa esse priora quæ simul quidem interempta perimerent, non autem simul aliis interemptis ipsa deperire, ut orbem solis prius dicimus proprio lumine, sublato enim orbe, lumen illud quod ab eo est penitus non manebit; sublato lumine solis, orbis manebit. Ita quoque nunc in sensibilibus, atque in ipso sensu esse proposuit, sublato quod sentiri possit, sensus omnino sublatus est. Neque enim esse poterit sensus, cum quod possit sentire non invenit. Quod si sensus omnino depereat, sensibile permanebit; et hoc evi-
B dentibus firmat exemplis. Nam cum ea quæ sunt in rebus, vel incorporea sint, vel certe corporea, et quidquid ad corporis materiam referri potest, hoc sensuum varietati subjaceat, quidquid ad incorporalia intellectus ratione et speculatione teneatur. Cum sit sensus omnis in corpore, si corpus intereat, cum omnino corpus non sit, quoniam quæ sunt incorporea sentiri non possunt, et quæ sentiri poterant interempta sunt, omnino sensus evertitur. Sed si sensus auferatur, sensibilia permanebunt: et quoniam sensus animalium effectivus est, æqua est utrorumque perditio; sive enim sustuleris animal, sensus peribit, sive sensus evertantur, animalia quoque sublata sunt. Sed eversis atque interemptis animalibus cum propriis sensibus, permanent corpora quæ anima non utun-
C tur, quod si sublatis animalibus sensibusque deperditis, corpora inanimata subsistunt, cum corpora sint quæ sentiri possunt, animalia quæ sentire valeant si interempta sint, manente sensibili sensus eversus est. Non igitur sicut sensibilis interemptio sensus interimit, sic sensuum perditionem exstinctio sensibilium comitatur. Id vero etiam hoc probabitur argumento, ante enim quam actu ipso aliquid sentiamus, sensus non est. Nam priusquam dulce aliquid degustemus, gustatio ipsa dulcedinis non est; quod autem gustari possit, id est, mel, vel quodlibet aliud propriæ naturæ ratione consistit. Quocirca prius esse quod sentiri possit, post vero sensus Aristotele auctore firmatur.

Amplius sensus quidem simul cum sensato fit, simul enim et animal fit et sensus. Sensile autem ante est
D *quam sensus esset. Ignis enim et aqua et alia hujusmodi, ex quibus ipsum animal constat, ante sunt quam animal sit omnino, vel sensus. Quare prius sensile quam sensus esse videtur.*

In compositis rebus atque ex aliis junctis priores sunt hæ res quæ componunt aliquid ipsa substantia quam componunt. Namque cum corpus animalis sit ex igne, aere, aqua et terra, priora hæc esse necesse est quam ipsum sit animal quod illa elementa conjungunt. Hoc quoque etiam in aliis patet, nam cum sit liber ex versibus, prior est versuum natura quam libri. Cumque versus constet verbis atque nominibus, et cæteris quas grammatici partes orationis vocant, hæc ex quibus ipse versus constat versu ipso

priora esse necesse est. Quocirca sensus quoque ipsis jam compositis animalibus supervenit. Nam cum animal constet ex quatuor elementis, et cum sensus semper naturam animalium comitetur, cum ipsis animalibus sensus fieri et nasci necesse est. Quod si cum animalibus, id est compositis rebus, sensus nascitur, sicut animali propria sunt ea ex quibus ipsum animal constat, sic quoque sensu qui cum animali nascitur, illa priora sunt, ex quibus animalis natura conjungitur. Conjungitur autem animal atque componitur ex quatuor elementis. Quatuor igitur elementa sensu priora sunt, sed quatuor elementa corpora sunt, corpus vero omne sensibile est. Prius igitur sensibile quam sensus est. Sensus enim cum re composita nascitur, illa vero quæ componunt et sensibilia sunt, et priora ipso composito. Universaliter enim si quæ duæ res sint simul, cum quælibet res una earum prior sit, et altera prior erit, ut animal atque sensus, cum utraque simul sunt, simulque nascuntur, cum quatuor elementa quæ sunt sensibilia priora sint quam animal, sensu quoque esse priora necesse est, quocirca conclusit dicens: Quare prius quam sensus sensibile esse videtur. Sed quidam, quorum Porphyrius quoque unus est, astruunt in omnibus verum esse relativis, ut simul natura sint, veluti ipsum quoque sensum et scientiam non præcedere scibile atque sensibile, sed simul esse, quam quoniam brevis est oratio, non gravabor opponere. Ait enim: Si cujuslibet scientia non sit, ipsum quod per se poterit permanere scibile esse non poterit, ut si formarum scientia pereat, ipsæ fortasse formæ permaneant, atque in priore natura consistant, scibiles vero non sint. Cum enim scientia quæ illud comprehendere possit, non sit, ipsa quoque sciri non potest res. Namque omnis res scientia scitur, quæ si non sit, sciri non possit. Porro autem res quæ sciri non potest scibilis non est. Hoc idem de sensu gustantis: si gustus enim pereat, mel forsitan permanebit, gustabile autem non erit. Ita quoque omnino si sensus pereat, res quidem quæ sentiri poterant sint, sensibiles vero non sint sensu pereunte. Et fortasse neque scientia neque sensus secundum sentientes speculandus est, sed secundum ipsam naturam quæ sensu valeat comprehendi. Namque res quæcunque per naturam sensibilis est, eam quoque in natura sua, proprium sensum quo sentiri possit, habere necesse est. Et quodcunque sciri potest per naturam, nunquam possit addisci, nisi quædam ejus in natura scientia versaretur. Hæc Porphyrius. Sed nos ad Aristotelis ordinem textumque veniamus. Namque ille adjecit quoque alias quæstiones.

Habet autem quæstionem, utrum nulla substantia ad aliquid dicatur, quemadmodum videtur, si hoc contingat secundum quasdam secundas substantias; nam in primis substantiis verum est, unam neque tota neque partes ad aliquid dicuntur, uam aliquis homo non dicitur alicujus aliquis homo, neque aliquis bos, alicujus aliquis bos. Similiter autem et partes: quædam enim manus non dicitur alicujus quædam manus, sed alicujus manus, et quoddam caput: non dicitur alicujus quoddam caput, sed alicujus caput. Similiter autem et in secundis substantiis, atque hoc quidem in pluribus, ut homo non dicitur alicujus homo, nec bos alicujus bos, nec lignum alicujus lignum, sed alicujus possessio dicitur. In hujusmodi ergo manifestum est quoniam non est ad aliquid. In aliquibus vero secundis substantiis habet aliquam dubitationem, ut caput alicujus caput dicitur, et manus alicujus manus dicitur, et singula hujusmodi. Quare hæc fortasse ad aliquid esse videntur.

Contra ea quæ superius disputata sunt hujusmodi nodum quæstionis opposuit, quoniam enim prima diffinitio relativorum fuerat, illa esse relativa quæcunque hoc ipsum quod essent aliorum dicerentur, secundum hanc diffinitionem possunt quædam substantiæ videri esse relativæ: quod si sit, substantiæ in diffinitionem accidentium transeunt. Nam cum, sint accidentia relativa, si quas substantias relativas esse concedimus, in accidentium numero ponendas esse censebimus, sed hoc contrarium est. Si enim substantia in subjecto non est, accidens autem in subjecto est, qui fieri potest ut idem et in subjecto sit et in subjecto non sit? Utrum autem possit quædam substantia accidentium suscipere rationem, hoc modo quærendum est. Primæ namque substantiæ ipsæ quidem ad aliquid non dicuntur, neque partes primarum substantiarum quas ipsas quoque in primis substantiis numeramus. Socrates enim non dicitur alicujus aliquis Socrates, nec homo alicujus aliquis homo, nec bos alicujus aliquis bos, neque partes primarum substantiarum quæ ipsæ quoque sunt primæ substantiæ. Caput enim non dicitur alicujus aliquod caput, sed tantum alicujus caput, et manus non dicitur alicujus aliqua manus, sed tantum alicujus manus. Quare neque primæ substantiæ, neque primarum substantiarum partes ad relationem dici poterunt. Quod si secundas quoque substantias speculemur, nec ipsæ quoque ad aliquid dicentur. Neque enim dicitur animal alicujus esse animal, aut homo alicujus esse homo. Quod si quis dicat posse esse animal alicujus, ut equum meum, vel quodlibet aliud, non in eo quod animal est, sed in eo quod est possessio dicitur alicujus, et sic non dicitur animal alicujus animal, sed animalis possessio, alicujus possessio. Ergo neque primæ substantiæ, neque partes primarum substantiarum, neque secundæ substantiæ ad aliquid dicuntur. Partes autem secundarum substantiarum ad aliquid hoc ipsum quod sunt dicuntur. Caput enim alicujus caput dicitur, si quidem capitati caput dicemus, et manus alicujus manus. Si quidem ex manu nomen fingere volumus, ad quod manus referri possit, sicut caput ad capitatum, et in aliis quidem rebus eodem modo. Sed si partes secundarum substantiarum accidentes sint, et ipsæ secundæ substantiæ accidentes erunt, aut si hoc non placet, constabunt secundæ substantiæ ex partibus accidentibus, quod fieri nequit. Quid igitur dicendum est? aut enim diffinitio relativorum reprehendenda est, aut aliter solvenda dubie-

tas.Sed posita atque constituta priori diffinitione, quæ dicit illa esse relativa quæ id quod sunt aliorum dicuntur,hic quæstionis nodus solvi non poterit,quod ipse Aristoteles hac adjunctione testatur.

Si igitur sufficienter eorum quæ sunt ad aliquid diffinitio assignata est, aut nimis difficile, aut impossibile est ostendere,quoniam nulla substantia ad aliquid dicitur.Si autem non sufficienter,sed sunt ad aliquid,quibus hoc ipsum esse,est ad aliquid quodammodo se habere, fortasse aliquid ad ista dicetur. Prior vero diffinitio sequitur quidem omnia relativa, non tamen quod ipsa sint ad aliquid est hoc quod ea ipsa sunt quæ aliorum esse dicuntur.

Proposita ergo atque firmata priore relativorum diffinitione difficile defendi poterit,aut fortasse nunquam,quasdam substantias non esse relativas.Nam si ad aliquid illa sunt,quæcunque id quod sunt aliorum dicuntur,ut id quod est caput capitati dicitur caput,habebit igitur substantia quæ est caput ad aliquid relationem, et ita erit substantia relativa atque accidens,quod est impossibile.Quare quoniam proposita atque constituta priore diffinitione hæc incommoditas in dispositione consequitur, ut constet ratio non integræ diffinitionis,assignatio permutetur. Ait enim non esse integram diffinitionem quæ supra sit reddita,nec magis illa esse ad aliquid,quæ id quod sunt aliorum dicuntur,potius quam ea quibus ipsum esse est ad aliquid quodammodo se habere. Sed fortasse videatur quibusdam inconsulte legentibus et minime considerantibus,id quod diffiniri oportuerat, hoc in diffinitione esse sumptum, quod est vitiosissimum. Si enim idcirco diffinitio sumitur,ut res de qua quæritur assignetur,quæ magis est apertior diffinitio,si ipsa quam diffinit in assignatione diffinitionis utatur? Diffinitio namque idcirco redditur,ut res de cujus quidem esse dubitatur,diffinitione patefiat.Quod si rem ipsam quam diffinit,in diffinitione protulerit,nihilo planior diffinitio sit,ut si quis hominem diffinire volens dicat, hoc ipsum esse hominem quod hominem.Ita quoque non considerantibus,Aristoteles relativorum diffinitionem reddidisse videbitur.Ait enim esse ad aliquid, quibus hoc ipsum esse est ad aliquid quodammodo se habere,ac si diceret :Ea sunt ad aliquid, quæ se ad aliquid quodammodo habent.Sed minutius atque scutius considerantibus, vis integræ diffinitionis prompte atque veraciter apparebit ;non enim in eo quod est dici, ad aliquid consideramus, sed in eo quod est esse;ea namque sunt relativa,quæ in quadam comparatione et relationis habitudine consideramus,ut quaternarius numerus,et hoc ipsum quod est esse dicitur,id est quatuor,et aliud quoddam,id est duplum,ut si ad binarium conferatur.Sed quod de quaternario numero dicimus, quaternarium hoc ad ipsius quaternarii numeri naturam refertur.Quod vero duplum, non est hoc quaternarii,sed duorum ad quod duplum dicitur,et ad quod propria relatione duplum est. Binarius quoque numerus et binarius est, et medietas,binarius quidem secundum suam naturam,medietas vero secundum quaternarius relationem. Quocirca in comparatione quadam atque in habitudine ea quæ sunt ad aliquid speculamur;quaternarius enim in eo quod quaternarius est ad aliquid non dicitur,in eo vero quod est duplus,duorum relativus est,scilicet ad binarium comparatus.Binarius quoque in eo quod sunt duo,ad aliquid non refertur, sed in eo quod est medietas, scilicet ad quaternarium comparatus.Ergo, ut sit duplus quaternarius, non duobus,sed medietate eget,ut si medietas binarius,non quaternario,sed duplo opus est. Videsne ut habitudine quadam et comparatione res aliud in natura retinentes,aliud tamen ad se invicem sint ? et hoc non ex propria, sed ex invicem natura mutuentur, nam quod est duplus numerus ex medio trahit,quod est medietas ex duplo,atque hoc iis quæ sunt ad aliquid extra evenit,et ideo nihil patientibus neque permutatis ipsis quæ ad aliquid referuntur, ipsa ad aliquid fiunt,nihil enim permutato de quaternario duplus ipse est,sit ad binarium referatur, et nihil de binario permutato,medietas est binarius,si ad quaternarium dicitur. Ergo relativorum hoc est esse,id est hæc eorum natura atque substantia est, ut id quod sunt ad aliquid referantur,id est non solum referri dicantur, sed etiam referantur. Atque hoc est quod ait, sed sunt ad aliquid quibus hoc ipsum esse est ad aliquid quodammodo se habere, ac si diceret quorum substantia est ad aliquid aliud referri,et quæ ita sunt ut ipsa id quod sunt ad aliud referantur,et esse eorum sit ad aliquid aliud referri, sed non omnia quæ dicuntur ad aliud,et esse de alio mutuantur.Illa namque diffinitio prior, majus est, diffinitionem namque relativorum supergressa est, includit enim ea quoque quæ relativa non sunt, et quemadmodum hominem cum dico,mortalem eum esse necesse est, cum dico mortalem, non necesse est esse hominem, ita quoque ea quæ hoc ipsum quod sunt ex altero trahunt,et esse habent ad alterius relationem, et esse suum ad alterius referunt nuncupationem.Quæ vero ad aliud tantum dicuntur, non necesse est,ut esse suum ad aliquid habeant relatum,quo posteriorem diffinitionem suscipiant,et ista sententia breviter includatur, ut quæcunque hanc diffinitionem susceperint,ut hoc ipsum esse sit ad aliquid quodammodo se habere, habeant eam quoque diffinitionem,quæ est relativa esse quæcunque id quod sunt aliorum dicuntur,quæ vero hanc habuerint diffinitionem illam non necessario habeant, ut ea quæ sunt ad aliquid,etiam ad aliquid dicantur. Sed ea quæ dicuntur ad aliquid, non omnino ad aliquid sint,quod si ista diffinitio posterior recipiatur, quæ dicit ea esse ad aliquid,quibus hoc ipsum esse est ad aliquid quodammodo se habere,poterit superior solvi dubitatio,quod dicamus id quod ipse posteriore disputatione secutus est.Quod autem ait:Prior vero diffinitio sequitur quidem omnia relativa,non tamen hoc eis est esse,quod sint ad aliquid,quod ea ipsa quæ sunt aliorum dicuntur,hoc est quod non idcirco aliquid relativum esse dicitur,quoniam alterius esse

dicitur.Sed tunc merito res aliqua relationis nomine continebitur, quoties non solum ad aliquid dicitur, sed hoc ipsum esse ejus ad aliquid est quodammodo se habere.Quare quid hanc diffinitionem proprium consequatur, ipse addidit.

Ex his ergo manifestum est quod si quis aliquid eorum quæ sunt ad aliquid diffinite sciet, et illud ad quod dicitur diffinite sciturus est.Si enim quis novit aliquid quod est eorum quæ sunt aliquid (est autem esse eorum quæ sunt ad aliquid idem quod ad aliquid quodammodo se habere), et illud novit ad quod hoc quodammodo se habet.

Proprium relativis secundum eam quæ superius dicta est diffinitionem hoc esse confirmat, quod si quis id quod est ad aliquid diffinite scit, quoniam relativum est,et illud ad quod referri potest,diffinite sciturus est quid sit,nam relativa ea sunt quibus hoc est esse ad aliquid quodammodo se habere,quoniam ut sit quaternarius duplum a binario trahit. Si quis novit esse quaternarium numerum duplum,et binarium necessario sciturus est esse dimidium,ad quem quaternarius duplus est fieri ; enim nullo modo potest, ut cum quis noverit aliquam rem esse relativam diffinite,non illud quoque sciat ad quod illa res dicitur diffinite ; hujus autem rei una probatio est quæ ex diffinitione venit. Diffinita enim sunt illa esse ad aliquid,quorum ea esset substantia,ut quodammodo se ad aliquid haberent,quod si scio quaternarium numerum esse duplum, eo quod ad binarium quodammodo conjungatur, nullus quaternarium duplum esse poterit scire, nisi qui sciet medietatem esse binarium,et hoc quidem in omnibus consideretur.Nam si nesciat quis ad quid aliquid referatur eorum quæ relativa sunt,illud quoque ignorabit,utrum ommino ad aliquid referatur,quod his verbis Aristoteles dicit:

Si enim id non noverit omnino, ad quod hoc quodammodo se habet,nec si ad aliquid quodammodo se habet sciturus est, sed in singulis palam hoc est : Ut hoc si quis novit diffinite quod est duplum, et cujus duplum est, mox diffinite novit, si vero nullius diffinite novit, ipsum duplum, neque si est duplum omnino novit.Similiter autem et hoc aliquid, si novit aliquis quod melius est diffinite, et quo melius est, necessarium est nosse. Indiffinite autem non sciet quod hoc est pejore melius, opinio enim id quidem sit, non disciplina, non enim sciet exacte quod est pejore melius, si enim sic contingit, nihil est pejus eo. Quapropter palam est quod si noverit quis aliquid relativorum diffinite necessarium est et illud ad quod dicitur diffinite nosse.

Hujus quoque rei exempla persequitur dicens : Si duplum ad aliquid esse novimus, scimus quoque id cujus duplum est ; quod si nescimus id cujus est duplum, duplum autem esse cujuslibet rei ex hoc est, quod ei sit medietas, ipsam quoque rem quæ dupla sit, utrum dupla sit scire non possumus. Si igitur diffinite novimus quamlibet illam rem esse duplam, etiam cujus dupla est diffinite nos scire necesse est. Ut si novit quis Anchisem patrem diffinite esse Æneæ, et Æneam diffinite filium esse agnoscet, vel si indiffinite novit quoniam pater est, indiffinite etiam sciturus est quoniam filii pater est.Et rursus si Æneam quis indiffinite novit quoniam filius est, sciturus quoque est indiffinite quoniam patris est filius.Manifestum est ergo quoniam ea quæ sunt ad aliquid, si diffinite ad aliquid esse sciantur, etiam illud diffinite sciendum est ad quod illa referuntur. Quod in substantiis non eodem modo esse Aristotele probamus auctore, qui hujus quæstionis seriem ita concludit.

Caput vero, et manus,et horum singula quæ substantiæ sunt,hoc ipsum quod sunt est scire diffinite. Ad quod autem dicantur, non est necessarium scire. Cujus enim caput hoc, vel cujus manus sit, non est scire diffinite, quare non erunt hæc ad aliquid. Si vero non sunt hæc relativa verum erit dicere quod nulla substantia relativorum est.

In capite, inquit,et in manu, et in aliis substantiis non est verum, quoniam si quis aliquid horum alicujus esse novit, et ad aliquid aliud referri, idcirco et ad quam referatur diffinite sciturus est. Si quis enim operto capite atque omnibus membris manum foras exerat, manifestum est quoniam manus illa alicujus manus est, cujus autem manus sit, dici diffinite non potest. Similiter quoque opertis oculis, facieque velata si cujuslibet caput aspicias, illud quidem caput alicujus esse non dubitas,cujus autem sit diffinite non proferes.Quare quoniam hæc hujusmodi sunt, ut si quis ea diffinite sciat esse alicujus, cujus sint, diffinite scire non poterit,a relativorum diffinitione, quorum si una res quælibet diffinite sciatur esse ad aliquid, illa quoque res ad quam dicitur, diffinite scitur, substantiæ segregantur. Subjiciendum tamen est illud quoque,quod omnino verum est, in diffinitionibus rem ipsam quæ diffinitur sumi non oportere. Multa enim sunt quæ aliter proferuntur et diffiniuntur, et aliter accipiuntur, ut si quis dicat album esse colorem nigro contrarium, potest hoc et in corpore accipi, namque et color album dicitur, et corpus quod albo participat,album nominatur. Quocirca ne quis putet tale album esse diffinitum, quod ad participationem albi et corporis referatur,ita dicendum est : Album est quod cum in aliquibus est, tum color nigro contrarium. Atque ita rem ipsam in sua diffinitione sumimus, quod scilicet Aristoteles, id est rem ipsam quæ diffinitur in diffinitione sumi non oportere, inter verisimilia topicorum posuit argumenta. Nunc autem post relativorum disputationem, ad majorem nos de his rebus tractatum studiosus doctor hortatur, dicens :

Fortasse diffinite est de hujusmodi rebus confidenter declarare, nisi sæpe pertractata sint, dubitasse autem de his singulis non erit inutile.

Quod scilicet nunquam diceret, nisi nos ad majorem acuminis exercitationem considerationemque revocaret. Quod quoniam ejus est adhortatio, nos quoque in aliis de his rebus dubitationes solutionesque ponere minime gravabimur.

LIBER TERTIUS.

Consueta in principio quæstio est cur post relationis prædicamentum disputationem qualitatis aggressus est, quod nimis curiosum est. Mirabile enim fuerat cur post quantitatis ordinem non statim de qualitate cœpisset, sed quoniam quantitati quædam relationis admiscuit, et disputationem de relatione continuavit, idcirco non est mirabile post expeditam relationis interpositionem ad qualitatis eum ordinem revertisse, quanquam etiam ex hoc quoque recta sit series. Nam post magnum parvumque statim proportio et quædam ad aliud comparatio consequitur, ut sit aut majus aut minus, aut æquale vel inæquale, quæ sunt ad aliquid. Post hæc autem innasci quasque necesse est passiones, quæ a qualitatis natura non discrepant, ut album, vel nigrum, vel calidum vel frigidum, vel quæcunque his sunt consimilia, B quæ prædicatio qualitatis includit. Est vero titulus hujus propositi de quali et de qualitate. Quæritur enim cur ei non aut de quali dixisse, aut de qualitate suffecerit, quod hoc modo solvitur. Dicimus enim quale non uno modo, qualitatem vero simpliciter. Quale enim dicimus et ipsam qualitatem, et illam rem quæ qualitate illa participat, ut albedo quidem qualitas est, qui vero participat albedinem albus dicitur. Sed et albedinem ipsam communiter quale dicimus, id est ipsam proprie qualitatem, et album dicimus quale, illud scilicet quod superius comprehensa qualitate participat. Ita ergo et ipsam qualitatem et rem quæ qualitate participat, qualia communiter appellamus, qualitas vero simpliciter dicitur. Res enim ipsa quæ participari potest, sola qualitas nominatur. Res vero quæ participat, qua- C litatis vocabulo non tenetur, ut, albedo qualitas quidem est, albus vero qualitas non est. Differunt ergo hoc quod dicimus quale et qualitas, quod illud dupliciter, illa simpliciter appellatur. Quocirca quanquam quidam negent hunc titulum Aristotelis esse, idemque confirment posteriores adjectione signatum, nos tamen dicimus propter quamdam nominum similitudinem demonstrandam utrumque posuisse, ut nihil distare videatur utrum quale an qualitas, id quod appositum est prædicamentum dicatur; quale enim ipsam aliquoties rem (ut diximus) qualitatemque significat. Sit ergo ex rebus sumpta diffinitio qualitatis. Quod vero inquam diffinitionem, quodque superius in aliis quoque prædicamentis, eodem sumus usi vocabulo, nullus arbitretur generalem me D diffinitionem voluisse signare, sed diffinitionis nomen in rem descriptionis accipiat. In his enim quæ generalissima genera sunt, diffinitio quæri non debet, sed descriptio quædam naturæ, non enim potest inveniri diffinitio ejus rei quæ genus ipsa sit, et quæ genus nullum habeat. Quocirca his propositis, atque antea constitutis, incipiendum est de qualitate.

DE QUALITATE.

Qualitatem autem dico, secundum quam quales quidam dicuntur.

Hic quæritur cur omnium in disceptatione doctissimus tam culpabili qualitatem termino diffinitionis incluserit. Volentibus enim nobis quid sit qualitas scire, illa respondet: qualitas est secundum quam quales quidam dicuntur. Nihil enim minus erit obscurius atque ignorabilius, quod ait, secundum quam quales dicuntur, quam si de ipsa sola qualitate dixisset. Nam si illi sunt quales, qui qualitatem habent, ut sciantur quales, prius qualitas cognoscenda est. Amplius quoque nihil differt dixisse eam qualitatem secundum quam quales quidem dicuntur, tanquam si diceret eam esse qualitatem quæ qualitas sit. Nam sic qualitatem diffinire volens ait: Secun- B dum quam quales quidam sunt. Rursus si quis quales aliquos diffinire voluerit, eodem modo dicere poterit, qui in se retinent aliquam qualitatem. Quod si qualitas quidem quid sit per quale, quid autem sit quale, superiore qualitate monstratur, nihil intererit dicere qualitatem esse, qualitatem, quam qualitatem esse, secundum quam quales dicuntur. Sed si ordinata diffinitio generalis et in hoc generalissimo genere poni potuisset, recte culpabilis determinatio videretur. Nunc autem frustra contenditur, cum jam (ut sæpe dictum est) descriptionis potius loco hunc terminum quam alicujus diffinitionis addiderit. Quocirca si designatio tantum quædam, et quodammodo adumbratio rei ejus de qua quæritur, et non diffinitio est, absurda calumnia est, rebus notioribus res ignotiores probantem non ante perspecta descriptionis ratione culpare. Illud autem quis dubitet notiores esse eos qui quales sunt, illa ipsa ex qua quales dicuntur qualitate, ut quilibet albus notior est ipsa albedine? Nam si albedo qualitas est, albus vero ab albedine, id est a qualitate, denominatus est, albus erit qualis nominatus ab albedine qualitate. Quod si, ut dictum est, notior albus est albedine, qualis notior erit qualitate, sicut grammaticus quoque notior est grammatica. Grammaticus quoque qualis est denominatus, scilicet a grammatica qualitate. Omnia enim quæ sensibus subjecta sunt notiora sunt nobis quam ea quæ sensibus non tenentur. Quare nihil impedit describentem et quodammodo naturam rei ejus de qua quæritur desi- D gnantem, res ignotiores notioribus approbare.

Est autem qualitas eorum quæ multipliciter dicuntur, et una quidem species qualitatis habitus et dispositio dicitur. Differt autem habitus a dispositione, quod permanentior et diuturnior est. Tales autem sunt scientiæ et virtutes; scientiæ enim videtur esse permanentium et eorum quæ difficillime moveantur; si quis vel mediocriter sumat scientiam, nisi forte grandis permutatio facta sit, vel ab ægritudine, vel ab aliquo hujusmodi. Si-

militer autem et virtus, ut justitia et temperantia et singula talium non videntur posse facile amoveri, neque facile permutari. Affectiones vero dicuntur quæ sunt facile mobiles et cito permutabiles, ut calor et frigiditas, sanitas et ægritudo, et alia hujusmodi. Afficitur enim circa eas homo quodammodo, citoque permutatur, et ex calido frigidus fit, et ex sanitate in ægritudinem transit. Similiter autem in aliis, nisi forte in his quoque contingat propter temporis longitudinem in naturam cujusque transferri, ut insanabilis, vel difficile mobilis existat affectus, quem jam quilibet habitudinem vocet.

Proponit qualitatem multipliciter dici, quæ res traxit aliquos in errorem, ut eis suspicio nasceretur Aristotelem credere qualitatem æquivoce nominari. Nam si omnis æquivocatio multipliciter dicitur, qualitas autem secundum Aristotelem ipsa quoque multipliciter appellatur, secundum Aristotelem nomen qualitatis æquivocum est. Nos vero defendimus multipliciter dici, esse non una tantum significatione nominari. Dicitur enim aliquid multipliciter dici, cum et æquivoce dicitur, et diverso modo de suis speciebus multipliciter prædicatur. Et communis est multiplex appellatio, etiam in his nominibus quæ veluti genera de speciebus dicuntur, velut æquivoca de subjectis. Namque et animal multipliciter dicitur. Nam si multæ sint species quæ animali subjectæ sunt, ipsum quoque multipliciter quodammodo nominatur. Istam autem multiplicationem, non ad æquivocationem retulisse Aristotelem, sed potius ut qualitatem genus esse proponeret, illa res monstrat, quod ait, et una quidem species qualitatis habitus affectioque dicitur. Nam qui speciem dicit esse qualitatis habitum et affectionem, quis eum dubitet ipsam qualitatem vim obtinere generis arbitrari? Cur vero dicit unam speciem esse qualitatis, cum geminas proposuerit, habitudinem scilicet et affectionem, quæritur. Nam si unum idemque sit habitus et affectio, superflua est ejusdem rei repetita propositio, sin vero differant, quare differant investigandum est. Genere enim ne distent, illa res prævenit, quod utraque sub qualitate constituit. Restat ergo ut aut specie discrepent, aut numero; sed si specie discreparent, non ab Aristotele pro una specie ponerentur. Reliquum est igitur ea neque genere neque specie differre, sed numero. Habitus namque dispositio idem est secundum speciem, sed numero tantum et propria quadam qualitate dissentiunt. Dispositionem vero indiscrete idem quod affectionem voco. Nam sicut Socrates a Platone nihil quidem secundum ipsam humanitatis speciem discrepat, sola tamen propriæ personæ qualitate disjuncti sunt, ita quoque dispositio atque habitus, nec potius hoc modo distant; sed quemadmodum ipse Socrates dum esset parvulus, post vero pubescens a seipso distabat, eodem quoque modo habitus et dispositio: namque habitus firma est dispositio, affectio infirmus est habitus, ut quemadmodum distat albus color ab albo colore, si in pictura hic quidem permaneat, ille vero statim periturus sit, nisi quod is qui A permanentior est, in habitu est, ille vero qui facile periturus est, in affectione, ita nihil aliud interest inter habitum atque dispositionem. Nam quamvis permanentior sit habitus, facile vero mobilis dispositio, non nisi tantum diuturnitate differunt permanendi. Unde fit ut genere et specie habitus a dispositione non discrepet. Quocirca recte quæ numero solo distabant, non specie sub unius speciei nuncupatione utraque sunt ab Aristotele proposita, sed est horum propria differentia, quod habitus diutissime permanentes dispositiones sunt. Dispositio autem facile mobilis habitus, sed si horum exempla quæramus, hæc poterunt inveniri. Habitudines sunt ut artes, disciplinæ, virtutes. Nam ars non facile mobilis videtur et diutissime permanet. Hoc enim ars ipsa meditatur ut usu atque exercitatione non pereat. B Quis enim est qui sciens recte grammaticam nulla vi interveniente validioris passionis amisit? Fertur enim quidam summus orator ægritudine febribusque decoctus, omnem litterarum amisisse doctrinam, in aliis vero rebus sanus ac sibi constans et in omni re vegetus permansisse. Disciplina quoque etiam ipsa est in permutatione difficilis. Quis enim sciens triangulum, duobus directis angulis, tres interiores similes habere angulos, hanc scientiam præter vim (ut dictum est) fortioris passionis amisit? Virtutes quoque in eodem genere ponendæ sunt. Virtus enim nisi difficile mutabilis non est, neque enim quod semel juste judicat justus est, neque qui semel adulterium facit, est adulter, sed cum ista voluntas cogitatioque permanserit. Aristoteles enim C virtutes non putat scientias, ut Socrates, sed habitus in Ethicis suis esse declarat. Quocirca constat esse habitus stabiliter permanentes, difficileque mutabiles, hoc tantum excepto, ut non eas vis aliqua major alicujus permutationis impellat et destruat. Affectionis vero species sunt, ut calefactio atque perfrictio, et ægritudo atque sanitas, cum ad eas quodammodo sit homo dispositus atque affectus, non tamen immutabiliter aut caloris qualitatem habeat aut frigoris, sicut nec perpetuo sanitatis aut perpetuo ægritudinis. Quin etiam si qua sunt quæ per longi temporis ægritudinem corporibus immutabiliter indurantur, ut ea jam in naturam quodammodo corporis cujusque transierint, ut si quis percussus cicatricem faciat insanabilem, illi ex dispositione et B affectione quidam factus est habitus. Quocirca recte dictum est dispositiones inveteratas habitus facere. Nam cum quælibet dispositio permanens et difficile mobilis facta sit, illa jam non dispositio aut affectio, sed habitus vocandus est.

Manifestum est autem quoniam hæc volunt habitudines nominari, quæ sunt diuturniora et difficile mobilia. Namque in disciplinis non multum retinentes sed facile mobiles, non dicuntur habitum habere, quamvis sint ad disciplinas pejus vel melius dispositi. Quare differt habitus a dispositione, quod hoc quidem facile mobile est, illud vero diuturnius et difficile mobile.

Habitus esse qualitates difficile mobiles et diutur-

nissime permanentes hoc argumento confirmat, quod eos quibus quælibet scientia traditur, si ab eis non fortiter addiscatur, ejus rei quam discunt habitum retinere non dicimus. Qui enim litteras discens nondum soluto cursu sermonis, sed syllabatim quodammodo atque intercise per imperitiam legerit, eum quidem dispositum esse atque affectum dicimus ad scientiam litterarum, non tamen adhuc illum habitum retinere. Quare idem quoque est in aliis rebus. Omnes enim quicunque ad aliquam rem dispositi, ejus rei qua sunt aliquo modo affecti, non diuturnam in se receptionem habent, eos ad illam rem dispositos quidem esse arbitramur, habitum vero habere non dicimus. Recte igitur habitus diuturnior, et permanentior, dispositio vero facile mobilis deque perdurabilis ab Aristotele proponitur.

Sunt autem habitus etiam dispositiones, dispositiones vero non necesse est habitus esse, qui enim retinent habitus et quodammodo dispositi sunt per eos qui autem dispositi sunt non omnino retinent habitum.

Sensus quidem talis est, quod omnis quicunque habeat habitum, habet quoque in eodem habitu dispositionem. Si quis vero habeat dispositionem, non necesse sit eum etiam habitum retinere. Habitus ab habendo dictus est. Idcirco quod ab aliquo immutabiliter vel difficile immutabilitur habeatur, ut glauci oculi, vel aduncæ nares, vel alicujus artis scientia atque doctrina, quæ si quis habeat, etiam dispositus ad ea esse dicitur. Si quis autem dispositus ad aliquam rem sit, non eum necesse est etiam habitum habere, ut si quis negligentius opertus algore quatiatur, dispositus quidem tunc ad frigus est, non tamen ejus retinet habitum. Videtur autem eamdem similitudinem servare genus. Nam genus amplius prædicatur, et ubicunque species sit, mox quoque nomen generis præsto est. Ubi autem sit genus, non necessario speciei vocabulum consequitur, ut si quis est homo, eum animal esse necesse est. Si quis est animal, non statim homo dicitur. Quocirca cum quidquid est habitus, dispositio sit, quidquid dispositio non omnino sit habitus, videtur genus esse quoddam habitus dispositio, sed illud verius, ubi intentio est atque remissio, genus intentionis, remissionis non posse. Nam sicut in eo quod est album et magis album, magis albi genus album esse non potest, idem namque est album et magis album, nisi forte quod sola discrepant intentione, quod magis album quadam quasi intentione augmentoque crescit atque porrigitur, sic etiam habitus atque dispositio cum idem sint, utraque sola differunt intentione, quod auctior quodammodo, et incremento quodam permanentior firmiorque est habitus dispositione; quocirca dispositio habitus genus non est, eodem quoque modo nec dispositionis species, habitus. Sed nunc quidam ita est habitus, ut non per dispositionem creverit, neque per aliquam nondum durabilem qualitatem ad perfectum venerit statum, ut est nasi curvitas, vel cæcitas oculorum, si subita facta sit. Hæc enim ab ipso habitu nulla præcedente dispositione cœperunt; forte A enim nunquam ad ea dispositus fuit aliquis, qui adhuc non haberet. Alii vero habitus intentione fiunt atque inveteratione dispositionis, ut ea quæ in artibus doctrinisque versantur. Prius enim quis ad ea dispositus est, post vero habitum capit, alia vero non intentione, sed quadam permutatione ad habitum veniunt, ut lac quod ex liquido defigitur et conetipatur in caseum, et vinum quod ex dulci atque suavi in acidum gustum saporemque convertitur; neque enim plus tunc vinum est quam fuit ante cum esset suave, sed cum quadam permutatione in aliam qualitatem habitudinemque transgressum est. Ac de prima quidem qualitatis specie sufficienter est dictum.

Aliud vero genus qualitatis est, secundum quod pugillatores vel cursores, vel salubres vel insalubres dicimus, et simpliciter quæcunque secundum potentiam B *naturalem vel impotentiam dicuntur. Non enim quoniam sunt dispositi aliquo modo, unumquodque hujusmodi dicitur, sed quod habent potentiam naturalem vel impotentiam facere quiddam facile vel nihil pati, ut pugillatores vel cursores dicuntur, non quod sint dispositi aliquo modo, sed quod habeant potentiam naturalem hoc facile faciendi. Salubres autem dicuntur, eo quod habeant potentiam naturalem, ut nihil a quibuslibet accidentibus facile patiantur, insalubres vero eo quod habeant impotentiam naturalem non facile patiendi. Similiter autem his et molle et durum se habent, durum enim dicitur quia habeat potentiam non facile secari, molle vero quod habeat ejusdem ipsius impotentiam.*

C Secundam vero speciem qualitatis esse commemorat, quæ ex quadam naturali potentia impotentiaque proveniat; hoc autem hujusmodi est, ut cum aliquos validi corporis intuemur nondum pugiles, neque hujus peritia artis imbutos, sed sic eos pugillatores dicimus, non in eo quod jam sint pugiles, sed eo quod esse possint, et si quorum leve corpus aspicimus, suraque non magnas, eos facile moveri cursuque veloces existimamus, quanquam nondum ad cursus certamen aspirent, nec sint cursores, eos tamen cursores secundum potentiam nominamus, non quod jam currant, sed quod possint currere, non absurde vocabimus. Eodem quoque modo eos vocamus salubres vel insalubres, quos valenti corpore vel fragiliore, vel ad sanitatem aptos, vel ad ægritudinem credimus. Unde fit ut quosdam ægrotos possimus salubres vo- D care, quosdam vero sanos insalubres dicere: non enim, quod jam actu vel sani vel ægroti sint, salubres vel insalubres dicuntur, sed quod vel sani diutius esse possint vel ægroti. Sed quæstio est cur cum de qualitatis speciebus propositum sit, secundum genus dixerit qualitatis et non speciem; ita enim ait: Aliud vero genus qualitatis est secundum quod pugillatores vel cursores, vel salubres et insalubres dicimus. Sed qui hoc quærunt ignorare videntur illud esse solum genus, quod super se aliud genus non habeat. Illud veros solum speciem, quod sub se nullas species claudat, illa vero quæ inter genera generalissima speciesque specialissimas sunt, communi

posse generis et speciei nomine nuncupari. Quocirca quoniam de ea specie qualitatis Aristoteles tractat, quæ nondum sit species specialissima, sed magis generis prima species, et hujusmodi species quæ possit esse et genus, nihil absurdum est eamdem et speciei et generis loco ponere. Sed ut sunt quædam qualitates, a quibus denominatione quadam facta quælibet illa res dicitur, ut ab albedine album, vel a luxuria luxuriosum, vel quidquid hujusmodi est, in his quæ sunt secundum potentiam naturalem non ita est. Ars enim ipsa pugillatoria non est proposita, a qua pugillatores dicamus. Pugillatores enim non dicuntur ab eo quod usum pugillatoriæ artis exerceant, sed ab eo quod ad eam secundum potentiam naturalem affecti sunt; quocirca quos dicimus pugillatores a pugillatoria dicti non sunt, neque ab ea denominari possunt, sed magis a pugillatoria arte pugiles appellantur. Pugilis enim est qui pugillatoria arte utitur, atque hoc idem in cæteris licet videre. In his ergo nulla certa qualitas est a qua cætera nominentur. Sed si qua tamen invenienda atque exprimenda sit, talis est quam ipse Aristoteles hoc modo denuntiat, quæ sit secundum potentiam aliquid faciendi, vel impotentiam aliquid patiendi. Pugillatores enim et cursores idcirco dicimus, quod habeant potentiam faciendi, id est currere atque esse pugiles. Salubres vero denominamus, quod et ipsi habeant aliquam quodammodo impotentiam aliquid patiendi; qui enim minus ab extrinsecus accidentibus patitur, hic de sanitate securus est, et qui de sanitate securus est, illum salubrem esse re vera possumus prædicare. Alia vero est qualitas quæ secundum nihil patiendi impotentiam dicitur, ut eos quos insalubres vocamus; hi enim impotentiam habent nihil patiendi, idcirco quod habeant potentiam aliquid cito patiendi: quod si quis est qui ab extrinsecus accidentibus aliquid facile patiatur, ille potens est facillime ægritudini subjacere, secundum quam potentiam insalubres dicimus, etiamsi sint sani. Eodem quoque modo durum dicitur et molle. Durum enim est quod habet potentiam non citius secari, quod enim durum est, difficillime aliqua sectione dividitur. Molle autem quod habeat impotentiam difficilius secari, quod quoniam molle secatur facile, secundum impotentiam difficilius secari molle dicimus. Et hæc est secunda species qualitatis. Nunc transeamus ad tertiam.

Tertia vero species qualitatis est passibiles qualitates et passiones; sunt autem hujusmodi, ut dulcedo, amaritudo, austeritas, et omnia his cognata. Amplius, et calor: et frigus, et albedo, et nigredo. Et quoniam hæ qualitates sunt manifestum est, quæcunque enim ista susceperint, qualia dicuntur secundum ea, ut mel quoniam dulcedinem suscepit, dulce dicitur, et corpus album, eo quod albedinem suscepit. Similiter autem sese habent et in cæteris.

Tertium genus qualitatis proponit, quod nos in partem qualitatis speciemque convertimus passibiles qualitates et passiones. Hæc autem a se plurimum distant, tamen cum utraque qualitates sint, utraque A prius docet, post vero quæ eorum distantia esse videatur edisserit, et prius eorum convenientia proponit exempla. Nam quid sint passibiles qualitates docens ait, ut dulcedo vel amaritudo, calor et frigus, nigredo et albedo, et alia his cognata, hæc quæ superius comprehensa sunt qualitates esse illa ratione confirmat, quam in primordio de qualitatis disputatione ipsius qualitatis esse reddiderat. Diffinitionem enim qualitatis esse prædixerat, secundum quam quales vocamur. Quod si secundum qualitatis quales vocamur, ab amaritudine vero vel a dulcedine amarum vel dulce dicitur. A nigredine atque albedine nigrum atque album, quis dubitet has esse qualitates in quibus qualitatis convenit diffinitio? Illa enim semper ejusdem naturæ esse creduntur, quæcunque ejusdem descriptionis finibus terminantur, ut si qua res B diffinitionem hanc, quæ est animal rationale mortale susceperit, eam hominem esse manifestum est. Quocirca si hæ quas passibiles qualitates vel passiones dixerat, suscipiunt qualitatis diffinitionem, eo quod qualia dicuntur quæ illa susceperint, has etiam constat esse qualitates.

Possibiles vero qualitates dicuntur, non quod hæc quæ illas susceperint qualitates, aliquid patiantur, neque enim mel quod aliquid passum sit, idcirco dicitur dulce, nec aliquid aliud hujusmodi. Similiter autem his et calor et frigus passibiles qualitates dicuntur, non quod ipsa quæ eas suscipiunt, aliquid passa sint, sed quoniam singula eorum quæ dicta sunt, secundum sensuum qualitatem passionis perfectiva sunt, passibiles C *qualitates dicuntur, dulcedo enim quamdam passionem secundum gustum efficit, et calor secundum tactum, similiter autem et alia.*

Passibilium qualitatum exempla constituerat dulcedinem vel amaritudinem, frigus atque calorem, albedinem atque nigredinem, quæ cum passibiles qualitates sint, non tamen uno eodemque modo passibiles qualitates dicuntur; sed longe distant rationes quibus hæc omnia qualitates passibiles appellantur, ut prius dulcedo vel amaritudo, calor et frigus passibiles qualitates dicuntur, non quod ea quæ sunt dulcia aliquid extrinseous patiantur, nec quod ea quæ sunt amara, ex aliqua passione saporem asperum amaritudinemque susceperint. Neque enim mel aliquid D passum est, ut ei dulcedo esset in natura, nec vero absinthium ab ulla aliqua extrinsecus passione amaritudinis horror infecit; quocirca hæc atque his similia non idcirco dicuntur esse passibiles qualitates, quod ipsæ aliquid passæ sint, sed quod ex his passiones quædam in sensibus dimittantur. Namque ex melle quod dulce est, dulcedo quædam in gustu relinquitur, simulque etiam calor et frigus passionem quamdam sensibus faciunt. Patimur dulcedinem, cum aliquid dulce gustamus, simulque secundum caloris et frigoris qualitatem, talium sensuum passionem subimus. Quocirca calor et frigus, amaritudo atque dulcedo, idcirco passibiles qualitates dicuntur, quod secundum sensuum qualitatem, aliquam in

nobis efficiunt passionem, non quod ipsa extrinsecus aliquid patiantur.

Albedo autem et nigredo et alii colores non similiter his quæ dicta sunt passibiles qualitates dicuntur, sed hoc quod hæ ipsæ qualitates ab aliquibus passionibus innascuntur.

Quoniam vero passibiles qualitates etiam colores esse dicuntur,id est albedo et nigredo.Non autem eodem modo passibiles qualitates dicuntur,quemadmodum amaritudo atque dulcedo, calor et frigus, nunc quæ eorum distantiæ esse possint, exponit. Amaritudo enim atque dulcedo non quod ipsa aliquid extrinsecus paterentur,sed quod ipsa efficerent passiones,passibiles qualitates vocabantur,albedo vero et nigredo contrariæ.Non enim quod ipsæ aliquas sensibus passiones importent,sed quod ex aliis quibusdam passionibus innascantur.Hoc autem videtur Aristoteles eo quodammodo considerasse,quod post proposuit hoc modo :

Quoniam ergo fiunt per aliquam passionem multæ colorum mutationes manifestum est, rubescens enim aliquis rubeus factus est,et timens pallidus,et unumquodque talium.

Hoc autem ex non longi temporis passionibus ad passibiles qualitates et diutissime permanentes,acutissima consideratione transfertur,fit enim rationis probabilitas hoc modo.Monstrantur enim colorum qualitates ex passionibus nasci,quod cum verecundia passio quædam sit,ex ea rubor exoritur, et cum timor loco passionis habeatur,ab ea pallor metuentis vultum atque ora defigit.Quare quoniam hi colores ex quadam passione videntur innasci,etiam in naturali colore eamdem verisimile est evenisse rationem.Nam quoniam cum verecundia fit,in os omnis sanguis egreditur,et velut delictum tecturus effunditur,ita quoque fit rubor ex sanguinis progressione, atque in apertum effusione.Quocirca si hoc ex innaturali passione contigerit, naturali facies rubore perfunditur. Pallor vero fit,quoties a facie sanguis ad præcordiorum interiora ingreditur.Quod si hæc quoque naturalis passio det,verisimile est eodem infectum calore procreari. Quocirca sive per ægritudinem pallor fit,quod naturale non est, sive per aliquem naturalem eventum passionis accidat,cæteraque ad eumdem modum, passibiles qualitates dicuntur,eo quod ex aliquibus passionibus sint,quod ipse Aristoteles hac voce testatur :

Quare et si quis naturaliter aliquid talium passus est, similem colorem oportet eum habere.Quæ enim affectio nunc ad verecundiam circa corpus facta est,et secundum naturalem passionem eadem fiet affectio, ut naturalis color sit similis.

Nam sive aliquis vel nondum natus aliquid patiatur,quo faciem sanguis relinquat,sive quolibet alio modo sanguis ex infantis vultu ad interiora migravit, faciem naturalis infecit pallor,et quæ nunc non naturales passiones dispositionesque sunt,ut cum hi colores faciem vel totum corpus inficiunt,hi si naturaliter contigerint eisdem, similibus signatus coloribus vultus aspicietur.Nunc enim cum æstus in superficie vultus sanguinem impositum decoxerit, nigredinis perusti sanguinis rubor reddit colorem. Quod si idem aliqua passione in faciem nondum geniti infantis acciderit, eamdem verisimile est affectionem coloris corpus suscipientis inficere. Quare quæ in coloribus sunt idcirco passibiles qualitates dicuntur,non quod ipsæ aliquid patiantur,sed quod ex aliquibus passionibus in cujuslibet corpus atque ora proveniunt.

Quæcunque ergo talium casuum ab aliquibus passionibus difficile mobilibus et permanentibus principium sumpserint, passibiles qualitates dicuntur ; sive enim secundum naturalem substantiam pallor aut nigredo facta est,qualitates dicuntur.Quales enim et secundum eas dicimur,sive propter ægritudinem longam vel æstum aliquid tale contingit,nigredo vel pallor,et non facile præterit,vel in vita permanet,qualitates et istæ dicuntur.Similiter enim quales et secundum eas dicimur.

Dat quoddam signum quo perspecto valeamus agnoscere, quas harum omnium quæ supradictæ sunt, qualitates oporteat appellari. Si enim ita vel casu aliquo,vel natura hæ qualitates evenerint, ut eorum sit tardus exitus permutatioque difficilis, qualitates vocantur. Si quis enim vel per ægritudinem,vel per naturam pallidus fiat,sitque in ejus corpore permanens pallor,tunc qualitas appellatur, et hoc non in corporalibus solum vitiis,sed etiam in animi quoque affectionibus invenitur. Si quis enim vel per naturam,vel quolibet alio postea casu assiduis comessationibus delectetur,et hoc illi quodammodo in ipsa mentis dissolutione per maneat,ab eoque difficile moveatur, passibilis qualitas effecta est, idcirco quod secundum eam quales dicuntur quibus illa provenerit. Niger enim dicitur in quo nigredo permanserit;comessator,cui voluptas perpetuo comessandi est.Est ergo signum in passibilibus qualitatibus hoc eas esse immobiles et permanentes. Quæ autem hujusmodi sunt quæ facillime permutantur, et temporali statu sunt, de his talis Aristotelis videtur esse sententia.

Quæcunque vero ex his fiunt quæ facile solvuntur,et cito transeunt,passiones dicuntur,qualitates vero minime,non enim dicimur secundum eas quales,neque enim qui propter verecundiam rubeus factus est,rubeus dicitur,nec cui pallor propter timorem venit,pallidus est, sed magis quia aliquid passus sit,quare passiones hujusmodi dicuntur,qualitates vero minime.Similiter his et secundum animam passiones et passibiles qualitates dicuntur.Quæcunque enim mox innascendo ab aliquibus passionibus difficile mobilibus fiunt,qualitates dicuntur, ut et dementia, et ira, et alia hujusmodi, quales enim secundum eas dicimur,id est et iracundi; et dementes.Similiter autem et quæcunque aliæ alienationes non naturales, sed ab aliquibus casibus factæ sunt,difficile prætereuntes vel etiam omnino immobiles, et hujusmodi aliæ qualitates sunt,quales enim et secundum eas dicimur. Quæcunque vero ex his quæ facile

et citius prætereunt fiunt, passiones dicuntur, ut si quis contristatus iracundior fit ; non enim iracundus dicitur, qui in hujusmodi passione iracundior est, sed magis aliquid passus. Quare passiones quidem hujusmodi dicuntur, qualitates vero minime.

Quid de his affectionibus judicaret, quæ ad præsens tempus atque ad momentum animis vel corporibus inhærerent, ipse non obscura oratione vulgavit. Nam cum prius eas esse passibiles qualitates pronuntiaret, quæ ex aliquibus passionibus gignerentur, et tamen in subjectis immutabiliter permanerent, nunc illas affectiones quæ ita sunt in subjectis ut cito prætereant, non qualitates, sed passiones vocat. Si quis enim propter verecundiam rubore infectus est, quoniam rubor ille non permanet, rubeus non vocatur; qui si rubeus diceretur, esset quoque ipse rubor passibilis qualitas, quoniam in subjecto corpore diutissime permaneret. Nunc autem quoniam nullo modo rubeus dicitur, cui a verecundia rubor venit, qualitates autem sunt secundum quas quales vocamur, verecundiæ rubor non qualitas, sed quædam passio est ; nam si esset qualitas, ab eo rubore rubei dicerentur, id est quales, sed hoc non ita est. Non igitur hujusmodi affectiones quæ haud multo durant tempore qualitates vocantur, sed potius passiones. Passus enim aliquid dicitur, qui propter verecundiam rubeus fit. Eadem ratio est etiam in animi passionibus. Nam si ad momentum quis iratus est, non idcirco eum jure aliquis iracundum vocet, sed si hujusmodi vitium in cujuslibet animo constanter inhæserit. Nam si quis vel per naturam vel per ægritudinem sit læsus corpore, ut vel perpetuam dementiam, vel immobilem incurrat iracundiam, ille vel demens vel iracundus dicitur. Et quæcunque alienationes (ut ipse ait) vel secundum naturam, vel per casum permanentes fuerint, illæ in passibili qualitate numerantur, idcirco quod secundum eas quales dicimur. Quæ autem (ut dictum est) non permanent, sed facile transeunt, eas non qualitates, sed solum vocamus passiones. Sed quoniam tres species qualitatis enumeravit, unam secundum quam habitus dispositionesque dicerentur, alteram secundum quam naturalis potentia vel impotentia ad aliquid faciendum vel patiendum subjectarum rerum naturas pararet, tertiam secundum quam passibiles qualitates dicerentur, et hanc tali duplicitate partitus est, ut alias idcirco diceret passibiles esse qualitates, quod ipsæ aliquas gignerent passiones, alias vero quod ab aliquibus ipsæ passionibus nascerentur. Quæri potest quomodo hæ quoque passibiles qualitates distenta prima illa specie qualitatis, quæ secundum habitum dispositionemque posita est. Nam si quis calorem frigusque persenserit, habet quidem qualitatem passibilem, sed tamen in ejusdem ipsius dispositione atque affectione versatur ; dispositus namque est ad eumdem calorem atque frigus, quem sumpsit atque habuit, quod scilicet ipse Aristoteles videns calorem frigusque in utraque specie numeravit; namque et dispositionem dixit calorem atque frigus, et passibilem qualitatem. Hujus quæstionis talis solutio est. Nihil impedit, secundum aliam scilicet atque aliam causam, unam eamdemque rem gemino generi speciei suæ supponere, ut Socrates in eo quod pater est ad aliquid dicitur, in eo quod homo, substantia est, sic in calore atque frigore, in eo quod quis secundum ea videtur esse dispositus, in dispositione numerata sunt; secundum vero quod ex aliquibus passionibus innascuntur, passibiles qualitates dictæ sunt. Ipsæ vero ab habitu distant, id est passibiles qualitates, quod in plurimis ad habitus rebus per artes atque scientias pervenitur, ita ut ipse habitus ordine et filo quodam perficiatur. Passibiles vero qualitates eo modo minime. Quo vero distent hæ passibiles qualitates a secunda specie, quæ secundum naturalem potentiam vel impotentiam dicitur, quæritur, cujus perplana distantia est. Dicimus enim secundum potentiæ naturalis speciem aliquid dici, non secundum præsentem actum, sed secundum id quod ad hoc esse potest; frigus vero calorque, et dulcedo vel amaritudo non secundum quod possit esse, sed secundum id quod jam sit consideratur; quocirca distat hæc tertia species a secunda, quod hic secundum possibilitatem dicitur, tertia vero secundum actum. Sed quod dudum promiscue passiones affectionum nomine vocabamus, hæc quoque non longa quæstio alia est. Sic enim inveniemus quod passio ab affectionibus discrepare videatur. Si qua enim corpora ita calefacta sint, ut ex se quoque ipsa aliquem calorem emittere valeant, illa ad calorem affecta nuncupantur. Si qua vero tantum calorem momento susceperint, passiones dicimus, et ab affectionibus segregamus, ut hic sit integrum passionum affectionumque et habitus augmentum, ut amplificata passio in affectionem transeat, augmentata affectio in habitum permutetur. Et hæc quidem de tertia specie qualitatis pronuntiasse sufficiat; nunc quarte speciei vim naturamque veracissima disputatione confirmat usquequo progressa qualitatis distributio conquiescit. Nobis quoque disputationum prolixitas moderanda est. Providendum quoque est ut sufficiens brevitas ordini expositionis adhibeatur, ne aut brevitatem comitetur obscuritas, aut planitiem minus moderata oratio, odioso fastidio et longinquitate deformet.

Quartum vero genus qualitatis est figura, et circa unumquodque constans forma. Amplius ad hæc rectitudo et curvitas, et si quid simile est his ; secundum enim unumquodque eorum quale quid dicitur, triangulum enim vel quadrangulum esse quale quid dicitur, et rectum aut curvum. Et secundum formam unumquodque quale dicitur.

Quarta est species qualitatis quæ secundum unamquamque formam figuramque perspicitur. Est autem figura, ut triangulum vel quadratum, forma autem ipsius figuræ quædam qualitas est, ut figura quidem est triangulum vel quadratum, forma autem ipsius trianguli vel quadrati quædam qualitas, unde etiam formosos homines dicimus. Figura enim quædam vel

pulchrior,vel mediocris,vel alio quodammodo constituta,qualitas formaque nominatur.Has autem esse qualitates nullus dubitat.Siquidem et a figura dicitur figuratus, et a forma formosus. Amplius quoque triangulum etiam a triangulatione denominatum est, et quadratum a quadratura.Quod si illæ sunt qualitates,secundum quas quale aliquid appelletur, non est qui dubitet formam figuramque esse qualitates, quoniam omnia quæ his participant ex ipsis qualia nominantur, sed quoniam in continuæ quantitatis speciebus et triangulum et superficies enumerata est, ipsa quidem superficies quantitas est, ipsius vero superficiei compositio qualitas,est enim figura (ut geometrici diffiniunt) quæ sub aliquo vel aliquibus terminis continetur.Sub aliquo quidem, ut circulus,sub aliquibus vero, ut triangulus vel quadratus.Quare spatium quidem ipsum,quod a supra dictis lineis continetur,superficies dicitur, quæ est quantitas.Superficies namque quoniam in dilatione quadam et spatio constat,quantitas est,sed compositio ipsius superficiei,qualitas.Nam quoniam tres lineæ convenienter in se junctis terminis unum spatium conclusere,quod tribus angulis a tribus lineis continetur,hoc ipsum spatium quod concludunt ad quantitatem referri potest, quod vero tribus lineis, hoc est qualitas,figura enim est triangula.Hoc idem quoque dici potest etiam in linea: nam quoniam longitudo sine latitudine est, quantitas dicitur, quod recta sive curva est,redditur rursus ad qualitatem.

Rarum vero et spissum, asperum et lene putabuntur quidem qualitatem significare, sed aliena hujusmodi putantur esse a dispositione quæ circa qualitatem est. Quamdam enim positionem magis videtur utrumque partium significare,spissum quidem est eo quod partes sibi ipsæ propinquæ sint,rarum vero eo quod distent a se invicem, et lene quidem quod in rectum sibi partes jaceant,asperum vero quod hæc quidem pars superet, illa vero sit inferior.Et fortasse alii quoque apparebunt qualitatis modi,sed qui maxime dicuntur,fere tot sunt. Qualitates itaque sunt quæ prædicta sunt,qualia vero sunt, quæ secundum hæc denominativæ dicuntur,vel quomodolibet aliter ab his.

Quædam sunt quæ videntur esse qualitates,quoniam ex his aliqua denominative dicuntur, ut lene quoniam dicitur a lenitate,et asperum quoniam dicitur ab asperitate,spissum quoque et rarum a raritate et spissitate nominantur; videntur ergo hæc quoque in qualitatibus posse numerari.Sed rectam rationem perspicientibus nec solum auribus quæ dicuntur,sed etiam mente atque animo judicantibus, in qualitatibus hæc poni non oportere manifestum est.Nam quod dicimus rarum,positio quædam partium est,non qualitas.Nam quia ita partes a se separatæ distant,ut inter eas alieni generis corpus possit admitti,ideo rarum vocatur,ut spongiæ pumicesque, quoniam in eorum cavernis surculus vel aliud aliquid immitti potest,ita ut inter rimas partium sit,idcirco rarum dicitur. Porro autem spissum, quoniam ita sibi partes vicinæ sunt atque ad se invicem strictæ, ut inter eas nullum corpus possit incidere,atque ideo spissum vocatur,ut est ferrum vel adamas.Positio ergo quædam partium his inest,non qualitas, nec vero illud quoque distat, quod dicitur lene. Nam quoniam partes ita sunt positæ,et neutra superet, neutra sit minor,sed æqualibus extremitatibus junctæ sunt,idcirco quædam lenitas est,ut adducta manus illam quæ ex æqualitate junctis partibus nata est, sentiat lenitatem, ut est argentum. Asperitas vero est partium non æqualis positio,sed aliarum eminentium,aliarum vero depressarum,ut lima cujus aliæ partes eminent, aliæ vero depressæ sunt. Ergo secundum unamquamque partium positionem,vel raritas,vel spissitudo, vel asperitas, vel lenitas, corporibus est. Non igitur hæc secundum qualitatem dicuntur,sed potius secundum positionem. Positio autem in relationis genere nominata est.Non igitur hæ qualitates,sed potius relativa sunt,et enumerationes quidem specierum qualitatis Aristoteles hic terminat.Non sunt tamen putandæ solum esse qualitates quas supra posuit. Ipse enim testatur esse quoque alias qualitates,quas modo omnes enumerare neglexit,sed cur neglexerit multæ sunt causæ.Prima quod elementi vicem hic obtinet liber, nec perfectam scientiam tradit,sed tantummodo aditus atque pons quidam in altiora philosophiæ introitum pandit. Quocirca si hoc ita est,tantum dicere oportuit,quantum ingredientibus satis esset,ne eorum animos nondum ad scientiam firmos multiplici doctrinæ subtilitate confunderet. Quæ vero hic desunt in libris qui Μετὰ τὰ φυσικὰ inscribuntur apposuit.Perfectis namque opus illud non ingredientibus præparabitur. Est quoque alia causa ut nos ad exquirendas alias qualitates, non solum propriorum doctorum, sed etiam nostrorum aliquid inveniendi incitator,admitteret.Quocirca concludit eas quæ maxime dicerentur,quas supra proposuit,esse qualitates ; illa vero dici qualia,quæ secundum prædictas qualitates dicerentur: sed quoniam addidit,vel quomodolibet ab his quæ sit hujusce propositionis sententia,prius appositis Aristotelis verbis sequens expositionis ordo contexit.

In pluribus quidem et pene in omnibus denominative dicuntur,ut ab albedine albus,et a grammatica grammaticus,et a justitia justus,similiter autem et in aliis. In aliquibus vero eo quod non sint posita qualitatibus nomina,non contingit ab eis denominative dici,ut cursor aut,pugillator qui secundum aptitudinem naturalem dicuntur,a nulla qualitate denominative dicuntur. Non enim posita sunt nomina aptitudinibus secundum quas isti quales dicuntur,sicut in disciplinis,secundum quas vel pugillatores vel palæstrici secundum affectionem dicuntur. Pugillatoria enim ad palæstrica disciplina dicitur,quales vero ab his denominative hi qui ab eis afficiuntur, dicuntur. Aliquando autem et posito nomine denominative non dicitur id quod secundum ipsum quale dicitur,ut a virtute studiosus dicitur.Virtutem enim habendo studiosus dicitar, sed non denominative dicitur a virtute. Non autem in pluribus hoc

tale est; quæ autem dicuntur qualia, aut denominative a prædictis qualitatibus dicuntur, aut aliquo modo aliter ab his.

Multæ, inquit, sunt qualitates, quibus positis et proprio nomine nuncupatis, ab his alia denominative dicuntur, ut ea quæ ipse planissime adjecit exempla. Nam cum albedo cujusdam nomen sit qualitatis, ab eo dicitur albus. Eodem quoque modo et grammatica, cum rei sit nomen, ab ipso quales dicuntur. Grammatici enim a grammatica nominantur, atque hoc est in pluribus, ut posito nomine si quid secundum ipsas qualitates quale dicitur, ex his ipsis qualitatibus appellatio derivetur. Aliæ vero qualitates sunt, in quibus cum nomen positum non sit, tamen quales dicuntur, quales quidem quia alia qualitate participant, sed non secundum eam qualitatem quales dicuntur, ex qua si his esset qualitatibus nomen impositum poterant appellari, ut in ea qualitate quæ secundum potentiam naturalem dicitur. Illi enim quanquam quales dicantur, hi qui secundum ipsam potentiam nominantur, ipsi tamen (ut dictum est) nullo proprio nomine nuncupantur. Nam qui pugiles appellantur ab arte pugillatoria, idcirco ab ea pugiles dicuntur, quod ad eamdem ipsam artem pugillatoriam quodammodo affecti sunt. Hi enim pugiles ab arte pugillatoria prædicantur. Qui vero nondum pugiles sunt, sed esse possunt, non secundum ipsam artem, id est pugillatoriam, sed secundum potentiam pugillatoriæ artis, pugillatores vocantur. Ipsi autem potentiæ nomen proprium positum non est. Nam quemadmodum a cursu cursores, a palæstra palæstrici, a pugillatoria pugiles, distinctis qualitatum vocabulis, appellantur, non eodem modo est etiam in uniuscujusque rei potentia naturali, cursus enim potentia naturalis secundum quam cursores vocamus, et rursus potentia pugillandi, vel potentia palæstrizandi, suo nomine distincta non est. Cur enim dicitur cursor, si interrogemur de eo qui nondum est cursor? dicimus secundum potentiam naturalem. Cur palæstricus? eodem quoque modo naturalem potentiam respondemus. Quare pugillator qui nondum est pugillis, ab eadem quoque potentia naturali nominatur. Si igitur haberet hæc naturalis potentia proprium nomen, ita, distinctis vocabulis, appellaretur, ut in his qualitatibus in quibus proprie nomen est positum, ut in cursu, palæstra et arte pugillatoria, et hoc est quod ait. In aliquibus vero propterea quod qualitatibus nomina non sunt posita, impossibile est ab his aliquid denominative dici. Ut hoc scilicet demonstraret cursorem quidem qui jam curreret a cursu esse dictum, cursorem vero qui secundum potentiam currendi diceretur non vocari a cursu, sed tantum a potentia, cujus potentiæ nomen proprium non esset positum. Quare hæc omnia quæ secundum potentiam naturalem dicuntur, a nulla qualitate denominativa sunt. Idcirco quod hæ qualitates a quibus denominari possunt, propriis nominibus carent, quæ vero ita sint, ut non ex potentia, sed ex affectione dicantur, ab his qualitatibus ad quas sese aliquo modo habent, denominative dicuntur, quod Aristoteles hoc protulit modo dicens: Non ita esse secundum potentiam naturalem, quemadmodum etiam in disciplinis secundum quas, vel pugillatores, vel palæstrici secundum affectionem dicuntur. Pugillatoria enim disciplina dicitur et palæstrica, quales vero ab his denominative, qui ad eas sunt continentes, dicuntur. Docuit igitur omnia quæ a quibusdam qualitatibus dici putarentur, vero quoque a qualitatibus non prædicari, ut in his qualitatibus quibus nomen proprium non est. Illud quoque monstravit hoc in pluribus evenire, ut de propositis qualitatibus qualia denominative dicerentur. Restat ergo, quod reliquum est, ut dicat esse quasdam qualitates, quarum cum nomen sit positum, ab his ipsis tamen quæ illarum rerum participant denominative non dici, ut virtus; nam cum virtus qualitas sit (est enim habitus quidam, omnis vero habitus qualitas), ergo quicunque virtute participat, non secundum eam denominative dicitur. In denominatione enim quærendum est ut semper idem permaneat nomen. In eo autem qui virtute participat, nulla virtutis denominatio est, ut qui bonitate participat bonus dicitur, qui justitia, justus, et alia hujusmodi. Qui vero virtute participat, aut probus nominatur, aut sapiens; sed neque probus, neque sapiens a virtute denominativa sunt, idcirco quod utrumque nomen a virtute longe dissimile est, quod ipse sic ait: Aliquando autem posito nomine denominative non dicitur id quod secundum ipsum quale dicitur. Et ejus rei proponere non omisit exemplum, sed hoc in multis non potest inveniri, pauca enim sunt (ut ipse ait) in quibus posito qualitatis nomine quæ his participant, a superiori qualitate qualia non dicantur. Dat autem his qualitatibus pluralitatis calculum, ex quibus qualia nominantur ea quæ his participant. Nam (ut ipse ait superius) in pluribus et pene in omnibus denominative dicuntur. Quocirca recta diffinitio est et proprio ordine constituta. Namque in principio hoc solum dictum est, esse qualitatem secundum quam qualia dicerentur. Sed quoniam sunt quædam quorum qualitates ipsæ propriis nominibus carent, quæ vero his participant suis vocabulis appellantur, ut in naturali potentia. Et rursus sunt quædam quæ in qualitatibus quidem habeant propria nomina, in his vero quæ ad eas ipsas qualitates essent affecta, nulla ex propositis qualitatibus denominatio fieret, hoc addidit, ab omnibus qualitatibus aut denominative dici qualia, quæ illis qualitatibus participaret, aut quomodolibet, aliter, id est sive posito nomine qualitatis de eo non dicerentur, quæ illa participarent, ut in eo quod est virtus, sive ipsi qualitati positum nomen non esset, ut in eo quod est potentia naturalis. Quare quoniam in his duabus qualitatis, in quibus vel posito nomine non secundum nomen quæ sunt, qualia denominative dicuntur, vel cum ipsis qualitatibus nomen positum non sit, neutra ipsorum prædicatio denominative fit. Ad concludendum omnem terminum qualitatis ait, aut denominative qualia a qualitatibus appellari, aut quomodolibet aliter ab ipsis, ut

non denominative,sed aliquoties quidem secundum potentiam,aliquoties vero secundum eamdem qualitatem virtutis ; eamdem enim qualitas est virtutis et sapientiæ. Quocirca concludit, ita qualia dici quæ-runque ex his qualitatibus denominative dicerentur, vel quomodolibet alio ab ipsis modo. Digestis in ordine prius omnibus qualitatibus et eorum conclusione reperta, consueto ordine unaquæque proprietas vestigatur.

Inest autem et contrarietas secundum qua le, ut justitia injustitiæ contraria est, et albedo nigredi,et alia, similiter autem et ea quæ secundum eas qualia dicuntur, ut justum injusto,et album nigro, non autem in omnibus hoc est, rubro enim vel pallido aut mediis hujusmodi coloribus nihil contrarium est qualitatibus existentibus.

Dicit in qualitatibus quædam esse contraria,atque hoc probat exemplis,albedo namque et nigredo contraria sunt,et quæcunque albedine nigredineque participant ; hoc est enim quod ait, et secundum eas qualia quæ dicuntur;nam sicut albedo nigredini contraria est,ita quoque albus nigro ; sed hoc qualitatis proprium non est, nam cum rubrum et pallidum qualitates sint, aliique etiam colores hujusmodi, in his contrarium non est; nullus enim dicit aliquid rubro vel pallido esse contrarium : nam quoniam album et nigrum extremitates quædam colorum sunt, et longissime a se distant, contraria sunt, medietates vero contraria non habent:Nam si quis ponat rubrum nigro esse contrarium, longissimeque distant quæ sunt contraria, longissime igitur nigredo a rubore distabit, et rursus albedo a nigredine plurimum distat ; igitur nigredini rubor est atque albedo contraria, uniusque rei duo contraria inveniuntur, quod fieri non potest. Non est igitur nigredi contrarius rubor.Similiter autem monstrabimus et in aliis mediis coloribus contrarium non esse.Quocirca si hujusmodi coloribus contrarium nihil est,non in omni qualitate contrarietas reperietur ; quod si ita est,suscipere contraria qualitatis proprium non est.At vero nec in ipsis quoque formis quæ manifeste qualitates sunt, contrarietas invenitur ; nam neque circulus quadrato, neque quadratus triangulo,nec ulla figura ulli figuræ potest esse contraria. Quocirca manifestum est, suscipere contrarium non esse proprium qualitatis. Sed quoniam sunt quædam in qualitate quæ sibimet videantur esse contraria, ut justitia et injustitia, hinc quædam quæstio solet oriri. Dicunt enim quidam justitiæ injustitiam non esse contrariam, putant enim quod dicitur injustitia privationem esse justitiæ, non tamen contrarietatem.Contraria enim propriis nominibus, non contrarii privatione nominari,ut album nigro,habere tamen justitiam aliquam contrarietatem,cujus adhuc proprium nomen non sit inventum,quod omnino falsum est.Multæ enim habitudines privationis vocabulo proferuntur,ut illiberalitas et imprudentia, quæ nunquam virtutibus opponerentur, quæ sunt habitus, nisi ipsæ quoque habitus essent, et in animis habentium immutabiliter permanerent.At vero neque illud verum est, omnes privationes negatione proferri.Surditas enim,cum sit auditus privatio, sine negatione profertur ; eodem quoque modo cæcitas. Nullus enim dicit inauditio, neque invisio, nec aliquid hujusmodi, sed tantum surditas cæcitasque nominantur propriis nominibus, cum sint illa in habitu, visus, auditus, illa in privatione ponenda.Igitur justitia injustitiæ contraria est. Tradit ergo regulam, ea quæ contraria sunt, sub quo genere convenienter aptentur, quam regulam his verbis ipse præscribit :

Amplius si ex contrariis unum fuerit quale, et reliquum erit quale. Hoc autem palam est proponenti ex singulis alia prædicamenta,ut si est justitia injustitiæ contrarium ; quale autem est justitia, quale igitur est injustitia. Nullum enim aliorum prædicamentorum aptabitur injustitiæ,nec quantitas, nec ad aliquid, nec ubi,nec omnino talium aliud,nisi quale ; sic autem et in aliis quæ sunt secundum quale contraria sunt.

Si ex duobus, inquit, contrariis manifestum fuerit unum eorum contrariorum sub qualitate poni, simul manifestum erit quod etiam ejus contrarium convenienter qualitati supponatur, si nulque demonstrat injustitiam esse qualitatem. Nam si justitia apertissime qualitas est idcirco quod neque qualitas, neque ad aliquid, neque ubi, nec quando, nec aliud ullum prædicamentum est, nec sub ullo alio genere poni potest, nisi sub sola qualitate,cum ei contraria sit injustitia, non est dubium injustitiam quoque qualitati subnecti,quod ipse quoniam planius dixit, et ipsa exemplorum luce vulgavit, ad aliud nobis est transeundum.

Suscipit autem qualitas magis et minus, album enim magis et minus alterum altero dicitur,et justum alterum altero magis et minus dicitur. Sed et ipsa crementum suscipiunt ; cum candidum namque sit, amplius contingit candidum fieri,non tamen omnia,sed plura. Justitia namque a justitia si dicatur, magis et minus potest aliquis ambigere. Similiter et in aliis affectibus: quidam enim de talibus dubitant,justitiam namque a justitia non multum aiunt magis et minus dici,nec sanitatem a sanitate.Minus autem alterum altero habere sanitatem aiunt,et justitiam minus alterum altero habere,sic autem et grammaticam, et alios affectus.Alia igitur quæ secundum eos affectus dicuntur qualia, indubitanter recipiunt magis et minus. Grammaticior enim alter altero dicitur, et justior, et sanior ; similiter et in aliis.

Aliud quoque proprium protulit,quod tractata ratione ab integra proprietate qualitatis exclusit. Ait enim qualitates posse vel intendi vel minui. Posse enim dicit alterum altero plus album appellari,ut nix argento,et quæ candidiora sunt marmora,et justum alterum altero magis et minus dicimus.Namque justius aliquid factum,nec non etiam justissimum est. In quibus autem comparationes sunt, in his magis minusque dici manifestum est ; hoc quoque modo ipsum album, vel alia qualitas non solum contra alterum ejusdem speciei comparata intentione crescit,

et relaxatione minuitur, sed etiam a seipsa recipit comparationem: Dicitur enim nunc quidem argentum candidius esse quam antea, cum fuerit detersum. Sed cum hæc ita sint, non est magis minusque suscipere proprium qualitatis; neque enim sola qualitas magis minusque suscipit, hæc enim intentio et relaxatio in his quoque quæ sunt ad aliquid invenitur, ut in eo quod est æquale et inæquale possumus dicere plus æquale vel minus, et in cæteris hujusmodi; nec vero omnes qualitates suscipiunt magis et minus, quod ipse sic ponit: Non autem in omnibus hoc est, sed in pluribus. Dubitabit enim quis an justitia magis esse justitia dicatur, similiter autem et in aliis affectionibus. Quidam vero in hoc dubitant, dicunt enim justitiam justitia non magis vel minus dici, nec sanitatem sanitate; minus autem habere alterum altero sanitatem dicunt, et justitiam minus alterum altero habere. In hoc tres fuere sententiæ. Quidam namque dicebant, in omnibus secundum materiæ habitudinem reperiri posse magis et minus. Proprium namque esse materiæ corporumque intentione crescere et minui relaxatione, quæ quorumdam Platonicorum sententia fuit. Alia vero quæ secundum certissimas verissimasque artes atque virtutes non diceret esse magis et minus, secundum autem medias dici posse, ut hæc ipsa grammatica atque justitia non dicitur magis grammatica neque magis justitia. Esse autem quasdam alias mediocres artes, in quibus idipsum posset evenire. Tertia est de qua Aristoteles loquitur, quod ipsas quidem habitudines nulla intentione crescere, nec diminutione decrescere putat, sed eorum participantes posse sub examine compositionis venire, ut de his magis minusve dicatur. Sanitatem namque ipsam et justitiam, alteram altera magis minusve non esse. Neque enim quispiam dicit magis esse sanitatem alia sanitate. Sed hoc solum dicere possumus magis habere sanitatem aliquem, id est esse saniorem, et magis sanum, et minus sanum. Dicimus ergo quod ipsæ quidem qualitates non suscipiunt magis et minus. Qui vero secundum eas quales dicuntur, ipsi sub comparatione cadunt, ut justior, et sanior, et grammaticior. Namque ipsa grammatica, id est litteratura, non suscipit magis et minus, nullus enim dicit alteram altera magis esse grammaticam, sed eum qui grammatica ipsa participat. Decimus litteratum, quem a litteratura scilicet denominamus. litteratus autem suscipit magis et minus, ut Donatus grammaticus plus erat ætate jam provecta grammaticus, id est litteratus, quam cum primum ad hujusmodi studia devenisset. Sed quanquam se hæc ita habeant, tamen invenimus aliquas qualitates quibus indubitate comparatio inveniri non possit, ut sunt quas ipse supposuit.

Triangulus vero et quadrangulus non videtur magis et minus suscipere, nec aliqua aliarum figurarum.

Hæc enim quæ ex quarta specie qualitatis dicta sunt, magis minusve nulla ratione suscipiunt, nullus enim dicit plus esse alium circulum quam alium, nec magis esse illud triangulum quam illud, dicitque fortasse majorem, magis autem non dicit. Hujus autem rei hæc ratio est, ut cum sit trianguli diffinitio, figura quæ sub tribus rectis lineis continetur, si qua sunt quæ hanc diffinitionem in se suscipiant, ut et ipsa tribus rectis lineis contineantur, proprie triangulæ formæ sunt, eodem quoque modo et circulus ita diffinitur: Circulus est figura plana, quæ sub una linea continetur, ad quam ex uno puncto qui intra ipsam est, omnes quæ exeunt lineæ æquæ sibi sunt. Rursus quadrati diffinitio talis est: Quadratum est quod quatuor æqualibus lineis et quatuor rectis angulis continetur. Quæcunque igitur vel circuli diffinitionem suscipiunt, vel quadrati, æqualiter vel circuli vel quadratæ formæ sunt; si qua vero non suscipiunt, nullo modo sunt. Si qua vero sunt quæ neque quadrati suscipiunt diffinitionem, neque circuli, neque quadrati sunt, neque circuli ut est figura quæ parte altera longior dicitur. Illa enim ita diffinitur, parte altera longior figura est quæ sub quatuor lineis continetur, rectisque angulis, quam quatuor lineæ æquæ sibi quidem non sunt, contra se vero positæ binæ sibi æquæ sunt. Ergo quia hujusmodi figura neque circuli diffinitionem capit, neque quadrati æqualiter, neque circulus, neque quadratus est. Si qua enim cujuslibet forma diffinitionem suscipiunt, omnino eadem sunt. Ut qui circuli circulus, qui quadrati quadratus, qui trianguli triangulus, qui parte altera longioris, parte altera longior, et in cæteris eodem modo. Si qua vero non suscipiunt, ut triangulum, circuli diffinitionem non capit neque omnino circulus est, nec potest dici inter quadratum et triangulum, quoniam utraque circuli diffinitionem non capiunt, quadratum quidem plus esse circulum, triangulum vero minus, omnino enim utraque a circuli ratione disjuncta sunt, quod his verbis ab Aristotele tractatur:

Quæcunque enim diffinitionem trianguli suscipiunt et circuli, omnia similiter trianguli vel circuli sunt. Eorum vero quæ non suscipiunt, nihil magis alterum altero dicitur; nihil enim quadratum magis quam parte altera longior forma, circulus est, nullum enim ipsorum recipit circuli rationem. Simpliciter autem in utraque non recipiunt propositi rationem, non dicetur alterum altero magis; non ergo omnia qualia recipiunt magis et minus. Horum itaque quæ prædicta sunt, nihil est proprium qualitatis.

Nam si hoc diffinitio facit, ut domonstret rationem cujusque substantiæ, quæcunque diffinitione discrepant, illa etiam ipsa natura substantiæ discrepabunt. Recte igitur si quæ cujuslibet rei propositæ sive trianguli, sive quadrati diffinitionem non capiunt, ab ejusdem natura disjuncta sunt. Quocirca neque triangulum, neque quadratum, neque circulus, neque quidquid horum est, suscipiunt magis et minus. Sed cum hæc qualitates sint, non omnes qualitates æquæ magis minusve suscipiunt. Quod si neque in omni qualitate intentio diminutioque provenit, neque in sola, quod hæc eadem in relatione reperias, non est magis minusve suscipere proprium qualitatis.

Quodnam igitur qualitatis proprium esse dicendum est, id ipse planissime subterposuit.

Similia vero et dissimilia secundum solas dicuntur qualitates. Simile enim alterum alteri non esse secundum aliud quidquam, quam secundum illud quod quale est. Quare proprium erit qualitatis, secundum eam simile et dissimile dici.

Simile inquit et dissimile solæ retinent qualitates. Nam quamvis simile ad aliquid sit, tamen hoc ipsum quod dicimus, simile non dicimus, nisi quod quale est. Nam si eadem qualitas sit in duobus, illa in quibus est similia sunt, nec est aliud prædicamentum quod secundum simile et dissimile dici possit, et de aliis quidem omnibus notum est, quoniam de nullo dicitur. Quod si quis de quantitate affirmet, dici posse secundum eam simile atque dissimile, monstratum est secundum quantitatem non simile et dissimile, sed æquale et inæquale prædicari. Quocirca quoniam per singula quæque pergentibus, et in omnibus idem qualitatibus invenitur, et in nullo alio prædicamento esse perspicitur, recte hoc proprium qualitatis esse firmavit. Sed quoniam cum de his quæ referuntur ad aliquid tractaretur, affectus atque habitus in his quæ sunt ad aliquid numeravit, nunc vero eosdem quoque qualitati supposuit, ipse sibi quamdam objecit quæstionem, cur si prius sub iis quæ ad aliquid referuntur, ista subjecerit, nunc sub qualitatibus ea ipsa posuerit. Superius namque monstravit ea quæ essent a se diversa, easdem species habere non posse, cum dicit diversorum generum et non subalternatim positorum diversæ species et differentiæ sunt. Quocirca cum relatio atque qualitas diversa sint genera, easdem utrique supponi species non oportet, hoc est enim quod dicit :

At vero non decet conturbari, ne quis nos dicat de qualitate propositionem facientes, multa de relativis interposuisse, habitus enim dispositiones eorum quæ sunt ad aliquid esse dicebamus, pene enim in omnibus qualitatibus genera ad aliquid dicuntur, non autem aliquid eorum quæ singula sunt. Nam cum disciplina genus sit, hoc ipsum quod est alterius dicitur, alicujus enim disciplina dicitur. Eorum vero quæ singula sunt, nihil ipsum quod est alterius dicitur, ut grammatica non dicitur alicujus grammatica, nec musica alicujus musica nisi forte secundum genus, et hæc ad aliquid dicuntur, ut grammatica dicitur alicujus disciplina, non alicujus grammatica, et musica alicujus disciplina non alicujus musica. Quapropter quæ quidem singularia sunt, non sunt ad aliquid.

Quam quæstionem validissima argumentatione dissolvit, his scilicet verbis : Pene enim ea quæ sunt in omnibus his generibus ad aliquid dicuntur. Eorum vero quæ sunt singulatim, id est species, nihil hujusmodi sunt. Hæc enim est argumentatio quam Græci ἐπιχείρημα vocant. In hujusmodi affectionibus atque habitudinibus, quæ inter ea sunt genera, eas solas ad aliquid posse reduci, quæ vero species essent illorum generum posse in relativis, sed in qualitatibus numerari, ut scientia cum sit habitudo habet sub se alias habitudines, grammaticam et geometriam. In hoc igitur scientia ipsa quod genus est, ad aliquid semper refertur, dicimus enim scientiam alicujus scientiam. Grammaticam vero quæ ejus species est, nullus dicit alicujus esse grammaticam; dicatur enim si fieri potest grammaticam, Aristarchi esse grammaticam. Sed omnia quæcunque dicuntur ad aliquid, convertuntur. Dicitur ergo et Aristarchus, grammaticæ Aristarchus, quod fieri non potest. Non igitur grammatica Aristarchi, ut ad aliquid dicitur. Est etiam argumentum, non species, sed hujusmodi genera, ad aliquid appellari, ut cum ipsæ quidem species ad aliquid non dicantur, ut grammatica non dicitur alicujus grammatica, si quando tamen est ut species ad aliquid referatur, id non secundum, se sed secundum genus, ut grammaticæ quoniam genus est scientiæ quæ relativa est, si quis grammaticam ad aliquid referre contendat, non potest secundum ipsam grammaticam, eam ad aliquid prædicare, sed secundum scientiam, id est secundum genus suum. Non enim dicitur grammatica alicujus grammatica, sed fortasse grammatica alicujus scientia. Non ergo grammatica secundum grammaticam ad aliquid dicitur, sed secundum scientiam. Et hoc est quod ait, ut grammatica non dicitur alicujus grammatica, nec musica, sed fortasse secundum genus proprium istæ dicuntur alicujus, ut grammatica alicujus dicitur scientia, non alicujus grammatica. Ergo singularum specierum nihil est quod aliqua relatione prædicetur. Genera vero harum specierum relativa sunt, quæ paulo superius dixi ; quod enim ait : Pene enim in omnibus qualitatibus genera ad aliquid dicuntur, non autem aliquid eorum quæ sunt singula, hoc demonstrare voluit, genera ipsa habitudinem dispositionumque esse relativa, species vero generum quas singulatim esse dixit, ad aliquid nullo modo prædicari. Quas idcirco esse singulatim vocavit, quia grammatica una est, et rursus musica una; scientia vero non una. Recte igitur species scientiæ singulatim esse nominavit. Constat igitur quod genera hujusmodi habitudinem dicantur ad aliquid, species vero ad nihil aliud propria prædicatione referantur. Quocirca quoniam hujusmodi species relativas non esse demonstravit, nunc quod reliquum est qualitates esse confirmat.

Dicitur autem secundum singula quales. Hæc enim et habemus. Scientes enim dicimur, quod habemus singulas scientias aliquas. Quare hæc erunt etiam qualitates, quæ singularia sunt, secundum quas etiam quales dicimur. Hæc autem non sunt eorum quæ sunt ad aliquid.

Illas esse qualitates superius confirmatum est ex quibus aliqui quales vocarentur, nos autem idcirco grammatici dicimur, non quod universalem scientiam, sed quod ipsam grammaticam habeamus, et hoc vere dicitur, idcirco nos dici scientes, quia grammatici sumus, potius quam idcirco grammaticos quod aliquam scientiam retinemus. Nullus enim a generali scientia grammaticus, aut sciens, nisi a singulatim

scientia sciens,grammaticusque perhibetur. Igitur quoniam exhis habitudinem speciebus quales vocamur, ipsæ species in qualitate numeraudæ sunt. Sed cum quis grammatica participat, de ea etiam genus dicitur,et secundum eam non solum ad grammaticam,sed ad scientiam quoque conjungitur. Dicitur enim idcirco sciens.Ergo quoniam habens grammaticam,et sciens,et grammaticus dicitur, non potest ulla scientia participare, qui singulas non habuerit. Qui enim cunctis speciebus caret, illi quoque genere ipso carendum est.Quare quoniam has species habemus,et secundum eas quales dicimur, a grammatica scientes et grammatici nuncupamur, has autem ipsas species monstratum est ad aliquid non referri.Recte igitur hujusmodi habitudines quæ in alterius relativis species sunt,in qualitate numeratæ sunt.Quod si quis hoc quoque invitus accipiat, aliud addit quo totum quæstionis vinculum solvetur;ait enim:

Amplius si contingat hoc ipsum et quale relativum esse, nihil est inconvenieus in utrisque hæc generibus enumerare.

Nam cum sit verum unam eademque rem duobus diversis generibus suppositam esse non posse, illud tamen convenit secundum aliud atque aliud unam eamdemque speciem duobus generibus posse subnecti,ut in eo quod supra jam dictum est,cum Socrates substantia sit,pater vero ad aliquid,cumque substantia discrepet atque relatio, nihil tamen est inconveniens eumdem ipsum Socratem in eo quod homo est, substantiæ supponi, in eo quod habet filium,relationi.Quocirca si secundum aliam atque aliam rem duobus generibus eadem res quælibet diversissimis supponatur, nihil inconveniens cadit.Ita quoque et habitudines in eo quod alicujus rei habitudines sunt,in relatione ponuntur, in eo quod secundum eas quales aliquid dicuntur,in qualitate numerantur.Quare nihil est inconveniens unam atque eamdem rem, secundum diversas naturæ suæ potentias,geminis et si contingat pluribus,annumerare generibus.Quocirca quoniam de qualitate tractatum est,nos quoque orationis cursum ad reliqua prædicamenta vertamus.

DE FACERE ET PATI.

Suscipit autem facere et pati contrarietatem,et magis et minus.Calefacere enim et frigefacere contraria sunt,et calefieri et frigefieri,et delectari ac contristari. Quare suscipit contrarietatem et magis et minus,calefacere enim dicitur magis et minus,et calefieri magis et minus,et contristari magis et minus,suscipit igitur magis et minus,facere et pati;de his itaque tanta dicantur.

Decursis quatuor prædicamentis quæ aliqua quæstione et consideratione ergo videbantur, tenuiter cætera breviterque perstringit.Et de facere quidem et pati nihil in hoc libro,nisi quod contraria suscipiant, et intentionem imminutionemque ab Aristotele est disputatum,in aliis vero ejus operibus plene ab eo perfecteque tractata sunt, ut hoc facere et pati in his libris quos Περὶ γενέσεως καὶ φθορᾶς inscripsit,de aliis quoque prædicamentis non illi minor in aliis operibus disputatio fuit,ut de eo quod est ubi et quando in physicis, et de omnibus quidem altius subtiliusque in libris quos Μετὰ τὰ φυσικὰ vocavit, exquiritur. Ac de facere quidem et pati ipse planissime posuit posse ea suscipere contrarietates.Dicimus enim ignem calefacere et frigefacere,quod scilicet ad faciendum refertur.Dicimus aquam calefieri et frigefieri, quod nihilominus ad patiendi ducitur prædicamentum.Magis quoque et minus suscipere,apertissimis demonstrat exemplis. Sic enim magis calefacere et minus, et magis calefieri et minus dicitur.Atque hæc hactenus,ipse enim hæc apertissime posuit.Est autem horum descriptio talis,quod in faciendo quidem,actus quidam a quolibet in aliam rem veniens, consideratur a quo veniat. In patiendo autem in eo ille actus consideratur,in quem venit. Actus enim et passio simul in physicis esse monstrata sunt.Ac de facere quidem ac pati,ad præsens tempus hæc dicta sufficiant.

Dictum est autem et de situm esse, in his quæ ad aliquid sunt,quod denominative a positionibus dicitur de reliquis autem quando, et ubi, et habere, eo quod manifesta sunt,nihil de his ultra dicitur, quam quod in principio dictum est,quia habere quidem significat calceatum esse,armatum esse, ubi autem, ut in lyceo in foro,quando,ut heri.Et alia quæ de his dicta sunt. De propositis itaque generibus, sufficiant quæ autem sunt.

DE SITU ET POSITIONE.

Positio quidem quoniam ipsa est alicujus, in iis quæ sunt ad aliquid, numerata est, sed quoniam omnis res quæ ab alio denominatur,aliud est quam idipsum a quo denominata est,ut aliud est,qui est grammaticus,atque grammatica,quamvis grammaticus a grammatica denominetur.Ita cum sit positio relativa,quidquid denominative a positionibus dicitur,hoc relativorum genere non tenetur.Positio autem ipsa relativa est, positum vero est a positione denominatum. Statio enim cujusdam statio est. Stare vero quoniam a statione denominatum est, non ponitur in eo genere in quo statio fuit. Quare sub relatione hoc prædicamentum non invenitur. Sed quoniam nihil est ad quod hoc reducere genus atque aptare possimus, dicendum est suum esse genus.Ut accumbere ab accubitu, stare a statione, et cætera quidem quæ idcirco se Aristoteles exsequi denegat,quoniam planissima sunt;ait enim: De reliquis vero id est, quando, et ubi, et habere; propterea quia manifesta sunt, nihil de his ultra dicitur, quam quod in principio dictum est, et eorum prædicta ponit exempla.

DE UBI ET QUANDO

Dicendum autem est breviter de prædicatione quæ est ubi et quando. Sicut ipsum ad aliquid per se esse non potest, nisi ex alio aliquo naturam trahat, ita et quando et ubi, esse non potest, nisi locus ac tempus fuerit. Locum enim ubi, tempus vero quando, comitatur. Non

est autem idem tempus, et quando, nec ubi et locus, sed proposito prius loco si qua res in eo sit posita, ubi esse dicitur. Rursus si certa res in tempore est, quando esse perhibetur, ut Apollinares ludi, cum sint in tempore, quando eos esse dicimus. Habent autem hæc quoque proprias diversitates, ubi quidem, quod aliquoties infinite dicitur. Alicubi enim esse dicimus aliquem, ut Socratem, aliquoties autem diffinite, ut in lyceo vel in academia. Habet quoque ubi, secundum ipsum locum in quo est, aliquas contrarietates. Sursum enim esse, et deorsum ubi esse dicitur. Temporum quoque varietates in eo prædicamento, quod est quando, esse manifestum est. Futura enim et præsentia præteritaque in quando prædicamento veniunt. Dicimus enim fuisse aliquando A Scipionem consulem Romanum, nunc esse Orientis imperatorem, qui nunc Anastasius appellatur. Futurum autem esse aliquem, quæ scilicet secundum quando prædicamentum dicuntur.

DE HABERE.

Habere autem est quoddam extrinsecus veniens, neque innatum ei a quo habetur, aliudque quam est illud ipsum a quo habetur, in se retinere, ut armatum esse vel vestitum esse. Habere enim est vestes atque arma tenere, quæ cum eo nata non sunt, neque aliqua cum eo qui habet, communi natura proprietateque junguntur; sed quoniam de his Aristoteles tacuit, nobis quoque nunc eorum longior tractatus omittendus est.

LIBER QUARTUS.

Expeditis omnibus prædicamentis, cur præter propositum operis in hanc oppositorum disputationem sit ingressus, a multis ante quæsitum est, sed Andronicus hanc esse adjectionem Aristotelis non putat, simulque illud arbitratur, idcirco ab eo fortasse hanc adjectionem de oppositis, et de his quæ simul sunt, et de priore, et de motu et de æquivocatione, habendi non esse factam, quod hunc libellum ante Topica scripserit, quodque hæc ad illud opus non necessaria esse putaverit, sicut ipse Categoriæ possunt ad sensum Topicorum, non ignorans scilicet quod sufficienter in Topicis, quantum ad argumenta pertinebat, et de his omnibus quæ adjecta sunt, et de prædicamentis fuisse propositum. Sed hæc Andronicus. Porphyrius vero hanc adjectionem vacare et carere ratione non putat. Cujus hanc prodidit causam. Ut enim multa sunt quæ quod communibus animi conceptionibus esse suggererent, in hujus libri principiis ab Aristotele prædicta sunt, ut de æquivocis, et univocis, et denominativis, et de his omnibus, quæcunque usque ad substantiæ disputationem ad ipsorum prædicamentorum utilitatem cognitionemque prædicta sunt, ita quædam fuisse quæ essent quidem in communibus sensibus, egerent tamen subtilioris divisionis modo, hæc diligenter supposita sunt, ut quid essent proprie teneretur, ne falsis opinionibus traductus non firmus animus luderetur. Docet autem hoc, inquit, etiam ipse ordo congruus rationique conveniens titulorum, hanc adjectionem fuisse perutilem atque necessariam. Prius enim de oppositis, post vero de his quæ simul sunt, et de his quæ posteriora sunt. Post autem de motu, ad postremum de habendi æquivocatione sermonem faciens, libri seriem terminavit. Idcirco quod in omnibus quidem prædicamentis ante quæsivit, utrum possint habere contraria. In his vero quæ sunt ad aliquid, dixit magnum parvo non posse esse contrarium, sed oppositum. Quid vero esse oppositum dicere prætermisit, ne ordo disputandi continuus rumperetur. Hic igitur recte quod illic prætermiserat, prius edocuit. In relativis quoque B de his quæ sunt prius, quæque simul natura gignuntur, strictim tetigit, quod nunc diligenter explicat. Faciendi vero patiendique prædicamenta sunt, in quibus quidam quasi motus agitatioque consideratur; necesse igitur fuit motu dicere, qui naturam faciendi atque patiendi vellet ostendere. Quis autem dubitet cujuslibet sermonis æquivocationem monstrare, esse perutile? Quare quoniam habere quoque prædicamentum est, non fuit inconveniens neque perfluum de habendi æquivocatione tractasse.

DE OPPOSITIS.

De oppositis autem quoties solent opponi dicendum est. Dicitur autem alterum alteri opponi quadrupliciter, aut ut ad aliquid, aut ut contraria, aut ut habitus et privatio, aut ut affirmatio et negatio; opponitur autem unumquodque istorum, ut figura dicam relativa quidem, ut duplum dimidio. Contraria autem ut malo bonum, secundum privationem et habitum, ut cæcitas visui, secundum affirmationem et negationem, ut sedet non sedet.

Illud quoque quæritur utrum oppositionis nomen æquivoce prædicetur. Dicimus enim quatuor modis opponi, aut ut contraria, aut ut aliquid, aut ut habitum et privationem, aut ut affirmationem et negationem. Hic ergo contenditur utrum æquivocatio quædam circa has quatuor diversitates sit, an idipsum quod dicimus oppositum generis vice prædicetur, ut sit univocum. Sed in hoc Stoicorum Peripateticorumque diversa sententia fuit, et ut ipsi inter se Peripatetici, diverse sectati sunt. Stoicorum quoniam longa sententia est, prætermittatur, aliis autem Peripateticis placet nomen hoc oppositi de subjectis æquivoce prædicari, ita affirmantibus, quoniam Aristoteles ita dixit: De oppositis quoties solent opponi dicendum est hoc, id est quoties ad multiplicitatem pertinet æquivocationis. Sed qui melius judicavere, hi oppositionis nomen generis loco dicunt debere prædicari, idcirco quod cum nomen oppositionis de subjectis quatuor oppositionibus prædicetur, ab his quoque diffinitio non oberret. Sunt enim opposita quæ in

eodem, secundum idem, in eodem tempore, circa unam eamdemque rem, simul esse non posunt, quod per singula quæque pergentibus in singulis oppositis invenitur. Namque album et nigrum, quæ sunt contraria, uno eodemque tempore circa unum idemque corpus partemque corporis simul esse non possunt, nec servus atque dominus ejusdem, eodem tempore idem servus idem dominus est, nec habitus et privatio; quis enim dicat in eodem oculo uno eodemque tempore et visum posse esse et cæcitatem? Jam vero affirmatio et negatio quam repugnantes sint, quamque in eodem simul esse non possint, nulli dubium est. Quare si ea quæ sub oppositione ponuntur oppositionis nomen diffinitionemque suscipiunt, quid est dubium oppositionem non æquivoce prædicari? His igitur positis, ad eorum distantias differentiasque veniamus.

Quæcunque igitur ut relativa opponuntur, ea ipsa quæ sunt oppositorum dicuntur, aut quomodolibet aliter ad ea, ut duplum dimidii ipsum quod est, alterius dicitur duplum, alicujus enim duplum, sed et scientia scibili tanquam relativa opposita est, et dicitur scientia hoc ipsum quod est scibilis, et scibile hoc ipsum quod est ad oppositum dicitur, id est ad scientiam. Scibile enim aliquo dicimus scibile, id est scientia. Quæcunque ergo opposita sunt tanquam ad aliquid, ipsa, quæ sunt aliorum dicuntur, aut quomodocunque ad se invicem.

Ea quidem hujus oppositionis quæ secundum relationem dicuntur, et per seipsa plana atque vulgata sunt, et superiori relationis disputatione jam cognita. Illa enim sunt ad aliquid quæcunque id quod sunt aliorum dicuntur, vel quomodolibet aliter ad ea, ut servus domini servus, et dominus servi dominus, et magnum ad parvum dicitur, et rursus parvum refertur ad magnum. Quod si hoc in relativis omnibus invenitur, nulla est dubitatio quin etiam in his hoc deprehendi possit, quæ secundum ad aliquid opponuntur, ut ea ipsa id quod sunt oppositorum dicantur vel quomodolibet aliter ad opposita, ut si est servus domino oppositus, dominus servi dicatur, id est oppositi sui, et rursus si dominus servo oppositus est, domini servus dicatur. Parvum vero ad magnum, et magnum ad parvum, id est ad oppositum sibi. Atque hoc quidem in omnibus secundum ad aliquid oppositionibus inveniri necesse est. Quocirca sit hæc proprietas eorum quæ secundum ad aliquid opponuntur, quod ea ipsa quæ sunt ad opposita referuntur, et ipsorum esse dicuntur. His ergo ante constitutis docet differentiam, qua inter se ea quæ secundum contrarietatem dicuntur, vel ea quæ secundum ad aliquid, discrepant atque dissentiunt; ait enim:

Illa vero quæ ut contraria opponuntur, ipsa quidem quæ sunt nullo modo ad se invicem dicuntur, contraria vero sibi invicem dicuntur, neque enim bonum mali dicitur bonum, sed contrarium. nec album nigri album, sed contrarium, quare differunt a se invicem hæ oppositiones.

Dictum est in his quæ secundum ad aliquid opponuntur, quod ea ipsa id quod sunt ad id quod sibi est oppositum dicerentur. Contraria vero et ipsa quidem opponuntur sibi, sed id quod sunt ad opposita non dicuntur, contraria autem dicuntur. Hoc autem hujusmodi est. Bonum malo contrarium dicimus esse, et rursus malum bono. Nigrum quoque albo contrarium putamus, nihilominus quoque album nigro. Sed cum hoc arbitramur, non tamen dicimus ea id quod sunt esse oppositorum. Si enim diceremus ea id quod est bonum esse oppositi sui, non diceretur bonum malo esse contrarium, sed bonum esse mali bonum. Nec ita prædicationem quis faceret nigrum albo esse contrarium, sed nigrum albi esse nigrum. Hoc est enim id quod est nigrum dici ad oppositum suum, si quis dicat nigrum albi esse nigrum; quod quoniam non dicitur, ea ipsa quæ sunt non dicuntur oppositorum, ea scilicet quæ sibi ut contraria videntur opponi. Sed quoniam dicimus bonum malo contrarium, et nigrum albo contrarium, quanquam id quod sunt oppositorum non dicantur, tamen ad opposita ut contraria nominantur. Atque hoc est quod ait: Ipsa quidem quæ sunt nullo modo ad se invicem dicuntur. Contraria vero sibi invicem dicuntur. Non enim dicitur bonum mali bonum, hoc est enim id quod est oppositi prædicare, sed dicimus bonum malo contrarium. Quocirca differunt ea quæ similiter ad aliquid opponuntur his quæ secundum contrarietatem sibi sunt opposita, quod ea quidem quæ secundum relationem opposita sunt id quod sunt oppositorum dicuntur. Illa vero quæ ut contraria, ipsa quidem quod sunt oppositorum nomine minime, sed tantum contraria prædicantur, ut bonum contrarium esse dicatur oppositi sui non boni. Dicimus enim bonum malo contrarium, cum non dicamus bonum mali bonum. Sed quoniam differentiam secundum ad aliquid oppositionis contrariorumque monstravit, ipsorum inter se contrariorum differentiam discrepantiamque persequitur.

Quæcunque vero contrariorum talia sunt, ut in quibus nata sunt fieri, vel de quibus prædicantur, necessarium sit alterum ipsorum inesse, nihil horum est medium. Quorum vero non necessarium est alterum inesse, horum aliquid est medium omnino, ut languor et sanitas in corpore animalis natura habent fieri, et necessarium est alterum esse animalis in corpore, vel languorem vel sanitatem; par quoque et impar de numero prædicantur, et necessarium est alterum in numero esse aut impar aut par, et nihil est in medio eorum, neque inter languorem et sanitatem, neque inter par et impar. Quorum vero non est necessarium alterum inesse, horum est aliquod medium, ut nigrum et album in corpore natura habent fieri, et non est necessarium alterum horum inesse corpori, non enim omne corpus aut album, aut nigrum est. Pravum quoque et studiosum prædicantur quidem de homine, et de aliis multis, sed non est necessarium alterum horum inesse illis de quibus prædicantur, non enim omnia vel prava, vel studiosa sunt: sed est horum medium aliquid, ut albi quidem et nigri

fuscum et pallidum, et quicunque alii colores, pravi vero et studiosi, quod neque pravum, neque studiosum est. In aliquibus itaque nomina posita sunt iis, quæ media sunt, ut albi et nigri, fuscum et pallidum, et alii colores. In aliquibus autem nomina quidem medio assignare promptum non est, sed per utrarumque extremorum negationem quod medium est determinatur, ut neque bonum, neque malum, neque justum, neque injustum.

Brevis contrariorum partitio hoc modo facienda est. Contrariorum alia sunt habentia medietatem, alia vero non habentia, et eorum quorum est aliquid medium, in aliis plures medietates, in aliis vero una tantum medietas invenitur. Atque horum aliquæ medietates propriis nominibus appellantur in aliquibus vero ipsæ quidem medietates propriis appellationibus carent, contrariorum vero negatione signantur. Sed hæc quæ dicta sunt, a primordio repetentes propriis probemus exemplis. Illa vero contraria quæ medio carent talia sunt, ut necesse sit alterum eorum proprio inesse subjecto, ut est ægritudo et sanitas. Omne enim corpus in quo ægritudo sanitasque versatur, aut ægrum aut sanum est. Atque ideo quoniam ægritudo et sanitas medietate carent, alterutrum eorum inerit ei subjecto, in quo utraque nata sunt fieri, et de quo prædicantur. Nam quoniam in corpore animalis sanitas et ægritudo fieri nata est, id est ita fieri solet, et ita omne natum est animal, ut aut sanum esse possit aut ægrum. Et quoniam de animalis corpore aut sanum, aut ægrum prædicatur, necesse est quoniam hæc medio carent in omni corpore animalis aut ægritudinem, aut sanitatem esse. Quocirca eorum quæ medio carent, necesse alterum interesse subjecto, et quæcunque talia sunt, ut alterum ipsorum subjecto inesse necesse sit, nulla inter ea medietas clauditur. Illa vero contraria in quibus aliqua medietas est non sunt talia, ut eorum necesse sit alterum inesse subjecto. Nam in illis quæ medio carent, idcirco alterutrum subjecto inesse necesse est, quod eorum medietas nulla est quæ possit interea subjectæ inesse substantiæ, ut in numero quoniam paritas et imparitas medium nihil habent (omnis enim numerus aut par aut impar est nec est quod propterea numero inesse possit), ideo omnis numerus aut par aut impar est. In his vero quæ inter se medietatem aliquam complectuntur, non est necesse semper alterum contrariorum inesse. Potest namque inesse medietas, utin colore, quoniam album atque nigrum contrarietatis vice diversa sunt, habent autem medium quod est rubrum vel pallidum, idcirco non omne corpus vel album vel nigrum est, quoniam potest aliquando in subjectis corporibus albi atque nigri medietas inveniri. Videmus namque rubrum corpus, ut rosam multosque præterea flores, quos verni temporis clementia parturit. Recte igitur dictum est, eorum quorum non sunt aliquæ medietates, alterum semper inesse subjectis, et in quibus necesse est alterum inesse, fieri non posse quin illic medietas ulla sit. Eodem quoque modo et quæ medietates habent, non necessario alterutra subjectis inesse, et quæ non est necesse alterutra subjectis inesse, non est dubium quin illic quædam possit esse medietas, sed in aliquibus quidam plures, in aliquibus autem una est medietas, ut in colore inter album atque nigrum plures medietates sunt. Est enim (ut dictum est) rubrum, et quoque pallidum, eodem quoque modo venetum, et multa præterea hujusmodi. In calido vero atque frigido una medietas est, quæ dicitur tepor. Horum autem quibus una medietas est, in aliis nomen est positum, in aliis non. Et positum quidem nomen est, ut inter calidum frigidumque, hanc enim medietatem tepidum esse prædicamus. Non est vero positum in eo quod Aristoteles ipse sic dixit: Improbi vero et probi, quod neque probum est, neque improbum. Nam quoniam bonum atque malum sibi sunt contraria, non autem necesse est omne quod boni malive susceptibile est, vel bonum esse vel malum, idcirco dixit bonum malumque, cum sint contraria, habere quamdam medietatem, cui nomen positum quidem non sit, sed nihilominus eam quis inter has contrariorum naturas inveniet. Nam quod dictum est a posterioribus inter bonum malumque esse ea quæ dicantur indifferentia, ut interest virtutem atque turpitudinem, quæ utraque sibi sunt contraria, divitiæ et pulchritudo, quæ (ut Stoici putant) neque mala, neque bona sunt, atque idcirco indifferentia nominavere, sed hoc ipsum quod dicimus indifferens apud priores nomen non erat, et a posterioribus inventum est. Aristoteles autem qui hoc nomine usus nunquam est, ait probum atque improbum habere quidem aliquam medietatem, verumtamen eam nullo nomine nuncupari, sed eam utriusque contrarii negotiatione diffinivit. Ait enim medietatem probi atque improbi esse, quod neque probum esset neque improbum, ut justi atque injusti medietas est, quod neque justum, neque injustum est. Sed ne videatur inconvenienus aliquid negationibus diffiniri, ipse ait: In aliquibus vero non est nomine assignare medietatem, utriusque vero negatione diffinitur. Namque ubi est una medietas, si utraque contraria sint remota, sola tantum medietas permanebit, ut in eo quod est bonum et malum, quoniam his una medietas est, sublato bono atque malo, solum quod neque bonum, neque malum est relinquitur. Quocirca tota rursus divisio breviter assumenda est. Eorum quæ sunt contraria quorum necesse est semper alterum inesse in his, in quibus ea secundum propriam naturam inesse contingunt, ea nullam inter se retinent medietatem, ut in corpore sanitas et ægritudo, in numero paritas atque imparitas. Quæcunque vero in his in quibus esse possunt, non ita sunt, ut eorum necesse si alterum inesse, hæc aliquam inter se qualitatem medietatis amplectuntur, ut albedo atque nigredo, rubrum, frigidum atque calidum teporem. Horum autem alia sunt quæ unam solam continent medietatem, alia vero quæ multas, et multas, ut inter album atque nigrum, pallidum, venetum, quæ medietates sunt. Inter calidum atque frigidum una sola est medietas, tepor,

Horum autem quæ unam retinent medietatem, in aliis nomina sunt posita, ut in eo ipso calore ac frigore. Est enim tepor medietas caloris atque frigoris. In aliquibus vero nomen positum non est, ut in eo quod est bonum atque malum, justum atque injustum. In his enim medietas nomen positum non habet, sed utrorumque contrariorum negationibus diffinitur, ut dicamus eam esse boni atque mali medietatem, quod neque bonum est malum, eamque esse justi et injusti medietatem, quæ utraque contrarietate summota, utrorumque negatione relinquitur, ut est neque justum, neque injustum.

Privatio autem et habitus dicitur quidem quæ habent fieri circa idem aliquid, ut visio et cæcitas circa oculum. Universaliter autem dicendo, in quo natus est habitus fieri, circa hoc idem dicitur utrumque horum.

Ordine tertiam speciem propositæ oppositionis exsequitur eam quæ secundum habitum privationemque dicitur, atque in ea unam similitudinem posuit quæ illi est cum contrarietate conjuncta. Nam sicut ea quæ sunt contraria circa idem sunt, ut album, quoniam semper in corpore est, nigrum quoque semper est in corpore, et justitia, quoniam semper animo inserta est, injustitia quoque mentis est vitium, ita quoque ea quæ secundum privationem habitumque dicuntur, circa idem semper necesse est inveniri, ut quoniam visus habitus est (habemus enim visum) et visus est in oculo et circa oculum, cæcitas quoque, quæ privatio visus est, præter oculum non est. Auditus etiam, qui habitus est, quoniam circa aures est, ejus quoque privatio quæ surditas dicitur, ab auribus non recedit; ita quoque et circa quod fuerit habitus, circa idem ipsum illius habitus privatio consideratur. Atque hinc regulam dat. Universaliter enim dicit in quo sit in eo fieri privationem. Quid vero sit privari, continuata dispositione subjunxit :

Privari autem tunc dicimus unumquodque susceptibilium habitus, quando id quod natum est habere, et quando natum est habere, nullo modo habet.

Quid sit privatio hac Aristoteles diffinitione conclusit. Neque enim quæcunque non habent visum, cæca dicuntur, nec vero surdum est omne quod non sentit auditum, nemo enim neque parietem cæcum dixerit, nec surdum lapidem, nec quidquid hujusmodi est. Sed ea sola privari dicimus habitu, quæcunque aut habuere habitum eoque caruere, aut habere potuere et non habent. Parietem autem idcirco non dicimus cæcum, quod in eo visus naturaliter venire non potuit. Parvos vero catulos quibus visus non est, non satis digne aliquis cæcos esse pronuntiat. Eo enim tempore nondum naturaliter visum habere possunt. Si vero exhaustis diebus quibus his oculi patefieri et lucem haurire naturaliter possunt, non habeant visum, eos cæcos esse manifestum est. At vero neque ostrea dicuntur edentula, quoniam naturaliter non habeant dentes, sed nec infantulos quibus adhuc nondum hujusmodi ætas est, ut habeant dentes, vocamus edentulos, sed si aut is qui ante habuit, dentes amiserit, aut quo jam tempore habere naturaliter debet, dentes non habet, ut si quis puerorum septimo anno omnino nullum creaverit, illos jure edentulos appellamus, atque hoc est, quod ait :

Edentulum enim dicimus non qui non habet dentes, nec cæcum qui non habet visum, sed quando qui debuit habere non habet. Quædam enim a generatione neque dentes, neque visum habent, sed non dicuntur edentula neque cæca.

Hoc est, non omne quod non videt cæcum, nec quod dentes non habet edentulum appellamus. Plura enim sunt quæ aut omnino aut certo tempore naturaliter hæc habere non possunt, sed est illa privatio quoties si habitum non habet, qui habere naturaliter potest, et eo tempore cum jam per naturam illius esse compos habitus possit, vel si habens quis retinensque habitum, illum cujuslibet incursione casus amiserit, ut in pueris jam adultis si non habeant dentes. Nam quoniam homines sunt, possunt habere; quod si habentes amiserint, edentuli dicuntur; si vero omnino non creverint dentes, quoniam jam pueris atque adultis ut dentes haberent, naturaliter poterat evenire, id quo casu aliquo vel ægritudine officiente factum est, eos edentulos et habitu dentium privatos esse nominamus.

Privari vero et habere habitum, non est habitus et privatio, habitus enim est visus. Privatio vero cæcitas, habere autem visum, non est visus, nec cæcum esse, cæcitas; privatio enim quædam est cæcitas, cæcum vero esse privari et non privatio est.

Hic verissima ratione monstratur utrum ea quæ sub privatione atque habitu cadant privationes sint atque habitus, an minime: nam quoniam habitus est visus, privatio vero cæcitas, sub habitu vero est habere visum, et sub privatione esse cæcum, utrum habere visum idem sit quod ipse qui habetur visus, et utrum idem sit cæcum esse quod cæcitas, perspicaciter intuentibus aliud quoddam est habere aliquid quod habetur. Tres namque res sunt in eo in quo est habitus, is qui habet ea res quæ habetur, et habere, ut est is qui videt, et ipse visus, et hoc ipsum quod ex utrisque, fit ex eo scilicet qui videt et visu, quod est videre. Distat autem et videre ab eo qui videt, et hoc ipsum videre rursus a visu. Aliud est enim id quod fit quam is qui facit. Videre autem videns operatur, aliud est igitur videre quam videns. Distat autem videre etiam a visu, aliud namque est id quod fit quam id per quod aliquid geritur, videre autem per visum fit. Distat ergo videre ab eo ipso (qui ipsum videre efficit) visu, sed videre visum habere est, visum autem habere habitum retinere est, et visus habitus est. Non est igitur idem habitus et quid est sub habitu, id est quemlibet habitum retinere. Eodem quoque modo etiam in privatione, et illic quoque res sunt res, is qui privatur, hoc ipsum quod fit, id est privari, et ipsum quo quis privatur, id est ipsa privatio. Quod si distat is qui habet eo ipso quod est habitum habere, distat et is qui privatur eo quod est priva ri. Quod si etiam distat quod est habere ha-

habitum illo ipso habitu qui habetur. Distat necessario id quod est privati illa ipsa scilicet privatione qua quisque privatur. Quare neque id quod sub habitu est habitus appellari potest, neque id quod sub privatione privatio. Recte igitur dictum est habitum habere non esse habitum, privarique non esse privationem : cui rei aliqua quædam validior vis argumentationis adjungitur, quam Aristoteles ita pronuntiat.

Amplius si idem esset cæcitas et cæcum esse, utrumque de eodem prædicaretur. Sed cæcus dicitur homo, cæcitas vero nullo modo homo dicitur.

Si idem inquit esset cæcitas quod est esse cæcum, de quocunque cæcum esse diceretur, de eo quoque cæcitas prædicaretur, sed cæcum dicimus esse hominem, cæcitatem vero ipsum hominem nullus dicit: quare quoniam in utrisque diversa est prædicatio, et de quo cæcitas dicitur, non de eo dicitur cæcum, rursumque de quo cæcum esse prædicatur, is cæcitas dici non potest, non est dubium quin aliud sit cæcum esse quam cæcitas, id est privationem esse aliud quam privari : sed quamvis distent, æquali tamen oppositionis vice funguntur, quod ipse loquitur sic.

Opposita vero etiam hæc videntur esse, privari et habitum habere, sicut privatio et habitus, modus enim oppositionis idem est, nam sicut cæcitas visui opposita est, sic cæcum esse ad visum habere oppositum est.

Æqua namque proportione sibi privatio atque habitus opponuntur, et ea quæ sub privatione habituque clauduntur. Cur enim si privatio atque habitus, id est visus et cæcitas sibi sunt opposita, non etiam videre atque esse cæcum eodem modo invicem sibimet opponantur. Quare quanquam hæc distent, tamen modus in his oppositionis æqualis est.

Non est autem neque id quod sub affirmatione et negatione jacet, affirmatio et negatio, affirmatio namque oratio est affirmativa, negatio autem oratio negativa, horum vero quæ sub affirmatione et negatione sunt, nullum est oratio, sed res ipsæ Dicuntur autem etiam hæc esse opposita alterutris, sicut affirmatio et negatio, nam in his modus oppositionis est idem. Sicut enim affirmatio adversus negationem opposita est, ut quæ sedet ei quæ non sedet, sic et res quæ sub utroque positæ sunt, sedere quempiam et non sedere.

Ad quartam oppositionis speciem transitum fecit, quæ secundum affirmationem negationemque dicitur. Affirmatio autem est quæ aliquam rem alicui quadam participatione conjungit. Negatio vero quæ aliquam rem ab aliqua re quadam separatione disjungit, ut est Omnis homo est animal, animal enim ad hominem hæc oratio jungit. Participat enim homo proprio genere, scilicet animal, negatio vero, homo lapis non est. Disjungit enim naturam lapidis ab humanitate qui negat, sed multa de his in lib. de interpretatione dicenda sunt. Quare plenior horum disputatio in tempus aliud differatur. Aristoteles veros implicissime et pene incuriose propter eos qui instituuntur diffinitiones affirmationis negationisque signavit, dicens negationem affirmationemque, affirmativas esse negativasque orationes. Quod si examinatius ac subtilius definisset, affirmationem per affirmativam orationem non diffiniret. Nam si dubium est quid sit affirmatio, nihilo magis clarum atque perspicuum est quid sit affirmativa oratio. Idcirco quod si quis nescit quid sit affirmatio, idem sine dubio nesciturus est quid oratio sit affirmativa. Sed idcirco hic indulgentius terminavit, quod in libro Περὶ ἑρμηνείας utriusque veram plenamque vim diffinitionis aptavit. Eadem quoque in his ratio est quæ sunt sub affirmatione et negatione, quæ in his quæ sub privatione atque habitu ponebantur, nam sicut non est idem habitus atque privatio quod habere habitum atque privari, ita non idem est affirmationem et negationem esse quod est sub affirmatione et negatione. Affirmatio est, verbi gratia, sedet Socrates, negatio vero, non sedet Socrates. Sub affirmatione autem hoc ipsum sedere Socratem, id est hoc quod sub affirmatione dicit facere. Sub negatione vero non sedere Socratem, id est non facere id quod negatio submovet. Hoc autem ita probatur, quod omnis affirmatio omnisque negatio orationes sunt, sicut eorum supradicta diffinitio determinatioque monstravit. Sedere autem et non sedere, id est facere et non facere, orationes non sunt, quod si affirmatio et negatio orationes sunt, dicitur id quod sub affirmatione et negatione est, ea ipsa affirmatione et negatione distare. Sed in hoc servant illam quoque similitudinem quod ea ipsa sibi sunt opposita, quæ secundum affirmationem negationemque dicuntur. Sicut enim ipsa affirmatio quæ dicit, sedet Socrates, et quæ dicit, non sedet Socrates, ita quoque idipsum quod est sedere Socratem, et non sedere, certa ratione similitudinis opponuntur. Sed quoniam quatuor species oppositionis dictæ sunt, nunc Aristotelis vestigia persequentes, earum differentias colligamus, quæ sunt numero sex : nam si quæ res sint quatuor, easque differre a se ac distare volumus, sex solas differentias invenimus. Cum enim primam differre a secunda ac tertia atque quarta ponimus, tres sunt differentiæ. Item secundam rem a prima re differre ostendere atque demonstrare superfluum est. Cum enim primæ rei ad secundam distantiam colligeremus, quid secunda distaret a prima docuimus. Relicta igitur primæ ad secundam rem differentia, secundæ et tertiæ, item secundæ quartæque differentiæ monstrabuntur, quæ sunt duæ, quæ tribus superioribus junctæ quinque solas efficiunt. Restat tertiæ rei quartæque distantia. Nam primæ ad secundam atque tertiam demonstrata est discrepantia, cum prima a secunda distaret, atque eodem modo a tertia monstrabamus. Id his probatur exemplis. Nam cum oppositio ea quæ est secundum ad aliquid, ab his oppositionibus quæ sunt secundum contrarietatem, privationem atque habitum, atque affirmationem et negationem, distare proponitur, tres sunt differentiæ. Cum vero ea quæ secundum privationem atque habitum oppositio est, a contrariis et ab affirmatione negationeque discre-

pat, duæ sunt differentiæ, quæ junctæ superioribus quinque perficiunt. Idcirco enim quid distaret habitus atque privatio, ea oppositione quæ relativa est prætermisimus, quoniam prius monstravimus quid relativa oppositio ab habitu privationeque differret; non est enim dubium æquam esse in utrisque differentiam, cum una ab alia discrepaverit. Restat una sola differentia, quæ est contrariorum ad affirmationem scilicet et negationem; prætermissa namque est contrariorum differentia, de relativa scilicet et secundum habitum privationemque oppositione, quid hæc superius a contrarietate distaret, monstratum est. Quare quoniam quot sunt horum differentiæ cognitum est, ad sequentis operis ordinem veniamus.



Quod autem privatio et habitus non sic opponuntur ut ad aliquid, manifestum est; neque enim dicitur hoc ipsum quod est oppositi, visus enim non est cæcitatis visus, nec alio nullo modo ad ipsum dicitur. Similiter autem neque cæcitas, sed privatio quidem visus cæcitas dicitur, cæcitas vero visus non dicitur. Amplius ad aliquid omnia, reciproce dicuntur, quare et cæcitas si esset eorum quæ ad aliquid sunt, utique converteretur ad illud ad quod dicitur, sed non convertitur, neque enim visus dicitur cæcitatis visus.

Et cætera quidem quæ sunt differentia perspicue superius in contrariorum differentia relativa oppositione ante præmissa surt. Unam namque differentiam contrariorum relativorumque dixit esse, quod contraria non ita ut ea quæ sunt ad aliquid converterentur. Neque enim quis pronuntiat malitiam bonitatis esse malitiam, neque bonitatem malitiæ esse bonitatem, velut filium patris esse filium, rursusque patrem filii patrem. Eadem quoque et in his quæ secundum privationem habitumque redduntur, dicitur differentia. Nam sicut ea quæ sunt ad aliquid opposita, adversum semetipsa redduntur, et omnia ad opposita prædicantur, non eodem modo in habitu atque privatione est. Nullus enim dicit cæcitatis esse visum, nec rursus visus esse cæcitatem. Quocirca si ea quæ sunt relativa ad opposita prædicantur, conversimque dicuntur (cum enim sit oppositus filio pater, pater filii dicitur, scilicet ad oppositum, rursusque convertitur ut patris filius appelletur) quoniam hoc in his quæ sunt secundum privationem et habitum non dicitur. Neque enim cum sit visus oppositus cæcitati, secundum privationem atque habitum dicitur visus cæcitatis, id est nunquam secundum hanc oppositionem aliquid oppositi prædicatur neque convertitur, neque enim dicitur cæcitas visus, recte privatio atque habitus non in eadem qua relativa, sed in alia specie numerata sunt.

A *Quod autem neque ut contraria opponuntur ea, quæ secundum privationem et habitum dicuntur, ex his manifestum est. Quorum enim contrariorum nihil est medium, necesse est in quibus nata sunt fieri, aut de quibus prædicantur, alterum ipsorum inesse semper, horum enim nihil erat medium, quorum alterum necessarium erat inesse susceptibili, ut languorem et sanitatem, et impar et par. Quorum vero aliquod est medium, nunquam necessitas est omni susceptibili inesse alterum, neque enim necesse est omne susceptibile candidum vel nigrum esse, neque frigidum, neque calidum, horum enim medium aliquid nihil prohibet esse, horum etiam erat aliquid medium, quorum non erat necessarium alterum inesse susceptibili, præter illa*

B *quibus naturaliter unum inest, ut igni calidum esse, et nivi candidum. In his enim determinate necessarium est alterum inesse et non alterutrum, non enim possibile est ignem frigidum esse, neque nivem nigram. Quare omni quidem susceptibili non est necessarium alterum eorum inesse, sed solum quibus naturaliter unum inest, his determinate unum, non alterutrum inesse contingit.*

Prolixitatem textus idcirco contraxi quod et ea ipsa quæ dicuntur supra jam dicta sunt, nec longior ordo possit aliquod creare fastidium, quod nos hac textus divisione sejunximus. Et prius quidem proponit ante oculos omnes inter se contrariorum differentias, quas ipse quantum potero brevissime commemorabo; ait enim contrariorum quæ mediis carent semper alterum inesse ei quod illas contra-

C rietates suscipere potest, ut ægritudo et sanitas, quoniam semper in animalis corpore reperitur, et ea sine ullo est adversus suum contrarium medio. Idcirco omne corpus animalis semper aut ægrotat, aut sanum est, et semper alterum aut sanitatis aut ægritudinis inest ei quod has suscipit contrarietates. Eorum vero contrariorum quæ habent aliquam medietatem, non necesse est semper alterum inesse ei cui accidunt, ut album atque nigrum, cum sint utraque contraria, quoniam habent aliquam medietatem, ut rubrum, veniunt autem semper in corpora, non necesse est omne corpus fieri, aut album aut nigrum, quoniam potest aliquando contingere ut illa eorum medietas corpori cuilibet eveniat. Atque hoc ita est in iis quæ medio non carent, quæ ipsa mediata vocamus, exceptis his quibus una contrarietas est in-

D sita per naturam, ut nix alba est, ignis calidus. In his enim unam semper necesse est evenire non aliam, nec utrumlibet, sed diffinite unam. Id enim non venit in ignem, ut aliquando sit calidum, aliquando frigidum, aliquando vero quod horum medietas est tepidum, sed semper naturali calore succenditur; nec nix aliquando fit nigra, nec rursus rubea, nec ullis aliis coloribus permutatur, sed solum semper alba est. Cum hæc ita sint, ea quæ secundum habitum privationemque opponuntur, si et ab his contrariis distare monstrata sint quæ mediis carent, et ab his quæ intra se quamdam medietatem qualitatis includunt, et ab his quoque quæ, cum me-

diata sint, tamen diffinite alicui insunt, perfecte monstratum est ea quæ secundum habitum et privationem sunt a contrariis discrepare. Quare quid distent Aristotele teneamus auctore.

In privatione vero et habitu neutrum horum quæ dicta sunt, verum est, neque enim semper susceptibili necessarium est alterum inesse eorum. Quod enim nondum naturam habet ad videndum, neque cæcum, neque visum habens dicitur. Ideoque non erunt hæc talium contrariorum, quorum nihil est medium, sed neque quorum est medium, necessarium enim est omni susceptibili alterum istorum inesse. Quando enim jam natum fuerit ad habendum visum, tunc aut cæcum, aut habens visum dicetur, et horum non determinate alterum, sed alterutrum contingit, non enim necessarium est, vel cæcum, vel habens visum esse, sed quod contingit. In contrariis autem quibus medium est, nunquam necessarium fuit omni susceptibili alterum inesse, sed quibusdam, et his determinate unum, sed non quod contingit, unde palam est quod secundum neutrum modum tanquam contraria, opposita sunt hæc, quæ secundum privationem et habitum opponuntur.

Dat primo differentias quibus ea quæ sunt secundum habitum et privationem opposita, ab iis quæ sunt immediata contrariis distent. In his enim contrariis quæ medium non habent, semper necesse est ipsorum alterum inesse ei quod his ipsis subjectum est. In habitu vero et privatione non ita est. Non enim semper quælibet res aut habitum habet aut privationem, sed est tempus quando utrumque non habeat, ut catuli quibus nondum per naturam oculi patent. Illos enim nec habere habitum dicimus, quoniam non vident, nec privatos visu, quoniam parvuli adhuc visum per naturam habere non possunt Igitur horum quæ sibi secundum privationem habitumque sunt opposita, non semper alterum subjecto inest corum. Sed eorum quæ sunt contraria immediata, id est medio carentia, semper alterum susceptibili inest. Distat igitur ea quæ secundum habitum et privationem est oppositio, iis quæ secundum contraria putantur opponi. Sed quoniam sunt quædam contraria quæ insunt alicui per naturam, ut nivi album, igni calidum, corvo nigrum, etiam ab his discrepat oppositio privationis et habitus. Ea enim quæ per naturam insunt, diffinita sunt, et nullo modo permutantur, ut est album nivi. Non enim nix aut alba aut nigra est, sed tantum alba, et corvus non aut albus aut niger, sed solum niger. In privatione vero et habitu una res esse non potest diffinita, sed semper aut privatio contingit, aut habitus, et hoc est quod ait, et horum non diffinite alterum, sed aut hoc, aut illud. Neque enim necesse est aut cæcum esse, aut habentem visum diffinite subaudiendum est, catulus enim qui per naturam nondum videt, aut habitum habiturus est, id est visum, aut eo privandus est, ut sit cæcus, sed non diffinite unum, sed aut hoc aut illud indiffinite contingit. Distat igitur hæc oppositio his contrariis quæ aliquibus per naturam immutabiliter accidunt. Restat igitur ut his contrariis quæ mediata sunt hanc oppositionem differre doceamus. In illis enim non semper necesse erit contraria inesse subjecto, idcirco quod eorum medietates possint subjectis evenire substantiis, ut album vel nigrum quod non est alicui per naturam, sed tantum secundum accidens. Possunt enim utraque non esse in corporibus, quoniam his vel rubrum vel pallidum, quæ sunt eorum medietates eveniunt. In privatione vero id et habitu non est. Quando enim poterit per naturam habere habitum, utrisque quæ ea suscipiunt, carere non possunt. Catulus enim cum per naturam videre potuerit, aut habitum habere dicitur, et est videns, aut privationem, si fuerit cæcus. Ita semper ab eo tempore quo illi per naturam utrumlibet habere concessum est, alterutrum retinebit, id est aut privationem retinebit, aut habitum. Quocirca si in his contrariis quæ medio non carent, potest fieri ut utraque contraria in subjecto non sint, in privatione vero et habitu ab eo tempore quo per naturam potest utrumque retinere, fieri non potest nisi eorum habeat alterum, distant hæc quoque mediata ab his quæ secundum vim privationis atque habitus opponuntur. Sed ante monstratum est et his contrariis quæ per naturam essent, et iis quæ medio carerent, hanc oppositionem esse dissimilem. Recte igitur positum est privationis atque habitus oppositionem ab his quæ opponuntur ut contraria, discrepare.

Amplius in contrariis quidem existente susceptibili, possibile est in alterutrum fieri mutationem, nisi alterum alicui naturaliter insit, ut igni calidum esse : namque possibile est quod sanum est, languere, et candidum, nigrum fieri, et ex studioso, pravum, et ex pravo, studiosum possibile est fieri. Pravus enim ad meliores consuetudines deductus, et ad doctrinas, et si modicum aliquid proficiat ut melior sit. Si vero semel vel modicum crementum sumpserit, palam est quod aut perfecte mutabitur, aut satis multum incrementum sumet. Semper enim bene mobilior ad virtutem fiet, vel quodcunque crementum sumpserit a principio. Quare verisimile est amplius eum sumere crementum, et hoc dum semper fit, perfecte in contrarium habitum restituetur, nisi forte tempore suspensum sit. Verum in privatione et habitu impossibile est mutationem in alterutrum fieri, sed ex habitu quidem in privationem fit mutatio, a privatione vero in habitum impossibile est, neque enim qui cæcus factus est, rursus vidit, neque cum esset calvus, rursus comatus est factus, nec cum esset sine dentibus, dentes iterum orti sunt.

Aliam rursus contrariorum et hujus oppositionis quæ secundum habitum privationemque dicitur, discrepantiam ponit. Ea enim quæ contraria sunt, possunt in alterna variatis vicibus permutari. Quod enim calidum est potest effici frigidum, rursusque quod frigidum est potest in caloris verti qualitatem. His tamen (ut dictum est) solis exceptis, quibus una quælibet res contrariorum naturaliter insita est, in his enim solis fieri non potest alterna mutatio : in his vero quæ accidenter et non per naturam sub-

jectis eveniunt,fit semper in contraria permutatio, ut ex sano ægrum, ex ægro rursus sanum corpus efficitur animalis. Jam vero illud verum est, ex bono proclivior semper semita videtur ad malum, et facillima esse ex probitate ad malitiam permutatio, quod Terentiano docetur exemplo: A labore proclivem ad libidinem.Sed quanquam difficilis sit transitus ad virtutes a turpitudine vitiorum,Aristoteles tamen fieri posse hunc transitum confirmat.Hujus enim philosophi sententia est, virtutes non esse scientias,ut Socrates ait,neque ut Stoici naturaliter eas esse,sed discibiles,'et per quamdam boni consuetudinem hominum mentibus inseriri.Atque ideo si quis sit quibuslibet prioribus vitiis obnoxius, si eum melior sermo susceperit,et sapientium consuetudine confabulationeque comatur,aliquid ex ante actis vitiorum illecebris emendabitur, et sese aliquantulum exuet, et paululum liberior ad meliora procedet.Ita ut sit primo quidem minus malus, post vero non malus, deinde jam jamque aliquantulum bonus.Cui si hujusmodi intensio frequentissime fiat, nec parvitate temporis præveniatur,aut ei terminus mortis offecerit, non est dubium illum ex pessimo per probas consuetudines confabulationesque sapientum,in perfectam virtutis habitudinem permutari. Est igitur ex bono in malum, et ex malo in bonum rursus permutatio,atque hoc quidem fit in contrariis.In habitu vero et privatione non fit, est namque permutatio,sed hæc una tantum,nulla ratione sese convertens; ait enim: Ab habitu ad privationem permutatio,a privatione vero ad habitum impossibile est. Et hoc planissime docet exemplis. Quis enim unquam ex cæco factus est videns? quis aliquando calvus crinitus efficitur? cui amissis ætate dentibus rursus alii procreantur? Quare si in contrariis fit alterna mutatio,in privatione vero atque habitu non fit, distat hæc oppositio ab ea scilicet oppositione quæ fit secundum contrarias qualitates.

Quæcunque vero tanquam affirmatio et negatio opposita sunt,palam est quod nullo prædictorum modorum opposita sunt In solis enim isti necessarium est semper aliud quidem eorum verum,aliud autem falsum esse,neque enim in contrariis necessarium est semper, alterum verum esse,alterum falsum,neque in iis quæ sunt ad aliquid,neque in habitu et privatione, ut sanitas et languor contraria sunt,et neutrum neque verum neque falsum est.Similiter duplum et dimidium tanquam relativa opposita sunt,et non est eorum alterum, neque verum,neque falsum,sed neque ea quæ secundum privationem et habitum dicuntur, sicut visus et cæcitas.Omnino autem eorum quæ secundum complexionem ullam dicuntur,nihil neque verum,neque falsum est porro, autem quæ dicta sunt, sine complexione dicuntur.

Expositis his differentiis quibus vel contrariis relativa, vel privatio et habitus relativis, vel rursus privatio et habitus contrariis discreparent,nunc sequitur quid his omnibus secundum affirmationem negationemque opposita distent,et dat signum prorium affirmationis et negationis,ut eas semper quæramus agnoscere,ut si qua sint quæ hoc signo minime teneantur, illa ab affirmationis negationisque oppositione differre dicamus.In affirmatione enim et negatione fieri non potest, ut si affirmatio vera sit, statim falsa negatio non sit; si negatio vera, affirmatio mendacii nota carere possit,ut si quis dicat, Socrates ambulat, Socrates non ambulat. Si verum est Socratem ambulare,falsum est non ambulare, et rursus si verum est non ambulare,falsum est ambulare.Hanc autem veri falsique divisionem nullus unquam in aliis oppositionibus poterit invenire.Nam in his quæ sunt ad aliquid non solum non est necesse oppositionem ipsam sibi verum falsumque dividere,sed in his nulla omnino neque veritas, neque falsitas invenitur.Si quis enim dicat hoc tantum, pater, vel rursus,filius, neque verum aliquid neque falsum pronuntiat. Et in contrariis quoque idem est,nam cum bono malum sit contrarium, si quis nominet bonum, et si quis rursus simpliciter pronuntiet malum,nulla in hac prædicatione neque falsitas, neque veritas est. Eodem quoque se modo habet etiam in his quæ secundum habitum privationemque dicuntur.Similiter enim nihil neque verum, neque falsum est, si quis visum nominet vel cæcitatem,hoc autem idcirco evenit, quia omnia, quæcunque sunt, in quibus aut falsitas,aut veritas invenitur,secundum aliquam complexionem dicuntur. Ea vero quæ simpliciter proferuntur, veri atque falsi prolatione carent,ut ipse ait,cum in principio omnia prædicamenta numeraret, dicens singula eorum quæ essent dicta in nulla affirmatione dici, quadam vero complexione inter se horum prædicamentorum veritatem falsitatemque gigni,de quibus Aristoteles edocuit præter complexionem aliquam in sermonibus veritatem falsitatemque inveniri non posse. Si quidem exemplo quoque hoc manifestum est. Si enim dixero, Socrates homo est, aut verum aut falsum est.Quod si hoc tantum dicam Socrates, aut rursus, homo, nihil in eo neque veritatis neque falsitatis est.Quocirca quoniam omnis affirmatio cum complexione profertur, potest in ea, aut veritas, aut falsitas inveniri. Ea vero quæ sunt ad aliquid simpliciter et sine ulla complexione dicuntur.Similiter autem et contraria,et ea quæ sunt secundum habitum privationemque sibimet opposita, ut est pater filius,bonum malum,visus cæcitas,quæ quoniam sine complexione dicuntur (ubi autem complexio non est, illic nec falsitas neque veritas est. In affirmationibus vero solis et negationibus quæ secundum complexionem dicuntur,aut veritas, aut falsitas reperitur, secundum affirmationem et negationem oppositio a cunctis aliis superioribus distat.

Sed maxime videbitur hoc tale contingere in his quæ secundum complexionem contraria dicuntur. Sanum namque esse Socratem,ad languere Socratem contrarium est, sed neque in his necessarium est alterum semper verum, alterum autem falsum esse,cum enim

Socrates sit,erit illud quidem verum, illud vero falsum ; cum vero non sit,ambo falsa sunt, neque enim languere, neque sanum esse, verum est, cum non sit ipse Socrates omnino. In privatione vero et habitu cum non sit,neutrum verum est; cum vero sit,non semper erit alterum verum, alterum autem falsum. Habere namque visum Socratem ad id quod est Socratem cæcum esse oppositum est, sicut privatio et habitus. Et cum sit, necessarium non est alterum verum vel falsum esse,cum enim nondum natus est habere,utraque falsa sunt ; et cum non sit omnino Socrates,sic quoque falsa sunt utraque,et visum eum habere,et cæcum esse.

Quoniam videntur quædam contraria secundum complexionem dici,in quibus aut falsitas reperitur aut veritas, sed neque ut affirmatio sit neque ut negatio,de his quoque dicit, quid distent his complexionibus, quæ secundum affirmationem negationemque dicuntur. Nam sicut ægritudo est contraria sanitati, ita quoque ægrotum esse Socratem, ei quod est sanum esse contrarium est. Oratio quoque quæ dicit Socrates sanus est, contraria est ei quæ pronuntiat Socrates ægrotat. In his ergo et veritas invenitur et falsitas.Quod igitur hæc distant ea oppositione quæ secundum vim affirmationis aut negationis opponitur,hoc scilicet quod subsistente re,de qua utraque dicuntur,utrumlibet eorum verum est, si tamen ea contraria prædicantur,quæ mediis carent, nam vivente et subsistente Socrate,quoniam ægritudo et sanitas immediata contraria sunt,si quis de Socrate dicat : Socrates sanus est, rursusque alius pronuntiet: Socrates ægrotat, unam veram,unam falsam esse necesse est.Socrates enim vivens aut ægrotat aut sanus est,et si verum est eum ægrotare,sanum esse falsum est,et si falsum est ægrotare, sanum esse verum est; si vero Socrates ipse non subsistat neque omnino sit,utrumque de eo falsum est dicere,quoniam ægrotat et sanus est.Qui enim omnino non est,neque omnino poterit ægrotus esse nec sanus.Ergo in contrariis subsistente re de qua prædicantur,semper una prædicatio vera est,alia falsa,in his scilicet contrariis quæ secundum complexionem dicuntur et carent medio.Non subsistente autem re, contrarietates utraque sunt falsæ. Illa vero quæ secundum privationem habitumque dicuntur, si cum complexione prædicentur, et subsistat res,non necesse est aliam veram esse,aliam falsam, et cum res omnino non sit,utræque sunt falsæ.Socrates enim cum sit jam in suæ matris alvo,et nondum sit genitus in lucem quidem editus non est,ipse tamen est atque vivit,sed tunc neque videns est neque cæcus,et videns quidem non est ; quoniam nondum in lucem est editus. Cæcus vero idcirco non dicitur, quoniam adhuc videre non poterat. Ergo cum sit atque subsistat res de qua habitus et privatio prædicantur, potest fieri ut de ea falsa utraque prædicentur ; si vero res de qua dicitur non sit,omnino utrasque falsas esse necesse est,ut cum Socrates omnino non est, falsum est eum dicere vel videntem esse vel cæcum. Ille enim videt atque cæcus est qui vivit atque subsistit, cum vero de quo dicitur non sit omnino,utraque de eo falso dicuntur. In catulis quoque idem est,nam cum jam sunt editi, subsistunt quidem ; sed neque cæci sunt neque videntes,quia nondum per naturam visum habere potuerunt. Sin vero omnino non sint, rursus falsum est de his utrumque prædicari.In affirmatione vero et negatione non ita est, ut ipse pronuntiat.

In affirmatione vero et negatione semper sive sit,sive non sit, aliud quidem verum erit, aliud vero falsum, languere namque Socratem et non languere Socratem, cum ipse sit palam est,quia alterum eorum verum,alterum vero falsum est, et cum non sit, similiter ; languere enim cum non sit,falsum est,non languere autem verum. Quare in his solis proprium erit, semper alterum eorum verum, alterum falsum esse,quæcunque tanquam affirmatio et negatio opposita sunt.

In affirmatione,inquit,et negatione sive res subjecta subsistat,sive non sit omnino,semper in una veritas,in alia falsitas inveniuntur.Non esse enim idem dicere ægrotare aliquem quod non esse sanum,nec idem cæcum esse quod non videre perspicacissime docet. Nam qui ægrotat nisi subsistat non potest ægrotare. Non esse autem sanum,non ita est, nam etiamsi non sit omnino aliquis,potest de eo qui non est hæc negatio prædicari. Quod enim omnino non est,sanum esse non potest,quod sanum esse non potest non est utique sanum.Eodem quoque modo est et de cæcitate et de visu, neque enim idem est dicere cæcum esse aliquem quod non videre; qui enim cæcus est, subsistit vivitque, ut sit cæcus, non videre vero etiam de omnino non subsistente dici potest. Qui enim non subsistit omnino videre non potest,et qui videre non potest non videt.Quocirca in affirmatione et negatione sive sit de quo dicitur, sive non sit, una semper vera est,altera falsa. Nam cum sit Socrates et vivat, si de eo verum est dicere, quoniam videt,falsum est dicere,quoniam non videt, et si de eo verum est dicere, quoniam sanus est, falsum est dicere de eo quoniam non est sanus. Si negationes veræ sunt, falsæ sunt affirmationes. Si vero res subjecta non subsistat omnino, de ea quidem affirmatio falsa est, negatio semper vera. Nostro enim tempore cum Socrates non est neque subsistit, si quis dicat Socrates videt, et alius dicat Socrates non videt, falsum quidem est de eo dicere, quoniam videt, verum autem quoniam non videt. Qui enim omnino non est, videre non potest,qui videre non potest,non videt. Ita firmum immutabileque semper manet in affirmationibus et negationibus alteram semper veram,alteram falsam in prædicatione constitui.Quocirca quoniam in contrariis et in iis quæ secundum privationem habitumque sunt,si cum complexione utraque dicantur de re non subsistente,falsa sunt utraque quæ prædicantur.Cum hocidem in affirmationibus et negationibus non sit,omnes cæteræ oppositiones ab affirmatione et negatione dissentiunt.Monstratæ sunt igitur oppo-

stiones quatuor et sex differentiæ : una quidem contrariorum et ejus quæ est ad aliquid ; secunda contrariorum et eorum quæ sunt secundum habitum et privationem ; tertia contrariorum et ejus oppositionis quæ est secundum affirmationem et negationem ; quarta relativorum et ejus quæ est secundum habitum et privationem ; quinta relativorum et ejus quæ est affirmationis et negationis ; sexta privationis et habitus ad negationem et affirmationem. Sed post has oppositionum differentias quædam de contrariis ad multas proficientia quæstiones ab Aristoteles traduntur.

Contrarium autem est bono quidem ex necessitate malum, hoc autem palam est per singulorum inductionem, ut sanitati languor, et justitiæ injustitia, et fortitudini timiditas, similiter autem et in aliis. Malo autem aliquando bonum quidem est contrarium, aliquando autem malum, egestati enim, cum sit malum superabundantia contraria est, cum etiam ipsa sit malum. Similiter autem et mediocritas contraria utrique cum sit, bonum est, sed in paucis hoc tale quispiam inspiciet, in pluribus vero semper malo bonum contrarium est.

Hoc loco monstratur quod omne bonum semper malo contrarium est, non autem omni malo semper bonum, nam quodcunque fuerit bonum, solum illi malum contrarium est, malo autem et bonum potest esse contrarium et malum. Sanitati enim quæ bona est, ægritudo quæ est mala, contraria est. Rursus felicitati quæ est bona, infelicitas quæ ipsa quoque est mala, contraria est. Est autem invenire malum quod duas habet contrarietates, boni scilicet et alterius mali. Nam cum ea sunt contraria quæ a se plurimum distent, cum sit timiditas habitus animi pessimus, duas habet contrarietates, temeritatem scilicet et fortitudinem, nam qui omnia timet et est timidus, et qui nihil timet omnino in quo est temeritas, longe a sese distant et discrepant, quocirca sibi contraria sunt, cum utraque sint mala. Rursus quoniam bonum malo contrarium, et fortitudo bona est, timiditas mala erit, et erit fortitudini contraria oppositaque timiditas. Duæ igitur contrarietates opponuntur timiditati, temeritas et fortitudo ; sed temeritas contraria est secundum longissimam distantiam quantitatemque discrepantis habitus atque contrarii. Timiditas vero fortitudini videtur opposita, secundum qualitatem bonitatis atque malitiæ. Quare sufficienter est demonstratum bona semper malis esse contraria, mala vero etiam malis. Inductio autem est singulorum exemplorum collectio, et ad universalem per ea cognitionem collectionemque reductio, ut si quis dicat qui musicam novit musicus est, et ab ea denominator, et medicus qui medicinam, rursus qui grammaticam grammaticus, et ex his singulis rebus colligat universaliter, et quicunque aliquam artem novit ejusdem denominatione signatur, ut a grammatica grammaticus, a medicina medicus, et cætera hujusmodi. Quocirca hoc quod supra diximus de contrariis, Aristoteles exemplorum planissima inductione A firmavit. Illud quoque addidit mala posse malis esse contraria, in paucissimis inveniri, semper autem mala bonis esse contraria. Nam et in his ipsis in quibus mala malis contraria sunt, inest tamen ut etiam simul bonis contraria esse videantur, ut timiditas, quoniam temeritati contraria est, simul est etiam fortitudini contraria. Sed non necesse est, ut quodcunque malum bono est contrarium, mox etiam mali esse contrarium, ut ægritudo sanitati quidem, quod est bonum contraria est, alii vero malo contraria non est. Recte igitur dictum est, malum malo contrarium in paucioribus inveniri.

Amplius contrarium non necessarium est, si alterum sit, et reliquum esse. Sanis namque omnibus, sanitas quidem erit, languor vero non erit. Similiter autem si B *omnes albi sint, albedo quidem erit, nigredo vero non erit. Amplius si Socratem esse sanum, ad id quod est Socratem languere contrarium est, cum non sit possibile utrumque eidem inesse simul, non erit possibile, cum alterum contrarium sit, et reliquum esse ; cum enim hoc alterum contrarium sit, et reliquum esse ; cum enim hoc sit, Socratem sanum esse, non erit illud languere Socratem.*

Dictum est in relatione, quædam relativa simul esse naturaliter, ut cum sit filius, pater est, cum vero sit pater, sine filio esse non posse. Quocirca simul semper sunt pater et filius, hoc vero in contrariis non est. Ait enim non necesse est simul semper esse contraria. Si enim nullus ægrotet et sint omnes sani, cum sit sanitas, non erit ægritudo, et una contrarietate manente, alia omnino non erit, ut si quis C hoc idem dicat de cygnis, etenim omnes cygni sunt albi, in cygnis nigredo non erit. Atque hoc idem ad universalia referendum est. Nam si omnia quæ sunt alba sunt, omnino nigredo non erit. Tractum autem hoc videtur esse sigillatim a partibus. Nam quod duo contraria in eodem uno eodemque tempore esse non possunt, ut Socrates cum sanus est, ægrotus non est, et cum sanus est, manente sanitate, non esse poterit ægritudo. Et non erit necessarium uno contrario posito, mox subsequi alterum. Nam si necesse esset uno contrario constituto, mox aliquid sequi, posset idem Socrates uno eodemque tempore, et sanus esse et æger, quod fieri non potest. Non est igitur necesse cum sit una contrarietas mox aliam sequi. Quocirca fieri potest ut cum unum contrarium sit, D aliud non sit. Idque in singularibus etiam necesse est, ut in eo quod est Socratem esse sanum, non est Socratem ægrotare, quod Socratis sanitati est contrarium. Socrates enim quanquam contrariorum susceptibilis sit, quoniam substantia est, tamen uno eodemque tempore contraria utraque non suscipit.

Palam vero est quod et circa idem aut specie aut genere natura habent fieri contraria : languor namque et sanitas in corpore animalis natura habent fieri, albedo autem et nigredo simpliciter in corpore, justitia vero in anima hominis et injustitia.

Docet circa quæ semper possint esse contraria. Ait enim circa eas res quæ aut genere eadem sint,

aut specie, ut est corpus quidem animalis unum secundum genus, omnium enim animalium unum genus est, et circa hoc ægritudo vel sanitas invenitur. Similiter et circa corpus omne indiscrete, vel animalis vel inanimati, albedo et nigredo est, quod scilicet omne corpus et ipsum secundum genus est, unum, namque his genus est substantia. Justitia quoque et injustitia in anima est. Omnis autem anima quæ justitiam injustitiamque suscipit, rationalis est, id est hominis ; sed omnes homines idem sunt secundum speciem, omnes igitur animæ eædem secundum speciem sunt ; justitia ergo et injustitia circa easdem res secundum speciem reperiuntur. Quocirca recte jam conclusum est, omnia contraria circa easdem res vel secundum genus, vel secundum speciem inveniri.

Necessarium est autem omnia contraria vel in eodem genere esse, vel in contrariis generibus esse vel ipsa genera esse. Album enim et nigrum in eodem genere sunt, color enim genus eorum est ; justitia vero et injustitia in contrariis generibus, illius enim virtus, nujus autem nequitia genus est. Bonum vero et malum non sunt in genere, sed ipsa sunt genera aliquorum existentia.

Monstrat id quod reliquum est, id est ubi possunt semper contraria vestigari, omnia enim quæ sunt contraria, aut sub eodem genere sunt, aut sub contrariis generibus, aut ipsa sunt genera. Sub eodem genere sunt contraria, ut album et nigrum sub uno genere, id est colore, color enim albedinis et nigredinis est genus. Hæc igitur sub uno sunt genere. Alia vero contraria in contrariis generibus inveniuntur, ut justitia et injustitia. Justitiæ enim genus est bonum, injustitiæ vero malum, malum vero bono contrarium est, justitiæ ergo et injustitia sub contrariis generibus sunt. Rursus alia ipsa sunt genera, ut bonum et malum, utraque sunt genera sub se malorum bonorumque positorum, et non hoc nunc dicitur quod bonitas et malitia nulli alii generi subduntur, ponuntur enim sub qualitate. Sed particularium bonorum et malorum non esse alia genera, nisi ipsum bonum et malum generaliter. Recte igitur bonum et malum aliorum particularium bonorum, malorumque genera sunt numerata. Quare rectissime dictum est omnia contraria, aut sub eodem esse genere, ut album et nigrum sub colore, aut in contrariis generibus, ut justitia atque injustitia sub bono et malo, aut ipsa esse genera, ut est ipsum bonum et malum, quæ genera justitiæ atque injustitiæ numerata sunt.

DE MODIS PRIORIS.

Prius autem alterum altero dicitur quadrupliciter : primo quidem et maxime proprie secundum tempus, secundum quod antiquius alterum altero et senius dicitur, in eo enim quod tempus amplius est, et antiquius, et senius dicitur.

Postquam vero de oppositis disputationem quantum ad præsens tempus attinebat explicavit, nunc quæ priora dici possint, quæ posteriora disserit. Et ait, primo quidem et proprie, et quod in usu prius dicimus, hoc est quando aliquam rem alia res tempore præcedit, et superat, et dum proprie loquimur secundum temporis præcessionem, aliud antiquius dicimus, aliud senius. Antiquius quidem in iis quæ inanimata sunt, ut Porphyrio placet, senius vero in iis quæ anima non carent : ut si quis dicat antiquius fuisse bellum Thebanorum atque Græcorum Trojæ excidio, idcirco quod tempore præcedat, filii namque ducum qui Thebano perire prælio, Trojæ præliis interfuerunt, ut Diomedes Tydæi filius, et Stenelus filius Capanei. Atque hoc quidem ita, quoniam est et in rebus inanimatis quod antiquius dicitur, ut cum dicimus antiquiorem esse dominationem regum in civitate Romana, quam consulum et magistratuum. In rebus vero animatis senius vocamus. Seniorem namque dicimus Pythagoram Socrate, Socratem Aristotele, idcirco quod se temporibus antecedant. Ergo prius alterum altero dicitur proprie secundum tempus, prioris autem quatuor fuere distantiæ, ut ipse Aristoteles dicit, cum ait : Prius alterum altero dicitur quadrupliciter. Easque sigillatim breviter enumerat, ad quas ipse addidit quintam, quæ priscis philosophis esset incognita. Et quoniam de primo prioris modo dictum est, de secundo dicemus.

Secundo autem quod non convertitur secundum subsistendi consequentiam, ut unum duobus prius est : duobus enim existentibus, mox consequens est unum esse, uno autem existente, non est necessarium duo esse. Idcirco non convertitur ab uno consequentia, ut sit reliquum, prius autem videtur illud esse a quo non convertitur essendi consequentia.

Secunda, inquit, significatio prioris est, quæ non tempore intelligitur, sed natura, et hoc ait a quo non convertitur subsistendi consequentia. Nam si duæ res ita sint oppositæ, ut si una sit, necesse sit esse aliam, et si alia sit, non necesse sit esse aliam, illa prior est qua posita ut sit, non est aliam esse necesse, et hoc quidem universaliter dictum est. Planius vero his fiet exemplis. Binarius enim numerus et unitas eam retinet naturam, ut si quis duo esse proponat, unum quoque esse monstraverit, unum enim in ipsis duobus concluditur, nec præter duas unitates poterit esse binarius. Quocirca si quis binarium numerum esse posuerit, unum quoque esse consequitur, idcirco binarius ut sit indiget unitate. At vero si quis ponat esse unitatem, nondum necesse est esse binarium. Ergo ab unitate subsistendi consequentia non convertitur. Posita enim unitate necesse non fuit binarii numeri subsequi quantitatem, idcirco quod binario non indiget unitas, sicut indigens erat unitate binarius. Quare prior est unitas binario : quod si ita est, et quidquid ita fuerit, ut ab eo subsistendi consequentia non convertatur, prius Aristotele auctore probabitur, ut in eo quod est homo et animal. Cum dico hominem, mox dixi animal ; cum animal dixero, nihil adhuc de homine dictum est. Omnis enim homo animal est, non omne animal homo.

Tertio vero secundum ordinem quemdam prius dicitur, quemadmodum et in disciplinis et in orationibus, nam et in demonstrativis disciplinis est prius et posterius per ordinem, elementa enim in geometria priora sunt iis quæ discribuntur per ordinem. Principia enim priora sunt theorematibus ordine, et in grammatica elementa priore sunt syllabis, et in orationibus similiter proœmium prius est narratione, ordine.

Ponit tertiam prioris significationem, ut in geometria priora sunt, inquit, elementa descriptionibus. Elementa vero ait quos terminos appellamus, id est ubi quid punctum sit, quid linea, quid figura prædicitur. His enim cognitis et fideliter animo apprehensis, postea omnes geometriæ descriptiones fiunt, quæ problemata et theoremata nuncupantur. Ergo quoniam prius discuntur elementa, post ad descriptiones est transitus, priora sunt elementa descriptionibus, ordine scilicet, quoniam ut descriptio possit intelligi, prius elementa traduntur, et in grammatica quoque prius singulæ traduntur litteræ quam quæ ex his syllabæ conjungitur, quocirca ipso quoque ordine priores sunt syllabis. Rhetores vero non sæpe a narratione, sed ab exordio agere causas incipiunt, ideo quod exordia narrationibus priora sunt ordine, quare tertius modus prioris iste est qui secundum nexum cujusdam ordinis in qualibet arte est constitutus.

Amplius præter ea quæ dicta sunt, quod melius est et honorabilius prius naturaliter esse videtur, consueverunt enim et plurimi honorabiliores et magis a se dilectos, priores dicere apud se. Sed est pene alienissimus hic omnium modus, modi itaque qui dicti sunt de priore ferme isti sunt.

Dicit prius videri, quod neque secundum tempus aliquoties, neque secundum subsistendi consequentiam, nec secundum ordinem sit, sed quodcunque pretiosius fuerit, prius esse videatur, ut sol, luna prior est, et anima corpore, et animus anima. Hoc vero tali argumento probat, quod hi qui aliquos venerantur, et honorabiliores existimant, dicant eos apud se esse priores, et hi qui in rebus publicis plurimum possunt, priores dicuntur ab his qui eos maxime venerantur. Sed ut ipse ait, alienissimus est a significatione prioris hic quartus in nunc est dictus modus, etenim de his melius dici potest, ut dicantur venerabiliores et honorabiles, ut vero priores dicantur, abusio potius quam ulla proprietas est. Quintus modus quem ipse addidit hujusmodi est.

Videtur autem præter eos qui dicti sunt, alter esse prioris modus. Eorum enim quæ convertuntur secundum essentiæ consequentiam, id quod alterius quolibet modo causa est, digne prius natura dicitur. Quod vero sunt quædam hujusmodi palam est, esse namque hominem convertitur secundum essentiæ consequentiam ad veram orationem de se. Nam si est homo, vera est oratio quæ dicitur, homo est, et si vera est oratio qua dicitur, homo est, consequitur esse hominem. Est autem quidem vera oratio nequaquam causa ut si res, verumtamen videtur quodammodo res causa ut sit oratio vera. Ex eo enim quod res est, vel non est, oratio vero aut falsa dicatur necesse est. Ideoque secundum quinque modos prius alterum altero dicitur.

Novimus quasdam res in prædicatione posse converti. Quod si una earum quæ convertuntur alteri causa est, et veluti naturalem subsistentiam subministrat, illa naturaliter prius esse perhibetur. Ipse autem aptissimo quod proposuit affirmavit exemplo. Nam si est aliqua res, verum est de ea dicere, quoniam est. Rursus si de ea verum est dicere quoniam est, illam ipsam rem esse necesse est : ut quoniam est homo, verum est dicere quoniam est homo. Quod si verum est dicere quoniam est homo, nulla est dubitatio quin homo sit. Ergo quoniam duo hæc sibimet convertuntur, respiciamus nunc quæ sit harum causa alteri, ut subsistere valeat, atque ut esse possit. Video autem rem dicto vero subsistentiæ dare principium, nam quia homo est, idcirco verum est dicere de eo quoniam est, sed non idcirco homo est, quoniam de eo vere dici potest, quoniam est. Res enim ut veritas adsit, dicto principium est, sed non ut res subsistat, vero efficitur dicto. Quocirca prius est, esse hominem, posterius, verum de eo esse dictum. Idcirco quoniam quamvis convertantur, tamen una harum rerum alteri subsistendi causa est. Ait enim id esse prius inter ea quæ convertuntur secundum essentiæ consequentiam, quod alterius quomodolibet causa est. Ut in hoc ipso sermone de homine, convertuntur utraque quidem, sed homo ut sit sermo verus, causa est atque principium. Quod Aristoteles ita ait : Est autem verus sermo nullo modo causa subsistendi rem. Res autem videtur quodammodo causa esse ut sermo verus sit. Neque enim idcirco res est, quoniam sermo est, sed idcirco verus est sermo, quoniam res ipsa subsistit. Quocirca quinque hi prioris modi sunt, quorum superius quatuor dixit, secundum tempus, scilicet secundum id quod non convertitur ad subsistendi consequentiam, secundum ordinem, secundum reverentiam, et secundum conversionem, cum altera res alii subsistendi causa est. Sed quoniam de priori dictum est. Nunc de his quæ simul sunt incipit.

DE MODIS SIMUL.

Simul autem dicuntur simpliciter et proprie quidem, quorum generatio est in eodem tempore, neutrum enim neque prius neque posterius est eorum. Simul itaque hæc dicuntur secundum tempus.

Cum de prioribus disputaret, illa propria priora esse contenderat, quæ secundum vim præcedentis temporis dicerentur, quare cum de his quæ simul sunt disputat, idem revocat, et recte. Nam si maximum modum prioris solum efficiet tempus, cur quoque non simul editam naturam tempus efficiet ? Ait ergo, et simpliciter et proprie dici simul esse ea, quæ unius temporis ortu prolata sint, ut si illa sint antiquiora atque priora, quæcunque non æquali, sed præcedenti tempore proferuntur, quæ se temporibus non præcedunt, rectissime simul esse ponuntur.

Quæ enim uno tempore edita atque prolata sunt, illa secundum tempus simul esse dicuntur, id est simul naturale principium substantiamque sortita, atque hæc quidem secundum tempus simul esse dicuntur. Secundum naturam vero simul esse perhibentur, quæcunque invicem ad se convertuntur, cum altera res alteri subsistendi, neque causa sit, neque principium, ut sunt hujusmodi, duplum et medium : nam cum sit duplum, medium est ; cum rursus sit medium, duplum est. Servus quoque et dominus eodem modo sunt, filius quoque et pater. Hæc enim quæcunque illata quidem inferunt alia. sublata vero auferunt simul, sibi invicem et semper invicem convertuntur : nam si dicam patrem, filium quoque intelligi necesse est ; si dixero filium, pater mox sub intelligentiam cadit. Quod si alterum sustulero, utraque perimo : nam si tollam filium, pater non est ; si patrem abstulero, filium quoque perire necesse est. Atque hæc ita sibimet ipsa convertuntur, ut tamen altera res alteri causa penitus non sit : nam quoniam pater filio in prædicatione convertitur manifestum est, sed neque pater filio causa est ut sit, nec filius patri, hoc autem hujusmodi est. Si Æneas habuit Ascanium filium, non dicimus, quoniam non fuit Æneas causa ut esset Ascanius, sed non fuit pater causa ut esset filius. Nam quod dico Ascanius, quædam propria substantia est, quod dico filius, esse non potest, nisi ad aliquid referatur, et cum Æneam nomino, substantiam dixi, si patrem appello, nulla ratione constat, nisi ad filium referatur. Igitur causa fuit Æneas ut esset Ascanius, sed non est causa pater ut esset filius. Pater namque tunc fit cum filius fuerit. Quod si hæc tempore ipso priora non sunt, causa autem cujuslibet rei prior est quam illa cujus causa est, ut oriatur, nulla dubitatio est, quin pater atque filius, quæ utræque prædicationes æquales sunt tempore, neutra neutri causa sit, cum tamen substantiæ ipsæ sibi ut sint, causa sint prædicationis. Nec ullo modo simile debet videri ei quod paulo ante dictum est de homine, esse verum de eo sermonem, scilicet quoniam est. Illic enim cum res esset, tunc poterat esse verus de ea sermo. Prius enim est ut sit aliquid, post vero ut de eo verum aliquid esse dicatur. Nunc vero non ita est. ut prius aliquis sit pater, post vero filius. Mox enim ut pater est, filium esse necesse est, mox ut est filius, patris sine dubio prædicatio consequitur, quemadmodum ergo iste modus fit, qui scilicet simul secundum naturam est, Aristoteles ita pronuntiat.

Naturaliter autem simul sunt, quæcunque convertuntur quidem secundum quod est esse consequentiam. Sed nequaquam causa est alterum alteri ut sit, ut in duplo et dimidio. Convertuntur etenim hæc : nam cum sit duplum, est dimidium, et cum sit dimidium, est duplum, sed neutrum alteri causa est ut sit.

In his quæ ita priora esse dicebatur, ut converterentur, quamvis secundum essentiam eorum consequentia esset, tamen quia in his alia res alii causa atque principium est, hoc erat quod una prior esse videretur, ea quidem cujus causa erat. Quod distat ab iis quæ convertuntur, et se invicem auferunt, quæ cum neutra neutri causa sit, et tamen convertuntur, digne simul naturaliter esse perhibentur.

Dicuntur etiam simul naturaliter et quæ ex eodem genere e diverso dividuntur a se invicem. E diverso autem dividuntur, quæ secundum eamdem divisionem sunt, ut gressibile, volatile et aquatile, hæc enim e diverso dividuntur, quæ sunt ex eodem genere secundum divisionem : animal namque dividitur in hæc, in volatile, gressibile et aquatile, et nihil horum prius vel posterius est, sed simul per naturam hæc esse videntur.

Tertium modum eorum quæ simul sunt hunc addidit, illa quoque simul esse, quæ æquali divisione sub genere ponantur, ut si ponat quis animal genus hominis et equi, hominem vero et equum a genere, id est ab animali dividat, homo vero et equus quoniam sub eodem genere sunt, simul esse natura dicuntur. Et conveniens regula est in omnibus qui, buscunque generibus, cum enim specierum divisiones fiunt, illic species natura simul sunt, et si sub his ipsis speciebus quædam alia ponantur, inter se etiam ipsa simul esse natura dicuntur. Dividatur enim genus, id est animali in volatile atque gressibile, et quoniam sunt sub eodem genere, simul natura sunt. Et si quid horum in subjectas partes speciesque solvatur, ut volatile quidem in his avibus quæ seminibus vescuntur, et in iis quæ carnibus, et in his quæ herbis, hæ tres species rursus, quæ sub volatili sunt, simul esse naturaliter appellantur, quod Aristoteles ita dicit.

Dividitur autem et singulum horum et species rursus, ut gressibile animal, et volatile, et aquatile. Erunt ergo et illa simul naturaliter quæcunque ex eodem genere secundum eamdem divisionem sunt. Genera vero semper speciebus priora sunt, neque enim convertuntur secundum essendi consequentiam : ut cum sit aliquid aquatile quidem, est animal ; cum vero sit animal, non est necesse ut sit aquatile. Simul ergo per naturam dicuntur quæcunque convertuntur quidem secundum essendi consequentiam, sed nequaquam quidem causa est alterum alteri ut sit, et ea quæ ex eodem genere e diverso dividuntur ab invicem, et simpliciter simul sunt quorum generatio in eodem tempore est.

Atque idcirco fieri non potest ut genus habeat unam speciem. Nam si quæcunque sub genere sunt, simul sunt. Simul autem nisi plura esse non possunt, genus igitur sub se unam speciem habere non potest. Si enim una fuerit, fieri non potest ut simul esse dicatur, quia illud est, quod sub eodem genere quædam res solent quæ simul sint naturaliter inveniri. Sed hæc de speciebus. Genera autem semper priora sunt, non enim convertuntur secundam subsistentiæ consequentiam. Prioris unus modus est secundum quem illa priora esse dicerentur quæcunque ad subsistendum nullo modo converterentur, quod hoc idem in generibus cadit. Genera enim non convertuntur ad subsistentiæ consequentiam hoc modo. Sit enim animal genus, homo vero species. Cum vero dico hominem esse, animal quoque esse

consequitur. Si animal dixero, ad hominem subsistentiæ consequentia non convertitur. Potest enim esse animal, non tamen homo. Quocirca ab animali ad hominem non convertitur subsistentiæ consequentia. Quod si posito homine animal constat, animali vero nominato non est necesse hominem esse, animal est prius homine. Illa quoque priorum descriptio est, quod ea quæ sunt priora sublata quidem auferunt, illata non inferunt. Animal enim sublatum secum quoque hominem tollet, illatum vero ut dicatur esse animal, non secum statim hominem infert. Posteriora vero et diverso sunt. Illata enim simul inferunt, sublata non auferunt. Dictus quidem homo, simul secum animal infert, omnis namque homo animal est. Quod si homo substantialiter auferatur, non est necesse animal quoque auferri, quod hoc nomen animalis in pluribus speciebus valet aptari. Quod si ita contingit, sublato homine permanebit animal. Quocirca concludit tres esse species eorum quæ simul sunt secundum tempus, secundum naturam cum utraque ita convertuntur, ut neutra neutri causa sit. Tertium genus est secundum eamdem sub eodem genere divisionem. Quoniam in faciendo atque patiendo inerat quidam motus, facere autem et pati prædicamentis adjunxerat, idcirco nunc de motibus tractat, et sex numero esse pronuntiat.

DE SPECIEBUS MOTUS.

Motus autem species sunt sex : generatio, corruptio, augmentum, diminutio, alteratio, et secundum locum mutatio. Alii itaque motus palam est quia alii ab invicem sunt. Non est enim generatio corruptio, neque augmentum diminutio, neque secundum locum mutatio. Similiter autem et in aliis.

In physicis Aristoteles motus species alia ratione partitus est. Ait enim aliud esse permutationem, aliud motum, et permutationis quidem duas esse species ait generationem et corruptionem. Motus vero tres secundum quantitatem, secundum qualitatem, secundum locum. Igitur, quoniam hic liber ad introductionem quodam modo factus est, noluit nimis divisionis attenuare rationem, ne ingredientium animos subtiliori divisione confunderet: facit igitur divisionem motus hoc modo. Est enim una species motus secundum substantiam, alia secundum quantitatem, alia secundum qualitatem, alia secundum locum. Et secundum substantiam quidem est generatio et corruptio, hæc enim utraque in substantia fiunt. Nam et secundum substantiam generatur aliquid, et secundum substantiam corrumpitur. Secundum quantitatem vero, ut crementum et diminutio. Etenim secundum quantitatem vel aucta crevisse, vel detracta diminuta esse dicuntur. Secundum qualitatem vero quæ dicitur commutatio, secundum aliquas scilicet passiones, quas qualitates esse manifestum est. Secundum locum vero, ut intus in longitudinem, vel in curvaturam flexus; et intus quidem in longitudinem est ut a sursum in deorsum, a prioribus retrorsum, a dextra in sinistram; et rursus si hæc convertas et in directum pergas, idem motus A erunt. Illud quoque verum est has esse omnes species motus, nullo namque sibi participant, nisi solo generis nomine, quod motus dicuntur: nam neque generatio idem est quod corruptio, namque generatio est in substantia ingressus, corruptio vero ex substantia egressus. Nec diminutio idem quod crementum, nec secundum locum translatio alicui superiorum consimilis est. Commutatio autem habet forte aliquam dubitationem, quod non videatur a superioribus discrepare, quam quæstionem ita proposuit.

In alteratione vero habet quamdam quæstionem, ne forte necessarium sit id quod alteratur, per aliquam reliquarum motionum alterari : hoc autem non est verum. Nam pene secundum omnes passiones aut plures, alterari accidit, nulla aliarum motionum communicante. Neque enim augeri necessarium est, quod per passionem movetur, neque minui. Similiter autem in aliis. Ideoque erit alia præter illos motus alteratio. Nam si eadem esset, oporteret id quod alteratur mox vel augeri, vel minui, vel aliquem aliorum motuum consequi ; sed non est necesse. Similiter autem et quod augetur, aut alia aliqua motione movetur, alterari oportebat.

In commutatione vero est aliqua dubitatio, ne forte necesse sit quod commutatur secundum aliquem reliquorum motuum commutari. Nam si omne quod commutatur, aut generatur, aut corrumpitur, aut minuitur, aut crescit, aut id secundum locum transferri necesse est, dubium non est nihil a superioribus cæteris hanc differe speciem, quæ secundum commutationem dicitur ; quod Aristoteles respuit, dicens, Hoc autem non est verum. Sed quoniam quod commutatur non omnino neque generatur, neque corrumpitur: ut qui in sole diutius stetit, si ex candido niger est factus, commutatus quidem secundum colorem dicitur, non tamen generatus est aut corruptus, nec vero illi aliquod vel crementum factum est vel diminutio, sed nec loci translatio nulla est, potest enim aliquis uno eodemque loco consistens, aliquibus extrinsecus venientibus passionibus permutari, potest quoque et crescere et decrescere, præter qualitatis commutationem: quod ipse Aristoteles ita pronuntiat.

Sed sunt quædam crescentia quæ non alterantur, ut quadratum, circumposito gnomone, crevit quidem, alteratum vero nihil factum est : sic et in aliis hujusmodi. Quare alii sunt motus a se invicem.

Quod dicit tale est : Si quadrato, inquit, addatur gnomo, crescit quidem quadratus, non tamen commutatur. Ideoque sublato gnomone quadratus diminuitur, sed non commutatur. Si enim quadratus *a b c d*, et ducatur ei angularis *b c*, et dividantur quatuor latera *a c*, *a b*, *b d*, *a c*, in æqualia *g e k f* punctis, et ducantur *g h*, *f*, *e* lineæ. Divisus igitur quadratus *a d* in quatuor quadratos qui sunt *e g*, *f g*, *e h*, *h f*, quorumlibet tres qui circa eamdem angularem sunt si demantur, figura ipsa gnomo vocatur. ut si quis tollat hos tres, *e g*, *g f*, *f h*, invenitur *m n*

gnomo, qui *m n* gnomo separatur a *b e h* quadrato. Totus quidem *a d* quadratus imminutus est, qui ex tam magno factus est parvus, non tamen formam tetragoni commutavit. Quod si *e h* tetragonus solus sit, et ei circumponatur gnomo, qui est *m n*, crevit quidem tetragonus, et major factus est, sed non commutatus est. Omnes enim tetragoni sibi sunt propria qualitate consimiles. Quod si commutatio hujusmodi motus esset, ut non omnino a superioribus separaretur, nulla esset dubitatio quin semper oporteret quidquid commutatur secundum aliquem priorum motuum modum commutari. Ita ut aut nasceretur, aut corrumperetur, aut minueretur, aut cresceret, aut secundum locum fieret aliqua permutatio. Quod quoniam non est, ab omnibus superioribus motibus hæc motus species distat. Sed monstratum superius est quinque superiores motus species a se omni ratione substantiæ discrepare. Quocirca distant, se similiter hi sex motus, atque divers sunt.



Est autem simpliciter quidem motui quies contrarium. Singulis vero singuli, generationi quidem corruptio, augmentationi autem diminutio; secundum locum vero mutationi, secundum locum quies, maxime autem videtur oppositum esse in contrarium locum mutatio, ut quæ est inferius ei quæ est superius, et ea quæ est superius ei quæ est inferius.

Nunc jam motuum contrarietates exsequitur, et ipsi quidem generi, id est motui, dicit quietem esse contrariam, habet enim motus quietem contrariam. Singulis vero speciebus motuum motus ipsi contrarii sunt, ut generationi corruptio, et cum generatio sit motus atque corruptio, utraque tamen sibimet contraria sunt, cremento quoque diminutio contraria est. Quare diverso modo hæ species motus contrarietatem habent, quam genus dudum habere monstravimus : motus enim ipse habet quietem contrariam. Specierum vero motibus non quies tantum, sed alii motus contrarii sunt, ut generationi corruptio et cremento diminutio, secundum vero locum translationis contrarietas similis est generi. Nam et ipsa habet contrariam secundum locum quietem, contrarium namque est moveri de loco in locum, et A non moveri, et est non moveri quidem secundum locum quies, moveri vero secundum locum translatio. Maxime autem, inquit, secundum locum mutationi, contraria est in contrarium locum permutatio. Ut si qua res sursum sit atque ibi maneat, et sit quieta, postea sit ei motus talis, ut deorsum moveatur, quanquam ipsi superiori motui quies contraria sit, multo magis quidem hujusmodi motus, qui in contrarium fit locum, illi superiori motui contrarius est. Atque hoc quidem et in aliis motibus accidit: ut si quis sit ad dexteram, si ei in sinistram motus sit, in contrarium locum factus dicitur motus. Atque hoc idem id aliis motibus licet videre; sed Aristoteles dubitat si reliquo motui, id est commutationi, aliquid possit esse contrarium, quam quæstionem ita pro-
B ponit :

Reliquo vero assignatorum motuum non facile est assignare quid sit contrarium, videtur autem nihil ei contrarium esse, nisi quis ei in hoc secundum qualitatem quietem opponat, aut in contrariam qualitatis mutationem, sicut et in mutatione secundum locum, quietem secundum locum, aut in contrarium locum mutationem. Est enim alterio secundum qualitatem mutatio.

Ex similitudine motuum contrarietates quoque colligimus. Nam quoniam superius motui secundum locum contrariam reperit secundum locum quietem, et quoniam omnis commutatio quæ secundum aliquam passionem fit secundum qualitatem commutatur, motus ejus contrarietatem posuit secundum
C qualitatem quietem: ut si lapis cum frigidus est, si ita permaneat, qualitas illa mansit et quievit, quod si tepeat, qualitas illa commutat est, et est ipsa commutatio contraria, et factus est quidem motus, et in tepore lapidis secundum qualitatem facta est permutatio, fuit autem in frigore quies secundum eamdem qualitatem. Quocirca licet videatur hic motus quidem omnino contrarium non habere, tamen, sicut superius dictum est secundum locum translationi contrariam esse secundum locum quietem, cur non quoque secundum qualitatem commutationi dicatur quies secundum qualitatem esse contraria ? Definitio namque commutationis est translatio secundum qualitatem, cum enim qualitas cujuslibet rei movetur, fit translatio, scilicet secundum qualitatem,
D Quod si maxime videatur secundum locum translationi esse contraria, non solum secundum locum quies, sed etiam in contrarium locum translatio, secundum qualitatem quoque mutationi non solum erit contraria secundum qualitatem quies, sed maxime in contrariam qualitatem commutatio: ut si quid cum est album, si rubrum fiat, quieti quidem ei quæ in albo colore poterat permanere contraria fuit qualitatis ipsa mutatio, ut ex albo in rubrum mutaretur ; si quid enim ex albo vertatur in nigrum, illud maxime permutatur, et illud superiori mutationi contrarium est, quoniam permutatum est in contrariam qualitatem. Atque hoc est quod ait :

Quapropter opposita erit secundum qualitatem mutationi secundum qualitatem quies, aut in contrarium mutatio qualitatis, ut album fieri ad id quod est nigrum fieri, alteratur enim in contrarium qualitatis mutatione facta.

Id quoque apertissimo vulgatur exemplo. Quare quoniam de motibus expeditum est, habendi æquivocationem quæ sequitur explicemus.

DE MODIS HABERE.

Habere autem multis modis dicitur, aut enim tanquam habitum et affectum, aut aliam quamlibet qualitatem, dicimur enim disciplinam aliquam habere atque virtutem. Aut tanquam quantitatem, ut contingit ei qui habet magnitudinem, dicitur enim tricubitam magnitudinem habere vel quadricubitum. Aut tanquam ea quæ circa corpus sunt, ut vestimentum vel tunicam. Aut tanquam in parte, ut in manu annulum. Aut tanquam partem, ut manu vel pedem. Aut tanquam in vase, ut in modio gruna tritici, vel in lagena vinum, pinum enim habere langena dicitur, et modios grana tritici, hæc ergo omnia haberi dicuntur, ut in vase. Aut tanquam possessionem, habere enim domum aut agrum dicimur. Dicitur etiam vir uxorem habere, et uxor virum. Sed videtur alienissimus qui nunc dictus est modus esse in eo quod est habere, nihil enim aliud per uxorem habere significamus, nisi quia cohabitant, forte tamen et alii quidam apparebunt modi de eo quod est habere. Sed qui consueverunt dici, pene omnes enumerati sunt.

Æquivocum esse habendi modum manifestum est, habere enim ita multis dicitur modis, ut tamen æquivoce prædicetur. Dicimur enim habere aliquam qualitatem, ut habitum vel dispositionem. Dicimur quoque habere scientiam vel virtutem; quantitatem quoque habere perhibemur, dicimur enim in mensura habere quinque vel quatuor pedes. Nec non etiam in ipsis partibus corporis aliquid, et ipsas partes habere prædicamur, dicimur enim et habere digitos, et in digito annulos. Circa corpus quoque aliquid habere dicimur, ut tunicam, vel quodlibet aliud vestimentum. Necnon etiam in vase haberi aliquid dicitur, ut triticum in modio, et vinum in dolio; hæc, scilicet, ita haberi dicuntur, ut in vase. Dicitur etiam quis habere uxorem, quæ, scilicet significatio nulli supradictæ communis est, sed (ut ipsi Aristoteli videtur) longe diversa est hæc significatio ab habendi prædicamento; non enim proprie habemus uxores, sed quod habere quis dicatur uxorem, hoc significat habitare cum eo uxorem, habere enim habitare dicimus, ut est Socratem habent, id est cum Socrate habitant atque eum colunt. Quare ipse quoque Aristoteles inquit esse aliquos fortasse præter eos qui dicantur habendi modos, hortaturque nos ad ulteriorem aliquam inquisitionem, ut nos quoque quæramus per quos, præter priores dictos modos, alios possit habere prædicari. Et de hac æquivocatione quidem habendi sufficienter dictum est. Sed forte quis dubitet cur cum habere superius in genere nominaverit, nunc idipsum æquivocum ponat, sed hæc quæstio ita solvitur. Non absurdum est idem prædicamentum nunc univoce, nunc æquivoce prædicari. Univoce quidem ut superius cum ejusdem specierum exempla proposuit, ut est calceatum esse vel armatum, horum enim talium genus est. Æquivoce vero ut in his modis quos superius exposuimus. Quod si et habet aliquas proprias species habendi prædicatio, dicitur autem et ipsum nomen multipliciter, nihil est incongruum in genere numerari, sufficit enim ad demonstrandum genus esse et habendi prædicationem quod sub se aliquas partes speciesque contineat.

AN. MANL. SEV. BOETII

IN LIBRUM ARISTOTELIS DE INTERPRETATIONE

LIBRI DUO

EDITIO PRIMA, SEU MINORA COMMENTARIA.

LIBER PRIMUS.

Magna quidem libri hujus apud Peripateticam sectam probatur auctoritas. Hic namque Aristoteles simplicium propositionum naturam diligenter examinat, sed ejus series scrupulosa impeditur semita, et sublimibus pressa sententiis, aditum intelligentiæ facilem non relinquit. Quocirca nos libri hujus enodationem duplici commentatione supplevimus, et quantum simplices quidem intellectus sententiarum oratio brevis obscuraque complectitur, tantum hac operis hujus tractatione digressimus. Quod vero altius acumen considerationis exposcit, secundæ series editionis expediet. Nunc a me tantum lector exspectet quantum pedetentim minutatimque secundum orationis ordinem textumque sermonis id quod angustia brevitatis latet inteligat. Et prius quæ sit hujus operis intentio breviter demonstrandum est. Inscribitur etenim Græce liber hic Περὶ ἑρμενείας, quod Latine de interpretatione significat. Quid ergo sit interpretatio paucis absolvam. Interpretatio est vox significativa per seipsam aliquid significans. Sive

enim nomen sit,quod per se significet,ut est homo. Sive verbum, ut est curro. Sive quod grammatici participium vocant.Sive pronomen.Sive ex his juncta oratio, ut est, Homo currit. Sive quolibet alio modo, vel nomen, vel verbum, vel ex his oratio juncta,per se aliquid significet,interpretatio nominatur.Quare cum sint quædam in orationis partibus quæ per se nihil significant,aliis tamen junctæ designant,ut sunt conjunctiones vel prætpositiones,hæc interpretationes esse non dicimus. Interpretatio enim sive simplex est,ut nomen et verbum, sive composita,ut ex his juncta copulataque oratio,velper seipsam significare debet,si simplex est, vel ex his quæ per se significant juncta esse,si composita est. Quare interpretatio est vox aliquid per seipsam significans.Sed quoniam verba nominaque interpretationes sunt, oratio quoque omnis quæexsignificantibus per se prædicamentis jungitur interpretatio nuncupatur,et quoniam plurimæ sunt interpretationes,inter quas illa quoque est oratio,in qua verum falsumve inveniri potest,id est enuntiativa, de qua hoc in libro tractandum est, idcirco Aristoteles de communi nomine et continenti, libro titulum inscripsit.Interpretatio namque est nomen et verbum, et interpretatio etiam est hujusmodi : Omnis homo animal est.Sed in hac verum falsumque auditor intelligit.Hæc enim oratio quæ dicit omnis homo animal est,vera vel falsa est. Interpretatio quoque est etiam hujusmodi oratio: Da mihi codicem. In qua verum falsumque nullus inveniat. Etenim da mihi codicem, neque verum esse poterit neque falsum. Quocirca quoniam de his solis orationibus in quibus verum falsumque reperitur,quas enuntiationes, et propositiones vocamus,quæ interpretationes sunt, disputaturus est, quoniamque de nominibus illis verbisque dicendum est, quid sint, quamve vim in significatione retineant.recte librum de interpretatione signavit.Nec nos hoc turbet, quod sunt quædam interpretationes de quibus in hoc libro non tractet.Tanquam enim si quis de homine disputans, titulum operis de animali posuisset, quanquam non de omni animali, tamen quoniam de aliquo disputaturus esset, recte de animali libro nomen imponeret. Ita nunc licet non de omni interpretatione pertractet,tamen quoniam de una quæ est enuntiatio,et de nominibus et verbis,quæ interpretationes simplices sunt,dicendum erat, de communi et generali vocabulum libro de interpretatione imposuit. Est autem intentio libri hujus de simplici enuntiativa oratione disserere.Simplex autem enuntiativa oratio est,in qua cum verum falsumve sit,illud tamen est ut sine conjunctione totus orationis ordo proponatur,ut est : Homo est, homo animal est, homo currit,homo pavidus currit. Hæ enim propositiones sine conjunctione propositæ sunt, et hæ dicuntur prædicativæ, quæ sunt cum nomine et verbo.Illa vero quæ sunt hujusmodi: Si sol est super terram dies est, duplices atque hypotheticæ, nec non etiam conditionales vocantur.Ponitur enim si hoc sit, hoc esse, id est si sol est, esse diem. Quare hæ simplices non sunt, sol est enim,et dies est, duæ propositiones sunt, quas una conjunctio *si*,copulat atque componit. Sed de his nullus hoc libro tractatus habebitur.Quare quoniam de simplicibus enuntiativis orationibus tractaturus est,id est de simplici affirmatione et simplici negatione,quoniamque affirmationes et negationes verbis ac nominibus conjunguntur,ut in ea quæ est: Homo currit, affirmatione, est homo nomen, currit verbum. Et rursum: Homo non currit, negatio eodem nomine verboque conjungitur.Recte prius de simplici affirmatione et de simplici negatione, omninoque de enuntiatione simplici disputaturus est. Quoniam omnis enuntiatio simplex, verbis nominibusque conjungitur, primam disputationem de nominibus et verbis instituit.His enim prius ad scientiam venientibus, tota facillime natura orationis aperitur. De quibus autem ei in toto dicendum est libro,inchoans ipse sic proponit.

DE SIGNIS.

Primum oportet constituere quid sit nomen, et quid verbum,postea quid est negatio,et affirmatio,et enuntiatio,et oratio.

In principio, inquit, hujus sermonis de enuntiatione instituitur,constituere,id est definire,oportet quid nomen sit,quid verbum.Hæc enim (ut dictum est)omnem conjungere orationem valent. Quæ oratio genus est aliarum orationum.Sunt enim principales quinque orationum differentiæ : Est autem prima oratio deprecativa, ut : Jupiter omnipotens precibus si flecteris ullis.Secunda imperativa, ut : Suggere tela mihi.Tertia interrogativa, ut: Quo te, Mœri,pedes? Quarta vocativa, ut : Huc ades, o Melibœe?Quinta enuntiativa, in qua verum inesse falsumque perspicitur.Hujus autem duæ sunt species una affirmatio, altera negatio. Affirmatio est, ut : Homo animal est. Negatio, ut : Homo animal non est. Ergo orationem verba nominaque constituunt. Enuntiationis autem oratio genus est. Enuntiatio vero affirmationis et negationis. Quare elementa quædam sunt quæ conjungunt orationem,nomina et verba,et de his disputat primum, dehinc propositionis duas ultimas species sunt, et dicit se de affirmatione et negatione dicturum. Post has harum genus proponit,id est enuntiationem.Ultimum vero quod horum maximum est, orationem. Est vero quodammodo conversus ordo ab speciebus usque ad earum genera prima perveniens. Proponendo enim ab affirmatione et negatione ad enuntiationem,quod est genus,ascensum est. Ab enuntiatione ad enuntiationis genus.quod est oratio,propositionem operis levavit, diverso tamen modo de cunctis disputat.Prius enim de oratione, post de enuntiatione, deinde de affirmatione,postremo de diffinitione negationis edisserit,converso scilicet ordine.Sed hoc posterius liquebit. Quod autem prius negationem, postea proposuit affirmationem,nihil interest, cum omnes species æqueve sibimet sint, et uni generi æqualiter supponantur. Quocirca si affirmatio et

negatio enuntiationis species sunt, rectum est quamlibet earum prius indiscrete proponere. Quemadmodum autem affirmatio et negatio species enuntiationis sint, et hæc earum genus, secunda editione monstrandum est.

Sunt ergo ea quæ sunt in voce, earum quæ sunt in animæ passionum, notæ, et ea quæ scribuntur, eorum quæ sunt in voce. Ac quemadmodum nec litteræ eædem omnibus, sic nec eædem voces. Quorum autem hæ primo notæ, eædem omnibus passiones animæ sunt, et quorum hæ similitudines, res jam eædem. De his itaque dictum est in his quæ dicta sunt de anima. Alterius est enim negotii.

Quoniam nomen et verbum in definitionibus suis, significativa paulo post propositurus est, primum explicat quorum sint significativa quæcunque significant, id est, quæ designent ipsum nomen et verbum. Tota autem ratio sensus hujusmodi est : Tria sunt ex quibus omnis collocutio disputatioque perficitur, res, intellectus, voces. Res sunt quas animi ratione percipimus, intellectuque discernimus. Intellectus vero quibus res ipsas addiscimus. Voces quibus ad quod intellectu capimus, significamus. Præter hæc autem tria est aliud quiddam quod significat voces, hæ sunt litteræ, harum enim scriptio vocum significatio est. Cum rigitur hæc sint quatuor, res, intellectus, vox, littera ; rem concipit intellectus, intellectum vero voces designant, ipsas vero voces litteræ significant. Intellectus vero animæ quædam passio est. Nisi enim quamdam similitudinem rei quam quis intelligit in animæ ratione patiatur, nullus est intellectus. Cum enim video orbem vel quadratum, figuram ejus mente concipio, et ejus mihi similitudo in animæ ratione formatur, patiturque anima rei intellectæ similitudinem, unde fit ut intellectus, et similitudo sit rei, et animæ passio. Horum autem rursus quatuor, duæ sunt naturales, duæ secundum hominum positionem. Voces namque et litteræ secundum hominum positionem sunt. Intellectus autem et res naturaliter. Hoc illo approbatur, quod apud diversas gentes diversis vocibus utuntur et litteris. Idcirco quoniam ipsi sibi voces, quibus uterentur, et litteras quibus scriberent, composuerunt. Intellectus autem et res nullus posuit, sed naturaliter sunt. Neque enim quod apud Romanos est equus, apud barbaros cervus est, sed apud diversas gentes eadem rerum natura est. Præterea neque quod nos intelligimus esse equum, eamdem barbari putant. Sed eadem apud diversissimas gentes substantiarum intellectuumque ratio est constituta. Quare duæ harum sunt secundum hominum positionem, id est voces et litteræ, duæ secundum naturam, res et intellectus. Nunc ergo hoc dicit, quoniam voces quidem significant intellectum, ipsas etiam voces litteræ significant. Sunt autem intellectus animæ passiones, et voces quidem et litteræ naturales non sunt. Quemadmodum enim vox non eadem apud omnes gentes, ita nec litteræ. Sed intellectus et res eadem apud omnes quamlibet diversissimas gentes invenies. Atque hoc est quod ait : Sunt ergo ea quæ sunt in voce, earum quæ sunt in anima passionum notæ, id est, ipsæ, inquit, voces intellectus qui sunt animæ passiones significant, eorumque sunt significativæ ; ergo ea quæ sunt in voce significant illas, et earum sunt notæ quæ sunt animæ passiones. Animæ autem passiones intellectus sunt. Igitur ea quæ sunt in voce, intellectum qui sunt in anima passiones, notæ sunt eosque significant. Quoniam his, id est vocibus, omnis significatur intelligentia mentisque conceptio. At vero quod addidit : Et ea quæ scribuntur, eorum quæ sunt in voce, tantumdem valet quantum si diceret : Notæ sunt litteræ quæ scribuntur verborum et nominum quæ sunt in voce. Monstravit igitur voces intellectuum esse significativas, et litteras vocum ; nunc de eorum natura pertractat, dicens : Et quemadmodum nec litteræ omnibus eædem, sic nec eædem voces. Hoc ad monstrandum valet voces et litteras positione constitui, non natura. Etenim diversæ apud diversos sunt voces et litteræ, et quemadmodum litteræ eædem apud omnes homines non inveniuntur, ita quoque nec voces. Quare hæ secundum positionem sunt, quod ipse reticuit velut planum. Manifestum enim est, quod per gentes singulas permutatur, hoc non natura constitutum esse, sed positione. Quod vero addidit : Quorum autem hæ primum notæ sunt, eædem omnibus passiones animæ sunt, et quorum hæ similitudines, res etiam eadem, ad hoc pertinet, ut naturales esse res intellectusque declaret. Idem namque (ut dictum est) intellectus passiones animæ sunt, rerum vero similitudines. Ergo nunc quidem hoc dicit : Quorum hæ, id est voces, de quibus supra dixerat, notæ sunt, eædem sunt animæ passiones, et ut nec litteræ sunt eædem, sic nec eædem voces Quorum ergo hæ voces significativæ sunt, id est passionum animæ, hæ sunt apud omnes eædem significant autem voces illa quæ sunt intellectus : intellectus igitur animæ passio est, apud omnes homines non diversa. Ergo naturalis apud omnes homines est animi conceptio atque animæ passio. Quorum sunt notæ ea quæ versantur in vocibus. Docet autem et res quarum sunt similitudines intellectus et animæ passiones, esse non positione, sed naturaliter constitutas. Idcirco quod hæ res quarum similitudines sunt intellectus, qui intellectus animæ passiones sunt, apud omnes eædem sunt. Hoc est enim quod ait, Et quorum hæ similitudines, scilicet animæ passiones, quæ sunt similitudines rerum, res etiam eædem. Ac si diceret : Quorum intellectus sunt similitudines. Qui intellectus animæ passiones sunt, id est res apud omnes eædem sunt. Quod autem ita posuit : Quorum autem hæ primum notæ, hoc sentit : de vocibus enim dicit, quoniam quorum voces primum notæ sunt, apud omnes eædem sunt animæ passiones. Vox enim etiam intellectum rei significat, et ipsam rem. Ut cum dico lapis, et intellectum lapides et ipsum lapidem, id est ipsam substantiam designat. Sed prius intellectum, secundo vero loco rem significat. Ergo non omnia quæ vox significat passiones animæ sunt, sed illa sola quæ primæ ; primo enim significatur intellectus, se-

cundo vero loco res. Sed intellectus passiones animæ sunt ; quorum ergo primum notæ sunt voces, eædem sunt apud omnes homines animæ passiones. Est alia quoque scriptura hoc modo se habens : Quorum autem hæ primum notæ, hæ omnibus passiones animæ sunt, et quorum hæ similitudines, res etiam hæ. Quod si ita scriptum est, hoc dicere videtur : Ostendit enim quorum sint notæ voces, et quorum sint rursus animæ passiones ; tanquam si diceret : Voces quod significant, et quorum notæ sunt, illæ sunt animæ passiones, et rursus quorum similitudines sunt hæ quæ sunt animæ passiones, hæ sunt res ; tanquam rursus si diceret : Quorum sunt similitudines ea quæ in intellectibus atque animæ passionibus sunt, illæ res sunt. Sed de his disputationes trahere longius non vult. Ait enim : De his quidem dictum est, in his quæ sunt dicta de anima. Alterius est enim negotii. Etenim aliud est principaliter de intellectibus animæ disputare, aliud tantum sibi ad disputationem sumere, quantum ad logicæ possit pertinere peritiam. Quare alterius negotii est principaliter de animæ passionibus disputare.

Est autem, quemadmodum in anima, aliquoties quidem intellectus sine vero vel falso, aliquoties autem cui jam necesse est horum alterum inesse, sic etiam in voce. Circa compositionem enim et divisionem est falsitas et veritas.

De enuntiatione dicturus in qua veritas et falsitas invenitur, recte prius monstrare proponit, in qua prolatione vocum horum alterum, id est aut veritas aut falsitas inveniri queat. Sed omnis vox animi sensa significat, quare ex animi intellectibus quidquid evenerit vocibus indicatur. Ergo nunc hoc dicit : Similitudo est, inquit, quædam inter se intellectuum atque vocum : quemadmodum enim sunt quædam simplicia quæ ratione animi concipiuntur, et constituuntur intelligentia mentis, in quibus neque veritas ulla, neque falsitas invenitur, ita quoque in vocibus est. Simplex enim intellectus, ut, verbi gratia, hominis vel equi, neque falsitatem ullam retinet neque veritatem ; cum enim intelligo simpliciter hominem et substantiam ipsam, nihil veri vel falsi in cogitatione retineo. Quod si cursum rursus animi cogitatione perspexero, cogitatio ipsa, quoniam simplicis rei tenet intuitum, veritate et falsitate seclusa est. Sed quando cursum et hominem junxero, et ex his aliquid intelligentia mea fecero, id quoque si voce proferam, hujusmodi erit : Homo currit. Tunc ex hac substantiæ et accidentis compositione et conjunctione hujusmodi intellectus fit, in quo vel falsitas possit esse vel veritas. Ergo quemadmodum in intellectu sunt quædam aliquoties simplicia vero falsoque carentia, aliquoties autem cum jam necesse est aut veritatem inesse intellectui aut falsitatem, sic est etiam in voce. Nam si simplicem intellectum vero falsoque carentem vox præferat, ipsa quoque vox a veritate et falsitate relinquitur. Quod si hujusmodi proferat intellectum, qui in se verum falsumve contineat, ipsa quoque veri falsique retinet significationem. Docuit autem per hoc quod ait : Circa compositionem enim et divisionem est veritas falsitasque, in qua prolatione vocis enuntiationes possumus invenire. Quoties enim substantiam cum accidente conjungimus atque componimus, vel intellectum intellectui copulamus, ut fieri propositio possit in cogitatione, tunc fit idem in voce. Et est nunc affirmatio, ut : Homo currit. Hominem quippe cursumque composuit atque conjunxit, et inde affirmatio nata est veritatem continens vel mendacium. Nunc vero negatio, si huic adverbium negativum non junxero, et substantiam ab accidente divisero atque disjunxero, ut est : Homo non currit, id non quod est adverbium negativum, hominem a cursu divisit atque disjunxit, factaque est inde negatio rursus veritatem falsitatemve significans. Recte igitur dictum est circa compositionem quod est affirmatio, vel divisionem quod est negatio, veritatis falsitatisque constare naturam.

Nomina igitur ipsa et verba consimilia sunt, sine compositione vel divisione intellectui, ut homo, vel album, quando non additur aliquid, neque enim verum aut falsum est.

Nunc quid sit intellectus sine vero vel falso continuata oratione prosequitur. Ea enim, inquit, quæ simplicia dicuntur, similia sunt simplicibus intellectibus, qui sine ulla compositione vel divisione, animi puro capiuntur intuitu. Cum enim homo vel album, ipsa quidem simplicia sint, et significent aliquid, nihil tamen neque verum neque falsum designant. Omne enim simplex nomen vel verbum a veritate et falsitate secluditur. Atque ideo (quoniam ut dictum est) quæcunque sunt in vocibus, significant animæ passiones, simplices voces, et sine compositione vel divisione, similes sunt his intellectibus quos sine compositione et divisione simplex intelligentia concipit. In his enim atque hujusmodi nulla neque veritas, neque falsitas invenitur : nisi enim aliquid addatur, ut id quod simplex intelligis, vel per se constituas esse velei aliquid secundum esse conjungas, in his veritas et falsitas non erit. Cum enim simpliciter dico homo, si non aliquid addidero, ut verbum Est, et fiat hujusmodi compositio : Homo est, vel hujusmodi aliquid, ut : Homo vivit, quod idem valet, tanquam si dicam : Homo vivens est ; ergo nisi aliquid hujusmodi fuerit adjunctum, quod intellectam rem vel per se esse constituat, ut : Homo est, cum dico, per se hominem esse designavi, vel juncto accidente tale aliquid apponatur, quod idem ei quod est esse significet, ut est : Homo vivit. Vita enim homini juncta est, et vivit idem significat quod vivens est, nulla veritas nec falsitas valet intelligi. Hoc autem convenientissimo monstrat exemplo.

Signum autem hujus est, et enim hircocervus significat quidem aliquid, sed quod nondum verum vel falsum, si non esse, vel non esse, addatur, vel simpliciter, vel secundum tempus.

Magnam vim habet exempli hujus subtilitas. Non enim sola illa nomina vel verba falsitate ac mendacio separata sunt, quæcunque simplicia sunt, sed etiam illa quæcunque sunt composita, si sint dicta simpliciter. Hircocervus enim compositum nomen est, signi-

ficans hircum et cervum. Sed nisi et aut esse aut non esse addatur, ut dicamus hircocervus est, vel hircocervus non est, nullus inde veri falsive intellectus poterit provenire. Ipsum enim quanquam sit compositum, tamen simpliciter dictum, veritati vel falsitati proximum non est. Si quis enim dicat tantum hircocervus, nihil enuntiat. Quod si nihil enuntiat præter veritatem falsitatemque, quoddam compositum designans nomen auditor intelligit. Quod vero ait vel simpliciter vel secundum tempus, ad hoc valet, ne putaremus tunc fieri solum de nomine enuntiationem. Cum ei præsens tempus adjicitur, ut cum dicimus: Hircocervus est, vel hircocervus non est, in his jam veritas est aut falsitas. Sed non solum si præsens tempus designet propositio, sed etiam si præteritum, ut si quis dicat: Hircocervus fuit; vel futurum, ut si quis dicat: Hircocervus erit, enuntiationem facit. Ergo hoc est quod ait vel simpliciter vel secundum tempus, hujusmodi enim simpliciter facta enuntiatio secundum præsens est. Etenim quod præsens dicimus, tempus non est, sed confinium temporum. Tempus autem est aut futurum aut præteritum; ergo non potest in eo quod est hircocervus veritas aut falsitas inveniri, nisi ei aut esse aut non esse addatur, vel præsens significans, quod est simpliciter, vel tempus quod est præteritum aut futurum. Si quis enim sic dicat: Hircocervus est, simpliciter dixit, id est secundum præsens. Si quis autem, Hircocervus erit vel fuit, secundum tempus, futurum scilicet et præteritum. Hæc igitur quæ erant utilia prælocutus, ad definitionem nominis, disputationis cursu accedit.

DE NOMINE.

Nomen igitur est vox significativa secundum placitum sine tempore, cujus nulla pars est significativa, separata.

Omnis diffinitio genere et differentiis perficitur. Sumpsit ergo ad diffinitionem vocem esse nominis genus. Cætera vero quæ exsecutus est, pro differentiis aggregavit. Est autem hujus termini talis expositio: Nomen est, inquit, vox. Sed vocum aliæ sunt quæ significant, aliæ quæ nihil significant. Nomen autem significat id cujus nomen est. Nomen igitur est vox significativa. Vocum significativarum aliæ sunt naturaliter, aliæ non naturaliter. Naturaliter est vox significativa, ut ea quæ dolores naturaliter monstrat aut gaudia. Non naturaliter vero significativæ voces sunt, quas secundum positionem esse dicimus. Secundum positionem vero sunt; quas sibi ipsi homines posuerunt, ut cum dixit aliquis: Primus qui rebus nomina condidit, hæc substantia dicatur aurum, hic lapis, hæc aqua, et alia similia. Tales igitur voces secundum positionem sunt. Et ita secundum positionem, quemadmodum ipsis hominibus placuit, a quibus nomina illa formata sunt. Hujusmodi ergo voces quæ secundum positionem sunt, secundum ponentium placitum sunt. Sed nomen non naturaliter significat. Apud diversas enim gentes, diversa sunt nomina. Quæ autem apud diversos diversa sunt, ea non sunt naturaliter, sed secundum placitum eorum qui posuerunt, positionemque ponentium. Alioqui si naturaliter essent, quemadmodum ea quæ dulcia sunt apud Romanos, non eadem sunt apud Scythas amara, nec acida, sed apud ipsos quoque dulcia, et apud omnes gentes sunt eodem modo. Ita quoque omnia nomina si naturaliter essent, eisdem omnes homines uterentur. Quare quoniam nomina naturaliter non sunt, nec naturaliter significant, secundum placitum sunt, scilicet ponentium atque auctorum, et a quibus nomina ipsa rebus impressa sunt. Est ergo nomen vox significativa secundum placitum. Secundum placitum autem positionemque significantium vocum, aliæ tempus secum ad significationem trahunt, aliæ præter tempus prædicantur. Tempus secum trahunt, ut est curro et lego, vel cucurri et legi, et quæcunque sunt verba. Omne enim verbum cum tempore est. Nomina vero sine tempore sunt. Cum enim dico: Socrates, vel Plato, vel albedo, vel aliquid hujusmodi, temporibus carent. Nomen ergo vox est significativa secundum placitum sine tempore. Vocum significativarum secundum placitum sine tempore, aliæ sunt quarum partes aliquid extra significant, aliæ quarum partes extra nihil designant. Hæc namque vox, quæ est, Socrates cum Platone aliisque discipulis, quæ est oratio, et significativa est, et secundum placitum. Partes namque ipsius quæ sunt nomina, secundum placitum sunt, et sine tempore. Nulla namque in ea ne imaginatio quidem temporis invenitur, sed habet hoc quod partes ejus extra significant. Tota namque oratio est, Socrates cum Platone aliisque discipulis; sed ejus pars Socrates, si a tota oratione disjuncta sit, significat aliquid. Nominis autem pars nihil extra significat; ipsius enim nominis quod est Socrates, quod disjunctum a tota connexione significat, partes nihil extra designant. Neque enim *So*, neque *cra*, neque *tes*, aliquid præter totum nomen extra designant. Quare rectissime diffinitio constituta est: Nomen esse vocem secundum placitum designativam sine tempore, cujus partes nihil extra significant. Hoc autem propositis docet exemplis.

In nomine enim quod est equiferus, ferus per se nihil significat, quemadmodum in oratione quæ est equus ferus.

Si enim sit oratio quæ dicat equus ferus, duas res significat; equum et ferum. Utrumque enim est, unum substantia, alterum quale. Qui vero dicit equiferus, unum nomen est, et ei unum quod significat subjectum est; quocirca unum quoque permistio ista significat: quod si unum significat tota permistio, pars inde separata nihil extra designat. In toto enim nomine quod est equiferus, consignificat quidem ferus per se vero nihil significat; quod si per se id quod dicimus ferus aliquid significare; arbitremur, non jam erit pars nominis, sed ipsum erit integrum nomen, et habebit partes *fe* et *rus*. Quocirca, quoniam nominibus unum subjectum est, et unum significat totum nomen, vel si sit æquivocum, vel si non sit: canis enim cum sit æquivocum, semel totum latrabilem, secundo totum cœlestem, et rursus totum marinum significat, quare quoniam quodlibet nomen unum aliquid significat totum, pars ejus separata, et velut

a tota compositione se juncta,in qua unum aliquid consignificabat, nihil extra significat. Dat autem differentias simplicium nominum et compositorum.

At vero non quemadmodum in simplicibus nominibus, sic se habet etiam in compositis. In aliis enim nullo modo pars significativa est, in his autem vult quidem, sed nihil significat separata, ut in eo quod est, equiferus, ferus.

Simplicia, inquit, nominis partes, quoniam non constant ex aliis partibus,ne imaginatione quidem significationis aliquid produnt,ut in eo nomine quod est homo, neque *ho*, neque *mo*, quidquam significant, neque significare putantur, idcirco quoniam simplex nomen est.In his vero quæ composita sunt, quoniam ex duobus significativis in unam significantiam rediguntur,vult quidem significare aliquid pars, sed nihil separata designat. In eo enim quod est equiferus, dat quidem imaginationem aliquam significationis, et putatur significare ferus. Hoc est enim quod dicit; vult quidem, sed nihil extra separatumque significat.Si enim hoc ipsum ferus ut pars nominis dicatur,dimidium nomen dicitur ejus quod est equiferus, dimidium autem nomen nihil designat. Ergo id quod dicimus ferus, cum alia parte nominis quæ est equi unum consignificat, id es equiferus, separatum etiam nihil extra designat, Quod si rursus ipsum nomen extrinsecus,non in alterius nominis parte ponatur, per se sibi significa velut nomen. Ergo non est similis in simplicibu nominibus compositisque partium consignificatios Sed simplicium quidem nominum partes nec ipsæ significant,nec significare putantur,Compositorum vero volunt quidem partes aliquid significare, et dant significationis imaginationem, et significare aliquid putantur, sed nullus separatim retinent significationem.

Secundum placitum vero. Quoniam naturaliter nomen nullum est,sed quando fit nota.

Tunc enim significat nomen secundum placitum, quando fit nota alicujus rei, id est quando significat aliquam rem,ut scindapsus.Quandiu enim huic voci nihil subjectum est,scindapsus nomen non est. Nam nominis est significare subjectum,scindapsus autem subjectum non significat. Non igitur nomen est.Ac rursus est hujus constituere subjectum, nominis autem significare subjectum est. Non enim nomen aliquid diceretur, nisi a subjecti significatione hoc traheret, præcipue cum nomen dicatur quasi notamen. Itaque cum scindapsus subjectum significat nomen est. Constat igitur nomen esse secundum placitum, sed tunc quando fit nota, id est quando aliquod subjectum significat.

Nam designant et illitterati soni, ut ferarum, quorum nullus est nomen.

Dixerat superius in diffinitione, nomen esse secundum placitum,non natura. Hoc autem nunc diligentius monstrat dicens nihil esse nominum naturaliter. Atque ideo non illi sufficit ad diffinitionem quod est significativa vox,nisi illud quoque adderet quod secundum placitum vox significativa est.Alioqui multi illitterati soni significant, ut sibilus aliquid interdum significat. Ferarum quoque mutorumque animalium voces interdum aliqua significatione præditas esse perspicimus. Quædam enim vox canum iram significat, hinnitus quoque equorum sæpe alterius equi consuetudinem quærit. Sed hæc naturaliter significant,atque ideo nomina sunt; quod igitur naturaliter significat, nomen non est. Atque hæc hactenus.Nunc quemadmodum facta sit definitio videamus. Quod dixit nomen esse vocem, traxit a genere definitionem.Quod significativam esse consequenter apposuit,nomen ab non significantibus vocibus separavit. Quod secundum placitum, a naturaliter significantibus vocibus natura nominis divisa est.Quod sine tempore,ad verborum discrepantiam respicit.Quod ejus nullam partem extra significare propositum est,idcirco dictum est ut nomen ab orationibus distare videretur. Hæctenus quidem de tota nominis definitione tractatum est, et quibus differentiis ab aliis vocibus distare possit nomen explicitum est.Nunc autem quæ videntur in definitionem nominis incurrere, an nomina sint, diligentius quærit.

Non homo vero non est nomen. At vero nec positum est nomen quo illud oporteat appellare. Nam neque oratio, neque negatio est, sed sit nomen infinitum, quoniam similiter in quolibet est, et quod est, et quod non est.

Nunc disserit qualia esse arbitrari oportet, quæ cum sub definitione nominis quidem cadant,integra tamen nomina non esse videantur. Unde fit ut his diligentissime distributis,integerrima hominis definitio concludatur. Hoc enim quod dicimus non homo quid sit,ambigitur.Oratio enim non est. Omnis enim oratio verbis nominibusque conjungitur. Hoc autem quod dicimus non homo,duabus quidem partibus constat, sed unum in se retinet nomen, verbum vero non habet. Negativa enim particula, quæ est non,neque nomen est neque verbum. Rursus negatio non est.Omnis enim negatio verum falsumve significat. Non homo vero quod dicimus, neque verum est neque falsum.Nisi enim (ut supra ait) aliquid quod sit proximum ad id quod est esse addatur, nulla veritatis aut falsitatis ratio in qualibet orationis partium compositione perficitur. At vero non homo nomen non est.Omne enim nomen unam rem significat definitam, ut cum dicimus homo,substantiam significat nec quamlibet,sed rationalem atque mortalem. Eodem modo et cætera nomina.Qui vero dicit non homo,hominem quidem tollit.Quid autem illa significatione velit ostendere, non definit, potest enim quod homo non est, et equus esse,et canis, et lapsis, et cætera quæcunque homo non fuerint. Quare quoniam id quod definite significare potest, aufert in eo negativa particula, quid vero significare debeat, definite non dicit, sed multa atque infinita unusquisque auditor intelligit. Dicatur, inquit, nomen infinitum. Hoc enim quod dicimus non homo,tam multa significat quam multa sunt quæ a definitione hominis disjunguntur. Sed

hoc Aristoteles vocabulum, cum infinitum momen vocaret, primus invenit. Apud antiquiores enim ista quidem erat dubitatio, sed huic differentiæ qua differt nomen definitum ab hujusmodi nomine quod cum negatione proponitur, impressum vocabulum non erat, quod ipse testatur dicens : At vero nec positum est nomen quo illud oporteat appellari. Nullus enim posuit vocabulum quo oporteat appellari id quod dicimus, non homo; Aristoteles perspicaciter infinitum nomen hujusmodi prædicamentum censuit appellari.

Catonis autem vel Catoni, et quæcunque talia sunt, non sunt nomina, sed casus nominis.

Omnis, inquit, casus alterius casus est. Itaque fit ut quicunque casus sit alterius inflexio videatur. Ergo quod dicimus hujus Catonis, vel huic Catoni, vel alia hujusmodi, casus nominum sunt. Unde fit ut hi casus inflexiones quoque dicantur, sed omnis inflexio alicujus inflexio est. Quod autem inflectitur, ab eo quod ipsa inflexio fit prius est, quare cum id quod dicimus Cato nomen sit, et sit primum, distat ab inflexionibus suis. Inflexio autem nominativi genitivus est, et cæteri. Nullus enim dixerit recte nominativum casum esse. Si enim id quod dicimus Cato alicujus casus sit, cujus casus esse possit, oportet ostendi, sed ante id quod dicimus Cato, nullus prædicatur casus: igitur quoniam Cato nomen nullius inflexionis est, nec omnino casus est. Cæteri autem casus qui dicuntur nominativi inflexione formantur, Catonis, et Catoni, Catonem ; quare si distant ea quæ ab inflexione nascunt ab his quæ inflectuntur, distant quoque hi qui omnes casus, qui sunt Catonis, Catoni, Catonem, ab eo quod est Cato, id est a nomine principali: sed hic Cato nomen est, casus igitur nomina non sunt. Aliud enim est ipse casus, aliud cujus est casus. Quocirca si nominis hæc omnia casus sunt, hæc nomina non sunt. Atque ideo prudenter veteres omnes casus genitivum, dativum, accusativum, vocativum, ablativum, suis diversisque nominibus vocaverunt. Primum vero alias rectum, quasi a nullo inflexum, alias nominis ipsius vocabulo nominativum dixerunt. Quare nunc hoc Aristoteles exsequitur, qui casus nominum videantur non esse nomina, sed tantum nominum inflexiones, id est casus.

Ratio autem ejus in aliis quidem eadem est, sed differt. Quoniam cum est, vel fuit, erit, adjunctum, neque verum neque falsum est ; nomen vero semper, ut Catonis est, vel non est, nondum enim aliquid verum dicit aut falsum.

Ratio, inquit, id est definitio nominis et casus nominis, eadem est, nam sicut nomen vox significativa est secundum placitum sine tempore, ut ejus pars nulla extra significet, sic etiam casus. Nam vox est et secundum placitum designativa, et cujus separatæ partes nihil extra designant. Ergo eadem diffinitio ratioque nominis est et casus nominis, sed his una additur differentia, quod omne nomen cum eo quod dicitur est, aut non est conjunctum, aut affirmativam enuntiationem facit, aut negativam, ut Socrates est, vel Socrates non est. Hic enim quoniam veritas aut falsitas incidit, enuntiationem esse necesse est ; in casibus vero quamvis addas est, aut non est, nulla inde affirmatio neque negatio fit. Neque enim in hos ulla veritas aut falsitas cadit. Si quis enim dicat, Socratis est, Socratis non est, vel Catonis est, Catonis non est, quid sit vel non sit non apponens, cum simplici casu, est, aut non est, jungens, imperfectam faciet orationem a falsitate ac veritate disjunctam. Quare nulla enuntiatio est. Ergo differt nomen a casu, quod nomen quidem cum est, aut non junctum, vel verum vel falsum facit. Casus vero neque verum dicit neque mentitur. Etenim nullo alio addito truncata est atque imperfecta sententia; sed quorsum istuc? ut definitio scilicet nominis integerrima compleretur. Etenim jam nunc definitio nominis hoc modo est: Nomen est vox significativa, secundum placitum, sine tempore, cujus nulla pars significativa est separata, definitum aliquid significans, cum est aut non est juncta faciens enuntiationem. Sed de nomine hactenus, Nunc verbum diligentissima definitione determinat.

DE VERBO.

Verbum autem est, quod consignificat tempus, cujus pars nihil extra significat, et est semper eorum quæ de altero prædicatur, nota.

Verbum distat a nomine in hoc solo quod nomen sine tempore est, ut supra jam dictum est, verbum vim temporis in significationibus trahit, et esset quidem plena definitio verbi, si alia in eo omnia quæ in nomine posita sunt ponerentur, hoc solo discrepante quod verbum consignificat tempus, essetque definitio ita: Verbum est vox significativa secundum placitum, cujus nulla pars extra significativa est; sed quoniam sunt illa nomini verboque communia, proprium autem verbi est consignificare tempus; a proprietate definiti, scilicet verbi, qua a diffinitione nominis segregratur, verbum voluit diffinire. Diligenter autem ait, consignificat. Nam significat nomina tempus, ut dies, ut annus, hæc enim temporum nomina sunt. Verbum autem proprie consignificat tempus, principaliter enim aut passionem designat, ut actum, ut cum dico, accuso vel accusor. Sed cum ipsa actus passionisque significatione, vim quoque secum temporis trahit, ut ille actus aut passio præter præsens, aut futurum, aut præteritum, aut quod inter hæ est, esse non possit. Et est semper eorum quæ de altero prædicantur nota. Sensus hujusmodi est: Omne, inquit, verbum significat aliquod accidens, quod accidens semper de altero prædicatur. Nam si omne verbum aut actionem aut passionem designat, actio vero et passio in accidentibus numerantur, omne verbum vim significat accidentis; sed accidens semper de eo prædicatur quod sibi subjectum est, ut album de corpore, et durum de ferro. Quale omnia verba ejusmodi aliqua designant, quæ semper de altero prædicantur, quod per hoc scilicet dixit, quod ait verbum notam esse, id est significationem eorum quæ de altero prædicantur, quod idem valet tanquam

si diceret: Verbum semper accidentia significat, quorum hæc natura est ut semper de altero prædicentur; cujus enim quælibet res nota est, hanc ipsa quæ nota est, designat.

Dico vero quoniam consignificat tempus, ut cursus quidem nomen est, currit autem verbum, consignificat enim nunc esse.

Supra in nominis diffinitione proposuit nomen esse sine tempore, quod nunc quoque hoc monstrat exemplo, et diligentissimo quidem. Nam idem prædicamentum ad nomen relatum sine temporis consignificatione monstratur, ad verbum vero, videtur esse cum tempore. Cursus enim simpliciter dictus ut nomen et ut res propria, sine tempore est, si vero in actionem, quæ verbi semper est inducatur, mox proprietatem verbi ac temporis in se suscipit significationem. Currit enim verbum est, et significat actionem, et cum eadem tempus ostendit, monstrat enim nunc esse, id est præsens tempus. Consignificat autem idcirco dictum est, quoniam quod dicimus currit, actum quidem quemdam significat, cum eo vero actu in ipsa significatione verbi præsens tempus inducitur, atque ideo diligenter ait consignificat. Et est hæc verborum subtilitas in Aristotele mirabilis.

Et est semper eorum quæ de altero dicuntur nota, ut eorum quæ de subjecto vel in subjecto sunt.

Semper, inquit, Verbum ea significat quæ de altero prædicentur. Quæ sint autem hæc quanquam brevissima, ipse tamen ostendit. Est autem consuetudo Aristotelis ea quæ accidentia sunt, in subjecto esse dicere. Nec non etiam eadem ipsa accidentia de subjecto prædicari, idcirco quod omnia quæcunque accidentia sunt, vel denominative, vel quolibet alio modo et de subjecto prædicantur, et in subjecto sunt. Nunc ergo hoc dicit, tale quiddam significat verbum, quod semper accidens sit, quod accidens vel in subjecto semper, vel de subjecto prædicatur. Est alia quoque expositio hoc modo, de subjecto dicitur genus semper ad species. Ergo eorum quæ sunt accidentia, alia sunt individua, alia generalia, et illa quidem quæ sunt individua, in subjecto tantum sunt, ut quodlibet particulari corpori accidens, alia vero sunt generalia accidentia, quæ de aliis accidentibus prædicantur, ut de subjectis, ut est color, namque prædicatur de albedine et nigredine et cæteris. Ergo nunc omne, inquit, verbum quiddam quod de altero prædicatur, significat. Sed hoc hujusmodi erat, quod aut particulare sit, et in subjecto tantum, ut est, currit. Cursus enim de nullo alio prædicatur subjecto, nisi tantum in subjecto est, aut generale erit illud accidens et universale, ut de alio rursus accidente prædicetur ut de subjecto, ut si dicam movetur. Hoc enim quod dicimus movetur, de subjecto cursu prædicatur, qui currit enim movetur. Significat igitur verbum aut particulare accidens, quod est tantum in subjecto, aut universale, quod de alio accidente velut de subjecto prædicatur. Hactenus definitionem verbi distribuit. Nunc vero sicut fecit in nomine, ea quæ in verbum incidere poterant, et verba non esse, a verbi ratione et proprietate disjungit.

Non currit vero, et non laborat, verbum non dico. Consignificat etenim tempus, et semper de aliquo est. Differentiæ autem huic nomen non est positum, sed fit infinitum verbum.

Sicut in nomine fecit, ita quoque in verbo ad integram definitionem verbi proprietatemque contendit. Ait enim, non currit, non esse verbum. Et idcirco quod verbum omne finitum aliquid designat. Non currit autem quemadmodum infinitum sit, paulo post demonstrabitur quod neque oratio est. In hoc enim quod dicitur non currit, neque duo verba sunt, neque duo nomina, neque nomen et verbum, quæ sola possunt jungere orationem. At vero negatio non est, etenim tota imperfecta sententia est, sed neque huic, inquit, antiquiores posuere vocabulum. Hæc enim differentia quæ est non currit, et non laborat, quæ a verbo puro et simplici distat, nullo apud antiquiores vocabulo nuncupata est. Differentiam autem vocavit id quod dicitur non currit, et non laborat, ab eo quod est currit et laborat. Sed quoniam his nullum est nomen ab antiquis impositum, Aristoteles nomen ipse constituit dicens: Sit verbum infinitum. Alioqui maximam dubitationem facit hujus prædicamenti similitudo, quod ipsum quidem prædicamentum vox est designativa secundum placitum, et de altero prædicatur, et consignificat tempus, idem scilicet quod verbum quod est currit. Sed hoc solo differre perspicitur, quod illud finitum verbum est, hoc infinitum. Cur autem hoc infinitum est, continua ratione persequitur.

Quoniam similiter in quolibet est, et quod est, et quod non est.

Infinitum, inquit, verbum est, quoniam cum de altero semper prædicetur (non currit enim de altero dicitur), tamen æque vel de subsistente re, vel de non subsistente prædicari potest, ut in eo quod est, homo non currit, homo res est subsistens. Ergo dicitur id, quod est non currit, de homine, id est de re subsistente. Rursus dicimus, chimæra non currit, chimæra vero non est, nec omnino subsistit. Et potest de ea vere dici, quod omnino non currit. Ergo id quod est, non currit, et de ea re quæ subsistit atque est in rebus dicitur, et de ea quæ neque est, neque esse poterit, prædicatur; quare infinitum dicitur verbum. Nec solum hoc, sed illud etiam, quod cui dicit currit, rem quam quisque faciat, definite significat. Cum vero dicit, non currit, ipsum quidem cursum videtur auferre, sed utrum sedeat, an jaceat, an ambulet, an aliquid aliud faciat non relinquit. Quare quoniam et ea quæ sunt, et ea non sunt, infinita sunt, et de his omnibus prædicatur, quoniamque id quod tollit finitum est, quod vero ponit infinitum, propter hoc, verbum vocabitur infinitum.

Similiter autem curret et currebat verbum non est, sed casus verbi. Differt autem a verbo quod hoc quidem consignificat præsens tempus, illa vero quæ circa sunt.

Ut in nomine fecit cum casus a nominibus distinxit,

ita quoque casus verborum nunc a verborum ratione disjungit. Curret enim quod futurum est, vel currebat quod præteriti retinet partem, vel cucurrit quod est integrum perfectumque præteritum, non sunt verba, sed verborum casus, præsens enim aut futurum exspectat, aut præteritum relinquit. Atque ideo futurum tempus ad præsens tendit, præteritum a præsenti inchoat. Unde fit ut principaliter contineat verbum id quod est præsens, ut sit verbum integrum quod præsens designat. Hæc autem quæ præter præsens in aliqua significatione sunt, non sunt verba, sed verborum casus. Hic quoque sicut in nomine fecit, verborum et casuum differentiam prodit. Ait enim: Omne verbum præsens significat tempus. Casus verborum illud tempus significat, quod circa ipsum præsens est, idque complectitur. Complectuntur autem id quod est præsens, circa quod ipsum sunt, futurum et præteritum tempus; inter utraque enim tempora præsens locatur. Quidquid ergo vel futurum tempus, vel præteritum significat, quæ tempora præsens complectuntur et circa sunt, non verba, sed verborum casus dicuntur. Est ergo integra definitio verbi. Verbum est vox significativa secundum placitum cum tempore, cujus nulla pars extra significativa est separata, definitum aliquid significans, præsentis significationem tenens. Quoniam vero pars verbi nihil extra designet, ex eo manifestum est quod ne nominis quidem pars quidquam extra significat.

Ipsa itaque secundum se dicta verba, nomina sunt, et significant aliquid. Constituit enim qui dicit intellectum, et qui audit quiescit.

Subtilissimum quidem ingreditur sensum, sed est hujusmodi: Omne, inquit, verbum per se et sine alterius conjunctione prolatum, nominis quodammodo speciem tenet, et vere nomen est. Cum enim dico, Homo currit, tunc id quod dixi currit, ad hominem referens integrum feci verbum, quoniam sine dubio semper de altero prædicatur. Sin vero per se dixero currit, suum quiddam quodammodo facio ipsum currit, cum nullo alio jungens, et fit mihi nomen. Unde Græci quoque his per se dictis verbis, aliquoties adduut articularia præpositiva, ut est τὸ τρέχειν, τοῦ τρέχειν. Si quis enim dicit, velocius est id quod est currere eo quod est ambulare, in illo nominativum junxit articulum, dicens, id quod est currere; in illo vero ablativum, dicens, eo quod est ambulare. Velut si quis in nomine dicat, id quod est scamnum levius est eo quod est ostium, hoc quod diximus, id quod est scamnum, ad ipsum scamnum articulare præpositivum junximus, tanquam si diceremus, hoc scamnum. Et quod rursus diximus, eo quod est ostium, tanquam si diceremus, hoc ostio. Ita quoque cum dicimus, velocius est id quod est currere eo quod est ambulare, hoc quod dicimus, id quod est currere, ita ponimus tanquam si dicamus, hoc currere; et rursus, eo quod est ambulare, tanquam si diceremus ablativo modo, ambulare, quasi translatum ad nomen sit, dictumque sit hac ambulatione. Quare per se dicta verba nomina sunt. Et est hujus rei probatio quam ipse Aristoteles ponit. Cum enim simplex dicimus nomen, auditoris inchoat intellectus cum nostra prolatione, et dum proferimus, dicentis sequitur vocem, et tunc quiescit, cum illud nomen fuerit expletum. Cum enim dico, Hippocentaurus, ingreditur a prima syllaba audientis intellectus, et usque ad finem totius nominis non quiescit. Ubi vero extremam audierit syllabam, mox quid dictum sit auditor intelligit, et ad ejus intelligentiam conquiescit. Sic ergo et in verbo, cum dicimus currere, intellectus quidem audientis per ejus syllabas quæ sunt, *cur*, et *re*, et rursus *re*, vadit ; sed ubi extremam audierit syllabam, mox totius verbi capiens significationem intellectus quiescit. Ergo verbum per se dictum nomini simile est, et est quodammodo nomen. Sicut enim in nomine is qui dicit, intellectum audientis ultimæ syllabæ prolatione, et totius nominis perfectione constituit, et is qui audit quiescit, et ultra ejus intelligentia non progreditur, ita quoque et verbum, si per se dicatur, audientis constituit intellectum, quod si cum alio conjungatur, nondum tota intelligentia constituitur audientis. Ut cum dico, Socrates ambulat, in solo ambulat, quod est verbum, non consistit perfecta sententia, nisi in toto, quod est Socrates ambulat. Rursus cum dico, ambulare, moveri est, non in unoquoque horum verbo sententia constituta est, sed in tota oratione conquiescit, auditor. Idcirco quoniam si verbum de verbo altero subjecto prædicetur, utriusque verbi significationem jungit auditor, et non per se verbum ipsum considerat quod dicitur, sed ad alterum refert, ut ambulare moveri est, ambulationem ad motum, vel Socrates ambulat, ambulationem ad Socratem. Tunc ergo fit integrum verbum, cum refertur ad alterum. At si simpliciter prædicetur, verbum nomen est, idcirco quod sicut nomen dictum, ita quoque verbum audientis constituit intellectum.

Sed si est, vel non est, nondum significat, neque enim signum est rei, esse vel non esse.

Sed quanquam nomen sit, inquit, verbum, et aliquid definite significet per se dictum, solum tamen non faciet enuntiationem, neque verum aliquid falsumve constituet, hoc est enim quod ait: Sed si est, vel non est, nondum significat. Ad affirmationem referens quod dixit, sed si est; ad negationem, quod ait, vel non est. Nihil enim horum significat verbi per se prædicta prolatio. Cum enim dico, currit, hoc ipsum currit significat quidem aliquid, sed si est aut non est nondum significat. Neque enim esse signum est rei, aut non esse. Quod tantum valet, tanquam si dicam, id quod dico currit, non significat esse ipsum cursum, aut non esse. Si enim significaret, ita diceretur : currere est, vel currere non est. Nunc autem currit non designat esse ipsam rem vel non esse. Dicitur enim solum, et est intellectus quidam, sed neque affirmationem significat, neque negationem, idcirco quod neque ponit rem esse, nec eam interimit. Quod per hoc monstravit quod ait : Neque enim esse signum est rei, vel non esse, id est neque enim quodlibet verbum ita prædicatur, ut si-

gnum sit rei illius de qua prædicatur,quoniam est, vel quoniam non est.

Nec si hoc ipsum,est, purum dixeris, ipsum enim nihil est, consignificat autem quamdam compositionem,quam sine compositis non est intelligere.

Est verbum,junctum cum alio verbo vel nomine, solet facere propositionem, ut, homo est, vel, currere est.Ipsum autem est purum si dictum,inquit, fuerit,neque verum est,neque falsum,a quo omnes pene enuntiationes fiunt, quæ sunt simplices: ergo nec si hoc ipsum est purum dixeris, esse aliquid, aut non esse significat, id est aut affirmat, aut negat,idcirco quod ipsum est simpliciter dictum nihil est.Non quod omnino nihil significet,sed quod nihil veritatis habeat neque falsitatis,id est non nihil est ad significationem,sed ad veritatis falsitatisque significationem,de qua nunc tractabitur.Cur autem nihil veri falsique monstret,ostendit:est enim duobus modis dicitur,ut verum falsumque designet,aut cum unam rem quamlibet propria compositione constituit,ut cum dico : homo est, ipsum est cum homine junctum, atque compositum esse hominem constituit,et fit exinde enuntiatio : aut rursus cum duæ res per ipsius verbi compositionem copulationemque junguntur,ut est, homo animal est. Homo namque et animal copulantur atque junguntur per id quod dicitur,homo animal est.Ergo si omnis veri falsique in enuntiatione significatio,ejus quod dicitur est,in compositione est,cum aut sua compositione aliquid esse constituit,aut duas res copulat atque componit,vis ejus quæ in enuntiationibus propositionibusque monstratur,in veri falsique scilicet designatione,præter ipsas compositiones,in quibus hoc solet efficere,nulla est;atque hoc est quod ait: Consignificat autem quamdam compositionem,quam sine compositis non est intelligere.Cum enim dico est, nihil significavi quid sit,aut non sit.Quod si faciam enuntiationem,componam necesse est,ut,homo est, aut,homo animal est.Quare si omnis ejus vis in veri falsique enuntiatione ad compositionem refertur, cum præter compositionem dicitur,quod in compositione designare potest, id præter compositionem non designat, potest autem compositione facta verum falsumque in enuntiatione monstrare.Hæc igitur sine compositis in verbo est, nullus valet advertere.Recte igitur dictum est consignificare quamdam compositionem, quæ sine compositis intelligi non valeret.

DE ORATIONE.

Oratio autem est vox significativa, cujus partium aliquid significativum est separatum,ut dictio,non ut affirmatio, vel negatio.

Omne quod compositum est, eorum suscipit naturam ex quibus totum compositi ipsius corpus efficitur. Quare quoniam oratio verbis constat atque nominibus, quæ significativa sunt, recte quoque oratio significativa esse definitur.Sed distat oratio ab his ex quibus ipsa effecta est, id est nominibus atque verbis, quod eorum partes nihil extra designant, orationis vero pars aliquid separata significat. Nam si nomen et verbum partes orationis sunt,hæc autem per se significant,non est dubium separatas orationis partes significare. Quid autem designent, sequenti determinatione monstrabit. Significant igitur partes orationum,ut dictio semper, non ut affirmatio semper vel negatio.Nunc autem dictionem dicit simplicem verbi aut nominis nuncupationem : sunt enim quædam orationes, quarum partes ita significant quasi affirmatio,ut in ea oratione quæ est, si dies est,lux est, id quod dicimus lux est,totius orationis pars est,et ita est significativa ut quædam affirmatio.Sed non omnis oratio affirmationem habet in parte,hæc enim ipsa quæ dicit lux est, habet in partibus id quod dicimus lux, et rursus id quod dicimus est,sed neutra ipsarum affirmatio est,sed tantum simplex dictio.Omnis ergo oratio dictionem quidem habet in parte, non vero omnis oratio affirmationem.Recte igitur dictum est partes orationis significare,ut dictionem,non ut affirmationem. Quid autem sit dictio,ipse paulo post clarius demonstrabit.

Dico autem, ut homo, significat enim aliquid, sed non quoniam est, aut non est, sed erit affirmatio vel negatio si aliquid addatur. Sed non una hominis syllaba.

Quod supra posuit dicens, orationis partes ut dictionem significare, non ut affirmationem, hoc convenienti monstravit exemplo : Homo, inquit dictio est, et est pars orationis, si in tota oratione ponatur, ut est, homo animal est. Ergo id quod dicimus homo, dictio quædam est, sed affirmatio non est. Cum ergo nomen hoc, id est homo, pars orationis sit, et affirmatio non sit, docet verum esse quod dicitur, orationis partes significare, ut dictionem, non ut affirmationem. Docet autem illa res nomen hoc affirmationem non esse,quod in affirmatione semper veritas aut falsitas invenitur,nomen vero simpliciter dictum, neque verum neque falsum est.Quare nomen hoc, id est homo,ut affirmatio non significat,sed designat aliquid simplex, significat igitur aliquid,ut dictio.Hæc autem dictio si ei addatur aliquid, ut verbum est, aut quodlibet verbum aliud quod enuntiationem possit efficere, erit affirmatio. Si enim quis dicat, homo est,vel homo vivit, fit affirmatio, atque hoc est quod ait, sed erit affirmatio, vel negatio,si quid addatur.Si enim aliquid ita apponatur vel appositum ita negetur,ut enuntiatio constitui possit, affirmatio negatione perficitur. Si quis enim dicat, homo vivit, affirmatio est;homo non vivit, negatio. Docet autem dictionem esse vocem secundum positionem per se significantem per hoc quod ait,sed non una hominis syllaba. Una enim hominis syllaba dictio non est, idcirco quod nihil per se separata significat,ut *ho*, et *mo*,et in cæteris, ut supra ostendimus. Omnis enim hujusmodi pars quæ per se nihil significat, non est dictio,sed tantum in toto nomine quiddam positum designat et consignificat, ut in eo quod ipse ponit exemplo :

Neque enim in eo quod est sorex, rex, significat, sed vox nunc est sola. In duplicibus vero significat quidem aliquid, sed non secundum se,quemadmodum dictum est.

In eo, inquit,quod est sorex,rex videtur quidem aliquid significare;sed cum toto nomine consignificat potius quam quidquam per seipsum designet quemadmodum supra jam dictum est.Docuit enim supra partes nominis nihil omnino significare separatas.Quod ergo dicit, sed non secundum se,id est in eo quod est sorex,rex per se nihil significat,sed tantum quiddam consignificat, quod cum tota nominis compositione designat, cum et *so* syllaba et *rex* juncta in unum, id quod est sorex,in tota syllabarum conjunctione designet.

Est autem oratio omnis quidem significativa, non sicut instrumentum, sed quemadmodum dictum est, secundum placitum.

Plato nomina naturalia esse constituit, et hoc hinc probare contendit quod quædam supellex,et quodammodo instrumentum sit,invicem sensa prodendi.Naturalium vero supellectiles sunt naturales, ut oculi instrumenta quidem sunt videndi,qui visus res naturalis est.Quare oculos quoque naturales esse necesse est,ita etiam oratorio rerum naturalium supellex est,atque instrumentum,id est sententiarum. Quare ipsa quoque oratio est naturalis.Aristoteles autem dicit, non secundum naturam esse orationem,sed secundum placitum. Quocirca nec orationem esse suppellectilem naturalem. Quod enim dicit, non sicut instrumentum,non dicit non per hoc instrumentum sensa proferri,sed tantum rem esse orationem secundum positionem,per quas proprias sententias demonstremus. Cujus enim rei partes ad placitum sunt,ipsa quoque ad placitum est.Sed orationis partes nomen et verbum sunt,hæc autem sunt ad placitum,non natura.Oratio igitur ipsa secundum placitum positionemque est,sed non est naturaliter constituta.Est autem integra definitio orationis : hæc :Oratio est vox significativa secundum placitum, cujus partes aliquid extra significant.

Enuntiativa vero non omnis, sed illa in qua verum vel falsum est, non autem omnibus inest, ut deprecatio, oratio quidem est, sed neque vera, neque falsa.

Orationis (ut supra jam diximus)multæ sunt species: est enim oratio prima optativa,ut.Utinam tibi istam mentem dii immortales dent!Secunda,vocativa, ut Heus tu. Tertia, imperativa,ut Cape,da hoc, Portio.Quarta, deprecativa, ut,Jupiter omnipotens: precibus si flecteris ullis.Quinta,enuntiativa,ut dies est, dies non est. Sed in hac sola specie orationis veritas et falsitas inest,in illis vero cæteris minime Volens autem Aristoteles ostendere multas esse orationes,et non omnem orationem esse enuntiativam, hoc addidit : Deprecatio oratio quidem est,sed neque vera neque falsa Etenim deprecatio in orationis speciebus ponitur, sed nulla in ea veritatis natura falsitatisque cognoscitur.

Cæteræ igitur relinquantur.Rhetoricæ enim vel poeticæ convenientior est consideratio.Enuntiativa vero, præsentis est speculationis.

Deprecativam, inquit,et optativam,et vocativam, et imperativam, poetis atque oratoribus relinquamus.Illis enim vel ad immittendos vel ad movendos affectus cæteræ orationis species assumantur. Nos vero philosophi,quibus veritatis falsitatisque discretio est curæ, de illa sola oratione tractamus in qua utrumlibet horum possit agnosci. In enuntiatione vero aut veritas inest aut falsitas,quocirca nos quoque de enuntiatione tractemus.

Est autem una prima oratio enuntiativa,affirmatio, deinde negatio ; aliæ vero omnes conjunctione unæ.

Enuntiativarum orationum aliæ sunt per se unæ, ut est,homo animal est ;aliæ conjunctione unæ, ut est, si homo est,animal est.Homo est enim et animal est,duæ sunt,sed addita conjunctione quæ est *si*,una redditur.Earum autem quæ unæ per se sunt prima est affirmatio,secunda negatio.Hoc enim toilit negatio quod affirmatio ante constituit, et hoc negatio dividit quod illa conjunxit.Enuntiativarum igitur orationum earum quæ sunt per se unæ,prima est affirmatio, deinde negatio. Aliæ vero sunt non per se unæ, sed cum plures sint naturaliter, unæ fiunt conjunctione.

Necesse est autem omnem orationem enuntiativam ex verbo esse,vel casu verbi.Etenim hominis ratio,si non est, aut erit, aut fuit,aut aliquid hujusmodi addatur, nondum est oratio enuntiativa.

Aristotelis in Græco textus non habet ita ut nos supra posuimus, sed hoc modo:Etenim hominis si non aut est,aut erit,aut fuit, et cætera. Subintelligendum relinquente philosopho,quod de ratione diceret,id est de diffinitione quam Græci λόγον dicunt. Sed cum supra de oratione tractasset,quæ apud illos similiter λόγος vocatur, dum de hominis ratione,id est definitione vellet dicere,quoniam non significat verum vel falsum,nisi ei aut est, aut erit, aut fuit, addatur, communione vocabuli usus, ad λόγον de quo superius tractabat, retulit, ut non orationem intelligeremus,sed potius rationem.De qua re nunc illis satisfacimus qui Græcæ orationis pertiri nos forte culpabunt,cur quod illic non fuit,nostræ translationi adjecerimus. Nos enim ad faciliorem intellectum Latinæ orationi famulantes hoc apposuimus, quia de oratione loquentibus intellectus ad rationem, nisi id esset adjectum,transferri non poterat.Totum vero quod dicit tale est:enuntiativæ orationes si sunt simplices,has verba constituunt. Ex duobus enim nominibus solis enuntiatio non fit,ex nomine autem et verbo fit, ut est, homo vivit.Fit quoque ex solis verbis ut est,ambulare moveri est.Fit etiam ex casu verbi, ut Socrates fuit, vel etiam,dies erit. Erit enim et fuit verbi casus sunt.Quocirca enuntiativam orationem simplicem sola maxime verba constituunt.Eorumque ponit exemplum,in quo cum plura sint nomina,nisi addito tamen verbo in enuntiationis proprietatem et significantiam non venit,ut est definitio hominis.(Ratio enim hominis est speciei defi-

nitio.) Cui si non aut est, aut non est,aut aliquid hujusmodi addatur,enuntiatio esse non poterit.Nam si quis dicat, Animal rationale mortale,nulla in eo adhuc falsitas aut veritas intelligitur. Si vero addatur est,utsit,Animal rationale mortale est, enuntiatio sine ulla dubitatione perficitur. Solum igitur verbum enuntiativam simplicem continet orationem.

Quare autem unum quiddam est et non multa,animal gressibile bipes,neque enim eo quod propinque dicuntur, unum erit.Est autem alterius hoc tractare negotii.

Cum de simplicibus atque unis orationibus loqueretur,definitionem hominis interposuit,de qua nunc hoc dicit.Ita quidem interposita est definitio hominis,tanquam si una esset oratio.Cur autem una sit oratio nunc, inquit, dicere intermittemus. Neque enim idcirco una esse putanda est, quia continue dicitur et sibimet propinque,animal gressibile bipes. Posset enim videri horum continua,et sub una prolatione dicta, unam facere enuntiationem; sed hoc Aristoteles negat.Nam non idcirco una oratio est quia propinque et continue dicitur.Cur autem una sit, alterius est hoc tractare negotii,et de eo disputat in his libris quos Metaphysica inscripsit, quod est primi opus philosophi. Nobis autem hoc in secunda editione monstrandum est.

Est autem una oratio enuntiativa vel quæ unum significat, vel conjunctione una. Plures autem, quæ pluar, et non unum, vel inconjunctæ.

Duplicem modum unarum multarumque orationum esse denuntiat.Est namque una oratio vel cum unam rem significat,vel cum conjunctione una est,ut est ea quæ dicit,animal rationale mortale homo est: hanc enim hujus orationis sententiam nullus in multas significationes diducere poterit,sed unum quoddam significat,et est præter conjunctionem.Alia vero oratio est una,quæ per conjunctionem una est,ut,Si dies est, lux est.Est ergo una oratio quæ vel unam rem significat,vel conjunctione jungitur.Plures autem sunt quæ plura significant,ut est,canis movetur. Hanc enim potest et adlatrabilem et ad marinum et ad cœlestem auditor advertere,atque ideo quoniam multa significat,non est una oratio,sed plures.Sunt quoque orationes per se plures et numero et significatione,quæ nulla conjunctione copulantur,utsi quis dicat,sol est,pax erit,nox est, cœlum volvitur. Hæc enim cum plura significent,nulla tamen conjunctione junguntur,atque ideo plures orationes vocantur.In summa igitur orationum unarum,aliæ sunt significatione unæ,aliæ conjunctione;non unarum vero orationum aliæ sunt significatione plures,aliæ eo quoniam nulla conjunctione copulantur.

Nomen ergo et verbum dictio sit sola,quoniam non dicere, sic aliquid significantem voce enuntiare, vel aliquo interrogante, vel non, sed ipso proferente.

Per hanc sententiam simplex dictio quid sit exponit.Dicit enim verbum nomenque dictiones videri solum,non etiam affirmationes, atque hujus sententiæ causam subnectit. Idcirco enim verba et nomine dictiones solum sunt, quoniam cum dicta fuerint simplicia, sive aliquo proferente, id est sponte dicente, sive ad alterius interrogationem aliquo respondente,neque verum ex his neque falsum valet intelligi. Si quis enim per se dicat : Socrates, vel rursus per se solum simplexque, ambulat, neque verum efficit, neque falsum. Si vero alio interrogante,Socratesne ambulat? ille respondeat,Ambulat,si huic ipsi verbo per se quisquam velit advertere quod dixit ambulat, enuntiatio nulla est,quod et cum superiore interrogatione conjungat,tunc ex interrogationis et responsionis conjunctione nascitur enuntiatio.Solum autem nomen vel verbum neque dicente aliquo, et sponte proferente, nec respondente, potest quisquam dicere, quoniam enuntiatio facta est. Et sensus quidem hujusmodi est. Ordo autem verborum talis est. Nomen ergo et verbum dictio sit sola, quoniam sic aliquid significantem voce, id est nomen aut verbum simpliciter proferentem,non est dicere enuntiare.Non enim possumus dicere quod aliquid enuntietis qui simplex nomen aut simplex protulit verbum,sive alio interrogante, sive non interrogante, sed ipso sponte proferente.

Harum autem, hæc quidem simplex est enuntiatio, ut aliquid de aliquo,vel aliquid,ab aliquo.Hæc autem ex his conjuncta,velut oratio quædam jam composita.

Nunc quid oratio sit simplex compositaque declarat.Est enim simplex oratio quæ duobus terminis constat. Tertimi autem sunt nomina et verba, quæ in simplici propositione prædicamus,ut in eo quod est, Socrates disputat,Socrates et disputat termini sunt,et qui minor terminus in enuntiatione proponitur,ut Socrates,subjectus dicitur,et ponitur prior; qui vero major, prædicatur,et locatur posterior,ut disputat. Quæcunque propositio ex uno subjecto et uno prædicato facta est,illa simplex enuntiatio nuncupatur, atque hoc est quod ait. Harum autem,id est enuntiativarum, simplex est enuntiatio, ut aliquid de aliquo, ut unum prædicatum quod est aliquid de uno subjecto quod est de aliquo prædicetur.

Hoc autem pertinet ad affirmationem,ut aliquid de aliquo prædices. Ad negationem vero, ut unum aliquid ab uno aliquo prædicando disjungas, ut in eo quod est, Socrates non disputat, disputare unum terminum,a non Socrate alio termino,prædicando disjunxi.Aliæ vero sunt orationes enuntiativæ, quæ compositæ nominantur,quæ ex simplicibus orationibus componuntur, ut est, si dies est,lux est ; dies est et lux est,duæ sunt simplices enuntiativæ orationes, idcirco quod binis terminis constant, ex duabus autem simplicibus orationibus tota hæc oratio est,quæ dicit,si dies est,lux est;hoc est enim quod ait.Hæc autem ex his conjuncta,id est ex simplicibus orationibus enuntiativis, velut oratio quædam jam composita, quippe cujus totum corpus ex his jungitur, quas simplices esse jam supra docui.

Est autem simplex enuntiatio,vox significativa de eo quod est aliquid,vel non est, quemadmodum tempora divisa sunt.

Postquam de compositis orationibus simplicibusque tractavit, diffinitionem enuntiationis per affirmationem et negationem ingreditur; ait enim: Enuntiatio est vox significans affirmationem vel negationem, vel in præteritum, vel in præsens, vel in futurum tempus. Quod enim dixit, de eo quod est, ad affirmationem retulit; quod addit, vel non est, ad negationem; quod vero secutus est, quemadmodum tempora divisa sunt, ad singulorum temporum retulit rationem; sive enim aliquis dicat: Socrates vivit, Socrates non vivit, sive Socrates vixit, Socrates non vixit, vel sic: Socrates victurus est, Socrates victurus non est, quoniam affirmatio est aut negatio, et quoniam quælibet ipsarum in aliquo temporum est, quæ dividuntur in futurum, præsens ac præteritum, plenam retinet simplicis enuntiationis naturam.

Affirmatio vero est enuntiatio alicujus de aliquo Negatio vero enuntiatio alicujus ab aliquo.

Ad affirmationis et negationis determinationem enuntiationis nomen sumpsit, ut generis; est autem affirmatio quoties aliquid de aliquo eum eo quod est esse prædicamus, ut cum dicimus, Homo animal est, animal de homine prædicamus; quoties autem aliquid ab aliquo prædicando disjungimus, negatio est, ut homo lapis non est, lapidem enim ab homine disjungimus. Quare recta affirmationis et negationis facta est diffinitio.

DE SUBJECTIS ET PRÆDICATIS ENUNTIATIONUM.

Quoniam autem est enuntiare, et quod est, non esse: et quod non est, esse: et quod est, esse: et quod non est, non esse; et circa ea quæ sunt extra præsens tempora, similiter omne contingit quod quis affirmaverit, negare, et quod quis negaverit, affirmare; quare manifestum est quoniam omni affirmationi est negatio opposita, et omni negationi affirmatio. Et sit hoc contradictis et negatio oppositæ.

Nunc dividit enuntiationes, vel quæ de his possunt fieri rebus, quæ sunt, vel quæ de iis quæ non sunt, sive in affirmatione, sive in negatione. Dicit enim quoniam est enuntiare quod est non esse, ut si quis dicat, Nullus homo animal est. Hoc enim quod est, non esse proposuit. Hæc est falsa negatio. Et quod non est esse, ut si quis dicat, Omnis lapis animal est, quod enim non est esse constituit, et hæc est falsa affirmatio. Et quod est esse, ut si quis dicat, Omnis homo animal est. Quod enim est, esse confirmat, et hæc est affirmatio vera. Et quod non est, non esse, ut si quis dicat, Nullus lapis animal est. Quod enim non est, non esse proposuit, et hæc est vera negatio. Et non solum hoc in præsenti tempore, sed circa ea quoque quæ præter præsens sunt tempora. Hoc autem tantum valet ac si diceret, hoc non modo in præsenti tempore ita enuntiari potest, ut sit vera falsaque negatio, et rursus vera falsaque affirmatio, sed etiam in præteritum et futurum, quæ extra præsens tempora sunt. Similiter etenim omne contingit quod affirmatur negare, et quod negatur ab alio, alium rursus affirmare. Quod si omni veritati falsitas opponitur, omni etiam falsitati veritas; est autem et affirmationis et negationis falsa proferre, constat quod omni negationi affirmatio, et omni affirmationi negatio opponitur. Hinc ergo quid sit quod dicitur contradictio, declaratur. Est enim contradictio affirmationis et negationis oppositio. Cum enim quis affirmat quod alius negat, ipsa utrarumque propositionum pugna contraditio nominatur. Atque hoc est quod ait. Et sit hoc contradictio, affirmatio et negatio opposita. Cum enim affirmatio negationi opponitur, contradictio est. Sed quæ sit affirmatio opposita negationi, aut quæ sit harum propositionum oppositio, in sequentibus prodit. Neque enim quælibet negatio cuilibet affirmationi opposita est, sed tantum hæc quas in sequentibus ipse determinat. Quocirca erit contradictio, affirmatio et negatio oppositæ; quæ sint autem oppositæ, sequens expositionis ordo contexit.

Dico autem opponi ejusdem de eodem. Non autem æquivoce, et quæcunque cætera talium determinavimus contra sophisticas importunitates.

Fieri tunc oppositionem in affirmationibus negationibusque demonstrat, cum idem subjectum idemque prædicatum in negatione sit, quod quilibet in affirmatione proposuit: oportet enim semper, si opposita est affirmatio negationi, unam esse veram, alteram falsam. Quod si utræque falsæ sunt, aut utræque veræ, non sunt oppositæ. Neque enim se perimunt. Si autem una sit falsa, alia vera, tunc vera perimit falsam. Et si illa fuerit vera, alia mox a veritate discedit. Quod si in qualibet affirmatione aut subjectum aut prædicatum fuerit æquivocum non sunt oppositæ. Si quis enim dicat: Alexander Helenam rapuit, et hoc aliquis neget dicens: Alexander Helenam non rapuit, quoniam Alexander æquivocum nomen est, potest utrumque esse verum, et negatio, si de Alexandro Magno loquatur, et affirmatio, si de Alexandro Trojano proponat. Quare non sunt hæ oppositæ. Illas autem esse dicit oppositas, quæcunque ejusdem prædicati habent oppositionem de eodem subjecto, ut ibi nulla æquivocatio diversitatis causa sit; hoc enim est quod ait: Dico autem opponi ejusdem de eodem. Non autem æquivoce, ut ejusdem prædicati sit oppositio in negatione, qui fuit in affirmatione, et de eo subjecto fiat negatio, de quo ante facta et affirmatio. Sed diligentius hæc in libro quem Περὶ σοφιστικῶν ἐλέγχων inscribit edisserit; illic enim sophistarum, quos fallaces argumentatores Latine possumus dicere, qui per hujusmodi propositiones quæ verum inter se falsumque non dividunt, mendaces colligunt syllogismos, argumenta distinxit, quibus capere respondentem atque innectere consueverunt. Ergo nunc hoc dicit etiam illa esse observanda quæ contra argumentorum importunitatem determinata sunt. Quæ vero sint illa, dicenda a me secundæ editionis textus exspectet.

Quoniam autem sunt hæc quidem rerum universalia, illa vero singularia. Dico autem universale, quod de pluribus natum est prædicari, singulare vero quod non, ut, homo quidem universale est, Plato vero eorum quæ singularia sunt.

Omnis propositio quemadmodum fiat ostendit. Secundum enim res quæ significantur, propositionis natura perficitur. Rerum autem alia sunt universalia, alia particularia. Universale est quod de pluribus prædicatur, ut homo de pluribus dicitur, et est universalis. Singulare vero est, ut quælibet res individua, cujus nulla prædicatio ad sibimet subjecta perveniat, ut Plato vel Socrates; horum autem naturam docet exemplis, ait enim: Ut homo quidem universale, Plato vero eorum quæ sunt singularia. Nam si hoc est universale quod de pluribus prædicatur, homo universale est, de pluribus enim individuis dicitur. Quod si hoc rursus est singulare, quod de nullo alio prædicantur, Plato singulare est. Individua namque de nullis aliis prædicantur. Quoniam ergo sunt quædam rerum universalia, alia vero singularia, manifestum est quoniam omnis affirmatio aut negatio per hæc constituitur.

Necesse est autem enuntiare quoniam inest aliquid, aut non. Aliquoties quidem eorum alicui quæ universalia sunt, aliquoties autem alicui eorum quæ sunt singularia.

Omnis namque propositio, aut singulare habet, aut universale subjectum, sive affirmatione annuat, sive abnuat negatione. Si quis enim dicat, Homo animal est, Homo animal non est, universalem rem, id est hominem, animal aut esse aut non esse proposuit. Atque hoc est quod ait, Necesse est autem enuntiare quod inest aliquid, aut non, aliquoties quidem eorum alicui quæ sunt universalia. Homo enim cum sit universale animal illi inesse affirmatio proposuit. Quæ dixit, Homo animal est, et non inesse negatio quæ ait, Homo animal non est. Si vero aliquis sic dicat: Socrates disputat, Socrates non disputat, alicui eorum quæ sunt singularia esse et non esse conjunxit. Et hoc est quod ait: Aliquoties autem eorum quæ sunt singularia. Nam cum Socrates singulare quiddam sit, disputatio ei ab affirmatione juncta est, sed a negatione sejuncta.

Si ergo universaliter enuntiet de universali, quoniam est, aut non, erunt hæ contrariæ enuntiationes. Dico autem de universali enuntiationem universalem, ut omnis homo albus est, nullus homo albus est. Quando autem de universalibus, non universaliter, non sunt hæ contrariæ, quæ autem significantur est esse aliquando contraria.

Omnis affirmatio omnisque negatio aut universalis est, aut particularis, aut indefinita. Universalis est affirmatio, ut si quis dicat, Omnis homo animal est. Cum sit enim universale subjectum homo (de multis enim prædicari aliis potest), universaliter prædicatum est. Diximus enim, Omnis homo est animal. Nec solum hominem, quod est universale, posuimus, sed etiam omne universale, id est omne adjecimus universali, id est homini, et hæc est affirmatio universalis; sin vero dicat aliquis, Nullus homo animal est, rursus homini, universali rei determinationem universalem, id quod dicitur nullus, adjecit. Sive ergo in affirmatione, sive in negatione, si eas universaliter aliquis proferat, universale universali proponit.

A Non proponit autem universale universali quoties ita dicit: Homo animal est, homo animal non est. Cum enim homo sit res universalis, nulla adjectio universalitatis, quæ est nullus, aut omnis, affirmationem vel negationem fecit. Quocirca repetendum est, affirmatio universalis est, in qua universale universaliter prædicatur affirmative. Et negatio universalis, in qua rursus universale universaliter prædicatur negative. Et hæ hujusmodi contrariæ sunt. Fieri enim non potest ut ubi vera affirmatio universalis, illic universalis negatio vera sit, et econtrario, fieri tamen potest ut utræque falsæ inveniri possint, ut Omnis homo justus est, nullus homo justus est; hic enim utræque sunt falsæ, sed una quidem vera, altera falsa reperitur, utin eo quod est, Omnis homo animal est, nullus homo animal est. Hic una vera est, altera falsa, ut
B vero utræque veræ sint, fieri non potest, quocirca quoniam utræque falsæ inveniuntur, oppositæ non sunt, sed sunt contrariæ. Cur autem contrariæ dicantur, alio loco nobis erit dicendum. Particulares vero propositiones sunt hujusmodi, Quidam homo animal est, quidam homo animal non est; hæ dicuntur subalternæ, affirmatio enim particularis, sub affirmatione universali, subalterna est. Rursus eodem modo particularis negatio, sub universali negatione, subalterna est. Sed hæ utræque veræ sint aut una vera, alia falsa fieri potest, ut utræque falsæ sint, non potest inveniri, ut in eo quod est, Quidam homo justus est, quidam homo justus non est, utræque sunt veræ. Cum vero dicimus, Quidam homo animal est, quidam homo animal non est, una vera est, altera
C falsa, et dicuntur affirmatio et negatio particulares, subcontrariæ. Quare nec istæ etiam vocantur oppositæ, idcirco quia utræque veræ inveniuntur interdum; sit autem harum talis descriptio :



Ergo neque superiores universales, neque inferiores particulares oppositæ sunt, idcirco quod inferiores quidem utræque veræ, superiores autem utræque falsæ esse possunt. Sunt autem oppositæ contradictoriæ (ut ipsæ ait) si quis aspiciat angulares, ut affirmationem universalem particulari comparet negationi, ut est Omnis homo justus est, quidam homo justus non est; hæ enim neque veræ possunt inveniri, neque falsæ, sed in omnibus una vera est, altera falsa. Et rursus si universalis negatio particulari affirmationi, comparetur, reperiuntur oppositæ : ut est, Nullus homo justus est, quidam homo justus est. Semper enim una vera est, altera falsa. Et hoc in quibuslibet terminis si despexeris, oratio nostra non discrepabit. Sit autem plenissima hoc modo descriptio.

Affirmatio universalis Negatio universali



Sunt ergo determinationes, universalium quidem omnis et nullus, particularium vero, quidam. Illæ autem propositiones quæ neque universale habent additum, neque particulare, indefinitæ vocantur, et particularibus similes sunt, ut est, Homo justus est, homo justus non est. Possunt enim utræque esse veræ, ut in hoc ipso exemplo quod dicimus, et potest una esse vera, altera falsa, ut, Homo animal est, homo animal non est, utræque vero ut falsæ sunt, non potest inveniri, et hæ (ut dictum est) vocantur indefinitæ. Præter has autem omnes singulares sunt, in quibus contradictio potest inveniri, ut in eo quod est, Socrates animal est, Socrates animal non est, Socrates justus est, Socrates justus non est. Nam si nulla eas æquivocatio vel prædicati, vel subjecti, vel alterius temporis, vel aliquid eorum quæ singulas determinant, impediat, semper una vera est, altera falsa. Quare, quoniam de omnibus in commune speculati sumus, et quid quæque esset, quantum brevitas patiebatur, expressimus; ad textum nunc, quoniam tempus est, revertamur. Si ergo, inquit, universaliter enuntiet in universali, quoniam est, aut non, erunt contrariæ enuntiationes, universaliter enim enuntiat aliquis in universali, quoties universalem affirmationem, aut universalem fecerit negationem. Cum enim dicit, Omnis homo animal est, universalem hominem universaliter enuntiavit per id quod addidit omnis; quod si rursus dicat, nullus homo animal est, eodem modo universalem hominem universaliter enuntiat per id quod ait, Nullus, et sunt contrariæ. Quas autem dicat esse contrarias, subjecto declarat exemplo. Dico autem in universali enuntiationem universalem, ut, Omnis homo albus est, nullus homo albus est; una quidem est affirmatio universalis, altera negatio universalis, quas contrarias esse supra in descriptione docuimus. Quando autem in universalibus non universaliter, non sunt contrariæ. Quoties autem, inquit, indefinitæ sunt propositiones, et universaliter universale non proponitur, contrariæ non sunt, ea enim affirmatio quæ dicit, homo justus est, et quæ dicit, homo justus non est, contraria non est. Possunt enim utræque simul esse veræ, et in eodem, id est homine, quod in contrariis fieri impossibile est. Quod vero addidit, quæ autem significantur est esse contraria, tale est: ipsæ quidem propositiones contrariæ non sunt, significant tamen aliquando contraria. Si quis enim dicat, homo albus est, et alius neget, homo albus non est, ipsæ quidem contrariæ non sunt. Quod autem dicitur, homo albus non est, potest quiddam significare contrarium. Nam designat hoc quod dicitur, homo albus non est, et rubri coloris esse et pallidi, et fusci, designat etiam nigri, quod est albo contrarium. Potest igitur id quod non est album esse nigrum. Ergo quanquam ipsæ contrariæ non sunt, tamen potest aliquando quod dixit contrarium significare, priori affirmationi, ut in eo quod diximus. Nam si id quod dicitur, non est homo albus, nigrum esse designet, quoniam is qui niger est albus non est, contrariæ quidem propositiones non sunt, quoniam possunt esse utræque veræ. Quæ autem significantur, interdum contraria reperiuntur: quæ autem sint hujusmodi propositiones exemplorum subjectione monstravit.

Dico autem non universaliter enuntiare de his quæ sunt universalia, ut est albus homo, non est albus homo.

Et quod dicat esse universale, non universaliter prædicare, planissime demonstravit dicens :

Cum enim universale sit homo, non universaliter utitur enuntiatione. Omnis namque non universale significat, sed quoniam universaliter.

Nam id quod dicitur omnis, illud ad quod prædicatur colligit, atque in unum corpus adducit, ut cum dicitur, omnis homo justus est, nullum excipit hominem. Sed totam colligit humanitatem, et fit de re universali, homine, prædicatio universalis, cum dicimus, omnis homo. Nam cum sit universale homo, huic universali universalitatem consignificat ; id quod additur omnis, et res universalis universaliter prædicatur.

In eo vero quod universale prædicatur, id quod est universaliter prædicare, non est verum.

Hac nos sententia quem ad locum universalitatis determinationem recte ponamus, instituit. Docet enim semper istam universalitatem, quam determinationem universalem vocamus, ad subjectum poni debere terminum, nunquam ad prædicatum. Si quis enim

sic dicat, omnis homo animal est, recte dixerit, omnis ad subjectum, id est ad hominem ponens. Quod si sic dicat, omnis homo omne animal est, falsum dixerit. Ergo hoc non dicit, in eo vero quod universale prædicatur, ut animal de homine. Animal enim universale est. De omni homine prædicatur, non est verum, hoc ipsum universale, quod est animal, universaliter prædicare, ut dicatur, omne animal esse hominem, nec solum in his, sed in nulla recte fieri affirmatione concedit ; ait enim:

Nulla enim affirmatio vera erit, in qua universale prædicatum universaliter prædicatur, ut omnis homo est omne animal.

Hoc autem cur eveniat, paucis absolvam. Prædicatum semper majus est subjecto vel æquum, majus: ut cum dico, homo animal est, animal prædicatur, homo subjicitur. Sed majus est animal homine. De pluribus enim quam ipse homo prædicatur. Rursus æquale est, cum sic dicimus, homo risibilis est, homo subjectum est, risibile prædicatum. Sed homo atque risibile æqualia sunt, proprium namque est hominis, quod est risibile, ut autem minus prædicatum inveniatur, quam subjectum fieri non potest. Sive ergo majus sit prædicatum, falsum est universale adjicere prædicato, ut in eo quod ipse posuit exemplo, Omnis homo omne animal est, sive æquale sit, superfluum est, ut si quis sic dicat, omnis homo, omne risibile est, quare universale prædicatum prædicare universaliter non oportet.

Opponi itaque dico affirmationem negationi contradictorie, quæ universaliter significat ei quæ non universaliter, ut omnis homo albus est, non omnis homo albus est, nullus homo albus est, quidam homo albus est.

Quid sit proprie contradictio consequenter exponit: aiten imopponi contradictorie propositiones, quoties universalem affirmationem particularis abnuit negatio, et quoties universalem negationem particularis affirmatio destruxerit. Cum enim dicitur, omnis homo albus est, de eodem homine universaliter tollit quod universaliter affirmatio constituerat. Illa enim omnem hominem esse album ponit. Ista dicit non omnem, tanquam si concedat aliquem, sed ei tantum auferat universalitatem. Hoc est enim quod ait, quæ universale significat eidem quoniam non universaliter. Nam sicut universale significat affirmatio dicens hominem, ita quoque negatio universale significat, habet enim et ipsa hominem. Sed idem ipsum universale docet non esse universaliter, id est non omne esse album, quod affirmatio universaliter esse posuerat, omnem hominem esse album proponens. Eodem modo etiam in negatione, quas nos supra angulares posuimus, et contradictorias in descriptione. Hic nunc easdem oppositas contradictorie vocat. Quod autem universali affirmationi, quæ est, omnis homo albus est, particularem negationem opposuit, quæ est, non omnis homo albus est, tantumdem est tanquam si diceret, quidam homo albus non est. Nam si non omnis homo albus est, et quidam homo albus non est.

Contrarie vero universalem affirmationem et universalem negationem, ut, omnis homo justus est. Quocirca has quidem impossibile est simul esse veras. His vero oppositas, contingit aliquando in eodem, ut, non omnis homo albus est, et, quidam homo albus est.

Plenissime omnes exsequitur dicitque contrarias universalem affirmationem, et universalem negationem. Has enim nos quoque supra descripsimus. Hic vero nunc easdem contrarie demonstrat opponi. Illud quoque addidit; quod eas impossibile sit in eodem veras aliquando cognosci. Nam sicut contrariorum natura in eodem non potest inveniri, neque enim uno eodemque tempore aliquid nigrum est atque album, sic quoque nec contrarie, ut utræque simul sint veræ fieri potest. Quod autem adjecit, his vero oppositas, contingit aliquando in eodem, particularem affirmationem et particularem negationem designat. Particularis namque affirmatio universali negationi opposita est contradictorie, particularis vero negatio universali affirmationi. Contrariarum igitur oppositæ possunt in eodem veræ aliquoties inveniri, id est particularis affirmatio et particularis negatio, veræ ut sint aliquoties fieri potest, ut est, quidam homo albus est, quidam homo albus non est, utræque sunt veræ.

DE REGULIS OPPOSITORUM.

Quæcunque igitur contradictiones universalium sum universaliter, necesse est alteram esse veram vel falsam. Et quæcunque in singularibus sunt, ut Socrates albus est, non est Socrates albus.

De contradictorie oppositis loquitur, et de singularibus propositionibus, quod unam semper veram, falsam semper alteram necesse est inveniri. Hoc enim dicit contradictiones eorum, quæ sunt universalium universaliter prædicatorum, una semper vera est, altera falsa. Universalium autem universaliter prædicatorum sunt contradictiones universalium particulariter prædicatorum. Nam affirmatio universalis, vel negatio universalis, universaliter prædicantur, harum contradictoriæ particulares affirmationes vel negationes sunt, sibi angulariter comparentur. Harum igitur contradictionum, quæ sunt universalium universaliter prædicatorum, una semper vera est, semper altera falsa reperitur. In singularibus quoque idem est. Nam si nulla, ut dictum est, varietas æquivocationis impediat, idemque sit prædicatum, idemque subjectum, ad unum idemque tempus, ad unam eamdemque partem, ad unum idemque relatum, uno atque eodem modo, una semper vera est, altera falsa, et veritatis inter se naturam et mendacii partiuntur.

Quæcunque autem universalium non universaliter, non semper hæc quidem vera est, illa vero falsa.

Quæ vero sunt, inquit, definitæ, ut neque universalem habeant, neque particularem determinationem, quod tacuit, non semper una vera est, altera falsa, sed utræque interdum inveniuntur veræ. In universalibus

autem non universaliter prædicatur aliquid hoc modo. Homo albus est, homo albus non est, in quo uno eodemque tempore utrasque veras esse contingit. Hic enim cum universale sit homo, non universaliter prædicatum est nomen. At vero nec particulariter, Neque enim quidam, aut nullus, aut omnis adjectum est. Docet autem hujusmodi propositiones non inter se dividere veritatem atque mendacium, hoc modo :

Simul enim verum est dicere quoniam est homo albus, et non est homo albus ; et quoniam est homo pulcher, et non est homo pulcher. Si enim fœdus, et non pulcher: et si fit aliquid, nondum est.

Documentum autem est hujusmodi dictum, indefinitam affirmationem negationemque veras utrasque posse inveniri ; verum enim dicere est, est homo albus, et non est homo albus, hujus autem rei probatio est : nam si verum est dicere, est homo niger, et est homo albus, uno eodemque tempore ; qui autem niger est, albus non est, verum est dicere uno eodemque tempore quoniam est homo albus, et non est homo albus. Rursus si verum est dicere quoniam est homo pulcher, et est homo fœdus uno eodemque tempore, qui autem fœdus est, pulcher non est, verum est dicere hominem esse pulchrum et hominem esse fœdum, uno eodemque tempore. Cum enim Achilles esset pulcher, claudus Thersites erat fœdus. Rursus si verum est dicere esse hominem album, et rursus uno eodemque tempore fieri hominem album, nec hoc ulla contrarietas vetat ut sit homo albus, et rursus fiat homo albus, sed qui fit albus nondum albus est, verum est igitur dicere quoniam est homo albus, et non est homo albus. Hoc est enim quod ait, et si fit aliquid, et non est : cum enim fit, non est, sed potest dici quoniam est homo albus, et fit homo albus, ut utrumque vere dicatur. Potest igitur vere utrumque dici, Et est homo albus, et non est homo albus.

Videbitur autem subito inconveniens esse. Idcirco quoniam videtur significare, non est homo albus, simul etiam quoniam nemo homo albus. Hoc autem neque idem significat, neque simul necessario.

Tacitæ hominum dubitationi respondet. Quod enim dicimus, est albus homo, et non est albus homo, utrumque vero esse videtur, sed aliquoties inconveniens esse. Si enim verum est dicere, est albus homo, quemadmodum fieri potest ut verum sit dicere, non est albus homo. Hoc autem videtur quibusdam inconveniens, idcirco quoniam apparet quibusdam id quod dicimus, non est homo albus, hoc significare, tanquam si dicamus, nullus homo albus est, sed hoc verum non est. Neque enim idem est dicere, non est albus homo, et nullus homo albus est. Et quanquam cum dicimus, nullus homo albus est, simul significamus quoniam non est homo albus, non tamen ex necessitate idem utraque significat. Cum enim dicimus, non est homo albus, simul non dicere, quoniam nullus homo albus est, non oportet intelligi, neque enim semper simul est, non est homo albus, et nullus homo albus est. Nam aliquoties simul est, scilicet cum prius dicitur universalis negatio. Cum vero indefinita dicitur prius, non est simul negatio universalis conjuncta negationi indefinitæ. Nam si dicam, nullus homo albus est, simul dixi, quoniam homo albus non est. Quod si dicam, homo albus non est, non est simul dicta negatio universalis, quæ est, nullus homo albus est, quoniam potest quidam esse non albus de quo dicatur, homo albus non est, neque tamen omnes esse non albi. Non igitur simul necessario sunt, non est homo albus, et nullus homo albus est.

Manifestum est autem quoniam una negatio unius affirmationis est, idem enim oportet negare negationem, quod affirmavit affirmatio, et de eodem, vel de aliquo singularium, vel de aliquo universalium, vel universaliter, vel non universaliter.

Hoc quoque argumentum et negationem indefinitam et universalem idem non significare, et eas a se esse diversas. Nam si unius affirmationis una negatio est, contra eam quæ dicit, non est homo albus, illa est affirmatio quæ dicit, est homo albus. Et contra eam quæ dicit, nullus homo albus est, illa est affirmatio quæ dicit, quidam homo albus est ; sed hæ affirmationes diversæ sunt, id est, est homo albus, et quidam homo albus est ; diversæ igitur illæ quoque sunt quæ his proportionaliter opponuntur. Diversa igitur est negatio quæ dicit, nullus homo albus est, et ea quæ dicit, non est homo albus. Docet autem nos unius affirmationis unam esse negationem, idque hac ratione demonstrat: Oportet enim id prædicatum negare negationem, quod prædicaverit affirmatio, et rursus de eodem subjecto auferre prædicatum negationem oportet id quod affirmatio ante conjunxerat. Quod si fit, dubium non est unius esse affirmationis unam negationem, sive autem in universalibus hoc fiat universaliter prædicatis, sive indefinite, et non universaliter, sive in singularibus, una eademque propositionum natura est, ut unius affirmationis sit tantum naturaliter una negatio. Hoc autem inductione probat.

Dico autem, ut est Socrates albus, non est Socrates albus.

In hac enim propositione idem subjectum est, idem prædicatum, et in medio exemplorum subjecit.

Si autem aliud aliquid de eodem vel de alio, idem, non opposita erit, sed ab ea diversa.

Sensus hujusmodi est, si autem aliud aliquid prædicaverit negatio quam affirmatio prædicavit, vel si de alio subjecto idem negatio prædicaverit quod in affirmatione fuerit prædicatum, non sunt sibi oppositæ, sed a se tantum diversæ sunt. Si quis enim dicat, Socrates disputat, et aliud respondeat, Socrates non ambulat, diversum prædicatum est, et diversæ sunt propositiones, et non oppositæ, et hoc est quod dixit. Si autem aliud aliquid, aliud enim prædicavit negatio quam affirmatio prædicaverat. Quod si quis sic dicat, Socrates disputat, aliusque respondeat,

Plato non disputat, de alio subjecto idem prædicavit, et sunt a se diversæ propositiones, et non oppositæ. Et erit id quod ait aliquis, vel de alio idem. Quod si utraque sint diversa, multo magis propositiones diversæ fiunt, quibus positis ad proposita rursus exempla contendit, et uni affirmationi unam enuntiationem negationis opponit, angularibus angulares, affirmativis negativas, particularibus universales, indefinitis indefinitas opponens et comparans.

Huic autem quæ est, omnis homo albus est, contradicit illa quæ est, non omnis homo albus est. Illi autem quæ est, aliquis homo albus est, illa quæ est, nullus homo albus est. Illi autem quæ est, homo albus est, illa quæ est, homo albus non est.

Et post hæc concludit sententiam dicens :

Quod igitur una affirmatio uni negationi opponitur contradictorie, et quæ sunt hæ, dictum est. Et quod sunt aliæ contrariæ, et quæ sint hæ, dictum est, et quod non omnis vera vel falsa contradictio, et quare, et quando vera, vel falsa.

Revolvit quoque breviter, quoniam aliæ sunt contrariæ, aliæ contradictoriæ, dicitque se quæ sint hæ diligentius in superiori disputatione monstrasse. Illud quoque patet non omnem esse veram vel falsam affirmationis et negationis oppositionem, quam nunc communiter et improprie contradictionem vocat. Et quando non sint veræ vel falsæ, vel cur, se exposuisse commemorat.

DE AFFIRMATIONE ET NEGATIONE UNA.

Una autem affirmatio et negatio est, quæ unum de uno significat, vel cum sit universale universaliter, vel non similiter.

Quid sit una affirmatio et supra jam diximus, et nunc quoque idem docere non piget. Cum idem Aristoteles revolverit, una enim affirmatio est, quæ unam rem de uno significat, id est quæ hujusmodi habet prædicatum, et hujusmodi subjectum, ut utrumque singula significet. Nam si unum aliquid significet prædicatum, simplex atque unum est. Quod si rursus unum aliquid significet subjectum, et non plura, simplex rursus est atque unum. Quocirca si unum prædicatum de uno erit subjecto, utraque singula significabunt et non plura. Eoque fit, ut non sit simplex propositionis significatio, et quæ unum significet, una sit. Idem autem oportet esse etiam in universalibus universaliter prædicatis, et in particularibus, quas universalibus opponi necesse est, quorum etiam subdit exempla.

Ut omnis homo albus est, non omnis homo albus est, est homo albus, non est homo albus, nullus homo albus est, quidam homo albus est.

Dicit enim unam esse propositionem, Omnis homo albus est, et rursus ei oppositam unam esse, non est omnis homo albus.

Si album unum significat. Sin autem duobus unum nomen positum est, ex quibus non est unum, non est una affirmatio, neque una negatio.

Si album, inquit, unum significat, quod si plura designat non est una affirmatio, nec una negatio. Hoc autem et in subjecto convenit custodire, scilicet ut subjecti quoque simplex significatio servet. Docet autem non esse unam propositionem, si prædicatum vel quodlibet in propositione verbum multa significet hoc modo.

Sin vero duobus unum non est positum ex quibus non est unum, non est una affirmatio, neque negatio.

Sunt quædam res quæ plura quidem significent, ex quibus omnibus junctis unum quiddam valeat effici, hominis quidem nomen significat animal, significat mortale, rationale quoque designat, sed hæc juncta unum quiddam efficiunt, quod est animal rationale mortale. Hæc namque omnia unum hominem complent. Sunt quoque alia quæ duas vel plures hujusmodi res designant, ex quibus junctis unum aliquid esse non possit, ut liber. Dicitur namque et Dionysius liber, et ingenuus, sed ingenuus et Dionysius juncti; nihil efficiunt. Quare si quid tale sit, inquit, aut subjectum aut prædicatum quod plura significet, ex quibus unum aliquid esse non possit, non est illa una affirmatio, neque una negatio. Et hoc fictitii exempli ratione confirmat.

Ut si quis ponat hoc nomen tunica, homini et equo, et dicat tunica est alba, hæc non est una affirmatio, nec una negatio. Nihil enim differt hoc quam dicere, est homo equus albus. Hoc autem nihil differt quam dicere, est homo albus, et est equus albus.

Dicatur enim, inquit, equus et homo tunica. Et habeant, verbi gratia, hoc nomen, si quis enim dicat, et tunica alba quoniam tunica equum atque hominem designat, videtur dicere quoniam est equus et homo albus, sed hoc tale est, tanquam dicat, est equus albus, et est homo albus. Sed hæ duæ propositiones sunt, et non una ; duplex igitur illa quoque propositio est, est homo et equus albus ; quare duplex illa quoque quæ dicit, est tunica alba. Etenim subjecti hujus, id est tunicæ, duplex significatio propositiones fecit esse duplices. Quod si quid dicat unum quiddam significare, est tunica alba, quia significat, est homo et equus albus ; impossibile est. Neque enim ex homine et equo quiddam unum fit, ut hæc propositio unum aliquid designet ; quare aut hæc propositio multa significat, aut si non multa, nihil omnino designat. Nihil enim est homo equus, ut simul dicatur atque intelligatur, hoc est enim quod ait :

Si ergo hæ multa significant, et sunt plures, manifestum est quoniam et prima multa vel nihil significat, neque enim est aliquis homo equus.

Si ergo hæ multa significant et sunt plures, manifestum est quod et prima, id est ea quæ dicit, est tunica alba, multa vel nihil significat. Nihil autem idcirco quoniam si non multa designet propositio cujus quilibet terminus æquivocus est, cum illa quæ nomine æquivoco significantur juncta fuerint, neque in unam substantiam convenerint, talis junctura quæ res sibimet incontextas copulant, non erit nullus intellectus : ut in ea quæ est, tunica alba est, aliter esse una non potest, si tunica equum hominemque si-

gnificet, nisi equus atque homo juncti unum aliquid efficiant; sed hi termini tales sunt, ut necesse sit hanc propositionem vel multiplicem esse, vel nihil significare : nam si jungantur homo et equus, fit nihil. Nihil enim est homo equus, quod per hoc monstravit, quod ait : Neque enim est aliquid homo equus, hoc autem cur nunc ab ipso propositum sit, lucidissime demonstravit ; cum enim de his propositionibus loqueretur quæ verum inter se falsumque dividerent, hoc addidit, quod etiam hæ quæ habent vel prædicatum æquivocum, vel subjectum, verum falsumque non dividunt, utræque enim esse veræ possunt, ut hæc quæ dicunt, est liber homo si ad ingenuitatem referas, et non est liber homo, si ad Dionysium. Recte igitur dictum est :

Quare nec in his necesse est hanc quidem contradictionem veram esse, illam vero falsam.

Cum enim multa significat, multiplex significatio in negatione atque affirmatione se invicem non perimit, quod si una sit affirmatio et una negatio, quoniam utræque in eodem esse non possunt, unam veram semper, falsam alteram esse necesse est.

DE FUTURIS CONTINGENTIBUS.

In his ergo quæ sunt, et facta sunt, necesse est affirmationem, vel negationem, veram esse vel falsam. Ac in universalibus quidem universaliter semper hanc veram, illam vero falsam esse, et in his quæ sunt singularia, quemadmodum dictum est. In his vero quæ in universalibus non universaliter dicuntur, non est necesse, dictum est autem et de his.

In præsentibus rebus et in præteritis factas contradictorias enuntiationes dicit definite, unam semper veram, alteram definite semper esse mendacem, ut si quis dicat : Omnes Fabii perierunt, qui ad pugnam contra Veientes privata conspiratione progressi sunt. Hoc si negetur sic, non omnes Fabii perierunt, qui ad pugnam contra Veientes privata conspiratione progressi sunt, necesse est quidem unam veram, alteram esse falsam, sed definite vera affirmatio est, definite falsa, negatio. Cum enim id quod factum est dicitur factum, definite verum est, quod si id factum esse denegetur, falsum est definite ; sive ergo in universalibus universaliter prædicatis contradictio per oppositionem particularitatis fiat, sive in singularibus, ut in Socrate et in cæteris individuis, in his quoque quæ sunt præterita, semper una vera est, altera falsa, ut in eo quod est, Socrates veneno peremptus est. Socrates veneno peremptus non est, vera est affirmatio definite, et ita rursus falsa negatio est in præsentibus quoque idem esse necesse est. Si enim, disputante Socrate, dicat aliquis : Socrates disputat, et hoc alius neget, sicut disputare Socratem præsentis temporis ratione definitum est, ita quoque definite affirmatio retinet et veritatem, negatio definite mendacium. Et in universalibus quidem vel affirmatis vel negativis, in quibus vel affirmatio particularis, vel negatio particularis opponitur idem est. Hoc est enim quod ait : In his quæ sunt, et quæ facta sunt, id est in præsentibus atque in præteritis, una semper definite vera est, semper altera falsa definite, sive universalis sit una, altera particularis. Quod per hoc monstratur, quod ait : In universalibus quidem universaliter, semper hanc esse veram, illam vero falsam, sive in singularibus atque individuis prædicamentis. Quod per hoc designat quod addidit : Et in his quæ sunt singularia, una vera est, altera falsa ; sed postquam dixit de contradictoriis, adjecit, in his autem quæ indefinitæ sunt, non necesse est semper hanc quidem veram, illam vero esse mendacem. Hoc scilicet designans quod ait : In his vero quæ in universalibus non universaliter dicuntur, non est necesse in his unam veram, alteram falsam proponi, potest enim fieri ut utræque sint veræ quæ fuerint indefinitæ.

In singularibus vero, et futuris non similiter. Propositionum aliæ sunt tantum inesse significantes, ut si quis Socrate vivo dixisset : Socrates calvus est, alius negaret, Socrates calvus non est. Illa enim inesse posuit Socrati calvitiem, illa calvitiem a Socrate disjunxit. Aliæ vero sunt necessariæ, ut si quis dicat, Necesse est solem annis omnibus in Arietem rursus redire. Rem namque necessariam et ex necessitate evenientem prædicans, totam fecit necessariam propositionem. Aliæ autem sunt contingentes, quæ cum non sint, eas tamen in futurum evenire possibile est, ut si quis dicat : Hodie Alexander pransurus est, hodie Alexander pransurus non est. Etenim cum ista dicantur, quoniam illi adhuc prandere non inest, inesse tamen contingit, et potest fieri ut hodie prandeat, idcirco dicimus eas contingentes, contingit enim fieri, quoniam adhuc nondum facta est Sed hæ non insunt quidem, ut dictum est. Sunt enim futuri temporis. Quæ autem non insunt, sed inesse possunt, necessariæ non sunt, quoniam hujusmodi retinent naturam, ut eas et esse, et non esse possibile sit, potest enim fieri ut hodie Alexander prandeat, et rursus fieri ut hodie non prandeat. Et hanc eveniendi vel non eveniendi possibilitatem, utrumlibet vocamus. In hujusmodi enim rebus utrumlibet contingit, aut affirmatio, aut negatio, et non est necesse aut affirmationem fieri, aut negationem. Nam cum non sit affirmatio necessaria, non interclusum est contingere negationem. Rursus cum negatio necessaria non sit, interdum accidit, ut affirmatio contingat. Quare hæc hujusmodi eveniendi et non eveniendi potentia, utrumlibet vocatur. Quod in his utrumlibet, id est vel affirmationes vel negationes, evenire conceditur. Nunc ergo Aristoteles hoc validissima argumentatione contendit astruere, quod quemadmodum in præteritis, et in his quæ sunt præsentia, non modo in affirmatione et negatione, unam veram, alteram falsam esse necesse est, sed definite una vera est, definite altera suscipit falsitatem, non ita in his quæ contingentes vocantur. Necesse enim est ut aut affirmatio vera sit, aut negatio, sed non ut definite quælibet earum vera sit, altera falsa definite. Nam quod dicimus Alexander lavandus est, id si alius neget, dicatque : Alexander lavandus non est, totum quidem

hoc necesse est evenire, ut aut lavetur, aut non lavetur, et necesse est unam esse veram, alteram falsam, aut affirmationem, si lotus fuerit, aut si lotus non fuerit, negationem. Sed non est necesse ut definite affirmatio vera sit, idcirco quod in hujusmodi rebus poterit evenire negatio. Sed nec unquam definitum est, ut negatio vera sit, falsa affirmatio. idcirco quoniam potest non evenire negatio. Quare in tota contradictione, unam quidem veram, falsam alteram esse necesse est. Ut autem definite una vera sit, altera falsa definite, sicut in his quæ sunt præterita quæque præsentia, nulla ratione rerum possibile est. Sed hoc prius Aristoteles in singularium prædicamentorum propositionibus probat. Post autem idem debere in universalibus docet intelligi. Idcirco enim ait, in singularibus vero et futuris non similiter. Id est in singularibus propositionibus, et de quibus prius tractat, et in futuris, id est in contingentibus, non idem modus est verarum falsarumque propositionum, qui est in præteritis atque præsentibus. Quoniam in præteritis atque præsentibus, et totum contradictionis corpus in veritatem falsitatemque dividitur, et vera est una definite, ut possit ex his certus aliquis ac sciens dicere quoniam affirmatio vera sit, vel rursus, quoniam negatio ; vel si id nullus dixerit, certa jam præteriti temporis vel præsentis secundum sui naturam ratio, certusque eventus est, in his vero in quibus contingens est et futurum, id est variabile et instabile, totum quidem corpus contradictionis veritatem falsitatemque partitur, sed hæc veritas atque falsitas indiscreta est atque volubilis. Nullus enim potest dicere quoniam affirmatio vera est. Non est enim necesse veram esse affirmationem, idcirco quoniam negationem fieri possibile est, nec rursus negationem, quoniam non est impossibile affirmationem contingere, et postremo quoniam utrumlibet ipsorum contingit, idcirco una earum, vera esse definite et certa, naturaliter non potest, quibus autem id argumentationibus exsequatur, manifestum erit hoc modo :

Nam si omnis affirmatio vel negatio, vera vel falsa est, et omne necesse est vel esse vel non esse. Quare si hic quidem dicat futurum aliquid, ille vero non dicat hoc idem ipsum, manifestum est quoniam necesse est verum dicere alterum ipsorum, si omnis affirmatio vel negatio vera vel falsa est. Utræque enim non erunt simul in talibus.

Si quidquid in affirmationibus negationibusque proponitur, verum vel falsum est definite, sequitur ut quod illæ negationes affirmationesque significant, aut evenire, aut non evenire necesse sit ; hoc est enim quod dicit : Nam si omnis affirmatio vel negatio vera vel falsa est definite ; idcirco enim addit omnis. In his enim quæ sunt futura vel contingentia, non esse affirmationes et negationes veras vel falsas definite probare contendit. Nam si unus dicat aliquid futurum, alius neget, ut utraque eveniant, fieri non potest ; quis enim dixerit, dicente aliquo Socrates cœnaturus est, alioque negante Socrates cœnaturus non est, utrasque veras in uno eodemque contingere ? Hoc igitur fieri non potest ; unus ergo eorum verum dicturus, est alius mentietur : ponatur enim una eorum definite vera esse, vel falsa, si ergo omnis affirmatio et negatio vera vel falsa est definite, et uterque negans affirmansque veri in contradictionibus esse non possunt, necesse est unum verum dicere, alterum falsum, et unum definite verum, alterum definite falsum. Hoc si est in omnibus affirmationibus atque negationibus, ut una definite falsa sit, altera vera definite, quidquid vera dicit eventurum evenire necesse est, quidquid non eventurum non evenire necesse est, hoc est enim quod ait : Manifestum est quoniam necesse est verum dicere alterum ipsorum ; neque enim potest fieri ut affirmatio negatioque consentiant in talibus, id est in contradictionis propositionibus. Necesse est autem evenire quæcunque vera definite affirmatio loquitur, et non evenire quod profert definite vera negatio, quod sic probat.

Nam si verum est dicere, quoniam est album vel non album, necesse est esse album vel non album. Et si est album vel non album, verum est affirmare vel negare, et si non est, mentitur, et si mentitur, non est. Quare necesse est aut affirmationem, aut negationem veram esse vel falsam.

Quod de futuro possit esse judicium, a præsentibus trahit exemplum : ait enim hanc esse rerum consequentiam, utrem subsistentem propositionis veritas consequatur, veritatem propositionis rei, de qua loquitur propositio, essentia comitetur. Nam si hic lapis vel quodlibet aliud album est, verum est de eo dicere quoniam album est, et hoc convertitur. Nam si verum est dicere de eo quoniam album est, sine dubio album est, et album esse necesse est, itaque fit ut res veritatem, et veritas rem, de qua proponitur, subsequatur. Rursus si hic lapis albus non est, verum est de eo dicere quoniam non est albus, et si de eo verum est dicere quoniam non est albus, ut sit albus fieri non potest, cum vere dicatur quoniam non est albus. Idem quoque etiam in mendaciis valet. Nam si quid non est, cum hoc aliquis esse proposuit, mentietur. Et si quis de alio mentietur, illud de quo fit mendacium non est, ut si quam rem cum alba non sit dicat, aliquis esse albam mentitus est, quocirca necesse est illud quoque non esse de quo mentitus est. Ita igitur veritas quidem rei quæ est, et res quæ est veritati, falsitas vero rei quæ non est, et res quæ non est, falsitati convertitur, quod si hoc est in omnibus rebus, quidquid dicitur cum veritate vel falsitate, ad rem quæ est vel non est convertitur. sive negatio sit, sive affirmatio, et unam veram semper, alteram falsam esse necesse est ; si una definite vera est, impossibile quiddam ex hac positione continget. Evenient namque omnia, quæcunque sunt vel fiunt ex necessitate fieri, et nihil a casu, nihil que esse possibile quod sit, et non esse possibile. Nihil etiam in liberi arbitrii moderamine relinquetur, sed totum erit ex necessitate, quidquid evenerit. Nam si

verum est definite de qualibet re dicere quoniam erit, illam rem sine dubio futuram esse necesse est, et ut non fiat non potest evenire. Verum enim est dicere de ea quouiam futura est, nec verum de ea quoniam futura est poterat dici, nisi eam fore esset necesse; quare si in omni affirmatione et negatione, aut affirmatio aut negatio in futurum definite, vera vel falsa est, necesse est vel quod ab affirmatione vera definite, vel quod a negatione dicitur falsum evenire. In falsitate quoque similis causa est. Nam quod non erit, falsum est dicere quoniam erit. Et quod falsum est dicere quoniam erit, ex necessitate non erit. Item quod erit, falsum est dicere quoniam non erit, et quod falsum est dicere quoniam non erit necessario erit. Ut igitur veras propositiones necessarias sequitur eventus ut fiat, quod dicitur, ita et falsas propositiones necessarius sequitur eventus, ut non fiat, quod dicitur a falsa propositione. Quod si in futurum omnis affirmatio vel negatio definite semper dividunt veritatem et falsitatem, erit rerum quæ prædicantur necessarius eventus, et omnia ex necessitate contingent, vel non contingent, emaque et casus, et possibilitas, et liberum perit arbitrium. Syllogismus aut hujusmodi est: si omnis affirmatio vera est aut falsa definite, et eodem modo negatio eveniet, ut omnia inevitabili necessitatis ratione contingant, quod si hoc est, liberum perit arbitrium. Sed hoc impossibile est; non igitur verum est omnem affirmationem vel negationem veram esse definite vel falsam. Omnia autem ex necessitate contingere, si illæ definite veræ vel falsæ sunt, talis syllogismus ostendit: omnis in futurum definita veritas vel falsitas eventum rei vel futurum vel non futurum ex necessitate constituit, sed omnes propositiones futuræ definite veræ vel falsæ sunt. In omnibus igitur eveniendi, vel non eveniendi necessitas erit, pro qua conclusione illud Aristoteles intulit, quod ait:

Nihil igitur neque est, neque fit, nec a casu, nec utrumlibet, nec erit, nec non erit, sed ex necessitate omnia et non utrumlibet, aut enim qui dicit; verus est, aut qui negat.

Casus namque, et id quod est utrumlibet exstinguitur, libera etiam voluntas adimitur, si omnia quæcunque fient; ex necessitate futura sunt; et probat superiorem conclusionem, quæ dicit omnia ex necessitate contingere, per hoc quod ait: aut enim qui dicit verus est, aut qui negat; si ergo veritus rerum necessitati convertitur, aut qui negat verus est, aut qui affirmat omnia fieri et necessitate necesse est. Nam si non erunt ex necessitate, non erunt veræ definite, id quod ipse subjunxit:

Similiter enim, vel fieret, vel non fieret, utrumlibet enim nihil magis sic vel non sic se habet, aut habebit.

Exponit enim quæ sit contingentis natura, cum quid sit utrumlibet exponit, utrumlibet est id cujus indiscretus eventus est, id est, quod æqualiter esse vel non esse contingit. Hoc est enim quod ait, similiter enim fieret vel non fieret. Neque enim directam viam necessariamque habet unam vel affirmationem vel negationem, sed nihil se magis sic habet, vel sic non habet, et est utrumlibet quod æqualem cursum et ad evenire retinet, et ad non evenire. Nihil enim se magis vel sic habet, vel sic non habet, id est æqualiter se habet ad esse, et ad non esse. Nihil enim magis sese habet, ut fiat quam ut non fiat.

Amplius si est album nunc, verum erat dicere prius quoniam erit album, quare semper verum fuit dicere quodlibet eorum quæ facta sunt, quoniam est vel erit.

Validam sibi ipsi vim argumentationis opponit, qua possit ostendere affirmationes negationesque veras vel falsas esse definite, et ait providendum esse ne forte necesse sit suspicari id quod jam factum est vere dici potuisse antequam fieret, esse faciendum, ut si Socrates hesterna nocte cœnavit, verum fuit hesterna matutina dicere, quoniam cœnaturus est; quocirca definite quoque verum fuisset, si de eo prædiceretur. Omnia igitur ea quæ fiunt definite poterant vera prædicari. Hoc est enim quod dicit, si est album nunc, verum erat dicere prius quoniam erit album. Nam si qua res nunc alba est, verum erat ante dicere quoniam erit alba, quare definite quoque fuit quodlibet eorum quæ facta sunt vere prædicere. Hoc enim rei ipsius exitus comprobavit. Huic oppositioni per eadem rursus occurit. Nam enim quid hæc dicit, licet ei laqueum superioris argumentationis effugere, rursus enim eadem illum cuncta circumveniunt, et eisdem iterum urgetur incommodis.

Quod si semper verum fuit dicere quoniam est vel erit, non potest hoc non esse vel non futurum esse. Quod autem non potest non fieri impossibile est non fieri; et quod impossibile est non fieri, necesse est fieri. Omnia ergo quæ futura sunt, necesse est fieri, nihil igitur utrumlibet, neque casu erit; nam si casu, non ex necessitate.

Mira ratione superiorum argumentationem dicentis ad idem reduxit incommodum dicens: Si verum est omnia quæcunque facta sunt, definite vere potuisse prædici, quoniam veritatem propositionis rei necessitas sequitur, quod vere definite prædicatum erat non evenire non poterat; sed si non evenire non poterat, ut non eveniret erat impossibile. Quod autem non fieri impossibile est, fieri necesse est. Eventus igitur ejus ex necessitate consequitur. Nihil ergo utrumlibet, neque a casu erit. Nam si a casu esse poterit, non ex necessitate futurum est; quod si non est ex necessitate futurum, non est impossibile non fieri; si non est impossibile non fieri, potest non fieri; si potest non fieri, non potest definite vere prædici. Quod enim vere definite prædicetur, ex necessitate futurum est, quod autem a casu est, ex necessitate non evenit.

At vero nec quoniam neutrum verum est, contingit dicere ut quoniam neque erit, neque non erit; primum enim cum sit affirmatio falsa, erit negatio non vera, et cum hæc sis falsa, contingit affirmationem esse non veram.

Quatuor differentiis contingentium futurorum diversitas constat. Aut enim id quod affirmatur et negatur

in futurum,utrumque erit verum aut utrumque falsum; aut unum verum,falsum alterum definite ; aut unum verum, falsum alterum indefinite. Non enim esse quidem et affirmationem et negationem veram in his propositionibus,quæ de rebus contingentibus in futurum proponuntur, per hoc demonstravit superius quod ait : Manifestum est quoniam necesse est verum dicere,alterum ipsorum, si omnis affirmatio vera vel falsa est.Utraque enim non erunt simul in talibus.Neque enim fieri potest ut in contradictoria propositionum oppositione, utrasque veras quisquam valeat invenire.Nunc autem monstratur quoniam ne hoc quidem fieri potest ut utræque sint falsæ,ait enim : At vero,ne hoc quidem nobis contingit dicere quoniam neutrum verum est,id est nec affirmatio,nec negatio ; contingeret autem utraque esse falsam affirmationem scilicet et negationem, si nec quod diceret affirmatio,futurum esset,nec quod non esse negatio diceret,non esset.Ita enim fieret,ut nec esset,quod affirmatio esse prædicavit,nec non esset, quod negatio non esse proposuit. Si quis ergo hoc ita dicat,primum, inquit, illud inconveniens atque impossibile est,quod in contradictoria propositione, cum affirmatio falsa sit non est vera negatio,et rursus cum negatio falsa sit, falsa quoque affirmatio sit.Hoc enim in solis contrariis contingebat, non etiam in contradictoria oppositione. In hac enim unam semper veram esse necesse est, semper alteram falsam.

Ad hæc si verum est dicere quoniam album est et magnum, oportet esse utrumque. Si vero erit cras, oportet esse cras. Si autem neque erit, neque non erit cras non erit utrumlibet, ut navale bellum. Oportebit enim neque fieri navale bellum, neque non fieri. Quæ ergo contingunt inconvenientia hæc sunt,et hujusmodi alia,si omnis affirmationis,et negationis,vel in his quæ de universalibus dicuntur universaliter, vel in his quæ sunt singularia, necesse est oppositarum hanc quidem veram esse, illam vero falsam. Nihil autem utrumlibet esse in his quæ fiunt, sed omnia esse et fieri ex necessitate. Quare non oportebit neque consulere, neque negotiari, ut si hoc facimus, erit hoc, si vero non hoc, non erit hoc. Nihil enim prohibet in millesimum annum hunc quidem dicere hoc futurum esse, illum vero non dicere. Quare ex necessitate erit quodlibet eorum, quod tunc ab eo verum erat dicere. At vero neque hoc differt,si aliquis dixerit contradictionem, vel non dixerit. Manifestum est enim quoniam sic se habent res, etiamsi non hic quidem affirmaverit ille vero negaverit, Non enim propter negare vel affirmare erit vel non erit, nec in millesimum annum magis quam in quantolibet tempore. Quare si in omni tempore sic se habebat, ut unum diceretur vere, necesse erat hoc fieri, et unumquodque eorum quæ fiunt sic semper se habebat, ut ex necessitate fieret. Quando enim vere dicit quis quoniam erit, non potest non fieri; et quod factum est,verum erat dicere semper quoniam erit.

Addidit quoque aliud, quo magis id quod dicitur videatur incongruum.Omne enim id quod prædicitur in futurum, si vere prædicitur, erit. Si quis enim dicat in præsenti tempore, hoc animal quodlibet album est,vel magni corporis,et hoc vere pronuntiet, album et magnum illud animal esse necesse est.Ita etiam in futuro si quis vere dicat quoniam hoc animal cras album fiet, et corporis vastioris, necesse est cras utraque contingere,ut et album fiat et corporis vastioris. Sin vero falso aliquid prædicatur, necesse est non esse quod dicitur,si sit affirmatio:ut si quis affirmet falso futurum navale bellum,necesse est non fieri quod a falsa affirmatione prædicitur.At si sit falsa negatio,necesse est fieri quod falsa negatio futurum non esse prædixit ; sin vero utraque falsa sunt, non erit ex necessitate quod dicitur, quia definite affirmatio falsa est,nec non erit ex necessitate quod dicitur, quia definite est falsa negatio. Unde fit ut utrumlibet quod est in rebus omnino perimatur, utraque enim necessario sunt et ex necessitate contingunt, et est necessitas illa impossibilis. Nam si quis dicat cras futurum navale bellum,aliusque neget,et pronuntiet non futurum,si utraque sint falsa, necesse quidem erit non esse cras navale bellum, quoniam affirmatio, quæ illud dicit futurum, falsa est.Rursus necesse est esse cras navale bellum,quoniam negatio quæ dicit cras non futurum,ipsa quoque mentitur. Quare necesse erit et esse navale bellum,et non esse,quod est impossibile,et præter communem cogitationis naturam.Non est igitur verum utrasque et simul,id est affirmationem negationemque mentiri.Quæ ergo, inquit, contingunt inconvenientia,hæc sunt,et hujusmodi, si quis dicat vel in bis quæ universalia sunt et universaliter prædicantur, vel in his quæ singularia in propositionibus enuntiantur, unam necessario definite esse veram, definite esse alteram falsam,talia illum, inquit, inconvenientia consequentur,et alia similia.Hoc scilicet dicens de superioribus argumentis, in quibus ostendebat omnia ex necessitate contingere,si quis unam veram definite, alteram diceret definite mendacem. Quænam vero asserat alia inconvenientia impossibiliaque concurrere his qui unam definite veram proponunt, hæc sunt : si quis enim proponat unam esse veram,alteram esse falsam,tollit (ut supra dictum est) id quod est utrumlibet in rebus,et omnia esse vel fieri ex necessitate constituit, nihil a casu,ninilque a propria voluntate.Unde fit ut neque negotiari sit utile,nec inire actum,quæ omnia consilii ratione tractantur, ipsum enim consilium supervacuum est,cum omnia quæcunque futura sint necesse sit evenire. Quid enim unusquisque dicat, Si hoc faciam, illud mihi eveniet atque continget, si vero hæc, illa res eveniet ? etenim nihil prohibet quemvis illum affirmare aliquid esse faciendum, alium vero negare,cum omnia vi necessitatis eveniant. Nam si omnia quæ fiunt nunc, ante aliquis vere prædiceret,quis dubitat quin illa quæ facta sunt,immutabili violentia necessitatis evenerint ? Hoc est enim quod ait : Quare ex necessitate erit quodlibet eorum quod tunc verum erat dicere. Sed ne illud videatur incongruum quod rerum eventum non exipse

rerum natura, sed ex propositionum veritate et falsitate judicamus, scrupulum ipse dissolvit dicens. At vero nec hoc differt, si aliqui dixerint contradictionem, vel non dixerint : ad tollendum enim perimendumque consilium, quod nihil omnino homines oporteat consiliari, parum valet aliquid ante prædici; sive enim dicatur aliquid, sive non, quidquid vere prædici potest, illud etiam si non prædicatur evenire necesse est; idcirco enim vere prædicitur, quia vere prædici potest; idcirco vere prædici potest, quia immutabiliter futurum est. Quare futurum est, si prædicitur vere, nec tantum si prædicitur, sed etiam si prædici vere potest; sive enim prædicatur, sive non prædicatur, quidquid vere prædici potest, hoc ex necessitate futurum est. Manifestum est enim, inquit, quod si sic se habeat res, sive unus eam affirmet et alius neget, si eventura est, nihil illi negatio officit; si eventura non est, nihil affirmatio prodest. Non enim, inquit, propter negare et affirmare erit vel non erit, nec hanc vim naturæ tempus mutabit. Eodem modo enim evenient, ea quæ post millesimum annum eventura creduntur, his quæ post quantumlibet tempus ex necessitate futura sunt: unde fit, ut si in omni tempore omnia sic se habent, ut unum definite verum dici possit, definite alterum falsum, omnia quæcunque facta sunt, vel fient, immutabili rerum ratione contingant. Hoc est enim quod ait, necesse esse fieri unumquodque eorum quæ fiunt; id est, si sic se haberet, ut ex necessitate fierent omnia, et hoc superiori argumentatione confirmat dicens: Quando enim vere dicit quis quoniam erit, non potest non fieri, eventus enim necessitatem, necessitas sequitur veritatem, et quod factum est, verum erat dicere semper quoniam erit, veritas namque propositionis ex rerum necessariis venit eventibus.

Quod si hæc non sunt possibilia. Videmus enim esse principium futurorum, et ab eo quod consultamus, atque agimus aliquid, et quoniam est omnino in his quæ non semper actu sunt, possibile esse et non esse, similiter, in quibus utrumque contingit et esse et non esse, quare fieri et non fieri. Ac multa nobis manifesta sunt sic se habentia, ut quoniam hanc vestem possibile est incidi, et non incidetur, sed prius exteretur. Similiter autem et non incidi possibile est. Non enim esset eam prius exteri, nisi possibile esset non incidi. Quare et in aliis fiendis, quæcunque secundum potentiam hujusmodi dicuntur. Manifestum igitur est quoniam non omnia ex necessitate vel sunt, vel fiunt, sed alia quidem utrumlibet, et non magis vel affirmatio, vel negatio vera est, alia vero magis quidem, et in pluribus alterum, sed contingit fieri et alterum, alterum vero minime.

Longum hyperbaton est, quod nos prius exponimus, postea continuamus. Liquet enim aliquarum rerum nos esse principium, ut actuum nostrorum. Si quis enim aliquid consilio faciat, quidquid consiliatione peregerit, ejus rei ipse principium est. A consiliante enim incipit, quidquid consilii solertia ministratur. Sunt enim quædam quæ actu non sunt, A sed potestate, quæ potestas non fit ex necessitate, id est, ut possit quidem fieri, non tamen necesse sit, ut hanc vel quamlibet tunicam possibile est quidem ferro incidi, sed non est necesse. Fortasse enim utendo vetustabitur, et ipso quotidiano solvetur attritu. Ergo potest quidem incidi, sed forte non incidetur, sed antequam incidi possit exteritur. Rursus potest fieri ut non dividatur, neque enim exteri eam possibile esset, nisi prius esset possibile non incidi, quare possunt quidem quædam fieri, sed ita contingit fortasse ut non fiant. Sunt igitur quædam possibilia non necessaria, et in aliis quoque quæ fiunt eadem ratio est. Omne enim quod fit a quolibet consilio, ipse qui consiliatur illius rei principium est, non necessitas, et quæcunque sunt possibilia, mutabiliter evenient. B Quæ enim secundum aliquam possibilitatem dicuntur, non eveniunt secundum necessitatem, unde fit ut manifestum sit quoniam non omnia ex necessitate vel sunt, vel fiunt, sed quædam sunt quæ æquali modo, vel fiunt, vel non fiunt, et hoc est utrumlibet fieri, alia vero in pluribus quidem fiunt, in paucioribus vero non fiunt, et æqualiter quidem fiunt, ut egredientem domo amicum videre, fit enim hoc et fit æqualiter; quædam vero frequentius fiunt; quam non fiunt, ut sexagenarium canescere frequentius fit, quam non fit. Et tamen ita hoc potest fieri, ut non fieri impossibile non sit. Hoc enim est quod ait: Alia vero magis quidem et in pluribus alterum, ut canescere in pluribus sexagenarii quam non canescere. Sed contingit fieri alterum, scilicet ut non canescat, alterum vero minime, scilicet ut canescat. C Est autem hyperbaton hoc modo. Quod si hæc impossibilia videmus, quod sumus enim aliquibus ipsi principium, et quæcunque possibilia sunt, fieri possunt, et non fieri. Si igitur possibile est et ut sint et non sint, manifestum est non omnia ex necessitate contingere, sed alia æqualiter, alia vero evenire quidem in pluribus, in paucioribus vero non evenire, sed ut non eveniant necesse non est.

Igitur esse quod est, quando est, et non esse, quod non est, quando non est, necesse est. Sed non omne quod est, necesse est esse, nec omne quod non est, necesse est non esse. Non enim idem est omne quod est, necessario esse, quando est, et simpliciter esse ex necessitate. Similiter autem et in eo quod non est. Et in contradictione eadem ratio est, esse quidem vel non esse D *omne, necesse est, et futurum esse, vel non. Non tamen dividentem dicere alterum necessarium. Dico autem ut necesse est quidem esse futurum bellum navale cras vel non futurum esse. Sed non necesse est futurum esse cras bellum navale, vel non futurum esse. Futurum autem vel esse, vel non esse necesse est.*

Nunc quid sit necessarium temporale describit. Ait enim omnis res quando est, eam sine dubio esse necesse est. Non enim fieri potest ut cum est, non sit, et rursus res quæ non est, quando non est, eam non esse necesse est, neque enim fieri potest, ut quando non est, sit ; sed si quando est, eam esse necesse est, id est, non simplex necessarium, sicut

solem oriri simpliciter,sed temporaliter necessarium,ut sedeo,non idcirco simpliciter,et sine temporis præsentis descriptione ex necessitate est.Quando enim sedeo, non potest fieri ut non sedeam,et necesse est mihi tunc sedere cum sedeo, sed ipsum sedere mihi non ex necessitate inest,possum enim surgere. Rursus cum non sedeo,tunc mihi necesse est non sedere, sed ipsum non sedere, mihi ex necessitate non inest,possum enim sedere;ergo quod est, quando est, ex necessitate est,et quod non est, tunc cum non est, fieri ut non sit non potest. Non tamen omnia quæcunque sunt aut non sunt,aut ex necessitate sunt,præter temporis præsentis nuncupationem, aut ex necessitate non sunt, nulla mentione præsentis temporis facta. Quare non est, inquit, idem temporaliter necessarium esse, ut est mihi cum sedeo, et simpliciter ex necessitate esse, ut homini mortalitas, nec idem est, cum non est necessario non esse, ut mihi cum non sedeo non inest sedere,et quod simpliciter ex necessitate non habeo,ut tres oculos vel immortalitatem,atque hoc est quod ait,similiter autem et in eo quod non est. Hoc autem cur dixerit sequitur,et in contradictione eadem ratio est, esse quidem vel non esse omne necesse est,et futurum esse vel non esse.Similis est, inquit,ratio in contradictionibus contingentibus,et in his quæ,cum sunt,secundum tempus necessaria sunt, simpliciter autem necessaria non sunt. Nam in futuris et in contingentibus contradictionibus,totam quidem contradictionem necesse est unam veram habere partem, alteram falsam,ut si quis affirmet cras bellum navale futurum;id ergo non est necesse: et rursus si quis neget non futurum,est quidem aut esse,aut non esse necesse,sed non est necesse esse, nec rursus necesse est non esse, sed tantum aut esse aut non esse;idcirco tota quidem contradictio, unam habebit partem veram, alteram falsam, sed non erit ipsorum una definite vera, falsa altera definite. In præteritis enim sic dicimus : Romulus Romam condidit. Romulus Romam non condidit ; una quidem vera est,altera falsa,sed in his definite vera est affirmatio,definite falsa negatio. Nam quia quod factum est,fieri ut factum non sit,non potest, ideo definite in præterito contradictio vera vel falsa est.In futuris vero propositionibus non idem est in his scilicet quæ contingentia significant ut si dicam Philoxenus cœnaturus est, Philoxenus cœnaturus non est.In tota quidem contradictione,una vera est, altera falsa,sed nullus potest dividere, ut dicat aut affirmationem constitute et definite veram esse aut negationem.Ante enim quam cœnet,indefinitum est et variabile an cœnet. Postquam vero cœnaverit præteritum definitur, igitur aut esse aut non esse aliquid in futuris contradictionibus necesse est. Ut autem unum fiat, et unum non fiat,non est necesse, in quo igitur similitudo est contingentis contradictionis et temporalis, neque simplicis necessitatis in eo scilicet, quia sicut necesse est esse quod est quando est,non tamen simpliciter necesse est esse quod est præter temporis adjectionem:ita in contradictione contingenti,affirmationem quidem vel negationem veram esse necesse est, non tamen vel affirmationem simpliciter ac definite veram,vel negationem, sed utramlibet et quam certæ veritatis constituerit eventus.

Quare quoniam similiter orationes veræ sunt,quemadmodum et res,manifestum est,quoniam quæcunque sic se habent, ut utrumlibet sint,et contraria ipsorum contingant, necesse est similiter se habere et contradictionem,quod contingit in his quæ non semper sunt,et non semper non sunt.Horum enim necesse est alteram partem contradictionis veram esse vel falsam.Non tamen hoc vel illud, sed utrumlibet, et magis quidem alteram veram,non tamen jam veram vel falsam.Quare manifestum est,quoniam non est necesse omnis affirmationis et negationis oppositarum hanc quidem veram, illam vero falsam esse.Neque enim quemadmodum in his quæ sunt,sic se res habet etiam in his quæ non sunt, possibilibus tamen esse, vel non esse, sed quemadmodum dictum est.

Habent,inquit,quamdam cognationem res,et illa quæ res ipsas propria significatione designant.Quare et oratio quæ designat atque significat rem, sic se habebit,quemadmodum res ipsa est.Ergo si res non fuerit,falsa oratio est ;si res fuerit, vera oratio est; et si vera vel falsa oratio est,erit id quod dicitur vel non erit, ut sibi res et oratio convertantur. Ergo si res constituta non est,nec definita necessitate proveniens, nec illa oratio,quæ rem ipsam designat, definitæ est veritatis.Ergo in quibus rebus possibile est non modo esse,sed etiam non esse contingere, in his affirmatio et negatio utrumlibet sese habet,et quemadmodum rem ipsam,et esse et non esse contingit,ita quoque contradictionem et veram et falsam esse indefinite proveniet. Hoc autem in quibus fiat, ipse declarat,ait enim:In his quæ non semper sunt, et non semper non sunt,sola enim sunt quæ et esse et non esse contingunt,quæ non semper sunt, status eo semper non sunt;si enim semper essent, et non rum mutari non posset, atque ideo ex necessitate essent ; si autem semper non essent, eas non esse, necesse esset.Etenim sicut ipsa natura rerum evenientium est varia,ita quoque altera pars contradictionis habet variabilem veritatem,et semper quidem vera vel falsa est, non tamen una definite, ut hoc verum sit determinate,aut illud,sed utrumlibet. Et sicut status ipse rerum mutabilis est,ita quoque veritas aut falsitas propositionum dubitabilis sit, et eveniet quidem,ut in aliquibus frequentius una sit vera,non tamen semper, et ut una rarius vera,non tamen eam falsam esse necesse sit semper, quod per hoc demonstravit quod dixit,et magis quidem veram alteram, non tantum jam semper veram vel falsam. Concludit totam de futuris contingentibus propositionibus quæstionem,et ait:Manifestum est; non necesse esse omnes affirmationes et negationes definite veras esse, sed deest definite, atque ideo subaudiendum est.Illarum enim quæ contingentes et

futuræ sunt, nunquam definite una vera est, altera falsa. Neque enim, inquit, quemadmodum in his quæ sunt, sic se habet in his quæ non sunt, possibilibus tamen esse, aut non esse, sed quemadmodum dictum est. Illa etenim quæ sunt præsentis temporis, sicut ipsorum esse definitum est, ita quoque de his definita est propositionum veritas falsitasque. Illa vero quæ non sunt quidem, possunt tamen esse, et non esse: et ita futura sunt, ut non ex necessitate proveniant, sed possunt ita esse, ut etiam possint et non esse, in his hoc modo se habebit contradictio quemadmodum dictum est. Dictum autem est quoniam esse quidem vel non esse: omne necesse est, et futurum esse vel non necesse est. Non tamen jam divise ac definite alterum eorum esse necesse est. Erant autem quatuor diversitates, ut aut utræque veræ essent, quod sustulit per hoc quod ait, utræque enim non erunt simul in talibus; aut utræque falsæ essent, quod per hoc evertit quod ait: At vero nec quoniam neutrum verum est contingit dicere; aut ut una vera definite, altera falsa definite esset, quod illa argumentatione destruxit, per quam omnia ex necessitate docuit evenire, si hoc admitteretur. Quod si res illæ minime sunt, constat unam quidem veram esse, aliam vero in contradictione mendacem; sed sicut res ipsæ mutabiliter et indefinite futuræ sunt, ita quoque enuntiationes variabili nec definita veritate et falsitate proferuntur.

LIBER SECUNDUS.

DE ENUNTIATIONIBUS INFINITIS.

Quoniam autem est affirmatio de aliquo significans aliquid, hoc autem est vel nomen vel innominatum, unum autem oportet esse, et de uno, id quod est in affirmatione, nomen autem dictum est, et innominatum prius, non homo enim nomen quidem non dico, sed nomen infinitum, unum enim significat quodammodo infinitum nomen, quemadmodum et non currit, non verbum dico, sed infinitum verbum; erit omnis affirmatio et negatio, vel ex nomine et verbo, vel ex infinito nomine et verbo. Præter verbum autem nulla affirmatio vel negatio est. Est enim vel erit, vel fuit, vel sit, vel quæcunque alia hujusmodi verba, ex his sunt quæ sunt posita. Consignificant enim tempus.

Postquam de præteriti ac præsentis, futuri etiam temporis veritate et falsitate disseruit, nunc vim simplicis et prædicative propositionis informat dicens quoniam simplex affirmatio unam rem de una significat, id est, de uno subjecto unum prædicat, subjectum autem illud aut nomen est, aut quod apud veteres quidem fuit innominatum, ab Aristotele vero infinitum nomen vocatum est; prius enim dictum est quod homo nomen esset, non homo vero innominatum quidem apud antiquos, sed nunc infinitum nomen. Quoniam igitur manifestum est unum de uno prædicare simplicem propositionem, omnis erit propositio simplex, aut ex nomine et verbo, aut ex infinito nomine et verbo. Quod autem dixit: Non homo enim nomen quidem non dico, sed infinitum nomen hujusmodi est. Nomen, inquit, omnia definita significat, non homo vero quamvis unum quodlibet eorum designare possit, quæ homines non sunt, tamen quid designet infinitum est et dubium. Nam cum multa sint quæ homines non sunt, et unum quodlibet eorum significare possit quid significet ignoratur: sicut enim non currit non est verbum simpliciter, sed infinitum verbum, ita nomina cum negatione non sunt nomina, sed infinita nomina. Erunt igitur in propositionibus subjecta aut nomina, aut infinita nomina, præter verbum autem nulla est affirmatio vel negatio planissime docuit, quæ pars orationis in simplici propositione obtineat principatum. Nam si præter verbum fieri simplex propositio non potest, constat omnem vim simplicis propositionis verba complecti. Omnis autem propositio aut esse, aut fuisse, aut futurum esse aut hujusmodi aliquid habebit. Nam qui dicit curro currens est dicit. Et qui dicit cucurrit, currens fuit proponit; et quid dicit curret, currens erit. Si ergo omnis propositio, aut esse, aut fuisse, aut futurum esse, aut aliquid hujusmodi ut sit enuntiatio, retinebit, manifestum est quod præter verbum esse non possit. Hæc enim, id est, fuit vel est, aut futurum est, verba sunt, ut ex his cognosci possit quæ sunt superius posita atque confessa, cum diceremus verba esse quæ consignificarent tempus. Etenim est, et fuit, et cætera significationem temporis secum trahunt.

Quare prima erit affirmatio et negatio, est homo, non est homo, deinde est non homo, non est non homo. Rursus, est omnis homo, non est omnis homo, est omnis non homo, non est omnis non homo. Et in extrinsecus temporibus eadem est ratio.

Simplicium exempla propositionum apposuit, simplices autem supra diximus esse propositiones quæ duobus terminis jungerentur. Quare quoniam omne definitum prius est infinito nomine, et non homo non est nomen, sed infinitum nomen, homo vero finitum recte priores eas propositiones quæ ex definito sunt nomine in eorum pronuntiavit exemplis; ait enim, Quare prima est affirmatio et negatio, est homo, non est homo. Deinde infiniti nominis affirmationes et negationes subjunxit dicens, Est non homo, non est non homo. Et post hæc, universalitatem jungens, easdem rursus iterat propositiones Et prius illas proponit quæ ex finito nomine sunt; secundo vero loco eas quæ ex infinito nomine proponuntur, unde fit ut illud intelligere necesse sit, illas quantitates quæ universales et particulares determinant, in terminis non haberi. Nam cum duorum terminorum propositio sola simplex sit, inter simplices hujusmodi numerat propositionem quæ dicit est omnis homo, cum tres sint partes orationis, quare determinationes non numerantur in terminis. Eodem modo dicit eademque ratione in extrinsecus temporibus simplices fieri propositiones, ut est, fuit homo, non fuit homo,

fuit non homo,non fuit non homo.Et in aliis quoque temporibus idem modus est.Extrinsecus vero tempora vocat quæ sunt præter præsens,id est præteritum et futurum;sed hic de his solis propositionibus locutus est quæ unum subjectum habent, alterum prædicatum. Nunc de his loquetur quæ unum habent subjectum,duo prædicata.An vero hæ quoque simplices sint,in secundæ editionis expositione dicendum est. Nunc vero præter demonstrationem, esse simplices intelligamus.

Quando autem est tertium,adjacens prædicatur,dupliciter tunc dicuntur oppositiones.Dico autem, ut est justus homo est, tertium dico adjacere nomen vel verbum in affirmatione.Quare quatuor erunt istæ quarum duæ quidem ad affirmationem et negationem se habebunt secundum consequentiam,ut privationes,duæ vero minime.Dico autem quoniam est, aut justo adjecebit, aut non justo,quare etiam negatio. Quatuor ergo erunt.Intelligimus vero quod dicitur ex his quæ subscripta sunt. Est justus homo.Hujus negatio : Non est justus homo.Est non justus homo. Hujus negatio, non est non justus homo.Est enim hoc loco et non est justo et non justo adjacet.Hæc igitur,quemadmodum in resolutoriis dictum est,sic sunt disposita.Similiter autem se habent;et si universalis nominis sit affirmatio, ut omnis est homo justus, negatio, non omnis est homo justus.Omnis est homo non justus, non omnis est homo non justus. Sed non similiter angulares contingit veras esse. Contingit autem aliquando.

Unum subjectum et duo prædicata,quemadmodum possint esse in propositione commemorat. Si enim hoc modo sit,ut dicamus est justus homo,est et justus prædicatum, homo vero subjectum est. Nunc enim non illud aspiciamus,quid prius,quid posterius dictum est,sed quoniam universalius est justum esse quam hominem,potest enim justus esse et qui homo non est,ut Deus, et rursus potest esse simpliciter, et quod homo non est,idcirco est atque justus quamquam primo dicantur in eo quod est,est justus homo, tamen quoniam universaliora sunt, non de his homo,sed hæc de homine prædicantur,et his homo subjectus est.Ex his igitur duplicem fieri oppositionem dicit,et quatuor propositiones,quarum subter exempla subjecit addens: Dico autem quoniam est aut justo adjacebit,aut non justo. Si quis enim dicat faciens duas affirmationes, est justus homo,est non justus homo,hæc,cum duæ affirmationes sint,duas habebunt negationes.Nam si verbum est in hac propositione quæ dicit,est justus homo, ad justum posuimus. Et in hac rursus propositione quæ dicit, est non justus homo, rursus ad non justum idem est verbum junximus:quoniam negationis oppositionem effecit cum est verbo juncta negatio,id est non,manifestum est quoniam id quod dicitur non est ad justum rursus et ad non justum adjugendum est, ut negationes fiant hujusmodi,non est justus homo,non est non justus homo.Recte igitur dixit:Quare si est justo et non justo adjecebit,etiam negatio justo et non justo adjacebit.Sunt autem propositiones quas dicit quatuor hæ, est justus homo: in hac affirmatione ad justum verbum est adjunximus; hujus est negatio,non est justus homo.In hac quoque negatione quæ dicit non est, ad justum rursus adjunximus.Iterum,est non justus homo.In hac,est ad non justum jungitur;hujus est negatio,non est non justus homo:etiam in hac quoque negatione quæ dicit, non est,ad non justum ponitur.Quod vero ait : Dico autem,ut est justus homo,est tertium adjacere his nomen vel verbum in affirmatione,hujusmodi est. Tertium,inquit, dico, id est, adjacere verbum est. Homo enim et justus duo sunt,quibus adjicitur verbum est.Idcirco autem dixit nomen vel verbum,quia superius quoque docuit ipsa verba nomina esse,eo scilicet loco ubi ait,Ipsa quidem verba secundum se dicta nomina sunt. Quod autem sequitur continet difficillimum sensum,quem ipse solita brevitate perstrinxit. In medio namque totius sensus addidit : Quare idcirco quatuor istæ erunt, quarum duæ ad affirmationem et negationem sese habebunt ad consequentiam,ut privationes,duæ vero minime.Hujus sententiæ multiplex expositio ab Alexandro et Porphyrio, Aspasio quoque et Hermino proditur, in quibus quid excellentissimus expositorum Porphyrius dixerit,alias dicemus.Quoniam vero simplicior explanatio Alexandri esse videtur,eam nunc pro brevitate subjecimus. Privatoriæ propositiones sunt quæcunque prædicant privationem.Privatio autem est,ut si quis dicat injustus, privat enim hominem justitia. Ergo affirmatio privatoria est quæ dicit, homo est injustus.Negatio rursus privatoria est,non est homo injustus. Sed neque illa in significatione plena affirmatio est (aliquid enim tollit), sed privatoria affirmatio,quoniam formam quidem affirmationis tenet,sed privationem prædicat,et aliquid ab eo cui privationem copulat abjungit,ut in propositione est injustus homo,ab homine justitiam.Nec his rursus pura negatio est.Fugans enim privationem, ut in ea quæ est,non est homo injustus,habitum retinet,id est justitiam. Sed quoniam quod affirmatio prædicabat, hoc aufert negatio, licet habeat talis negatio,quasi reponendi habitus significationem,tamen quia ipsa privationem subtrahit,privatoria negatio nominatur. Ergo nunc hoc dicit : Cum sint, inquit,quatuor propositiones,quarum duæ ex finitis nominibus sunt, ut est justus homo, non est justus homo, duæ ex infinitis nominibus, ut est non justus homo, non est non justus homo, duæ, inquit, hæ quarum una affirmatio est, habens infinitum nomen, ut est non justus homo, et una negatio habens rursus infinitum nomen,ut non est non justus homo, sic se habent ad affirmationem et negationem,id est,eamdem formam retinent affirmationis et negationis,et similes sunt ad affirmandum aliquid vel negandum his quæ sunt privatoriæ. Nam quemadmodum privatoria quæ dicit est injustus homo non solum affirmatio est, sed privatoria affirmatio, ita quoque ea quæ dicit est non justus homo non solum est affirmatio, sed cum infinito

nomine, et cum aliqua privatione affirmatio. Idem enim valet ad intelligentiam quod dicitur injustus, tanquam si dicatur non justus. Et rursus quemadmodum non est injustus homo, non est solum negatio sed privatoria negatio, quoniam quamquam det habitum, tamen privationem negat, ita quoque et ea quæ est ex infinitio nomine, non est non justus homo, non solum est negatio, sed ex infinito facta nomine, infinitum negans. Quia igitur infinitum negat, et subjectum infinito negando privat, privatoriæ similis est. Nam si idem valet injustum esse quod non justum, idem valebit non esse injustum quod non esse non justum. Igitur hæ duæ quæ infinitum nomen habent, quantum ad speciem formamque affirmationis et negationis similiter se habent his quæ sunt privatoriæ affirmationes. Duæ vero illæ quæ simplex definitumque prædicant nomen, ab omni similitudine privationum seclusæ sunt. Nihil enim similis est illa quæ dicit, est justus homo, ei quæ dicit, est injustus homo, cum utræque sint affirmationes, sed illa est simplex, illa privatoria. At vero ea quæ dicit, non est justus homo, ad eam quæ dicit, non est injustus homo, nulla rationis similitudine conjungitur, cum sint utræque negationes; sed illa est simplex, illa privatoria: quare quæ ex infinito nomine sunt, similiter sese habent quemadmodum privationes, similis namque affirmatio est ea quæ dicit, est non justus homo, ei quæ dicit, est injustus homo. Et rursus ea quæ dicit, non est non justus homo, ei quæ dicit, non est injustus homo, privationes vero simplicibus propositionibus et his quæ ex finitis nominibus fiunt, non conjunguntur. Neque enim quisquam dixerit eam quæ dicit, est justus homo, esse comparem ei quæ dicit, est injustus homo, nec vero eam quæ dicit, non est justus homo, posse aliquid comparari cum ea quæ dicit, non est injustus homo. Recte ergo dictum est de his quatuor propositionibus duas ad affirmationem et negationem ita se habere, ut sunt privationes; duas vero esse simplices, et præter aliquam privationum similitudinem. Quod autem ait ad consequentiam, tanquam si dixisset ad similitudinem, ita debet intelligi. Quæ enim sibi sunt similia, a se quodammodo non recedunt et se invicem consequuntur. Describuntur ergo duæ prius simplices propositiones, post has duæ privatoriæ, postremo quæ infinitis nominibus constant, ut affirmationes sub affirmationibus, negationes sub negationibus constituantur.

Affirmatio.	Est justus homo.	Non est justus homo.	Negatio.
Affirmatio.	Est injustus homo.	Non est injustus homo.	Negatio
Affirmatio.	Est non justus homo.	Non est non justus homo.	Negatio.

Sed hæ, inquit, ita sunt dispositæ eamdemque ad se similitudinem gerunt, quemadmodum in Analyticis id est resolutoriis, dictum est. Scripsit autem duos resolutorios libros de Syllogismo. In quorum primo de propositionum ex finito nomine et infinito consequentia disseruit. Est vero similitudo affirmativæ quidem simplicis ex finito nomine, et negativæ ejus quæ habet infinitum nomen. Namque ea quæ dicit; est justus homo, affirmatio, ei quæ dicit, non est non justus homo, negationi similis est. Negatio quoque simplex finiti nominis, affirmationi infiniti nominis convenit. Ea enim quæ dicit, non est justus homo, similis est ei quæ dicit, est non justus homo. Sed quemadmodum istæ sibi sint similes, et quomodo in consequentia proprium teneant ordinem, nunc quidem exsequi distulimus, paulisper tamen describantur, ut earum quædam proprietas ostendatur. Sit enim affirmatio finiti nominis, et sub ea negatio nominis infiniti. Sit item negatio finiti nominis, et sub ea affirmatio nominis infiniti.

Affirmatio. Est justus homo. Non est justus homo. Negatio.



Negatio. Non est non justus homo. Est non justus homo. Affirmatio.

In hac igitur descriptione negatio ex infinito nomine sub affirmatione finiti nominis ponitur, et rursus affirmatio infiniti nominis sub negatione finiti, quarum angulares, quoniam sunt indefinitæ, omnes simul in omnibus veræ esse possunt, nisi in his tantum quæ aut naturaliter insunt, aut naturaliter inesse non possunt, ut si quis dicat, est homo animal, nunquam cum hac vera esse potest: illa quæ dicit, est homo non animal, quæ est angularis, idcirco quoniam animal naturaliter in substantia hominis perspicitur inhærere. Rursus si quis dicat, est homo lapis, est homo non lapis, ne hæc quidem simul veræ esse possunt idcirco quod lapidem inesse homini naturaliter impossibile est. Quod si hujusmodi sunt quæ non insint naturaliter, sed inesse possint, ut in his quæ supra posuimus exemplis, angulares veræ sunt semper. Potest enim vera esse et ea quæ dicit, est justus homo, et ea quæ dicit, est non justus homo. Rursus potest vera esse quæ dicit, non est justus homo, si hoc de Sylla dicatur, et ea quæ dicit, non est non justus homo, si hoc de Catone prædicetur. In his igitur quæ sunt indefinitæ, si ea quæ prædicantur naturaliter non insunt, sed ea inesse possibile est, semper angulares simul veras esse contingit. Quod si hujusmodi propositiones cum definitione ponamus ita dicendum est: est omnis homo justus, hujus negatio, non est omnis homo justus. Rursus, est omnis homo non justus, hujus negatio, non est omnis homo non justus, quæ disponantur hoc modo, ut negatio sub affirmatione sit, et sub negatione affirmatio.

Affirmatio. Est omnis homo justus. Non est omnis homo justus. Negatio.



Negatio. Non est omnis homo non justus. Est omnis homo. Affirmatio. non justus.

In his ergo quamdam dissimilitudinem monstrat. Nam in indefinitis si ea quæ prædicantur naturaliter non inessent,esse tamen in subjectis possent,semper angulares simul veras esse sine dubio contingebat.Nam et affirmationes affirmationibus et negationes negationibus conveniebant. In his autem quæ cum diffinitione quantitatis dicuntur,non idem modus est. Affirmationes enim affirmationibus nulla ratione junguntur.Nam si vera sit ea quæ dicit,est omnis homo justus,nunquam vera esse potest ea quæ dicit,et omnis homo non justus,quæ est angularis,et hoc discrepare in nullo reperietur exemplo.Negatione autem particulares, quæ sunt sibi angulares, simul veras esse contingit.Potest enim verum esse in his quæ naturaliter non sunt,et possibilia sunt inesse, ut negatio particulari negationi particulari ei quæ est angularis conveniat,ut ea quæ est,non est omnis homo justus,ei quæ est augularis conveniat,non est omnis homo non justus,sed hoc dissimiliter quam in indefinitis. Nam in illis et ea quæ dicit,est justus homo,ei quæ dicit, est non justus homo, angulari scilicet, conveniebat. Rursus ea quæ dicit, non est non justus homo,ei quæ est,non est justus homo, angulariter positæ congruebat.In his autem, id est secundum quantitatem definitis,affirmationes quidem duæ universales, quæ sunt, est omnis homo justus,et est omnis homo non justus,nunquam simul veræ esse possunt,angulares autem negationes quæ particulares sunt, id est, non est omnis homo justus,et non est omnis homo non justus,in his quæ et esse et non esse possibilia sunt,simul veræ sunt. Non ergo similiter in his quæ sunt definitæ,angulares sibimet congruunt,ut in his quæ definitæ sunt. Quod per hoc demonstrat quod ait : Sed non similiter angulares contingit veras esse.In illis enim sibimet utræque consentiunt angulares,in his autem angulares quidem affirmativas nunquam simul veras esse contingit.Alias vero angulares quæ sunt particulares negationes contingit aliquando. Hoc enim ipsius declarant verba dicentis : Sed non similiter angulares, contingit veras esse.Contingit autem aliquando.Non similiter quidem contingit veras esse, idcirco quod affirmationes universales, angulares veræ nunquan sunt,quod in his quæ indefinitæ sunt, contingebat. Contingere autem aliquando dixit,cum angularium,quæ sunt particulares negationes,facimus comparationem,si ea quæ prædicantur non sint naturalia subjectis,sed tamen inesse possibilia.

Hæ igitur duæ oppositæ sunt, aliæ autem ad id quod est non homo,quasi subjectum aliquod additum : ut,est justus non homo,non est justus non homo. Est non justus non homo, non est non justus non homo. Magis autem plures his non sunt oppositiones,hæ autem extra illa ipsæ secundum se erunt ut nomine utentes eo quod est non homo.

Alias nobis rursus esse propositiones ostendit, quarum aliis quidem nos prædicatum,sed subjectum infinitum sit, aliis utrumque. Si quis enim dicat,est justus non homo,quoniam non homo subjectum est, et est infinitum nomen,vocatur propositio facta ex infinito subjecto :idem est et in negatione quæ est, non est justus non homo.At vero sunt aliæ propositiones quæ et ex prædicato et ex subjecto infinitis esse videantur, ut est cum dicimus, est non justus non homo,non est non justus non homo.In his enim non justus prædicatum est, non homo subjectum. Sed utraque sunt infinita ;unde fit ut in his propositionibus in quibus est verbum tertium prædicatum, magis plures propositiones quam hæ quæ dictæ sunt inveniri non possint.Aut enim ex utrisque erit finitis, prædicato scilicet et subjecto,ut est homo justus,non est homo justus ; aut solum prædicatum habebit infinitum,ut est non justus homo, non est non justus homo;aut prædicatum quidem finitum erit,infinitum vero subjectum,ut est justus non homo non est justus non homo;aut et prædicatum et subjectum infinita proponuntur, ut est non justus non homo, non est non justus non homo ; ultra autem propositiones,in quibus est verbum tertium prædicatum sit inveniri non possunt.Sed hæ quæ subjectum infinitum habent, vel utrumque infinitur, præter illas superiores sunt,quæ aut prædicatum infinitum habent,aut utraque finita,atque ideo extra illas esse dicuntur,et nullam ad eas consequentiam servant, et est ita positum in ea propositione quæ dicit,est justus non homo, nomen infinitum quod est non homo,tanquam si finitum nomen aliquod poneretur. Atque hoc est quod ait,Ut nomine utentes non homo Ita enim infinitum nomen positum est,tanquam si finitum nomen esset positum,nominis enim locum tenet ;quanquam etiam cum ita positum sit,nihilominus tamen nomen sit :infinitum enim nomen licet simpliciter nomen non sit,tamen cum infinito junctum nomen est.

In his vero in quibus est non convenit,ut eo quod est currere,vel ambulare,idem facit sic positum, ac si est adderetur,ut,Currit omnis homo,non currit omnis homo. Currit omnis non homo,non currit omnis non homo.Non enim dicendum est non omnis homo,sed non negationem ad id quod est homo addendum est.Omnis enim non universale significat,sed quoniam universaliter. Manifestum est autem ex eo quod est:Currit homo,non currit homo. Currit non homo, non currit non. Hæc enim ab illis differunt,eo quod universaliter non sunt.Quare omnis vel nullus, nihil consignificat aliud, nisi quod universaliter de nomine,vel affirmationem,vel negationem.Ergo et cætera eadem oportet opponi.

Sunt,inquit, quædam propositiones,quæ cum est prædicantur. Aliæ vero quas cum est verbo prædicare non possumus,ut in eo quod dicimus homo ambulat,homo currit. Sed in his nihil differt an ita quis dicat,ut dicitur, id est homo currit, et homo ambulat,an cum est verbo eas prædicet,idem namque est dicere, homo currit et homo ambulat,tanquam si dicatur,homo currens est,homo ambulans est. Quocirca nihil differt in hujusmodi propositionibus utrum cum est verbo,an præter est adjuncto verbi actu proponatur.Idem quoque est etiam in universalibus.Nam cum dicimus omnis homo currit om-

nis homo non currit, et rursus omnis non homo currit, omnis non homo non currit, idem est tanquam si dicamus, omnis homo currens est,et omnis homo currens non est, et rursus omnis non homo currens est, omnis non homo currens non est. Docet autem illud quoque multum differre an ad positum terminum jungatur negatio,an certe ad determinationem: nam si ad subjectum terminum dicitur, fit nomen infinitum, ut est omnis non homo currit,si ad determinationem fit negatio, ut est non omnis homo currit ; unde fit ut si non ad determinationem universalem, sed ad rem ac terminum negatio ponatur, sit infinitum nomen, ut est non homo. Quod si non ad rem universalem, sed ad determinationem universalem, negatio est: cum enim dicimus,non omnis,omnis quidem universale non est,sed consignificat quoniam illud de quo dicitur universaliter dicitur, ut cum dicimus, omnis homo, homo quidem ipsum universale est, omnis vero non est quidem universale, sed consignificat, quoniam res universalis,id est homo,universaliter dicta est ; ergo quoties ad determinationem quæ rem quamlibet universalem universaliter dictam demonstrat,negatio ponitur,non nomen infinitum,sed negationem constituit,atque hoc est quod ait: Non enim dicendum est, non omnis homo,sed non negationem ad id quod est homo addendum est, omnis enim non universale signat, sed quoniam universaliter.Ipsum enim omnis non est universalis terminus,nec omnino terminus, sed universali prædicato additum, facit illud universaliter enuntiari, probat autem hos non esse universales terminos, sed tantum determinationes universaliter consignificantes hoc modo :Cum enim dicimus, currit homo, non currit homo, currit non homo,non currit non homo,universalia quidem subjecta sunt in his propositionibus, sed non universaliter prædicantur. Distant autem hæ ab his propositionibus in quibus sic dicimus: Omnis homo currit, nullus homo currit,eo quod istæ quidem universale universaliter prædicant,illæ vero universale non universaliter. Manifestum est ergo quoniam omnis et nullus non sunt universalia, sed id quod universale prædicatur faciunt ut universaliter enuntietur.Quare eadem omnia ponenda sunt, currit omnis homo, si infinitum nomen volumus facere,non dicamus currit non omnis homo,sed negationem,id est non, nomini addemus,eadem in propositione cuncta servantes, si affirmationem volumus ex infinito nomine facere.Quod si ad determinationem universalis rei negationem aptemus,fit non affirmatio nominis infiniti, sed propositionis ex nomine finito negatio.

Quoniam vero contraria est negatio ei quæ est,omne est animal justum,illa quæ significat,quoniam nullum est animal justum, hæ quidem manifestum est, quod nunquam erunt,neque vere simul,neque in eodem ipso. His vero oppositæ erunt aliquando, ut non omne animal justum est, et est aliquod animal justum.

Quoniam, inquit, hæ contrariæ sunt, simul veræ esse non possunt,neque in eodem,et possunt quidem vicissim et cum temporis diversitate esse veræ,simul autem esse non possunt, ut si quis dicat aureo quidem sæculo omnes homines fuisse justos,ferreo vero nullum hominem esse justum ; utræque veræ esse possunt,sed non eodem tempore.Hoc est enim quod ait,neque veræ simul,quod autem secutus est,neque in eodem in ipso scilicet subjecto,ut dicamus : Est omne vivens justum,si referamus ad cœlestes potestates,vera est.Nullum vivens justum est, si referamus ad equos,utræque sunt veræ,sed non in eodem ipso,illud enim in divinis,istud in equis retinet veritatem.His autem quæ sunt oppositæ, id est, particulares possunt simul esse veræ,tunc cum superiores universales sint simul falsæ. Quæ autem sunt hæ, ipse planissimo monstravit exemplo dicens : Non omne animal justum est,quod est particularis negatio, et est aliquod animal justum, quod est particularis affirmatio.

Sequuntur vero hæ,eam quidem quæ est,nullus est homo justus,illa quæ est;omnis est homo non justus. Illam vero quæ est,aliquis homo justus est, opposita, non omnis est homo non justus. Necesse est enim aliquem esse.

Ostendit superius affirmationem universalem et universalem negationem,quoniam sibi essent contrariæ, simul veras esse non posse. Nunc autem monstrat universali negationi nominis finiti,consentire universalem affirmationem nominis infiniti,et particulari affirmationi, quæ est opposita universali negationi nominis finiti,consentire eam quæ est opposita universali affirmationi nominis infiniti,scilicet particularem negationem prædicatum retinentem infinitum. Et prius describantur hoc modo :

	Negatio.	Consentaneæ.	Affirmatio.	
Oppositæ	Nullus homo justus est.		Omnis homo non justus est	Oppositæ
	Affirmatio.		Negatio.	
	Quidam homo justus est.		Non omnis homo non justus est.	
		Consentaneæ.		

Est autem universalis negatio ea quæ dicit,nullus homo justus est, huic opposita est, contradictoriæ particularis affirmatio,quidam homo justus est Rursus universalis affirmatio est infinitum habens prædicatum, ea quæ dicit, omnis homo non justus est, huic contradictoriæ particularis opponitur infinitum habens prædicatum, ea quæ dicit,non omnis homo non justus est.Hæ igitur sese perimunt,sed universalis affirmatio nominis infiniti, id est, omnis homo non justus est,sequitur negationem eam quæ dicit, nullus homo justus est. Nam si verum est nullum esse hominem justum, verum est omnem hominem esse non justum. Sed his oppositæ rursus sibiipsæ consentiunt. Nam si verum est dicere quoniam quidam homo justus est, verum est dicere non omnis homo non justus est. Si enim non omnis homo

non justus est, aliquem justum esse necesse est.

Manifestum est quoniam etiam in singularibus, si est verum interrogatum negare, quod et affirmare verum est, ut, Putasne Socrates sapiens est? Non, Socrates igitur non sapiens est. In universalibus vero non est vera quæ similiter dicitur. Vera est autem negatio, ut Putasne omnis homo sapiens est? Non. Omnis igitur homo non sapiens est, hoc enim est falsum; sed non igitur omnis homo sapiens est, vera est. Hæc enim opposita est, illa vero contraria.

Quoties aliquis, inquit, in singularibus rebus interrogat, et is qui interrogatur, negat, tunc is qui interrogat recte negationem cum singulari jungens, ex infinito nomine faciet affirmationem, ut si aliquis dicat: Putasne Socrates sapiens est? contra alius respondeat, Non, erit recta conclusio dicentis: Socrates igitur non sapiens est. Ex negatione ergo respondentis et infinito nomine non sapiens, facta est affirmatio, Socrates non sapiens est, atque hoc quidem in singularibus. Quod si hoc in universalibus fiat universaliter prædicatis, negationem potius fieri contingit quam affirmationem, ut si quis interroget: Putasne omnis homo sapiens? ille respondeat. Non, non necesse est ita concludere ut dicatur, omnis igitur homo non sapiens est, hoc enim falsum est, nec hoc evenit necessario ex interrogati responsione. Sed magis illud, non omnis homo sapiens est. Nam cum aliquis interrogat, Putasne omnis homo sapiens est, si ille neget, dicens, Non, tu concludas oportet, non omnis igitur homo sapiens est. Hoc enim ex illius responsione necesse est evenire. Sed hæc contrajacens est interrogationi, id est opposita. Interrogasti enim universalem affirmationem dicens, Putasne omnis homo animal est? respondit, Non, concludes tu particularem negationem, non omnis homo animal est, et hæc dividit verum vel falsum. Nam si contra eam interrogationem per quam universalem affirmationem interrogasti, ille neget, et tu concludas eam propositionem quæ dicit, omnis homo igitur non sapiens est, non potius contrajacentem, sed contrariam facies, hæc enim quæ dicit, omnis homo non sapiens est, consentit ei quæ dicit nullus homo sapiens est. Quare nihil differt, utrum hanc aliquis ex infinito nomine affirmationem respondeat, an ex finito nomine universalem negationem quæ cum affirmatione universali, quam interrogasti, verum falsumque non dividit. Sed illa sola concludenda sunt, in quibus unum verum est, alterum falsum. Non igitur ita debet fieri in universalibus, ut interrogata universali affirmatione, si alius negationem respondeat, universalis affirmatio ex infinito nomine concludatur, sed potius particularis negatio ex nomine finito.

Illæ vero quæ sunt contrajacentes secundum infinita nomina vel verba, ut in eo quod est, non homo, vel non justus, quasi negationes sine nomine et verbo esse videbuntur, sed non sunt: semper enim vel veram esse vel falsam necesse est negationem. Qui vero dixit non homo, non plus dicente homo, sed etiam minus, verus vel falsus fuit, si non aliquid addatur.

Cum de propositionibus ex infinitis loqueretur nominibus ipse infinita nomina sola sumpsit, et de his qualia videantur esse pertractat. Sermonum, inquit, prolationes, quæ secundum contrajacentia nomina vel verba sibi oppositæ sunt, ut in eo quod dicimus, homo, non homo; currit, non currit, quoties finitum infinito comparatur, videntur quasi quædam esse negationes. Sec ita non est, omnia namque negatio vel vera vel falsa est. Qui autem dicit non currit, et non laborat, et non homo, neque verum aliquid enuntiavit neque falsum, et fortasse minus aliquid veri vel falsi significavit, quam is qui finitum nomen ponit. Nam qui finitum nomen constituit, nihil quidem adhuc verum falsumve enuntiavit, sed quoniam quiddam finitum posuit, propinquior est hujusmodi prolatio ad veritatem, quæ aliquid finitum ponit, ea prolatione quæ aliquid infinitum. Sicut illa quæ aliquid signant propinquiora sunt ad enuntiationem faciendam his quæ nihil significant, quare in his quæ infinita sunt; minus illa veritas falsitasve perspicitur, quam in his omnibus quæ sunt finita. Ac multo magis nihil adhuc verum falsumve designat, id quod dicitur non homo, vel non currit, nisi aliquid addatur, quod enuntiationem possit efficere. Quod autem dixit, quasi negationes sine nomine et verbo esse videbuntur, idcirco addit quoniam infinita nomina vel verba, neque nomina sunt simpliciter, neque verba, et videntur non homo, et non currit, negationes esse. Quod si ita est, sine nomine et verbo, esse negationes videntur. Addidit etiam illud nihil magis de homine, sed etiam minus verus fuit vel falsus. Qui enim dicit homo, rem constituit, qui dicit non homo, ipsam quidem rem tulit, sed nihil addidit. Quocirca longe minus quiddam enuntiavit de homine, qui infinitum de homine dixit, quam qui finitum.

Significat autem, est omnis non homo justus nulli illarum idem, nec huic opposita ea quæ est, non est omnis non homo justus. Illa vero quæ est, omnis non justus non homo est, illi quæ est, nullus est justus non homo, idem significat.

Illæ propositiones in quibus infinita nomina subjecta sunt, longe aliud, inquit, significant, et non idem his propositionibus quæ vel secundum finita, vel secundum infinita prædicata dicuntur; ea enim quæ dicit, est omnis non homo justus, nihil idem significat illi quæ dicit, est omnis homo justus, vel nullus homo justus est, vel iterum, est omnis homo non justus, vel nullus homo non justus, nulli enim similis est earum, ea quæ dicit, est omnis non homo justus, nec huic opposita negatio particularis, ea quæ dicit, non est omnis non homo justus, ulli earum idem significat quæ superius descriptæ sunt, vel alicui earum quæ sunt in superius oppositæ descriptis. Illæ vero quæ ex duobus terminis infinitis constitutæ sunt, illis sunt similes, quæ universales negationes sunt habentes subjectum infinitum, ut ea quæ dicit, est omnis non justus non homo, illi idem significat, eique consentit quæ dicit, est nullus justus non homo, et prior quidem utrosque terminos retinet infinitos,

hæc vero secunda prædicatum quidem finitum, subjectum vero infinitum; et illa quidem est affirmatio ex duobus infinitis, hæc vero ex finito prædicato et subjecto infinito negatio universalis.

Transposita vero nomina et verba idem significant, ut est albus homo, est homo albus. Nam si hoc non est, ejusdem multæ erunt negationes. Sed ostensum est quod una unius est. Ejus enim quæ est, est albus homo, negatio est, non est albus homo, ejus vero quæ est, est homo albus, si non eadem est ei quæ est, est albus homo, erit negatio vel ea quæ est, non est non homo albus, vel ea quæ est, non est homo albus. Sed altera quidem est negatio ejus quæ est, est non homo albus, altera vero ejus quæ est, est albus homo. Quare erunt duæ, unius. Quoniam igitur transposita nomine et verbo eadem fit affirmatio et negatio, manifestum est. B

Quoties, inquit, nomina permutantur et verbo, eædem propositionum significationes permanent. Quoties autem negatio permutatur, non eædem, nam si quis dicat : Est non homo albus, et non est homo albus, non idem significat permutata scilicet et transposita negatione. Quoties autem dicitur, est albus homo, et rursus est homo albus, idem transposita verba nominaque significant, et erunt eædem affirmationes: nam si quis hoc negat, contingit ut unius affirmationis, duæ negationes sint. Hoc autem monstratum est superius fieri non posse, sed semper unius affirmationis unam esse negationem. Illius namque affirmationis quæ dicit, est albus homo, illa negatio est, quæ dicit, non est albus homo; illius autem quæ proponit, est homo albus, si non est eadem illi affirmationi quæ enuntiat, est albus homo, sed est ab ea diversa, sit negatio vel ea quæ dicit, non est non homo albus, vel ea quæ dicit, non est homo albus; sed illa quæ proponit, non est non homo albus, habet suam affirmationem ad quam referri debeat, eam scilicet quæ enuntiat, est non homo albus. Illa vero quæ dicit, non est homo albus, negatio est ejus quæ proponit, est homo albus. Sed si affirmationes eorum diversæ sunt, diversæ erunt etiam negationes. Si quis ergo dicat affirmationem quæ proponit, est albus homo, diversam esse ab ea, quæ enuntiat, est homo albus, illud quoque concedat necesse est ut negationes quoque ipsarum diversæ sint, est autem negatio illius quæ dicit, est albus homo, illa scilicet quæ proponit, non est albus homo. Rursus illius quæ enuntiat, est homo albus, est negatio, non est homo albus. D Quare hæ duæ negationes, non est homo albus, et non est albus homo a se diversæ sunt. Rursus cum dicimus, est albus homo, et negatur non est albus homo, si de eodem homine utræque dicantur, unam veram alteram falsam esse necesse est; ut si de Socrate dicatur, est albus homo, non est albus homo, quæ cum ita sint, necesse est ut ejus quæ ait est albus homo negatio sit ea quæ dicit non est albus homo; sed posita est quidem prius negatio quæ dicit non est albus homo ejus affirmationis esse quæ dicit est albus homo. Nunc vero monstramus illam quoque quæ dicit non est albus homo ejus affirmationis negationem esse quæ dicit est albus homo, utræque A enim verum inter se falsumque dividunt. Neque enim fieri potest ut si de uno eodemque homine dicatur, est albus homo, et non est homo albus, ut utræque sint veræ: quod si ita ut nunc sunt positæ aliquando in veritate concordant, hoc idcirco evenit quia indefinitæ sunt, non quia verbi fiunt nominibusque transpositis: quare evenit ut unius affirmationis duplex sit negatio. Quod autem diximus inferiori descriptione magis liquebit.



DE CONJUNCTIS ET DIVISIS ENUNTIATIONIBUS.

At vero unum de pluribus, vel plura de uno affirmare, vel negare, si non est unum ex pluribus, non est affirmatio una, neque negatio. Dico autem unum, non si unum nomen positum sit : non fit autem unum ex illis, ut homo est fortasse et animal, et bipes, et mansuetum; sed ex his etiam unum fit. Ex albo autem et homine, et ambulare non fit unum. Quare nec si unum aliquid de his affirmet aliquis, erit affirmatio una, sed vox quidem una, affirmationes vero multæ. Nec si de uno ista, C *sed similiter plures.*

Multa Peripateticis de discernendis propositionibus quæ essent una, quæ multæ, consideratio fuit. Atque ideo nunc hoc dicit, et si una res, inquit, de pluribus prædicetur in propositionibus vel affirmativis, vel negativis, vel rursus res plures de una iterum prædicentur, et si pluribus illis rebus unum nomen sit positum, vel una res de uno nomine plura significanti prædicetur, si ex illis omnibus rebus unum aliquid non fit, non est una affirmatio, nec una negatio: si quis enim dicat animal rationale bipes homo est, unum hominem pluribus prædicando subjecit: sed hæc sigillatim quidem dicta plura sunt, unam vero quamdam substantiam informant. Coeuntibus namque animali, rationali, et pibede fit una substantia animal rationale bipes, quod est homo. Et quanquam hæc silligatim dicta multa sint, si quis enim dicat animal, et rursus rationale, et intermisso tempore bipes, discretim multa significantia, tamen juncta in unum unam faciunt naturam, et hoc est quod ait : Ut homo est fortasse animal, et bipes, et mansuetum; sed ex his unum fit, tanquam si diceret: Homo enim plura significat, sed ita, si ea quæ significantur discerptim dicantur. Nam et animal, et bipes, et mansuetum designat. Dicimus enim hominem esse animal, et bipedem, et mansuetum; sed hæc juncta in unum corpus efficiunt unum animal mansuetum bipes, quod est homo. Quare quanquam de uno plura prædicata sint, tamen quoniam ex omni-

bus unum aliquid fit, ex hoc una est affirmatio atque negatio. Quod si duæ res tales subjectæ sint de quibus una res prædicetur, ut de his unum fieri aliquid nequeat, non est una affirmatio, nec una negatio. Si quis enim candido aliquo homine ambulante dicat, album et ambulans homo est, album et ambulare in unam naturam non conveniunt, nec fit ex utrisque aliquid unum, ita ut alicujus hæc duo juncta substantiam forment. Quare sive affirmentur, sive negentur, sive subjecta sint, sive prædicata, non erit una affirmatio, nec una negatio, sed vox quidem una est. Tot autem in ea sunt affirmationes et negationes, quot termini sunt positi ex quibus unum non fit, sive autem de pluribus unum prædicetur, sive plura de uno prædicentur, idem modus est, ut si quis dicat, homo animal rationale bipes est, quoniam ex his unum quiddam fit, una est propositio. Sin vero quis ducat, homo albus ambulans est, quoniam ex his nihil unum fit, non est una propositio. Amplius quoque si de pluribus rebus unum nomen sit positum, ex quibus conjunctis nulla una natura sit, et de illo uno nomine unum quodlibet aliud prædicetur, non est una affirmatio, nec una negatio. Marinus namque et hic latrabilis uno vocabulo canes vocantur. Si quis igitur dicat, canis animal est, quoniam ex his quæ significat canis in unum junctis nihil unum efficitur (ex cane enim et latrabili et marino junctis nulla una substantia est), illa propositio multiplex est, et multa significans, et non una. Quare quemadmodum si quis hujusmodi propositiones interroget, debeat responderi, docet dicens :

Si ergo dialectica interrogatio responsionis est petitio, vel propositionis, vel alterius partis contradictionis, propositio vero unius contradictionis pars est, non erit una responsio ad hæc. Neque enim est una interrogatio, nec si sit vera. Dictum est autem de his in Topicis, simul autem manifestum est, quoniam nec hoc ipsum, quid est, dialectica interrogatio est. Oportet enim datum esse ut ex interrogatione eligat, utram velit contradictionis partem enuntiare. Sed oportet interrogantem, determinare, utrum hoc sit homo, an non hoc.

Sensus hujusmodi est, quicunque interrogat si ab arte dialectica non declinet, idcirco interrogat ut ei respondeatur. Respondeatur autem aut tota propositio, aut contradictionis particula. Si quis enim sic dicat interrogans, Animane immortalis est? Tunc respondens aut est respondebit, aut non. Hoc autem est totius contradictionis una particula. Contradictio enim est, anima immortalis, est, anima immortalis non est, ergo est, et non contradictionis sunt particulæ. Quod si quis interroget, Animane immortalis est an non ? tunc ille ita respondeat si velit totam propositionem dicens, Videtur mihi immortalis esse, vel rursus, Videtur mihi non esse immortalis. Ergo quisquis ita responsionem petit, ut illa responsionis petitio vel propositionis petitio sit, vel unius partis contradictionis. Propositio autem unius contradictionis pars est, id est, omnis affirmatio una unam habebit negationem, et in duabus propositionibus una erit contradictio. Quare quisquis plura significantem propositionem dixerit, ille non facit propositionem ad quam sit una negatio. Quocirca hujusmodi interrogationi quæ plura significat, nec si vera sit, debet esse una responsio. Si quis interroget substantiane sit canis, quanquam verum sit dicere substantia est, quoniam et latrabilis et marinus substantiæ sunt, tamen non est ad hanc una facienda responsio. Sed dicendum est de quo cane interroget, quod si ille dixerit de marino, vel rursus de latrabili, tunc cum per illius determinationem definitionemque interrogationis facta fuerit una propositio, unumque significans, adhibenda est una responsio. De his autem in Topicis dictum esse commemorat. Similiter autem manifestum est, quoniam nec hoc ipsum quid est, dialectica est interrogatio, qualis debet esse modus dialecticæ interrogationis exsequitur. Ait enim, Si quis interroget quid est animal, hæc non est dialectica interrogatio. Oportet enim per dialecticam interrogationem optionem respondenti dare, utrum affirmare velit, an negare quod dicitur, ut si quis sic interroget, Putasne bonum malo contrarium est ? tunc respondenti datur electio utrum affirmare velit an negare. Dicit enim ille, aut est, aut non est. Qui autem ita interrogat, quid est animal? nullum illi locum aut affirmationis aut negationis relinquit; quid enim dicturus est interrogante aliquo. Quid est animale? dicturus est. Non? inconveniens erit responsio. Eodem modo quoque si dicat est animal, ad causam. Sola igitur illa est dialectica interrogatio, in qua datur respondenti ex interrogatione optio utrum velit patrem contradictionis eligere, eamque enuntiare vel affirmando scilicet vel negando. Oportet enim interrogantem determinare, utrum, verbi gratia, animal homo sit, an non, ut ex illa interrogatione, quam velit partem contradictionis possit, is qui respondet eligere.

Quoniam vero hæc quidem prædicantur composita, ut unum sit omne prædicamentum eorum quæ separatim prædicantur, alia vero non, quæ differentia est. De homine enim verum est dicere et separatim animal, et separatim bipes, et hæc ut unum; et hominem, et album, et hæc ut unum. Sed non si citharædus est et bonus, est et citharædus bonus. Si enim quoniam alterutrum dicitur, et utrumque dicetur: multa inconvenientia erunt. De homine enim verum est et hominem et album dicere. Quare et omne. Rursus si album, et omne, quare erit homo albus albus, et hoc in infinitum. Et rursus musicus albus ambulans, et hæc eadem frequenter implicita in infinitum. Amplius Socrates. Socrates est, et homo, et Socrates Socrates homo. Et si homo et bipes, et homo homo bipes. Quoniam ergo si quis simpliciter dica complexiones fieri plurima inconvenientia, contingi dicere, manifestum est. Quemadmodum autem ponendum sit, nunc dicamus:

Postquam de unitate propositionis explicuit, et quid esset dialectica propositio terminavit. Nunc ad illa venit in quibus plura sæpe de uno sigillatim veraciter prædicant, quæ simul prædicata, alias vera

sunt,alias falsa.Si quis enim sic dicat: Marius malus est,fortasse verum est.Rursus : Marius dux est, et hoc verum est.Quæ conjuncta in unum nulla ratione sunt vera, velut si quis dicat : Marius malus dux est,est namque optimus dux omnium. Rursus homo animal est,verum est, et homo bipes est, verum est, et hæc juncta vera rursus sunt. Si quis enim dicat homo animal bipes est,verum est. Horum ergo qui modus sit,vel quando ea quæ singula extra prædicantur juncta,vera vel falsa sint,regulam daturus aggreditur,et sensus quidem hujusmodi est. Ordo autem sermonum talis est.Quoniam vera, inquit, quædam sunt, quæ ita conjuncta de aliquo prædicantur,ut eorum prædicamentum unum sit,et in unum congruat forma eorum quæ extra vere poterant prædicari,ut in eo quod est animal bipes de homine juncta compositaque dicuntur, et fit una quodammodo prædicatio: cum animal et bipes extra sigillatim valeant prædicari, dicimus enim homo animal est,et rursus homo bipes est,alia vero quæ non sunt eo modo,quæ sigillatim quidem prædicari verum est,composita vero falsum, sed quæ horum differentia est,vel quando illud,quando hoc eveniat, dicendum est, et hoc docet exemplis. De homine enim, inquit, verum est dicere extra animal, extra bipes, et ut unum, ut de eo dicatur, animal bipes. Rursum quemlibet hominem, ut Socratem possumus dicere, ille homo albus est, rursus ille homo homo est,et hæc ut unum juncta dicentes: ille homo homo albus est. Sed aliquoties evenit ut aliquis homo citharœdus sit quidem et imperitus.Bonus autem homo,et si de ipso dicatur quoniam est citharœdus,verum est,et quia bonus est hoc quoque verum est.Sed non et si citharœdus est et bonus,idcirco jam bonus est etiam citharœdus,fortasse enim est imperitissimus, homo autem bonus. Si enim quoniam alterutrum dicitur,et utrumque dicetur, multa inconvenientia erunt.Si quis enim sit qui dicat,omnia quæcunque sigillatim vere dicuntur,ea juncta etiam vere possunt dici,multa inconvenientia et impossibilia contingunt.Hoc est enim quod ait.Si enim quoniam alterutrum dicitur,et utrumque dicitur: si enim aliquis dicat quoniam alterutrum extra vere dicitur, et utrumque simul vere semper posse dici, multa sunt impossibilia quæ contingunt; quæ autem sint impossibilia quæ contingunt,hæc sunt. De homine enim possumus dicere quoniam homo est,et rursus possumus dicere quoniam albus est ; dicimus igitur et simul de homine, homo albus est. Rursus de homine albo possumus dicere quoniam homo est, possumus dicere quoniam albus est ; igitur et hæc juncta dicuntur,homo homo albus albus est.Nam si verum est dicere de homine quoniam homo est, et de albo quoniam albus est, et omne hoc vere dici potest,id est homo homo albus albus est.Et si de hoc iterum homine albo,verum est dicere quoniam albus est,et verum est de eo album prædicare, et rursus de homine prædicare album verum est ; erit ergo homo albus albus,et rursus de hoc homine album prædicare verum est, erit igitur tertio homo albus albus albus, et hoc in infinitum progreditur.Et rursus si verum est dicere de homine quoniam musicus est,et rursus quoniam albus est, et quoniam ambulans est,et hæc rursus in unum dicuntur, quoniam homo musicus albus ambulans est.Rursus qui musicus albus ambulans est,et albus est et ambulans est, et musicus est. Dicuntur hæc igitur rursus simul homo albus albus musicus musicus, ambulans ambulans est,et hæc assidue complexa eadem faciunt superfluam locutionem.Nec non in singularibus quod idem evenit.Si enim Socrates et Socrates est et homo,erit Socrates Socrates homo, et si Socrates Socrates est et homo et bipes, erit Socrates Socrates homo bipes ; et rursus si hic idem bipes est et homo, erit Socrates Socrates homo homo bipes bipes.Quæ omnia quam sint inconvenientia nullus ignorat.Non igitur dicendum est quoniam omnia quæcunque sigillatim prædicantur,eadem juncta semper potuerunt prædicari, ergo quæ juncta vere dici possunt, et quæ falso, eorum quæ sigillatim atque extra ante vere dicuntur, exponit. Hoc enim solum hactenus demonstratum est quoniam si quis simpliciter et omni modo fieri complexiones dicat, multa inconvenientia evenire necesse est.Quemadmodum autem fiant complexiones, ponendum atque tractandum est.

Eorum, igitur quæ prædicantur,et de quibus prædicantur,quæcunque secundum accidens dicuntur vel de eodem,vel alterum de altero, hæc non erunt unum, ut homo albus est et musicus. Sed non est idem album et musicum,accidentia enim utraque eidem,nec si album musicum verum est dicere,tamen erit album musicum unum aliquid.Secundum accidens enim album musicum dicitur.Quare non erit album musicum unum aliquid. Quocirca nec citharœdus bonus simpliciter, sed animal bipes. Non enim sunt secundum accidens.

In his, inquit, quæ prædicantur, et de his de quibus illa ipsa prædicantur, duplex ratio est.Aut enim duo accidentia de uno subjecto dicuntur,ut Marius malus est,Marius dux est; aut unum accidens de uno subjecto prædicantur, aliud vero accidens de illo prædicato accidenti prædicatur, ut si quis dicat : Cicero est calvus,calvus orator est.Hic enim calvus de subjecto Cicerone, orator de calvo prædicatur. Hoc est enim quod ait : Quæcunque secundum accidens dicuntur, vel de eodem, vel alterum de altero de eodem, ut si qua duo accidentia de uno prædicentur ; alterum de altero, ut si unum accidens de altero accidenti dicatur, ut ipsum accidens de quo dicitur de altero rursus subjecto prædicetur. Quod si ita fiat prædicatio, in unum jungi accidentia copulariique non possunt ; etenim si quis sic dicat,homo albus est, homo musicus est, hæc juncta simul unum non faciunt,ut est musicus albus,vel si rursus musicum prædicetur de albo, ut album de homine prædicetur et dicatur, ut illud album musicum, est non idem est album musicum,nec in unam substantiam coeunt quæcunque vere prædicari possunt sigillatim : idcirco enim hæc de se invicem videntur

posse prædicari quia de uno eodemque subjecto prædicantur, non quod ex his unum aliquid fiat, accidentia enim sunt utraque. Quare non erit album musicum : sed quoniam homo albus idem musicus est, per id quod utraque uni accidunt per accidens album de musico prædicatur. Nec rursus si citharædus est et bonus, idcirco jam bonus dici poterit citharædus, neque enim bonus et citharædus talia sunt ut ex his unum fieri possit. Sed quoniam utraque eidem accidunt, idcirco de se secundum accidens prædicantur. Sed magis fortasse possumus dicere : Homo animal est, homo bipes est, ut hæc juncta dicamus, animal bipes, et his junctis secundum substantiam non secundum accidens est facta prædicatio.

Amplius nec quæcunque insunt in altero. Quare neque album frequenter, neque homo, homo animal est vel bipes, sunt enim in homine bipes et animal.

Quæcunque sigillatim secundum accidens prædicamus ea simul prædicari non posse monstravit. Nunc autem illud etiam docet, quoniam illa quoque quæ substantialiter prædicantur, non semper simul juncta prædicentur, et hæc ratio et accidentibus convenit et substantialibus rebus. Quoties enim inest prædicato aliquid, et nos illud extra volumus prædicare, et in unum rursus duo prædicata conjungere, tunc fit incongrua prædicatio; et hæc aliquoties quidem in ipsa hominum prolatione perspicitur, aliquoties vero invenitur in intellectu, atque in termini continentia. Si quis enim sit homo albus, et de eo dicatur, verbi gratia : Callias homo albus est, et rursus de eo dicatur, Callias albus est, si quis id velit adjungere, inconvenientissime prædicabitur. Dicit enim : Callias homo albus albus est, idcirco quoniam albus in homine albo continebatur, quod ante de Callia prædicatum est. Atque hoc est quod ait : Quare neque album frequenter. Alia vero sunt quæ hoc in prolatione non habent, sed in natura, si quis enim sic dicat : Socrates Socrates est, et rursus Socrates homo est, et hæc simul jungat, ut dicat Socrates Socrates homo est, non recte fecerit prædicationem. Nam homo in Socrate inerat, et rursus homo de Socrate prædicatum est. Talis est ergo qui hæc juncta, id est, Socratem et hominem, voluerit prædicare de Socrate, tanquam si dicat Socrates homo homo est. Nam in Socrate inest hominis natura. Vel rursus si de aliquo homine, velit aliquis hominem prædicare, et rursus animal, et dicat, homo, homo est, et animal. Homo enim idem est quod animal ; ergo qui hæc duo juncta componit, nihil differt quam si dicat, homo animal animal est Homo namque animal est. Eodem modo et si de aliquo homine hominem prædicet aliquis, et rursus bipedem, atque hæc juncta velit dicere, incongruam faciet prædicationem. Nihil enim aliud dicit, qui dixerit, homo homo bipes est, quam si dicat, homo bipes bipes est, etenim homo bipes est. Quare neque ea quæ in ipsa prolatione in altero insunt cum extra prædicantur recte junguntur, nec ea quæ in prolatione quidem non sunt, sed tantum in natura atque substantia.

A Quod si nec accidentia sint, nec alterum in altero, et ea sigillatim prædicentur, recte juncta prædicantur; si quis enim dicat de homine quoniam animal est, verum dixerit, et rursus quoniam bipes, verum hoc quoque dixerit. Hæc si jungat, faciet, homo est animal bipes, hic recte prædicatur. Nam neque accidentia dicuntur, nec alterum alteri inest. Non enim sumitur in definitione animalis bipes, ac per hoc non inest illi substantialiter. Illa autem sola aliquibus insunt substantialiter quæcunque in eorum definitione sumuntur, ut in definitione hominis sumitur animal, et in definitione rursus hominis sumitur bipes: inest ergo et bipes in homine. Quare illa sola sigillatim prædicata recte juncta prædicantur, quæ neque accidentia sunt, nec alterum in altero est, vel B prolatione vel natura: idque fiet manifestum, si eorum alterius definitio sumatur, velut si quæratur an de homine homo et bipes prædicari simul possint, diffiniendus est homo, et si in hominis definitione bipes incurrerit, dicendum est bipes inesse homini, et utrumque junctum de homine non posse prædicari, quia cum dixeris homo homo bipes, tale est quasi dicas, homo bipes bipes, quod est incongruum.

Verum est autem dicere de aliquo et simpliciter, ut quemdam hominem hominem, aut quemdam album hominem hominem album.

Dudum quæsivit utrum omnia quæ sigillatim vere prædicantur ea juncta veraciter dicerentur. Nunc autem considerat atque perpendit utrum omnia quæcunque simul vere dicuntur, et simpliciter veræ præ- C dicentur. Dicimus enim Socratem quemdam hominem esse, et rursus simpliciter dicimus Socratem hominem esse. Rursus dicimus, verbi gratia, Calliam album hominem esse, et de eo album simpliciter prædicamus, dicimus enim, Callias albus est. Quærit ergo utrum hoc in omnibus esse videatur, ut quæcunque verum est juncta prædicare, eadem quoque verum sit simpliciter dicere ; sed hoc non in omnibus eveniet. Nam si qua hujusmodi sit prædicatio, in qua aliquid oppositum addatur ipsi prædicationi, præter illud oppositum, simpliciter illa prædicatio non potest prædicari, ut si quis dicat de Socrate jam mortuo, quoniam hoc quod jacet, homo mortuus est, vere dicit, simpliciter autem dicere non potest, hoc quod jacet homo est. Idcirco quoniam additum est prædicato, id est homini, id quod D homini oppositum est, id est mortuus. Dictum est enim hoc quod jacet homo mortuus est. Mortuus autem et homo opposita quodammodo sunt. Nam si eorum definitiones sumamus, facile hoc perspici potest. Homo namque est animatus, mortuus vero præter animam : atque ideo quoniam quædam est oppositio secundum privationem atque habitum, hominis et mortui et utraque simul vere prædicantur, unum ipsorum, quod est homo simpliciter et præter mortuum de cadavere non potest prædicari, atque hoc est quod ait :

Non autem semper, sed quando in adjecto aliquid quidem oppositorum idest quod consequitur contradi-

ctio, non verum, sed falsum est, ut hominem mortuum, hominem dicere. Quando autem non est, verum est. Vel etiam quando inest, semper non verum est; quando vero non inest, non semper verum est, ut Homerus est aliquid, ut poeta, ergo etiam est, an non, secundum accidens enim prædicatur esse de Homero quoniam est poeta, sed non secundum se prædicatur de Homero quoniam est.

Quæ utraque, id est et prædicatum et quod additur prædicato, ex ipsa oppositione contradictio comitatur, ut quoniam homo et mortuus opposita sunt, ea quædam comitatur atque consequitur per oppositionem contradictio. Dicimus enim, qui homo est vivit, qui mortuus est non vivit; vivit autem et non vivit, quædam contradictio est. Ergo in hujusmodi prædicationibus non est verum unum simpliciter prædicari. Quando autem hujusmodi oppositioni ei quod prædicatur, non jungitur, potest simpliciter vere prædicari, sed nec hoc semper, magisque illud verius dicitur, quoniam cum ista oppositio est, nunquam verum est eorum quæ juncta vere prædicantur, simpliciter vere aliquid appellari. Cum autem ista oppositio non inest, non semper vere simpliciter prædicari eorum aliquid, quæ de aliquo vere juncta dicuntur. Si quis enim sic dicat: Homerus potea est, verum dixerit; quod si dicat: Homerus est simpliciter præter poetam, falsum est. Atqui esse et potea, non sunt opposita. Ergo non semper quando oppositio non est in prædicatis, verum est aliquid simpliciter prædicari. Cum autem oppositio inest, semper falsum est unum prædicamentorum quæ juncta dicuntur, simpliciter et præter aliud dicere. Nam cum de Homero dicimus quoniam est aliquid, id est quoniam Homerus poeta est, verum est. Nunquid etiam dicendum est per se quoniam est, an potius esse non simpliciter, sed secundum accidens de Homero prædicatum est. Non enim quia est, sed quia poeta est, et quoniam ei et poeta esse accidit. Idcirco esse quoque Homerum aliquid, id est poetam, non per se esse prædicamus; concludit igitur hoc modo:

Quare in quibuscunque prædicatis contrarietas non inest, si definitiones pro nominibus dicantur, et secundum se prædicantur, et non secundum accidens in his aliquid, et simpliciter verum erit dicere. Quod autem non est, quoniam opinabile est, non est verum dicere esse aliquid. Opinatio enim ejus est, non quoniam est, sed quoniam non est.

In quibusdam enim nominibus dictis non apparet oppositio: quod si definiantur, mox sese illa oppositio patefacit, ut in eo quod est homo et mortuus, nomina quidem ipsa opposita non sunt, sed definita inveniuntur opposita. In hujusmodi igitur oppositionibus vel quoties non secundum accidens prædicatur aliquid, ut esse de Homero secundum poetam, scilicet quod Homero accidens est, sed per se et secundum ipsum subjectum, manifestum est quoniam quidquid conjuncte vere dici potest, idem vere dicitur et simpliciter prædicatum, ut si quis dicat de aliquo homine quoniam hic homo albus est, verum fortasse dixerit, et rursus hic albus est. Hoc quoque verum est dicere, idcirco quoniam de eo non ideo album prædicavit, quia dixit illum esse hominem, sicut de Homero, idcirco esse prædicatur, quia poeta esse dicitur, sed quod per se albus est; sed hoc non secundum accidens prædicatur, sed per se. Quare recte dictum est in quibus junctis prædicationibus neque oppositio quædam inest, nec ipsa per accidens prædicatio est illa simpliciter etiam posse prædicari. Quod autem non est, quoniam opinabile est, non est verum dicere esse aliquid. Opinato enim non est, quoniam est, sed quoniam non est. Quidam volentes id quod non est, aliquo modo esse monstrare, tali utebantur syllogismo, quod est opinabile est. Concludebant quod non est igitur est, docentes ea quæ essent, scibilia potius, non opinabilia esse; quod autem non est, opinioni tantum subjacere, nulla etiam scientia claudi. Quod Aristoteles hoc modo discutit: ait enim, non idcirco est opinabile, quoniam est, sed idcirco opinabile est, quoniam non est; sed hoc quod non est, est quidem aliquid, sed est non per se, sed opinabile. Et quemadmodum Homerus quidem est quiddam, id est poeta, non tamen est per se, ita id quod non est, est quidem aliquid, id est opinabile, vel ignorabile, vel nescibile, non tamen est aliquid per se in natura.

DE ENUNTIATIONIBUS MODORUM, POSSIBILIS, CONTINGENTIS, IMPOSSIBILIS, ET NECESSARII.

His vero determinatis, perspiciendum est quemadmodum sese habent affirmationes et negationes ad se invicem, hæ scilicet quæ sunt de possibili esse et non possibili, de contingenti et non contingenti, de impossibili et necessario. Habent enim aliquas dubitationes.

Propositionum aliæ sunt quæ simpliciter proferuntur, aliæ quibus aliquis modus in enuntiatione miscetur. Si quis enim dicat: Socrates disputat, simplicem propositionem fecit; si vero aliquis dicat: Socrates bene disputat, modum propositioni quam enuntiabat adjunxit; quomodo enim disputaret apposuit, cum dixit bene. Nunc ergo hoc speculatur quemadmodum se habent affirmationes et negationes earum propositionum, quæ cum modo aliquo proferuntur, ut si quis dicat, possibile est hoc fieri, et rursus, non possibile est hoc fieri, quemadmodum sese in his affirmationis habeat negationisque natura. Similiter autem et in eo quod est impossibile esse, et in eo quod est necesse esse, et in eo quod dicitur contingere esse, et non contingere esse. Quæque horum sint affirmationes, quæve negationes, aut quam affirmationem cui negationi recte aliquis opponat: De his omnibus perspiciendum, inquit, est, quoniam ea quæ de conjunctis et simplicibus prædicationibus dicenda fuerant, terminata sunt. Nam de earum propositionum quæ cum modo proferuntur, oppositionibus, multa causatio est. Quæ autem sint dubitationes, vel quemadmodum in his oppositiones inveniendæ sunt, continua disputatione persequitur.

Nam si eorum quæ complectuntur illæ sibi invicem oppositæ sunt contradictiones, quæcunque secundum

esse et non esse disponuntur, ut ejus quæ est, esse hominem, negatio est, non esse hominem, non, esse non hominem. Et ejus quæ est, esse album hominem, negatio est ea quæ est, non esse album hominem, sed non, esse non album hominem. Si enim de omnibus aut dictio est, aut negatio, lignum erit verum dicere esse non album hominem. Quod si hæc hoc modo, et quibuscunque esse non additur, idem faciet id quod pro esse dicitur, ut ejus quæ est, ambulat homo, negatio est, non ea quæ est, ambulat non homo, sed ea quæ est, non ambulat homo. Nihil enim differt dicere hominem ambulare, vel hominem ambulantem esse. Quare si hoc modo in omnibus, et ejus quæ est, possibile est esse, negatio est, possibile est non esse, sed non ea quæ est, non possibile est esse; videtur autem idem posse esse et non esse, omne enim quod est possibile dividi vel ambulare, et non ambulare et non dividi possibile est.

Omnis propositio verborum et nominum complexione formatur; ergo propositionum quæ complectuntur, et quarum natura in complexione est, illæ solæ sunt, inquit, contradictiones. Quæcunque secundum esse et non esse ponuntur, ut in ea propositione quæ dicit, est homo, non est illa negatio hujus affirmationis quæ proponit, est non homo, sed illa potius quæ enuntiat, non est homo, ut sit affirmatio et negatio, est homo, non est homo. Illa vero quæ dicit, est non homo, non est negatio ejus quæ enuntiat, est homo, sed est afirmatio ejus negationis quæ est, non est non homo. Rursus cum dicimus, est albus homo, non est negatio illa hujus affirmationis quæ dicit, est non albus homo, sed illa potius quæ dicit, non est albus homo; hoc autem probatur sic: Necesse est enim in contradictionibus unam veram esse semper, alteram semper falsam: ergo si ejus affirmationis quæ dicit, est albus homo, negatio esset, est non albus homo, unam veram, alteram falsam esse, constaret. Nunc autem si quis de ligno dicat, est albus homo, falsum dixerit; si quis vero de ligno eodem neget dicens, est non albus homo, hoc quoque falsum est; hæc enim propositio quæ dicit, est non albus homo, hoc sentit, hominem quidem esse non tamen album, quod de ligno falsum est prædicare. Ergo et ea quæ dicit, est albus homo, et illa quæ proponit, est non albus homo, utræque aliquando falsæ sunt, ut in ligno; quare non sunt sibimet oppositæ. Igitur nec ea quæ dicit, est albus non homo, negatio est ejus quæ dicit, est albus homo; quare illa hujus negatio ponenda est, quæ dicit, non est albus homo. In his namque una semper vera est, semper altera falsa. Quod si ita est, secundum esse semper, et non esse, natura contradictionis efficitur. Nam cum dico, est homo, secundum id quod est esse fit negatio, non est homo. Et rursus cum dico, est albus homo, secundum id quod est esse rursus negatio fit, non est albus homo. Et sensus quidem totus hujusmodi est. Ipsi autem in oratione sermones propter similitudinem videntur quidem obscuri. Erit autem planius pronuntiantibus et subaudientibus sic. Nam si eorum quæ complectuntur, id est, propositionum quarum natura in complexione est, illæ sibi invicem oppositæ sunt contradictiones, quæcunque secundum esse et non esse disponuntur, ut hæ quas supra digessimus, quarumque ipse exempla proponit, ut ejus quæ est, esse hominem, negatio est, non esse hominem. Hæc enim ipsius affirmationis secundum esse, et non esse negatio est, et hic subaudiendum est, non illa negatio est, per quam dicit esse non hominem, ut sit sensus affirmationis quæ est esse hominem, negatio est non esse hominem. Non illa quæ dicit esse non hominem. Et hoc quidem de simplicibus. Rursus de his in quibus est tertium prædicatur, ejus quæ est, esse album hominem, non hic subaudiendum est, illa est negatio quæ dicit, esse non album hominem. Sed hic quoque subaudiendum est, illa quæ dixit, non esse album hominem, ut sit hic sensus: Hujus affirmationis quæ est, esse album hominem, non est illa negatio quæ dicit esse non album hominem; sed illa potius quæ proponit, non esse album hominem, et hoc approbat inductione. Si enim, inquit, de omnibus aut dictio est, id est affirmatio aut negatio vera, cum lignum falsum sit dicere esse album hominem, verum debet esse de eo dicere esse non album hominem, si hæc negatio est superioris affirmationis, sed utræque falsæ sunt. Hæc igitur non est illius affirmationis negatio. Ergo secundum esse et non esse contradictiones sibimet opponuntur. Quod si hoc modo et quantiscunque esse non additur, idem faciet quod pro esse dicitur. Sunt quædam propositiones in quibus esse non additur, sed id quod in his enuntiatur idem valet tanquam si esse poneretur, ut in ea quæ est, homo ambulat, quod dico ambulat, tale est tanquam si dicatur, homo ambulans est. Ergo in his quoque quæ non habent est verbum junctum, si negationem ad verbum illud junxero, quod pro esse positum est, talis mihi negatio redditur, qualis esset si negatio ad esse poneretur, ut in eo quod est, ambulat homo, ambulat pro esse positum est. Hujus ergo affirmationis, ambulat homo, non est negatio ea quæ dicit, ambulat non homo, sed illa potius quæ dicit, non ambulat homo. In hac enim ad id quod est ambulat negatio juncta est, quod ambulat homini pro eo quod est esse conjunctum est. Tale enim est dicere, homo ambulat, tanquam si quis dicat, est ambulans homo. Quare si hoc modo in omnibus, et ejus quæ est possible est esse, negatio est, possibile est non esse, sed non ea quæ est non possible est esse; si in omnibus, inquit, secundum esse contradictio fit, in his quoque quæ possibilia dicuntur secundum esse et non esse contradictio facienda est; in eo enim quod dicimus possibile est esse, illa erit negatio quæ dicit possibile est non esse, non illa quæ est, non possibile est esse. Nam si ei quæ est possibile est esse, illa opponatur quæ est non possibile est esse, non secundum esse et non esse oppositio facta est. Quocirca quoniam supra docuit secundum esse et non esse, fieri contradictionem, dicendum est ejus quæ est, possibile est esse, illam esse oppositionem quæ dicit, possibile est non esse. Sed aliud rursus occur-

rit, quod nos ab hac opinione dimoveat. In omnibus enim aut affirmatio vera est, aut negatio. In his enim utræque sunt veræ, nam quod possibile est esse, possibile est non esse, ut quia possibile est hominem ambulare, possibile est hominem non ambulare, et quod possibile est videri, possibile est non videri. Rursus quod possibile est secari et dividi, et non secari et non dividi possibile est. Quare utræque in eodem veræ sunt, possibile est esse et possibile est non esse. Nam quod dicimus, possibile est non esse, ita intelligendum est ut si diceremus, possibile est hodie pluviam non esse, cum si possibile ut sit. Cur autem hoc ita eveniat, ipse demonstrat, dicens :

Ratio autem est quoniam omne quod sic possibile est, non semper in actu est. Quare inerit ipsi etiam negatio; potest igitur et non ambulare quod est ambulabiles, et non videri quod est visibile. At vero impossibile est de eodem oppositas esse veras dictiones. Non igitur ejus quæ est, possibile est esse, negatio est possibile est non esse. Contingit enim ex his aut idem ipsum affirmare et negare simul de eodem, aut non secundum esse et non esse quæ opponuntur, fieri affirmationes et negationes. Si ergo illud impossibilius est, hoc erit magis eligendum.

Hoc hujusmodi est, quæcunque ita sunt possibilia ut sint actu et opere, illa nulla ratione possunt non esse, ut cœlo semper actu inest moveri. Semper enim movetur, et dicimus, possibile est cœlum moveri, idcirco quoniam cœli motus actu est, hoc est, id illi semper agitur. Movetur enim semper; in hac ergo possibilitate talis propositio non potest convenire, ut dicamus, possibile est cœlum non moveri, hoc enim impossibile est. Ergo in his quæcunque actu sunt, hæ duæ propositiones possibile est esse, possibile est non esse, nulla ratione conveniunt. In his autem quæ non semper actu sunt, et sunt possibilia esse, convenire possunt propositiones, id est, possibile est esse et possibile est non esse. Non est enim semper actu pluvia, et possibile est esse aliquando, quare possibile est eam aliquando non esse. Hæc igitur ratio est cur utræque inveniuntur veræ, quod in his possibilitatibus, quæ non semper sunt actu, et esse aliquid, et non esse contingit; quare si ejus quod est possibile est esse, negatio est ea quæ dicit, possibile est non esse, in eodem simul et affirmatio et negatio erunt veræ, et cui rei inest affirmatio, ut sit esse possibile, eidem rursus inerit negatio, ut sit possibile non esse, quare et quod ambulabile est, id est quod ambulare potest, potest non ambulare, et quod visibile est, id est quod videri potest, potest etiam non videri; sed impossibile est ut de eodem oppositæ et contrajacentes dictiones simul veræ sint. In omnibus enim aut affirmatio vera est aut negatio. Si ergo factis negationibus secundum esse et non esse, in his quæ secundum aliquem modum dicuntur, affirmatio et negatio utræque sunt veræ, quod fieri non potest, illud magis dicendum est, non faciendas secundum esse et non esse negationes, sed potius secundum modum; quod si illud est impossibilius, ut affirmatio et negatio simul veræ sint, illud magis est eligendum ut non secundum esse et non esse fiat contradictio, sed potius secundum modum. Quod autem dixit, si ergo illud impossibilius est, hoc erit magis eligendum, non sic dictum est quod utraque impossibilia sint et affirmationem et negationem veram esse, et non secundum esse, vel non esse fieri contradictionem. Illud enim, id est contradictionem simul veram esse, impossibile est. Secundum esse autem et non esse affirmationem non fieri et negationem non esse impossibile est, sed ad hoc retulit, impossibilius est, tanquam si diceret, minus possibile. Minus enim possibile est ut oppositæ in eodem propositiones veræ sint, quam ut non secundum esse et non esse negationes ponantur. Quocirca eligendum est hoc quod est possibilius, ut secundum modum potius quam secundum esse et non esse negationes fiant. Quod ipse planius exsequitur dicens :

Est igitur negatio ejus quæ est possibile esse, ea quæ est non possibile esse, et non ea quæ est possibile non esse. Eadem quoque ratio est in eo quod est contingens, etenim negatio ejus est non contingens esse.

Hæ namque simul veræ inveniri non possunt; nam si quid est possibile esse, ut idem illud impossibile sit, fieri non potest, nec hoc in solis possibilibus speculandum est, sed in omnibus quoque eadem ratio est. Nam in eo quod est contingere esse, non est illa negatio quod dicit contingere non esse. Hæc enim consentit ei quod est, contingere esse, sed illa quod proponit non contingere esse. Has enim duas simul veras inveniri impossibile est.

Et in aliis quoque simili modo, ut in necessario et impossibili. Fiunt enim quemadmodum in illis esse et non esse appositiones, subjecta vero res, hoc quidem album, illud vero homo.

Et in aliis, inquit, omnibus idem faciendum est : secundum modum enim negatio ponenda est, ut si contingens est ad contingere, si possibilis ad possibile, si impossibilis ad impossibile, si necessarium ad necessarium negatio conjungatur. Quemadmodum enim, inquit, in his quæ præter modum aliquem sunt, et aliquid esse proponunt, esse quidem et non esse appositiones quædam, id est prædicationes sunt, res vero subjectæ, ut in eo quod est, homo est, et homo non est, homo quod est res subjectum est. Appositio autem quædam et prædicatio est et non est, vel in eo quod dicitur album est et album non est, album quidem res subjecta est, appositum autem et prædicatum, est et non est. Ita quoque in his quæ secundum aliquem modum dicuntur, esse quidem subjectum est, velut quædam res. Modus autem deesse prædicatur; nam cum dicimus, hodie pluviam esse possibile est, esse subjecimus, possibile prædicamus, et sic totam vim in propositionibus prædicatio tenet, et simplicibus, et præter modum quoties aliquid esse prædicamus, ut in eo quod dicimus, homo est, totam propositionis vim continet verbum est, ita quoque in his quæ secundum modum dicuntur, quoniam totam propositionem continet modus, aut possibilis, aut contingentis, aut impossibilis, aut

necessarii, hæc prædicari, res vero aliæ subjectæ esse dicuntur. Hoc enim quod ait:

Sic hoc loco, esse quidem et non esse subjecta fiunt, posse vero et contingere appositiones determinantes quemadmodum in illis esse et non esse veritatem et falsitatem, sic hic in eo quod est, esse possibile, et esse non possibile.

Nam quemadmodum in simplicibus si ad esse et non esse negationes fiant, una semper vera est, altera semper falsa, ita quoque in his quæ secundum modum dicuntur, si ad ipsum modum enuntiatio negationis aptetur, velut ad quasdam appositiones prædicationesque veritas in appositionibus et falsitas terminata dividitur. Atque hoc est quod ait. Similiter hæ etiam in eo quod est esse possibile et esse non possibile. Similiter enim secundum possibile et non possibile facta oppositio, veritatem falsitatemque determinat, sicut in simplicibus et præter modum positis secundum esse et non esse negatio. Hinc in omnibus secundum modum affirmationibus, oppositiones digerit convenientium negationum, dicit enim:

Ejus vero quæ est, possibile est non esse, negatio est, non ea quæ est, non possibile est esse, sed ea quæ est, non possibile est non esse. Et ejus quæ est, possibile est esse, non ea quæ est, possibile est non esse, sed ea quæ est, non possibile est esse. Quare et sequi sese invicem videbuntur, hæc possibile est esse, possibile est non esse. Idem enim possibile est esse, et non esse. Non enim contradictiones sunt sibi invicem hujusmodi, possibile esse et possibile non esse. Sed possibile est esse, et non possibile est esse, nunquam simul in eodem veræ sunt, opponuntur enim. At vero, nec possibile est non esse, et non possibile est non esse, nunquam simul veræ sunt. Similiter autem et ejus quæ est necessarium esse, non ea quæ est, necessarium non esse, negatio est, sed ea quæ est, non necessarium esse. Ejus vero quæ est, necessarium est non esse, ea quæ est, non necessarium est non esse. Et ejus quæ est, impossibile esse, non ea quæ est, impossibile non esse, sed non impossibile est, ejus vero quæ est, impossibile non esse, ea quæ est, non impossibile est non esse.

Ut demonstret eam quæ dicit, possibile est non esse, non modo non esse negationem ejus quæ est, possibile est esse, sed omnino negationem non esse, hujus aliam invenit negationem. Nam ejus quæ est, possibile est non esse, quam affirmationis loco posuit, negatio reperitur illa quæ dicit, non possibile est non esse, secundum modum scilicet addita negatione; unde fit, inquit, ut ea quæ dicit, possibile est esse, et illa quæ proponit, possibile est non esse, sese invicem consequantur; idem namque possibile est esse quod est possibile non esse. Cur autem se consequi possunt, hæc causa est, quoniam non sunt oppositæ. Nam si essent oppositæ, perimerent se potius quam consequerentur, et dissentirent magis quam consentirent, ut est in his possibile est esse, et non possibile est esse. Hæc enim ita a se disjunctæ sunt, ut simul esse non possint. Idcirco autem hoc evenit, quoniam sunt oppositæ; semper igitur secundum modum ponenda negatio est, si integra oppositionis natura facienda est, quod planissime exequitur, singulis propositionum modis negationis accommodans, atque integras naturaliter efficiens oppositiones. At vero, inquit, ea quæ est possibile est non esse, cum ea quæ dicit, non possibile est non esse, simul esse non poterit. Namque oppositas esse manifestum est, siquidem harum negatio ad modum est posita, qui est possibile esse, ejus autem quæ est necessarium est esse, non oportet dici illam esse negationem, per quam dicitur, necessarium est non esse; hujus enim alia negatio inveniri potest, quoniam est affirmatio quædam, est autem ejus negatio ea quæ dicit, non necessarium est non esse. Sed potius ei quæ dicit necessarium est esse, ea opponenda est quæ dicit, non necessarium est esse; ad illam namque quæ dicit, necessarium est non esse opponitur (ut dictum est), non necessarium est non esse. Ejus quoque quæ est, impossibile est esse, non dicenda est illa esse negatio per quam dicimus, impossibile est non esse, sed ea potius quæ proponit, non impossibile est esse. Namque affirmatio quædam est, impossible est non esse. Hujus enim invenitur negatio quæ est, non impossibile est non esse.

Universaliter vero (quemadmodum dictum est) esse quidem et non esse oportet ponere tanquam subjecta, affirmationem vero et negationem hæc facientem ad esse et non esse apponere, et has putare oportet esse oppositas dictiones, possibile, non possibile, contingens non contingens, impossibile, non impossibile, necessarium, non necessarium, verum, non verum.

Regulam dat universalem dicens: Hoc universaliter in omnibus faciendum esse, quod supra jam diximus, ut subjectum esse et non esse ponatur Affirmationem autem et negationem ipsos modos faciamus. Hoc est enim quod ait, negationem vero et affirmationem hæc facientem, modos enim ipsos, id est possibile et contingens et cæteros pro affirmationibus ordinantes, et ad hos negativo adverbio juncto pro negationibus disponentes, aut ad id quod dicimus est, et non est, apponamus, ut quemadmodum ad unam rem, quod est homo, est verbum et non est negatio, prædicatum est in his quoddam propositionibus quæ præpter modum sunt, ut in ea per quam dicimus, homo est, sic in his propositionibus quæ cum modo sunt, est quidem aut non est, subjecta ponamus, modos vero ipsos aut secundum affirmationem, si simpliciter dicantur, aut secundum negationem, si cum negatione ponantur, facientes ad subjectum, quod secundum esse et non esse, disposuimus prædicemus, ut has arbitremur esse oppositas dictiones et negationes, quæ secundum modos factæ sint, eorum autem omnium negationes et affirmationes in contrarium disponantur.

	Oppositiones
Possibile est esse	Non possibile est esse
Contingit esse	Non contingit esse
Impossibile est esse	Non impossibile est esse
Necessarium est esse	Non necessarium est esse

Affirmatio.	Impossibile est esse contradict.	Non impossibile est esse.	Negatio.
Negatio.	Non possibile est esse contradict.	Possibile est esse.	Affirmatio.
Negatio.	Non contingit esse contradict.	Contingit esse.	Affirmatio.

Idcirco namque ait: Sequuntur quidem contradictoriæ, sed conversim, quod omnes in contrarium locatæ contradictiones sunt. Contradictio namque est impossibile esse et non impossibile esse, contingere esse et non contingere esse, possibile esse et non possibile esse. Conversæ autem se sequuntur, quoniam affirmatio non sequitur affirmationem, et negatio negationem, sed affirmationem negationes, negationem vero affirmationes, quod ad supradictam descriptionem revertentibus planius liquet; sensus ergo hic est. Ordo autem seriesque sermonum sese sic habet; ergo inquit Aristoteles contradictionem quæ est impossibile et non impossibile, illud quod est contingens et possibile, quæ duæ affirmationes sunt ac sese sequuntur, et non contingens et non possibile, quæ duæ sunt negationes, sequuntur quidem contradictoriæ, ut contradictiones sint in contrarium ductæ, sed conversim, ut affirmatio negationem, negatio sequatur affirmationem. Hujus talis ratio redditur: illud enim quod est possibile esse, scilicet quod affirmatio est, negationem impossibilis sequitur, est autem negatio impossibilis non impossibile esse; quod est ergo possibile esse, sequitur non impossibile esse, negatio vero possibilis affirmationem impossibilis sequitur, illud namque quod est non possibile esse, sequitur affirmationem quæ est impossibile esse, etenim affirmatio est impossibile esse, non impossibile esse negatio, et in contingentibus eodem modo, atque hoc quidem de possibilium et impossibilium consequentia dictum est. Nunc de necessarii et possibilis consequentia tractat.

Necessarium vero quemadmodum sit considerandum est. Manifestum est autem quoniam non eodem modo, sed contrariæ sequuntur, contradictoriæ autem sunt extra. Non enim est negatio ejus quod est, necesse non esse, non necesse est esse, contingit enim esse veras utrasque in eodem, quod enim est necessarium non esse non est necessarium esse.

Quod dicit hujusmodi est: in his propositionibus quæ erant impossibilis et non impossibilis, conveniebat non possibile ei quod est impossibile, et possibile consentiebat ei quod est non impossibile, contradictionem scilicet impossibilis contradictio non possibilis sequebatur ordine converso; in his autem quæ necessarium prædicant vel affirmative vel negative, et sequuntur possibilem propositionem ejus quæ possibili consentit, contradictio non sequitur contradictionem possibilis, sed potius contraria; necessarias vero nunc propositiones dico, quæ tametsi non significent necessitatem, tamen sive affirmative, sive negative necessarium prædicant: sensus ergo hic est, si qua ex his quæ necessarium prædicant consentit possibili propositioni, ejus quæ necessarium prædicat, contradictio non sequitur possibilis contradictionem, sed ejus quæ necessarium prædicat contradictionis contraria ea consentit possibilis propositionis contradictioni; prius autem disponamus quæ sunt contradictoriæ, quæve contrariæ, ejus enim quæ dicit necesse est esse, contradictio est, non necesse est esse, contraria vero, necesse est non esse; rursus ejus quæ est, necesse non esse, contradictio est, non necesse est non esse, contraria vero, necesse est esse. Quare describantur et circa unam eamdemque contraria, et contradictoria disponantur, ut quod a nobis dicendum est, clarius possit liquere.

Affirmatio. Necesse est esse.	Contradictio	Non necesse est esse.	Negatio
	Contraria	Necesse est non esse.	Affirmatio
Affirmatio. Necesse est non esse.	Contradictio	Non necesse est non esse.	Negatio
	Contraria	Necesse est esse.	Affirmatio

His igitur commode breviterque descriptis, qui in eorum consequentia ad possibiles propositiones modus possit evenire monstrandum est, illam namque quæ est, possibile est esse, sequitur ea quæ est, non necesse est esse; nam quod possibile est esse, non necesse est esse, quod enim possibile est esse, possibile est et non esse; sed quod possibile est non esse, non necesse est esse. Quare id quod est, possibile est esse, recte sequitur, non necesse est esse, sed negationem ejus quæ dicit, possibile est esse, id est non possibile est esse, non sequitur affirmatio ejus quæ dicit, non necesse est esse, quæ est scilicet, necesse est esse; hæc enim est contradictio necessariæ affirmationis, neque enim dici potest consentire propositiones quæ dicunt, non possibile est esse, et necesse est esse, sed hujus contraria sequitur, namque ea quæ est, non possibile est esse, illa quæ dicit, necesse est non esse, comitatur, sed necesse est non esse, non est contradictoria ejus quæ est, non necesse est esse; possunt enim utræque in eodem simul veræ inveniri, nam quoniam necesse est non esse ignem frigidum, non necesse est esse ignem frigidum. Quocirca hæ contradictoriæ non sunt, sed est contraria ea quæ dicit, necesse est non esse, ei quæ dicit, necesse est esse; quæ necesse est esse, contradictio est ejus quæ ponit, non necesse est esse; quare contradictionem ejus quæ dicit, possibile est esse, eam scilicet que proponit, non possibile est esse, non sequitur contradictio ejus quæ est, necesse est esse, sed ea quæ est, necesse est non esse, quæ contraria scilicet est ei quæ est, necesse est esse, quæ hæc ipsa contradictio est ejus quæ proponit, non necesse esse. Hoc autem descriptione melius patebit.

Affirmatio Possibile est esse Contradict. Non possibile est esse. Negatio.
Affirm. Non necesse est esse. Contradict. Necesse est esse. Contraria, necesse est non esse.

Ergo cum sit contradictio possibile esse, et non possibile esse, sequatur autem possibile esse, non necesse esse, contradictio tamen ejus quæ est, necesse esse, non sequetur contradictionem ejus quæ est possibile esse, sed contraria contradictoriæ ejus quæ est non necesse esse. Nam si contradictio est non necesse esse ejus quæ est necesse esse, contraria vero ejusdem necesse esse est, ea quæ dicit, necesse est non esse, sequitur necesse est non esse, eam quæ est, non possibile esse, quæ est contractio ejus quæ est, possibile esse, quam sequitur non necesse esse. Recte ergo dicitur contradictiones quidem extra esse, contrarias vero contradictoriis consentire : nam possibile esse et non possibile esse, quæ sunt contradictoriæ, sequuntur non necesse esse et necesse non esse, quæ non sunt contradictoriæ, quod in eodem utræque veræ inveniri possunt. Quod si contradictio sequitur, sicut ea quæ est, non necesse esse, sequitur eam quæ est possibile esse, sic eam quæ est non possibile esse, sequeretur necesse esse ; sed hoc inconveniens est. Quare quoniam hæc illam non sequitur, contraria ipsius sequetur, contraria namque est ei quæ proponit, necesse est esse, illa quæ dicit, necesse est non esse. Eodem quoque modo et in eo quod est possibile non esse, cujus est contradictio non possibile non esse, quod Aristoteles reticuit. Sequitur namque eam quæ est, possibile est non esse, illa quæ dicit, non necesse est non esse, sed negationem eam quæ est, non possibile est non esse, ejus affirmationis quæ est, possibile est non esse. Non sequitur affirmatio ejus quæ est, non necesse est non esse negationis, ea quæ est, necesse est non esse. Negatio enim ejus quæ dicit, necesse est non esse, illa est quæ dicit, non necesse est non esse. Sed hujus contraria, id est affirmationis quæ est, necesse est non esse, illa scilicet quæ est, necesse est esse, sequitur negationem illam quæ est, non possibile est non esse ; hujus quoque sit talis descriptio :

Affirmatio. Negatio.
Possibile est non esse. Contradictio. Non possibile est non esse.
Negatio. Affirmatio.
Non necesse est non esse. Contradictio. Necesse est non esse.
Contraria affirmatio, necesse esse.

Dissimili igitur modo evenit quam dudum contingebat in his quæ erant possibilia et quæ impossibilia. Illic enim contradictio contradictionem sequebatur, sed conversim, ut negationem affirmatio, affirmationem negatio sequeretur. Hic non idem modus est. Nam cum superiores contradictoriæ sint, et inferior negatio affirmationem sequatur, negationem non sequitur contradictoria affirmatio, sed affirmationis illius contraria, quod si quis legat attentius, integre descriptum esse ratione perspiciet ; cur autem hoc eveniat, causam prodit.

Causa autem cur non sequatur similiter cæteris est, quoniam contrariæ impossibile necessario reddit idem valens. Nam quod impossibile est esse, necesse est hoc non quidem esse, sed potius non esse. Quod vero impossibile est non esse, hoc necessarium est esse. Quare si illa similiter sequuntur possibile et non possibile, hæc econtrario. Quoniam non significant idem necessarium et impossibile (sed quemadmodum dictum est) conversim.

Ratio est cur non simili modo consequentia secundum contradictionem propositionis eveniat, sicut in his quæ sunt imposibilia et non impossibilia hujusmodi, omne necessarium contrario modo impossibile est. Nam quod est impossibile esse, hoc est necessarium non esse, non enim est necessarium esse quod est impossibile esse ; nullus enim dixerit, necesse est esse quod impossibile est esse, non ergo necesse est esse, sed potius necesse est non esse quod impossibile est esse. Ergo conversæ idem potest impossibile, quod necessarium. Quod enim impossibile junctum cum esse efficit, hoc efficit necessarium junctum ad id quod est non esse ; igitur quod impossibile est esse, hoc necesse est non esse. Rursus quod impossibile est non esse, hoc necesse est non esse. Rursus quod impossibile est non esse, hoc necesse est esse, ut igni impossibile est non inesse calorem, necesse est igitur inesse. Quare huic quoque idem convertitur, ut quod impossibile secundum non esse efficit, idem valeat necessarium secundum esse positum, quare contrario modo necessarium et impossibile idem potest. Quod si contrario modo impossibile et necessarium idem valet, manifestum est cur non similiter consequitur necessarium possibile et non possibile propositiones, sicut easdem ipsas, id est possibile et non possibile propositiones impossibile, et non impossibile sequebatur. Nam si converso ordine necessarium atque impossibile idem valet secundum contrarietatem, non similis consequentia est necessarii et impossibilis, ei quæ fuit possibilis et impossibilis. Nam quoniam non impossibile esse, sequitur possibile esse. Et hoc rursus, id est possibile esse, non necesse esse comitatur. Rursus id quod est impossibile esse, quoniam sequitur non possibile esse. Necessarium autem, impossibili converso ordine idem valet, sequitur id quod est impossibile est esse, necesse est non esse. Ac per hoc etiam id quod est non possibile esse sequitur, id quod est necesse est non esse. Rursus quoniam ei quod est non impossibile non esse consentit, id quod est possibile est non esse, et huic convenit, non necesse est non esse. Quoniam id quod dicitur impossibile est non esse, socium est ei quod est non possibile est non esse, ei autem quod est impossibile non esse, converso modo

redditum necessarium, idem valet. Sequitur id quod est impossibile est non esse, id quod dicimus necesse est esse, et hanc quoque sequitur id quod proponimus, non impossibile est non esse, non necesse est non esse; id vero descriptione monstratur.

Consentientes.	Consentientes.
Non impossibile est esse.	Impossibile est esse.
Possibile est esse.	Non possibile est esse.
Non necesse est esse.	Necesse est non esse.
Consentientes.	Consentientes.
Non impossib. est non esse.	Impossibile est non esse.
Possibile est non esse.	Non possib. est non esse.
Non necesse est non esse.	Necesse est esse.

Causa igitur diversæ consequentiæ est in contrarium propositionum impossibilis et necessarii facta conversio; sed de his hoc modo speculatus, sese quodammodo ipse reprehendit, et ad aliam proprietatis consequentiam disputationem flectit.

An certe impossibile est sic poni necessarii contradictiones. Nam quod est necessarium esse, possibile est esse, nam si non, negatio sequetur. Necesse enim est aut affirmare aut negare. Quare si non possibile est esse, impossibile est esse. Igitur impossibile est esse, quod necesse est esse, quod sane est inconveniens.

Forte, inquit, erravimus ita consequentias collocantes. Tunc enim disposuimus, ut id quod esset possibile sequeretur illud quod est non necessarium, ut secundum præcessionem possibilis sequentem negationem necessarii poneremus; nunc autem dicit hoc permutari oportere, et non a possibili inchoandum, et huic subjiciendum necessarii negationem, sed potius primo ponendum esse necessarium, secundo loco possibile, namque illa propositio quæ necessarium continet, continere videtur etiam possibilitatem, nam quod necessarium est idem possibile est. Quod enim necesse est esse, idem esse possibile est, nam si quis hoc neget, et id quod est necessarium dicat non sequi possibilitatem, negatio possibilitatis id quod est necessarium comitabitur. Nam si id quod necessarium est esse, falsum est dicere possibile est esse, verum est dicere quoniam non possibile est esse. In omnibus enim aut dictio est, id est affirmatio, aut negatio; ut si illa vera est, illa sit falsa, si illa non est, illa mox esse necesse sit, sed non possibile esse sequi diximus, id quod est impossibile esse; igitur id quod dicitur, necesse est esse, impossibile est esse, sed hoc quidem inconveniens est, non igitur verum est, quoniam ei quod est necessarium esse, id quod est non possibile esse convenit. Quare sequitur id quod est necessarium possibilitas.

At vero illud quod est possibile esse, non impossibile esse sequitur, hoc vero illud quod est non necessarium esse. Quare contingit quod est necessarium esse non necessarium esse, quod sane est inconveniens.

Dicimus ei quod est necessarium esse consentire illam propositionem quæ dicit possibile esse, sed rursus hoc falsum videtur cogitantibus perspicientibusque, quoniam ei quod est possibile esse, consentit et convenit illa propositio quæ dicit non impossibile esse, hoc vero illud quod dicitur non impossibile esse sequitur id quod proponimus, non cesse est esse, sed possibile esse consentire proposuimus ei quæ dicit, necesse est esse, eamque consequi; sequitur ergo eam quæ est non necesse esse, illam quæ dicit, necesse est esse, eique consentit, quod est impossibile. Qui igitur in his dubitationibus est statuendum? non potest consentire quidem possibile esse ei quod est, necesse esse. Alioqui propositionem necesse esse id quod est impossibile esse consequetur, si vero convenerit ei quæ est necessarium esse, illa quæ est possibile esse. Rursus fit ut id quod est necessarium, non necessarium sit, sed hoc falsum est; sed hoc quemadmodum sese habeat paulo post explicabitur. Nunc vero priorem sequentiam permutantes hoc dicimus, quoniam id quod est possibile esse non potest consequi id quod est necesse esse, nec hæ sibi propositiones consentiunt possibile esse, et necesse esse, quod Aristoteles hoc modo proponit:

At vero neque necessarium esse sequitur ad possibile esse, neque necessarium non esse. Illi enim utraque contingit accidere, horum autem utrumlibet verum fuerit, nondum erunt illa vera, simul enim possibile est esse et non esse. Si vero necesse est esse vel non esse, non erit possibile utrumque. Relinquitur ergo non necessarium non esse sequi ad possibile esse, hoc enim verum est et de necesse esse, hæc enim fit contradictio ejus quæ sequitur ad non possibile esse. Illud enim sequitur hoc quod est, impossibile esse, et necesse non esse, cujus negatio est, non necesse non esse. Sequuntur igitur et hæ contradictiones secundum prædictum modum, et nihil impossibile contingit sic positis.

Docet id quod est possibile non consentire ei quod est necessarium esse, nec rursus ei quæ est, necessarium est non esse. Nam quod necesse est esse, non potest non esse, quod autem necesse esse non esse, non potest esse. Quod autem dicimus possibile esse, ita dicimus, tanquam si et non esse possibile sit. Utramque igitur naturam habet id quod dicimus possibile esse, ut et sit esse possibile, et sit possibile non esse. Qui vero dicit necesse esse aufert non esse, et quæ dicit, necesse est non esse, aufert esse; ita si hæc veræ sunt, id est necesse esse et rursus necesse non esse, utræque illæ falsæ sunt quæ dicunt et potest esse, et potest non esse. Illa enim quæ proponit necesse esse, posse non esse subruit; illa vero quæ dicit, necesse est non esse, posse esse subvertit; neutra igitur consequetur eam propositionem quæ dicit, possibile est esse, nec ea quæ dicit ex necessitate esse, nec illa quæ dicit ex necessitate non esse. Et sensus quidem hujusmodi est. Sermonum autem ratio talis est; at vero, inquit, neque id quod est necessarium esse, sequitur propositionem illam quæ proponit possibile esse, nec rursus illa quæ dicit necessarium est non esse. Illi enim, id est possibili, utraque contingit accidere, id est posse esse et posse non esse. Nam quod potest esse, idem potest non esse. Harum autem, id est vel quæ dicit, necessarium est esse, vel quæ dicit, necessarium est non esse, si utrum-

libet verum fuerit, non erunt illa vera, id est posse esse et posse non esse ; quod enim possibile est esse, idem possibile est non esse ; quod si neque necesse est esse, nec necesse non esse propositio, eam quæ est possibile esse consequetur, relinquitur ut illa ei consentiat quæ dicit, non necessarium est non esse. Hæc enim sequitur eam quæ proponit, possibile est esse. Quidquid enim possibile est esse, non necesse est non esse, ut quoniam hominem possibile est ambulare, non est necesse non ambulare. Hoc enim verum est, inquit, et de eo quod est necesse est non esse, id est hæc enim propositio quæ dicit non necesse esse non esse, verum est, ut contra eam opponatur contradictorie, quæ dicit necesse est non esse, unde etiam secutus est. Hæc enim fit contradictio ejus quæ sequitur, non possibile esse, unde facienda est hujusmodi descriptio :

Affirmatio.	Impossibile est esse.	Contradict.	Non impossibile est esse.
Negatio.	Non possibile est esse.	Contradict.	Possibile est esse.
Affirmatio.	Necesse est non esse.	Contradict.	Non necesse est non esse.

Hæc enim quæ dicit, non necesse est non esse, contradictio est ejus quæ proponit, necesse est non esse, quæ est sequens, et consentiens ei quæ est, non possibile est esse, quæ consentit ei quæ dicit, impossibile est esse, quæ rursus sequitur eam quæ est ultima, id est necesse est non esse, cujus contradictio est, non necesse est non esse ; affirmatio enim est necesse est non esse, negatio non necesse est non esse. Quocirca secundum contradictionem fit hæc quoque consequentia, nam impossibile esse et non impossibile esse contradictio est, sed affirmationem, id est impossibile esse, sequitur negatio non possibile esse. Negationem vero, id est non impossibile esse, sequitur affirmatio possibile est esse, sed non possibile est esse, et possibile est esse, contradictio est, sed negationem possibilis, id est non possibile esse consequetur necesse est non esse affirmatio, sed affirmationem possibilis, id est possibile esse sequetur non necesse est non esse negatio. Quare ita positis nihil evenit impossibile, sed omnia conveniunt et consentiunt, et secundum superiorem possibilis et impossibilis modum affirmationes et negationes converso ordine contradictorie se sequuntur. Et sensus quidem totius hujusmodi est, ordo autem verborum sic. Quoniam, inquit, ei quod est possibile esse, nec illud quod est necesse esse, nec illud quod est necesse non esse consentit, relinquitur ut id quod est non necessarium non esse sequatur possibile esse. Hoc enim quod dicitur non necessarium non esse verum est dicere de necesse est non esse, et subaudimus quoniam est ejus contradictio. Hæc enim quæ dicit, non necesse est non esse, contradictio fit ei quæ sequitur negationem possibilis, id est non possibile esse. Hæc est autem ea quæ dicit, necesse est non esse, illud enim quod est non possibile esse, utrumque horum sequitur, et quod est impossibile esse, et quod est, necesse est non esse. Cujus affirmationis, id est necesse est non esse, negatio est, non necesse est non esse. Sed hæc sequitur non impossibile esse et possibile esse ; igitur hæ contradictiones secundum prædictum modum se sequuntur, scilicet contradictorie, sed conversim, et his positis atque ita ordinatis nihil contingit impossibile.

Dubitabit autem aliquis si ad illud quod necessarium esse, possibile esse sequatur. Nam si non sequitur, contradictio sequetur, non possibile esse, et si quis dicat non hunc esse contradictionem, necesse esse est ipsum dicere possibile non esse, sed utræque falsæ sunt de necesse esse. At vero rursus, idem videtur esse possibile incidi et non incidi, et esse et non esse. Quare erit necesse esse, contingens non esse, hoc autem falsum est.

Ad superiorem possibilis et necessarii consequentiæ reversus est quæstionem. Dicit enim dubitari posse, si id quod est possibile esse consentiat ei propositioni, quæ est necessarium esse, sive enim consentire dicatur, sive non consentire, aliquid impossibile et inconveniens utroque modo contingit ; nam si quis dicat id quod dicitur possibile esse non consentire ei quod est necessarium esse, consentiet ei negatio possibilis, ea quæ est non possibile esse ; sed si ista consentiet, erit idem necessarium esse quod est non possibile esse. Quod si hoc rursus aliquis neget, et dicat non esse negationem ejus propositionis quæ est possibile esse, eam quæ dicit non possibile esse, sed illam potius quæ proponit, possibile est non esse, quamquam falsum sit, tamen ne hæc quidem ei quod est necessarium esse convenire potest. Fit enim negatio ejus quæ est possibile esse, ea quæ dicit, possibile est non esse, si affirmatio possibile esse non sequitur affirmationem quæ dicit, necesse est esse, sequitur negatio ea quæ est, possibile est non esse, sed quod necesse est esse, falsum est dicere quoniam possibile est non esse. Quod enim necesse est esse, dici non potest fieri posse ut non sit, sed potius non posse fieri ut non sit : quod si quis dicat rursus sequi id quod dicitur necesse esse, et consentire ei quæ dicit possibile esse, sic quoque aliquid inconveniens reperietur. Quod enim possibile est esse, idem possibile est non esse, erit igitur quod necesse est esse, possibile non esse, et erit contingens quod necessarium est. Possibile autem et contingens in utramque partem facile vertitur, et ad esse et ad non esse. Quod autem necesse est esse, interclusum habet eventum ad contrariam dictionem. Ut si necesse est esse, ut non sit, fieri non potest, et si necesse est non esse, ut sit, impossibile est. Quare qui dicit possibile esse consentire ei quod est necesse esse, quoniam id quod est possibile est potest etiam non esse, et hoc est contingens, dicit id quod esse necesse est, posse non esse, et esse contingens, quod est inconveniens. Hanc igitur dubitationem solvens, ita sequitur :

Manifestum est autem quoniam non omne possibile, vel esse, vel ambulare, et opposita valet. Sed est in

quibus non sit verum. At primum quidem in his quæ non secundum rationem possunt, ut ignis calefactibilis est, et habet vim irrationabilem, ergo secundum rationem potestates eædem plurimum etiam contrariorum sunt, irrationabiles vero non omnes, sed quemadmodum dictum est, ignem non est possibile calefacere, et non calefacere, neque quæcunque alia semper agunt. Alia vero possunt et secundum irrationabiles potestates simul opposita suscipere, sed hoc idcirco dictum est quoniam non omnis potestas oppositorum est, neque quæcunque secundum eamdem speciem dicantur.

Multa, inquit, sunt quæ unum esse possunt id quod sunt, non etiam aliud aliquid quod non sunt. Plura enim sunt quæ ab eo quod sunt non mutantur. Alia vero sunt quæ mutari possunt, ut cœlum unam rem solam potest, id est moveri, huic vero oppositum, id est non moveri non potest; ergo non omne quod est possibile vel esse vel ambulare, id est non omne de quo quælibet possibilitas prædicatur, etiam opposita valet, ut utrumque possit fieri et facere quod facit, et huic oppositum, id est non facere quod facit; sed sunt quædam in quibus ita potestates prædicentur, ut non sit verum de his dici quoniam et opposita possunt, ut etiam in his quæ præter rationem aliquam possunt, ut ignis. Namque ignis præter rationem aliquam calidus est, non est enim reddere rationem cur ignis sit calidus, natura enim est calidus, et cum possit esse calidus, non tamen potest id quod est oppositum, id est non potest non calere, quod est oppositum ei, scilicet quod est calere; ergo secundum rationem potestates ipsæ eædem plurimorum etiam contrariorum sunt. Potestates, inquit, quæ sunt secundum rationem, id est in quibus est aliqua ratio, non unius possibilitatis, sed plurimorum sunt atque oppositorum, ut possibilitas medicinæ est curare, quæ quoniam secundum rationem fit, ut curet medicus, et est rationabilis potestas medico curandi, non solum potest curare, sed etiam non curare, et potest aliquid plusquam unum, et ipsum quod potest oppositum est, id est non curare. Oppositum namque est ei quod est curare id quod dicitur non curare, quæ opposita contraria vocantur. Affirmatio namque et negatio contrarietatibus discernuntur. Irrationabilis vero non omnis, sed quemadmodum dictum est, ignem non est possibile calefacere, et non omnis, inquit, secundum rationem potestas opposita quoque valet. Irrationabilium vero non omnis hujusmodi potestas est, ut opposita non valeat: nam cum ferrum calere sine ratione potestas sit (non enim ex ratione calet, quoniam rationem non habet), potest etiam non calere, ignis autem cum irrationabilis potestas sit calefacere non potest et non calefacere. Quare recte dictum est irrationabiles potestates non omnes non posse contraria, sed quasdam, ut ignem, qui cum sit calefactibilis, non calefactibilis non est. Quæ autem sint irrationabilia, quæ unam tantum habeant potestatem non etiam oppositam, sic demonstrat dicens, nec quæcunque alia semper agunt. Ignis enim opposita non potest, sed non solum ignis, sed illa quoque omnia unum possunt, et non multa nec opposita, quæcunque actu semper sunt, ut sol semper actu est lucidus, idcirco non potest non lucere; et nix semper actu frigida est, et ideo nunquam potest esse non frigida; ergo quæcunque semper agunt, id est in eo quod sunt, semper in actu sunt. Manifestum est, quoniam sicut ignis non capit frigus, ita nec illa quoque opposita possunt. Idcirco enim ignis quoque opposita non potest, quia semper in actu habet propriam potestatem. Semper enim est calidus, sed non omnia irrationabilia (ut dictum est) unam tantum habent potestatem, ut opposita non possint, sed sunt quædam irrationabiles potestates, quæ utrumque possunt, ut in eo quod est secari pellem vel non secari pellem. Potest namque secari pellis, potest etiam non secari, sed hæc sunt opposita; secundum igitur irrationabiles quoque potestates possunt quædam opposita; sed idcirco superiora sunt dicta, inquit, quibus monstravimus quoniam ignis et quæcunque semper sunt actu, non possunt opposita, ut doceremus non omnem potestatem oppositorum esse potentiam, sed alias veras esse hujusmodi potestates quæ actu essent, et unam rem solam possent, ab oppositorum vero potestate discederent. Hoc autem non solum in his quæ secundum rationem potestates dicuntur, sed etiam secundum eam speciem quæ irrationabilis dicitur. Sunt enim quædam eorum quæ irrationabiles potestates esse dicuntur, quæ non solum id quod sunt, verum etiam opposita possint, alia vero unum tantum possunt. Pellis enim potest secari et non secari, et idcirco opposita potest; ignis vero, cum sit calidus, frigidus esse non potest. Et idcirco nulla oppositorum est illi potestas.

Quædam vero potestates æquivoce sunt. Possibile enim non similiter dicetur, sed hoc quidem quoniam verum est, ut in actu, ut possibile est ambulare, quoniam ambulat, et omnino possibile est esse, quoniam est jam actu, quod dicitur possibile. Illud vero quoniam forsitan aget, ut possibile est ambulare, quoniam forsitan ambulabit, et hæc quidem in solis mobilibus est potestas. Illa vero et immobilibus. In utrisque vero verum est dicere, non impossibile est ambulare vel esse, et quod ambulat jam et agit, et ambulabile est. Sic igitur possibile non est verum de necessario simpliciter dicere, alterum autem verum est. Quare quoniam partem universale sequitur, illud quod ex necessitate est, consequitur posse esse, sed non omnino.

Possibilitatis breviter divisio facienda est, possibile enim duobus dicitur modis. Est enim unum possibile quod cum non sit, esse possit, ut homo cum sedet, non quidem ambulat, sed ambulare potest. Aliud possibile est quod cum sit, esse possibile est, ut quoniam ignis calet, potest esse calidus, et quoniam homo sedet, potest sedere. Hujus autem possibilis duæ sunt species, una cum est quidem, potest tamen non esse, ut si quis sedeat, ita quidem potest sedere, ut possit etiam non sedere. Alia vero ut cum sit, non esse non possit, ut ignis calidus est, sed non

potest esse non calidus. Atque hoc est quod ait, quædam vero potestates æquivoce sunt. Possibile enim non simpliciter dicitur, sed hoc quidem quoniam verum est, ut in actu, id est quod est et fit, quod dicitur esse possibile, ut in actu possibile est ambulare, quoniam jam ambulat, et est in actu et omnino possibile est esse quidquid in actu est. Illud vero quod forsitan agat, ut possibile est ambulare quoniam ambulabit, id est quod non est quidem, sed esse poterit, ut possibile est ambulare, non quoniam nunc quidem ambulat, sed quoniam ambulaturus est aliquis. Hæc autem sunt quæcunque non secundum actum dicuntur, sed secundum potestatem tantum, quæ nondum quidem in actu sit, esse tamen possit. Hæc quidem in solis mobilibus est possibilitas, illa vero et in immobilibus. Mobilia vocat quæcunque sunt naturalia, et in generatione et in corruptione. Quæcunque enim generata sunt et corrumpi possunt, ea semper in motu sunt, ipsa etenim generatio motus quidam est, atque ipsa corruptio. Ergo in hujusmodi rebus quæcunque generata sunt atque mortalia, in his vera est illa potestas, quæ non secundum actum dicitur, sed secundum id quod non est quidem, sed esse potest. Nusquam enim evenit hujusmodi potestas nisi in his quæ nascuntur et mortem oppetunt, illa vero quæ sunt immobilia, id est quæ in sua natura fixa sunt et constituta, ut mutari moverique non possint, id est divina solam illam habent potentiam quæ secundum actum dicitur, ut sol immobilis quidem ad substantiam, quanquam sit mobilis secundum locum. Quoniam ergo est immobilis secundum substantiam et ab ea non permutatur, neque movetur, habet in se lumen, quod ita habere potest, ut non habere non possit. Sed in utrisque his vel mobilibus vel immobilibus illud verum est quod de his dicitur, non impossibile est esse. Nam et quod actu quidem non est, esse tamen poterit, ut homo cum non ambulat, ambulandi tamen retinet potestatem. Non est enim hominem impossibile ambulare, et solem non est impossibile habere lucem, quam actu retinet sempiterno. In utrisque igitur et mobilibus et immobilibus, verum illud est quod dicitur, non impossibile esse. Nam et de eo quod agit, et de eo quod agere potest, de utrisque idem vere dicitur, quoniam non est impossibile esse. Nam et quod ambulat, non est impossibile ambulare, et quod est ambulabile, id est quod ambulare potest, non illi est impossibile ambulare. Sed quoniam diximus eam quæ secundum actum est potestatem duas habere species, unam quidem cum in actu quidem sit et nunquam possit non esse, ut igni actu est calere et nunquam esse non potest calidus; aliam vero secundum id quod dicimus esse quidem actu, posse tamen non esse, ut aliquis cum sedet, potest quidem sedere, sed potest etiam non sedere. Hujusmodi quidem secundum actum possibile de necessario nullo modo prædicatur, quod enim in actu est, et necessarium est esse, est quidem, sed ita est ut non esse non possit. Hoc est enim quod ait. Sic igitur possibile, id est quod cum actu sit, possit tamen non esse, non est verum de necessario simpliciter dicere. Alterum autem verum est, nam quod ita est actu, ut non esse non possit, et semper actu est, hoc juste de necessario prædicatur. Quod enim necesse est esse, est quidem, sed non esse non potest. Quare quoniam partem id quod est universale sequitur, illud quod ex necessitate est, consequens est id quod est posse esse, sed non omnino. Quoniam semper, inquit, speciem sequitur genus, et partem suam sequitur universalitas. Si enim homo est, animal est, id est si pars et species est, universalitatem et genus esse necesse est. Quod si ita est, sequitur scilicet eam propositionem quæ dicit necesse esse, illa propositio quæ dicit possibile esse, eique consentit, sed non omnis significatio possibilitatis sequitur necessarium. Illa enim quæ ita possunt, ut non sint quidem, esse tamen possint, nulla ratione de necessario prædicantur. Necessarium vero non modo necesse est, sed etiam est, hoc est enim quod ait, sed non omnino. Etenim de necessario quod jam est, non potest illud possibile prædicari, quod non est adhuc quidem, sed esse poterit.

Et est quidem fortasse principium quod necessarium est et quod non necessarium est omnium, vel esse vel non esse. Et alia ut horum consequentia considerare oportet.

Principium, inquit, est fortasse harum propositionum consequentias inveniendi. Si quis primo in loco necessarium ponat, et non necessarium, secundo vero in loco possibile esse et cætera, naturaliter enim id quod necessarium est prius est, nam si necessaria sunt ea quæ semper actu sunt, quæ autem semper actu sunt sempiterna sunt, sempiterna vero rerum omnium principia sunt, recte initium quoque speculandi, quæ harum propositionum consequentia sit, ex his sumemus quæ sunt necessariæ, et propter has ex necessarii negationibus, id est ex non necessario. Constat igitur a necessario et non necessario harum consequentias inveniendi sumenda esse principia. Illæ enim, id est possibile esse et contingens esse, et esse necessarium et non necessarium, velut in natura ipsa præcedentes subsequuntur. Atque ideo ait: Et alia, id est possibile esse, et contingens esse, ut horum consequentia considerare oportet. Hoc est, ita hæ considerari debent, tanquam si quod est necessarium, et non necessarium præcedant, consequantur vero possibile et contingens, et cætera.

Manifestum est autem ex his quæ dicta sunt, quoniam quod ex necessitate est, secundum actum est. Quare si priora sunt sempiterna, et quæ actu sunt, potestate priora sunt; et hæc quæ sine potestate sunt, actu sunt, ut primæ substantiæ. Alia vero sunt actu cum possibilitate, quæ natura quidem priora sunt, tempore vero posteriora, alia vero nunquam sunt actu, sed potestate tantum.

Patet, inquit, ac liquet omnia quæcunque secundum necessitatem sunt, semper esse secundum actum. Quoniam enim ignis ex necessitate calidus est, actu quoque semper calidus est. Quocirca si quæ

sempiterna sunt omnibus quæ non sunt sempiterna priora sunt, etiam ea quæ semper actu sunt, his quæ sunt potestate priora sunt. Horum autem omnium divisionem facit : sunt enim, inquit, alia quidem præter potestatem, actu tantum, ut sol non potestate movetur, sed actu, et illam movendi potestatem non habet, quæ non est quidem, sed esse potest, sed actum habet solum, a potestate vero quæ præter actum solet esse, relinquitur. Primæ etiam substantiæ actu quidem sunt, nunquam vero potestate, primas autem substantias dicit, divinas scilicet et sempiternas, non eas quas in prædicamentis primas esse monstravit, id est individuas. Tunc enim de his loquebatur primis, quæ nobis primæ sunt, nunc de his quæ natura sunt primæ, quæ divinæ sunt scilicet et sempiternæ. Alia vero, ait, sunt quæ sunt actu cum potestate, id est quæ et actum habent, et aliquando habuerunt potestatem, ut fabricata jam domus, aliquando potuit fabricari, et prius habuit potestatem secundum tempus, postea vero actum ; sed natura actus prior est potestate. Ars vero ipsa actum cogitatione præcipit, formamque domus prius sibi ipsa designat et efficit ; quare natura actus prior est potestate, potestas actu prior est tempore. Alia vero sunt, inquit, quæ actu quidem nunquam sunt, semper autem sunt potestate, ut numerus infinitus quidem est, quod cum semper in infinitum possis augere, sed actu infinitus non est. Quemcunque enim numerum sumpseris, actu finitus est ; quemlibet enim dicas numerum, finita illum numerositas necesse est complectatur, ut decem vel centum. Infinitus vero idcirco est potestate, quod eum possis facere in infinitum concrescere, non tamen ut quilibet actu sit numerus infinitus.

QUÆ MAGIS APTÆ ENUNTIATIONES CONTRARIÆ DICANTUR.

Utrum autem contraria est affirmatio negationi, an affirmatio affirmationi, et oratio, ut quæ dicit omnis, homo justus est, ei quæ est, nullus homo justus est, an omnis homo justus est, ei quæ est, omnis homo injustus est, ut Callias justus est, Callias justus non est, Callias injustus est. Quænam harum contraria est. Nam si ea qua sunt in voce sequuntur ea quæ sunt in anima, illic autem contraria est opinio contrarii, ut omnis homo justus est, ei quæ est, omnis homo injustus est, etiam in his quæ sunt in voce affirmationibus, necesse est similiter esse habere. Quod si neque illic contrarii opinatio contraria est, nec affirmatio affirmationi contraria erit, sed ea que dicta est, negatio. Quare considerandum est quæ opinio falsa opinioni veræ contraria sit, utrum negationis, an certe ea quæ contrarium esse opinatur. Dico autem hoc modo, est quædam opinatio vera boni, quoniam bonum est. Alia vero falsa, quoniam bonum non est, alia quoniam malum est, quænam harum contraria est veræ, et si est una, secundum quam contraria.

Propositio quidem quæstionis talis est. Quærit enim quoniam huic propositioni quæ dicit, omnis homo justus est, ea quæ proponit, nullus homo justus est, et rursus ea quæ dicit, omnis homo injustus est, videntur oppositæ, quæ harum magis superiori affirmationi, quæ dicit, omnis homo justus est, contraria est, utrum ea per quam proponimus, omnis homo injustus est, an certe negatio universalis, ea quæ est, nullus homo justus est. Similiter etiam huic propositioni quæ est, Callias justus est, propositio quæ proponit, Callias injustus est, an ea quæ dicit, Callias justus non est, contraria est. De quare hanc viam disputationis ingreditur : nam si ea, inquit, quæ sunt in voce illis quæ sunt in anima famulantur, hisque in significatione consentiunt, necesse est ut quod in opinionibus animæ reperitur, hoc idem evenire videatur in voce, quod si illic ei opinioni quæ arbitratur omnem hominem justum esse illa opinio opposita est, et illa est maxime contraria quæ putat omnem hominem injustum esse, et in vocibus quoque affirmatio ea quæ est, omnis homo justus est, ei affirmationi magis contraria est quæ dixit, omnis homo injustus est. Quod si in opinionibus non hæc magis opponitur potius quam illa quæ dicit, nullus homo justus est, et in vocibus quoque affirmatio universalis videatur esse contraria, utræque ergo et affirmatio quæ dicit, omnis homo injustus est, et negatio quæ dicit, nullus homo justus est, erunt contrariæ ei quæ dicit, omnis homo justus est. Quod autem dicit, quod si neque illic contrarii opinatio contraria est. Tale est enim justum esse et injustum esse, quanquam sit secundum habitum et privationem, prædicatio tamen hæc nunc, id est injustum esse, pro contrario sumitur. Ergo si in opinionibus contrarii, id est injusti affirmatio contraria non est, non erit et in vocibus contraria affirmatio, sed potius negatio quæ est, nullus homo justus est. Quare, inquit, considerandum est cui opinioni falsæ opinio vera sit contraria, nam si qua res bona sit, verum est de ea dicere, quoniam bonum est, contra quam propositionem falsum est dicere, quia malum est, falsum etiam quia non bonum est. Sed videndum est quæ harum sit magis contraria veræ affirmationi, quæ dicit bonum esse quod bonum est ; utrum falsa illa contraria est, quæ id quod bonum est dicit esse malum, an ea quæ id quod bonum est dicit esse non bonum. Atque hoc est quod ait, dico autem hoc modo : est quædam opinatio vera boni, quoniam bonum est, alia vero falsa, quoniam non bonum est, alia vero, quoniam malum est. Quænam ergo harum contraria est veræ, id est utrum ea quæ negat id quod est, an ea quæ ponit id quod non est, quæ magis harum ei quæ dicit esse, id quod est videatur esse contraria, requirendum est. Sed quod his adjecit et si est una, secundum quam contraria, tale est. Contrariorum alia sunt habentia medium, alia vero sunt non habentia. Et illorum quæ habent, si quis unum contrarium neget, non necesse est per illam negationem illud aliud contrarium intelligere. Nam quoniam inter album et nigrum est aliquid, si quis dicat, non est album, non idcirco nigrum esse monstravit. Potest enim esse et rubrum. Et quidquid aliud in talium contrariorum meditate locatum est. In illis

vero contrariis quæ medio carent, nihil differt negare rem propositam, an affirmare contrariam. Nihil enim differt dicere diem non esse quam dicere noctem esse. Hoc est enim diem non esse, quod esse noctem. Nihil enim est inter noctem atque diem. Ergo in his affirmatio contrarii idem valet, quod rei propositæ negatio ; ergo nunc hoc dicit : etiamsi in aliquibus, inquit, tales propositiones inveniuntur, ut et negatio rei propositæ, et affirmatio contrarii idem valeat, et sint unæ significatione. Quærendum est secundum quam enuntiationem propositio magis est contraria, an secundum eam quæ dicit non esse diem, an secundum eam quæ proponit esse noctem. Investigandum igitur est quæ harum, quanquam unum utraque significet, magis est contraria ei quæ dicit esse diem ; hoc est enim quod ait. Et si est una secundum quam contraria, id est, et si unum significabunt aliquando rei negatio et contrarii affirmatio, secundum quam harum magis est contraria propositio superiori propositæ enuntiationi.

Nam arbitrari contrarias opiniones definiri in eo quod contrariorum sunt, falsum est. Boni enim quoniam bonum est, et mali quoniam malum est, eadem fortasse opinio est et vera, sive plures, sive una sit. Sunt autem ista contraria, sed non in eo quod contrariorum sunt contraria, sed magis in eo quod contraria.

Contrariorum naturam prius recte determinat, qui de contrariis propositionibus tracta. Quidam enim putaverunt contrarias esse opiniones, quæ sint contrariarum rerum, quod Aristoteles negat ; dicit enim falsem esse definitionem, quæ determinat eas esse contrarias opiniones, quæ sunt contrariarum rerum. Nam cum sit contrarium bonum malo, possumus habere opinionem de bono quoniam bonum est, et hæc vera est ; possumus rursus id quod malum est putare malum, et hæc rursus vera est, et opiniones quidem boni, quoniam bonum est, et mali quoniam malum est, contrariarum rerum sunt ; tamen utræque sunt veræ. Sed contrariæ utræque veræ esse non possunt. Falso igitur definitum est eas esse contrarias opiniones, quæ contrariarum sint rerum. Quod autem ait, boni enim quoniam bonum est, et mali quoniam malum est, eadem fortasse opinio est et vera. Aut id quod dixit eadem ad id retulit quod post secutus est, vera namque veræ in eo quod veræ sunt eadem sunt, aut certes quod ejusdem esset opinionis, quod bonum esset, bonum putare, quod malum esset, malum. Sive autem eadem sint, sive plures, contraria esse non poterunt, idcirco quoniam simul veræ sunt. Sunt autem ista contraria, sed non eo quod contrariorum sint contrariæ sunt, sed magis eo quod contrariæ. Sunt autem, inquit, ista, scilicet quæ sunt in opinionibus contraria, non tamen contraria quando contrariorum sunt, sed potius quando de uno eodemque diverso modo et contrariæ suspicantur, hoc est enim quod ait. Sunt autem ista contraria, ea scilicet quæ in animæ opinionibus posita sunt, quorum propositiones sunt contrariæ, non eo quod sunt contrariorum, sed potius eo quod de uno eodemque subjecto contrariæ suspicantur, ut si quis de bono suspicetur quoniam bonum est, et rursus alius de eodem bono quoniam malum est, hæc sunt contraria quæ veræ simul esse non possunt. Et de eodem subjecto, id est bono, nunc bene, nunc vero male, id est contrariæ suspicantur.

Si ergo boni, quoniam bonum est, opinatio est, alia vero, quoniam non est bonum. Est vero et alia quoniam aliud aliquid est, quod non est, neque potest esse. Aliarum quidem nulla ponenda est, neque quæcunque esse quod non est opinantur, neque quæcunque non esse quod est. (Infinitæ enim utræque sunt, et quæ esse opinantur quod non est, et quæ non esse quod est) sed in quibus fallacia est. Hæc autem sunt, ex quibus sunt generationes, ex oppositis vero sunt generationes. Quare etiam fallaciæ.

Hujus argumenti principium est, quo pro confesso utitur et probato, quod unius rei plura atque infinita non possint esse contraria, quare unius rei unum erit contrarium. Est ergo opinio boni quoniam bonum est, et hæc vera est ; est rursus boni quoniam bonum non est, et hæc falsa est. Potest etiam esse quæ putet esse bonum id quod non est, ut si quis dicat id quod est bonum quoniam malum est, vel quoniam quantitas est, vel quoniam aliquid quod non est. Sed hæc quæ de bono dici possunt, quæ ipsum bonum nont sint, infinita sunt. Rursus possumus de bono arbitrari multa non esse, quæ sunt. Bonum enim quod honestum est possumus dicere quoniam honestum non est, possumus dicere quoniam utile non est, possumus quoque dicere quoniam expetendum non est, et alia plura. Infinita ergo sunt et ea quæ possumus arbitrari de bono, quoniam est id quod bonum ipsum non est. Et ea quæ opinamur non esse bonum quod est, ea quoque sunt infinita. Quare nec ea quæ putat opinio bonum esse quod non est, nec ea quæ putat non esse quod est, ei opinioni ponenda est esse contraria, quæ putat bonum esse quod bonum est. Hoc enim est quod ait : Aliarum quidem nulla ponenda est, neque quæcunque esse quod non est opinatur, ut dicamus de bono quoniam malum est, vel inutile, vel turpe, neque quæcunque non esse quod est, ut si de eodem bono dicamus, bonum expetendum non est, bonum honestum non est. Infinitæ enim utræque sunt, et quæ esse opinantur quod non est, et quæ non esse quod est. Hæ igitur rejiciendæ sunt, et ad nullam contrarii opinionum sumendæ, quoniam infinitæ sunt, cum semper contrariorum oppositio sit finita. Quæcunque autem contrariæ ponendæ sint opiniones, sequitur dicens : Sed in quibus est fallacia, hæ autem sunt ex his ex quibus sunt et generationes. Ex oppositis vero generationes, quare etiam fallacia opinioni, inquit, de bono quoniam bonum est, contraria illa sola ponenda est, in qua primum fallacia reperitur. In qua autem fallacia primum reperiatur, ostendit per id quod dixit : Ex quibus sunt et generationes falla-

cia facillime reperitur. Generatio enim semper ex oppositis est; quoties enim aliquid fit album, non fit ex dulci, nec ex duro, nec ex liquido, sed ex non albo. Et quod dulce fit, non fit ex calido, neque frigido, nec nigro, nec ex ulla alla alia qualitate, nisi ex sibi opposito, id est non dulci. Eodemque modo in aliis sese res habet. Omnis ergo generatio ex eo fit quod non fuit, ut dulce ex non dulci, album ex non albo, calidum ex non calido. Quare si generationes quidem ex oppositis sunt, in his autem est fallacia in quibus sunt generationes, erit in oppositis prima fallacia. Prima namque fallacia est non putare aliquid esse quod est. Secunda putare esse quod non est, ut in eo quod est bonum prima fallacia est putare illud non esse bonum. Secunda malum esse arbitrari quod bonum est. Quocirca illic maxime ponenda est contrarietas ubi est prima fallacia, in his autem est prima fallacia ex quibus generationes oriuntur. Generationes vero dico esse quæ fiunt ex his quæ id fiunt non fuerunt. Generationes autem fiunt ex oppositis, in oppositis est igitur prima fallacia ; sed in quibus est prima fallacia, maxime contraria illa ponenda sunt: opposita igitur maxime contraria sunt, sed bonum esse et bonum non esse opposita sunt. Bonum igitur non esse ei quod est bonum esse contrarium est, non illud quod est malum esse, quod majori argumentatione confirmat.

Si ergo quod bonum est, et bonum et non malum est, et hoc quidem secundum se, illud vero secundum accidens. Accidit enim ei malum non esse, magis autem in unoquoque vera est, quæ secundum se est, et falsa, siquidem et vera, ergo ea quæ est, quoniam non est bonum quod bonum est, secundum se falsa est. Illa vero quæ est, quoniam malum, est ejus quæ est secundum accidens. Quare magis erit falsa de bono ea quæ est negationis opinio, quam ea quæ est contrarii.

Persubtilis argumentatio tali ratione formata est: bonum, inquit, et bonum est, et non malum, quorum unum secundum se et proxime, et naturaliter est, hoc scilicet quod bonum est, alterum vero est accidentaliter, id est quod malum non est. Accidit enim ei quod bonum est, ut malum non sit ; ergo quod bonum est naturalius habet bonum esse quam non esse malum. illud enim secundum se inest, illud (ut dictum est) secundum accidens. Quod si hoc est, verior est ea propositio quæ affirmat quod secundum se est quam illa quæ affirmat quod secundum accidens est. Est autem secundum se bonum esse quod bonum est, secundum accidens vero malum non esse quod bonum est: verius igitur et propinquius est dicere de bono quoniam bonum est, quam dicere de bono quoniam malum non est; quod si hoc est, etiam opinio quæ secundum se falsa est mendacior juste videbitur ea quæ secundum accidens mentitur. Nam si illa vera est, propinquius quæ secundum se est, illa erit falsa propinquius quæ secundum se est. Hoc est enim quod ait, magis autem in unoquoque est vera, quæ secundum se est etiam falsa, sicut et vera, si illa magis vera est quæ secundum se est, recte illa magis falsa dicitur, quæ secundum se falsa est, id est quæ id negat quod secundum se verum est. Ergo ea quæ est quoniam non est bonum quod bonum est, secundum se consistentis falsa est. Ad quod tendit tota superior argumentatio continua disputatione subnectit. Superius enim dictum est opinionem eam quæ putat bonum esse, quod bonum est, secundum se esse : quare illa opinio quæ dicit non esse bonum quod bonum est, falsa est, et de ea re falsa est, quæ secundum se vera est. Secundum se enim vera est opinio quæ putat bonum esse quod bonum est, quæ vero arbitratur non esse bonum quod bonum est, ejus quæ secundum se est, veritatem opinionis intercipit. Nam bonum esse quod bonum est, quisquis opinatur secundum ipsius boni naturam habet opinionem, atque ideo secundum se opiniones hujusmodi nominantur ; quare erit hæc quoque secundum se falsa, quoniam secundum se veritatis videtur auferre propositionem ; idem autem bonum secundum accidens est, non malum. Et hoc de bono verum est dicere, quoniam non est malum, sed accidentaliter. Bono enim accidit non esse malum, illa vero quæ putat malum esse quod bonum est, aufert non malum ab eo quod bonum est, et interimit rem secundum accidens veram, vera namque est opinio quæ dicit non esse malum quod bonum est, sed secundum accidens ; quare secundum accidens falsa erit ea quæ dicit malum esse quod bonum est. Illam enim propositionem tollit quæ secundum accidens vera est. Quare quoniam propior est ea quæ secundum se est quam ea quæ secundum accidens, falsitas ejus quæ secundum se est fallacior erit ea falsitate quæ secundum accidens est. Sed ea quæ putat non esse bonum quod bonum est, secundum se veritatis peremptoria est ea, vero quæ dicit malum esse quod bonum est, ejus quod est non esse malum quod bonum est, secundum accidens rei veræ peremptoria est. Quare falsior est ea quæ dicit non esse bonum quod bonum est, quam ea quæ dicit esse malum id quod est bonum.

Falsus autem est maxime circa singula qui habet contrariam opinionem. Contraria enim sunt eorum quæ plurimum circa idem differunt. Quod si harum contraria quidem est altera, magis vero contraria est contradictio, manifestum est quoniam hæc erit contraria.

Quærebatur utrum affirmatio contrarii, an negatio propositæ rei, eidem propositæ rei affirmationi magis possit esse contraria. Sed nunc hoc dicit quod quæ falsa sunt magis, ea sunt magis contraria. Contraria enim sunt quæcunque circa eamdem rem plurimum differunt, ut circa colorem album et nigrum ; ergo quæ maxime falsa sunt et maxime vera, ea plurimum a se distant. Maxime autem vera est secundum se consistentis rei enuntiatio. Maxime autem falsa secundum se consistentis veritatis peremptoria. Necesse est autem inter affirmationem contrarii et negationem propositæ rei unam magis esse contrariam. Falsior autem et magis contraiia est opinio illa quæ contradictionem cogitat, ut ea quæ

est non esse bonum quod bonum est, quam ea opinio quæ habet malum esse quod bonum est, quoniam ea quæ sunt in vocibus opiniones sequuntur; simili modo negatio ejus quæ est omne bonum bonum est, ea scilicet quæ dicit nullum bonum bonum est, magis est contraria quam ea quæ proponit omne bonum malum est. Quocirca et in aliis quoque ut in ea quæ est omnis homo justus est, magis est contraria illa quæ dicit, nullus homo justus est, quam ea quæ dicit, omnis homo injustus est.

Illa vero quæ est, quoniam malum est quod bonum est, implicita est. Etenim quoniam non bonum est, necesse est forte idem ipsum opinari.

Addit ad demonstrationem superiorem argumentum quod demonstret magis esse contrariam eam quæ negat potius quam eam quæ contrariam affirmat; implicita est, inquit, affirmatio contrarii. Quisquis enim putat id quod bonum est malum esse, fieri aliter non potest, nisi illud quoque putet non esse bonum. Quare duplex quodammodo propositio est ea quæ dicit malum esse quod bonum est. Nam etiam illud in se continet, quod bonum non est. Simplex autem est propositio, bonum esse quod bonum est, et simplici simplex potest magis esse contraria, simplexque est negatio quod bonum est, non esse bonum. Hæc igitur magis contraria est.

Amplius si etiam in aliis similiter oportet se habere, et hic videtur bene esse dictum, aut enim ubique ea quæ est contradictio, aut nusquam, quibus vero non est contrarium, de his quidem est falsa ea quæ est veræ opposita, ut qui hominem non putat hominem, falsus est; ergo si hæ contrariæ sunt, et alia quæ sunt contradictiones.

Aut in omnibus, inquit, vere dicitur contradictionem magis esse contrariam quam contrarii affirmationem, aut nusquam. Aut enim et in aliis quoque idem evenire oportet, aut ne hic quidem verum est, quod dicitur, contrariam esse eam quæ contradictionis est, id est negationis potius quam contrarii affirmationem. Hoc autem speculemur, inquit, in his quæ contrarium non habent, ut in homine. Si quis enim putet hominem hominem esse, vera esse, verum est; si quis vero hominem putet non esse hominem, falsa. Si quis autem putet hominem equum esse, nullus dixerit hanc magis esse contrariam quæ putat hominem equum esse quam quæ hominem non esse hominem arbitratur. Quare si in his quæ contraria non habent, illa contraria est quæ contradictione formatur, in his quoque quæ habent contraria, non contrarii affirmationis, sed negationis propositio magis contraria est.

Amplius similiter se habent boni quoniam bonum est, et non boni quoniam non bonum est. Et ad has boni quoniam non bonum est, et non boni quoniam bonum est. Illi ergo quæ est non boni quoniam non bonum est, veræ opinationi quænam est contraria. Non enim ea quæ dicit quoniam malum est. Simul enim aliquando erunt veræ, nunquam autem vera veræ est contraria. Est enim quiddam non bonum, malum. Quare contingit simul esse veras. At vero nec illa quæ est, quoniam non malum, vera enim et hæc, simul enim et hæ erunt. Relinquitur ergo ei quæ est non bonum quoniam non bonum est, contraria ea quæ est non bonum quoniam bonum est. Falsa enim hæc, quare et ei quæ est boni quoniam bonum est, ea quæ est boni quoniam non bonum est.

Ex similitudine et proportione contrarietatis vim propositionum vestigare conatur. Sed has propositiones prius disponamus, post autem quantum possumus breviter vim Aristotelicæ argumentationis exsequamur.

Vera boni quoniam bonum est.
Falsa boni quoniam bonum non est.
Vera non boni quoniam non bonum est.
Falsa non boni quoniam bonum est.

Harum quatuor opiniorum duæ veræ sunt, duæ falsæ. Illa quæ est boni quoniam bonum est, vera est; illa quæ est boni quoniam bonum non est, falsa est. Rursus illa quæ est non boni quoniam bonum non est, vera est; illa quæ est non boni quoniam bonum est, falsa est. Ergo hæc est similitudo et proportio harum quatuor propositionum. Nam quemadmodum se habet opinio boni quoniam bonum est, ad eam opinionem quæ est boni quoniam bonum non est, eodem modo sese habet et opinio quæ est non boni quoniam non bonum est, ad eam quæ est non boni quoniam bonum est. Nam sicut illic vera una est, altera falsa, ita quoque hic una vera est, altera falsa. Capit igitur exemplum prius ab ea quæ est non boni quoniam non bonum est. Hæc enim, inquit, cum vera sit, quam huic ponemus esse contrariam? eamne quæ dicit, malum est? sed non est contraria. Potest enim simul esse vera, et ea quæ dicit non esse bonum quod bonum non est, et ea quæ dicit malum esse quod bonum non est. Sunt enim quædam non bona quæ mala sunt. Quocirca contrariæ non sunt, in quibus ponitur quod non bonum est, bonum non esse, et quod non est bonum, malum esse. Contrariæ enim veræ simul nequent inveniri, et vera veræ contraria nunquam est, sed nec illa poterit esse contraria huic, quæ dicit malum esse quod bonum non est. Possunt enim quædam non quidem esse pona, non esse tamen mala, ut ex arbore nullius utilitatis causa ramum defringere, si arborem nihil lædat, neque malum neque bonum est. Quare veræ simul possunt esse, et hæc quoque quæ opinantur id quod est non bonum quoniam non bonum est, et id quod est non bonum quoniam malum non est. Quare nec hæ contrariæ sunt; restat igitur ut ejus opinionis quæ est non boni quoniam non bonum est, ea sit contraria quæ est non boni quoniam bonum est. Quod si in his quatuor propositionibus quæ supra descripsimus similitudo servatur, et sicut est opinio non boni quoniam non bonum est, ad eam quæ est non boni quoniam bonum est, sic opinio boni quoniam bonum est ad opinionem boni quoniam bonum non est. Contraria autem est opinio non boni quoniam bonum non est, opinio non boni quoniam bonum est;

contraria igitur erit opinioni boni quoniam bonum est, opinio boni quoniam bonum non est.

Manifestum est autem quoniam nihil interest, nec si universaliter, ponamus affirmationem. Huic enim universalis negatio erit contraria, ut opinioni quæ opinatur quoniam omne quod est bonum bonum est, ea quæ est, quoniam nihil horum quæ bona sunt, bonum est. Nam ejus quæ est boni quoniam bonum est, si universaliter sit bonum, eadem est ei quæ opinatur, id quod bonum est quoniam bonum est. Hoc autem nihil differt ab eo quod est, quoniam omne quod est bonum bonum est. Similiter autem et in non bono. Quare si in opinione sic se habet. Sunt autem hæ quæ sunt in voce affirmationes et negationes notæ eorum quæ sunt in anima. Manifestum est, quoniam affirmationi contraria quidem negationi est circa idem universalis, ut ei quæ est quoniam omne bonum bonum est, vel quoniam omnis homo bonus est, ea quæ est, quoniam nullum, vel nullus, contradictoriæ autem, quoniam non omne, aut non omnis.

Illud quoquo recte commemorat quod nihil differt in opinionibus hæc esse contraria non universaliter constitutis, et in iis quæ sibi universaliter opponuntur. Similiter enim in ea quoque opinione quæ arbitratur omne bonum bonum esse, illa contraria est quæ putat nullum bonum bonum esse. Nam quod dicimus bonum esse id quod bonum est, id si in opinione universaliter affirmetur; ita putandum est, quidquid bonum est bonum esse. Hoc autem nihil differt, tanquam si dicamus, omne bonum bonum est. Quæ opinio cum sit vera, illa ei contrarie opponitur quæ dicit quiquid bonum est bonum non est. Hoc autem nihil differt, tanquam si opinemur nullum bonum bonum esse, et in non bono quoque eodem modo, ut si ita dicamus, omne quod non bonum est non est bonum, et rursus, omne quod non bonum est bonum est, eodem modo sibi sunt istæ contrariæ, ut una vera sit, altera falsa. Quod in contrariis maxime reperitur; quare tota disputatio quæstioque ita concluditur: Nam si ea quæ sunt in anima principia, quædam sunt eorum quæ significantur in voce, vox autem nota quædam est animæ passionum, quidquid contingit in anima, idem quoque ad vocem redire necesse est. Quod si universalis affirmatio et universalis negatio sunt in opinione contrariæ, eodem quoque in vocibus erunt, id est, non erit ea contraria quæ contrarium affirmat, sed ea quæ id quod ante propositum est per universalitatis contrarietatem negat, ut est omne bonum bonum est, vel omnis homo bonus est: his contraria est nullum bonum bonum est, vel nullus homo bonus est. Hoc est enim quod ait, vel quoniam nullum, vel nullus, nullum ad illam referens propositionem, quæ dicit omne bonum bonum est. Nullus illi scilicet opponit quæ dicit omnis homo bonus est, ut sint hoc modo, omne bonum bonum est, huic contraria est nullum bonum bonum est. Rursus omnis homo bonus est, huic contraria, nullus homo bonus est. Contradictorias autem dicit eas esse quas supra posuit, dum de universalibus ac particularibus loqueretur, eas scilicet quæ sunt angulares. Universalis enim affirmatio particulari negationi, et particularis affirmatio universali negationi per contradictionem opponi monstrata est.

Manifestum est autem quoniam et veram veræ non contingit esse contrariam, nec opinionem, nec contradictionem. Contrariæ enim sunt quæ circa opposita sunt, circa eadem autem contingit verum dicere eumdem. Simul autem non contingit eidem inesse contraria.

Ex his quæ supra sunt dicta illud quoque colligit, quod nec ea quæ sunt contraria vera simul esse possint, nec ea quæ vera sunt sibi possint esse contraria, et hoc non solum in opinionibus esse, ut vera opinio veræ opinioni contraria sit, sed in propositionibus quoque; neque enim fieri potest ut duas contrarias simul veras esse contingit. Et hoc per syllogismum colligit hujusmodi. Omnia contraria sunt opposita. Quæ autem opposita sunt, simul eidem inesse non possunt, contraria igitur in uno eodemque esse natura non patitur, quare si duo vera de eodem prædicari possunt, duo autem contraria eidem inesse non possunt. Quæ contraria sunt, vera esse nulla naturæ ratione permittitur. Hoc est enim quod ait, contraria enim sunt quæ circa opposita sunt, id est omne contrarium oppositum est, nec fieri potest ut quæ sunt contraria in oppositis non contineantur: sicut enim in prædicamentis edocuit, contrariorum genus quoddam est oppositio, circa eadem autem contingit verum dicere eumdem, id est duo vera possunt simul esse, et de eodem simul vere prædicari, ut cum dicimus aliquid bonum non esse, et malum esse, utraque simul vere dici possunt. Possunt enim quædam quæ cum bona non sint, tamen mala esse, ut turpitudo bona quidem non est, malum tamen est. Ergo ea quæ vera sunt, simul ut prædicentur vere fieri potest, et ut in eodem sint, simul autem eidem non contingit inesse contraria. Quocirca si vera quidem possunt eidem inesse, contraria autem eidem inesse non possunt, ea quæ contraria sunt, vera simul esse non possunt: quare convertitur, nec quæ vera simul sunt contraria esse possunt. Non igitur fieri potest ut, vel in opinionibus vel in propositionibus ea quæ vera sunt, possit aliquis recte contraria suspicari. Hæc autem quantum brevitas expositionis permittebat expressimus. Quid autem altior hujus libri tractatus edoceat, secundæ editionis series explicabit.

AN. MANL. SEV. BOETII

IN LIBRUM ARISTOTELIS DE INTERPRETATIONE.

LIBRI SEX.

EDITIO SECUNDA, SEU MAJORA COMMENTARIA.

LIBER PRIMUS.

Alexander in commentariis suis hac se impulsum causa pronuntiat sumpsisse longissimum expositionis laborem, quod in multis ille a priorum sententiis scriptorum dissideret. Mihi vero major persequendi operis causa est, quod non facile quisquam vel transferendi, vel etiam commentandi continuam sumpserit seriem, nisi quod Vegetius prætextatus priores postremosque analyticos non vertendo Aristotelem Latino sermoni tradidit, sed transferendo Themistium, quod qui utrosque legit facile intelligit. Albinus quoque de eisdem rebus scripsisse perhibetur, cujus ego geometricos quidem libros editos scio, de dialectica vero diu multumque quæsitos reperire non valui. Si vel igitur ille omnino tacuit, nos prætermissa dicemus, sive aliquid scripsit, nos quoque docti viri imitati studium in eadem laude versabimur. Sed quanquam multa sint Aristotelis quæ subtilissima philosophiæ arte celata sunt, hic tamen ante omnia liber nimis et acumine sententiarum, et verborum brevitate constrictus est. Quocirca plus hic quam in decem prædicamentis expositione sudabitur. Prius ergo quid vox sit diffiniendum est. Hoc enim perspicuo et manifesto omnis libri hujus patefiet intentio. Vox est aeris per linguam percussio, quæ per quasdam gutturis partes, quæ arteriæ vocantur, ab animali profertur. Sunt enim quidam alii soni qui eodem perficiuntur flatu, quos lingua non percutit, ut est tussis. Hæc enim flatu fit quodam per arterias egrediente, sed nulla linguæ impressione formatur, atque ideo nec illis subjacet elementis, scribi enim nullo modo potest. Quocirca vox hæc non dicitur, sed tantum sonus. Illa quoque potest esse diffinitio vocis, ut eam dicamus sonum esse cum quadam imaginatione significandi. Vox namque cum emittitur, significationis alicujus causa profertur. Tussis vero cum sonus sit, nullius significationis causa, surrepit potius quam profertur. Quare quoniam flatus noster ita sese habet, ut si ita percutiatur atque formetur, ut eum lingua percutiat, vox sit. Si eum lingua ita percutiat, ut terminato quodam et circumscripto sono vox exeat, locutio fit quæ Græce dicitur λέξις. Locutio enim est articulata vox, neque enim hunc sermonem, id est λέξιν, dictionem dicemus, idcirco quod φάσιν dictionem interpretamur, λέξιν, locutionem. Cujus locutionis partes sunt litteræ, quæ cum conjunctæ fuerint, unam efficiunt vocem conjunctam compositamque, quæ locutio prædicatur. Sive autem aliquid quæcunque vox significet, ut est hic sermo, homo, sive omnino nihil, sive positum alicui nomen significare possit, ut est blictiri; hæc enim vox cum per se nihil significet, posita tamen ut alicui nomen sit, significabit, sive per se quidem nihil significet, cum aliis vero juncta designet, ut sunt, conjunctiones, hæc omnia locutiones vocantur, ut sit propria locutionis forma vox composita quæ litteris describatur. Ut igitur sit locutio, voce opus est, id est eo sono quem percutit lingua, et ut vox ipsa sit per linguam determinata in eum sonum qui inscribi litteris possit, similiter opus est eo sono quem percutit lingua. Sed ut hæc locutio significativa sit, illud quoque addi oportet ut sit aliqua significandi imaginatio, per quam id quod in voce vel in locutione est proferatur. Aut certe ita dicendum est si in hoc flatu quem per arterias emittimus, sit linguæ sola percussio, vox est. Si vero talis percussio sit, ut in litteras redigat sonum, locutio est. Quod si vis quoque quædam imaginationis addatur, illa significativa vox redditur. Concurrentibus igitur his tribus, linguæ percussione, articulato vocis sonitu, imaginatione aliqua proferendi, fit interpretatio. Interpretatio namque est vox articulata per seipsam significans. Quocirca non omnis vox interpretatio est, sunt enim cæterorum animalium voces, quæ interpretationis vocabulo non tenentur. Nec omnis locutio interpretatio est, idcirco quia (ut dictum est) sunt locutiones quædam, quæ significatione carent et cum per se quædam non significent, juncta tamen cum aliis significant, ut conjunctiones. Interpretatio autem in solis per se significativis et articulatis vocibus permanet. Quare convertitur, ut quidquid sit interpretatio, illud significet. Et quidquid significat, interpretationis vocabulo nuncupetur. Unde etiam ipse quoque Aristoteles in libris quos de Arte poetica scripsit, locutionis partes esse syllabas et conjunctiones etiam tradidit, quarum syllabæ, in eo quod sunt syllabæ, nihil omnino significant. Conjunctiones vero consignificare quidem possunt, per se vero nihil designant. Interpretationis vero partes hoc libro constituit nomen et verbum, quæ scilicet per seipsa significant. Nihilominus quoque orationem interpretationem esse constat, quæ et ipsa cum vox sit et significativis partibus

juncta, significatione non caret. Quare quoniam non de oratione sola, sed etiam de nomine et verbo, nec vero de sola locutione, sed etiam de significativa locutione, quæ est interpretatio, in hoc libro ab Aristotele tractatur, idcirco quoniam verbis atque nominibus, et significativis locutionibus nomen interpretationis aptatur, a communi nomine eorum de quibus in hoc libro tractatur, id est interpretatione, ipse quoque de Interpretatione liber inscriptus est, cujus expositionem nos scilicet quam maxime a Porphyrio, quanquam etiam a cæteris transferentes, Latina oratione digessimus. Hic enim nobis expositor et intellectus acumine et sententiarum dispositione videtur excellere. Erunt ergo interpretationis duæ primæ partes nomen et verbum, his enim quidquid est in animi intellectibus designatur, his namque totus ordo orationis efficitur, et in quantum vox ipsa quidem intellectus significat, in has duas (ut dictum est) secatur partes, nomen et verbum. In quantum vero vox per intellectuum medietatem subjectas intellectui res demonstrat, significantium vocum Aristoteles numerum in decem prædicamenta partitus est, atque hoc distat libri hujus intentio a prædicamentorum in denariam multitudinem numerositate collecta, ut hic quidem tantum de numero significantium vocum quæratur, quantum ad ipsas attinet voces, quibus significativis vocibus intellectus animi designentur, quæ sunt scilicet simplicia quidem nomina et verba, ex his vero compositæ orationes. Prædicamentorum vero hæc intentio est, de significativis rerum vocibus tractare in tantum quantum eas animi medius significet intellectus. Vocis enim quædam qualitas est nomen et verbum, quæ nimirum illa ipsa decem prædicamenta significant. Decem namque prædicamenta nunquam sine aliqua verbi qualitate vel nominis proferuntur. Quare erit libri hujus intentio de significativis rerum vocibus in tantum quantum conceptiones animi intellectusque significent. De decem autem prædicamentis libri intentio in ejus commentario dicta est, quoniam sit de significativis rerum vocibus, quot partibus distribui possit earum significatio, in tantum quantum per sensuum atque intellectuum medietatem res subjectas intellectibus voces ipsæ valeant designare. In opere vero de Arte poetica non eodem modo locutionem, sed omnes omnino locutionis partes apposuit, confirmans esse locutionis partes elementa, syllabas, conjunctiones, articulos, nomina, casus, verba, orationes. Locutio namque non in solis significativis vocibus constat, sed supergrediens significationes vocum, ad articulatos sonos usque consistit. Quælibet enim syllaba, vel quælibet alia vox quæ scribi litteris potest, locutionis nomine continetur, quæ Græce dicitur λέξις. Sed non eodem modo interpretatio, huic namque non est satis ut sit hujusmodi vox quæ litteris valeat adnotari, sed ad hoc ut aliquid quoque significet. Prædicamentorum vero in hoc ratio constituta est, in quo hæ duæ partes interpretationis res intellectibus subjectas designent. Nam quoniam decem res omnino in omni natura reperiuntur, decem quoque intellectus erunt, quos intellectus, quoniam nomina et verba significant, decem omnino erunt prædicamenta, quæ verbis atque nominibus designentur; duo vero quædam sunt, id est nomen et verbum quæ ipsos significent intellectus. Sunt igitur elementa interpretationis verba et nomina, proprie vero partes quibus ipsa constat interpretatio sunt orationes. Orationum vero aliæ sunt perfectæ, aliæ imperfectæ. Perfectæ sunt ex quibus plene id quod dicitur valet intelligi; imperfectæ vero in quibus aliquid adhuc plenius animus exspectat audire, ut est Socrates cum Platone. Nullo enim addito, orationis intellectus adhuc pendet ac titubat, et auditor aliquid ultra exspectat audire. Perfectarum vero orationum partes quinque sunt. Deprecativa, ut: Jupiter omnipotens, precibus si flecteris ullis, Da deinde auxilium, pater, atque hæc omina firma. Imperativa, ut: Vade age, nate, voca zephyros et labere pennis. Interrogativa, ut: Dic mihi, Damœta, cujum pecus, an Melibœi? Vocativa, ut: O pater, o hominum rerumque æterna potestas. Enuntiativa, in qua veritas vel falsitas invenitur, ut: Principio arboribus varia est natura creandis. Hujus autem duæ partes sunt, est namque et simplex oratio enuntiativa, et composita. Simplex, ut: dies est, lux est. Composita, ut: si dies est, lux est. In hoc igitur libro Aristotelis de enuntiativa simplici oratione disputat, et de ejus elementis, nomine scilicet atque verbo. Quæ quoniam significativa sunt, et significativa vox, et articulata interpretationis nomine continetur, de communi (ut dictum est) vocabulo librum de Interpretatione appellavit. Et Theophrastus quidem in eo libro quem de Affirmatione et Negatione composuit, de enuntiativa oratione tractavit. Et Stoici quoque in his libris quos Περὶ ἀξιωμάτων appellant, de eisdem nihilominus disputant, sed illi quidem et de simplici et de non simplici oratione enuntiativa speculantur. Aristoteles vero in hoc libro nihil nisi de sola simplici enuntiativa oratione considerat. Aspasius quoque et Alexander sicut in aliis Aristotelis libris, in hoc quoque commentarios ediderunt, sed uterque Aristotelem de oratione tractasse pronuntiat. Nam si proferre aliquid oratione (ut aiunt ipsi) interpretari est, de interpretatione nimirum liber veluti de oratione perscriptus est, quasi vero sola oratio, ac non verba quoque et nomina interpretationis vocabulo concludantur. Æque namque ac oratio, tam verba et nomina, quæ sunt interpretationis elementa, nomine interpretationis vocantur. Sed Alexander addidit imperfecte sese habere titulum, neque enim designare de qua oratione perscripserit. Multæ namque (ut dictum est) sunt orationes, sed adjiciendum vel subintelligendum putat de oratione illum scribere philosophica vel dialectica, id est qua verum falsumque valeat expediri. Sed qui semel solam orationem interpretationis nomine vocari recipit, in intellectu quoque ipsius inscriptionis erravit. Cur enim putaret imperfectum esse titulum, quoniam

ua oratione disputaret adjecerit: ut si quis
is, Quid est homo? alio respondente, Ani-
st ac dicat, imperfecte illum dixisse, quid
am non sit omnes differentias persecutus.
nic, id est homini, sunt quædam alia com-
nomen animalis, nihil tamen impedit per-
onstrasse quid homo esset, eum qui animal
ive enim differentias addat quis, sive non,
animal necesse est esse. Eodem quoque
e oratione, si quis hoc concedat primum,
l interpretatione dici nisi orationem, cur
erpretatione inscripserit, et de qua inter-
dicat non addiderit, culpetur? Satis est
libri titulum etiam de aliqua continenti
one fecisse, ut nos eum et de nominibus et
le orationibus, cum hæc omnia uno inter-
s nomine continerentur, supra fecisse do-
am hic liber ab eo de interpretatione no-
it. Sed quod addidit, illam interpretationem
qua in oratione possit veritas et falsitas
, est enuntiativa oratio, fingentis est (ut ait
s) significationem nominis potius quam do-
re ille quidem et in intentione libri et in
is est, sed non eodem modo de judicio
ri hujus errat. Andronicus enim librum
otelis esse non putat quem Alexander vere
i redarguit. Quem cum exactum diligen-
istotelis librorum et judicem et repertorem
ntiquitas, cur in hujus libri judicio sit fal-
is est magna admiratione dignissimum.
namque proprium Aristotelis hinc conatur
quoniam quædam Aristoteles in principio
i de intellectibus animi tractat, quos intel-
næ passiones vocavit, et de his se plenius
s anima disputasse commemorat. Et quo-
iones animæ vocabat, vel tristitiam, vel
vel cupiditatem, vel alias hujusmodi affe-
it Andronicus ex hoc probari hunc librum
non esse, quod de hujusmodi affectioni-
n libri de anima tractavisset, non intelli-
ic libro Aristotelem passiones animæ non
onibus, sed pro intellectibus posuisse. His
multa alia addit argumenta cur hoc opus
ristotelis esse videatur. Ea namque dicun-
æ sententiis Aristotelis quæ sunt de enun-
ione consentiant; illud quoque, quod stylus
r brevitatem pressior ab Aristotelis obscu-
discrepat; et quod Theophrastus, ut in
cum de similibus rebus tractat, quæ sci-
iststele ante tractata sunt, in libro quoque
tione et negatione, iisdem aliquibus verbis
ous in hoc libro Aristoteles usus est. Idem
eophrastus dat signum hunc Aristotelis
le: in omnibus enim de quibus ipse dispu-
agistrum, leviter ea tangit quæ ab Aristo-
ante cognovit, alias vero diligentius res
istotele tractatas exsequitur. Hic quoque
,nam quæ Aristoteles hoc libro de enun-
actavit, leviter ab illo transcursa sunt, quæ

A vero magister ejus tacuit, ipse subtiliori modo consi-
derationis adjecit. Addit quoque hanc causam, quo-
niam Aristoteles quidem de syllogismis scribere ani-
matus, nunquam id recte facere potuisset, nisi quæ-
dam de propositionibus adnotaret. Mihi quoque
videtur hoc subtiliter perpendentibus liquere, hunc
librum ad analyticos esse præparatum. Nam sicut hic
de simplici propositione disputat, ita quoque in ana-
lyticis de simplicibus tantum considerat syllogismis,
utipsa syllogismorum propositionumque simplici-
tas, non ad aliud nisi ad continens opus Aristotelis per-
tinere videatur. Quare non est audiendus Andronicus,
qui propter passionum nomen, hunc librum ab Ari-
stotelis operibus separat. Aristoteles enim idcirco
passiones animæ intellectus vocavit, quod intelle-
B ctus quos sermone dicere et oratione proferre con-
suevimus, ex aliqua causa atque utilitate profecti
sunt: ut enim dispersi homines colligerentur, et le-
gibus vellent esse subjecti, civitatesque condere,
utilitas quædam fuit et causa; quocirca quæ ex ali-
qua utilitate eveniunt, ex passione quoque venire
necesse est. Nam ut divina sine ulla sunt passione,
ita nulla illis extrinsecus utilitas valet adjungi. Quæ
vero sunt passibilia semper aliquam causam atque
utilitatem quibus sustententur inveniunt. Quocirca
hujusmodi intellectus qui ad alterum oratione profe-
rendi sunt, quoniam ex aliqua causa atque utilitate
videntur esse collecti, recte passiones animi nomi-
nati sunt. Et de intentione quidem, et de libri inscri-
ptione, et de eo quod hic maxime Aristotelis liber
esse putandus est, hæc dicta sufficiant. Quid vero
C utilitatis habeat, non ignorabit qui sciet qua in ora-
tione veritas constet et falsitas. In sola enim hæc
enuntiativa oratione consistunt. Jam vero quæ divi-
dant verum falsumque; quæve diffinita, vel quæ va-
riæ et mutabiliter veritatem falsitatemque partian-
tur; quæ juncta dici possint, cum separata valeant
prædicari; quæ separata dicantur cum juncta
non sint prædicata; quæ sint negationes cum modo
propositionum; quæ earum consequentiæ, aliaque
plura, in ipso opere considerator poterit diligenter
agnoscere, quarum magnam experietur utilitatem
qui animum cura alicujus investigationis adverterit.
Sed nunc ad ipsius Aristotelis verba veniamus.

DESIGNIS.

D *Primum oportet constituere quid sit nomen, et quid sit verbum, postea quid negatio, et affirmatio, et enuntiatio, et oratio.*

Librum inchoans de quibus in omni serie tracta-
turus sit ante proposuit. Ait enim oportere prius de
quibus disputaturus est diffinire. Hic enim consti-
tuere diffinire intelligendum est. Determinandum
namque est quid hæc omnia sint, id est quid nomen
sit, quid verbum, et cætera, quæ elementa interpre-
tationis esse prædiximus. Sed affirmatio atque nega-
tio sub interpretatione sunt. Quare nomen et verbum
affirmationis et negationis elementa esse manifestum
est. His enim compositis affirmatio et negatio con-
jungantur. Existit hic quædam quæstio cur duo tan-

tum nomen et verbum se determinare promittat,cum plures partes orationis esse videantur. Quibus hoc dicendum est, tantum Aristotelem hoc libro diffinisse, quantum illi ad id quod instituerat tractare suffecit. Tractat namque de simplici enuntiativa oratione,quæ scilicet hujusmodi est,ut junctis tantum verbis et nominibus componatur. Si quis nomen jungat et verbum,ut dicat:Socrates ambulat, simplicem fecit enuntiativam orationem. Enuntiativa namque oratio est(ut supra memoravi)quæ habet in se veri falsive designationem. Sed in hoc quod dicimus,Socrates ambulat,aut veritas necesse est contineatur,aut falsitas. Hoc enim si ambulante Socrate dicitur,verum est, si non ambulante, falsum est. Perficitur ergo enuntiativa oratio simplex ex solis nominibus atque verbis. Quare superfluum est quærere cur alias quoque quæ videntur orationis partes non proposuerit, qui non totius simpliciter orationis,sed tantum simplicis enuntiationis instituit elementa partiri, quanquam hæ duæ proprie partes orationis dicendæ sint, nomen scilicet atque verbum, hæc enim per sese utraque significant. Conjunctiones autem vel præpositiones nihil omnino nisi cum aliis junctæ designant. Participia verbo cognata sunt, vel quod a gerundivo modo veniant, vel quod tempus propria significatione contineant. Interjectiones vero atque pronomina, nec non adverbia in nominis loco ponenda sunt,idcirco quod aliquid diffinitum significant,ubi nulla est vel passionis significatio vel actionis. Quod si casibus horum quædam flecti non possunt,nihil impedit. Sunt enim quædam nomina quæ monoptota vocantur. Quod si quis longius ista et non proxime petita esse arbitretur,illud tamen concedat quod supra jam diximus,non esse æquum calumniari ei qui non de omni oratione,sed tantum de simplici enuntiatione proponat,quod tantum sibi ad diffinitionem sumpserit, quantum arbitratus sit operi instituto sufficere. Quare dicendum est Aristotelem non omnis orationis partes hoc opere velle diffinire, sed tantum solius simplicis orationis enuntiativæ, quæ sunt scilicet nomen et verbum. Argumentum autem hujus rei hoc est. Postquam enim proposuit dicens : Primum oportet constituere quid sit nomen et quid verbum, non statim inquit quid sit oratio, sed mox addidit quid negatio,et quid affirmatio,et quid enuntiatio,postremo vero quid oratio. Quod si de omni oratione loqueretur, post nomen et verbum non de affirmatione et negatione,et post hanc de enuntiatione, sed mox de oratione dixisset. Nunc vero quoniam post nominis et verbi propositionem, affirmationem,negationem,et enuntiationem et post orationem proposuit,confitendum est id quod ante diximus,non orationis universalis, sed simplicis enuntiativæ orationis,quæ dividitur in affirmationem atque negationem,divisionem partium facere voluisse,quæ sunt nomina et verba. Hæc enim per seipsa intellectum simplicem servant, quæ eædem dictiones vocantur,sed non solæ dicuntur. Sunt namque dictiones et aliæ quoque ut orationes vel

A imperfectæ, vel perfectæ, cujus plures esse
supra jam docui,inter quas perfectæ orationi
cies est enuntiatio. Et hujus quoque alia sin
alia composita est. De simplicis vero enuntia
speciebus inter philosophos commentatores qu
tatur. Aiunt enim quidam affirmationem atque
tionem enuntiationi ut species supponi oport
quibus et Porphyrius est. Quidam vero nulla r
consentiunt,sed contendunt affirmationem et
tionem æquivocam esse,et uno quidem enuntia
vocabulo nuncupari,prædicari autem enuntiat
ad utrasque ut nomen æquivocum,non ut genu
vocum, quorum princeps Alexander est, qu
contentiones apponere non videtur inutile. Ac
quibus modis affirmationem atque negatione
B esse species enuntiationis Alexander putet dice
est. Post vero addam qua Porphyrius hæc arg
tatione dissolverit. Alexander namque idcirc
non esse species enuntiationis affirmationem
gationem,quoniam affirmatio prior sit : priore
affirmationem idcirco conatur ostendere,quod
negatio affirmationem tollat ac destruat ;quo
est,prior est affirmatio quæ subruatur,quam
tio quæ subruat. In quibus autem prius aliq
posterius est, illa sub eodem genere poni no
sunt, ut in eo titulo prædicamentorum dictu
qui de his quæ sunt simul inscribitur. Ampli
gatio omnis, inquit, divisio est,affirmatio co
tio atque conjunctio est. Cum enim dico So
vivit, vitam cum Socrate conjunxi. Cum dic
C crates non vivit, vitam a Socrate disjunxi. I
igitur quædam negatio est, conjunctio affir
compositi autem est conjunctique divisio. Pr
igitur conjunctio,quod est affirmatio;posteric
divisio, quod est negatio. Illud quoque adjecit
omnis per affirmationem facta enuntiatio simpl
sit,per negationem facta enuntiatione. Ex neg
enim particula negativa si sublata sit,affirmat
relinquitur. De eo enim quod est,Socrates non
si non particula quæ est ad verbum auferatur,
net Socrates vivit. Simplicior igitur est affir
quam negatio. Prius vero sit necesse est quo
plicius est. In quantitate etiam quod ad quanti
minus est,prius est eo quod ad quantitatem plu
Omnis vero oratio quantitas est; sed cum dico,
D tes non ambulat. Quare si secundum quantitat
firmatio minor est,eam priorem quoque esse ne
est. Illud quoque adjunxit,affirmationem quer
esse habitum, negationem vero privationem
prior est habitus privatione,affirmatio igitur
tione prior est. Et ne singula persequi laborem
his aliisque modis demonstret affirmationem
tione priorem esse,a communi eas genere sepa
Nullas enim arbitratur species sub eodem gener
posse,in quibus prius vel posterius aliquid con
retur. Sed Porphyrius ait sese docuisse species
tiationis esse affirmationem et negationem,
commentariis quos in Theophrastum edidit,hi

Alexandri argumentationem tali ratione dissolvit. Ait enim non oportere arbitrari quæcunque quolibet modo priora essent aliis, ea sub eodem genere poni non posse. Sed quæcunque secundum esse suum atque substantiam priora vel posteriora sunt, ea sola sub eodem genere non ponuntur. Et recte dicitur. Si enim quidquid quolibet modo prius est cum eo quod posterius est sub uno genere esse non potest, nec primis substantiis et secundis commune genus poterit esse substantia; quod qui dicit, a recto ordine rationis exorbitat. Sed quemadmodum quanquam sint primæ et secundæ substantiæ, tamen utræque æqualiter in subjecto non sunt, et idcirco esse ipsorum ex eo pendet, quod in subjecto non sunt, atque ideo sub uno substantiæ genere collocantur. Ita quoque quanquam affirmationes negationibus in orationis prolatione priores sint, tamen ad esse atque ad naturam propriam æqualiter enuntiatione participant. Enuntiatio vero est in qua veritas et falsitas inveniri potest. Qua in re et affirmatio et negatio æquales sunt. Æqualiter enim affirmatio et negatio veritate et falsitate participant. Quocirca quoniam id quod sunt affirmatio et negatio, æqualiter ab enuntiatione participant, a communi eas enuntiationis genere dividi non oportet. Mihi quoque videtur quod Porphyrii sit sequenda sententia, ut affirmatio et negatio communi enuntiationis genere supponantur. Longa namque illa et multiplicia Alexandri argumenta soluta sunt, cum demonstravit Porphyrius non modis omnibus ea quæ priora sunt, sub communi genere poni non posse; sed quæcunque ad esse proprium atque substantiam priora sunt illa sola sub communi genere constitui atque poni non posse. Syrianus vero cui Philoxenus cognomen est, hoc loco quærit cur proponens prius de negatione, post de affirmatione pronuntiaverit dicens: Primum oportet constituere quid sit nomen, et quid verbum, postea quid negatio et affirmatio. Et primo quidem nihil proprium dixit, quoniam in quibus affirmatio potest et negatio provenire, prius esse negatio, postea affirmatio potest, ut de Socrate, si sanus est. Potest ei talis affirmatio aptari, ut de eo dicatur: Socrates sanus est; et hujusmodi potest aptari negatio, ut de eo dicatur: Socrates sanus non est. Quoniam ergo in eum affirmatio et negatio potest provenire, prius evenit, ut sit negatio quam affirmatio. Ante enim quam natus esset, potuit de eo dici, Socrates sanus non est, qui enim natus non erat, nec esse poterat sanus. Huic illud adjecit, servare Aristotelis conversam propositionis et exsecutionis distributionem. Hic enim prius post nomen et verbum de negatione proposuit, post de affirmatione, et hinc de enuntiatione, postremo de oratione, sed proposita diffinitione nominis et verbi prius orationem, postea enuntiationem, tertio affirmationem, ultimo loco negationem determinavit, quam hic post propositionem verbi et nominis primam locaverat. Ut igitur ordo servaretur conversus, idcirco negationem prius ait esse propositam, qua in expositione

A ab Alexandri quoque sententia non discedit. Illud quoque est additum, quod non esset inutile, enuntiationem genus affirmationis et negationis accipi oportere, quod quanquam (ut dictum est) ad prolationem prior est affirmatio, tamen ad ipsam enuntiationem, id est veri falsique æqualiter sub enuntiatione, Aristoteles constituit. Id etiam Aristotelem probare dicit. Præmisit enim primam negationem, secundam posuit affirmationem, quæ res nihil habet vitii, si ad ipsam enuntiationem affirmatio et negatio ponantur æquales, quæ enim æquales sunt, nihil retinent contrarii indifferenter acceptæ. Est igitur ordo quo proposuit primum totius orationis elementum, scilicet nomen et verbum, post hæc negationem et affirmationem, quæ species enuntiationis sunt. Quorum
B genus, id est enuntiationem, tertium nominavit, quartum vero orationem posuit, quæ enuntiationis genus est, et horum se diffinitiones omnium daturum esse promisit, quas interim relinquens atque præteriens, et in posteriorem tractatum differens, illud nunc addit quæ sint verba et nomina, aut quid ipsa significent. Quare antequam ad verba Aristotelis ipsa veniamus, pauca communiter de nominibus atque verbis, et de his quæ significantur a verbis ac nominibus disputemus. Sive enim quælibet interrogatio sit atque responsio, sive perpetua cujuslibet orationis continuatio, atque alterius auditus et intelligentia, sive hic quidem doceat, ille vero discat, tribus his totus orandi ordo perficitur, rebus, intellectibus atque vocibus. Res enim ab intellectu concipitur. Vox vero conceptiones animi intellectusque significat, ipsi vero intellectus et concipiunt subjectas res
C et significantur a vocibus. Cum igitur tria sint hæc per quæ omnis oratio collocutioque perficitur, res quæ subjectæ sunt, intellectus qui res concipiunt, et rursus a vocibus significantur, voces vero quæ intellectus designant, quartum quoque quiddam est, quo voces ipsæ valeant designari, id autem sunt litteræ. Scriptæ namque litteræ ipsas significant voces. Quare quatuor ista sunt, ut litteræ quidem significent voces, voces vero intellectus, intellectus autem res concipiant, quæ scilicet habent quamdam non confusam neque fortuitam consequentiam sed terminato naturæ suæ ordine constant. Res enim semper comitantur eum qui ab ipsis concipitur intellectus, ipsum vero intellectum vox sequitur, sed voces ele-
D menta, id est litteræ. Rebus enim ante propositis et in propria substantia constitutis intellectus oriuntur. Rerum enim semper intellectus sunt, quibus iterum constitutis mox significatio vocis exoritur. Præter intellectum namque vox penitus nihil designat. Sed quoniam voces sunt, idcirco litteræ, quas vocamus elementa, repertæ sunt, quibus vocum qualitas designetur, ad cognitionem vero conversim sese res habet. Namque apud quod eædem sunt litteræ, et qui eisdem elementis utuntur, eisdem quoque nominibus eos ac verbis, id est vocibus, uti necesse est, et qui vocibus eisdem utuntur, iidem quoque apud eos intellectus in animi conceptione versantur. Sed apud

quos iidem intellectus sunt, easdem res eorum intellectibus subjectas esse manifestum est, sed hoc nulla ratione convertitur. Namque apud quos cædem res sunt, idemque intellectus, non statim eædem voces, eædemque sunt litteræ. Nam cum Romanus, Græcus ac barbarus simul videant equum, habent quoque de eo eumdem intellectum quod equus sit, et apud eos eadem res subjecta est, idemque a re ipsa concipitur intellectus, sed Græcus aliter equum vocat, alia quoque vox in equi significatione Romana est, et barbarus ab utroque in equi designatione dissentit, quocirca diversis quoque voces proprias elementis inscribunt. Recte igitur dictum est apud quos eædem res iidemque intellectus sunt, non statim apud eos vel easdem voces, vel eadem elementa consistere. Præcedit autem res intellectum, intellectus vocem, vox litteras, sed hoc converti non potest; neque enim si litteræ sunt, mox aliquas ex his significatio vocis existit. Hominibus namque qui litteras ignorant nullum nomen quælibet elementa significant, quippe qui nesciunt; neque si voces sunt, mox intellectus necesse est. Plures enim voces invenies quæ nihil omnino significent, nec intellectui quoque subjecta res semper est. Sunt enim intellectus sine re ulla sibi subjecta, ut quos centauros vel chimæras poetæ finxerunt. Horum enim intellectus sunt quibus subjecta est nulla substantia. Sed si quis ad naturam redeat eamque consideret diligenter, agnoscet cum res est, ejus quoque intellectum esse. Quod si non apud homines, certe apud Deum, qui propriæ divinitate substantiæ in propria natura ipsius rei nihil ignorat. Et si intellectus et vox est, quod si vox fuerit ejus quoque sunt litteræ, quæ si ignorantur, nihil ad ipsam vocis naturam pertinet. Nequa enim quasi causa quædam vocum est intellectus, aut vox causa litterarum, ut cum eædem sint apud aliquos litteræ, necesse sit eadem quoque esse nomina. Ita quoque cum eædem sint vel res vel intellectus apud aliquos, mox non necesse est intellectuum ipsorum vel rerum eadem esse vocabula. Namque cum eadem sit, et res et intellectus hominis, apud diversos tamen homines hujusmodi substantia aliter et diverso nomine nuncupatur. Quare voces quoque cum eædem sint, possunt litteræ esse diversæ, ut in hoc nomine quod est homo, cum unum sit nomen, diversis litteris scribi potest, namque Latinis litteris scribi potest, potest etiam Græcis, potest aliis nunc primum inventis figurarum figuris. Quare quoniam apud quos eædem res sunt, eosdem intellectus esse necesse est, apud quos iidem intellectus sunt, voces eædem non sunt, et apud quos eædem voces sunt, non necesse est eadem elementa constitui, dicendum est res et intellectus, quoniam apud omnes iidem sunt, esse naturaliter constitutos; voces vero neque ad litteras, quoniam diversis hominum positionibus permutantur, non esse naturaliter, sed positione. Concludendum est igitur quoniam apud quos eadem sunt elementa, apud eos quoque eædem voces sunt; et apud quos eædem voces sunt, iidem sunt intellectus; apud quos autem iidem sunt intellectus, apud eos quoque res eædem subjectæ sunt. Rursus apud quos eædem res sunt, iidem quoque sunt intellectus; apud quos iidem intellectus, non eædem voces sunt; nec apud quos eædem voces sunt, eisdem semper litteris verba ipsa vel nomina designantur. Sed nos in supradictis sententiis elemento atque littera promiscue usi sumus; quæ autem sit horum distantia paucis absolvam. Littera est inscriptio atque figura partis minimæ vocis articulatæ, elementum vero sonus ipsius inscriptionis; ut cum scribo litteram quæ est formula ipsa quæ atramento vel graphio scribitur littera nominatur, ipse vero sonus quo ipsam litteram voce proferimus dicitur elementum. Quocirca hoc cognito illud dicendum est, quod is qui docet, vel qui continua oratione loquitur, vel qui interrogat, contrarie se habet his qui vel discunt, vel audiunt, vel respondent in his tribus, voce scilicet, intellectu et re, prætermittantur enim litteræ propter eos qui earum sunt expertes. Nam qui docet, et qui dicit, et qui interrogat, a rebus ad intellectum profectus per nomina et verba vim propriæ actionis exercet atque officium. Rebus enim subjectis ab his capiunt intellectus, et per nomina et verba pronuntiant. Qui vero discit, vel qui audit, vel etiam qui respondet, a nominibus ad intellectus progressus ad res usque pervenit. Accipiens enim is qui discit, vel qui audit, vel qui respondet, docentis, vel dicentis, vel interrogantis sermonem, quid unusquisque illorum dicat intelligit, et intelligens rerum quoque scientiam capit, et in ea consistit. Recte igitur dictum est in voce, intellectu, atque re contrarie esse habere eos qui docent, dicunt et interrogant, atque eos qui discunt, audiunt et respondent. Cum igitur hæc sint quatuor, litteræ, voces, intellectus et res, proxime quidem et principaliter litteræ verba et nomina significant. Hæc vero principaliter quidem intellectus, secundo vero loco res quoque designant, Intellectus vero ipsi nihil aliud nisi rerum significativi sunt. Antiquiores vero quorum est Plato, Aristoteles, Speusippus et Xenocrates, hi inter res et significationes intellectuum medios sensus ponunt, in sensibilibus rebus vel imaginationes quasdam, in quibus intellectus ipsius origo consistat. Et nunc quidem quid de hac re Stoici dicunt prætermittendum est. Hoc autem ex his omnibus solum cognosci oportet, quod ea quæ sunt in litteris, eam significent orationem quæ in voce consistit, et quod ea quæ est vocis oratio, animi atque intellectus orationem designet, quæ tacita cogitatione conficitur, et quod hæc intellectus oratio subjectas principaliter sibi res concipiat ac designet. Ex quibus quatuor duas quidem Aristoteles esse naturaliter dicit res et animi conceptiones, id est eam quæ fit in intellectibus orationem, idcirco quod apud omnes eædem atque mutabiles sint; duas vero non naturaliter, sed positione constitui, quæ sunt nomina et litteræ, quas idcirco naturaliter fixas esse non dicit, quod (ut supra demonstratum est) non eisdem vocibus omnes,

aut eisdem utantur elementis. Atque hoc est quod ait:

Sunt ergo ea quæ sunt in voce earum quæ sunt in anima passionum notæ, et ea quæ scribuntur eorum quæ sunt in voce. Ac quemadmodum nec litteræ eædem omnibus, sic nec eædem voces. Quorum autem hæ primo notæ sunt, eædem omnibus passiones animæ sunt, et quorum hæ similitudines sunt, res eædem. De his itaque dictum est in his quæ dicta sunt de anima, alterius enim est negotii.

Cum igitur prius præposuisset nomen et verbum, et quæcunque secutus et postea se diffinire promisisset, hæc interim prætermittens, de passionibus animæ deque earum notis, quæ sunt scilicet voces, pauca præmittit. Sed cur hoc ita interposuerit, plurimi commentatores causas reddere neglexerunt, sed a tribus tantum quantum adhuc sciam ratio hujus interpositionis explicata est, quorum Herminiquidem a rerum veritate longe disjuncta est. Ait enim idcirco Aristotelem de notis animæ passionum interposuisse sermonem, ut utilitatem propositi operis inculcaret. Disputaturus enim de vocibus quæ sunt notæ animæ passionum, recte de his quædam promisit. Nam cum suæ nullus animæ passiones ignoret, notas quoque cum animæ passionibus non nescire utilissimum est, neque enim illæ cognosci possunt nisi per voces quæ sunt earum scilicet notæ. Alexander vero aliam hujusmodi interpositionis reddit causam, quoniam, inquit, nomina et verba interpretatione simplici continentur. Oratio vero ex verbis nominibusque conjuncta est, et in ea jam veritas aut falsitas invenitur ; sive autem quilibet sermo sit simplex, sive jam oratio conjuncta atque composita, ex his quæ significantur momentum sumunt. In illis enim prius est eorum ordo et continentia, post redundat in voces ; quocirca quoniam significantium momentum ex his quæ significantur oritur, idcirco prius nos de his quæ voces ipsæ significant docere proponit. Sed Herminus hoc loco repudiandus est. Nihil enim tale quod ad causas propositæ sententiæ pertineret explicuit. Alexander vero strictim proxima intelligentia prætervectus tetigit quidem causam, non tamen principalem rationem Aristotelicæ propositionis exsolvit. Sed Porphyrius hanc ipsam plenius causam originemque sermonis hujus ante oculos collocavit, qui omnem apud priscos philosophos de significationis vi contentionem litemque retexuit. Ait namque dubie apud antiquorum philosophorum sententias constitisse quid esset proprie quod vocibus significaretur : putabant namque alii res vocibus designari, earumque vocabula esse ea quæ sonuerint in vocibus arbitrantur. Alii vero incorporeos quasdam naturas meditabantur, quarum essent significationes quæcunque vocibus designarentur, Platonis aliquo modo species incorporeas æmulati dicentis, hoc ipsum homo et hoc ipsum equus, non hanc cujuslibet subjectam substantiam, sed ipsum illum hominem specialem et illum ipsum equum universaliter et incorporaliter cogitantes incorporeas quasdam naturas constituebant, quas ad significandum primas venire putabant, et cum aliis item rebus in significationibus posse conjungi, ut ex his aliqua enuntiatio vel oratio conficeretur. Alii vero sensus, alii imaginationes significari vocibus arbitrabantur. Cum igitur ista esset contentio apud superiores, et hæc usque ad Aristotelis pervenisset ætatem, necesse fuit ut qui nomen et verbum significativa esset diffiniturus, prædiceret quorum ista designativa sint. Aristoteles enim nominibus et verbis res subjectas significari non putat, nec vero sensus vel etiam imaginationes. Sensuum quidem non esse significativas voces nomina et verba in opere de justitia declarat dicens: Φύσει γὰρ διηνέχθησαν τάδε νοήματα καὶ τὰ αἰσθήματα, quæ interpretari Latine potest hoc modo : *Natura enim sunt diversa intellectus et sensus.* Differre igitur aliquid arbitratus sensus atque intellectus ; sed qui passiones animæ a vocibus significari dicit, is non de sensibus loquitur. Sensus enim passiones corporis sunt. Si igitur ita dixisset passiones corporis a vocibus significari, tunc merito sensus intelligeremus. Sed quoniam passiones animæ nomina et verba significare proposuit, non sensus sed intellectus eum dicere putandum est. Sed quoniam imaginatio quoque res animæ est, dubitaverit aliquis ne forte passiones animæ imaginationes, quas Græci φαντασίας nominant, dicat. Sed hæc in libris de Anima verissime diligentissimeque separavit dicens: Ἔστι δὲ φαντασία ἕτερον καταφάσεως καὶ ἀποφάσεως, συμπλοκὴ γὰρ νοημάτων ἐστὶ τὸ ἀληθὲς ἢ ψεῦδος, τὰ δὲ πρῶτα νοήματα τί διοίσει τοῦ μὴ αὐτὰ φαντάσματα εἶναι; Ποιοῦδ' αὐτὰ φαντάσματα, ἀλλ' οὐκ ἄνευ φαντασμάτων. Quod sic interpretatur. *Est autem imaginatio diversa affirmatione et negatione, complexio namque intellectuum est veritas vel falsitas, primi vero intellectus quid discrepabunt, ut non sint imaginationes? Certe neque hæc sunt imaginationes, sed sine imaginationibus non sunt.* Quæ sententia demonstrat aliud quidem esse imaginationes, aliud intellectus, ex intellectuum quidem complexione affirmationes fieri et negationes : quocirca illud quoque dubitavit, utrum primi intellectus imaginationes quædam essent. Primos autem intellectus dicimus, qui simplicem rem concipiunt, ut si quis dicat Socrates solum, dubitatque utrum hujusmodi intellectus, qui se nihil neque veri continet neque falsi, intellectus sit, an ipsius Socratis imaginatio. Sed de hoc quoque aperte quidem videtur ostendere, ait enim an certe neque hæc sunt imaginationes, sed non sine imaginationibus sunt. Id enim quod hic sermo significat, qui est Socrates, vel alius, simplex non est quidem imaginatio, sed intellectus, qui intellectus præter imaginationem fieri non potest. Sensus enim atque imaginatio quædam primæ figuræ sunt, supra quas velut fundamento quodam superveniens intelligentia nititur. Nam sicut pictores solent designare lineatim corpus atque substernere in corpore ubi coloribus cujuslibet exprimant vultum, sic sensus atque imaginatio naturaliter in animæ perceptione substernitur. Nam cum res aliqua sub sensum vel cogitationem cadit, prius ejus necesse est ut quædam imaginatio nascatur. Post

vero plenior superveniat intellectus, cunctas ejus explicans partes quæ confuse fuerant imaginatione præsumptæ. Quocirca imperfectum quiddam est imaginatio. Nomina vero et verba non curta quædam, sed perfecta significant: quare recta Aristotelis sententia est, quæcunque in verbis nominibusque versantur, ea neque sensus, neque imaginationis, sed solam significare intellectuum qualitatem. Unde illud quoque ab Aristotele fluentes Peripateci rectissime posuere, tres esse orationes, unam quæ scribi possit litteris, alteram quæ voce proferri, tertiam quæ cogitatione connectitur, unamque intellectibus, alteram voce, tertiam litteris contineri. Quocirca quoniam id quod significaretur a vocibus intellectus esse Aristoteles putabat, nomina vero et verba significativa esse in eorum erat diffinitionibus positurus, recte quorum essent significativa prædixit, erroremque lectoris ex multiplici veterum lite venientem sententiæ suæ manifestatione compescuit, atque hoc modo nihil in eo deprehenditur esse superfluum, nihilque ab ordinis continuatione sejunctum. Quærit vero Porphyrius cur ita dixerit : Sunt ergo ea quæ sunt in voce, et non sic, sunt ergo voces ; et rursus cur ita et ea quæ scribuntur, et non dixerit, et litteræ, quod resolvit hoc modo. Dictum est tres esse apud Peripateticos orationes, unam quæ litteris scribitur, aliam quæ profertur in voce, tertiam quæ conjungeretur in animo. Quod si tres orationes sunt, partes quoque orationis triplices esse nulla dubitatio est. Quare quoniam verbum et nomen principaliter orationis partes sunt, erunt alia verba et nomina quæ scribantur, alia quæ dicantur, alia quæ tacita mente tractentur. Ergo quoniam proposuit dicens: Primum oportet constituere quid sit nomen et quid sit verbum, triplex autem nominum natura est atque verborum, de quibus potissimum proposuerit, et quæ diffinire velit ostendit, et quoniam de his nominibus loquitur ac verbis, quæ voce proferuntur, idipsum planius explicans ait: Sunt ergo ea quæ sunt in voce earum quæ sunt in anima passionum notæ, et ea quæ scribuntur eorum quæ sunt in voce, velut si diceret: Ea verba et ea nomina quæ in vocali oratione proferuntur, animæ passiones denuntiant. Illa autem rursus verba et nomina quæ scribuntur, eorum verborum nominumque significationi præsunt quæ voce proferuntur. Nam sicut vocalis orationis verba et nomina conceptiones animi intellectusque significant, ita quoque verba et nomina illa quæ in solis litterarum formulis jacent illorum verborum et nominum significativa sunt quæ loquimur, id est quæ per vocem sonamus ; nam quod ait: Sunt ergo ea quæ sunt in voce, subaudiendum est nomina et verba. Et rursus cum dicit : Et ea quæ scribuntur, idem subnectendum rursus est, verba scilicet et nomina. Et quod rursus adjecit : Eorum quæ sunt in voce, addendum est; eorum hominem atque verborum quæ profert atque explicat vocalis oratio. Quod si nihil deesset omnino, ita foret totius plenitudo sententiæ. Sunt ergo ea nomina et verba quæ in voce sunt earum quæ A sunt in anima passionum notæ, et ea verba et nomina quæ scribuntur eorum verborum et nominum quæ sunt in voce: quod communiter sub intelligendum est, licet ea quæ subjunximus deesse videantur; quare non est disjuncta sententia, sed primæ propositioni continua. Nam cum quid sit verbum, et quid nomen diffinire constituit, cum nominis et verbi natura sit multiplex, de quo nomine et verbo tractare vellet clara significatione distinxit. Incipiens igitur ab his nominibus et verbis quæ in voce sunt, quorum essent significativa disseruit. Ait enim hæc passiones animæ designare. Illud quoque adjecit quibus ipsa nomina et verba quæ in voce sunt designentur, his scilicet quæ litterarum formulis exprimuntur. Sed quoniam non omnis vox significativa est, verba autem et nomina nunquam significationibus carent quoniamque B non omnis vox quæ significat quadam positione designat, sed quædam naturaliter, ut lacrymæ, gemitus atque mœror, animalium quoque cæterorum quædam voces naturaliter aliquid ostendunt, ut ex canum latrantibus iracundia, eorumque alia quadam voce blandimenta monstrantur ; verba autem et nomina positione significant, nec solum sunt verba et nomina voces, sed voces significativæ, nec solum voces significativæ, sed etiam quæ positione designent aliquid, non natura, non dixit; sunt igitur voces earum quæ sunt in anima passionum notæ ; namque neque omnis vox significativa est, et sunt quædam significativa quæ naturaliter non positione significent : quod si ita dixisset, nihil ad proprietatem verborum et nominum pertineret. Quocirca non voluit communiter C dicere voces, sed dixit tantum ea quæ sunt in voce. Vox enim universale quiddam est, nomine vero et verba partes, pars autem omnis in toto est, verba ergo et nomina quoniam sunt intra vocem, recte dictum est, ea quæ sunt in voce, velut si diceret, quoniam intra vocem continentur, intellectuum designativa sunt; sed hoc simile est ac si ita dixisset, vox certo modo se habens significat intellectus. Non enim (ut dictum est) nomen et verbum voces tantum sunt. Sicut nummus quoque non solum æs impressum quadam figura est, ut nummus vocetur, sed etiam ut alterius sit rei pretium ; eodem quoque modo verba et nomina non solum voces sunt, sed positæ ad quamdam intellectuum significationem. Vox enim quæ nihil designat, ut est gargulus, licet D eam grammatici figuram vocis intuentes nomen esse contendant, tamen eam nomen philosophia non putavit, ni sit posita ut designaret aliquam animi conceptionem, eoque modo significare aliquid rerum possit, etenim nomen alicujus nomen esse necesse erit ; sed si vox aliqua nihil designat, nullius nomen est ; quare si nullius nomen est, nec nomen quidem esse dicitur. Atque ideo hujusmodi vox, id est significativa, non vox tantum, sed verbum vocatur aut nomen, quemadmodum nummus non æs, sed proprio nomine nummus, quod ab alio ære discrepet, nuncupatur. Ergo Aristotelis hæc sententia qua ait ea quæ sunt in voce, nihil aliud designat nisi eam vocem,

quæ non solum vox sit, sed quæ cum vox sit, habeat tamen aliquam proprietatem et aliquam quodammodo figuram positæ significationis impressam, horum vero,id est verborum et nominum quæ sunt in voce, aliquo modo sese habente, ea sunt scilicet significativa quæ scribuntur,ut hoc quod dictum est, quæ scribuntur,de verbis ac nominibus dictum, quæ sunt in litteris,intelligatur. Potest vero hæc quoque esse ratio cur dixerit,et ea quæ scribuntur,quoniam litteras et scriptas figuras et voces, quæ eisdem significantur formulis,nuncupamus,ut *a* et ipse sonus litteræ nomen capit, et illa quæ in subjecto cæræ vocem significans forma describitur.Designare ergo volens quibus verbis atque nominibus ea quæ in voce sunt apparent, non dixit litteras, quod ad sonos etiam referri poterat litterarum,sed ait quæ scribuntur, ut ostenderet de his litteris dicere quæ in scriptione constiterunt, id est quarum figura et in cæra, stylo, et in membrana, calamo posset effingi. Alioqui illa etiam quæ in sonis sunt, ad ea nomina referuntur quæ in voce sunt, quoniam sonis illis nomina et verba junguntur. Sed Porphyrius de utraque expositione judicavit dicens: Id quod ait,et quæ scribuntur,non potius ad litteras, sed ad verba et nomina quæ posita sunt in litterarum inscriptione, referendum.Restat igitur ut illud quoque addamus cur non ita dixerit. Sunt ergo ea quæ sunt in voce intellectuum notæ.Sed ita,earum quæ sunt in anima passionum notæ. Nam cum ea quæ sunt in voce res intellectusque significent, principaliter quidem intellectus,res vero quas ipsa intelligentia comprehendit,secundaria significatione per intellectum medietatem, intellectus ipsi non sine quibusdam passionibus sunt quæ in animam ex subjectis veniunt rebus. Passus enim quilibet ejus rei proprietatem,quam intellectu complectitur,ad ejus enuntiationem designationemque contendit: cum enim quis aliquam rem intelligit, prius imaginatione formam necesse est intellectæ rei proprietatemque suscipiat,et fiat vel passio,vel cum passione quædam intellectus perceptio;hac vero posita ac in mentis sedibus collocata,fit indicandæ ad alterum passionis voluntas,cui actus quidem continuandæ intelligentiæ protinus ex intimæ rationis potestate supervenit, quem explicat scilicet et effudit oratio,nitens ea quæ primitus in mente fundata est passione,sive, quod est verius,progressa oratio,progrediente simul et significatione et significantis se orationis motibus adæquante. Fit vero hæc passio velut figuræ alicujus impressio,sed ita ut in animo fieri consuevit. Aliter namque naturaliter est in re qualibet propria figura,aliter vero ejus ad animum forma transfertur,velut non eodem modo cæræ,vel marmori, vel chartis, litteræ, id est vocum signa, mandantur,et imaginationem Stoici a rebus in animam translatam loquuntur,sed cum adjectione semper,dicentes, ut in anima fieri consuevit. Quocirca cum omnis animæ passio rei quædam videatur esse proprietas,porro autem cum designativæ voces intellectuum principaliter, rerum de hinc a quibus intellectus profecti sunt significatione nitantur,quidquid est in vocibus significativum, id animæ passiones designat;sed hæ passiones animorum ex rerum similitudine procreantur : videns namque aliquis sphæram,vel quadratum,vel quamlibet rerum aliam figuram, eam in animi intelligentia quadam vi ac similitudine capit. Nam qui sphæram viderit, ejus similitudinem in animo perpendit et cogitat,atque ejus in animo quamdam passus imaginem,id cujus imaginem patitur agnoscit. Omnis vero imago rei, cujus imago est similitudinem tenet; mens igitur cum intelligit,rerum similitudinem comprehendit. Unde fit ut cum duorum corporum majus unum, minus alterum contuemur, a sensu postea remotis corporibus illa ipsa corpora cogitantes,illud quoque memoria servantes, noverimus sciemusque quod minus,quod vero majus corpus fuisse conspeximus, quod nullatenus eveniret nisi quas mens semel passa est rerum similitudines obtineret. Quare quoniam passiones animæ quas intellectus vocant rerum quædam similitudines sunt,idcirco Aristoteles cum paulo post de passionibus animæ loqueretur continenti ordine ad similitudines transitum fecit,quoniam nihil differt utrum passiones diceret an similitudines.Eadem namque res animæ quidem passio est,rei vero similitudo.Et Alexander hunc locum:Sunt ergo ea quæ sunt in voce earum quæ sunt in anima passionum notæ,et ea quæ scribuntur eorum quæ sunt in voce, et quemadmodum nec litteræ omnibus eadem, sic nec eædem voces, hoc modo conatur exponere. Proposuit,inquit, ea quæ sunt in voce intellectus animi designare,et hoc probat exemplo.Eodem enim modo ea quæ sunt in voce passiones animæ significant quemadmodum ea quæ scribuntur voces designant, ut id quod ait et ea quæ scribuntur ita intelligamus, tanquam si diceret, quemadmodum etiam ea quæ scribuntur eorum quæ sunt in voce,ea vero quæ scribuntur,inquit Alexander, notas esse vocum, id est nominum ac verborum:ex hoc monstravit quod dixit, et quemadmodum nec litteræ omnibus eædem, sic nec eædem voces. Signum namque est vocum ipsarum significationem litteris contineri,quod ubi variæ sunt litteræ et non eædem quæ scribuntur, varias quoque voces esse necesse est, hæc Alexander. Porphyrius vero quoniam tres proposuit orationes,unam quæ litteris contineretur, secundam quæ verbis ac nominibus personaret,tertiam quam mentis evolveret intellectus,id Aristotelem significare pronuntiat,cum dicit:Sunt ergo ea quæ sunt in voces earum quæ sunt in anima passionum notæ, quod ostenderet ac si ita dixisset, Sunt ergo ea quæ sunt in voce,et verba, et nomina animæ passionum notæ;et quoniam monstravit quorum voces essent significativæ, illud quoque docuisse pronuntiat quibus signis verba et nomina panderentur,ideo addidisse,et ea quæ scribuntur eorum quæ sunt in voce,tanquam si diceret,ea quæ scribuntur nomina et verba eorum quæ sunt in voce nominum et verborum notæ sunt,nec disjunctam esse sententiam,nec(ut Alexander puta)id quod ait:Et ea

quæ scribuntur,ita intelligendum,tanquam si diceret,sicut ea quæ scribuntur,id est litteræ illa quæ sunt in voce significant,ita ea quæ sunt in voce notas esse animæ passionum. Primo quidem quod ad simplicem sensum nihil addi oportet,deinde quod tam brevis ordo,tanquam necessaria orationis non est intercidenda partitio, tertio quoniam si similis est significatio litterarum vocumque,quæ est vocum ei animæ passionum, oporteret sicut voces diversis literis permutantur,ita quoque passiones animæ diversis vocibus permutari,quod non fit,idem namque intellectus variatis potest vocibus significari. Sed Alexander id quod eum sensisse superius memoravi, hoc probare nititur argumento. Ait enim etiam in hoc quoque similem esse significationem litterarum ac vocum,quoniam sicut litteræ non naturaliter voces,sed positione significant, ita quoque voces non naturaliter animi intellectus, sed aliqua positione designant. Sed qui prius recepit,ut id quod Aristoteles ait : Et ea quæ scribuntur,ita dictum esse tanquam si diceret,sicut ea quæ scribuntur,quidquid ad hanc sententiam videtur adjungere,æqualiter non dubitatur errare. Quocirca nostro judicio qui rectius tenere volent, Porphyrii sententiis applicabunt. Aspasius quoque secundæ sententiæ Alexandri, quam supra posuimus,valde consentit,qui a nobis in eodem quo Alexander errore culpabitur. Aristoteles vero duobus modis has notas esse putat, litterarum,vocum,passionumque animæ constitutas,uno quidem positione,alio vero naturaliter. Atque hoc est quod ait, Et quemadmodum nec litteræ omnibus eædem,sic nec eædem voces. Nam si litteræ voces, ipsæ vero voces intellectus animi naturaliter designarent, omnes homines eisdem litteris,eisdem etiam vocibus uterentur. Quod quoniam apud omnes nec eædem litteræ,neque eædem voces sunt,constat eas non esse naturales. Sed hic duplex lectio est. Alexander enim hoc modo legi putat oportere : Quorum autem hæ primo notæ,eædem omnibus passiones animæ sunt, et quorum eædem similitudines, res etiam eadem. Volens enim Aristoteles ea quæ positione significant ab iis quæ aliquid designant naturaliter segregare,hoc interposuit,ea quæ positione significant varia esse ; ea vero quæ naturaliter apud omnes eadem. Et inchoans quidem a vocibus ad litteras venit, easque primo non esse naturaliter significativas demonstrat dicens : Et quemadmodum nec litteræ omnibus eædem,sic nec eædem voces ; nam si idcirco probantur litteræ non esse naturaliter significantes, quod apud alios aliæ sint ac diversæ, eodem quoque modo probabile erit voces quoque non naturaliter significare, quoniam singulæ hominum gentes non iisdem inter se vocibus colloquuntur. Volens vero similitudinem intellectuum rerumque subjectarum docere naturaliter constitutam, ait : Quorum autem hæ primo notæ, eædem omnibus passiones animæ sunt, quorum, inquit, voces quæ apud diversas gentes ipsæ quoque diversæ sunt significationem retinent,quæ scilicet sunt animæ passiones, illæ apud omnes eædem sunt. Neque enim fieri potest ut quod apud Romanos homo intelligitur,lapis apud barbaros intelligatur. Eodem quoque modo de cæteris rebus. Ergo hujusmodi sententia est,quæ dicit ea quæ voces significent apud omnes hominum gentes non mutari, ut ipsæ quidem voces, sicut supra monstravit cum dixit quemadmodum nec litteræ omnibus eædem, sic nec eædem voces,cum apud plures diversæ sint,illud vero quod voces ipsæ significant apud omnes homines idem sit,nec ulla ratione voleat permutari,quid sunt scilicet intellectus rerum,qui quoniam naturaliter sunt permutari non possunt. Atque hoc est quod ait,Quorum autem hæ primo notæ,id est voces eædem omnibus passiones animæ sunt,ut demonstraret voces quidem esse diversas,quorum autem ipsæ voces significativæ essent,quæ sunt scilicet animæ passiones, easdem apud omnes esse,nec ulla ratione,quoniam sunt constitutæ naturaliter,permutari. Nec vero in hoc constituit ut de solis vocibus atque intellectibus loqueretur. Sed quoniam voces atque litteras non esse naturaliter constitutas per id significavit,quod eas non apud omnes easdem esse proposuit,rursus intellectus quos animæ passiones vocat,per hoc esse naturales ostendit,quod apud omnes iidem sint, a quibus, id est intellectibus, ad res transitum fecit. Ait enim quorum hæ similitudines,res etiam eædem. Hoc scilicet sentiens, quod res quoque naturaliter apud omnes essent eædem : sicut enim ipsæ animæ passiones quæ ex rebus sumuntur apud omnes homines eædem,sunt,ita quoque etiam ipsæ res quarum similitudines sunt animæ passiones eædem apud omnes sunt. Quocirca res quoque naturales sunt,sicut sunt etiam similitudines rerum,quæ sunt passiones animæ. Herminus vero huic est expositioni contrarius. Dicit enim non esse verum eosdem apud omnes homines esse intellectus,quorum voces significativæ. Quid enim,inquit,in æquivocatione dicetur ? ubi unus idemque vocis modus plura significat : sed magis hanc lectionem veram putat,ut ita sit. Quorum autem hæ primo notæ,hæ omnibus passiones animæ sunt,et quorum hæ similitudines, res etiam eædem : ut demonstrasse videatur quorum voces significativæ sint,vel quorum passiones animæ similitudines. Et hoc simpliciter accipiendum est secundum Herminum,ut ita dicamus,Quorum voces significativæ sunt, illæ sunt animæ passiones,tanquam diceret: animæ passiones sunt,quas significant voces,et rursus quorum similitudines sunt ea quæ intellectibus continentur,illæ sunt res. Tanquam si dixisset, res sunt quas intellectus significant. Sed Porphyrius de utrisque acute subtiliterque judicat,et Alexandri sententiam magis probat, quod dicat non debere dissimulari ne multiplici æquivocationis significatione. Nam et qui dicit ad unam quamlibet rem accommodat animum,scilicet quam intelligens voce declarat,et unum rursus intellectum quemlibet is qui audit exspectat. Quod si cum uterque ex uno nomine res diversas intelligit, ille qui nomen æquivocum dixit, designet clarius quid illo nomine significare voluerit,accipit mox qui

audit, et ad unum intellectum utrique conveniunt, qui rursus fit unus apud eosdem illos apud quos primo diversæ fuerant animæ passiones propter æquivocationem nominis. Neque enim fieri potest ut quivoces positione significantes a natura eo distinxit quod easdem omnes esse non diceret, eas res quas naturaliter esse proponebat, non eo tales esse monstraret, quod apud omnes easdem esse contenderet. Quocirca Alexander, vel propria sententia, vel Porphyrii auctoritate probandus est. Sed quoniam ita dixit Aristoteles, Quorum autem hæ primo notæ, eædem omnibus passiones animæ sunt, quærit Alexander si rerum nomina sunt, quid causæ est ut primo intellectuum notas esse voces dixerit Aristoteles. Rei enim ponitur nomen, ut cum dicimus homo, significamus quidem intellectum, rei tamen nomen est, id est animalis, rationalis, mortalis. Cur ergo non primarum rerum magis notæ sunt voces quibus ponuntur; potius quam intellectuum? Sed fortasse quidem ob hoc dictum est, inquit, quod licet voces rerum nomina sint, tamen non idcirco utimur vocibus, ut res significemus, sed ut eas quæ nobis ex rebus innatæ sunt animæ passiones. Quocirca propter quorum significantiam voces ipsæ proferuntur, recte eorum primo esse dixit notas. In hoc vero Aspasius permolestus est. At enim qui fieri potest, ut eædem apud omnes animæ passiones sint, cum tam diversa sententia de justo ac bono sit? Arbitratur enim Aspasius passiones animæ non de rebus incorporalibus, sed de his tantum quæ sensibus capi possunt, Aristotelem passiones animæ dixisse, quod perfalsum est. Neque enim unquam intellexisse dicetur, qui fallitur, et fortasse quidem passionem animi habuisse dicetur, quicunque id quod bonum est, non eodem modo quo est, sed aliter, arbitratur, intellexisse vero non dicitur. Aristoteles autem cum de similitudine loquitur, de intellectu pronuntiat. Neque enim fieri potest ut qui quod bonum est malum esse arbitretur, similitudinem boni mente conceperit. Neque enim intellexit rem subjectam sed quoniam quæ, sunt justa ac bona ad positionem omnia naturamve referuntur, et si de justo ac bono ita loquitur, ut de eo quod civile jus, aut civilis injuria dicitur, recte non eædem sunt passiones animæ, quoniam civile jus, civile bonum positione est non natura. Naturale vero bonum atque justum apud omnes gentes idem est. Et de Deo quoque idem est, cujus quamvis cultura diversa sit, idem tamen cujusdam eminentissimæ naturæ est intellectus. Quare repetendum breviter a principio est, partibus enim ad orationem usque pervenit: nam quod se prius quid esset nomen, quid verbum constituere dixit, hæ minime partes orationis sunt; quod vero affirmationem et negationem, jam de composita ex verbis et nominibus oratione loquitur, quæ eædem rursus partes sunt enuntiationis. Et post enuntiationis propositionem, de oratione loqui proposuit, cujus ipsa quoque enuntiatio pars est. Et quoniam (ut dictum est) triplex est oratio, quæ in litteris, quæ in voce, quæ in intellectibus est, qui A verbum et nomen diffiniturus esset, eaque significativa positurus, dicit prius quorum significativa sint ipsa verba et nomina, et inchoat quidem ab his nominibus et verbis quæ sunt in voce dicens: Sunt ergo ea quæ sunt in voce, et demonstrat quorum sint significativa, adjiciens eorum quæ sunt in anima passionum notæ. Rursus nominum ipsorum verborumque quæ in voce sunt ea verba et nomina quæ essent in litteris constituta significativa esse declarat dicens, et ea quæ scribuntur eorum quæ sunt in voce. Et quoniam quatuor ista quædam sunt, litteræ, voces, intellectus, res, quorum litteræ et voces positione sunt, natura vero res atque intellectus, demonstravit voces non esse naturaliter, sed positione, per hoc quod ait non easdem esse apud omnes, sed B varias, ut et, est quemadmodum nec littera omnibus eædem, sic nec eædem voces. Ut vero demonstraret intellectus et res esse naturaliter, ait apud omnes eosdem esse intellectus, quorum essent voces significativæ, et rursus apud omnes easdem res, quarum similitudines essent animæ passiones, ut est, quorum autem hæ primo notæ, scilicet quæ sunt in voce, eædem omnibus passiones animæ sunt, et quorum hæ similitudines, res etiam eædem. Passiones autem animæ dixit, quoniam alias diligenter ostensum est omnem vocem animalis aut ex passione animæ, aut propter passionem proferri. Similitudinem vero passionem animæ vocavit, quod secundum Aristotelem nihil est aliud intelligere, nisi cujuslibet subjectæ rei proprietatem atque imaginationem in C animæ ipsius reputatione suscipere, de quibus animæ passionibus in libris se de Anima commemorat diligentius disputasse. Sed quoniam demonstratum est quomodo verba et nomina et oratio intellectuum principaliter significativa sunt, quidquid est in voce significationis ab intellectibus venit. Quare prius paululum de intellectibus perspiciendum erat ei qui aliquid recte de vocibus disputaret. Ergo quod supra passiones animæ et similitudines vocavit, idem nunc apertius intellectum vocat dicens:

Est autem quemadmodum in anima aliquoties quidem intellectus sine vero vel falso. Aliquoties autem cui jam necesse est horum alterum inesse, sic etiam in voce. Circa compositionem enim et divisionem est veritas et falsitas. Nomina igitur ipsa et verba consimilia sunt sine compositione et divisione intellectui, ut homo vel D *album, quando non additur aliquid. Neque enim adhuc verum vel falsum est, signum autem hujus est. Hircocervus enim significat aliquid, sed nondum verum vel falsum, si non, esse, vel non esse, addatur, vel simpliciter, vel secundum tempus.*

Quoniam nomen et verbum atque omnis oratio significativa sunt animæ passionum, ex ipsis sine dubio quæ designant in eisdem vocibus proprietas significationis innascitur. Hic vera est totus atque continuus Aristotelicæ ordo sententiæ. Quoniam inquit, ea primum vocibus significantur quæ in animo et cogitatione versantur, intellectuum vero alios quidem simplices, et sine veri vel falsi enuntiatione perpendimus

ut cum nobis hominis proprietas tacita imaginatione suggeritur, nulla namque ex hac intelligentiæ simplicitate vel veritatis nascitur vel falsitatis agnitio ; sunt vero intellectus quidam compositi atque conjuncti in quibus inest jam quædam vel veritatis vel falsitatis inspectio, ut cum ad quamlibet simplicem perceptionem mentis adjungitur aliud quod vel esse aliquid vel non esse constituat, ut si ad hominis intellectum esse vel non esse, vel album esse, vel album, non esse copuletur, fient enim cogitabiles orationes veritatis vel falsitatis participes, hoc modo : Homo est, homo non est, homo albus est, homo albus non est, quarum quidem homo est, vel homo albus est, compositio dicitur, nam prior esse atque hominem posterior hominem albo composita intellectus prædicatione connectit, sin vero ad hominis intellectum adjiciam quiddam, ut ita sit, homo est, vel non est, vel albus est, aut aliquid tale, tunc in ipsa cogitatione veritas aut falsitas innascitur ; ergo inquit, quemadmodum aliquoties quidam simplices intellectus sunt, qui vero falsoque careant, quidam vero in quibus alterum horum reperiatur, sic etiam in voce. Nam quæ voces denuntiant simplices intellectus ipsæ quoque a falsitate et veritate sejunctæ sunt. Quæ vero hujusmodi significant intellectus in quibus jam vel veritas vel falsitas constituta est, in ipsis quoque horum alterum inveniri necesse est. Nam si quis hoc solum dicit, homo vel album, vel etiam hircocervus, quanquam ista quidem significent, quoniam tamen significant simplices intellectus, manifestum est omni veritatis vel falsitatis proprietate carere. Et tota quidem sententia hoc modo se habet. Diligentius tamen est attendendum quid est quod ait, Circa compositionem enim et divisionem est veritas falsitasque ; quid etiam quod dictum est, nomina igitur ipsa et verba consimilia sunt sine compositione vel divisione intellectui ; illud quoque cur composito nomine, vel cur etiam usus est rei non subsistentis exemplo, ut diceret, hircocervus enim significat aliquid. Nec illud prætereundum est quid sit quod dictum est, vel simpliciter vel secundum tempus. Et primum quidem de eo dicendum est quod ait. Circa compositionem enim et divisionem est veritas falsitasque. Quæritur namque utrum ne omnis veritas circa compositionem et divisionem sit, an quædam est, quædam vero minime. Illud quoque an in omni compositione vel divisione veritas falsitasque constituta sit, an hoc non generaliter, sed in quadam compositionis vel divisionis parte veritas falsitasque versetur. In opinionibus namque veritas est, quoties ex subjecta re capitur imaginatio vel etiam quoties, ita ut sese res habet, imaginationem accipit intellectus ; falsitas vero est quoties aut non ex subjecto, aut ita ut sese res non habet imaginatio subjicitur intellectui ; sed adhuc in veritate atque falsitate nihil equidem aliud reperitur, nisi quædam opinionis habitudo ad subjectam rem. Quæ enim habitudine et quomodo sese habet imaginatio ad rem subjectam, hoc solum in hac veritate vel falsitate perspicitur, quam quidem habitudinem nullus dixerit compositionem. In hoc vero divisionis nullus ne fictus quidem modus intelligi potest. Illud quoque considerandum est numne aliqua sit in his compositio vel divisio, quæ secundum substantiam suam vera dicuntur aut falsa, ut est vera voluptas bene vivendi, ut est falsa voluptas bellandi. Etiam illud quoque respicendum est, quod in omnium maximo Deo quidquid intelligitur, non in eo accidentaliter, sed substantialiter intelligitur, etenim quæ bona sunt substantialiter de eo non accidentaliter credimus. Quod si substantialiter credimus Deum, Deum vero nullus dixerit falsum, nihilque in eo accidentaliter poterit evenire, ipsa veritas Deus dicendus est ; ubi est igitur compositio vel divisio in iis quæ simplicia naturaliter sunt, nec ulla cujuslibet rei collatione junguntur. Quare non omnis veritas neque falsitas circa compositionem divisionemque constat, sed sola tantum quæ in intellectuum multitudine fit, et in prolatione dicendi. Nam in ipsa quidem habitudine imaginationis et rei nulla compositio est, in conjunctione vero intellectuum compositio fit. Nam cum dico, Socrates ambulat, hoc ipsum quidem, quod eum ambulare concepi, nulla compositio est ; quod vero intellectus progressione ambulationem cum Socrate conjungo, quædam jam facta est compositio. Quod si hoc oratione protulero, rursus eadem compositio est, et circa eam vis veritatis et falsitatis apparet. Quocirca in his solis compositionibus invenitur veritas atque mendacium, de quibus tota nunc quæstio est, in nomine scilicet et in verbo, in negatione et affirmatione, in enuntiatione et oratione. Quam scilicet compositione veritatis et falsitatis naturam ab intellectibus accipientes in vocis prolatione conservant. De divisione autem quæ ad negationem pertinet, deque compositione quæ ad affirmationem, paulo post enucleatius dicam. Nunc illud videndum est, utrum verum sit circa omnem compositionem, circaque omnem divisionem, veritatem vel mendacium provenire, quod omnino falsum est. Quis enim dixerit hujusmodi nominum conjunctionem, et Socrates et Plato, vel si a se hæc nomina dividentur, nec Socrates nec Plato, veri aliquam falsive tenere significantiam ? Quare confitendum est neque circa omnem divisionem, neque circa omnem compositionem, eam scilicet quæ in oratione versatur, mendacium veritatemque subsistere. Sed illud verissimum est, quod omnis quæ est in oratione veritas falsitasque, in compositione et divisione nascitur, non tamen omnis orationis compositio vel divisio verum retinet aut falsum. Ergo si sic dixisset, circa omnem compositionem vel divisionem veritas falsitasque est, mentiretur. Sed quoniam dixit simpliciter, veritas falsitasque circa compositionem divisionemque est. verissime subtilissimeque dixisse putandum est ; illa enim nomina quæ ita dicuntur simplicia, ut veritatem aut falsitatem quodammodo valeant designare, hujusmodi sunt ut intra se atque intra significationem suam quamdam retineant compositionem, ut si quis dicat, lego. Hoc est enim dicere, lego, tanquam si

dicat, ego lego. Hoc autem compositio est; vel quoties interrogante alio, respondet alius, uno tantum sermone, videtur quoque tunc simplex sermo veritatem mendaciumque perficere, quod perfalsum est. Audientis namque responsio ad totum ordinem superioris enuntiationis adjungitur, ut si quis interroganti mundusne animal sit, est, respondeat, videtur hæc una particula veritatem vel mendacium continere, sed falso. Non enim una est, sed ad vim ipsius responsionis intuenti tale est ac si diceretur mundus animal est. Quod vero ait nomina ipsa et verba consimilia esse, sine compositione vel divisione intellectui, illud designat quod supra jam dixit ea quæ sunt in voce notas esse animæ passionum. Quod si notæ sunt, sicut litteræ vocum in se similitudinem gerunt, ita voces intellectuum. Et quoniam dictum est cur de similitudine verborum et nominum atque animæ passionum dixerit, cur etiam circa compositionem et divisionem falsum verumque esse proposuerit, dicendum est quid sit ipsa compositio vel divisio, in qua aut veritas aut falsitas invenitur. Nam quoniam de simplici enuntiativa oratione perpendit, ut posterius ipse in divisione declarat, dicens: Est autem una prima oratio enuntiativa affirmatio, deinde negatio, illam nunc compositionem designare vult, quæ alicujus vel substantiam constituit, vel aliquid secundum esse conjungit. Nam cum dico, Socrates est, hoc ipsum esse Socrati applico, et substantiam ejus esse constituto. Sin vero dixero, Socrates philosophus est, philosophiam et Socratem secundum esse composui; vel si dicam, Socrates ambulat, hujusmodi est tanquam si dicam, Socrates ambulans est. Igitur quoties hujusmodi fuerit compositio, quæ secundum esse verbum vel substantiam constituat, vel res conjungat, affirmatio dicitur, et in ea veri falsique natura perspicitur: et quoniam omnis negatio ad prædicationem constituitur, hujus enim affirmationis quæ est, Socrates est, negatio non ea quæ dicit, non Socrates est, sed ea quæ pronuntiat, Socrates non est; et ad id quod esse Socrates dictus est, non, negatio apponitur, ut cum id dicamus non esse, quod ante dictum est esse; ergo quoniam id quod in affirmatione secundum esse vel constitutum vel conjunctum fuerit, ad id addita negatio separat vel ipsam substantiæ constitutionem, vel etiam factam per id quod dictum est, esse aliquid, conjunctionem, divisio vocatur. Quando enim dico, Socrates non est, esse a Socrates ejunxi, et cum dico, Socrates philosophus non est, Socratem ab eo quod est philosophum esse, separavit, quam separationem, quæ ad negationem pertinet, divisionem vocavit. Ergo manifestum est quod si simplex in animæ passionibus intellectus fuerit, cum ipse intellectus nullam adhuc veri falsique retineat naturam, eorum quoque prolationem ab utrisque esse separatam. Sed cum compositio secundum esse facta vel etiam divisio intellectibus, in quibus principaliter veritas et falsitas procreatur, evenerit, quoniam ex intellectibus voces capiunt significationem, eas quoque secundum intellectum qualitatem veras et falsas esse necesse est. Maximam vero vim habet exempli novitas et exquisita subtilitas. Ad demonstrandum enim quod unum solum nomen neque verum sit, neque falsum, posuit hujusmodi nomen, quod compositum quidem esset, nulla tamen ejus substantia reperietur. Si quod ergo unum nomen veritatem posset falsitatemve retinere, posuit hujusmodi nomen, quod est hircocervus, quod quoniam omnino in rebus nulla illi substantia est, falsum aliquid designare videtur, sed non designat aliquam falsitatem. Nisi enim dicatur hircocervus vel esse vel non esse, quanquam ipsum per se non sit, solum tamen dictum nihil falsi in eo sermone verive perpenditur. Ergo ad demonstrandam vim simplicis nominis, quod omni veritate atque mendacio careat, tale in exemplo posuit nomen, cui res nulla subjecta sit. Quod si quid verum vel falsum unum nomen significare posset, nomen quod eam rem esse designat, quæ in rebus non sit, omnino falsum esset: sed non est; non igitur ulla veritas falsitasque in simplici unquam nomine reperitur. Nec illud parvæ curæ fuit, nomen non ponere quod omnino nihil significaret, sed quod cum significaret quiddam, tamen verum aut falsum esse non posset, ut non videretur veritatis falsitatisque causa esse, eo quoniam nihil significaret; sed quoniam esset simpliciter dictum: quanquam in eodem illud quoque conficit, ut ostenderet non solum simplex nomen veritate atque mendacio esse alienissimum, sed etiam composita quoque nomina, si non habeant aliquam secundum esse vel non esse (sicut superius dictum est) compositionem, verum vel falsum significare non posse; tanquam si diceret, non solum simplex nomen præter aliquam compositionem, nihil verum falsumve significat, sed etiam composita utroque carent (sicut jam ipse dixit) nisi illis aut esse aut non esse addatur, vel simpliciter, vel secundum tempus. Hoc vero idcirco addidit quod in quibusdam ita enuntiationes fiunt, ut quod de ipsis dicitur, secundum substantiam proponatur, in quibusdam vero hoc ipsum esse quod additur non substantiam sed præsentiam quamdam significet. Cum enim dicimus Deus est, non eum dicimus nunc esse, sed tantum in substantia esse, ut hoc ad immutabilitatem potius substantiæ quam ad tempus aliquod referatur. Si autem dicimus, dies est, ad nullam diei substantiam pertinet, nisi tantum ad temporis constitutionem : hoc enim quod significat tale est, tanquam si dicamus nunc est: quare cum dicimus esse ut substantiam designemus, simpliciter est addimus; cum vero ita ut aliquid præsens significetur, secundum tempus. Hæc est una quam diximus expositio. Alia vero hujusmodi est. Esse aliquid duobus modis dicitur, aut simpliciter, aut secundum tempus; simpliciter quidem secundum præsens tempus, ut si quis dicat, hircocervus est, præsens autem quod dicitur, tempus non est, sed confinium tempus, temporum, finis namque præteriti est futurique principium. Quo-

circa quisquis secundum præsens hoc sermone quod est esse utitur, simpliciter utitur, qui vero aut præteritum jungit aut futurum, ille non simpliciter, sed jam in ipsum tempus incurrit. Tempora namque (ut dictum est) duo ponuntur, præteritum atque futurum. Quod si quis cum præsens nominat, simpliciter dicit, cum utrumlibet præteritum vel futurum dixerit, secundum tempus utitur enuntiatione. Est quoque tertia hujusmodi expositio, quod aliquoties ita tempore utimur, ut indefinite dicamus; ut si quis dicat, est hircocervus, fuit hircocervus, erit hircocervus, hoc indefinite et simpliciter dictum est. Sin vero aliquis addat, nunc est, vel heri fuit, vel cras erit, ad hoc ipsum esse quod simpliciter dicitur, addit tempus. Quare secundum unam trium harum expositionum intelligendum est quod ait, si non esse vel non esse, addatur, vel simpliciter vel secundum tempus. Sed ei quod ante proposuit, quemadmodum esset aliquoties quidem in anima intellectus sine vero vel falso, post quasi consequens reddidit nomina ipsa per se verbaque esse simplicibus intellectibus consimilia, ut homo vel album; ei vero quod ait, cui jam necesse sit alterum horum inesse, nihil interim reddidit, sed hoc eo supplevisse putabitur, quod ait, sed nondum verum vel falsum est, si non esse vel non esse addatur: hæc est enim intellectum quædam compositio, cui jam necesse est alterum horum inesse, qua in oratione vel esse vel non esse additur. Quocirca quoniam de nomine verboque proposuit, et quam breviter potuit vocum, litterarum, intellectuum, rerumque consequentias altissima ratione monstravit, ad id quod primum proposuit dicens: Primum oportet constituere, quid sit nomen et quid verbum, ad hæc inquam quæ promiserat diffinire revertitur. Nomen vero diffiniens, ita subjecit.

A

B

C

D

DE NOMINE.

Nomen igitur est vox significativa, ad placitum, sine tempore, cujus nulla pars est significativa, separata. In nomine enim quod est equiferus, ferus per se nihil significat, quemadmodum in oratione quæ est equus ferus.

Omnis diffinitio generis constitutione formatur, differentiarum vero compositione perficitur. Nam si ad propositum genus differentias colligamus, easque ad unam quam diffinire volumus speciem aptemus, usque dum uni tantum speciei collectio illa conveniat, nihil est quod ultra ad faciendam diffinitionem desideretur, ut ipsum hominem si quis diffiniat generi ejus quod est animal, duas necesse est differentias jungat, rationale scilicet atque mortale, faciatque hujusmodi ordine, animal rationale mortale; quæ diffinitio, si ad hominem referatur, plena est rationis aubstantiæque descriptio. Volens ergo Aristoteles diffinire quid esset nomen, prius ejus genus sumpsit, dicens nomen vocem esse, idcirco scilicet ut hoc quod dicimus nomen ab aliis quæ non voces, sed tantum soni, separaret. Distat enim sonus a voce, sonus enim est percussio aeris sensibilis, vox vero flatus per quasdam gutturis partes egrediens, quæ arteriæ vocantur quia aliqua linguæ impressione formatur. Et vox quidem nisi animantium non est, sonus vero aliquoties inanimatorum quoque corporum conflictatione perficitur. Quare quia nomen vocem esse monstravit, ab aliis quæ voces non sunt, sed tantum soni, hanc orationis partem separavit atque distribuit, et vocem quidem nominis velut genus sumpsit. Habet namque aliud quiddam speciei loco differens a nomine quod est verbum; habet quoque quasdam locutiones quæ nihil ulla ratione significent, ut sunt articulatæ voces quarum ipsa significatio non potest inveniri, ut scindapsus. Huic ergo generi alias differentias rursus apponit, quod nomen sicut vox a sonis aliis segregavit, ita quoque hæ differentiæ nomen ab aliis speciebus sub voce positis dividant atque discernant; quod enim addidit, nomen vocem esse significativam, ab his inquam vocibus nomen disgregavit quæ nihil omnino significant, ut sunt syllabæ. Syllabæ enim cum ex his totum nomen constet, adhuc ipsæ omnino nihil significant. Sunt quoque quædam voces litteris syllabisque compositæ, quæ nullam habent significationem, ut est blitiri. Ergo quoniam videbantur quædam voces esse quæ significatione carerent, nomen quod vox est et alicujus designationis semper causa profertur, non aliter diffiniendum erat, nisi illud ante a non significantibus vocibus segregaret. Itaque ait nomen esse vocem significativam ut vocem quidem ab aliis sonis, significatione vero addita ab iis quæ sub voce sunt nihil designantia, segregaret. Sed hoc nondum ad totam diffinitionem valet; neque solum nomen vox significativa est, sed sunt quædam voces quæ significant quidem, sed nomina non sunt, ut ea quæ a nobis in aliquibus affectibus proferuntur, ut cum quis gemitum edit, vel cum dolore concitus emittit clamorem. Illud enim doloris animi, illud corporis signum est, et cum sint vocos et significent quamdam vel animi vel corporis passionem, nullus tamen gemitum clamoremque dixerit nomen. Mutorum quoque animalium sunt quædam voces quæ significent: ut canum latratus iras significat canum, alia vox autem mollior quædam blandimenta designat, quare adjecta differentia separandum erat nomen ab his omnibus quæ voces quidem essent et significarent, sed nominis vocabulo non tenerentur; igitur adjecit nomen vocem esse significativam non simpliciter, sed secundum placitum. Secundum placitum vero est, quod secundum quamdam positionem placitumque ponentis aptatur; nullum enim nomen naturaliter constitutum est, neque unquam sicut subjecta res a natura est, ita quoque a natura veniente vocabulo nuncupatur. Sed hominum genus quod et ratione et oratione vigeret, nomina posuit, eaque quibus libuit litteris syllabisque conjungens singulis subjectarum rerum substantiis dedit. Hoc autem illo probatur, quod si natura essent nomina eadem, apud omnes gentes essent, ut sensus, quoniam naturaliter sunt

iidem apud omnes sunt. Omnes enim gentes non aliis nisi solis oculis intuentur, audiunt auribus, naribus odorantur, ore accipiunt gustatus, tactu calidum vel frigidum, leve vel asperum judicant, atque hæc hujusmodi sunt, ut apud omnes (ut dictum est) gentes eadem videantur; ipsa quoque quæ sentiuntur, quoniam constituta naturaliter sunt, non mutantur. Dulcedo enim et amaritudo, album et nigrum, et quæque alia sensibus quinque sentiuntur, eadem apud omnes sunt. Neque enim quod Italis dulce est in sensu, idem Persis videtur amarum, nec quod album oculis apud nos apparet, apud Indos nigrum est, nisi forte aliqua sensus ægritudine permutetur; sed hoc nihil attinet ad naturam. Igitur quoniam ista sunt naturaliter, apud omnes gentes eadem manent. Sic ergo et nomina si naturalia esse videntur, eædem essent apud omnes gentes, nec ullam susciperent mutationem. Nunc autem ipsum hominem alio vocabulo Latini, alio Græci, diversis quoque vocabulis barbaræ gentes appellant, quæ in ponendis nominibus dissensio signum est non naturaliter, sed ad ponentium placitum voluntatemque rebus nomina fuisse composita, idem quoque monstrat quod sæpe singulorum hominum permutata sunt vocabula. Quem enim nunc vocamus Platonem, Aristoteles antea vocabatur, et qui Theophrastus nunc dicitur, ante Aristotelem a suis parentibus Tirtamus appellabatur, in eadem quoque lingua quando plura vocabula uni adduntur rei, monstratur rem illam non naturalibus, sed appositis nominibus nuncupari, si enim naturalibus nominibus res quoque vocarentur, unam rem uno tantum nomine signaremus. Quid enim attinet, si naturalia sunt vocabula, unius rei plures esse nominum voces, quæ ad unam designationem demonstrationemque concurrerent. Dicimus enim gladius, ensis, mucro, et hæc tria ad unam subjectam substantiam concurrent. Ergo monstratum est nomina esse secundum placitum, id est secundum ponendum ponentium placitum, ac si diceret nomen esse quidem et significativam, sed non naturaliter significativam, sed secundum placitum voluntatemque ponentis, hoc scilicet dividens ab his vocibus quæ naturaliter designarent, ut sunt hæ vel quas nos in passionibus affectibusque proloquimur, vel quas edere animalia muta conantur. Sed nondum supra dicta differentia plenam nominis formam diffinitionemque constituit. Est namque verbo commune cum nomine quod vox designativa et secundum placitum est, sed addita differentia quæ est, sine tempore, nomen a verbo distinxit, neque enim nomen ullum consignificat tempus; verbi namque est, cum aut passio significatur, aut actio, aliquam quoque secum trahere vim temporis, qua illud cum vel facere vel pati dicitur proferatur. Cum enim dico Socrates, nullius est temporis; cum lego, vel legi, vel legam, tempore non carent. Addito ergo nomini quod sine tempore esse dicatur, nomen a verbo disjungitur. Sane nos nemo arbitretur opinari quod nullum nomen significet tempus. Sunt enim nomina quæ tempus significatione demonstrent, velut cum dico, hodie, vel cras, temporis nomina sunt, sed illud dicimus, quod cum eodem nomine tempus quoque non consignificatur. Aliud est enim significare tempus, aliud consignificare. Verbum enim cum aliquo proprio modo tempus quoque significat, ut cum agentis vel patientis modum demonstrat. Nam sine tempore ipsa passio vel actio non profertur, unde non dicimus quod nomen non significet tempus, sed quod nomen significatio temporis non sequatur. Restat autem una sola differentia, quæ si superioribus adjungatur, plenissima fere nomen diffinitione formalitur, hæc autem est qua nomen ab oratione separatur. Inveniuntur enim quædam sine dubio orationes quæ cum voces sint et significativæ et secundum placitum, quippe quæ sunt nominibus colligate, tamen sunt sine tempore, ut cum dico Socrates et Plato, hæc namque oratio, cum ex nominibus juncta sit, nomen quidem non est, vox vero est significativa secundum placitum et tempore vacat, ut igitur nomen ab hujusmodi oratione divideret, addidit hanc differentiam, quæ est cujus nulla pars est significativa separata. Oratio enim quoniam verbisque nominibusque conjungitur, verba vero vel nomina significativa esse palam est, partes, quoque orationis significare aliquid dubium non est. Nominis vero pars quoniam simplex est, nihil omnino significat; sed cum omnis oratio omneque nomen et verbum ex subjectis intellectibus vim significandi sumat, est aliquoties ut unum nomen multos significet intellectus. Quocirca erit quoque ut non simplex nomen sit, quod non unam tantum animi passionem intellectumque designet. Nam cum dico suburbanum, urbanum imaginationem signicandi tenet, sed ita ut a toto nomine separatum, cum ad ipsum refertur nomen, significet nihil, et ut in eo quod dicimus equiferus, ferus vult quidem aliquid significare, sed si a tota compositione separatur, nihil omnino designat in eo nomine scilicet in quo cum equi particula junctum equiferum consignificabat. Omnis namque hæc compositio unius intellectus designativa est, quare in oratione quidem ferus significat. Etenim equus ferus oratio duos retinet intellectus, in nomine vero nihil, quoniam hoc quod dicimus equiferus unius intellectus designativum est. Sed fortasse ferus cum ea parte qua junctum est, simul quidem consignificat, separatum vero nihil, hoc est ergo quod ait :

At vero non quemadmodum in simplicibus nominibus, sic se habet etiam in compositis. In illis enim nullo modo pars significativa est. In his autem vult quidem, sed nihil significat separata, ut in eo quod est equiferus, ferus. Secundum placitum vero, quoniam naturaliter nomen nullum est, sed quando fit nota, nam designant et illiterati soni, ut ferarum, quorum nullus est nomen.

Simplex enim nomen nec imaginationem aliquam partium significationis habet. Compositum vero tales habet partes, ut quasi conentur quidem aliquid significare, sed consignificent potius quam quidquam extra significent. Addito igitur nomini quod ejus par-

tes nihil separatæ significent, nomen ab oratione disjunctum est. Postquam adjectionem quæ est, cujus nulla pars est significativa separata, quid in nominis definitione valeret, explicuit, hoc scilicet quo nomen ab oratione sejungeret; illud quoque disserit cur sit additum quod dictum est secundum placitum. Nam quoniam nulla nominum significatio naturaliter est, sed omne nomen positione designat, idcirco dictum est, secundum placitum. Quod enim placuit ei qui primus nomina indidit rebus, hoc illis vocabulis designatur. Age enim quis naturaliter nomina esse confirmet, quorum apud omnes gentes est tam diversa varietas. Nec vero dicitur quod nulla vox naturaliter aliquid designet, sed quod nomina non naturaliter, sed positione significent. Alioqui habent hoc ferarum, mutorumque animalium soni, quorum vox quidem significat aliquid, ut hinnitus equi consueti equi inquisitionem, latratus canum latrantium iracundiam monstrat, et alia hujusmodi. Sed cum voces mutorum animalium propria natura significent nullis tamen elementorum formulis conscribuntur. Nomen vero quanquam subjacet elementis, prius tamen quam ad aliquam subjectæ rei significationem ponatur, per se nihil designat, ut cum dicimus scindapsus vel hereceddyn, hæc per se nihil quidem significant, sed si ad subjectæ rei alicujus significationem ponantur ut dicatur vel homo scindapsus, vel lapis hereceddyn, tunc hæc quæ per se nihil significabant, positione et secundum ponentis quoddam placitum designant. Ergo cum nomen significativum est, quando (ut ipse ait) fit nota, tunc autem fit nota cum secundum ponentis placitum vocabulum quod naturaliter nihil designabat ad subjectæ rei significationem datur; hoc est enim quod ait, fit nota; si enim naturaliter nomina significarent, nunquam de his Aristoteles diceret, fit nota, tunc enim non fieret nota, sed esset; ergo quoniam nomina secundum placitum significativa sunt, ferarum vero illitterati soni secundum naturam, idcirco horum voces esse nomina non dicuntur. Universaliter autem dicimus; omnium vocum aliæ sunt quæ inscribi litteris possunt, aliæ quæ non possunt. Et rursus earum quæ inscribuntur vel minime, aliæ quidem significant, aliæ vero nihil. Amplius quoque omnium vocum, aliæ secundum placitum designant, aliæ vero naturaliter. Nomen ergo secundum placitum est, positione enim factum est subjectæ rei nota. Nihil enim nominum est quod naturaliter significet, non enim nomen informat significatio secundum naturam, sed secundum placitum significatio. Nam et illiterati soni significant, ut sunt ferarum, quos ideo sonos vocavit, quoniam sunt muta quædam animalia quæ vocem omnino non habent, sed tantum sonitu quodam concrepant. Quidam enim pisces non voce, sed branciis sonant et (ut Porphyrius autumat) cicada per pectus sonitum mittit, quorum omnium nihil est nomen. Hoc autem dictum est non quod nullum nomen sit harum vocum quas animalia proferunt, sed quod his non velut nominibus utantur. Nam quamvis illitterata sit vox et natura significet, ut latratus canum, dicitur tamen latratus, et leonis fremitus, et tauri mugitus, hæc sunt nomina ipsarum vocum quæ a mutis animalibus proferuntur; sed non hoc dicimus quoniam eorum nihil est nomen, sed quoniam horum sonorum nihil tale est, ut nomen esse possit, id est ut secundum ea velut nominibus utentes feræ sibi invicem colloquantur, habent enim significationem, sed (ut dictum est) naturalem. Nomen autem secundum placitum est.

Non homo vero non est nomen, at vero nec positum est nomen, quo illud oporteat appellare. Nam neque oratio, neque negatio est, sed sit nomen infinitum, quoniam similiter in quolibet est, et quod est, et quod non est. Catonis autem vel Catoni, et quæcunque talia sunt, non sunt nomina, sed casus nominis. Ratio autem ejus est in aliis quidem eadem, sed differt. Quoniam cum est, vel fuit, vel erit, adjunctum, neque verum, neque falsum est, nomen vero semper, ut Catonis est, vel non est, nondum enim aliquid dicit verum aut falsum.

Superius omnia quæcunque extra nomen essent prædictis adjectionibus a nomine separavit; nunc vero quoniam sunt quædam quæ sub diffinitione quidem nominis cadunt, videntur tamen a nomine discrepare, de his disserit, ut quid esse nomen integre videatur expediat. Quod enim dicimus non homo, vel non equus, oratio quidem non est. Omnis enim oratio aut nominibus constat et verbis, aut solis duobus vel pluribus verbis, vel solis nominibus. In eo autem quod est non homo, unum tantum nomen est, quod dicitur homo, id autem quod est non, neque nomen est, neque verbum. Quare neque ex duobus verbis constat, aut ex verbo et nomine. Verbum enim in eo nullum est, quare id quod dicimus non homo, oratio non est. Jam vero nec verbum esse monstrare superfluum est, cum in verbis tempora semper reperiantur, in hoc vero nullum omnino quisquam tempus inveniat. Sed nec negatio est. Omnis enim negatio oratio est, non homo vero cum oratio non sit, nec negatio esse potest. Illud quoque, quod omnis negatio aut vera aut falsa est, non homo vero neque verum neque falsum est, sensus enim plenus non est, quare negatio esse propter hoc quoque non dicitur. Nomen vero esse quis dicat, cum omne nomen sive proprium, sive appellativum sit, definite significet. Cum enim dico Cicero, unam personam, unamque substantiam nominavi, et cum dico homo, quod est nomen appellativum, definitam substantiam significavi. Cum vero dico non homo, significo quidem quiddam, id quod homo non est, sed hoc infinitum est. Potest enim et canis significari; et equus, et lapis, et quodcunque homo non fuerit, et æqualiter dicitur, et in eo quod est, et in eo quod non est. Si quis enim de Sylla qui non est, dicat non homo, significat quiddam quod in substantia atque in rerum natura non permanet. Si quis autem vel de lapide vel de ligno, vel de aliis quæ sunt rebus dicat non homo, idem tamen aliquid significabit, et semper

præter id quod nominat hujusmodi vocabuli significatio est. Sublato enim homine quidquid præter hominem est, hoc significat non homo, quod a nomine plurimum differt; omne enim nomen (ut dictum est) definite id significat quod nominatur, et non similiter et de eo quod est, et de eo quod non est dicitur, sed hæc hujusmodi vox et designativa est, et ad placitum, et sine tempore, et (ut dictum est) partes ejus nihil extra designant. Quare dubia apud antiquos sententia fuit, utrum nomen hoc non dicerent, an hoc aliqua adjectione nominis diffinitioni subjicerent. Et qui hoc a nomine separabant, ita nomen diffinitione claudebant dicentes nomen esse vocem designativam secundum placitum sine tempore circumscriptæ significationis, cujus partes nihil extra designarent, ut quoniam non homo rem circumscriptam non designaret, a nomine separetur. Alii vero non eodem modo, sed dicebant quidem id esse nomen, sed non simpliciter. Quadam namque adjectione sub nomine poni posse illud putabant hoc modo, ut sicut homo mortuus non dicitur simpliciter homo, sed homo mortuus. Ita quoque et nomen hoc quod nihil definite significaret, non diceretur nomen simpliciter, sed nomen infinitum, cujus sententiæ Aristoteles auctor est, qui se hoc rei vocabulum autumat invenisse. Ait enim, at vero nec nomen est positum, quo illud oporteat appellare, dicens id quod dicimus non homo quo vocabulo debeat appellari non novit antiquitas, et usque ad Aristotelem nullus noverat quid esset id quod non homo diceretur, sed hic huic sermoni vocabulum posuit dicens, sed sit nomen infinitum non simpliciter nomen, quoniam nulla circumscriptione significat, sed infinitum nomen, quoniam plura et in ea infinite significat. Sed hoc non solum hujusmodi vocibus contingit, ut simpliciter sub nomine poni non possint, sed sunt quædam aliæ quæ omnia quidem accidentia nominis habent, et definite significant, sed quadam alia discrepantia, nomina simpliciter dici non possunt, ut sunt obliqui casus, ut cum dicimus Catonis, Catoni, Catonem, et cæteros. Horum enim discrepantia est a nomine, quod nomen rectum junctum cum est, vel non est, enuntiationem facit, ut si quis dicat, Socrates est, hoc verum vel falsum est. Si enim vivente Socrate diceretur, verum esset, si vero mortuo, falsum esset, quare affirmatio est. Si quis autem dicat, Socrates non est, rursus facit negationem, et in ea quoque veritas vel falsitas invenitur. Ergo omne nomen rectum junctum cum est vel non est, enuntiationem conficit. Hi vero obliqui casus juncti cum est, vel cum non est, enuntiationem nulla ratione perficiunt. Enuntiatio namque est perfectus orationis intellectus in quem veritas aut falsitas cadit. Si quis ergo dicat, Catonis est, nondum est plena sententia; quid enim sit Catonis non dicitur, atque eodem modo, Catoni est, vel Catonem est. In his ergo quoniam cum est vel non est injuncta, enuntiationem non perficiunt, est quædam a nomine discrepantia, quanquam sint nomini omni diffinitione conjuncti. Magna est enim discrepantia quod rectum nomen cum est junctum, perfectam orationem facit, obliqui casus imperfectam. Quod autem dictum est obliquos casus cum est verbo junctos orationem perfectam non facere, non dicimus quoniam cum nullo verbo obliqui casus junguntur ita, ut nihil indigentem perficiant orationem. Cum enim dico, Socratem pœnitet, enuntiatio est, sed non cum omni verbo, sed tantum cum est vel non est, hi casus juncti perfectam orationem nulla ratione constituunt. Atque est hoc quod ait: Catonis autem vel Catoni et quæcunque talia sunt, non sunt nomina, sed casus nominis. Unde etiam discrepare videntur, hæc enim nomina non vocantur. Illa enim rectius dicuntur nomina quæ prima posita sunt; id est quæ aliquid monstrant. Genitivus enim casus non aliquid, sed alicujus, et dativus alicui, et cæteri eodem modo. Rectus vero qui est primus rem monstrat, ut si quis dicat Socrates, atque ideo hic nominativus dicitur, quod nominis quodammodo solus teneat vim, nomenque sit, et verisimile est eum qui primus nomina rebus imposuit ita dixisse, vocetur hic homo, et rursus vocetur hic lapis. Posteriore vero usu factum est, ut in alios casus primitus positum nomen derivaretur. Illud quoque majus est quod omnis casus nominis alicujus casus est. Ergo nisi sit nomen, cujus casus sit, casus nominis dicti recte non potest. Casus autem omnis inflexio est. Sed genitivus, et dativus, et cæteri nominatavi inflexiones sunt, quare nominativi casus erunt, sed omnis casus qui secundum nomen est, nominis casus est. Nomen igitur nominativus est. Aliud vero est casus alicujus quam est idipsum cujus casus est, casus igitur nominis, nomen non est. Quod vero adjecit, ratio vero ejus est in aliis quidem eadem, hoc inquit. Ratio et definitio obliqui casus et nominis eadem in omnibus aliis est, nam et voces sunt et significativæ, et secundum placitum, et sine tempore, et circumscriptæ designant. Sed (ut ipse ait) differt quoniam cum est, vel fuit, vel erit, adjunctum, neque verum neque falsum est. Quod a recto nomine sine ulla dubitatione perficitur, ut cum est vel fuit, vel erit adjunctum verum falsumve conficiat, quod designavit per hoc quod ait. Nomen vero semper subaudiendum est, scilicet, facit verum falsumve, cum est vel fuit vel erit adjunctum, eorumque ponit exempla. Catonis est, vel non est, in his enim (ut ipse ait) neque verum aliquid dicitur, neque falsum, quare integra nominis diffinitio est hujusmodi. Nomen est vox designativa, secundum placitum, sine tempore, circumscriptæ significationis, cujus partes extra nihil designant, et cum est, vel erit, vel fuit adjunctum, nullius indigentis orationis perficiens intellectum enuntiationemque constituens; quoniam igitur de nomine expeditum est, ad diffinitionem verbi veniamus.

DE VERBO.

Verbum autem est quod consignificat tempus cujus pars nihil extra significat, et est semper eorum quæ de altero prædicantur, nota. Dico autem quoniam consi-

gnificat tempus, ut cursus quidem nomen est; currit autem verbum, consignificat enim nunc esse. Et esse semper eorum quæ de altero dicuntur, nota, ut eorum quæ de subjecto vel in subjecto sunt.

Verbi quidem integra diffinitio est hujusmodi. Verbum est vox significativa secundum placitum, quæ consignificat tempus, cujus nulla pars extra designativa est. Sed quoniam commune est illi cum nomine esse vocem et significativam, et secundum placitum, idcirco illa reticuit. Ab his autem quæ propriæ sunt verbi inchoavit. Verbi autem proprium est, quo a diffinitione nominis segregatur, quod consignificat tempus. Omne enim verbum consignificationem temporis retinet, non significationem. Nomen enim significat tempus. Verbum autem cum principaliter actus passionesque significet, cum ipsis actibus et passionibus temporis quoque vim trahit, ut in eo quod dico lego, actionem quidem quamdam principaliter monstrat. Hoc verbum, sed cum ea ipsa agendi significatione præsens quoque tempus adducit, atque ideo non ait verbum significare tempus, sed consignificare. Neque enim principaliter verbum significat tempus (hoc enim nominis est), sed cum aliis quæ principaliter significat, vim quoque temporis inducit et inserit. Ergo cum nomen et verbum voces significativæ sint, et secundum placitum, additum verbo quod consignificat tempus, a nomine segregatur, ut enim sæpe dictum est, nomen significare tempus poterit, verbum vero consignificare, et sicut in diffinitione nominis addidit, nihil omnino partes separatas a tota compositione nominis designare, propter orationes quæ nominibus essent compositæ, ut est Plato et Socrates, ita quoque in verbo addidit, nihil extra verbi partes significare, propter eas orationes quas verba componunt, ut est ambulare et currere, hæc enim oratio ex verbis est composita, et singula verba et in ipsa oratione et præter eam per se ipsa significant. In verbo vero nullo modo, et sicut in nomine pars nominis nihil designat separata, ita in vero pars verbi nihil separata designat. Dicit autem esse verbum semper eorum quæ de altero prædicantur notam, quod hujusmodi est ac si diceret nihil aliud nisi accidentia; verba significare. Omne enim verbum aliquod accidens designat; cum enim dico cursus, ipsum quidem est accidens, sed non ita dicitur ut id alicui inesse vel non inesse dicatur. Si autem dixero currit, tunc ipsum accidens in alicujus actione proponens, alicui inesse significo, et quoniam quod dicimus currit, præter aliquod subjectum esse non potest (neque enim dici potest præter cum qui currit); idcirco dictum est omne verbum eorum esse quæ de altero prædicantur significativum, ut verbum quod est currit tale significat quiddam quod de altero prædicetur, id est de currente; his igitur expeditis quod ait verbum consignificare tempus exemplis aperuit. Ait enim, dico autem quoniam consignificat tempus, ut cursus quidem est nomen, currit vero verbum, consignificat enim nunc esse. Expeditissime quod verbum distaret a nomine, verbi et nominis interpositione monstravit; etenim quoniam cursus accidens est, et nominatum est, ita ut sit nomen, non consignificat tempus. Currit vero, id est accidens in verbo positum præsens tempus designat, et hoc verbum distare videtur a nomine quod illud consignificat tempus, illud vero præter omnem consignificationem temporis prædicatur. Sed postquam verbum consignificare tempus ostendit, id, quod supra jam dixerat, verbum semper de altero prædicari, nunc memoriter quemadmodum prædicatur ostendit. Ait enim: Et semper est eorum quæ de altero dicuntur nota, ut eorum quæ de subjecto vel in subjecto. Hoc scilicet dicens, ita verbum significat aliquid, ut id quod significat de altero prædicetur, sed ita ut accidens, omne namque accidens et in subjecto est, et de subjecta substantia sibi prædicatur. Nam cum dico currit, id de homine; si ita contingit, prædico scilicet de subjecto, et ipse cursus in homine est. Unde verbum currit inflexum est ergo quod dicit semper eorum esse notam verbum quæ de altero prædicentur, hoc monstrat: Verbum accidentia semper significare, quoniam ait, eas res verbi significatione monstrari quæ vel in subjecto esset, vel de subjecto dicerentur, vel certe ut sit alius intellectus, quoniam solet indifferenter uti de subjecto aliquid prædicari, tanquam si dicat in subjecto esse, et sæpe cum dicit de subjecto aliquid prædicari, in subjecto esse significat, cum vellet ostendere accidentium significationem contineri verbis, ait ea semper designari verbis quæ de subjecto essent. Sed quoniam hoc videbatur obscurius, patefecit addito vel in subjecto, ut quid esset de quo supra dixerat de subjecto, exponeret cum addidit vel in subjecto, tanquam enim si ita dixisset: Verbum quidem semper eorum nota est, quæ de altero prædicantur ut de subjecto; sed ne hoc fortasse cuipiam videatur obscurius, hoc dico esse de subjecto, quod est esse in subjecto. Vel melior hæc expositio est, si similiter dixisse eum arbitremur, tanquam si diceret: omne verbum significat quidem accidens, sed ita ut id quod significat aut particulare sit aut universale, ut id quo ait de subjecto, ad universalitatem referamus, quod in subjecto, ad solam particularitatem. Cum enim dico movetur, verbum quidem est et accidens, sed universale. Motus enim plures species habet, ut cursus sub motu ponitur. Ergo cursus si diffiniendus est, motum de cursu prædicamus. Quocirca motus genus quoddam est cursus, atque ideo motus de cursu ut de subjecto prædicabitur, cursus vero ipse, quoniam species alias non habet, in subjecto tantum est, id est in currente. Motus autem quanquam et ipse sit in subjecto, tamen de subjecto prædicatur. Ideo dicit, eorum esse notam verbum quæ de altero prædicentur, atque addit, ut eorum quæ de subjecto vel in subjecto. Hoc dicit accidentium quidem vim verba significant, sed talium quæ aut universalia sint, aut particularia, ut cum dico moveor, universale quiddam est, et de subjecto dicitur, ut de cursu. Cum vero dico curro, particulare est, et quoniam de subjecto non dicitur, in subjecto solum est.

Non currit autem, et non laborat, verbum non dico,

consignificat enim tempus, et semper de aliquo est. Differentiæ autem huic non est positum nomen, sed fit infinitum verbum. Quoniam similiter in quolibet est, et quod est, et quod non est. Similiter autem curret, et currebat non est verbum, sed casus verbi, differunt autem a verbo: Quoniam hoc quidem præsens tempus consignificat, illa vero quæ circa sunt.

Quomadmodum dixit in nomine, non homo nomen non est, idcirco quod multis aliis conveniret, quæ homines non essent, quoniamque de homine id quod dicerat auferret, nihilque definitum in eadem prædicatione relinqueret, quod enim non homo est, potest esse et centaurus, potest esse et equus, et alia quæ vel sunt vel non sunt, atque ideo infinitum nomen vocatum est, ita quoque etiam in verbo, quod est non currit, vel non laborat, infinitum quoque ipsum est, quoniam non solum de eo quod est, verum est, sed etiam de eo quod non est prædicari potest. Possum namque dicere, homo non currit, et id quod aio non currit, vel non laborat, de ea re quæ est prædico, id est de homine. Possum rursus dicere, Sylla non currit, sed Sylla non est, ergo hoc quod dico non currit, et de ea re quæ est valet, et de ea quæ nihil est, prædicari. Sed forte aliquis hoc quoque in verbis esse finitis contendat. Possum namque dicere. equus currit, hyppocentaurus currit, et de ea re scilicet quæ est, et de ea quæ non est. Et quod complectitur de futuro ac præterito dixit quod futurum quidem ante præsens tempus est, præteritum vero retro relinquitur, et novo admirabilique sermone usus est, quod ait complectitur, sed nos id quantum Latinitas passa est, transferre diu multumque laborantes, hoc solo potuimus, Græca vero oratione luculentius dictum est. Ita enim se habet τὰ δέ τῶν πέρι ξ. Quod qui Græcæ linguæ perius est, quantum melius Græca oratione sonet, agnoscit.

Ipsa itaque secundum se dicta verba, nomina sunt, et significant aliquid. Constituit enim qui dicit, intellectum, et qui audit, quiescit, sed si est, vel non est, nondum significat, neque enim signum est rei esse vel non esse, nec si ipsum est purum dixeris. Ipsum enim nihil est, consignificat autem quamdam compositionem, quam sine compositis non est intelligere.

Hoc in loco in Porphyrius de Stoicorum dialectica, aliarumque scholarum multa permiscet, et in aliis quoque hujus libri partibus, id est in expositionibus idem facit, quod interdum nobis est negligendum. Sæpe enim superflua explanatione magis obscuritas comparatur. Nunc autem Aristotelis hujusmodi sententia est, Verba, inquit, ipsa secundum se dicta nomina sunt, non secundum id quod omnis pars orationis communiter nomen vocatur, ut dicimus nomina rerum, sed quod omne verbum per se dictum, neque addito de quo prædicatur tale est, ut nomini sit affine. Nam si dicam, Socrates ambulat, id quod dixi ambulat, totum pertinet ad Socratem. Nulla ipsius intelligentia propria. At vero cum dico solum ambulat, ita quidem dixi, tanquam si alicui insit, id est tanquam si quilibet ambulet, sed tamen per se est, propriamque retinens sententiam hujus verbi significatio, unde fit ut apud Græcos quoque cum articularibus præpositivis sola verba dicta proferantur, ut est, τὸ περιπατεῖν, τοῦ περιπατεῖν, τῷ περιπατεῖν. Quod si verba cum nominibus conjungatur in oratione Græca, articularia præpositiva addi non possunt, nisi sola dicta sint. Quoniam significant rem, et ita ut quamvis ea significent quæ alicui insint, tamen quod secundum se, et per suam essentiam dicantur, idcirco sunt nomina, et quod Aristoteles ait: Ipsa quidem secundum se dicta verba nomina sunt, tale est ac si diceret, ipsa quidem sola neque cum aliis juncta verba, nomina sunt. Cujus rei hoc argumentum reddit. Constituit enim, inquit, qui dicit intellectum, et qui audit quiescit, hoc autem tale est. Omne nomen auditum, quoniam per syllabas progrediens aliquantulum temporis spatium decerpit in ipsa progressione temporis qua dicitur nomen, audientis quoque animus progreditur, ut cum dico imperterritus sicut per syllabas *im*, et *per*, et *ter*, et cæteras progreditur nomen, ita quoque animus audientis per easdem syllabas vadit. Sed ubi quis expleverit nomen et dixerit imperterritus, sicut nomen syllabarum progressione finitum consistit, ita quoque audientis animus conquiescit. Nam cum totum nomen audit, totam significationem capit, et animus audientis, qui dicentis syllabas sequebatur, volens quod ille diceret intelligere, cum significationem cœperit, consistit, et ejus animus perfecto demum nomine constituitur, hoc est enim quod ait: Constituit enim qui dicit intellectum, et qui audit quiescit. Etenim is qui loquitur postquam totum sermonem dixerit, audientis animum constituit. (Non est enim quo progrediatur intelligentia) ipsoque nomine terminato, animus auditoris qui progrediebatur, explicatione nominis constituitur, et quiescit, et ultra ad intelligentiam, quippe expedita significatione nominis, non procedit, sed hoc verbo nominique commune est, sed si verbum solum dicatur. Namque si cum nomine conjungatur, nondum audientis constituitur intellectus. Est enim quo ultra progredi animus audientis possit. Quod cum dico, Socrates ambulat, hic ambulat non per se intelligitur, sed ad Socratem refertur, et in tota oratione consistit intellectus, non in solo sermone; at vero si solum dictum sit, ita in significatione consistit, quemadmodum in nomine. Recte igitur dictum est ipsa secundum se dicta verba nomina esse, quoniam constituit is qui dicit intellectum, et qui audit quiescit. Vel certe erit melior expositio si ita dicamus verba ipsa secundum se dicta nomina esse, idcirco quoniam cujusdam, rei habeant significationem, neque enim si talis rei significationem retinet verbum, quæ semper aut in altero sit, aut de altero prædicetur, idcirco jam nihil omnino significat, nec si significat aliquid quod præter subjectum esse non possit, idcirco jam etiam illud significat quod subjectum est, ut cum dico sapit, non idcirco nihil significat, quoniam hoc ipsum sapit, sine eo quod sapere potest,

esse non possit, nec rursus cum dico sapit, illum ipsum quod sapit in altero esse, sed illud quod dico sapit, nomen est cujusdam rei, quæ semper sit in altero et de altero prædicetur, unde fit ut intellectus quoque sit. Nam qui audit sapit, licet per se constantem rem non audiat (in altero namque semper est) et in quo sit dictum non est, tamen intelligit quiddam et ipsius verbi significatione nititur, et in ea constituit intellectum et quiescit, ut ad intelligentiam nihil ultra quærat omnino sicut fit in nomine. Quemadmodum enim nomen cujusdam rei significatio propria est per se constantis, ita quoque verbum significatio rei est non per se subsistentis, sed alterius subjecto, et quodammodo fundamento nitentis. Est hic quæstio, non enim verum videri potest, quod ait; constituit enim quod dicit intellectum, et quod audit quiescit. Nam neque qui dicit constituit intellectum, neque quod audit quiescit; deest enim quiddam sermoni vel nomini, ut si quis dicat Socrates, mox audientis animus requirit quid Socrates, facitne aliquid an patitur? et nondum audientis intellectus est quietus, cum horum aliquid requirit, et in verbo idem est, cum dico legit, quis legat animus audientis requirit. Nondum ergo qui dicit constituit intellectum, ne qui audit quiescit. Sed ad hoc Aristotelem retulisse putandum est, quoniam quilibet audiens cum significativam vocem cœperit animo, ejus intelligentia nititur, ut cum quis audit homo, quid si hoc ipsum quod accipit mente comprehendit, constituitque animo audisse animal rationale mortale; Si quis vero hujusmodi vocem cœperit, quæ nihil omnino designet, animus ejus nulla significatione neque intelligentia roboratur errat, ac vertitur, nec ullis designationis finibus conquiescit, quare Aristotelis recta sententia est, et verba secundum se dicta esse nomina, et dicentem constituere intellectum, audientemque quiescere, sed hujusmodi quæstio ab Aspasio proposita est et ab eodem resoluta. Postquam igitur Aristoteles secundum se dicta verba nomina esse constituit, inquit, sed si est vel non est nondum significant, quod hujusmodi est ac si diceret: Significatur quidem quiddam a verbis, velut a nominibus, sed nulla tamen inde negatio affirmatiove perficitur. Cum enim dico sapit, est quidem quædam significatio, sed nihil aut esse aut non esse demonstrat, id est neque affirmativum aliquid, neque negativum est; nam si affirmatio et negatio in intellectuum compositionibus invenitur, ut suprajam docuit neque sola nomina dicta neque verba aut affirmationem, aut ullam facient negationem. Pluribus enim modis docuit Aristoteles alias non in rebus, sed in intellectibus veritatem falsitatemque esse constitutam, quoniam si in rebus veritas falsitasve esset, una res sola aut affirmatio esset, aut quæ ei contraria est, negatio. Nunc vero quoniam intellectibus functis, veritas et falsitas ponitur, oratio quoque opinionis atque intellectus passionumque animæ interpres est Quare sine compositione intellectuum, verborumque veritas et falsitas non videtur existere, quocirca præter aliquam compositionem nulla affirmatio vel negatio est. Verba igitur per se dicta significant quidem quiddam, et sunt rei nomina, sed nondum ita significant, ut vel esse vel non esse aliquid constituant, id est ut affirmationem faciant aut negationem. Nam sicut in nominis partibus aut verbi, partes ipsæ nihil significant, omnes vero designant simul, ita quoque in affirmationibus aut negationibus, partes quidem significant, totæ vero conjunctæ verum falsumve designant, ut cum dico Socrates philosophus est, Socrates philosophus non est, sigillatim positæ partes propria significatione nituntur, sed nihil verum falsumve significant, omnes vero simul junctæ, ut est Socrates philosophus est, veritatem faciunt, vel quod est huic contrarium, falsitatem. Quare cum verba secundum se dicta nomina sint, et significent aliquid, et partes quædam ejus compositionis sunt, quæ verum falsumve faciant, non tamen ipsa in propria significatione vel esse, quod est affirmationis, vel non esse, quod est negationis, designant. Nisi enim cui insit verbum illud fuerit additum, non fit enuntiatio, ut cum dico sapit, nisi qui sapiat, dicam, propositio non est. Quod autem addidit, neque enim signum est rei esse vel non esse, tale quiddam est esse, quod verbum est, vel non esse, quod infinitum verbum est, indicat, non est signum rei, id est nihil per se significat. Esse enim nisi in aliqua compositione non ponitur. Vel certe omne verbum dictum per se significat quidem aliquid, sed si est vel non est, nondum significat. Non enim cum aliquid dictum fuerit, idcirco aut esse aut non esse significat. Atque hoc est quod ait: Neque enim signum est rei esse vel non esse, etenim quam rem verbum designat, esse ejus vel non esse non est signum ipsum verbum, quod de illa re dicitur, ac si sic diceret; Neque enim signum est verbum quod dicitur, rei esse vel non esse, hoc est de qua dicitur re, ut id quod dico, rei esse vel non esse, tale sit, tanquam si dicam, rem ipsam significare esse vel non esse, atque hic est melior intellectus, ut non sit signum verbum ejus rei de qua dicitur esse vel non esse subsistendi, scilicet vel non subsistendi, quod illud quidem affirmationis est, illud vero negationis, ut sit talis sensus, neque enim quod dicitur verbum signum est subsistendi rem vel non subsistendi. Sed quod addidit, Nec si hoc ipsum est, purum dixeris, vel si ita dicamus, Nec si hoc ipsum ens, purum dixeris. Alexander quidem dicit est vel ens æquivocum esse. Omnia enim prædicamenta, quæ nulli communi generi subduntur, æquivoca sunt, et de omnibus esse prædicatur. Substantia enim est, et qualitas est, et cætera. Ergo nunc hic dicere videtur ipsum ens vel est, unde esse traductum est, per se nihil designat. Omne enim æquivocum per se positum nihil designat; nisi enim ad res quasque pro voluntate significantis aptetur, ipsum per se ideo nullorum designativum est, quod multa significat. Porphyrius vero aliam protulit expositio-

nem,quæ hujusmodi est. Sermo hic,quem dicimus est,nullam per se substantiam monstrat,sed semper aliquam conjunctionem vel earum rerum quæ sunt, si simpliciter apponatur,vel alterius secundum participationem : nam cum dico,Socrates est, hoc quod dico Socrates aliquid eorum est quæ sunt, et in rebus iis quæ sunt Socratem jungo ; sim vero dicam, Socrates philosophus est,hic,inquam, Socrates philosophia participat. Rursus hic quoque Socratem philosophiamque conjungo, ergo hoc quod dico est, vim conjunctionis cujusdam obtinet, non rei, quod si propositionem aliquam copulationemque promittit solum dictum nihil omnino significat, atque hoc est quod ait,nec si hoc ipsum est, purum dixeris,id est solum,non modo neque veritatem neque falsitatem designat, sed omnino nihil est,et quod secutus est planum fecit,significat, inquit, quamdam compositionem quam sine compositis non est intelligere. Nam si est verbum compositionis conjunctionisque cujusdam vim et proprium obtinet locum,purum et sine conjunctione prædicatum nihil significat, sed eam ipsam compositionem,quam designat cum fuerit conjunctum,ea quæ componuntur,significare potest, A sine compositis vero quod significet, non est intelligere. Vel certe ita intelligendum est quod ait,ipsum quidem nihil est non, quoniam nihil significet,sed quoniam nihil verum falsumve demonstret,si purum dictum sit ; cum enim conjungitur, tunc fit enuntiatio. Simpliciter enim dicto verbo nulla veri vel falsi significatio fit, et sensus quidem totus hujusmodi est,ipsa verba quidem per se dicta nomina sunt, nam et qui dicit intellectum constituit, et qui audit quiescit, sed quanquam significent aliquid verba, nondum tamen affirmationem negationemve significant. Nam quamvis rem designent, nondum tamen subsistendi ejus rei signum est,nec si hoc ipsum est vel ens dixerimus, aliquid ex eo verum vel falsum poterit invenire. Ipsum enim quanquam significet B aliquid,nondum tamen verum vel falsum est, sed in compositione fit enuntiatio,et in ea veritas vel falsitas nascitur ; quam veritatem falsitatemque sine his quæ componuntur,conjungunturque intelligere impossibile est, et de verbo quidem et nomine sufficienter dictum est. Secundo vero volumine de oratione est considerandum.

LIBER SECUNDUS.

In quantum labor humanum genus excolit et beatissimis ingenii fructibus complet, si in tantum cura exercendæ mentis insisteret, non tam raris homines virtutibus uterentur, sed ubi desidia demittit animos, continuo feralibus seminariis,animi uber horrescit. Nec hoc cognitione laboris evenire C concesserim, sed potius ignorantia ; quis enim laborandi peritus unquam a labore discessit ? Quare intendenda vis mentis est,verumque est amitti animum,si remittitur.Mihi autem si potentior divinitatis annuerit favor,hæc fixa sententia est, ut quanquam fuerint præclara ingenia, quorum labor ac studium multa de his quæ nunc quoque tractamus Latinæ linguæ contulerit, non tamen quemdam quodammodo ordinem filumque disponendo disciplinarum gradus ediderunt. Ego omne Aristotelis opus quodcunque in manus venerit, in Romanum stylum vertens, eorum omnium commenta Latina oratione perscribam, ut si quid ex logicæ artis subtilitate, et ex moralis gravitate peritiæ, et ex naturalis acumine veritatis ab Aristotele conscriptum est, id omne ordinatum transferam,atque id quo- D dam lumine commentationis illustrem, omnesque Platonis dialogos vertendo, vel etiam commentando in Latinam redigam formam.His peractis non equidem contempserim Aristotelis Platonisque sententias, in unam quodammodo revocare concordiam, et in his eos non ut plerisque dissentire in omnibus, sed in plerisque quæ sunt in philosophia maxime consentire demonstrem,hæc si vita otiumque superexerit.cum multa operis hujus utilitate,nec non etiam laude contenderim, qua in re faveant oportet, quos nulla coquit invidia. Sed nunc ad proposita revertamur. Aristoteles namque inchoans librum, prius nomen diffiniendum esse proposuit ; post verbum hinc negationem, post hanc affirmationem, consequenter enuntiationem,orationem vero postremam. Sed nunc cum de nomine et verbo dixerit, converso ordine, quod ultimum proposuit, nunc exsequitur primum, de oratione namque disputat, quam postremam in operis dispositione proposuit, ait enim :

DE ORATIONE.

Oratio autem est vox significativa, cujus partium aliquid significativum est separatum,ut dictio,non ut affirmatio vel negatio.Dico autem, ut homo significat aliquid,sed non quoniam est aut non est,sed erit affirmatio vel negatio, si aliquid addatur, sed non una hominis syllaba, nec enim in hoc quidem quod est sorex,rex significat,sed vox est nunc sola. In duplicibus vero significat quidem aliquid, sed non secundum se, quemadmodum dictum est.

Videtur Aristoteles illas quoque voces orationes putare, quæcunque vel ex nominibus vel ex verbis constent, non tantum quæ integrum colligant intellectum, ut sunt Socrates et Plato, et ambulare et dicere; hæc enim quanquam pleni intellectus non sint, verbis tamen et nominibus componuntur. Ait enim orationem esse vocem significativam, cujus partes significarent aliquid separatim, significarent, inquit non consignificarent, ut in nomine et verbo. Docet autem illa quoque res, eum etiam imperfectas, compositas tamen ex nominibus ac verbis voces,orationes dicere, quod ait cum de nomine loqueretur, in eo quod est equiferus nihil significare ferus, quemadmodum in oratione quæ est equus ferus, namque equus ferus vox composita ex nominibus est,sed sententiam non habet plenam,et ille ait,quemadmodum in oratione quæ est equus ferus. Nam si secundum

Aristotelem equus ferus est oratio, cur non aliæ quoque quæ nominibus verbisque constent, quanquam sint imperfectæ sententiæ, tamen orationes esse videantur, cum præsertim orationem ipse ita definiat; Oratio est vox significativa, cujus partium aliquid significativum est separatum. In his ergo vocibus quæ verbis et nominibus componuntur, partes extra significant, et non consignificant. Nam si nomen et verbum significativum est separatum, in his vero vocibus quæ verbis et nominibus componuntur, partes extra significant, non consignificant, etiam voces imperfectæ nominibus et verbis compositæ orationes sunt. Nam si nomen omne et verbum significativum est, hæ autem voces, id est orationes nominibus componuntur et verbis, dubium non est in his vocibus, quæ ex nominibus et verbis conjunctæ sunt, partes per se significare; quod si hoc est, et vox cujus partium aliquid separatum, etiam per se significat, licet sit imperfectæ sententiæ, tamen orationem esse manifestum est. Sed quod addidit orationis partes significare, ut dictionem, non ut affirmationem vel negationem. Alexander ita dictum esse arbitratur. Sunt enim, inquit, aliæ quidem simplices orationes, quæ solis verbis et nominibus conjunguntur, aliæ vero compositæ quarum partes in unum corpus junctæ jam faciunt orationes, et simplices quidem orationes, partes habent eas ex quibus componuntur, verba et nomina, ut est: Socrates ambulat. Compositæ autem aliquoties quidem tantum orationes, aliquoties vero etiam affirmationes, ut cum dico Socrates ambulat, et Plato loquitur, utræque sunt affirmationes, vel cum dico: Aio te Æacida Romanos vincere posse, ex orationibus non ex affirmationibus componitur talis oratio. Prior autem simplicitas est, posterior vero compositio. In quibus est autem prius vel posterius aliquid, illud sine dubio diffiniendum est priori loco, quod natura quoque præcedit. Ita ergo quoniam prior simplex oratio est, posterior vero composita, prius simplicem orationem diffinitione constituit dicens, cujus partes significant ut dictio, non ut affirmatio, dictionem simplicis nominis aut verbi nucupationem ponens. In simplicibus enim orationibus hujusmodi partes sunt. In compositis vero aliquoties vero affimationes tantum, aliquoties vero affirmationes, ut supra monstravimus; addit quoque illud. Omnem, inquit, diffinitionem vel contractiorem esse diffinita specie, vel excedere non oportet: quod si Aristoteles ita constituisset diffinitionem, ut significare partes orationis diceret ut orationes, ac non ut dictiones, simplices orationes ab hac diffinitione secluderet. Orationum namque simplicium partes, non ut orationes, sed ut simplicia verba nominaque significant. Nam si omnis oratio orationes habebit in partibus, rursus ipsæ partes quæ sunt orationes, aliis orationibus conjungerentur et rursus partium partes, quæ eædem quoque orationes sunt, alias orationes habebunt in partibus. Ac si quis hoc intelligentia sumpserit, ad infinitum procedet, nec ulla erit prima oratio quæ simplices habeat partes. Neque enim fieri potest ut prima dicatur oratio quæ alias orationes habet in partibus; partes enim priores sunt propria compositione; quod si in infinitum ducatur intelligentia, nulla prima oratio reperitur, et cum nulla sit oratio prima, nec ulla postrema est. Quocirca interrempta prima atque postrema, omnis quoque interimitur, et nulla omnino erit oratio; quare non recta fuisset diffinitio, si ita dixisset: Oratio est vox significativa, cujus partes aliquid extra significant, ut orationes. At vero, inquit Alexander, nec si quædam orationes in partibus continent, idcirco jam necesse est ipsarum orationum partes affirmationes esse, ut cum dico: Desine meque tuis incendere teque querelis. Est ergo hujus orationis pars una. Desine meque tuis incendere, teque querelis, alia. Neutra harum affirmatio est, quanquam videatur esse oratio. Quocirca nec illa fuisset recta diffinitio, si ita dixisset. Oratio est vox significativa cujus partes extra aliquid significant, ut affirmatio. Hujusmodi enim orationes cum sint ejus partes ex orationibus junctæ, non tamen affirmationibus totum ipsius corpus orationis efficitur. Sed quoniam in omni oratione verba sunt et nomina, quæ simplices sunt dictiones, non autem in omnibus orationibus, aut affirmationes aut orationes partes sunt, quod commune erat, id in definitione constituit, tanquam si ita diceret: Oratio est vox significativa secundum placitum, cujus partes aliquid extra significant, ex necessitate quidem ut dictio, non tamen semper, ut affirmatio, aut oratio. Neque enim potest fieri, ut inveniatur oratio, cujus partes non ita aliquid extra significent ex necessitate, ut nomen aut verbum eum inveniri possit, ut ita extra significent orationis partes, ut tamen oratione aut affirmationes non sint. Quare si ita dixisset. Oratio est vox significativa, cujus partes aliquid extra significant, ut affirmatio, illas orationes hac diffinitione non circumscripsisset, quarum partes quidem orationes sunt sed non affirmationes, ut ille versus est quem supra jam posui. Sin vero sic dixisset: Oratio est vox significativa, cujus partes extra significant aliquid ut oratio, illas orationes in diffinitione reliquisset, quarum partes simplices sunt, ut est, Socrates ambulat. Sed cum dicit orationis partes ita significare ut dictiones, non omnino ut affirmationes, et simplices et compositas, hac diffinitione conclusit. Simplices quidem idcirco quod quælibet simplex parvissimaque oratio nomine et verbo conjungitur, quæ sunt simplices dictiones. Compositas vero, quæ cum habent orationes in partibus, partes, ipsæ habent simplices dictiones, quæ ipsæ simplices dictiones totius corporis partes sunt, ut cum dico, si dies est, lux est. Dies est, et lux est, partes sunt totius orationis. Sed rursus harum partium partes sunt dies, et est, et rursus lux, et est, quæ rursus totius orationis, per quam dico, si dies est, lux est, partes sunt; sed dies, et est, et rursus lux, et est, sunt simplices dictiones. Quocirca etiam compositarum orationum partes indubitanter, ita semper significant, ut dictiones non ut

affirmationes, aut quædam orationes. Quare hanc diffinitionem Aristoteles recte constituit. Ad hanc ergo sententiam locum hunc Alexander expedit. Illud quoque addens sæpe Aristotelem de affirmationibus dicere dictiones, quod distinguere volens, cum diceret ita significare partes orationis tanquam dictionem, ne forte dictionem hanc aliquis in affirmationem susciperet, addidit, ut dictio non ut affirmatio, tanquam si diceret: Duplex quidem est dictio, una simplex alia vero affirmatio. Sed ita partes orationis aliquid extra significant, ut ea dictio, quæ est simplex, non ut ea quæ est affirmatio, et hujuscemodi quodammodo intellectum tota Alexandri sententia tenet. Porphyrius quoque in eadem sententia est, sed in uno discrepat, cujus expositio talis est. Dictio, inquit, est simplex nomen, et simplex etiam verbum, et ex duobus compositum, ut cum dico Socrates, vel rursus ambulat, vel equiferus. Procedit etiam nomen dictionis ad orationes quidem, sed simplicibus verbis et nominibus conjunctas, et cum dico Socrates et Plato, et si sit ex composito nomine, ut est equiferus et homo; hæ orationes quanquam conjunctæ sint atque imperfectæ, tamen dictionis nomine nuncupantur, nec non etiam transit nomen hoc dictionis usque ad perfectas orationes, quas enuntiationis nuncupari posterius est dicendum. Est autem enuntiatio simplex, ut si quis dicat, Socrates ambulat. Et hæc dicitur affirmatio hujus negatio est, Socrates non ambulat. Simplices ergo enuntiationes sunt affirmationes vel negationes, quæ singulis verbis ac nominibus componuntur. Itaque cum dico, si dies est, lux est, tota quidem hujusmodi oratio dictio esse non dicitur. Composita namque conjunctaque est ex orationibus, quæ sunt dies est, et lux est. Hæ autem sunt affirmationes, et dicuntur dictiones. Ipsæ vero affirmationes quæ dictiones sunt habent rursus alias dictiones simplices, ut est dies, et est, et rursus lux, et est. Ergo cum dico, Socrates ambulat, hæc oratio partes habet dictiones, nomen scilicet et verbum, quæ dictiones quidem sunt, non tamen affirmationes. Sin vero dicam, Socrates in lycæo cum Platone et cæteris discipulis disputavit, hæc pars orationis quæ est, Socrates in lycæo ipsa quoque est dictio, sed non ut simplex nomen vel verbum, quæ dictiones quidem sunt, non tamen affirmationes, neque ut affirmatio, sed tantum ut imperfecta oratio quæ verbis tamen nominibusque composita est; quod si sic dicam, si homo est, animal est, hæc rursus oratio habet dictiones in partibus, sed neque ut simplices dictiones, neque ut imperfectas orationes, sed ut perfectas, simplicesque affirmationes, et una est affirmatio animal est, alia vero homo est. Tota vero ipsa oratio dictio non est: quod si dicam, si animal non est, homo non est, rursus hæc oratio ex duabus simplicibus dictionibus negativis videtur esse composita, quæ nihilominus tota dictio non est. Ita ergo dictio inchoans a simplicibus nominibus atque verbis usque ad orationes, quamvis ad imperfectas provehitur, nec in his tantummodo consistit, sed ultra etiam ad simplices affirmationes negationesque transit, et in eo progressionis terminum facit. Ergo quoniam non omnis oratio partes habet affirmationes et negationes, quæ sunt simplicium dictionum perfectæ enuntiationes, quoniam non omnis oratio imperfectas orationes habet in partibus, omnis tamen oratio simplices dictiones retinet, quippe cum omnis oratio ex verbis nominibusque jungatur hoc ait, orationis partes significare semper quidem ut dictiones, non tamen semper ut affirmationes, consentiente Alexandro, cujus expositionem supra jam docui, atque ita diligentior lector differentias eorum recte perspiciat, et consentientes quidem communicet intellectus. Hoc loco Aspasius inconvenienter interstrepit, ait enim Aristotelem non in omnes orationes diffinitionem constituere voluisse, sed tantum in simplices, quæ ex duobus constant, verbo scilicet et nomine: sed ille perfalsus est. Neque enim si simplex oratio, simplicibus verbis nominibusque consistit, idcirco non composita quoque oratio verba et nomina similiter in partibus habet. Quod si hoc commune est simplicibus orationibus atque compositis, ut habeant in partibus quidem dictiones simplices, non etiam affirmationes, cum etiam orationes quæ affirmationes habent habeant in partibus simplices dictiones, cur hanc quæstionem in Aristotelem jaciat, ratione relinquitur. Syrianus vero, qui Philoxemus cognominatur, non putat orationes esse quarum intellectus sit imperfectus, atque ideo nec eas aliquas habere partes. Nam cum dicit Plato in Academia disputans, hæc quoniam perfecta non est, partes, inquit, non habent, arbitrans omne quod imperfectum est nullis partibus contineri atque ideo, cum dicit Aristoteles, oratio est vox significativa, cujus partes aliquid extra significant, illam orationem constitui putat, quæ perfectum retinet sensum, ipsius enim partes esse verba et nomina. Sed hoc ridiculum est. Neque enim aliquid compositum fieri potest, nisi propriis partibus. Quod si quælibet res ut componatur habeat decem partes, eas tamen sigillatim apponi necesse sit, antequam ad decimam veniamus partem, nihilo tamen minus erunt partes quas sibimet ad componendam totius corporis summam sigillatim superponimus, etiam si ad illud quod componendum fuit minime perventum est. Quocirca si antequam perveniatur ad decimam partem prioris effecti compositique partes sunt, nulli ratio est imperfectæ rei partes dici non posse. Neque enim dicitur totius compositi partes esse, quæ sint imperfecti, ut si sit integrum nomen, habeat partes quatuor, id est syllabas, ut *Mezentius*, si unam syllabam demam, dicamque *mezenti*, vel si unam rursus duasque ponam, ut sunt *mezen*, hujus tamen utraque syllaba *me* scilicet et *zen* partes sunt, et cum sit compositio ipsa sensu vacua, ac sit imperfecta, tamen partibus continetur. Syrianus igitur minime audiendus est. Sed Porphyrius potius, qui ita Aristotelis mentem sententiamque persequitur ut ejus diffinitionem, quæ vera est, labare et in aliquibus aliis discrepare non faciat. De his quidem

hactenus. Porphyrius autem ita dicit : Volens, inquit, Aristoteles ostendere non omnem orationem, aut simplices tantum habere partes, aut compositas, a simplicibus sumpsit exemplum, ut diceret significare partes orationis, ut dictionem non ut affirmationem, ut cum est oratio. Plato disputat, dictiones quidem sunt, sed non ut affirmationes. Si vero sic esset oratio, Si Plato disputat verum dicit, Plato disputat et verum dicit, cum sint dictiones, non sunt tantum ut simplices, sed etiam ut affirmationes. Neque enim simplex dictio affirmatio est aut negatio, sed tunc fit cum additur aliquid, quod aut affirmationis vim teneat aut negationis, atque hoc est quod ait: Dico autem ut homo significat aliquid, sed non quoniam est, aut non est, sed erit affirmatio vel negatio, si quid addatur. Hujusmodi hoc est, tanquam si diceret, nomen quidem simplex affirmationem aut negationem non facit, nisi aut est verbum addatur, quæ est affirmatio, aut non est, quæ est negatio. Quod autem additur, sed non una hominis syllaba, nec in eo quod est sorex, rex significat, sed vox est nunc sola. In duplicibus vero significat quidem, sed nihil secundum se, quemadmodum dictum est. Hujus loci duplex est expositio. Quod enim dixerat prius, sed erit affirmatio vel negatio si quid addatur ei dictioni, quam supra simplicem esse proposuit, cum de significativa orationis parte loqueretur, nunc id adimplet et explicat dicens: Non si quidlibet addatur simplici dictioni, statim fieri affirmationem vel negationem, nec vero orationem, neque enim si quid non per se significativum dictioni simplici copuletur, idcirco jam vel oratio, vel affirmatio vel etiam negatio procreabitur, neque enim si una syllaba hominis quæ significativa per se non est, copuletur eidem ipsi dictioni, jam ulla inde procreatur oratio. Quod si oratio non sit, nec propositio est, hæ enim orationes quædam sunt, ut si quis ex eo quod est homo tollat unam syllabam, eamque toti dictioni simplici aptet, dicatque homo, vel alio quolibet modo decidens, partem toti corpori dictionis adjiciens non faciet orationem. Quod si hoc est, nec affirmationem nec negationem, quædam sunt orationes. Ita ergo accipiendum est, tanquam si hoc modo dixisset, dico autem ut homo significat aliquid, sed non quoniam est aut non est; sed erit affirmatio, vel negatio si quid addatur, sed non ut una hominis syllaba addatur, nec cuilibet alterius dictionis, si quid non per se significat, ut in eo quod est sorex rex non significat, sed vox est nunc sola. Atque ideo si quis velut partem tollat, id quod est rex, ut apponatque ei quod est sorex, dicatque sorex rex, ut rex tanquam pars sit ejus quod est sorex, oratio nulla est, atque ideo neque affirmatio neque negatio. Hæc enim ex vocibus per se significativis constant. Rex vero in eo quod est sorex, quoniam pars est nominis, nihil ipsa significat. Vel certe erit melior intellectus si hoc quod ait, sed non una hominis syllaba, non aptemus ad orationis perfectionem, sed potius ad dictionis significationem, ut quoniam dixit superius, orationis partes significare ita, ut dictionem non ut affirmationem, quæ esset dictio manifeste monstret. Dictiones namque constituit vocem per se significantem : ergo cum dicit, sed non una hominis syllaba, tale est ac si diceret : Significat quidem pars orationis ut dictio. Sed hæ ipsæ dictiones perfectæ nomina sunt et verba, non partes nominum verborumque. In eo enim quod est equiferus currit, equiferus quidem dictio est totius orationis, significat enim ut pars orationis, sed ferus consignificat ut pars nominis, atque ideo ferus dictio non est. Quocirca si quæ aliæ syllabæ in parte orationis sunt, id est in nomine vel verbo, nihil per se significant, quanquam sint in parte nominis, quod nomen pars orationis est, nihil tamen ipsum significat in tota oratione, quare nec dictio erit. Audiendum ergo est ita, tanquam si sic diceret : Oratio autem est vox significativa, cujus partium aliquid significativum est separatum, ut dictio, non ut affirmatio ; dico autem ut homo significat aliquid, et est quædam dictio simplex. Nam neque oratio est, quoniam simplex est, nec affirmatio neque negatio, quoniam non significat aut esse aut non esse. Sed erit tunc affirmatio, quando aliquid additur, quod affirmationem negationemve constituat. Sed quod ad dictionem esse id quod dicimus homo. Idcirco dictio est, quoniam per se significat. Syllaba vero ejus nominis quod est homo; quoniam nihil designat, non est dictio. Hoc est enim, sed non ura hominis syllaba, vel si videatur quidem significare, pars tamen sit nominis, et consignificet in nomine, in tota oratione nihil significet. Neque enim est pars orationis. Quod per hoc dixit quod ait, nec in eo quod est sorex rex significat, sed vox est nunc sola nihil significans, unde probatur hujusmodi particulas non esse dictiones. Vox enim sola non est dictio, sed vox per se significans. Si quæ sunt, inquit, nomina, quæ sint composita ex aliis, ut est equiferus, emittunt quidem quamdam imaginem significandi, sed per se nihil significant, consignificant autem. In simplicibus vero nominibus nec imaginatio ulla significandi est, ut in eo quod est Cicero, partes ejus cum simplices sono, tum etiam intellectu præter cujuslibet imaginationis similitudinem significationemve sunt. In duplicibus vero vult quod est pars significare, sed nullius separatim significatio est. Idcirco quoniam solum consignificat id quod totum compositi nominis corpus designat, ipsum vero separatum (ut sæpius dictum est) nihil extra significat.

Est autem oratio omnis quidem significativa non sicut instrumentum, sed (quemadmodum dictum est) secundum placitum.

Secundum placitum esse orationes illa res approbat, quod earum partes sunt ad placitum, id est nomen et verbum. Quod si omne compositum ab his ex quibus est compositum, sumit naturam, vox quæ positione constitutis vocibus jungitur, ipsa quoque secundum placitum positionemque formatur. Quare manifestum est orationem secundum placitum esse. Plato vero in eo libro qui inscribitur Cratylus, aliter esse constituit, eamque dicit supellectilem quamdam

atque instrumentum esse significandi res eas quæ naturaliter intellectibus concipiuntur, earumque intellectum vocabulis discernendi. Quod si omne instrumentum naturalium rerum secundum naturam est, ut videndi oculus, nomina quoque secundum naturam esse arbitratur. Sed hoc Aristoteles negat, et Alexander multis in eo nititur argumentis, monstrans orationem non esse instrumentum naturale. Aristoteles vero ita utitur dicens: Est autem oratio omnis quidem significativa, non sicut instrumentum, tanquam si diceret: Est quidem omnis oratio significativa, non tamen naturaliter, instrumentum enim hoc demonstrat, tanquam si diceret naturaliter significare. Quod qui instrumentum orationem esse negant, non eam naturaliter significare dicunt, sed ad placitum. Naturalium enim rerum naturalia sunt instrumenta. Idcirco autem instrumentum pro natura posuit, quod (ut dictum est) Plato omnium artium instrumenta, secundum naturam ipsarum artium consistere proponebat. Et Alexander quidem non esse instrumentum orationem sic ingreditur approbare. Omnis, inquit, naturalium actuum supellex, ipsa quoque naturalis est, ut in sensu quoniam natura datur, ejus quoque supellex est naturalis, ut oculus. Eodem quoque modo auditus cum naturalis sit, aures nobis quæ sunt audiendi instrumenta, naturaliter esse datas cognoscimus. Quare quoniam oratio ad placitum non naturaliter est, partes enim manifestum est orationis ad placitum positas, quæ sunt scilicet nomina et verba sicut monstrat apud omnes gentes diversitas vocabulorum, quoniam ergo per hæc secundum placitum omnis oratio esse monstratur, quod autem secundum placitum est, non est secundum naturam, non est ergo oratio supellex. Significandi enim ratio atque potestas naturaliter non est. Quod si oratio naturaliter non est, non est supellex. His aliisque similibus rationibus monstrat non esse supellectilem orationem. Quocirca dicendum nobis est, naturaliter quidem esse voces potestatesque naturaliter vocabula rebus imprimendi, non tamen naturaliter significativas, sed positione. Sicut ergo naturaliter singularium artium sumus susceptibiles, sed eas non naturaliter habemus, sed doctrina concipimus, ita vox quidem naturaliter est, sed per vocem significatio non naturaliter. Neque enim vox sola nomen est, aut verbum, sed vox quædam addita significatione, et sicut naturaliter est moveri, saltare vero cujusdam jam artificii et positionis, quemadmodum æs quidem naturaliter est, statua vero positione vel arte. Ita quoque possibilitas ipsa significandi, et vox naturalis est. Significatio vero per vocem positionis est, non naturæ. Hactenus quidem de communi oratione locutus est, nunc autem transit ad species ejus. Ait enim :

Enuntiativa vero non omnis, sed illa in qua verum vel falsum est, non autem in omnibus inest, ut deprecativa, oratio quidem est, sed neque vera neque falsa. Cæteræ igitur relinquantur, rhetoricæ enim vel poeticæ convenientior est consideratio, enuntiativa vero præsentis est speculationis.

Species quidem orationis multæ sunt, sed eas varie partiuntur, at vero Peripatetici quinque partibus omnes species orationis ac membra distribuunt. Orationis autem species dicimus perfectæ, non ejus quæ est imperfecta. Perfectas autem voco eas quæ complent expediuntque sententiam. Et sit nobis hoc modo divisio. Sit genus oratio, orationis aliud est imperfectum, quod sententiam non expedit, ut si dicam Plato in lycæo, aliud vero perfectum. Perfectæ autem orationis alia est deprecativa, ut, Adsit lætitiæ Bacchus dator; alia imperativa, ut, Accipe daque fidem; alia interrogativa, ut, Quo te, Mœri, podes? an quo via ducit, in urbem? alia vocativa, ut, O qui rex hominumque deumque æternis regis imperiis; alia enuntiativa, ut, Dies est, dies non est. In hac sola quæ est enuntiativa, veri falsive natura perspicitur. In cæteris enim neque veritas neque falsitas invenitur, et multi quidem plures species esse dicunt perfectæ orationis, alii autem innumeras eorum differentias produnt, sed nihil ad nos. Cunctæ enim species orationis, aut oratoribus accommodatæ sunt, aut poetis, sola enuntiativa philosophis. Ergo hoc dicit: Non omnis oratio enuntiativa est. Sunt enim plurimæ quæ enuntiativæ non sunt, ut hæ quas supra posui. Hæc autem sola est in qua verum falsumve inveniri queat. Quocirca quoniam istam in qua veritas vel falsitas invenitur, dialectici philosophique est quærere. cæteræ autem oratoribus atque poetis accommodatæ sunt, jure de hac sola tractabitur, id est de enuntiativa oratione. Hucusque ergo de partibus interpretationis et de communi oratione locutus est. Nunc autem astringit modum disputationis in speciem, et de una specie orationis tractat deque una interpretatione quæ est enuntiativa. Species namque est enuntiatio interpretationis, negatio vero et affirmatio enuntiationis. Quare de enuntiativa oratione considerandi, hinc cum ipso Aristotele commodissimum sumamus initium.

Est autem una prima oratio enuntiativa, affirmatio, deinde negatio, aliæ vero omnes conjunctione unæ. Necesse est autem omnem orationem enuntiativam ex verbo esse, vel casu verbi; etenim hominis ratio, si non est, aut fuit, aut erit, aut aliquid hujusmodi addatur, nondum est oratio enuntiativa. Quare autem unum quidam est, et non multa animal gressibile bipes. Neque enim eo quod propinque dicuntur unum erit. Est autem alterius hoc tractare negotii.

Una oratio duplici modo tractatur, vel cum per se una est, vel cum per aliquam conjunctionem jungitur. Vel certe ita dicendum est. Aliæ orationes naturaliter unæ sunt, aliæ vero positione. Et naturaliter unæ quidem sunt orationes quæ non dissolvuntur in alias orationes, ut est, sol oritur. Quæ autem positione sunt unæ in alias orationes dissolvuntur, ut est, si homo est animal est; hæc enim in orationes alias separatur, et quemadmodum lignum vel lapis sigillatim in propria natura consistunt et sunt una, ex his autem facta navis vel domus quæ cum pluribus quidem constent, unæ tamen arte sunt, non natura. Ita quoque in orationibus simplices eas et per se naturaliter una orationes dicimus, quæ

verbo tantum et nomine conjunguntur. Compositas autem quæ in alias (ut dictum est) orationes dividuntur. Multas enim orationes in hujusmodi orationibus conjunctio jungit, ut si dicam Plato est et Socrates est, hæc conjunctio *et* utrasque conjunxit, atque ideo una videtur positione, quæ naturaliter et per se una non fuerat, naturaliter autem unius orationis duæ partes sunt affirmatio et negatio ; sed quoniam non ita dixit, est autem una oratio enuntiativa, affirmatio vel negatio, deinde est una conjunctione. Sed ait : Est autem una prima oratio enuntiativa affirmatio, deinde negatio, hujusmodi oritur quæstio. Utrum id quod ait prima ad affirmationem referatur, ut sit posterior negatio, an id quod ait prima ad simplicem retulerint orationem, ut secunda sit, quæ ex orationibus jungitur, quam dubietatem ipse dissolvit. Sic enim inquit : Est autem una prima oratio enuntiativa, affirmatio, et ut quam secundam diceret demonstraret, ait, deinde negatio, ut primam affirmationem poneret, secundam negationem. Quod si ita dixisset, est autem una prima enuntiativa oratio affirmatio vel negatio, deinde conjunctione una, ita oporteret intelligi tanquam si diceret, illam esse primam orationem quæ simplex esset, cujus partes affirmatio essent atque negatio ; secundam vero illam quæ conjunctione quadam una fieret, cum ex orationibus jungeretur. Sed quoniam id quod ait prima ad affirmationem junxit dicens, est autem una prima oratio enuntiativa affirmatio, ad negationem vero, deinde subjunxit dicens, deinde negatio. Dicendum est primam eum orationem esse arbitrari affirmationem ; secundam vero negationem, cui deinde continenter apposuit. Sed rursus incurrimus Alexandri quæstionem. Per hoc enim negat affirmationem negationemque sub uno genere poni oportere, id est sub enuntiatione, quod in iis quæ priora vel posteriora sunt, commune genus non potest inveniri. Sed hoc supra jam dictum est, nam oportere omnia quæcunque quolibet modo priora vel posteriora sunt a genere communi secernere. Alioqui sic primæ et secundæ substantiæ sub uno genere substantiæ non ponentur. Sic etiam simplices et compositæ orationes, quarum simplices propositiones primæ sunt, posteriores compositæ, uno genere non continebuntur. Sed illa sola putanda sunt sub eodem genere poni non posse, quæ ad substantiam priora vel posteriora esse cognoscimus. Quæ vero ad suum esse æqualia sunt, nihil prohibet sub eodem genere utraque constitui. Ergo quoniam affirmationi et negationi hoc est esse, quod in his veritas et falsitas reperitur, hæc autem est enuntiatio in qua scilicet veritatis et falsitatis constituta sit ratio, quoniam ad id quod veri falsive significativæ sunt, neque affirmatio prior, neque negatio posterior est. Nullus dubitat eo quod æqualiter participant affirmatio et negatio, eidem generi posse supponi ; sed affirmatio et negatio æqualiter participant enuntiatione, siquidem enuntiatio veri falsique utitur significatione, et affirmatio et negatio veritatem atque mendacium æqualiter monstrant ; enuntiatio igitur affirmationis et negationis genus esse ponenda est. Quod ergo ait : Est autem una prima oratio enuntiativa, affirmatio, deinde negatio, aliæ vero conjunctione unæ, ita intelligendum est, quod affirmationem primam, secundam vero negationem, cui addidit deinde, in prolatione posuerit. Prior enim est affirmatio, posterior negatio in prolatione duntaxat, non secundum veri falsique designationem. Quocirca nihil prohibet et priorem putari affirmationem negatione, et tamen utrasque sub uno genere, id est enuntiatione constitui. Sed quod secutus est : Necesse est autem omnem orationem enuntiativam ex verbo esse vel casu, hujusmodi est volens Aristoteles distribuere dictionem affirmationem, negationem, enuntiationem, contradictionem sensum confusa brevitate permiscuit, et nebulis obscuritatis implicuit, oportuit namque prius quid esset dictio, post autem quid affirmatio, et negatio, et rursus quid esset enuntiatio, et contradictio constituere. Sed hoc interim prætermittit, nunc vero quemadmodum constituatur enuntiatio docet dicens : Quod omnis enuntiatio constet verbo, quoniam simplex dictio est nomen aut verbum. Omnis enuntiatio simplex hujusmodi est, ut semper quidem vel verbum vel aliud aliquid quod idem valeat, tanquam si diceretur, verbum vel casum verbi in prædicatione retineat, sed non semper subjectus terminus fit ex nomine, semper tamen prædicatus ex verbo : sit enim hujusmodi propositio, quæ est, sol oritur ; in hac ergo propositione quod dico, sol oritur, subjectum est sol, quod vero dico, oritur, prædicatum. Et utrasque has dictiones terminos voco, sed quodcunque prius dicitur, in simplici enuntiatione, illud subjectum est, ut in hac sol, quod vero posterius, illud prædicatum, ut in eadem, oritur. Ergo necesse est omnem enuntiativam orationem si simplex sit, verbum in prædicatione retinere, ut in eadem ipsa, cum dico, sol oritur, oritur verbum est, vel quod idem valeat, ut est, Socrates non ambulat ; non ambulat enim infinitum verbum est, et verbum quidem non est, sed eamdem vim retinet quam verbum. Casus etiam verbi ponitur sæpe, ut Socrates fuit ; subjectus vero terminus non semper consistit in nomine, potest enim infinitum nomen habere, ut cum dico, non homo ambulat, potest et verbum, ut cum dico, ambulare, moveri est ; ergo (ut arbitror) plene monstratum est non semper subjectum nomen esse, sed semper prædicatum in solo verbo consistere. Approbans ergo verba semper in prædicationibus poni, hoc addidit, nisi enim aut est, fuit, aut aliquid hujusmodi sit additum, aut quod idem valeat apponatur, enuntiatio non fit cum enim dico, homo est, est verbum in prædicatione proposui. Sin vero dixero, homo vivit, idem valet tanquam si dicam homo vivus est. Ergo non posse sine verbo affirmationem negationemve constitui, docuit per id quod ait, etenim hominis ratio si non aut est, aut erit, aut fuit, aut aliquid hujusmodi addatur, nondum est oratio enuntiativa. Hoc enim dicere videtur : Diffinitio hominis est,

verbi gratia, animal gressibile bipes,et hæc ratio est humanæ, substantiæ ergo hæc ratio nisi ei est, aut erit,aut fuit,aut quodlibet verbum (sicut supra dictum est) apponatur, enuntiatio non fit, neque enim verum neque falsum est. Si enim dicam tantum animal gressibile bipes,nulla me veritas mendaciumve consequitur. Sin autem dixero animal gressibile bipes est, vel non est,affirmatio mox negatioque conficitur,quas enuntiationes esse quis dubitet? Sed cum de simplicibus enuntiationibus loqueretur, ait, hominis rationem, id est diffinitionem non esse enuntiationem,nisi ei,aut est,aut erit,aut hujusmodi aliquid apponatur, approbans scilicet unam esse, et non multiplicem orationem diffinitionis humanæ, cui si est,aut erit,aut fuit adderetur, enuntiationem simplicem faceret.Cur vero una sit talis oratio causa quæritur, neque enim ex solis duobus terminis constat,id quod dicimus animal gressibile bipes, et quæ nominat, plura sunt, quare ipse sibi institit, et de sua propositione rationem quæsivit quam nunc dicere supersedit ; ait enim : Quare autem unum quiddam est et non multa,animal gressibile bipes,neque enim in eo quod dicuntur propinque,unum erit. Est autem alterius hoc tractare negotii. Hoc scilicet quærens tanquam si ita ipse ex persona sua diceret,de simplicibus enuntiationibus omnibus ipse loquebar,deque his proposuit eas præter verbum esse non posse,et ad hanc rem probandam exemplum sumpsi diffinitionem hominis,cui nisi est,aut erit, aut fuit apponetur, enuntiationem non fieri dixi, quasi una et non multiplex esset oratio, ea per quam dicitur animal gressibile bipes, de qua fieri possit simplex enuntiatio. Cur autem esset una oratio, animal gressibile bipes,alterius, inquit, est hoc tractare negotii, cum de rebus,non de propositionibus inspiciendum est. Nam non idcirco una oratio est, quia continue dicitur,et conjuncte sibimet, animal gressibile bipes ;hoc enim si ita esset,possemus et hanc orationem quæ tam multa significat, unam dicere,si continue proferatur,ut est Socrates philosophus simus,calvus, senex. Ergo quemadmodum hujusmodi oratio sit multiplex, et non una, posterius dicemus ; ergo nunc manifestum sit hanc orationem quæ dicit Socrates philosophus simus, calvus,senex,non esse unam, sed multiplicem. Si ergo propinquitas proferendi ipsa continuatione unam faceret orationem, posset hæc quoque una esse oratio, quæ manifeste non una esse docebitur. Quare non idcirco erit una oratio ea quæ dicit,animal gressibile bipes, quod continue et propinque profertur. Quæ autem causa sit ut una sit,ipse dicere distulit,sed in libris ejus operis quod Μετὰ τὰ φυσικὰ inscribitur,expedivit. Theophrastus autem de affirmatione et negatione sic docuit, diffinitionem unam semper esse orationem, eamque oportere continuatim proferri ; illa enim una oratio esse dicitur,quæ unius substantiæ designativa est. Diffinitio autem,ut verbi gratia hominis animal gressibile bipes,una est oratio per hoc, quoniam unum subjectum, id hominem monstrat. Si ergo continue proferatur,et non divise,una est oratio, et quia continue dicitur,et quia unius rei substantiam monstrat. Sin vero dividat, et orationem unam rem significantem proferendi intermissione distribuat multiplex fit oratio,ut si dicat animal,gressibile bipes,unam rem mihi tota monstrat oratio,et continue dicta est. Sin vero dicat animal et rursus gressibile, et sub intermissione repetat bipes, multiplex erit distributa intermissione oratio. Est rursus adversum id quæstio, et quis hoc non jure culpet,posse eam quæ una est orationem intermissione proferendi fieri multiplicem, cum continuatio proferendi non facere unam,quæ esset multiplex per naturam. Sicut enim in illis quæ multiplices sunt naturaliter,non potest continuatio proferendi,unam facere orationem, sic quoque non debet quæ est una naturaliter oratio,idcirco quod de uno subjecto dicatur, fieri multiplex per intermissionem. Sed hoc ita solvitur. Nam cum animal dicimus,et sub intermissione rursus gressibile,eodemque modo iterum bipes, non hæc ita dicimus,tanquam si in unum cuncta conjuncta sint.Quocirca quoniam est quidem animal,rursus gressibile est, rursus bipes, quoniam plura sunt,et pluraliter dicta,id est distributa,non videntur ad unum subjectum distributa posse prædicari, sicut cum dico Socrates, philosophus, simus, calvus, senex, hæc omnia non est simplex oratio, nec si continue proferatur,quod ad unam substantiam non tendunt,accidentia enim sunt, et extrinsecus veniunt. Probatur autem neque eas orationes, quæ per divisionem dicuntur, neque eas quæ non ad unam substantiam tendunt, unas esse, hoc modo : Si dicat quis animal, et rursus gressibile, et iterum bipes non unum est animal, nec unum gressibile,nec unum bipes. Sin vero dixero,animal gressibile bipes continue, et propinque, unum est, quod tria ista juncta significant,id est homo. Convertamus nunc animum ad eas quæ plura quidem significant,sed continue proferuntur,utcum dico Socrates philosophus calvus senex, videtur quasi quædam Socratis esse diffinitio,philosophus calvus senex,sed non necesse est,si hujusmodi ratio Socratis fuit,omnem quicunque philosophus est senex calvus, etiam Socratem esse. In multis ergo continuatio ista valet accidere. Quocirca non unum significat,quanquam continue proferatur.Ergo si ex omnibus unum quidem significetur,et continue proferatur,una est oratio, ut partes quædam rei definitæ sint ea quæ in diffinitione ponuntur,non accidentia. Et proficit quidem aliquid continuo prolatio ad perficiendam unam orationem,sed ipsa sola non sufficit,nisi unum quodque subjectum sit:atque ideo dixit Aristoteles,animal gressibile bipes,non idcirco esse unam orationem,quod propinque dicatur, nam neque sufficit ad constituendam unam orationem propinquitas proferendi,nihilque prohiberet quæ naturaliter essent multiplices,eas continue et propinque prolatas unas videri,sed hujusmodi rei rationem Aristoteles ponere distulit. Sensus ergo hujusmodi est:

Necesse est,inquit,omnem enuntiativam orationem ex verbo esse vel casu.Etenim hominis ratio, quæ et ipsa quoque oratio est, si non est, aut erit, aut fuit,aut aliquid hujusmodi illi addatur,nondum est enuntiatio,hoc vero in solis simplicibus enuntiationibus evenit. In his autem quæ conjunctione unæ sunt (ut supra jam ait) non omnino est. Cum enim dico, dies est,vis tota in verbo est. Si autem cum conjunctione proferam, si dies est, lux est,tota vis in conjunctione consistit. Veritatis enim aut falsitatis rationem sola conjunctio tenet, quæ conditionem proponit, cum dicit, si dies est, lux si enim illud est, illud evenit. Igitur in conjunctione omnis vis hujumodi propositionis est, omnis autem simplex propositio totam vim in verbo habet positam. Et quemadmodum in his quæ hypotheticæ vel conditionales dicuntur,conjunctiones vim propositionis tenent,sic in simplicibus propositionibus prædicatio vim obtinet,unde et Græce quoque tales propositiones κατηγορικαί,id est prædicativæ,dicuntur,scilicet quæ sunt simplices,quod in his totam propositionem obtineat prædicatio, atque ideo Aristoteles ait, ex verbo vel casu fieri simplicem enuntiationem.Nam præter id quod continet totam propositionem prædicativam, scilicet præter prædicationem, enuntiatio non fit,unde est ut negatio quoque non ad subjectum, sed ad prædicatum semper apteturNam, cum dico, sol oritur,non est hujus negatio,non sol oritur,sed illa quæ est,sol non oritur, atque ideo negatio ad subjectum posita,non facit contrariam propositionem, ad prædicatum vero reddit contrariam. Recte igitur Aristoteles de subjecto nihil locutus est.Non enim prædicativam propositionem subjectus terminus tenet, sed tantum prædicatus,qui totam enuntiationem propria virtute confirmat.

Est autem una oratio enuntiativa,vel quæ unum significat, vel conjunctione una,plures vero,quæ plura,et non unum,vel inconjunctæ.Nomen ergo et verbum dictio sit sola,quoniam non est dicere,sic aliquid significantem voce, enuntiare, vel aliquo interrogante, vel non, sed ipso proferente.

Hic monstratur quoniam tunc cum dixit : Est autem una prima oratio enuntiativa affirmatio,deinde negatio.Primam eum non de ea oratione dixisse putandum est,quæ naturaliter una est,sed affirmatione, alioqui hic quoque repetens ita dixisset. Est autem oratio una prima enuntiativa quæ unum significat, sed quoniam non ita dixit, manifestum est quod dudum ait primam, non ad orationem, quæ præter conjunctionem una est,retulisse,sed ad affirmationem,quam negatione priorem esse constaret: sed hoc jam superius dictum est.Quid autem sibi velit hæc enumeratio,paucis exponam.Multas enim confusiones multosque in orationibus errores, hic locus optime intellectus veraciterque perceptus sustulit,et hæc est expositio quam nullus ante Porphyrium expositorum vidit. Non est idem namque unam esse orationem et multiplicem, quod simplicem et compositam, et distat una a simplici, distat etiam multiplex a composita.Est ergo una oratio quæ unum significat,multiplex autem quæ non unum,sed plura. Fit autem hoc in hujusmodi orationibus,ut cum dico: Cato philosophus est, hæc oratio non est una, non enim unum significat; potest enim monstrare et Catonem Uticensem esse philosophum, potest etiam ostendere et Catonem Censorium oratorem esse philosophum,qua in re non una est oratio,atque idcirco in Uticensi quidem Catone est vera,in oratore vero falsa.Hujusmodi ergo orationes multas vocamus.Sin vero unum significat, ut cum dicimus in charta scribitur, illam dicimus unam. Ergo una quæ sit vel multiplex oratio,ex his intelligitur quæ significantur; si enim unam significat rem,una est,si multas, multiplex.Simplices autem et compositæ orationes non ad significationem,sed ad terminos ipsos dictionesque quæ in propositionibus sumuntur,referendæ sunt.Et est quidem simplex oratio enuntiativa,quæ ex solis duobus terminis constat,ut est,homo vivit. Sive autem his propositionibus omnis addatur,ut est, omnis homo vivit, sive nullus, ut nullus apis vivit, sive aliquis,ut aliquis homo vivit,vel aliquis homo non vivit, quoniam termini ipsi duo sunt, simplex vocatur propositio,composita vero si ultra terminos duos enuntiat,ut est Plato philosophus in lycæo ambulat.Hic enim quatuor sunt termini,vel si tres sint, ut Plato philosophus ambulat,hæ quoque si eis omnis, aut nullus, aut aliquis addatur, eodem modo compositæ sunt.Ergo una vel multiplex oratio intelligitur,si unum vel multa significat, et de propria significatione semper judicatur. Simplex autem et composita non ex significatione,sed ex verborum et nominum pluralitate cognoscitur; si enim ultra duos terminos habet propositio, composita est, si duos tantum,simplex.Si ergo semper oratio quæ simplex est,id est quæ duobus terminis constat,unam tantum significationem retineret,indifferenter dici posset una oratio et simplex,eadem enim una esset,quæ etiam simplex;sed quoniam non omnis simplex,unam significat,non omnis simplex,una est.Potest ergo fieri ut simplex quidem sit propositio,multæ tamen orationes; simplex quidem ad compositionem dictionum, multæ vero ad significationem sententiarum.Quarerit in hoc gemina differentia,ut nam dicamus simplicem unamque orationem, alteram simplicem et plures orationes.Rursus si omnes compositæ orationes plures etiam res significarent,indifferenter diceremus multiplicem et compositam; sed quoniam fieri potest ut propositio aliquoties quidem constet ex numerosis pluribusque terminis quam sint duo,unam tamen sententiam monstret.Potest quidem fieri ut composita sit, una tamen oratio sit significatione compesita dictione,ut est animal rationale,mortale, mentis et disciplinæ capax: hæc quidem plura sunt, sed his una substantia subjecta est,id est homo. Quare una quoque sententia est.Sin vero quis dicat, Socrates et ambulat, et loquitur, et cogitat, multa sunt.Diversa sunt enim, et quod ambulat, et quod loquitur,et quod cogitat.Quare erit aliquando com-

posita quidem oratio,una tamen:sed quoniam composita oratio aliquoties quidem continue sine conjunctione dicitur,aliquoties conjunctione copulatur, fiunt hinc quatuor differentiæ. Est enim una oratio composita ex terminis continuatim dictis, et sine conjunctione unam sententiam monstrant, ut est animal rationale,mortale,mentis et disciplinæ perceptibile.Hæc enim oratio composita quidem est ex multis terminis,sed conjunctionem non habet,nam quod dictum est mentis et disciplinæ perceptibile, hæc conjunctio quæ est *et* nullam in tota propositione vim obtinet, neque enim conjungit propositionem,sed artem addit,cujus susceptibilis homo esse videatur,et habet unam substantiam subjectam,quæ est homo.Alia vero est composita ex terminis, nulla conjunctione copulatis, multiplex, et non unam significans propositionem, ut est, Plato Atheniensis philosophus disputat.Aliud enim est esse Platonem, aliud esse philosophum, aliud esse Atheniensem, aliud disputantem,et hæc conjuncta unum aliquid non faciunt,quasi substantiam.Quare hæc multiplex est,sed eam manifestum est nulla conjunctione copulari. Alia vero est composita ex propositionibus inconjunctis multiplex,ut est:Jupiter optimus maximus est, Juno regina est, Minerva dea sapientiæ est,quas si quis sub unum continueque proferat, plures quidem propositiones sunt, et oratio multiplex,sed conjunctione carent. Alia vero est composita,vel ex terminis,vel ex propositionibus, conjunctione copulatis; multiplex et multa significans, et ex terminis quidem composita, ut si quis dicat : Jupiter et Apollo sunt dii.Ex propositionibus autem conjuncta multa significans est,ut si quis dicat, et Apollo vates est, et Jupiter tonat. Est autem præter has alia composita oratio ex propositionibus conjunctione conjunctis,unam significans rem ut cum dico : Si dies est, lux est. Duæ enim propositiones quæ sunt istæ,dies est,lux est, *si* conjunctione copulantur;sed hæc oratio non significat multa,neque enim diem esse et lucem proponit esse,sed si dies est, lucem esse.Quocirca significat consequentiam quamdam,non existentiam propositionis, non enim dicit utrasque esse,sed si una est, aliam consequi, quod utrumque in unam quodammodo intelligentiam congruit.Sed hanc Porphyrius propositionem extrinsecus proponit,idcirco quod plura significare videbatur, ipsa enim propositionum pluralitas multitudinem simulat significationum,sed(ut dictum est)non plures significat res,sed unam consequentiam.Compositarum igitur et unam rem significantium propositionum duplex modus est.Aut enim ex terminis inconjunctis unam rem significans composita oratio, ut animal rationale,mortale est.Aut ex propositionibus composita et conjunctione copulata, imaginem quidem emittens plura significandi, unam vero rem significans oratio,ut si dicamus, si dies est,lux est. Cum ergo hæc sit distributio compositarum et simplicium orationum,duplici modo unæ orationes sunt, et duplici multæ. Sive autem incompositæ, et sive compositæ,et uno quidem modo una oratio dicitur cum sine conjunctione non est.Alio vero cum unam rem significat, rursus uno dicitur modo multiplex oratio cum aliqua conjunctione non copulatur, alio vero cum plura significat, atque hoc est, quod ait : Est autem una oratio enuntiativa quæ unum significat vel conjunctione una.Plures autem quæ plura et non unum,vel inconjunctæ;est enim (ut dictum est) dupliciter una oratio,vel quando cum conjunctione est, vel cum unam rem significat.Multiplex autem oratio est,vel quæ multa significat, vel quæ sine conjunctione conjungitur, multas enim orationes vocavit eas quæ sint multiplices,et vel significationis pluralitatem teneant, vel præter conjunctiones sint. Quod autem ait,vel inconjunctæ, totum complexus est, multiplex est enim propositio vel si fuerit incomposita,quemadmodum est,Cato philosophus est. Multiplex etiam vel si fuerit composita ex terminis præter conjunctionem,quemadmodum dictum est, ut Plato Atheniensis in lycæo disputat:vel si composita sit ex propositionibus præter conjunctionem, quemadmodum est,homo est,animal est;vel si composita sit ex terminis conjunctione copulatis,ut Jupiter et Apollo dii sunt; vel si composita sit ex propositionibus per conjunctionem,quemadmodum est, et Apollo vates est, et Jupiter tonat. Cur autem dixit, plures autem, quæ plura, et non unum, hoc est quod sunt quædam quæ plura significent in sermonibus, unum tamen in tota compositione demonstrent, ut est, animal rationale, mortale, hæc enim omnia multa significant ; aliud est enim animal, aliud rationale, aliud mortale, sed totum simul unum est, quod est homo. Cum autem dico, Socrates Atheniensis philosophus,et singulis plura sunt, et omnia simul plura nihilominus sunt. Hæc enim accidentia sunt,et nullam substantiam informant, atque hoc quidem dixit de orationibus quæ vel conjunctione unæ essent, vel significatione, et rursus de multis quæ vel præter conjunctionem multæ essent,vel significatione multiplici.Quæ vero in simplicibus atque compositis posterius dixit,cum ad id loci expositio venerit,explicabitur ; nunc autem revertamur ad ordinem.Igitur quoniam supra dixerat simplicem propositionem,quam κατηλορικήν Græci dicunt, nos prædicativam interpretari possumus, semper verbi prædicatione constitui,non autem semper nomine subjecto,quod aliquoties quidem vel infinitum nomen,vel casus nominis, si verba subjecta sunt.Cum ergo dictionibus simplicibus constitui diceret simplicem orationem,et affirmationem negationemque orationes esse constaret,manifestum fecit affirmationem et negationem dictione constitui et formari,ita quidem ut affirmationem et negationem semper sola verbi dictio prædicata, non autem semper dictio nominis subjecta perficeret. Cum igitur hæc ita proposuisset, nunc quid sit dictio, quæ prædicativas, id est simplices propositiones format,exponit, dicens:Nomen ergo, et verbum dictio sit sola, quod ideo ait,dictio sit sola, quod sunt quædam dictiones simul etiam affirmationes, vel imperfectæ orationes, quod jam supra dictum est.

Cur autem nomen et verbum solæ sint dictiones monstrat. Quoniam non est dicere sic aliquid significantem voce enuntiare, vel aliquo interrogante vel non, sed ipso proferente. Sensus hujusmodi est : Enuntiativa propositio his maxime duobus formatur, per propriam naturam atque substantiam, et per ejus usum atque tractatum, et natura quidem ipsius est, ut in ea veritas inveniatur aut falsitas, usus autem cum aliquid aut interrogando proponitur et respondetur, ut utrum anima immortalis est, aut certe cum aliquis per suam sententiam enuntiat atque profert, ut si quis dicat hoc ipsum ex propria voluntate anima immortalis est, unde definitio quoque enuntiationis unius quidem naturæ atque substantiætalis redditur. Enuntiatio est oratio, in qua verum falsumve est. Ex usu vero ejus atque tractatu enuntiativa oratio est, quam interrogantes proponimus ut verum vel falsum aliquid audiamus. Ex nostra vero prolatione, quam proponentes aliquid verum falsumve monstramus. Ergo cum omnis enuntiativa oratio aut in interrogatione posita sit, aut in spontanea prolatione, et in utriusque enuntiationis natura et substantia illa versetur, ut sive in interrogatione sit posita cum responsione conjuncta, verum habeat vel falsum, sive per se prolata utrumlibet retineat, dictiones, inquit, vel alio interrogante, vel quolibet proferente, et sponte dicente, verum falsumve non continetur. Si enim quis dicat interrogans, Socratesne disputat? alius respondeat. Disputat, hoc quod respondit, disputat, si cum tota interrogatione jungatur, potest habere intellectum verum falsumve significantis orationis. Sin vero per se intelligatur, disputat, quanquam alio interrogante responderit, sine vero tamen falsoque relinquitur. Similiter etiam si quis dicat, Socrates vel ambulat, nullo interrogante, sed ipse proferens, nec verum aliquid nec falsum designat. Ergo verba et nomina dictiones solum sunt, quoniam et simplices sunt. Erant enim aliæ quædam dictiones in orationibus, nominibus verbisque compositis sednondum perfectæ sententiæ, quoniam neque verum, neque falsum, vel alio interrogante, vel quolibet sponte proferente significant. Erunt enim aliæ quædam dictiones quæ alio interrogante et quolibet sponte proferente verum falsumve retinerent, in his scilicet luæ erant affirmationes aut negationes. Quocirca sensus hujusmodi est. Ordo autem verborum sic se habet: Nomen ergo et verbum dictio sit sola, quoniam non possumus dicere significantem aliquid sic voce, id est verbo vel nomine enuntiare. Non enim possumus dicere quoniam quisquis verbo vel nomine significat aliquid, ille enuntiat, vel aliquo interrogante, vel non, sed ipso proferente, tanquam si sic diceret, verba ipsa et nomina dictiones solæ sunt, quoniam verbis et nominibus significantem hominem aliquid non possumus dicere quoniam enuntiat quidquam sive cum aliquis interroget, sive ipse sponte proferat simplicem dictionem. Enuntiare autem est orationem dicere quæ verum falsumve designat.

Harum autem, hæc simplex quidem est enuntiatio, ut aliquid de aliquo, vel aliquid ab aliquo. Hæc autem ex his conjuncta, velut oratio quædam jam composita.

Quoniam superius de unis orationibus atque pluribus dixit, et unam quidem posuit, quæ aut conjunctione una esset secundum prolationem, aut significatione secundum propriam naturam. Plures vero quæ aut conjunctione carerent, aut multa significatione sua complecterentur quoniamque aliud erat una ratio, aliud simplex, aliud composita, aliud plures post illa ad simplicem compositamque revertitur dicens simplicem esse orationem enuntiativam quæ duobus terminis continetur, quorum unum subjectum est, alterum prædicatum. Quod vero ait, Harum autem, enuntiativarum scilicet orationum, dixit quarum hæc quidem simplex est enuntiatio, et quæ simplex est enuntiatio, ipse proposuit dicens, ut aliquid de aliquo subaudiendum est prædicemus, ut si hic sensus. Harum autem enuntiativarum orationum est simplex enuntiatio, si aliquid unum de uno aliquo prædicemus, ut si dicam Plato disputat, de aliquo Platone aliquid, id est disputat, prædicavi. Et hæc simplex est enuntiatio. Idcirco quoniam duobus terminis partibusque conjungitur. Si qua vero plures habeat terminos, et ejus partes duorum terminorum multitudinem egrediantur, illæ compositæ orationes dicuntur, et est enuntiatio composita hujusmodi: si dies est, lux est, dies enim est, et lux est. Duæ sunt simplices enuntiationes, quæ conjunctæ unam compositam perfecerunt, atque hoc est quod ait : Hæc autem, id est alia oratio, ex his conjuncta, id est ex simplicibus enuntiationibus velut oratio quædam jam composita est, hæc enim non simplex est oratio. Simplex enim oratio solas dictiones duas habet in partibus, composita vero etiam orationes, sicut hæc quam supra posui. Est ergo hic ordo quem ipse confudit, prius enim de affirmatione et negatione, quæ prima esset, quæ posterior, expedivit. Dehinc de unis orationibus, et de pluribus dixit, postremo de simplicibus atque compositis. Sed quoniam quædam in medio permiscuit, ea paululum differentes directam sententiæ seriem continuavimus, longum Aristotelis hyperbaton partium conjunctione recidentes neque enim simile videtur quod ait. Est autem una prima oratio enuntiativa affirmatio, deinde negatio, aliæ vero conjunctione unæ, et rursus cum dicit : Est una oratio enuntiativa quæ unum significat, vel conjunctione una. Plures autem quæ plura, et non unum, vel inconjunctæ, vel cum rursus addit. Harum autem hæc simplex quidem est enuntiatio, ut aliquid de aliquo, vel aliquid ab aliquo. Hæc autem ex his conjuncta velut oratio quædam jam composita. Sed illud quidem quod prius dixit, est autem una prima oratio enuntiativa affirmatio, deinde negatio, ad hoc retulit, ut priorem affirmationem esse monstraret, posteriorem vero negationem; ait enim deinde negatio, unde quod ait prima ad affirmationem ponendum est, quod vero secutus est paulo post. Est autem una oratio enuntiativa quæ unum significat, vel conjunctione una. Plures autem, quæ plura, et non unum

vel inconjunctæ,ad hoc retulit,ut doceret quas unas esse orationes putari oporteret, expediens aut quæ unum significarent,aut quas conjunctio unas faceret. Et quas plures,aut quæ multa in significatione retinerent,aut quarum corpus nulla esset conjunctione compositum. Quod vero postremo addidit, Harum autem,hæc quidem simplex est enuntiatio,ut aliquid de aliquo vel aliquid ab aliquo. Hæc autem ex his conjuncta, velut oratio quædam jam composita,ad simplices orationes retulit, atque compositas.Simplices dicens duobus solis terminis junctas,compositas,quæ ex simplicibus orationibus enuntiativis conjungerentur, ut sit totus ordo hoc modo.Est autem una prima oratio enuntiativa affirmatio,deinde negatio,et rursus intermissis quæ sequuntur, hoc subjiciatur.Est autem una oratio enuntiativa, quæ unum significat, vel conjunctione una.Plures autem,quæ plura, et non unum, vel inconjunctæ,et post hoc intermissis quoque sequentibus,hoc sequatur,harum autem hæc quidem est simplex enuntiatio,ut aliquid de aliquo vel aliquid ab aliquo, hæc autem ex his conjuncta, velut oratio quædam jam composita, tanquam si sic diceret:Prima quidem inter enuntiationes oratio, affirmativa est, secunda vero negatio, affirmationum autem et negationum, una oratio est,quæ unum significat,vel quæ conjunctione una est. Multiplex autem vel cujus partes conjunctione copulantur, quæ multa significat, vel quæ conjunctione non jungitur.Harum quoque simplex est,quæ duobus terminis constat,ut aliquid de aliquo,vel aliquid ab aliquo; alia vero composita,quæ ex simplicibus affirmationibus jungitur.Quod autem dicit aliquid de aliquo, vel aliquid ab aliquo, tale est: Aliquid enim de aliquo affirmationem significat,ut cum dico, Socrates disputat,de aliquo Socrate aliquid,id est disputat, prædicavi, et fit affirmatio. Si autem dico,Socrates non disputat,a Socrate disputationem sejunxi,et ab eo abstuli,et hoc est negatio.Affirmatio enim de alia re aliam rem prædicat eique conjungit.Negatio vero a qualibet re quamlibet rem prædicando tollit,ergo hoc quod ait, aliquid de quo,affirmationem simplicem significavit,quod dicit aliquid ab aliquo, simplicem negationem.

Est autem simplex enuntiatio vox significativa de eo quod est aliquid, vel non est, quemadmodum tempora divisa sunt. Affirmatio vero est enuntiatio alicujus de aliquo.Negatio vero est enuntiatio alicujus ab aliquo.

Postquam de multis atque unis nec non simplicibus compositisque enuntiationibus expedivit,enuntiationem simplicem tractat,et eam diffinitione concludit dicens, vocem eam esse significantem aliquid esse vel non esse. Quod ergo ait vocem eam esse,ad genus retulit,quod significativam ad ipsius differentiam vocis.Quod de eo quod esset aut non esset aliquid, ad significatarum rerum rursus differentiam retulit, habet enim secum ipsam vocem qua profertur,ut significet quiddam. Quid autem significet, aut circa quid designationem enuntiatio teneat ad differentiam significativarum pertinet vocum,ita enim dictum est, A tanquam si diceretur,non omnia enuntiatio significat, sed esse aliquid aut non esee.Est ergo enuntiatio simplex vox significativa de eo quod est esse aliquid,vel non esse,id est omnis enuntiatio,aut affirmatio, aut negatio est, esse enim ponit affirmatio, non esse negatio;sed quanta diffinitionem brevitate constrinxit, quidam non videntes in errorem stolidum falsitatis abducti sunt:contendunt igitur affirmationis et negationis non esse enuntiationem genus Num si hæc,inquit,diffinitio est enuntiationis,omnis aut generis diffinitio propriis speciebus accommodari potest(omne enim genus univoce de speciebus propriis prædicatur),dubium non est quin hæc quoque diffinitio enuntiationis,si enuntiatio genus est,affirmationi negationique conveniat si tamen ejus species B hæc sunt;sed quis unquam dixerit affirmationi convenire hanc diffinitionem quæ est vox significativa de eo quod est, aliquid esse, vel non esse? Neque enim fieri potest ut affirmatio vox significativa sit, de eo quod est esse, vel non esse,sed tantum de eo quod est esse, negatio rursus non de eo quod est esse, et de eo quod est non esse,sed tantum de non esse, nunquam etiam de esse.Interimit enim semper negatio,jungit atque constituit affirmatio.Quare si hæc diffinitio enuntiationis ad affirmationem negationem que non potest prædicari,affirmatio et negatio enuntiationis species non sunt, qui mihi nimium videntur errare,quasi vero quidquam vetet utrasque affirmationem et negationem simul eadem diffinitione concludere. Possum enim dicere: affirmatio et negatio est vox significativa de eo quod est esse aliquid,vel C non esse,ut vox significativa utriusque communis sit, de eo quod est esse aliquid, affirmationis solius,de eo quod est non esse,solius sit negationis.Sed nihil potuit fieri brevius, nisi ut in eadem diffinitione et enuntiationis naturam constitueret,et ipsius faceret divisionem,tanquam enim si ita dixisset;Enuntiatio est vox significativa,in qua verum falsumque designantur, hujus autem una species affirmativa est, alia negativa,ita ait.Enuntiatio est vox significativa de eo quod est aliquid, vel non est. Namque dixit, de eo quod est aliquid vel non est:tale est ac si diceret quæ verum falsumque demonstrat.Omne enim quod esse ponit aliquid,ut si dicam dies est,vel non esse, ut si dicam dies non est,verum falsumve demonstrat.Si ergo aliquid ponatur esse vel non esse, D in eo veritas et falsitas invenitur, est igitur in hoc quod ait vocem significativam esse de eo quod est aliquid,vel non est,tanquam si diceret:Est enuntiatio vox significativa verum falsumque significans.Significatio namque de eo quod est esse aliquid, vel non esse, verl falsique demonstratio est: sed in eadem diffinitione species admirabili brevitate partitus est, tanquam enim si diceret, vox significativa est enuntiatio,in qua verum falsumque demonstratur. Sed una ejus pars affirmativa est, alia negativa,ita ait, de eo quod est aliquid vel non est. Significatio enim de eo quod est aliquid, affirmatio est, de eo vero quod non est, negatio.Ita id quod ait designativam esse vocem enuntiationem de eo quod est ali-

quid, aut non est, utrumque una colligit intelligentia. Hoc enim quod dixit de eo quod est aliquid, aut non est, utrumque significat, et veri falsique demonstrationem, et affirmationis negationisque divisionem. Sed Alexander et propria sententia non desistit, nec alio quam cæteri tenetur errore. Ait enim hic quoque apparere non esse genus affirmationis et negationis enuntiationem, quoniam ita in diffinitione enuntiationis affirmatione, et negatione, ut partibus usus est. Omne autem compositum atque omne æquivocum vel suis partibus, vel suis significatis definiri potest, ut si quis ternarium numerum definire volens dicat: Ternarius numerus est qui ex uno duobusque conjunctus est; vel si quis hominem definire volens dicat: Homo est, aut animal rationale mortale, aut hujusmodi coloribus, vel metallo facta simulatio, ita nomen æquivocum ex his quæ ipsum nomen æquivocum designabat, ostensum est, hic ergo eodem modo: Enuntiatio, inquit, est vox significativa de eo quod est aliquid, vel non est, tanquam si diceret: Enuntiatio est vox aut affirmativa, aut negativa, in eumdem scilicet errorem labens, nec videns quemadmodum una diffinitione, et divisionem fecerit, et naturam enuntiationis ostenderit, sed hanc expositionem (quod adhuc sciam) neque Porphyrius, neque ullus alius commentatorum vidit. Aspasius etiam consentit Alexandro: dicit enim Alexander eodem modo hic diffinisse Aristotelem enuntiationem, sicut alibi quoque, id est, in resolutoriis: illic enim ita propositionem, quæ est enuntiatio, diffinitione conclusit dicens: Propositio ergo est oratio affirmativa vel negativa alicujus de aliquo, vel alicujus ab aliquo. Idem quoque Aspasius sequitur. Porphyrius autem sic dicit: Admirabilem esse subtilitatem diffinitionis, ex sua enim vi affirmationis et negationis, enuntiatio diffinita est. Ex terminis vero, ipsa affirmatio, atque negatio, affirmatio namque in duobus terminis constans, aliquid alicui inesse significat. Tota autem vis ipsius est aliquid annuere, negatio quoque aliquid alicui non inesse significat, sed tota vis ipsius est aliquid abnuere atque disjungere, vel rursus affirmatio aliquid alicui inesse designat, sed vis ipsius tota ponere aliquid est. Cum enim aliquid alicui inesse demonstrat, ponit aliquid; rursus negatio quidem aliquid alicui non inesse declarat, sed tota vis ejus auferre est. Ergo nunc, inquit, enuntiationem ex tota vi affirmationis negationisque diffinit dicens: Enuntiatio est vox significativa de eo quod aliquid est vel non est. Hoc autem ad negationis pertinet affirmationisque vim, tanquam si diceret, enuntiatio est vox significativa quæ ponit aliquid, aut tollit, quæ proprie virtutes sunt affirmationis et negationis. Si enim ita dixisset, enuntiatio est de eo quod est aliquid alicui vel non est, tunc ex terminis affirmationis vel negationis enuntiationem diffinisse videretur; cum autem dicit de eo quod est aliquid vel non est, de tota utrorumque vi determinat. In hac enim affirmatione quæ dicit dies est, aliquid alicui secundum terminos adesse monstravit, est enim diei applicuit, sed tota hujusmodi propositionis vis est, alquid esse declarare: rursus cum dico, dies non est, aliquid alicui non esse pronuntio, sed tota vis hujus est non esse dicere; quare manifestum est secundum Porphyrium ex tota vi affirmationis et negationis enuntiationem esse descriptam, ex suis vero terminis ipsam affirmationem et negationem. Ait enim, affirmatio vero est enuntiatio alicujus de aliquo in affirmationis diffinitione genus sumens; enuntiatio enim (ut dictum est) genus est affirmationis et negationis, quod ipse Aristoteles clarius demonstrat, qui in utrorumque diffinitione enuntiationis nomen ascripsit dicens: Affirmatio vero est enuntiatio. Hoc enim retulit ad genus, quod vero addidit alicujus de aliquo reduxit ad terminos, in simplici enim affirmatione aliquid de aliquo enuntiando prædicatur, ut in eo quod est, dies est, esse diem. Negatio quoque ita diffinita est: negatio est enuntiatio alicujus ab aliquo, quantum ad enuntiationem rursus a genere, quantum alicujus ab aliquo, rursus ad terminos. In hac enim negatione quæ est, dies non est, esse a die enuntiando tollimus; sed ut non solum præsentis temporis enuntiationem diffinisse videretur, addidit enuntiationis diffinitionem de aliis quoque temporibus intelligi; ait enim: enuntiatio est vox significativa de eo quod est aliquid vel non est, adjecitque quemadmodum tempora divisa sunt. Divisa enim sunt tempora in tribus, omne enim tempus aut futurum est, aut præsens, aut præteritum, aut ex his mistum. Enuntiatio est ergo vox significativa, significans aut esse aliquid, aut non esse. Sed quoniam hoc tempus præsens designat, non solum de præsenti, inquit, loquimur, sed etiam de his temporibus quæ dividuntur, ut hoc esse, et non esse, et in futurum veniat et in præteritum, ut aliquoties sic esse, et non esse significet, id est sic ponat atque sic auferat enuntiatio, ut et præsens tempus ponat, et auferat, ut est, Socrates est, Socrates non est, et præteritum ponat, et auferat, ut Socrates fuit, Socrates non fuit, eodem quoque modo futurum, Socrates erit, Socrates non erit. Ergo in his omnibus temporibus secundum esse aliquid vel non esse aliquid, id est secundum ponere, et auferre tota enuntiationis vis est; hoc ergo est quod ait, de eo quod est aliquid, vel non est, quemadmodum tempora divisa sunt, tanquam si diceret, de eo quod est aliquid, vel non est, vox enuntiativa significat, vel in præsens, vel in præteritum, vel in futurum, quemadmodum ipsa tempora dividuntur. Cur autem talis ordo diffinitionis fuerit, paucis absolvam. Prius enim de nomine, post de verbo, hinc de oratione, rursus de enuntiatione, dehinc de affirmatione, postremo de negatione disseruit. Omne compositum suis partibus posterius est, omne genus suis partibus prius: ergo in compositis partes toto priores sunt, in generibus et speciebus partes toto posteriores. Rursus in compositis totum partibus posterius, in speciebus et generibus totum partibus prius est; ergo quoniam verba et nomina, neque affirmationis neque negationis, neque enun-

tiationis,neque orationis species erant,sed quædam horum omnium partes quibus hæc omnia jungerentur, oratio autem genus enuntiationis, enuntiatio affirmationis et negationis,affirmatio prior negatione,scilicet secundum prolationem, sicut ipse testatus est.Ergo quoniam hæc omnia,et oratio, et enuntiatio, et affirmatio, et negatio verbis et nominibus conjunguntur, his omnibus nomina et verba priora sunt.Nomine autem res aut per se subsistens, aut tanquam per se subsistens significatur,verbo autem accidens designatur, et velut alii accidens,quod ex supradictis planum est,quod autem per se consistit prius est. Ergo id quod nomen significat prius est quam id quod verbum,quare verbo prius est nomen Ergo quoniam nomen et verbum oratione, enuntiatione, affirmatione et negatione priora sunt,partes enim priores sunt his quæ componuntur, jure hæc ante omnia definita sunt. Quoniam vero nomen prius est verbo,prius nomen,postea vero diffinitum est verbum. Sed quoniam omne genus speciebus suis prius est, post hæc, id est nomen et verbum, orationem diffinitione descripsit, quæ et proximum enuntiationis genus esset, et superius affirmationis et negationis : post orationem vero enuntiationem, quæ cum sit species orationis, affirmationis tamen et negationis esset genus.Post enuntiationem vero affirmationem, quæ quanquam negationi æquæva species esset secundum genus proprium, id est enuntiationem:in prolatione tamen prior est,ut ipse supra jam docuit dicens : Est autem una prima oratio enuntiativa affirmatio, deinde negatio. Sed quoniam a nobis superius dictum est has eum quinque res diffinire velle, quid sit dictio, quid enuntiatio, quid affirmatio, quid negatio, quid contradictio. Dictionem quid sit ostendit per id quod ait : Nomen ergo et verbum dictio sit sola,enuntiationem vero per id quod ait : Est autem simplex enuntiatio vox significativa de eo quod est aliquid vel non est, quemadmodum tempora divisa sunt,affirmationem vero per id quod ait : Est autem affirmatio enuntiatio alicujus de aliquo ; negationem quoque diffinivit dicens : Negatio vero alicujus enuntiatio ab aliquo. Restat ergo de contradictione disserere. Quid sit ergo contradictio ipse prosequitur dicens :

Quoniam autem est enuntiare et quod est non esse, et quod non est esse, et quod est esse, et quod non est non esse, et circa ea quæ sunt extra præsens tempora similiter omne contingit quod quis affirmaverit negare, et quod negaverit affirmare; quare manifestum est quoniam omni affirmationi negatio est opposita, et omni negationi affirmatio, et sit hoc contradictio, affirmatio et negatio oppositæ.

Expeditis omnibus quæ sese explicaturum esse promiserat, nunc ad reliquam scilicet contradictionem ordine venit, eamque ab affirmationibus negationibusque reperit dicens omnibus affirmationibus posse proprias negationes opponi, et omnibus negationibus proprias quoque rursus ex adverso affirmationes posse constitui; hoc autem hinc sumitur. A quoniam novimus alias res esse, alias non esse, et quoniam non ipsi dicere possimus et sentire alias res esse, alias non esse. Ex his quatuor enuntiationibus fiunt geminæ contradictiones; si quis enim id quod est dicat non esse,ut si vivente Socrate dicat, Socrates non vivit, quod est negat, et erit negatio falsa ; rursus si quis id quod non est esse confirmet, ut si non vivente Socrate dicat, Socrates vivit, hæc rursus affirmatio falsa est; si quis etiam id quod est esse enuntiatione constituat, ut si vivente Socrate dicat,vivit Socrates, vera erit affirmatio. Sin vero quod non est esse negaverit, est negatio vera, ut si quis non vivente Socrate dicat, Socrates non vivit. Ex his igitur, id est ex affirmatione vera et negatione falsa, et rursus ex negatione vera et B affirmatione falsa, quatuor quidem sunt enuntiationes, sed in duabus affirmatio, in duabus negatio continetur. Contradictiones vero duæ, hoc est enim quod ait : Quoniam autem est enuntiare et quod est non esse,falsam enuntiationem negationis ostendit ; quodque addidit,et quod non est esse, falsam affirmationem in enuntiatione proposuit. Illud quoque quod dixit, et quod est esse,enuntiationem veram designat, quia id quod est esse vera affirmatione profertur ; amplius quod ait, et quod non est non esse, veræ negationis speciem dedit. Quare et si quod est vere potest dici esse, et id quod est falso potest prædicari non esse,et id quod non est vere potest enuntiari non esse, et id quod non est falso esse poterit affirmari,manifestum est omnem affirmationem habere aliquam contradictionem negationis oppositam, et omnem rursus negationem affirmationis oppositione facere contradictionem. Etenim si omne quod quis affirmat negari poterit, et quod quis negat affirmari,quis dubitaverit nec affirmationem posse constitui cui negatio non contradicat, nec negationem cujus nulla affirmatio valeat inveniri.Omnis igitur affirmatio negationem, et negatio habet oppositam affirmationem, est igitur contradictio affirmatio et negatio oppositæ. Quid autem sit oppositio posterius dicendum est, aut quid sit contradictio post diligentissima ratione monstrabo. Quod autem ait,et circa ea quæ sunt extra præsens tempora,tale est tanquam si diceret : Sicut affirmatio et negatio in præsenti tempore fieri potest, ita etiam vel in præterito vel in futuro : nam sicut potest id quod est esse constitui, ita potest id quod fuit fuisse proponi, et id quod futurum est in speciem futuri temporis affirmari,ut cum dicimus Socrates fuit, sol æstate in Cancro futurus est. Eodem modo ergo et de futuro et de præterito affirmatio et negatio constituuntur,quemadmodum de præsenti: futurum autem et præteritum extrinsecus est, et præter præsens tempus.Illud enim veniet, illud recessit. Recte igitur et circa ea quæ sunt extra præsens tempora hujusmodi posse affirmatione negationesque dixit evenire ; circa enim præteritum et futurum, quod est extrinsecus a præsenti tempore, similiter omne contingit(ut ipse ait) quod quis affir-

maverit negare, et quod quis negaverit affirmare ; unde fit ut in omnibus temporibus illud constet, omni affirmationi posse opponi negationem, omnique negationi oppositam affirmationem posse constitui. Nunc autem qualis debeat sumi oppositio, in affirmatione et negatione demonstrat, hoc enim est contradictio, affirmatio et negatio oppositæ. Quod si hæ oppositæ constituunt contradictionem, qualis in his debat esse oppositio quæ contradictionem constituit recte prosequitur.

Dico autem opponi ejusdem de eodem, non autem æquivoce, et qnæcunque cætera talium determinavimus contra sophisticas importunitates.

Cum duobus terminis simplex propositio constet, et unus subjectus sit, et alius prædicetur ; subjectus autem sit qui primus dicitur, prædicatus vero qui posterius ; dicit illa oppositione affirmationem et negationem integram constituere contradictionem, quæ idem subjectum habeant, idem etiam prædicatum, ut neque subjectum neque prædicatum plura significet, alioqui non erit contradictio nec aliqua oppositio ut cum dico, Socrates albus est, et alius dicit, Æthiops albus non est, hæc affirmatio atque negatio non sunt oppositæ, idcirco quia est aliud subjectum et idem prædicatum. In affirmatione enim Socrates subjectus fuit, in negatione Æthiops. Rursus cum dico, Socrates albus est, et alius dicit, Socrates philosophus non est, nec hæc rursus negatio contra affirmationem retinet oppositionem, ideo quia aliud prædicatum in utrisque proponitur, in affirmatione enim album prædicatur ad Socratem, in negatione philosophus. Quod si utraque sunt diversa, multo magis nulla fit oppositio, ut cum dico Socrates philosophus est, si respondeat alius, Plato Romanus non est, hic neque idem subjectum est, neque idem prædicatum, et plus istæ diversæ sunt, et nulla contra se oppositione compositæ, atque ideo possunt utræque simul esse veræ, etsi ita contingit utræque simul esse falsæ, nec non etiam una vera, altera falsa. Quæ enim se non perimunt, nihil eas impedit aut utrasque falsas, aut utrasque veras, aut unam veram, falsum altera reperiri : quare quorum vel aliud subjectum est, vel aliud prædicatum, illa opposita esse non dicimus ; unde fit ut nec illa quoque quæ plura significant, si subjecta aut prædicata sint contradictoriam negationem valeant custodire. Si quis enim nomen æquivocum subjiciat, et aliud prædicet, ut si quis contra hujusmodi affirmationem constituat negationem, non faciet oppositionem : ut cum dico, Cato se Uticæ occidit, nomen hoc quod dicitur Cato æquivocum est. Potest enim et Orator intelligi, et hic qui exercitum duxit in Africam. Si quis igitur dicat, Cato se Uticæ occidit, potest fortasse intelligi de Catone Marciæ. Si quis respondeat, Cato se Uticæ non occidit, potest de Catone Censorio constituisse negationem. Sed quoniam diversus est Cato Censorius a Catone Marciæ, et nomen ipsum Catonis diversa significat, diversæ a se affirmatio et negatio. Et id non omnino perimit negatio, quod constituit affirmatio. Affirmatio enim constituit Marciæ Catonem se Uticæ peremisse. Negatio vero dicit Catonem, si ita contingit, Oratorem non se Uticæ peremisse. Quare non constituunt verum inter se falsumque, idcirco quod a se diversæ sunt. Nam utrumque verum est, et quod se Cato Uticæ occidit, scilicet Marciæ, et quod se Cato Uticæ non occidit, scilicet Orator, atque hic æquivocum subjectum fecit, ut hæc affirmatio et negatio oppositionem nullo modo constituerent. Quod si prædicatum fuerit æquivocum, eodem modo contradictio non fit. Dicat enim quisquam, Cato fortis est, et de Catone prædicet fortitudinem mentis, aliusque respondeat, Cato fortis non est, ad imbecillitatem corporis spectans, ita igitur æquivocatio fortitudinis ambiguitatem fecit, quæ oppositionem nulla ratione componeret ; et si uterque terminus subjectus et prædicatus æquivoci fuerint, multo magis diversæ a se erunt propositiones et non oppositæ, nec inter se verum falsumque dividentes, sed utrasque veras, interdum utrasque falsas esse contingit. Quare unum oportet esse subjectum, unumque prædicatum, ut id quod affirmatio prædicavit et junxit, idem negatio dividat et abjungat, et id quod de subjecto affirmatio prædicavit de eodem negatio neget. Nam si sit uterque æquivocus terminus aut quilibet unus eorum, fieri potest ut aliud tollat negatio quam affirmatio posuit. Itaque nulla fit oppositio. Quare non ita faciendum est, sed idem subjectum et prædicatum in affirmatione esse debet, idem in negatione ; atque hoc est quod ait : Dico autem opponi ejusdem de eodem, non autem æquivoce. Quod enim ait ejusdem, ad prædicatum retulit, quod de eodem ad subjectum, et subaudiendum est, dico autem opponi negationem ejusdem prædicati de eodem subjecto, sed non sint æquivoca, neque subjectum, neque prædicatum, et multo magis utraque, sed unum aliquid significent. Quod per hoc dixit quod ait, non autem æquivoce, nec sola si non sit æquivocatio, ratio firma est ad constituendam oppositionem. Multa enim sunt quæ in sophisticis elenchis contra eos qui argumentis fallacibus veræ rationis viam conantur evertere determinavit, quemadmodum faciendæ essent propositiones, et quemadmodum invenienda esset argumentorum fallacia, quod hic ait : Et quæcunque cætera talium determinamus contra sophisticas importunitates, tanquam si diceret : Dico quidem opponi affirmationem negationi ejusdem prædicati de eodem subjecto, hoc et quæcunque alia sunt, quæ in sophisticis elenchis determinata sunt contra argumentorum importunitates. Et hic quidem quoniam aliud negotium erat, commodissime breviterque perstrinxit. Nos autem quid in sophisticis elenchis determinaverit ad constituendam oppositionis contradictionem, quantum brevitas patitur, non gravamur apponere. Non enim solum si æquivocatio in propositionibus collocetur nulla fit contradictio, verum etiam si univocatio in negatione ponitur, illa oppositio contradictionem penitus non habebit :

est enim oppositio habens contradictionem, in qua affirmatio si vera est, negatio falsa sit, si negatio vera est, fallax affirmatio videatur. Positis ergo secundum univocationem terminis, utrasque simul et affirmationem et negationem veras esse contingit, ut si quis dicat: Homo ambulat, homo non ambulat, affirmatio de quodam homine vera est, negatio de speciali vera est, sed specialis homo et particularis univoca sunt. Quocirca sumptis univocis contradictio non fit: at vero nec si ad aliam et aliam partem affirmatio negatioque ponatur, fit in ipsis ulla veri falsique divisio, sed utrasque veras esse contingit, ut cum dico oculus albus est, oculus albus non est. In alia enim parte albus est, in alia albus non est: atque ita et negatio vera est, et affirmatio, nec si ad aliud atque aliud referens dicat, nulla inde contradictio procreatur, ut cum dico, decem dupli sunt, decem dupli non sunt. Nam si ad quinarium referam, vera est affirmatio, si ad senarium vera negatio, nec si diversum tempus in affirmatione ac negatione sumatur, ut cum dico, Socrates sedet, Socrates non sedet. Alio enim tempore sumptum sedere veram facit affirmationem, alio tempore non sedere veram facit negationem. Amplius quoque si diverso modo quis dicat in negatione quod jam in affirmatione proposuit, vim contradictionis intercipit. Si quis enim dicat affirmationem potestate, negationem vero actu, possunt affirmatio et negatio uno tempore congruente veritate constitui; ut si quis dicat catulus videt, catulus non videt, potestate enim videt, actu vero non videt. Quocirca oportet fieri si facienda est contradictio ejusdem (ut ipse ait) prædicati de eodem subjecto, non æquivoce, sed univoce, ad eamdem partem, et ad idem relatum, ad idemque tempus, et eodem modo constitui. Quæ omnia in sophisticis elenchis diligentissime prosecutus est. Nunc pauca commemorans distulit in illis libris integram disputationem. Est autem enuntiatio de eo quod est aliquid esse, vel non esse; affirmatio quidem de eo quod est esse, ut Plato philosophus est; negatio vero de eo quod est non esse, ut Plato philosophus non est. Hæc utraque enuntiatio Plato philosophus est, Plato philosophus non est, sese perimentia et in contrarium quasi quodam locata litigio faciunt contradictionem. Contradictio vero est oppositio affirmationis et negationis, in qua neque ambas falsas, neque ambas veras esse contingit, sed unam semper veram, alteram vero falsam. Si qua autem sunt hujusmodi, in quibus verum falsumque affirmatio negatioque non dividat, in illis aliquid diversum, et non ad oppositionem integrum reperitur. Dicit autem Porphyrius argumentum esse ad id quod dicimus affirmationem negationi ita oportere opponi, ut una vera opposita in alteram mox falsitas veniat, communem inter nos consuetudinem colloquendi. Quando enim quis aliquid esse dixerit et idem alius negaverit, unum ipsorum verum dicere, mentiri alium suspicamur. Amplius quoque. Si aliquid aut est, aut non est, mediumque inter esse et non esse nihil poterit inveniri, affirmatio autem ponit aliquid esse, idemque aufert negatio, et est contradictio affirmatio et negatio oppositæ, talis oppositio integram facit contradictionem, in qua affirmatio et negatio utræque veræ simul esse non possunt. Affirmationis autem negationisque natura ad qualitatem quamdam refertur. Qualitas enim quædam est affirmatio atque negatio, præter hanc vero qualitatem est etiam quantitas propositionum, de qua posterius paulo dicendum est. Sed volens Aristoteles quid esset contradictio nos docere, prius ubi esset ostendit. In oppositione enim contradictionem omnem necesse est esse. Quare quoniam contradictio in oppositione est, qualis autem oppositio hanc contradictionem faciat adhuc ignota est. Estque hæc oppositio aut in qualitate oppositionum, aut in quantitate, aut in utroque, et de qualitate propositionum quæ in affirmatione et negatione consistit, dictum est. Nunc de quantitate dicetur, ut ea quoque cognita perspiciatur an in qualitate, an in quantitate, an in utroque propositionum contradictio sit.

DE SUBJECTIS ET PRÆDICATIS ENUNTIATIONUM.

Quoniam autem sunt hæc quidem rerum universalia, illa vero singularia. Dico autem universale quod de pluribus natum est prædicari, singulare vero, quod non, ut homo quidem universale est. Plato vero eorum quæ singularia sunt. Necesse est autem enuntiare quoniam inest aliquid aut non, aliquoties quidem eorum alicui quæ universalia sunt, aliquoties autem alicui eorum quæ sunt singularia.

Omnis propositio significationis suæ proprietatem ex subjectis intellectibus capit. Sed quoniam necesse est intellectus rerum esse similitudines, vis propositionum per intellectus ad res quoque continuatur. Atque ideo cum aliquid vel affirmare cupimus vel negare, hoc ad intellectus et conceptionis animi qualitatem refertur. Quod enim imaginatione intellectuque concipimus, id in affirmatione aut in negatione ponentes, affirmamus scilicet vel negamus, et principaliter quidem ab intelligentia propositiones vim capiunt et proprietatem, secundo vero loco ex rebus sumunt ex quibus ipsos intellectus constare necesse est. Unde fit ut et quantitate propositio et qualitate participet: qualitate quidem in ipsa affirmationis et negationis prolatione, quam ex proprio quis judicio emittit ac profert; quantitate vero ex subjectis rebus quas capiunt intellectus. Videmus namque alias esse in rebus hujusmodi qualitates, quæ in aliam convenire non possunt, nisi in unam quamcunque particularem singularemque substantiam: alia est enim qualitas singularis, ut Platonis vel Socratis, alia est quæ communicata cum pluribus totam se singulis et omnibus præbet, ut est ipsa humanitas. Est enim quædam hujusmodi qualitas, quæ et in singulis tota sit, et in omnibus tota. Quotiescunque enim aliquid tale animo speculamur, non in quamlibet unam personam per nomen hoc mentis cogitationem deducimur, sed in omnes eos quicunque humanitatis diffinitione participant. Unde fit ut hæc quidem sit communis omnibus, illa vero prior incom-

municabilis quidem cunctis, uni tamen propria. Nam si nomen fingere liceret, illam singularem quamdam qualitatem et incommunicabilem alicui alii subsistentiæ suo ficto nomine nuncuparem, ut clarior fieret forma propositi. Age enim incommunicabilis Platonis illa proprietas Platonitas appelletur, eo enim modo qualitatem hanc Platonitatem ficto vocabulo nuncupare possumus, quomodo hominis qualitatem dicimus humanitatem, hæc ergo Platonitas solius unius est hominis, et hoc non cujuslibet, sed solius Platonis; humanitas vero et Platonis et cæterorum quicunque hoc vocabulo continentur. Unde fit ut quoniam Platonitas in unum convenit Platonem, audientis animus Platonis vocabulum ad unam personam unamque particularem substantiam referat; cum autem audit hominem, ad plures quoque referat intellectum quoscunque humanitatem continere novit; atque ideo quoniam humanitas et omnibus hominibus communis est, et in singulis hominibus tota est, æqualiter cuncti homines retinent humanitatem sicut unus homo. Si enim id ita non esset, nunquam specialis hominis diffinitio particularis hominis substantiæ conveniret. Quoniam igitur hæc ita sunt, idcirco homo quidem dicitur universale quiddam, ipsa vero Platonitas et Plato particulare. His igitur ita positis quoniam universalis illa qualitas et in omnibus potest et in singulis prædicari, cum dicimus homo ambiguum est et dubitari potest utrum de speciali dictum sit an de aliquo particulari, idcirco quod nomen hominis et de omnibus dici potest et de singulis quibusque qui sub humanitatis specie continentur. Quare indefinitum est utrum de omnibus dictum sit id quod diximus homo, an de unaquaque individua hominis et particulari substantia. Hanc igitur qualitatem humanitatis si ambiguitate intellectus separare nitamur, determinanda est, et aut in pluralitatem distendenda, aut in unitatem numeri colligenda. Nam cum dicimus homo indefinitum est utrum omnes dicamus an unum. Sin vero additum fuerit omnis, ut sit prædicatio omnis homo vel quidam, tunc fit distributio et determinatio universalitatis, et nomen quod universale est, id est homo, universaliter proferimus dicentes, omnis homo, aut particulariter dicentes quidam homo, omnis enim nomen universalitatis significativum est. Quocirca si omnis quod universale significat ad hominem quod idem ipsum universale est adjungatur, res universalis, quæ est homo, universaliter prædicatur secundum id quod diffinitio ei adjicitur quantitatis. Sin vero dictum fuerit, quidam homo, tunc universale, quod est homo, addita particularitate per id quod ei adjectum est quidam particulariter profertur, et dicitur res universalis prolata particulariter. Sed quoniam particularis est prædicatio, quidam homo, particularis rursus prædicatio Platonis, de uno enim dicitur quidam homo, et de uno dicitur Plato, non eodem modo utræque particulares esse dicuntur. Plato enim unam ac definitam substantiam proprietatemque demonstrat, quæ convenire in alium non potest. Quidam homo vero, quod dicitur, particulariter quidem ipsum nomen universale determinat, sed si deesset quidam, id quod dicimus homo universale esset, ac per hoc ambiguum permaneret, quid vero dicimus Plato nunquam esse poterit universale. Nam etsi quando nomen hoc Plato pluribus imponatur, non tamen hoc nomen idcirco erit universale. Namque humanitas ex singulorum hominum collecta naturis in unam quodammodo redigitur intelligentiam atque naturam. Nomen vero hoc quod dicimus Plato multis secundum vocabulum fortasse commune esse videretur; nulli tamen illa proprietas Platonis conveniret, quæ erat proprietatis aut naturæ ejus Platonis qui fuit Socratis auditor, licet eodem vocabulo nuncupare-
tur. Hoc vero ideo quoniam humanitas naturalis est, nomen vero proprium, positionis. Nec vero hoc nunc dicitur quod nomen Platonis de pluribus non potest prædicari, sed proprietas Platonis. Illa enim proprietas naturaliter de pluribus non dicitur, sicut hominis, et ideo incommunicabilis (ut dictum est) qualitas est ipsa Platonitas, communicabilis vero qualitas universalis quæ et in pluribus et in singulis est. Unde fit ut cum dico, omnis homo, in numerum propositionem tendam; cum vero dico, Socrates aut Plato, non in numerum emittam, sed qualitatem proprietatemque unius in sua individua singularique substantia constringam ac prædicem. Quare in hoc quoque maxime hæ duæ particularitates, quidam homo, et Plato, distant, quod cum dico Plato quem hominem dixerim vocabulo designavi, proprietatemque uniuscujusque quem nomino, cum vero dico quidam homo, numerum tantum rejeci, et ad unitatem propositionem redegi. De quo autem dicam, hæc particularitas mihi non subdidit, quidam enim homo potest esse et Socrates et Plato et Cicero et unusquisque singulorum quorum proprietates a se in singularitatis ratione et natura diversæ sunt. Unde commodissime Theophrastus hujusmodi particulares propositiones, quales sunt quidam homo justus, particulares indefinitas vocavit. Parte m namque tollit ex homine quod est universale vel vocabulo vel natura. Quæ tamen ipsa sit pars et qua proprietate descripta non determinat nec definit. Unde universale vocavit quod de pluribus naturaliter prædicatur, ut homo, non quod positione, quemadmodum nomen Alexandri de Trojano et de Macedone Philippi filio de pluribus dicitur. Hoc enim positione de pluribus dicitur, illud natura. Et per subtiliter ait, quod in pluribus natum est prædicari. Est enim hæc universalitas naturalis, illam vero nominis reique proprietatem quæ particularis est singularem vocavit dicens: Plato vero eorum quæ sunt singularia; quod autem secutus est dicens: Necesse est autem enuntiare quoniam inest aliquid aut non, aliquoties quidem eorum alicui quæ sunt universalia, aliquoties alicui eorum quæ sunt singularia, hujusmodi est tanquam si diceret: Omnis quidem affirmatio et negatio inesse aut non inesse demonstrat. Et quidquid enuntiatur, aut

de eo quod est esse proponitur, ut Plato philosophus est, hæc enim propositio Platoni philosophiam inesse constituit, aut de eo quod est, non inesse, ut Plato philosophus non est: hæc enim a Platone philosophiam dividens, eidem philosophiam non inesse proponit. Ergo quoniam necesse est, aut aliquid alicui inesse dicere, aut aliquid alicui non inesse, illud quoque necesse est ut intelligamus cui inesse aliquid dicimus, aut universale esse, ut cum dicimus homo albus est, albedinem universali rei inesse monstramus, id est homini, aut certe particulare ac singulare, ut si quis dicat, Socrates albus est, albedinem enim Socrati singulari substantiæ et proprietati incommunicabili inesse significavit; sed in singularibus sive affirmetur aliquid, sive negetur, unus oppositionis modus est, quod vim contradictionis obtineat. Nam quoniam singulare atque individuum nulla sectione dividitur, secundum ipsum quoque facta contradictio simplex erit. In his autem quæ in universalibus fiunt, non est unus modus contradictionis. Nam cum dico, Socrates homo est, Socrates homo non est, sola hujusmodi oppositio, si omnia illa conveniant quæ contra argumentorum importunitates supra jam dicta sunt, ad faciendam contradictionem idonea reperitur. Sin vero tale aliquid subjectum sit de quo aliquid prædicetur quod sit universale, et in pluribus (ut ipse ait) natum sit prædicari, non est simplex oppositio contradictionis. Sunt enim earum propositionum quæ de universalibus rebus fiunt tres differentiæ, una quæ omnes complectitur, ut cum dico, omnis homo animal est; alia quæ ex indefinita multitudine et innumera pluralitate ad unum propositionis vim colligit atque constringit. Hæc hujusmodi est tanquam si quis dicat, quidam homo animal est. Alia vero est quæ neque in pluralitatem propositionem tendit, neque in particularitatem redigit, ut ea quæ sine ulla determinatione proponitur, ut est, homo animal est, homo animal non est: huic enim nec quidam, quod particularitatis, nec omnis, quod est universalitatis, adjunximus. Unde fit ut singularitas simpliciter prædicetur, universalitas vero aliquoties universaliter, ut omnis homo animal est, homo res universalis universaliter prædicata est. Nam cum sit homo universalis, quod ei adjectum est omnis, universalitatem universaliter appellari fecit. Rursus est ut universalitas particulariter prædicetur, ut cum dico, quidam homo animal est, quidam particulare determinat, sed junctum ad hominem universalem substantiam particulariter prædicari fecit. Est quoque universale non universaliter prædicare, quoties sine adjectione universalitatis vel particularitatis simpliciter nomen universale ponitur, ut est, homo animal est. Determinationes autem dicuntur quæ rem universalem vel in totum fundunt, ut omnis, vel in partem contrahunt, ut quidam. Omnis vero vel quidam quantitatem propositionis determinat, quæ quantitas juncta cum qualitate propositionum quatuor variatur modis. Qualitas autem propositionum in affimatione et negatione est; aut enim universalem rem universaliter prædicat affirmative, ut omnis homo animal est, aut universalem rem particulariter affirmative, ut quidam homo animal est, aut universalem rem universaliter negative, ut nullus homo lapis est, aut universalem rem particulariter negative, ut quidam homo lapis non est. Oportet autem in his quæ universali determinatione proponuntur in ipsis determinationibus fieri negationem, ut quoniam determinatio universalis rei est universaliter, cum dicimus, omnis homo justus est, si universaliter negabimus, dicamus nullo homo justus est, et quod aio nullus eam universalitatem quæ est omnis intercipit, non eam quæ est homo. Rursus si idem ipsum, omnis homo justus est, negare particulariter velim, dicam non omnis homo justus est, per particularem negationem universalitatis vim interimens. In particularibus vero non ita est. Si enim eam quæ est particularis determinatio universalis rei, ut est quidam homo justus est, negare velim, particulariter dicam, quidam homo justus non est. Hoc autem idcirco fit, quoniam habet quamdam similitudinem atque ambiguitatem utrum universaliter an sit particulariter dictum, si in universalibus propositionibus negativæ particulæ ad prædicationes potius quam ad terminationes ponantur. Si enim contra hanc affirmationem quæ est, omnis homo justus est, ponam hanc quæ dicit, omnis homo justus non est, hæc duas res significare videbitur, et quod nullus homo justus sit, omnem enim hominem justum non esse proposuit, et quod sint quidam homines non justi, omnem enim hominem negavit justum esse. Hoc autem nihil impedit ut aliquis sit injustus aliquis justus. Nam si aliquis est justus, non repugnat ne vera sit propositio quæ dicit, omnis homo justus est, non enim est justus omnis homo, si alii justi sint, alii vero injusti. Quare quoniam duplicis significationis est, idcirco universalis negationis diffinitio, quæ est nullus, universalis affirmationis tollit determinationem, quæ est omnis, atque ideo in particularibus negationibus ad ipsam universalitatem affirmationum negatio necesse est apponatur, ut in eo quod est omnis homo justus est, illa est ei opposita negatio quæ est, non omnis homo justus est, non illa quæ est, omnis homo justus non est, ne sit ambiguum utrum universaliter an particulariter neget. Dictum est enim hanc negationem quæ est, omnis homo justus non est, et universalitatis interpretationem designare et particularitatis propositionem. Quoties vero particulare aliquid tollitur, in his non jam ad determinationem, sed ad prædicatum particula negationis apponitur, ut in eo quod est, quidam homo justus est, nullus dicit, non quidam homo justus est. Neque enim hic ad determinationem particularem, quod est quidam, negatio ponitur, sed dicimus quidam homo justus non est, scilicet ad prædicatum quod est justus. Unde etiam ad indeterminatas propositiones, quæ sunt sine omnis, aut nullus, aut alicujus determinatione, ad prædicatum semper

apponitur particula negativa,ut est,homo justus non est.Nemo enim dicit non homo justus est,sed homo justus non est.In singularibus quoque non dico,non Socrates justus est, sed Socrates justus non est, et nisi aliquoties ambiguitas impediret ad prædicatum semper negatio poneretur. Sed omnia quæcunque in determinatione ponuntur, talia sunt,quæ aut totum colligant in affirmativo,ut est omnis,aut totum perimant in negativo, ut est nullus, aut colligant in affirmativo partem, ut est quidam, aut interimant in negativo partem, ut quidam non, aut in negativo perimant totum particulariter,ut est non omnis ; sed quidam non et non omnis particulares negationes sunt.Sive enim quis partem ex toto surripiat, particulare est quod reliquit, quia a totius perfectione discessit.Sive quis totum esse neget sive partem relinquat,rursum particulare est quod reliquum fit. Nam cum dico,quidam homo justus non est, abstuli partem;et rursus cum dico, non omnis homo justus est, cum negavi omnem, aliquem qui justus non esset ostendi. Hæc ergo, non omnis, et quidam,determinationes planissimæ sunt, et communi intelligentiæ subjectæ : has duæ particulares recipiunt negationes,ut ea quæ est quidam non determinationem particularem negat, ea vero quæ est non omnis universalem negat determinationem,sed utræque negationem (ut dictum est) in particularitatem constringunt. Quod autem dicimus, nullus, proprium quoddam videtur esse vocabulum, non omnis enim quod dicitur omnem per adverbium negativum quod est non adimit. Rursus cum dicimus quidam non in eo quod est quidam adverbium quod est non additum a subjecto termino particulare separat.Nullus vero in vocabulo ipso quid separet non monstrat, et videtur quodammodo non potius esse negatio quam affirmatio,neque enim adverbium est, nec conjunctio,adverbium namque atque conjunctio declinationibus carent. Nullus vero quod dicimus et generibus subjacet et inflectitur casibus, quid igitur est ?an erit nomen ?sed nulla negatio nomen esse monstratur.Quid sit ergo tali investigatione quærendum est.Videtur enim quod dicitur nullus tale esse tanquam si dicamus nec unus; nam qui dicit nullus homo animal est,tantumdem valet quantum nec unus homo animal est. Quod vero dicimus ullus,hoc ab eo diminutivum est quod est unus.Diminutio namque unius ullus est tanquam,si dicerem ñullus ;ergo plus negat quisquis etiam diminutionem neget, ut si quis dicat non modo non habet gemmam quod majus est, verumetiam nec gemmulam quod est minus.Sic ergo qui negare vult etiam unum, plus negat si dicat nec ipsum unius diminutivum illud esse quod dicitur ;ut si quis velit dicere nec unum esse hominem in theatro,ita dicat, non modo illic unus homo non est, verum nec ullus. Cum ergo dicimus nullus,ita præponimus tanquam si dicamus nec ullus. Tenet igitur hæc in se determinatio,quæ est nullus,vicem negationis et nominis. Negationis quidem in eo quod est nec,nominis vero in eo quod est ullus, quod est diminutivum unius. Ita igitur maxima fit negatio rei parvissimæ quod est unus,si ipsius diminutivum quoque subtrahat,quod est ullus. Quare et omnem et quemdam statim tollit negatio, quæ unius quoque ipsius diminutivum prædicatione subducit, ut ea quæ est nullus homo justus est. Hoc enim tantum est,tanquam si dicat, non ullus homo justus est,hoc idem valet tanquam si dicatur,non unus homo justus est.Quare quoniam de his quoque sufficienter dictum est,ad Aristotelis verba consequenti ordine veniamus.

Si ergo universaliter enuntiet de universali,quoniam est aut non est,erunt hæ contrariæ enuntiationes,dico autem in universali enuntiationem universalem,ut omnis homo albus est, nullus homo albus est.

Demonstrare oppositionem contradictionis intendit sed quoniam viam reperiendi ordinemque permiscuit idcirco nos quoque pauca quædam prius ordinata expositione prædicemus,ne lector confusionis caligine atque obscuritate turbetur.Omnium propositionum, quæ sunt simplices,quas categoricas Græci vocant, nos prædicativas dicere possumus,quatuor sunt diversitates. Aut enim affirmatio est, et negatio universalis,ut est omnis homo justus est,nullus homo justus est. Aut affirmatio et negatio particularis,ut est quidam homo justus est, quidam homo justus non est.Aut affirmatio et negatio indefinita,ut homo justus est, homo justus non est. Aut de singulari subjecto affirmatio et negatio, ut Cato justus est, Cato justus non est. Harum vero inter se veritas falsitasque non se habet similiter sed diverse.Et prius de universalibus atque particularibus, id est de his quæ determinatæ sunt dicendum est,post de reliquis disputabitur. Disponatur ergo affirmatio universalis quæ est, omnis homo justus est,et contra hanc negatio universalis, quæ est, nullus homo justus est. Sub his autem,sub affirmatione quidem universali, particularis affirmatio quæ est,quidam homo justus est ; sub universali negatione particularis negatio quæ est, quidam homo justus non est. Hoc autem demonstrat descriptio subjecta :

Universalis affirmatio.	Universalis negatio.
Omnis homo justus est.	Nullus homo justus est.



Quidam homo justus est,	Quidam homo justus non est.
Particularis affirmatio.	Particularis negatio.

Hæ igitur duæ universalis affirmatio et particularis affirmatio dicuntur subalternæ.Rursus universalis negatio,et particularis negatio dicuntur subalternæ,idcirco quoniam particularitas semper sub universalitate concludit.In quibus illud est considerandum quod ubi est affirmatio universalis vera, affirmatio quoque particularis vera est, et ubi negatio universalis vera

est, particularis quoque negatio vera est. Num si vera est omnis homo animal, est vera est quidam homo animal est. Et si vera est quoniam nullus homo lapis est, vera est quoniam quidam homo lapis non est. At si falsa sit particularis affirmatio, ut ea quæ est quidam homo lapis est, falsa est universalis affirmatio, omnis homo lapis est. Idem in negatione. Si enim negatio particularis falsa est, ut quidam homo animal non est, falsa est universalis, nullus homo animal est. Ita ut præcedunt universales in vero, eodem modo præcedunt particulares in falso. Dicuntur vero affirmatio universalis et negatio universalis contrariæ. Hoc autem idcirco, quoniam contrariorum hujusmodi natura est, ut longissime a se distent, et sialiquam inter se habeant medietatem, non semper alterum ipsorum subjecto insit, ut album et nigrum non possumus dicere, quoniam omne corpus aut album aut nigrum est; potest enim nec album nec nigrum esse, et utrumque falsum esse quod dicitur, idcirco quoniam medius est color. Quod si non habent medietatem, alterum ipsorum necesse est inhærere subjectis, ut cum dicimus omne corpus aut quietum est, aut movetur, horum nihil est medium, et necesse est omne corpus vel consistere vel moveri. Ut autem in eodem simul possint esse contraria, fieri non potest. Neque enim possibile est ut idem album nigrumque sit, quod in affirmationibus et negationibus universalibus apparet. Negativa enim et affirmativa universales plurimum quidem distant a se. Nam quod illa ponit omnibus, illa tollit omnibus et totum negat. Nam quæ dicit omnis homo justus est omnem hominem ponit, quæ dicit nullus homo justus est nihil eorum quæ in humanitatis sunt diffinitione justum esse concedit. Ita ergo a se longissime discrepant. Adhuc si ea quæ significant habent inter se aliquam medietatem, unam veram, unam falsam esse non est necesse, ut in eo quod est omnis homo justus est, nullus homo justus est. Quoniam potest quædam esse medietas, ut nec nullus homo justus sit, cum sit quidam; nec omnis homo justus sit, cum non sit quidam. Et possunt utræque falsæ et affirmatio et negatio reperiri. Neque enim verum est aut omnem hominem justum esse, aut nullum hominem justum esse. Quocirca potest fieri ut in his in quibus aliqua medietas invenitur universalis affirmatio et universalis negatio veritatem falsitatemque non dividant, sed utræque sint falsæ ad exemplum scilicet contrariorum, quæ aliquam inter se continent medietatem. Potest enim in illis fieri ut utraque contraria possint non inesse subjecto sicut supra docuimus. In his vero quæ medietate carent, necesse est ut una vera sit semper, altera semper falsa. Ut in eo quod est, omnis homo animal est, nullus homo animal est, hæ propositiones hujusmodi sunt, ut una vera sit et una falsa, idcirco quoniam inter animal esse et non esse nihil interest ad eorum scilicet contrariorum similitudinem quæ medietate carent. In illis enim necesse erat alterum inesse subjecto. Sic ergo universalis affirmatio et universalis negatio utræque falsæ esse possunt. Ut vero una vera sit, altera falsa, id quoque conceditur; ut utræque sint veræ fieri non potest, sicut illud quoque verum est, contraria simul esse non posse. Rectissime igitur universalis affirmatio, universalisque negatio contrariæ nominantur. Particularis autem affirmatio quæ est, quidam homo justus est, et particularis negatio quæ est, quidam homo justus non est, universalibus contrariis contrarias proprietates habent. Illæ enim simul veræ esse non poterant; ut vero essent simul falsæ, sæpe aliqua ratione concedebatur. Particularibus vero ut utræque veræ sint evenire potest, ut utræque falsæ sint fieri non potest: ut in eo quod est, quidam homo justus est, verum est; quidam homo justus non est, id quoque verum est; ut utræque falsæ sint, inveniri non potest, et in hoc quidem sunt dissimiles contrariis. Similes autem eis videntur quod sicut contrariæ aliquoties verum falsumque dividunt, ut una vera sit, altera falsa, ita quoque et particularis una vera potest esse, altera falsa, ut quidam homo animal est, quidam homo animal non est. Servant autem stabilem incommutabilemque ordinem et similitudinis et contrarietatis. Contrariæ enim quoniam possunt esse utræque falsæ, in quibuscunque utræque falsæ contrariæ reperiuntur, in his subcontrariæ utræque veræ sunt. Sed quoniam utræque contrariæ veræ inveniri non possunt, ideo utræque subcontrariæ falsæ nequeunt reperiri, ut in eo quod est omnis homo justus est, nullus homo justus est. Quoniam hæ falsæ sunt, hæ quas sub se continent, particulares veræ sunt, ut est quidam homo justus est, quidam homo justus non est; sed si universaliter inter se verum falsumque dividunt, et una vera est, et altera falsa, particulares quoque idem faciunt, ut in eo quod est, omnis homo animal est, nullus homo animal est, universalis affirmatio vera est, falsa negatio. Sed cum dico quidam homo animal est, quidam homo animal non est, particularis affirmatio vera est, falsa negatio particularis. Hæ igitur dicuntur subcontrariæ, vel quod sub contrariis positæ sunt, vel quod ipsæ superioribus sub quibus sunt (ut dictum est) contrarias proprietates habent. In hac igitur recta oppositione contrariarum et subcontrariarum in superioribus utrisque falsitas esse potest, nunquam veritas; in inferioribus vero utrisque quidem veritas inesse potest, nunquam falsitas. Sin vero quis respiciat angulares, et universalem affirmationem particulari opponat negationi, universalem negationem particulari comparet affirmationi, una vera semper, falsa altera reperietur. Nec unquam fieri potest ut affirmatione universali vera, particularis negatio non falsa sit, vel hac vera non illam continuo falsitas subsequatur. Rursus si negatio universalis vera est, falsa particularis affirmatio; si particularis affirmatio vera est, falsa universalis negatio est. Licet autem hoc et in subjecta descriptione metiri, et in aliis quoque terminis quoscunque sibi mens considerantis affinxerit, idem videbit, nam in eo quod est, omnis homo justus est, quoniam hæc falsa est, vera est,

quidam homo justus non est. Et rursus in eo quod est, nullus homo justus est, quoniam falsa negatio est, vera est affirmatio, quidam homo justus est. Hæc autem universalis affirmatio et particularis negatio quæ sunt angulares, et universalis negatio, et particularis affirmatio, quæ ipsæ quoque sunt angulares, contradictoriæ nominantur. Et hæc illæ est quam quærit contradictio in qua una semper vera, altera semper falsa sit. Superioris autem disputationis integrum descriptionis subdidimus exemplar, quatenus quod animo cogitationeque conceptum est oculis expositum memoriæ tenacius infigatur.



His ergo ita sese habentibus, indefinitas propositiones singularesque videamus, et primum de infinitis disputandum est. Indefinitæ igitur per se veritatem falsitatemque non dividunt; etenim cum dico, homo justus est, homo justus non est, utrasque veras contingit esse indefinitas. Quocirca eas a contradictione separamus : contradictio namque constituitur (ut sæpe dictum est) eo quod nunquam utræque veræ aut utræque falsæ reperiri queant, sed una semper veritatis, altera falsitatis capax est. Sed quæ universalitatem proferunt indefinitam, illæ definitarum particularium vim tenent. Tale enim est quod dico, homo justus est, tanquam si dicam, quidam homo justus est: et rursus tale est quod dico, homo justus non est, tanquam si dicam, quidam homo justus non est. Hoc illa res approbat, quod quemadmodum definitæ et particulares in aliquibus veræ esse possunt, in aliquibus verum falsumque dividunt, nunquam vero utrasque falsas esse contingit. Ita quoque in indefinitis universale significantibus, utrasque simul veras esse contingit, ut in eo quod dicimus, homo justus est, homo justus non est, utrasque falsas proferre impossibile est, sed unam veram, alteram falsam in his facillime reperimus in his scilicet terminis qui naturaliter et necessario subjectis substantiis inhærescunt, vel in his qui inesse non possunt : ut quoniam animal homini ex necessitate inest, si quis dicat, homo animal est, idque negetur, homo animal non est, vel homo lapis est, homo lapis non est, una vera, statim falsa altera reperitur, atque ideo hæ contra universales universaliter prædicatas faciunt contradictionem. Nam si contra illam quæ est omnis homo justus est, ea quæ est homo justus non est, in oppositione constituatur, una semper vera est, altera falsa. Es si contra eam quæ est nullus homo justus est indefinita propositio quæ est, homo justus est opponatur, verum inter se propositiones falsumque distribuunt sicut definitæ quoque universalium propositiones, secundum particulares atque universales oppositæ quantitates, contradictorias faciunt oppositiones. Quare constat eas quæ universale non universaliter proferunt, et sunt indefinitæ, neque particulare neque universale proferentes, ipsas quidem non semper inter se verum falsumque dividere, particularibus tamen definitis esse consimiles. Singulares vero quæ sunt unum oppositionis modum inter se tenent : has si ad idem subjectum, ad idem prædicatum, ad eamdem partem, ad idem tempus, ad eamdem relationem, eodem modo proposueris, inter se verum falsumve distribuunt, ut est Socrates justus est, Socrates justus non est. Sunt igitur duæ contradictiones, una quæ fit in universalibus angulariter particularibus contra positis, altera quæ fit in singularibus cum omnibus his quas in sophisticis elenchis exposuit determinationibus oppositis. Quare quoniam quemadmodum se habent propositiones, quoque modo faciant contradictorias oppositiones ostendimus, ad ipsa Aristotelis verba veniamus, in quibus per hæc ante cognita facilis poterit evenire cognitio. Superioris descriptionis intelligentiam plenius notat. Ait enim quando res universalis universaliter designatur, et eam quis universaliter affirmat, si eamdem alius universaliter neget, ita sibimet comparatas propositiones esse contrarias. Atque in hoc suam sententiam manifestius ostendit. Ait enim, dico autem universalem enuntiationem in universali, ut omnis homo albus est. Nam cum universalis sit homo, in universali homine universalis est enuntiatio, per quam dicitur omnis homo. Res ergo universalis, id est homo, per omnis quæ est determinatio universaliter prædicata est, et hoc affirmative. Negative vero universaliter ita dicetur, nullus homo albus est, nullus enim universalitas universalitati quæ est homo adjecta est ; hoc modo igitur universale universaliter enuntiantes affirmatio et negatio contrariæ sunt, sicut et ipse testatur, et nos superiori expositione digessimus.

Quando autem de universalibus non universaliter, non sunt hæ contrariæ, quæ autem significantur est esse aliquando contraria. Dico autem non universaliter enuntiare de his quæ sunt universalia, ut est albus homo, non est albus homo : cum enim universale sit homo, non universaliter utitur enuntiatione. Omnis namque non universale significat, sed quoniam universaliter.

Volenti indefinitam propositionem qualis esset ostendere, non modo auferenda fuit ab universali termino universalis determinatio, verum etiam particularis, et oportuit dici hoc modo. Quando autem

in universalibus non universaliter neque particulariter,non sunt contrariæ. Nunc autem quoniam non addidit neque particulariter,videtur non de indefinitis,in quibus neque universalitas,neque particularitas adest, sed tantum de particularibus loqui, a quibus solum universale non etiam particulare subtraxit,sed quid velit ostendere ipse convenientibus exemplis edocuit.Non enim posuit exempla particularis propositionis, sed indefinitæ. Ait enim, dico autem non universaliter enuntiare in his quæ sunt universalia,ut est albus homo,non est albus homo. Quod si particularem monstrare voluisset,ita diceret ut est quidam homo albus,non est quidam homo albus.Sed quoniam per exemplum quid vellet ostendit, nos quoque superiori propositione quæ est : Quando autem in universalibus non universaliter, de esse putemus aut particulariter,ut et particularitatem et universalitatem ex tota auferat dictione,ut post exempla docuerunt non eum loqui de particularibus sed de indefinitia.Quare hoc dicit,ut si neque universales sint propositiones neque particulares, quod subaudiendum est,illæ non sunt contrariæ,sunt enim contrariæ quæ universaliter universalem terminum proponunt. Indefinitæ vero ad universalem terminum universalem determinationem non habent. Idcirco autem ab indefinitis universalitatem solam et non particularitatem quoque sejunxit,quod indefinitas propositiones a cantrariis solum,non etiam a particularibus segregabat. Quod autem dico tale est: si vellet ostendere indefinitas propositiones,proprie diceret indefinitas neque particulares esse, neque universales;quæ autem in universali neque universaliter neque particulariter proponuntur,id est quæ neque universales sunt neque particulares indefinitæ sunt.Nam quæ neque contrariæ sunt neque particulares,hæ neque contrariæ sunt neque subcontrariæ.Subcontrariæ quidem idcirco non sunt,quia non habent additam particularem determinationem,idcirco vero contrariæ non sunt, quia determinatio universalis in his non est.Nunc autem cum tantum vellet ostendere eas contrarias non esse,de subcontrariis vero in præsenti vellet omittere,has esse indefinitas dixit, quæ universale determinatum universaliter non habent,ut scilicet has non esse contrarias intelligeremus. Idcirco vero non adjecit particularitatem eas non habere, quoniam a solis contrariis separare indefinitas volebat,non etiam a subcontrariis.Ergo si indefinitas a contrariis et subcontrariis separare voluisset, ita diceret : Quando autem in universalibus non universaliter nec particulariter,non sunt contrariæ neque subcontrariæ. Sed quoniam non eas volebat nunc non esse subcontrarias demonstrare,sed tantum non esse contrarias, idcirco ei dicto quod est,quando autem in universalibus,non universaliter non addidit,vel particulariter; hoc enim si addidisset, ad subcontrarias tenderet,de quibus nihil est additum;quare hoc dicit: hæ quæ indefinitæ sunt,quoniam non habent universalitatem, contrariæ non sunt. Sed cum per se quidem contrariæ non sunt,possunt tamen quædam significare contraria.Hoc quid sit multipliciter expositorum sententiis expeditur.Herminus namque dicit idcirco indefinitas posse aliquando significare contraria, cum ipsæ careant contrarietate, quippe quæ universalium rerum sunt,additum tamen universale non habent,in solis his quibus ea quæ affirmantur aut negantur subjecto naturaliter insunt:ut cum dicimus homo rationalis est, homo rationalis non est,quoniam rationalitas hujusmodi est quæ in natura sit hominis.Et affirmatio et negatio inter se verum falsumque dividunt,et quodammodo ab his contraria falsumque dividunt,et quodammodo ab his contraria designantur.Sed nihil hoc attinet ad contraria significanda in his quæ sunt indefinita.Nam etiam particulares ipsæ quoque in talibus verum falsumque dividunt, ut est quidam homo rationalis est,quidam homo rationalis non est;has igitur secundum Herminum videmus posse significare contraria.Cur ergo dixit in his quoque quoniam quidem contrariæ non sunt,quæ autem significantur est esse contraria?Alexander autem hoc dicit: quoniam indefinitæ sunt hæ,nihil eas,inquit,prohibet sicut ad particulares ita quoque ad universales reducere, quæ videntur esse contrariæ,ut in eo quod est homo animal est,homo animal non est,quoniam hæ propositiones indefinitæ sunt,possunt accipi quasi contrariæ.Nam si dicimus,homo animal est,potest ita accipi tanquam si dicatur,omnis homo animal est;et rursus homo animal non est ita audiri potest tanquam si dicatur nullus homo animal est.Cum autem dicitur homo ambulat,homo non ambulat,non adcontrarias sed ad subcontrarias mens ducitur auditoris.Quocirca possunt indefinitæ aliquando significare contraria,quoniam eo ipso quod sunt indefinitæ nihil eas prohibet ad contrariorum significationem universalium que reduci.Et hæc quidem sententia habet aliquid rationis,non tamen integre id quod ab Aristotele dicitur ostendit,et meliorem sententiam sponte rejecit, quam Porphyrius approbavit. Sunt enim quædam negationes quæ intra se affirmationis ejus quam negant retineant contrarietatem, ut in eo quod est, sanus est, et non est sanus, id quod dicitur non est sanus significat æger est, quod est contrarium sano esse.Rursus cum dicimus, homo albus est,si contra hanc negamus per eam quæ dicit homo albus non est, significare poterit quoniam homo niger est, nam qui niger est albus non est,sed nigrum esse et album non esse contrarium est. Quare significant quædam negationes affirmationesque contraria,sed hoc non semper,nam in eo quod est homo ambulat, homo non ambulat, nullum contrarium continetur. Ambulationi enim nihil est contrarium,atque ideo dicit :constat duas has quidem contrarias non esse, idcirco quod cum sunt universales,non universaliter enuntientur. Posse autem aliquoties contraria significare,cum intra negationem contrarium affirmationis includatur. Aspasius vero et Alexander hanc posteriorem non probant.Nos vero dicimus non quidem Alexandri sententiam abhorrere ratione,

sed hanc Porphyrii esse meliorem. Nam quod ait, quando autem in universalibus, non universaliter, non sunt contrariæ, quæ autem significantur est esse contraria, ab Alexandro non est expositum, sed tantum dictum quando possunt esse propositiones ipsæ contrariæ. A Porphyrio vero diligenter est expositum quando ea quæ significantur possint esse contraria. Quod ipse Aristotelis textus expressit, quanquam Alexander quoque eamdem quam Porphyrius exposuit viderit expositionem. Eam tamen (ut dictum est) sponte rejecit, et sibi hujusmodi expositionis confirmavit sententiam displicere. Mihi vero aut utræque recipiendæ expositiones videntur, aut melior judicanda posterior, hoc enim ipse quoque Aristoteles quodammodo subter ostendit cum dicit: Simul enim verum est dicere quoniam est homo albus, et non est homo albus, et est homo probus, et non est homo probus: si enim turpis est, non est probus; et si fit aliquid, etiam non est. Cujus quidem loci quæ sit expositio, cum ad id venerimus, demonstrabimus. Cognoscendum autem est et memoria retinendum quod quæcunque propositiones universales universaliter fuerint prædicatæ, si hæ affirmativæ, illæ vero sint negativæ, semper utraque esse contrarias, si nihil æquivocationis, aut temporis, aut aliquorum quæ supra determinata sunt, ad faciendam oppositionem contrarietatis impediat. Non tamen omnes quæcunque contrariæ sunt, hæ aut in universalibus universaliter ponunt enuntiationem, aut una affirmativa est, altera negativa, ut in eo quod est, Socrates sanus est, Socrates æger est. Hic enim neque in universali universalitas posita est, neque rursus una est affirmatio, altera negatio, sed sunt contrariæ propositiones. Contraria enim sunt quæ significant: quocirca rectissime dictum est, quod quæcunque in universalibus universaliter enuntiarent, si una earum esset affirmativa, altera negativa, statim naturaliter essent contrariæ. Quod autem contrariæ essent, non necesse est eas vel universale universaliter enuntiare, vel unam esse affirmativam, alteram negativam. Sed aliquoties quidem posse has esse contrarias, quæ universale in universalibus non significarent, sed hoc in his tantum quæ esset in subjecto de quo fit affirmatio naturalis, ut in eo quod est animal, et homo. Cum dicimus homo animal est, homo animal non est, quoniam in natura hominis animal est, idcirco hæc affirmans illa negans videntur esse contraria, quanquam illic nulla determinatio neque particularitas neque universalitatis addatur.

In eo vero quod universale prædicatur, id quod est universaliter prædicare, non est verum; nulla enim affirmatio erit vera in qua universale prædicatum universaliter prædicetur, ut, omnis homo est omne animal.

Quod dicit hujusmodi est, omnis propositio simplex duobus terminis constat: his sæpe additur aut universalitatis aut particularitatis determinatio, sed ad quam partem hæ determinationes addantur exponit. Videtur enim Aristoteli prædicato termino determinationem non oportere conjungi. In hac enim propositione quæ est, homo animal est, quæritur subjectum ne debeat cum determinatione dici, ut sit omnis homo animal est, an prædicatum, ut sit homo omne animal est, an utrumque, ut sit omni Romo omne animal est. Sed neutrum eorum quæ posterius dicta sunt, fieri oportet: namque ad prædicatum nunquam determinatio jungitur, sed ad subjectum tantum, neque enim verum est dicere omne animal omnis homo est; idcirco quoniam omnis prædicatio, aut major est subjecto, aut æqualis, ut in eo quod dicimus, omnis homo animal est, plus est animal quam homo. Et rursus in eo quod dicimus homo risibilis est, risibile æquatur homini; ut autem sit minus prædicatum, atque angustius subjecto, fieri non potest. Ergo in his prædicatis quæ subjecto majora sunt, ut in eo quod est animal, perspicue falsa est propositio, si determinatio universalitatis ad prædicatum terminum ponitur. Nam si dicamus, homo est animal, animal quod majus est homine per hanc determinationem ad subjectum hominem usque contrahimus, cum non solum ad hominem, sed ad alia quoque nomen animalis possit aptari. Rursus in iis quæ æqualia sunt idem evenit. Nam si dicam omnis homo omne risibile est, primum si ad humanitatem ipsam referam superfluum est adjicere determinationem. Quod si ad singulos quosque hominum, falsa est propositio; nam cum dico omnis homo omne risibile est, hoc videor significare, singuli homines omne risibile sunt, quod fieri non potest. Non igitur ad prædicatum, sed ad subjectum determinatio ponenda. Verba autem Aristotelis hoc modo sunt, et ad hanc sententiam ducuntur: in his prædicatis quæ sunt universalia, his adjicere universale aliquid, ut universale prædicatum universaliter prædicetur, non est verum, hoc enim est quod ait: In eo vero quod prædicatur universale, id est quod habet prædicatum universale, ipsum universale prædicatum universaliter non est verum. In prædicato enim universali, id est quod universale est et prædicatur, ipsum prædicatum, quod universale est, universaliter prædicare, id est adjecta determinatione universalitatis, non est verum; neque enim potest fieri ut ulla sit affirmatio vera in qua de universaliter prædicato universalis determinatio prædicetur. Eisque rei notionem exemplo aperit dicens, ut omnis homo omne animal est; hoc autem quam sit inconveniens, supra jam diximus.

DE REGULIS OPPOSITORUM.

Opponi itaque dico affirmationem negationi contradictorie quæ universaliter significat ei quæ non universaliter, ut omnis homo albus est, non omnis homo albus est; nullus homo albus est, quidam homo albus est; contrariæ vero universalem affirmationem et universalem negationem, ut omnis homo justus est, nullus homo justus est. Quocirca has quidam impossibile est simul esse veras, his vero oppositas contingit aliquando in eodem, ut non omnis homo albus est, et quidam homo albus est.

Quæ sit integra contradictio, his verbis ostendit, Ait enim illam esse oppositionem contradictoriam quæcunque dicit non esse universaliter rem universa-

lem contra eam quæ rem universalem universaliter proponit, atque hoc est quod ait: Opponi autem affirmationem negationi dico contradictorie, quæ universaliter significat, eidem quæ non universaliter, ut ei quæ est omnis homo justus est opponitur ea quæ universale significat non tamen universaliter, ut ea quæ est, quidam homo justus non est: hominem enim universalem significat non universaliter, ut cum dicit, non omnis homo justus est, hæc est contradictoria oppositio, ut si sit universalis affirmatio, sit particularis negatio; si sit universalis negatio, sit particularis affirmatio. Angulares enim (ut dictum est) solæ faciunt contradictionem, verba igitur se obscure habent, sed sententia manifesta est; dicit enim illa opponi contradictorie affirmationem negationi, vel negationem affirmationi, quæcunque id quod res altera universale universaliter significaret, eidem significaret, non universaliter quod esset universale, ut in his quas supra diximus; et ut hæc quæ est, omnis homo justus est, rem universalem universaliter significavit, illa quæ est non omnis homo justus est, eidem affirmationi opposita, de universali homine non universaliter negavit, dicens non omnis homo justus est. Rursus ea quæ dicit, nullus homo justus est, rem universalem universaliter negavit dicens nullus. Ea vero quæ dicit, quidam homo justus est, rem universalem particulariter affirmavit, et non universaliter; hominem enim quemdam justum esse proposuit, sed hominem non universaliter enuntiavit rem universalem. Persequitur ergo omnes proprietates propositionum. Ait enim: contrariæ vero universalem affirmationem, et universalem negationem. Sicut enim supra dixit eas quæ universaliter universale significarent, vel in affirmatione, vel in negatione esse contrarias, ita nunc quoque idem repetit contrarias esse dicens universalem affirmationem universalemque negationem; earumque ponit exempla, quæ universales utrasque esse monstrarent, ut omnis homo justus est, nullus homo justus est. Horum autem quæ proprietas esset proposuit dicens: hujusmodi propositiones impossibile esse utrasque sibi in veritate invicem consentire, quæ autem his essent oppositæ contingere utrasque veras esse. Sunt autem oppositæ his utræque particulares, universali enim affirmationi particularis negatio opponitur, et universali negationi particularis affirmatio opposita est. Quocirca hæ duæ particularis negatio et affirmatio, quæ oppositæ sunt affirmationi et negationi universalibus angulariter, hæ possunt aliquando esse veræ et in eodem, ut in eo quod est, quidam homo justus est, quidam homo justus non est; sed quidam homo justus est opposita est ei quæ est nullus homo justus est; illa vero quæ est quidam homo justus non est, opposita est, ei quæ est omnis homo justus est. Sed utræque inter se quidem, quidam homo justus est, et quidam homo justus non est, in veritate consentiunt. Hoc est ergo quod ait: His vero oppositas contingit in eodem easque designat exemplis, ut non omnis homo albus est, A est quidam homo albus. Positis igitur duabus propositionibus, affirmatione universali, et universali negatione, ars danda est quatenus earum inveniantur opposita. Opposita autem dico contradictorie, non contrarie, neque ullo modo alio. Sit enim hæc affirmatio, omnis homo justus est, et hæc negatio, nullus homo justus est, contra affirmationem quæ est omnis homo justus est videntur esse negationes hæ, una nullus homo justus est, altera quidam homo justus non est, altera non omnis homo justus est, et postrema indefinita, homo justus non est. Quæ harum igitur contra eam quæ est omnis homo justus est contradictione constituitur. Contradictoriam autem voco oppositionem in qua affirmatio et negatio neque utræque veræ sint, neque falsæ utraque, sed una semper vera, altera falsa. Si ergo opponatur B contra eam quæ est omnis homo justus est, ea quæ est nullus homo justus est, universalis scilicet negatio, non est oppositio contradictoria, utræque enim falsæ sunt. Si vero ponatur ea quæ est, homo justus non est, indefinita, nec ipsa quoque facit oppositionem; quoniam enim indefinita est, potest aliquoties pro universali negatione pro exspectatione auditoris intelligi. Quocirca nec ipsa facit oppositionem, si enim hoc modo audita sit, cum ita accipitur ut contraria, simul eas falsas inveniri contingit. Restat ergo ut aut ea sit quæ est non omnis homo justus est, aut ea quæ est quidam homo justus non est. Sed hæ sibi consentiunt. Idem enim dicit qui proponit quidam homo justus non est, et idem qui dicit non omnis homo justus est. Nam si quidam homo C justus non est, non omnis homo justus est; et si non omnis homo justus est, quidam homo justus non est. Quare utræque particulares negationes contradictorie opponuntur contra universalem affirmationem. In his enim neque veræ utræque sunt, neque utræque falsæ, sed una vera, altera falsa. Rursus sit negatio universalis ea quæ est, nullus homo justus est. Contra hanc videntur oppositæ affirmationes, hæ omnis homo justus est, homo justus est, quidam homo justus est: sed contra hanc quæ est nullus homo justus est si opponatur ea quæ est omnis homo justus est, possunt utræque esse falsæ; quare non opponuntur contradictorie. At vero etiam ea quæ dicit homo justus est, quoniam indefinita est, potest ita in aliquibus intelligi tanquam si dicat omnis homo justus D est. Quod si sic est, poterit aliquando cum ea negatione quæ est nullus homo justus est simul esse falsa; quare non est opposita. Relinquitur ergo ut ea quæ est quidam homo justus est contra eam quæ est nullus homo justus est contradictorie videatur opposita. Angulariter igitur requirendæ sunt, ut contra universalem affirmationem illa opponatur quæ sub universali negatione est, contra universalem negationem illa contradictorie constituatur quæ est sub universali affirmatione, quod scilicet volens Aristoteles ostendere sic ait:

Quæcunque igitur contradictiones universalium sunt universaliter, necesse est alteram esse veram, vel fal-

sam. Et quæcunque in singularibus sunt, ut est Socrates albus est, non est Socrates albus.

In illis enim quæ contradictoriæ sunt universalibus universaliter prædicatis, in his verum semper falsumque dividitur; contradictoriæ autem sunt universalis affirmationis particularis negatio, et universalis negationis particularis affirmatio. In his igitur una semper vera, altera semper falsa. Atque hoc est quod ait: Quæcunque igitur contradictiones sunt universalium universaliter. Et hic distinguendum est, ut intelligatur sic, quæcunque igitur contradictiones sunt universalium propositionum universaliter propositarum, necesse est alteram veram esse, alteram falsam. Et in his primum dividitur veritas falsitasque, quæ sibi et quantitate et qualitate oppositæ sunt, qualitate quod illa negatio est, illa affirmatio; quantitate quod illa universalis, illa particularis est. Secundo autem modo in iis quæ sunt singularia, si nullæ argumentorum nebulæ sint, veritas falsitasque dividitur, ut in eo quod est Socrates albus est, Socrates albus non est; una enim vera est, altera falsa est, si (ut dictum est) nulla ambiguitas æquivocationis impediat.

Quæcunque autem universalium non universaliter, non hæc quidem semper vera est, illa vero falsa. Simul enim verum est dicere quoniam est homo albus, et non est homo albus, et est homo probus; et non est homo probus. Si enim turpis est, non probus est, et si fit aliquid, etiamnum non est. Videbitur autem subito inconveniens esse, idcirco quoniam videtur significare non est homo albus, simul etiam quoniam nemo homo est albus. Hoc autem neque idem significat, neque simul necessario.

Propositiones eas quæ in universalibus non universaliter proferuntur, non semper veras esse, vel falsas conatur ostendere, hoc autem per contraria monstrat. Ea enim propositio quæ est homo albus est, et hujus negatio quæ est homo albus non est, hoc modo ostenduntur verum et falsum inter se interdum non posse dividere. Nam si verum est ut hæ duæ affirmationes, est homo albus et est homo niger, utræque uno tempore veræ sint, verum est quoque affirmationem indefinitam et indefinitam negationem utrasque veras aliquoties inveniri. Nam si verum est quoniam est homo albus, verum itidem est quoniam est homo niger: nam cum Gallus sit candidus, Æthiops nigerrimus invenitur simul. Ergo verum est dicere quoniam est homo albus et est homo niger: sed qui niger est albus non est; simul ergo verum est dicere quoniam est homo albus, et non est homo albus. Idem quoque de probo et turpi. Nam si verum est dicere quoniam est homo probus, si quis hoc de philosopho dicat, et rursus quoniam est homo turpis verum est si quis hoc de Sylla diceret, verum esset utrumque, et quoniam est homo probus, et est homo turpis; sed qui turpis est, probus non est. Simul igitur verum est dicere quoniam est homo probus, et non est homo probus. Sed videbitur fortasse aliquid sibi dixisse contrarium et difficilior procedat ostensio quæ per hujusmodi exempla proponatur quæ contraria esse videantur. Albus enim et niger, probus et turpis contraria sunt, et fortasse dubitet quidam utrum uno tempore contraria hæc in aliquibus valeant reperiri. Sed adjecit exemplum aliud, quod cum contraria non sint, tamen ex eo sicut in contrariis quoque negatio procreatur: ut si quis dicat, est homo probus, et alius dicat, fit homo probus, si quis vel alio docente, vel seipso corrigente aliqua disciplina rationis eniteat. Nihil ergo contrarium habet esse probum, et fieri probum; neque enim ita contrarium est, ut esse hominem probum, et esse hominem turpem. Quare si nihil contrarium habet, dubium non est quin simul esse possint. Sed quod fit inondum est adhuc cum fit quare nondum est probus qui fit probus. Sed verum est dicere cum eo quod est: est homo probus, quoniam fit homo probus; sed qui fit probus homo, non est probus homo. Verum est igitur dicere simul quoniam est homo probus, et non est homo probus, licet non invalida exempla sint posita de contrariis. Nihil enim prohibet uno tempore contraria aliis atque aliis inesse subjectis: quocirca constat indefinitas per id quod in exemplis supra posuit simul aliquoties veras videri, et non semper inter se verum falsumque partiri. Quod vero ait: videbitur autem subito inconveniens esse, idcirco quoniam videtur significare non est albus homo, simul etiam quoniam nemo homo albus est, hujusmodi est. Dixit enim propositionem affirmationis, eam quæ dicit est homo albus, veram posse esse cum ea quæ dicit non est homo albus. Nunc hoc notat: Videtur, inquit, aliquoties inconveniens esse, et incongruum dicere eam quæ dicit est homo albus et eam quæ est non est homo albus simul veras esse posse, idcirco quod ea quæ est non est homo albus emittit imaginationem quamdam quod significet quoniam nullus homo albus est. Videtur enim negatio hujusmodi quæ est, non est homo albus, illud quoque significare simul quoniam nullus homo albus est: ut si quis dixerit, non est homo albus, hoc eum dixisse putandum sit quoniam nullus homo albus est. Hoc autem, inquit, id est, non est homo albus, et rursus nullus homo albus est, neque idem significant, neque semper simul sunt. Nam qui dicit nullus homo albus est, universalem determinans negationem, de universalitate proponit. Qui vero dicit, non est homo albus, non omnino de tota universalitate negat, sed ei tantum sufficit de particularitate negasse; atque ea quæ est nullus homo albus est, si unus homo albus fuerit, falsa est. Ea vero quæ dicit non est homo albus, si unus homo albus non fuerit, vera est; quare non significat idem. Dico autem quoniam nec omnino quotiescunque dictum fuerit quoniam non est homo albus, mox significat quoniam nullus est homo albus. Nam cum dico nullus homo albus est, hæc eadem significat quoniam non est homo albus. Universalis enim intra se continet indefinitam. Cum autem dicimus non est homo albus, non omnino significat quoniam nullus homo albus est, indefinita enim non

intra se continet universalem. Superius namque monstravimus quod indefinitæ vim particularium obtinerent. Quare si cum est universalis negatio, est indefinita negatio, cum vero est indefinita negatio, non omnino est universalis negatio, non convertitur secundum subsistendi consequentiam; quare non sunt simul. Quæ enim non convertuntur, simul non sunt, ut nos Prædicamentorum libere docuit; quare neque idem significant negationes non est homo albus et nullus homo albus est, neque simul sunt, quoniam non convertuntur ad consequentiam subsistendi. Syrianus tamen nititur indefinitam negationem vim definitæ obtinere negationis ostendere, et hoc multis probare nititur argumentis, Aristotele maxime reclamante; neque hoc tantum suis, sed Platonicis quoque Aristotelicisque rationibus, probare contendit, eam quæ dicit non est homo justus hujusmodi esse qualis est ea quæ dicit nullus homo justus est. Sed nos Aristotelicæ auctoritati servientes id quod ab illo veraciter dicitur approbamus. Nam quod Syrianus dicit indefinitam quidem affirmationem particularis obtinere vim, indefinitam vero negationem universalis, quam mendaciter deceretur, quamque utræque in particularis rectissime proponerentur, et supra monstravimus, et in his libris quos de Categoricis Syllogismis composuimus, idque in libro primo diligenter expressimus. Nunc nobis ipse quoque Aristoteles testis est, et Syrianus facillima ratione convincitur, quod in Analyticis quoque ex duabus indefinitis dicitur non posse colligi syllogismum, cum ex affirmativa particulari et negativa universali particularis negativa possit esse collectio. Quod si indefinitæ affirmatio et negatio negationis universalis et particularis affirmationis vim obtinerent, nunquam Aristoteles diceret has propositiones non colligere syllogismum. Sed illud verius est, quoniam ex duabus particularibus nihil in qualibet propositionum complexione colligitur, quod in his propositionibus quæ indefinitæ sunt nihil colligi dixit, quia particularium vim propositiones indefinitas arbitratus est obtinere. Quare multis modis Syriani argumenta franguntur. Sed nos expositionis cursum ad sequentia convertamus.

Manifestum est autem quoniam negatio una unius affirmationis est, idem oportet negare negationem quod affirmatio affirmavit, et de eodem, vel de aliquo singularium vel de aliquo universalium, vel universaliter vel non universaliter. Dico autem, ut est Socrates albus, non est Socrates albus. Si autem aliud aliquid de eodem, vel de alio idem, non opposita erit, sed ab ea diversa. Huic autem quæ est omnis homo albus est contradicit illa quæ est non omnis homo albus est; illi autem quæ est aliquis homo albus est illa quæ est nullus homo albus est; illi autem quæ est homo albus est illa quæ est non est homo albus.

Hinc quoque apparet affirmationem indefinitam et indefinitam negationem non semper unam in veritate, aliam in falsitate consistere. Atque hinc docetur indefinitam negationem non idem valere quod universalis negatio potest, et est alia universalis, alia indefinita negatio. Nam si unicuique affirmationi una negatio videtur opponi, cumque diversæ sint ea affirmatio quæ dicit est homo albus et ea quæ dicit est quidam homo albus, diversas quoque habebunt in negationibus enuntiationes, et illa quidem quæ indefinita est affirmatio habebit indefinitam negationem, ut ea quæ dicit est homo albus huic opponitur non est homo albus. Ea vero quæ dicit est quidam homo albus negationem habebit oppositam eam quæ dicit nullus homo albus est. Quare si particularis affirmatio definita et rursus affirmatio indefinita a se ipsæ diversæ sunt, illud verum est, oppositas quoque contradictoriæ negationes habere dissimiles. Quare ea quæ est nullus homo justus est diversa est ab ea quæ dicit homo justus non est, atque hoc nunc Aristoteles exsequitur. Ait enim unam semper negationem contra unam affirmationem posse constitui, et ejus causam conatur ostendere, quod omnis negatio eosdem terminos habet in enuntiatione, sed enuntiandi modo diversa est. Nam quod ponit affirmatio id aufert negatio; et quod illa prædicatum subjecto jungit, hoc illa dividit atque disjungit. Quare si idem subjectum, idem prædicatum in negatione sit, quod affirmatio ante posuerat, non est dubium quin unius affirmationis una negatio videatur. Nam si duæ sint, aut subjectum alterum mutatura est, aut prædicatum. Sed quæcunque sunt hujusmodi non sunt oppositæ, hoc enim est quod ait: Si autem aliud aliquid, vel de alio idem, non opposita, sed erit ab ea diversa. Sensus enim hujusmodi est: Si negatio aliud aliquid prædicando neget quam in affirmatione fuit, ut si sit affirmatio est homo albus, negatio dicat non est homo justus, aliud prædicavit in negatione quam in affirmatione fuerat constitutum vel si de alio subjecto quam in affirmatione fuerat idem quod in affirmatione fuerit dixerit prædicatum, ut si affirmatio sit est homo justus, negatio respondeat non est leo justus, idem prædicatum est, subjecta sunt diversa. Si ergo vel aliud aliquid prædicet in enuntiatione propositio, vel de alio subjecto prædicet idem quod affirmatio ante posuerat, non erunt illa affirmatio negatioque oppositæ, sed tantum a se diversæ; neque enim se perimunt. Et hanc rem demonstrativam addidit, et quæ esset argumentum unius affirmationis præter unam negationem esse non posse, sive in singularibus, ut in eo quod ipse dicit exemplo, est Socrates albus, non est Socrates albus; sive in universalibus universaliter prædicatis, cum his particulares in oppositione contradictoriæ constituuntur, ut in universali universaliter affirmativa, omnis homo albus est, in universali particulariter negativa prædicetur, non omnis homo albus; illi vero quæ est in universali particulariter affirmativa quidam homo albus est opponatur universalis universaliter propositio negativa nullus homo albus est: illi vero quæ in universali non universaliter affirmativa est homo albus illa quæ in universali non universaliter negativa est non est homo albus,

ut quod ait vel de aliquo singularium ad hæc pertinet exempla, est Socrates albus, non est Socrates albus. Quod autem secutus est, vel de aliquo universalium universaliter, ad illa exempla dictum esse videbitur quæ sunt, omnis homo albus est, non omnis homo albus est, aliquis homo albus est, nullus homo albus est. Quod vero addidit, vel non universaliter, scilicet in universalibus, ad illa exempla retulit quæ sunt, homo albus est, homo albus non est.

Quod igitur una affirmatio uni negationi opponitur contradictoriæ, et quæ sunt hæ, dictum est, et quod sunt aliæ contrariæ. Et quæ sunt hæ, dictum est, et quod non omnis vera vel falsa contradictio, et quare, et quando vera vel falsa.

Hinc igitur omnia rursus brevissime repetit dicens jam se dixisse quoniam uni negationi una affirmatio esset opposita, et hoc non quolibet modo sed contradictoriæ, in quibus scilicet verum falsum ve divideretur. Dixisse etiam commemorat quæ essent hæ quas contradictorias nominaret, dixit autem esse angulares affirmativam universalem, et negativam particularem, rursus affirmativam particularem et negativam universalem. Disserui quoque, inquit, et quoniam aliæ sunt contrariæ, aliæ contradictoriæ, non enim eædem sunt contrariæ quæ sunt contradictoriæ. Contrariæ enim sunt universalis affirmatio, universalisque negatio. Exposui illud quoque, inquit, quoniam non omnis vera vel falsa est contradictio, nunc autem contradictionem non illam proprie, sed communiter de his dixit quæ sunt oppositæ, sive contrario modo, sive subcontrario. Hæ namque non semper verum inter se falsumque dividebant, ut una semper est vera, alia falsa, poterat enim fieri ut contrariæ simul invenirentur falsæ, subcontrariæ simul veræ. De his autem quæ propriæ contradictoriæ sunt dehinc sequitur et se jam exposuisse commemorat, et quare una vera, altera falsa est, et quando. Idcirco enim universalis affirmatio particulari negationi in contradictione opponitur, quod in omnibus a se ipsæ diversæ sunt et qualitate et quantitate. Illa enim est affirmatio, illa negatio, illa universalis, illa particularis. Ideo ergo aut utræque falsæ, aut utræque veræ inveniri non possunt. Quando autem ita fuerit, constat unam veram esse, alteram falsam, atque hoc est quod ait, et quare et quando vera vel falsa dictum est, scilicet memorans quare oppositio et quando una semper sit vera, altera falsa, tunc utique quando angulariter constituuntur, idcirco quoniam et quantitate a se propositiones et qualitate diversæ sunt. Nobis autem dicendum est quando oppositiones contrariæ vel subcontrariæ, aut utræque illæ simul falsæ sint, aut utræque illæ simul veræ, aut una falsa, alia rursus inveniatur vera. In contrariis enim si ea quæ non sunt naturaliter prædicentur, utræque sunt falsæ ut albedo, quoniam naturaliter homini non inest, utræque falsæ sunt quæ albedinem prædicant. Falsum est enim, omnis homo albus est, et falsum est, nullus homo albus est. Sed quando illæ ambæ falsæ sunt, veræ sunt subcontrariæ ut est, quidam homo albus est, quidam homo albus non est. Quod si quid naturale prædicetur in contrariis, affimatio vera est, falsa negatio, ut quoniam naturale est homini esse animal, vera est ea quæ dicit, omnis homo animal est, falsa est quæ dicit, nullus homo animal est. Eodem quoque modo in subcontrariis vera est affirmatio, falsa negatio. Sin vero aliquid impossibile prædicetur, falsa est affirmatio, vera negatio, ut quoniam impossibile est hominem lapidem esse. Si dicamus, omnis homo lapis est, falsum est, nullus homo lapis verum est. Eamdem quoque vim retinet subcontrarii natura, affirmatio enim hæc falsa est, vera negatio.

DE AFFIRMATIONE ET NEGATIONE UNA.

Una autem affirmatio et negatio est, quæ unum de uno significat, vel cum sit universale universaliter, vel non similiter, ut omnis homo albus est, non omnis homo albus est, est homo albus, non est homo albus, nullus homo albus est, quidam homo albus est, si album unum significat.

Ea quæ sunt a nobis diligenter superius exposita, nunc ipse clarius monstrat. Diximus namque unam propositionem esse quæ unam quamlibet rem significaret et non plurimas, ita ut nec æquivocum subjectum haberet, nec æquivocum prædicatum. Una enim propositio sic fit: Nunc hoc dicit, una propositio est quæ unam rem significat, id est, quæ neque æquivocum habet subjectum, neque prædicatum, sive autem universalis sit affirmatio, sive universalis negatio, sive particularis negatio, sive particularis affirmatio, sive indefinite utræque, sive contra se angulariter ponantur; una illa propositio est, quæ unam rem in affirmatione vel negatione significat. Sed hic quæstio est quemadmodum universalis affirmatio unam rem significare possit, cum universalis ipsa non de uno, sed de pluribus prædicetur. Nam cum dico, omnis homo albus est, singulos homines qui plures sunt significans, multa in ipsa affirmationis prædicatione designo. Quocirca nulla erit affirmatio vel negatio universalis, quæ unam rem significare possit, idcirco quod ipsa universalis de pluribus (ut dictum est) individuis prædicatur. Sed ad hoc respondemus cum universale quiddam dicitur, ad unam quodammodo collectionem totius propositionis ordo perducitur, et ejus unitas non ad particularitatem, sed ad universalitatem, quæ est una qualitas, applicatur, ut cum dicimus, omnis homo justus est, non tunc singulos intelligimus, sed ad unam humanitatem quidquid de homine dictum est dicitur. Quare sive sit universalis affirmatio, sive universalis negatio, vel in singularibus, potest fieri ut hæ unæ sint, si una significatione teneantur. Atque hoc est quod ait, eas propositiones quas supra posuit, quæ sunt, omnis homo albus est, non omnis homo albus est, homo albus est, homo albus non est, nullus homo albus est, est quidam homo albus, unas videri si album, inquit, unum significat. Si enim album quod prædicatur multa significet, vel si homo qui subjectus est, non unum, non est una affirmatio, nec una negatio. Hoc autem in sequentibus clarius monstrat dicens:

Sin autem duobus unum nomen positum est, ex quibus non est unum, non est una affirmatio, neque una negatio.

Sensus hujusmodi est: Si unum nomen plura significet, ex quibus multis unum effici non possit, illa affirmatio in qua illud nomen vel prædicatur, vel subjicitur, multa significat, ut in eo quod est homo, quod dicimus, homo significat animal, significat rationale, significat mortale; sed ex his quæ multa significat, unum potest effici, quod est animal rationale, mortale. Quare hoc nomen homo, licet plura sint quæ significet, tamen quoniam conjuncta in unum quodammodo veniunt corpus. Et unum quiddam ex se juncta perficiunt, cum id dictum ita fuerit quasi ex his quæ significet unum aliquid fiat, unum quod tota illa juncta perficiunt nomen illud significare manifestum est; atque hoc est quod ait: Sin vero duobus unum nomen sit positum, ex quibus non est unum, non est una affirmatio nec una negatio. Si enim talia quilibet sermo plura significet, ex quibus junctis unum effici nequeat corpus, nec possint ea quæ significantur uno illo nomine in unam speciem substantiæ convenire, non est illa una affirmatio. Quale autem nomen sit quod positum unam affirmationem non faciat, idcirco quod plura significet ex quibus unum fieri non possit, exempli solertissima virtute monstravit dicens:

Ut si quis ponat hoc nomen tunica homini et equo, et dicat tunica est alba, hæc non est una affirmatio, nec una negatio. Nihil enim differt quam hoc dicere, est homo equus albus. Hoc autem nihil differt quam dicere, est homo albus, et est equus albus.

Si quis ponat homini et equo nomen tunica, inquit, et in propositione nomen hoc ponatur, illa propositio non una sed multiplex est: nam si, verbi gratia, tunica homo atque equus dicatur, ut cum dicit aliquis, tunica aut hominem designet aut equum, ut si quis dicat in propositione sic, tunica alba est, non est una affirmatio; quod enim dicit, tunica alba est, hujusmodi est quasi dicam, homo et equus albus est, tunica enim hominem atque equum significatione monstravit. Quod vero dicit, homo et equus albus est, nihil differt tanquam si dicam equus albus est, et homo albus est. Sed hæ duæ sunt propositiones et non similes, in his enim subjecta diversa sunt. Quocirca si hæ duæ affirmationes sunt, duplex quoque illa est affirmatio quæ dicit, homo atque equus albus est. Quod si hæc rursus est duplex, quoniam hominem atque equum tunicam significare positum est, cum dicimus tunica alba est, non unum, sed plura significat. Quocirca si ea affirmatio quæ multa designat non est una, hæc quoque affirmatio una non erit, cujus aut prædicatio æquivoca fuerit aut subjectum, atque hoc est quod ait:

Si ergo hæ multa significant, et sunt plures, manifestum est quoniam et prima multa vel nihil significat, neque enim aliquis est homo equus, quare nec in his necesse est hanc quidem contradictionem veram esse, illam vero falsam. In his ergo et quæ sunt, et quæ facta sunt, necesse est affirmationem vel negationem veram vel falsam esse. Ac in universalibus quidem universaliter semper hanc quidem veram, illam vero falsam esse, et in iis quæ sunt singularia, quemadmodum dictum est; in his vero quæ in universalibus non universaliter dicuntur, non est necesse, dictum est autem et de his.

Quod si, inquit, est equus albus et est homo albus multa significant, illa quoque prima propositio quæ est, tunica alba est, unde hæ fluxerunt, multa designat; aut si quis dicat non eam multa significare, concedit profecto nihil omnino propositionis ipsius significatione monstrari. Tunc enim nomen unum multa significans in unam significationem poterat convenire, quoties ex his quæ significabantur una posset conjungi constituique substantia, ut in eo quod supra posui, cum homo animal rationale et mortale significet, quæ in unum possunt conjuncta congruere. Nunc autem si tunica hominem equumque significet, multa designat, sed ea ipsa in unum corpus non veniunt. Neque enim fieri potest ut aliquis homo equus sit. Quare aut multa significet, quod verum est, aut si contendat non eam multa significare, sed quiddam ex his quæ significat junctum, quoniam nihil est quod ex equo et homine conjungatur, nihil omnino significat. Hoc enim est quod dixit, neque enim est aliquis homo equus, et hoc quidem sub uno accentu legendum est, non discrete pronuntiandum homo et rursus equus, sed homo equus, ut ex his junctis appareat nihil omnino posse constitui. Cur autem hoc dixerit, sequens monstret oratio. Si enim ita facienda propositio est, ut contra affirmationem hujusmodi opponatur negatio, quæ in oppositione verum falsumque dividit, ut una vera, altera falsa sit, unam oportet esse affirmatione et unam negationem, quod contingit, si neque subjectum neque prædicatum multa significet. Quod si plura designet et sit æquivocum, non erit in hujusmodi propositionis una semper vera, altera falsa. Herminus vero sic sentit. Quod ait Aristoteles: Sin vero duobus nomen unum est positum, ex quibus non est unum, non est una affirmatio nec una negatio, ut in eo, inquit, quod est, homo gressibilis est, quoniam quod dicimus gressibile, potest et bipes esse, et quadrupes, et multipes animal demonstrari. Ex his, inquit, omnibus unum fit, quod est pedes habens. Ista, inquit, hujusmodi affirmatio non multa significat. Sed sententia Aristotelis omnino non sequitur, neque enim ex his omnibus unum fit, nec quadrupes et bipes, et multipes, pedes habere faciunt. Hic enim numerus pedum est, non pedum constitutio, quare Herminus prætermittendus est. Huic autem expositioni quam supra diserui, et Aspasius, et Porphyrius, et Alexander in his quos in hunc librum edidere commentariis consensere; sed ne diutius nobis Aristotelis exemplum caliginis obscuritatem ferat, hoc in aliquo noto exemplo vocabuloque videndum est. Cum enim dicimus: Ajax se perimit, et Telamonis Ajacem filium, et Oileum, demonstrat, ex quibus unum fieri aliquid non potest. Ex duobus enim individuis nihil omnino

conjungitur. Quare hujusmodi propositio multa significat. Sed hæc hactenus. Nunc autem determinat hæc quæ de propositionibus supra jam dixerat, non de omni tempore, sed de solis tantum præterito et præsenti, quemadmodum se in veritate et falsitate habent disseruisse. In futuris vero non idem est, quale de præsenti et præterito in propositione judicium, idcirco quia jam vel cum contingit, vel cum est, definita veritas et falsitas in propositionibus invenitur, ut cum dico, Brutus consulatum primus instituit sub rege Tarquinio, dicat alius. Brutus consulatum non primus instituit sub rege Tarquinio : hic una vera est, una falsa, etiam affirmatio definite vera est, definite falsa negatio. Rursus in præsenti cum dicimus, vernum tempus est, vernum tempus non est, si hoc verno tempore dictum sit, affirmatio vera est et definite vera, negatio falsa est et definite falsa. Quod si hoc autumno dictum sit, definite falsa affirmatio, et definite esse vera negatio, idcirco quod sive in præsenti sive in præterito veritas affirmationis negationisve jam contingit, in futuro vero non eodem modo sese habet : ut cum dicimus, Franci Gothos superabunt, si quis neget Franci Gothos non superabunt, una quidem vera est altera falsa. Sed quæ vera quæ falsa sit, ante exitum nullus agnoscit, atque hoc est quod ait : In his ergo quæ sunt et quæ facta sunt, necesse est affirmationem vel negationem veram vel falsam esse ; in universalibus quidem universaliter semper hanc quidem veram, illam vero falsam ; et in his quæ sunt singularia, quemadmodum dictum est, ut non modo una semper vera sit, altera falsa in tota contradictione. Sed illud quoque habeat, ut in una qualibet definite veritas aut falsitas reperiatur. Ita utin his singularibus veritas et falsitas in propositionibus dividatur ; in universalibus autem si his particularitates opponantur (quemadmodum dictum est), unam necesse est veram esse, alteram falsam, sed non definita propositionum veritate vel falsitate, sicut supra disserui. Quare in sequentibus quædam de futuris tractanda sunt, et quoniam majus opus est quam hic breviter dici posse viderimus, et nos secundi voluminis seriem longius extraximus, hoc loco fastidiosam longitudinem terminemus.

LIBER TERTIUS.

Ea quæ hujus libri series continebit exponere altioris pene tractatus est quam ut in logica disciplina conveniat disputari ; sed quoniam (ut sæpe dictum est) orationibus sensa proferuntur, quibus subjectas res esse manifestum est, non est dubium quin quod in rebus sit idem sæpe transferatur ad voces. Quare mihi recte consilium fuit subtilissimas Aristotelis sententias gemino ordine commentationis aperire. Nam quod prior tenet editio ingredientibus ad hæc altiora et subtiliora quamdam quodammodo faciliorem semitam parat. Quod autem secunda editio, in patefaciendis subtilibus sententiis elaborat, hoc studio doctrinaque provectis legendum discendumque proponitur. Quare prius quædam pauca dicenda sunt, quatenus ea de quibus postea tractaturi sumus, hæc ipsa legentibus non videantur ignota. Categoricas propositiones Græci vocant quæ sine aliqua conditione propositionis promuntur, ut est, dies est, sol est, homo est, homo justus est, sol calet, et cæteru quæ sine alicujus conditionis nodo atque ligamine proponuntur. Sunt autem conditionales propositiones hujusmodi, si dies est, lux est, quas Græci hypotheticas vocant. Conditionales autem dicuntur, quod talis quædam conditio proponitur ut dicatur, si hoc est, illud est, et illas quidem quas categoricas Græci nominant, Latine prædicativas dicere possumus. Nam si κατηγορία prædicamentum est, cur non quoque κατηγορικαί propositiones prædicativæ dicantur ? Harum autem quædam sunt quæ cum sempiterna significent, sicut hæ res quas significant semper sunt, et nunquam a propria natura discedunt, ita quoque ipsæ propositiones immutabili significatione sunt, ut si quis dicat, Deus est, Deus immortalis est. Hæ namque propositiones sicut de immortalibus dicuntur, ita quoque sempiternam habent et necessariam significationem, nec hoc in unius temporis natura perspicitur, sed in omnium. Nam cum dicimus, Deus immortalis est vel immortalis fuit, vel immortalis erit, a propria significationis necessitate nil discrepat. Necessarias autem propositiones vocamus in quibus id quod dicitur, aut fuisse, aut esse, aut certe necesse est evenire, et hæc quidem quæ sempiterna significant, sempiternæ necessitatis sunt. Nam etiam si in his non sit manifesta veritatis natura, nihil tamen prohibet fixam esse necessitatis in natura constantiam, ut si nobis ignotum est utrum paria sint astra, an imparia, non tamen idcirco poterit evenire ut nec paria, nec imparia videantur, sed sine ulla dubitatione aut paria sunt, aut imparia. Omnis enim multitudo, horum alterum retinet in natura. Quocirca et in his si quis dicat astra paria sunt, aliusque respondeat, astra paria non sunt ; vel si quis dicat, astra imparia sunt, aliusque respondeat, astra imparia non sunt, unus horum verum ex necessitate proponit, et quanquam id quod quilibet horum verum dixerit, nobis ignotum est, necesse est tamen immutabiliter esse quod dicitur, atque hæ quidem sunt immutabiliter necessariæ propositiones. Aliæ vero sunt quæ non sempiterna significantes, sunt tamen et ipsæ necessariæ, quousque illa subjecta sunt de quibus propositio aliquid affirmat aut negat, ut cum dico, homo mortalis est, quandiu homo est, tandiu hominem mortalem esse necesse est. Nam si quis dicat, ignis calidus est, quandiu est ignis, tandiu ex necessitate vera est propositio. Aliæ vero sunt quæ a natura

sed casu evenit. Quare hujusmodi propositiones non modo ad nostram, sed ad naturæ ipsius notitiam secundum incertum eventum et inconstantem veritatem atque mendacium derivabuntur. Talis enim est contingentis natura, ut vel in utraque parte æqualiter sese habeat, ut hodie me esse lavandum, vel hodie me non esse lavandum, vel in una plus, minus in altera, ut hominem canescere senescentem, vel hominem non canescere insenescentem. Illud enim plus fit, illud minus. Sed nihil prohibet, id quod rarius fit, tamen fieri, de his ergo Aristotelica subtilitas disputatura primum a singularibus inchoans ad universalia tractatui viam pandit. Duobus enim modis contradictiones fiebant, aut in singularibus, aut in universalibus universaliter prædicatis et his oppositis. Ingreditur autem ex his tribus quæ supra dicta sunt ex casu, ex libero arbitrio, ex possibilitate, quæ omnia uno nomine utrumlibet vocavit, fingens scilicet nomen ad hoc, quod non unius et certi eventus ista sint, sed utriuslibet, et quomodo contingit ea fieri, vel non fieri; hoc autem monstrativum est naturæ instabilis, et ad utramque partem sine ullius rei obluctatione vergentis. Non autem oportet arbitrari illa esse utrumlibet et contingentium naturæ, quæcunque nobis ignota sunt. Neque enim si nobis ignotum est a Persis ad Græcos missos legatos, idcirco missos esse incerti eventus est. Nec si lethale signum in ægrotantis facie medecina deprehendit, ut aliud esse non possit nisi ille moriatur, nobis autem ignotum sit, propter artis imperitiam, idcirco illum ægrum esse moriturum, utrumlibet, et contingentis naturæ esse judicandum est, sed illa sola talia sine dubio esse putanda sunt, quæcunque idcirco nobis ignota sunt, quod per propriam naturam qualem habeant eventum, sciri non possunt: idcirco, quoniam propria instabilitate naturæ ad utraque verguntur, id est, ad affirmationis et negationis eventum propria instabilitate atque inconstantia permutantur. Est autem inter philosophos disputatio de rerum quæ fiunt causis, necessitatene omnia fiant, an quædam casu, et in hoc epicureis, et stoicis, et peripateticis nostris magna contentio est, quorum paulisper sententias explicemus. Peripatetici enim, quorum Aristoteles princeps est, et casum et liberi arbitrium judicii, et necessitatem in rebus quæ sunt, quæque aguntur cum gravissima auctoritate, tum apertissima ratione confirmant. Et casum quidem esse in Physicis probant quoties aliquid agitur, et non id evenit, propter quod illa res est cœpta quæ agebatur, id quod evenit, ex casu evenisse putandum est, et casus quidem non sine aliqua actione fit. Quoties autem aliud quiddam evenit per actionem quæ geritur quam speratur, illud evenisse casu peripatetica probat auctoritas. Si quis enim terram fodiens vel scrobem demittens agri cultus causa thesaurum reperiat, casu ille thesaurus inventus est, non sine aliqua quidem actione, terra enim fossa est, cum thesaurus est inventus. Sed non illa erat agentis intentio ut thesaurus inveniretur. Ergo aliquid agenti homini propter aliud tamen agenti res diversa successit. Hoc igitur ex casu evenire dicitur, quodcunque per aliquam actionem evenit, non propter eam rem cœptam, quæ aliquid agenti successerit. Et hoc quidem in ipsa rerum natura est, ut non hoc ex nostra constaret ignorantia, ut non idcirco quædam esse casu viderentur, quod nobis ignota essent, sed potius idcirco a nobis ignorentur, quod hæc in natura quæcunque casu fiunt, nullam necessitatis constantiam, aut providentiæ modum tenerent. Stoici dum omnia quidem ex necessitate et secundum providentiam fieri putant, id quod ex casu fit, non secundum ipsius fortunæ naturam, sed secundum nostram ignorantiam metiuntur, id enim casu fieri putant, quod cum necessitate sit, tamen ab hominibus ignoretur. Et de libero quoque arbitrio eadem nobis pene illisque contentio est. Nos enim liberum arbitrium ponimus, nullo extrinsecus cogente in id quod nobis faciendum, vel non faciendum judicantibus perpendentibusque videatur, ad quam rem præsumpta prius cogitatione perficiendam et agendam venimus, ut et id quod fit; ex nobis et ex nostro judicio principium sumat, nullo extrinsecus aut violenter cogente, aut violenter impediente. Stoici autem omnia necessitatibus dantes, converso quodam ordine liberum voluntatis arbitrium custodire conantur. Dicunt enim naturaliter quidem animam habere quamdam voluntatem, ad quam propria natura ipsius voluntatis impellitur. Et sicut in corporibus inanimatis quædam naturaliter gravia feruntur ad terram, levia sursum meant. Et hæc natura fieri nullus dubitat, ita quoque in hominibus et in cæteris animalibus voluntatem quidem naturalem esse cunctis, et quidquid fit a nobis, secundum voluntatem quæ naturalis nobis est, putant fieri, illud tamen addunt, quod ea volumus quæ providentiæ illius necessitas imperavit, ut sit quidem nobis voluntas concessa naturaliter, et id quod facimus voluntate faciamus, quæ scilicet in nobis est, ipsam tamen voluntatem illius providentiæ necessitas constringit, ita fieri quidem omnia ex necessitate, quod voluntas ipsa naturalis necessitatem sequatur, fieri etiam quæ facimus ex nobis, quod ipsa voluntas ex nobis est et secundum animalis naturam. Nos autem liberum voluntatis arbitrium non id dicimus quod quisque voluerit, sed quod quisque judicio et examinatione collegerit. Alioqui multa quoque animalia habebunt liberum voluntatis arbitrium. Illa enim videmus sponte quædam refugere, quibusdam sponte concurrere. Quod si velle aliquid vel nolle hoc recte liberi arbitrii vocabulo teneretur, non solum hoc esset hominum, sed cæterorum quoque animalium, quibus hanc liberi arbitrii potestatem abesse quis nesciat: sed est liberum arbitrium, quod ipsa quoque vocabula produnt, liberum nobis de voluntate judicium. Quotiescunque enim imaginationes quædam concurrunt animo, et voluntatem irritant, eas ratio perpendit, et de his judicat, et quod ei melius videtur cum arbitrio perpenderit et

judicatione collegerit, facit, atque ideo quædam dulcia et speciem utilitatis monstrantia spernimus, quædam amara, licet nolentes, fortiter sustinemus. Ideo non in voluntate, sed in judicatione voluntatis liberum constat arbitrium, et non in imaginatione, sed in ipsius imaginationis perpensione consistit, atque ideo quarumdam actionum nos ipsi principia non sequaces sumus. Hoc est enim uti ratione, uti judicatione. Esse enim commune nobis est cum cæteris animantibus sola ratione disjungimur. Quod si sola est judicatione inter nos et cætero animalia distantia, cur dubitemus ratione uti, hoc esse quod uti judicatione? Quam si quis ex rebus tollat, rationem hominis sustulit, hominis ratione sublata, nec ipsa quoque humanitas permanebit. Melius igitur peripatetici nostri et casum in rebus ipsis fortuitum dantes, et præter ullam necessitatem, et liberum quoque arbitrium, neque in necessitate, neque in eo quod ex necessitate quidem non est, non tamen in nobis est ut casus, sed in electione judicationis et voluntatis examinatione posuere. In eo autem quod possibile esse dicitur, est quædam inter peripateticos et stoicos dissensio, quam hoc modo paucis absolvimus. Illi enim diffiniunt possibile esse quod possit fieri, et quod fieri prohibetur, non sit, hoc ad nostram possibilitatem scilicet referentes, ut quod nos possumus, id possibile diceretur. Quod vero nobis impossibile esset, id possibile negarent. Peripatetici autem non in nobis hoc, sed in ipsa natura posuerunt, ut quædam ita possibilia essent fieri, ut essent possibilia non fieri, ut, hunc calamum frangi quidem possibile est, et etiam non frangi, et hoc non ad nostram possibilitatem referunt, sed ad ipsius rei naturam. Cui sententiæ contraria est illa quæ dicit omnia fato fieri, cujus Stoici auctores sunt. Quod enim fato fit, ex principalibus causis evenit. Sed si ita est hoc, quod non fiat, non potest permutari. Nos autem ita dicimus quædam esse possibilia fieri, ut eadem sint etiam possibilia non fieri, hoc non ex necessitate, nec ex possibilitate nostra metientes. His igitur expeditis illud addere sufficiat, hoc Aristoteli fixum in sententia et disciplina retinenti, facile fuisse contingentium propositionum modum de futuris ostendere. id est æqualiter se habere in affirmatione et negatione, et in utraque parte facere. Atque ideo determinatam eventus constantiam non habere, quod ni ita esset, omnia ex necessitate fieri crederentur, quod melius liquebit cum ad ipsa Aristotelis verba venerimus. Non autem incommode neque incongrue Aristoteles de rebus altioribus et fortasse non pertinentibus ad artem logicam disputationem transtulit, cum de propositionibus loqueretur. Neque enim esset firmam rectitudinem et significantiam propositionum constituere, nisi hanc ex rebus ita esse probavisset. Prædicativæ enim propositiones (ut dictum est) non in sermonibus neque in complexione prædicationum, sed in rerum significatione consistunt. Quare omnibus quæ prædicenda erant explicitis, ad ipsius Aristotelis sententias aperiendas A enodandasque perveniamus. In his ergo quæ sunt, et facta sunt, necesse est affirmationem vel negationem veram vel falsam esse, in universalibus quidem semper hanc quidem veram, illam vero falsam, et in his quæ sunt singularia quemadmodum dictum est, in his vero quæ in universalibus non universaliter dicuntur, non est necesse. Categoricas propositiones quæ prædicativæ Latine possunt nominari (ut supra jam diximus) ex rebus quas ipsæ propositiones significant, integra rotiocinandi norma dijudicat. Illæ namque quas hypotheticas vel conditionales vocamus ex ipsa conditione vim propriam trahunt, non ex his quæ significant. Cum enim dico, si homo est, animal est, et si lapis est, animal non est, illud est consequens, illud repugnans, quare ex consequentia et repugnantia propositionum tota in propositione vis B vertitur: unde fit ut non significatio, sed conditio propositam hypotheticarum enuntiationum vim naturamque constituat. Prædicativæ vero propositiones (ut dictum est) ex rebus principaliter substantiam sumunt. Atque ideo quoniam quædam res sunt præsentis temporis, quædam præteriti, sicut eventus ipse rerum præsentis temporis vel præteriti certus est, ita quoque prædicativarum propositionum de præteritis et præsentibus certa veritas, falsitasque est. Erat autem contradictionis modus duplex, aut enim universales particularibus angulariter opponebantur, aut singularis significatio affirmativa singularem negationem contradictoria oppositione perimebant. Et in his una vera semper, altera falsa reperiebat. In his autem quæ essent indefinitæ, non neces- C se erat unam veram esse, alteram falsam, sed in his, in quibus veritas et falsitas dividebatur. In his non solum una vera semper est, altera semper falsa, in præterito scilicet et in præsenti, sed etiam una certam et definitam veritatem retinet, certam et definitam altera falsitatem. In his autem quæ sunt in futuro, si necessariæ quidem propositiones sunt, licet secundum tempus futurum dicantur, necesse est tamen non modo unam veram esse, alteram falsam, sed etiam unam definite veram, alteram falsam definite. Cum dico, sol hoc anno verno tempore in Arietem venturus est, si hoc alius neget, non solum una vera est, altera falsa, sed etiam in hoc vera est affirmatio definite, falsa negatio. Sed Aristoteles non solet illa futura vocare quæ sunt necessaria, sed potius D quæ sint contingentia. Contingentia autem sunt (ut supra diximus) quæcunque vel ad esse, vel non ad esse æqualiter sese habent, et sicut ipsa indefinitum habent et esse et non esse, ita quoque de his affirmationes et negationes indefinitam habent veritatem vel falsitatem, cum una semper vera sit, semper altera falsa, sed quæ vera sit, quæve falsa, nondum in contingentibus notum est. Nam sicut quæ sunt necessaria esse, in his esse definitum est, quæ autem sunt impossibilia esse, in his non esse definitum est, ita quoque quæ possunt esse, et possunt non esse, in his neque esse, neque non esse est definitum, sed veritas et falsitas ex eo quod est esse rei,

et ex eo quo dest non esse rei sumitur. Nam si sit quod dicitur, verum est, si non sit quod dicitur, falsum est. Igitur in contingentibus et futuris sicut ipsum esse et non esse instabile est. Esse tamen aut non esse necesse est. Ita quoque in affirmationibus contingentia prodentibus, veritas quidem et falsitas incerto est. Quæ enim vera sit, quæ falsa secundum ipsarum propositionum naturam ignoratur, necesse est tamen unam veram esse, alteram falsam. Porphyrius tamen quædam de Stoica dialectica permiscet, quæ cum Latinis auribus nota non sit, nec hoc ipsum quod in quæstione venit agnoscitur, atque ideo illa studio prætermittemus.

DE FUTURIS CONTINGENTIBUS.

In singularibus vero et futuris non similiter. Nam si omnis affirmatio vel negatio, vera vel falsa est, et omne necesse est vel esse, vel non esse. Quare si hic quidem dicat futurum aliquid, ille vero non dicat hoc idem ipsum, manifestum est, quoniam necesse est verum dicere alterum ipsorum si omnis affirmatio vel negatio vera, vel falsa est, utræque enim non erunt simul in talibus. Nam si verum est dicere quoniam est album vel non album, necesse est album esse, vel non album. Et si est album vel non album, verum est vel affirmare vel negare, et si non est, mentitur: et si non mentitur, non est. Quare necesse est aut affirmationem, aut negationem veram esse vel falsam. Nihil ergo neque est, neque fit, neque casu neque utrumlibet, nec erit, nec non erit, sed ex necessitate omnia et non utrumlibet. Aut enim qui dicit verus est, aut qui negat: similiter enim vel fieret, vel non fieret.

Geminas esse contradictiones in propositionibus supra jam dictum est, et nunc quoque commemorat, in quibus necesse est enim veram esse, alteram falsam; sed ea quæ dicentur de futuris et contingentibus melius intelligentur, si de his contingentibus loquamur, quæ in singulari contradictione proveniunt. Est enim universalium angularis contradictio in contingentibus hujusmodi. Cras omnes Athenienses bello navali pugnaturi sunt. Cras non omnes Athenienses bello navali pugnaturi sunt. In singularibus autem talis est: Cras Socrates in palæstra pugnaturus est. Cras Socrates in palæstra pugnaturus non est. Non autem oportet ignorare non esse similiter contingentes has quæ dicunt Socrates morietur, et Socrates non morietur, et illas quæ dicunt, Socrates morietur cras, Socrates non morietur cras. Illæ enim superiores omnino contingentes non sunt, sed non necessariæ. Morietur enim Socrates ex necessitate, hæ vero quæ tempus diffiniunt, nec ipsæ in numero contingentium recipiuntur, idcirco quod nobis quidem cras moriturum esse Socratem incertum est. Naturæ autem incertum non est. Atque ideo nec Deo quoque incertum est, qui ipsam naturam optime novit. Sed illæ sunt propriæ contingentes, quæ neque in natura sunt, neque in necessitate, sed aut in casu, aut in libero arbitrio, aut in possibilitate naturæ. Ex casu quidem ut cum egredior domo amicum videam, non ob hoc egrediens. Ex libero arbitrio, ut quod possum et velle et non velle, an velim hoc antequam fiat incertum est. Ex possibilitate, quod cum fieri possit, et non fieri possit, id antequam fiat quod utroque modo potest fieri, incertum sit. Ideoque cras Socrates disputaturus est in palæstra, contingens est, quod hoc ex libero venit arbitrio. Ergo in hujusmodi contingentibus si in futuro una semper vera est, altera semper falsa, et una definite vera, altera falsa definite, et res verbis congruerent, omnia necesse est esse, vel non esse, et quidquid fit ex necessitate fit, et nihil neque possibile est esse, quod possibile sit non esse, neque liberum erit arbitrium, neque in rebus ullus casus erit, in omnibus necessitate dominante. In his namque, id est in singularibus contradictionibus verum dicere uterque non potest. Contradictoriæ enim erant quæ simul esse non possunt, sed nec utræque, id est negationes atque affirmationes falsæ esse in contradictoriis possunt. Illæ enim erant contradictoriæ, quæ simul esse non poterant. Quare unus verum dicturus est, unus falsum. Quod si nihil datur in hujusmodi rebus, id est contingentibus instabile, eventus ordine et incerta veritatis et falsitatis enuntiatione provenire, quidquid verum dicitur in affirmatione definite, hoc definite esse necesse est, quidquid falsum dicitur in negatione, hoc non esse necesse est. Omnia igitu ex necessitate aut erunt, aut ex necessitate no erunt. Nihil ergo nec casus, nec liberum arbitrium nec possibilitas ulla in rebus est. Siquidem ten cuncta necessitas. Aristoteles vero sumens istam h potheticam propositionem, si omne quod in futuro citur, aut verum definite, aut falsum est definite, o nia ex necessitate fieri, et nihil casu, nihil judic nihil possibilitate ea convenienti, ordine monstr et hoc posito, unam veram, alteram definite fals esse, omnia ex necessitate contingere. Ex conse rerum propositionem demonstrat hoc modo. Pro nit enim hanc conditionem, et hanc veram esse rerum ipsarum necessitate confirmat. Est au conditio, si omnis affirmatio vel negatio in futu ducta, vera vel falsa est definite, et omne quid fit ex necessitate fieri, et nihil, neque casu, neque propria et libera voluntate atque judicio, nec vero aliqua possibilitate, quæ omnia utrumlibet vocabulo nuncupavit. Ponit enim hanc conditionem dicens: Nam si omnis affirmatio vel negatio vera vel falsa est, subaudiendum est definite, et omne necesse est esse vel non esse; si hic quidem dicat futurum aliquid, ille vero non dicat hoc idem ipsum, manifestum est, quoniam necesse est verum dicere, alterum ipsorum, si omnis affirmatio vel negatio vera vel falsa est, utræque enim non erunt simul in talibus. Ergo sensus hujusmodi est: Si omnis, inquit, affirmatio vel negatio vera, vel falsa est definite, et omne necesse est, aut esse, aut non esse, quod vel affirmatio ponit, vel negatio perimit. Nam si quilibet dixerit esse aliquid, et alius dixerit idem ipsum non esse, unus quidem affirmat, alius vero negat; sed in affirmatione et negatione, quæ in contradictione po-

nuntur, una semper vera est, altera falsa. Neque enim fieri potest ut utræque sint veræ, non enim nunc sermo est, aut de subcontrariis, aut de indefinitis. Namque subcontrariæ, id est particularis negatio et affirmatio particularis, et indefinitæ utræque veræ in eodem esse poterant. Contradictoriæ autem minime, neque enim fieri potest ut hæ quæ vel in singularibus contradictiones sunt, vel in universalibus angulariter opponuntur, simul unquam veræ sint. Hoc enim est quod ait, utræque enim non erunt simul in talibus, id est, utræque enuntiationes non erunt veræ in enuntiationibus contradictoriis, posita ergo hac conditione, si omnis affirmatio definite vera vel falsa sit, omnia ex necessitate evenire. Hanc ipsam rerum ipsarum, et propositionum consequentiam, et similitudinem monstrare contendit, dicens: Nam si verum est dicere quoniam album, vel non album est, necesse est esse album, vel non album; et si est album, vel non album, verum est affirmare vel negare, et si non est, mentitur, et si mentitur, non est: quare necesse est affirmationem vel negationem veram esse vel falsam. Omnis, inquit, affirmatio omnisque negatio cum rebus ipsis, vel vera, vel falsa est. Hujus autem rei exempla ex præsentibus sumit. Nam sicut se habent secundum necessitatem in præsenti tempore enuntiationes, ita se habent, et in futuro. Speculemur igitur in præsenti, quæ sit rerum propositionumque necessitas. Si qua enim propositio de qualibet re dicta vera est, illam rem quam dixit, esse necesse est. Si enim dixerit, quoniam nix alba est, et hoc verum est, veritate propositionis sequitur necessitas rei. Necesse est enim nivem esse albam, si propositio quæ de eadem re prædicata est, vera est. Quod si dixerit quis non esse albam picem, et hæc vera est, manifestum est rem quoque propositionis consequi veritatem. Amplius quoque propositiones rerum necessitates sequuntur; si enim est aliqua res, verum est de ea dicere quoniam est, et si non est aliqua res, verum est de ea dicere quoniam non est, ita secundum veritatem affirmationis vel negationis necessitas rei substantiam sequitur, et rerum necessitas propositionum comitatur necessitatem, atque hoc quidem in veris, in falsis quoque idem est, e contrario. Nam si falsa est affirmatio, rem de qua loquitur non esse necesse est, ut si falsa est affirmatio quæ dicit picem esse albam, non esse albam picem necesse est. Rursus si falsa est negatio quæ dicit nivem non esse album, nivem esse album necesse est. Rursus si res non est, affirmatio quoque de ea re necessario falsa est. Quod si rursus res non sit, id quod potest dicere, falsa negatione sine ulla dubitatione, illa negatio falsa est, et hoc esse necesse est, ut quoniam de nive potest dicere falsa negatio, quoniam alba non est, hoc ipsum quod falsa negatio dicit, id est album non esse, non est. Nix enim non alba non est. Quare rerum necessitati falsitas utraque convertitur, nam si est aliquid, vere de eodem dicitur, quoniam est, et si vere dicitur illam rem de qua vere aliquid prædicatur esse necesse est; quod si non est id quod dicitur, falsa enuntiatio est, et si enuntiationes falsæ sunt, res non esse necesse est. Quod si hæc ita sunt, positum est autem omnem affirmationem et negationem veram esse definite, quoniam propositionum veritatem vel falsitatem rerum necessitas secundum esse vel non esse consequitur: esse quidem secundum veritatem, ut dictum est, non esse secundum falsitatem. Nihil sit casu, neque libera voluntate, neque aliqua possibilitate. Hæc enim quæ utrumlibet vocamus talia sunt, quæ cum nondum sunt facta et fieri possunt, et non fieri. Si enim facta sunt, non fieri potuerunt, ut hodie me librum Virgilii legere, quod nondum feci, potest quidem non fieri, potest etiam fieri, quod si fecero, potui non facere. Hæc igitur hujusmodi sunt quæcunque utrumlibet dicuntur. Utrumlibet autem quid sit ipse planius demonstrat, dicens:

Utrumlibet enim nihil magis sic vel non sic se habet, aut habebit.

Est enim utrumlibet quod, vel ad esse, vel ad non esse æqualiter se habet, id est neque illud esse necesse sit, neque non esse necesse sit. Putaverunt autem quidam, quorum stoici quoque sunt, Aristotelem dicere, in futuro contingentes nec veras, nec falsas, quod enim dixit nihil se magis ad esse habere quam ad non esse, hoc putaverunt tanquam nihil eas interesset falsas an veras putari, neque veras enim neque falsas esse arbitrati sunt, sed falsum est; non enim Aristoteles hoc dicit, quod utræque nec veræ, nec falsæ sint, sed quod una quidem ipsarum quælibet aut vera aut falsa est. Non tamen quemadmodum in præteritis definite, nec quemadmodum in præsentibus, sed enuntiativarum vocum duplicem, quodammodo esse naturam, quarum quædam essent in quibus non modo verum et falsum inveniretur, sed in quibus, etiam unam esse definite veram, alteram definite falsam, in aliis vero una quidem vera, altera falsa, sed indefinite, et commutabiliter, et hoc per suam naturam, non ad nostram ignorantiam atque notitiam. Quocirca recte dictum est, si omnis affirmatio vel negatio vera definite esset, nihil fieri neque esse, vel casu, vel a communi nomine utrumlibet, nec esse aut non esse contingenter, sed aut esse, aut non esse definite, sed magis ex necessitate omnia. Hoc enim consequitur eum qui dicit, aut eum qui affirmat verum esse, aut eum qui negat; quod si hoc verum esset, similiter cum veritate, vel fieret, vel cum falsitate non fieret, et quod vere falseve ab enuntiationibus dicebatur. Quod si hoc impossibile est, et sunt quædam res quæ necessitate non sunt. Videmus aut quasdam esse casu, quasdam ex voluntate, quasdam ex propria possibilitate naturæ, frustra putatur sicut in præteritis, ita quoque in futuris enuntiationibus, unam esse veram, alteram falsam definite. Quare his quidem una fuit ejus argumentatio, aliam vero quasi ipse sibi opponens aliquam quæstionem ingreditur validiore tractatu.

Amplius si est album nunc, verum erat dicere prius, quoniam erit album, quare semper fuit verum dicere,

quodlibet eorum quæ facta sunt,quoniam est,vel erit. Quod si semper fuit dicere, quoniam est vel erit, non potest hoc non esse, vel non futurum esse. Quod autem non potest non fieri, impossibile est non fieri. Et quod impossibile est non fieri, necesse est fieri. Omnia ergo quæ futura sunt, necesse est fieri, nihil igitur utrumlibet, neque casu erit, nam si casu, non ex necessitate.

Ad astruendum non esse omnes enuntiationes veras definite in futuro vel falsas,ex eadem argumentationis virtute, et ex eodem possibilitatis eventu, diversam tamen ingreditur argumentationis viam. Dudum enim ex his quæ nondum erant facta,si vere futura esse prædicerentur, in rebus necessitatem solam esse posse collegit.Nunc autem ex his rebus quæ factæ sunt,argumentationem capit,si vere antequam fierent prædicerentur, necessitatis nexu eventus rerum omnium contineri;arbitrantur enim hi qui dicunt contingentium quoque propositionum stabilem esse enuntiationis modum secundum veritatem scilicet atque mendacium,quod omnia quæcunque facta sunt, inquiunt, potuere prædici, quoniam fient. Hoc enim in natura quidem fuit ante, sed nobis hoc rei ipsius patefecit eventus. Quare si omnia quæcunque evenerint sunt, et ea quæ sunt futura esse prædici potuerunt necesse est omnia quæ dicuntur, aut definite vera esse, aut definite falsa,quoniam definitus eorum eventus secundum præsens tempus est. Quare in omnibus in quibus aliquid evenit, verum erat dicere, quoniam eventurum est,et si nondum adhuc factum est.Hoc autem illa res probat verum fuisse tunc dici, quoniam evenit id quod prædici potuerat,quod si prædictum esset,res eventura definita veritate prædiceretur. Hoc Aristoteles sumens ad idem impossibile validissima ratione perducit,et præsentis temporis naturam cum futuri enuntiatione conjungit.Ait enim simile esse de præsentibus enuntiare secundum veritatis necessitatem et de futuris. Nam si verum est dicere, quoniam est aliquid, esse necesse est, et si verum est dicere, quoniam erit,futurum esse sine dubio necesse est. Omnia igitur ex necessitate futura sunt, ad idem,scilicet, impossibile argumentationem trahens.Sumit autem hujus impossibilitatis ordinem ex his propositionibus quæ faciliores quidem ad intellectum sunt, idem tamen valent hoc modo: Si semper, inquit, verum est dicere, quoniam est, vel erit, quidquid enim tunc verum fuit prædicere, illud non potest non esse,nec non futurum esse,quemadmodum enim id quod in præsenti vere dicitur esse, hoc non potest non esse, et vera de ea propositio fuit, quæ dicebat esse, ita quoque in futuro quæ dicit aliquid futurum esse,illa si vera est, non potest non futurum esse quod prædicit. Quod si non potest non fieri quod a vera propositione prædicitur, impossibile est non fieri.Idem enim est dicere, non potest non fieri, quod dicere; impossibile est non fieri. Quod autem impossibile est non fieri, necesse est fieri. Impossibile enim idem necessitati valet contrarie prædicatum, ut docuit. Nam quod impossibile est ess est non esse. Quod necesse est ut sit, non est illud non esse, quod enim ut bile non est, non esse necesse est. Quod et contraria se eodem modo habebunt.Qu possibile non esse,hoc esse necesse est.S est ea quæ vero prædicantur impossibile esse, hoc autem est ex necessitate esse. quæ prædicuntur ex necessitate futura s igitur utrumlibet,neque casu,neque omni dum liberum arbitrium, quod utrumlibet tio totum clausit.Nam quod dicit utrumli billitatem, et casum,et liberum in signifi bitrium tenet. Ergo nihil fit casu. Nam fieri casu dicat,ille rursus in ea re perim tatem, quod enim casu est, non ex nece nihil autem fit casu,quoniam omnia ex proveniunt, quæcunque enuntiatio vera Evenit,autem hujusmodi impossibilitas concessum est prius, omnia quæcunque definite vere prædici potuisse.Nam si ex contingit id quod evenit,verum fuit dicer erit,quod si ex necessitate non contingit, genter, non potius verum fuit dicere quo sed magis quoniam contingit esse;nam qui ille quamdam necessitatem in ipsa prædica Hoc inde intelligitur,quod si vere dicat fu id quod prædicitur, impossibile fit non fi tem ex necessitate sit fieri, ergo qui dici erit aliquid eorum quæ contingenter eve quod futurum esse dicit,id quod contingen fortasse mentitur; vel si contigerit res prædicit,ille tamen mentitus est,non eni falsus est, sed modus prædicationis. N oportuit dicere, cras bellum navale co eveniet, hoc est dicere, ita eveniet si e potuerit non evenire. Hoc ergo qui dicit, cit. Eventum enim contingenter prædixi tem ita dicit,cras erit bellum navale,qu sit,ita pronuntiat,quod si evenerit,non j quia prædixit,verum dixerit,quoniam id tingenter eventurum erat, necessarie fut prædixit.Non ergo in eventu est falsitas, dicationis modo.Quemadmodum enim si q ambulante dicat: Socrates ex necessitate ille mentitus est non in eo quod Socrate sed in eo quod ille ex necessitate eum amb dicavit, ita quoque in hoc: Qui dicit qu aliquid, etiam si hoc fiat, ille tamen fals in eo quod factum est,sed in eo quod non est, ut ille prædixit futurum. Quod si ve definite, ex necessitate esset futurum.Ig cessitate futurum esse prædixit, quodcu ullo alio modo eventurum pronuntiavit. in eventu rei,sed in prædicationis enunt sitas invenitur. Oportet enim in contingi aliquid prædicere, si vera erit enuntiatio quidem futurum esse aliquid,sed ita,ut

linquat esse possibile, ut futurum non sit. Hæc autem est contingentis natura, contingenter in enuntiatione prædicare. Quod si quis simpliciter id quod fortasse contingenter eveniet, futurum esse prædixerit, ille rem contingentem necessarie futuram prædixit. Atque ideo etiam si evenerit id quod dicitur, tamen ille mentitus est, in eo quod hoc quidem contingenter evenit, ille autem ex necessitate futurum esse prædixerat. Cum ergo sint quatuor enuntiationem veritatis et falsitatis modi, de his scilicet propositionibus quæ in futuro prædicantur. Aut quoniam erit, et non erit id quod dicitur, id est, ut et affirmatio et negatio vera sit, aut quoniam nec erit, nec non erit, id est, ut affirmatio et negatio falsæ sint, aut quoniam erit aut non erit, una tamen definite vera, altera falsa, aut rursus quoniam erit aut non erit, utrisque secundum veritatem et falsitatem indefinitis, et æqualiter ad veritatem mendaciumque vergentibus docuit quidem supra, et esse et non esse fieri non posse, cum dixit. Utræque enim simul non erunt in talibus. Docuit etiam aliquantisper aut esse aut non esse definite, in contingentibus et futuris propositionibus esse non posse. Nunc illud addit: Quod neque esse, neque non esse, id est quod nec illud dici vere possit, posse utrasque inveniri falsas, quæ dicuntur in futuro propositiones. Quod si neque utræque veræ sunt, neque utræque falsæ, neque una definite vera, falsa altera definite. Restat ut una quidem vera sit, altera falsa, non tamen definite, sed utrumlibet et instabili modo, ut hoc quidem aut hoc evenire necesse sit, ut tamen una res quælibet quasi necessarie et definite proveniat aut non proveniat fieri non possit. Quemadmodum autem utrasque falsas non esse demonstraret, hic inchoat.

At vero nec quoniam verum est, neutrum contingit dicere, ut quoniam neque erit, neque non erit. Primum enim cum sit affirmatio falsa, erit negatio non vera, et cum hæc sit falsa, contingit affirmationem esse non verum. Adhæc si verum est dicere, quoniam album est et magnum, oportet esse utrumque; si vero erit cras, oportet esse cras, si autem neque erit neque non erit cras, non erit utrumlibet, ut navale bellum, oportet enim neque navale bellum, neque non fieri.

Sensus argumentationis hujusmodi est: Nec illud, inquit, dici poterit, quod contingentium propositionum neutra vera sit in futuro. Hoc autem nihil differt dicere quam si quis dicat utrasque esse falsas, hoc enim impossibile est in contradictionibus. Nam utræque falsæ inveniri non possunt, hoc enim proprium contradictoriarum est, ut proprietatem contrariarum fugiant, propositiones ergo contradictoriæ ut proprietatem subcontrariarum fugiuntin eo quod simul veræ esse non possunt, ita quoque contrariarum proprietatem vitant, in eo quod simul falsæ non reperiuntur. Habent ergo propriam naturam, ut neque falsæ simul sint, neque veræ, quare una ipsarum semper vera, semper altera falsa. Impossibile est igitur cum sit falsa negatio, non veram esse affirmationem, et rursus cum sit falsa affirmatio, negationem esse non veram. Igitur nec hoc est dicere, quod utræque non veræ sint. Quod per hoc dixit quod ait, at vero nec quoniam neutrum verum est, contingit dicere, id est, non nobis contingit dicere, hoc est impossibile est dicere, quoniam neutrum verum est dicere, scilicet quod in affirmationibus et negationibus quæ proponuntur, contingentibus scilicet et futuris. Qui autem Aristotelem arbitrati sunt, utrasque propositiones in futuro falsas arbitrari, si hæc quæ nunc dicit diligentissime perlegissent, nunquam tantis laberentur erroribus. Neque enim idem est dicere neutra vera est quod dicere neutra vera est definite. Futurum enim esse cras navale bellum, et non futurum, non dicitur, quoniam utræque omnino falsæ sint, sed quoniam neutra vera sit definite, aut quælibet ipsarum definite sit falsa, sed hæc quidem vera, illa vero falsa, non tamen una ipsarum definite, sed quælibet illarum contingenter. His autem adjecit aliud quidam dicens, si propositionum veritas ex rerum substantia pendet, ut quidquid verum est in propositionibus dicere, hoc esse necesse est, si verum est dicere, quoniam erit album aliquid, veritatem propositionis sequitur rei necessarius eventus. Quod si quis dicat quamlibet illam rem cras albam futuram, si hoc vere dixerit, cras ex necessitate alba futura est. Sic igitur si quis verum dicat neutram esse veram propositionum earum quæ in futuro dicuntur, necesse est id quod dicitur, et significatur ab illis propositionibus, nec esse, nec non esse, falsa enim et affirmatione et negatione, nec quod affirmatio dicit fieri potest, nec quod negatio, ergo ex necessitate neutrum fit, quod vel affirmatio dicit, vel negatio. Ergo si dicat affirmatio cras bellum navale futurum, quoniam falsa est, non erit cras bellum navale. Rursus si idem neget negatio dicens, non erit cras bellum navale, quoniam hæc quoque falsa est, erit cras navale bellum. Quare neque erit bellum navale, quia affirmatio falsa est, nec non erit bellum navale, quia negatio falsa est. Sed hanc ineptiam, nec animus sibi ipse fingere potest. Quis enim unquam dixerit, rem aliquam ex necessitate nec esse, nec non esse? quod ille scilicet dicit qui dicit utrasque propositiones in futuro falsas existere.

Quæ ergo contingunt inconvenientia, hæc sunt et alia hujusmodi, si omnis affirmationis et negationis, vel in his quæ de universalibus dicuntur universaliter, vel in his quæ sunt singularia, necesse est, oppositarum hanc quidem veram esse, illam vero falsam. Nihil, autem utrumlibet esse in his quæ fiunt, sed omnia esse et fieri ex necessitate. Quare non oportebit neque consultare, neque negotiari, ut si hoc facimus, erit hoc, si vero non hoc, non erit hoc. Nihil enim prohibet in millesimum annum hunc quidem dicere hoc futurum esse, illum vero non dicere. Quare ex necessitate erit, quodlibet eorum, quod tum ab eo verum erat dicere.

Omnia in futuro vel vera vel falsa esse definite in propositionibus arbitrantes, impossibilitas ista consequitur. Nihil enim neque ex libero voluntatis arbi-

trio,neque ex aliqua possibilitate, neque ex casu quidquam fieri potest,sed omnia necessitati subjecta sunt, quanquam quidam non dubitaverunt dicere, omnia ex necessitate esse,et quibusdam artibus conati sunt id quod in nobis est cum rerum necessitate conjungere. Dicunt enim quidam quorum sunt stoici, omnia quæcunque fiunt,fati necessitate provenire, omnia quæ fatalis agit ratio,sine dubio ex necessitate contingere. Sed illa esse sola in nobis, et ex voluntate nostra, quæcunque per voluntatem nostram,et per nos ipsos vis fati complet ac perficit, neque enim,inquiunt, voluntas nostra in nobis est, sed idem volumus idemque nolumus,quidquid fati necessitas imperavit,ut voluntas nostra quoque ex fato pendere videatur,ita quoniam per voluntatem nostram quædam ex nobis fiunt, et ea quæ fiunt in nobis fiunt,quoniamque voluntas ipsa ex necessitate fati est, quæ nos nostra facimus voluntate, quia necessitas imperavit,ea ipsa impulsi facimus necessitate. Quare hoc modo significationem liberi arbitrii permutantes, necessitatem et id quod in nobis est conjungere impossibiliter et copulare contendunt. Illud enim in nobis est liberum arbitrium, quod sit omni necessitate vacuum,et ingenuum,et suæ potestatis, quorum nos domini quodammodo sumus vel faciendi,vel non faciendi;quod si voluntates quoque nostri fati nobis necessitas imperet,in nobis voluntas ipsa non erit, sed in fato, nec erit liberum arbitrium, sed potius serviens necessitati. Unde fit qui omnes actus eventuum necessitate constringunt,dicant poplitem quoque nos non flectere nisi fatalis necessitas jusserit. Caput quoque non scalpere, quare nec lavare, nec agere aliquid. His etiam adjiciam vel aliquid feliciter, vel aliquid infeliciter facere,vel pati,unde fit ut neque casum, neque liberum arbitrium,nec possibile in rebus ullum esse contendant, quamvis liberum destruere metuentes arbitrium, aliam ei fingant significationem,per quam nihilominus libera hominis voluntas evertitur. Aristotelica vero auctoritas, ita hæc in rebus posita, et constituta esse confirmat, ut non exponat nunc quid sit casus,quidve possibile, quidve in nobis,nec ea esse in rebus probat atque demonstrat,sed in tantum apud illum hæc in rebus esse manifestum est,ut opinionem qua quis arbitratur, enuntiationes in futuro omnes veras esse, per hoc impossibilem esse dicat, quod casum et possibilitatem,liberumque evertat arbitrium. Hæc enim in rebus ita constituta putat,ut non de his ulla opus sit demonstratione, sed impossibilis ratio judicetur, quæcunque vel possibile,vel casum, vel id quod in nobis est conatur evertere. Et causum quidem quemadmodum definita in propositionibus futuris destruat veritas supra monstravit. Nunc autem quemadmodum eadem ipsa veritas definita futurarum et contingentium propositionem tollat liberi arbitrii facultatem,maxima vi argumentationis exsequitur dicens: Hujusmodi cuncta contingere impossibilia; si quis unam enuntiationis partem definite veram vel falsam esse confingat. Sed nos secuti Porphyrium cum hujus disputationis expositionem cepimus, id quod prius dixit in singularibus et futuris ob hoc dixisse prædiximus,quod facilior sit intellectus disputationis,si hæc prius in singularibus perspicerentur, de quibus singularibus diligentissime præloculus,nunc de universalibus universaliter prædicatis, et de his quæ in eis fiunt contradictiones loquitur. Ita enim dicit: Si omnis affirmationis et negationis vel in his quæ in universalibus dicuntur universaliter, vel in his quæ sunt singularia, necesse est oppositarum hanc quidem esse veram, illam vero falsam. Alexander autem in singularibus et futuris dixisse eum arbitratur,tanquam si diceretur,in his futuris quæ in generatione et corruptione sunt. Sunt enim quædam futura quæ in generatione et corruptione non sunt, ut quod de sole et luna et de cæteris cœlestibus pronuntiatur, hæc vero quæ sunt in rebus his quarum est, et nasci et corrumpi natura, unam semper non necesse est veram esse,alteram falsam. Sed neutram ego improbo expositionem. Utræque enim verissima ratione firmantur. Omnis autem sensus talis est quod necessitatem solam in rebus imperare destruit Aristoteles, omne enim quod natura est, non frustra est. Consiliari autem homines naturaliter habent. Quod si necessitas in rebus sola dominabitur, sine causa est consiliatio. Sed consiliatio frustra non est. Natura enim est. Non igitur in rebus potest cuncta necessitas. Ordo autem se sic habet: Quæ ergo, inquit, contingunt inconvenientia, hæ sunt et hujusmodi alia, scilicet quoniam qui est in rebus casus evertitur. Alia vero quoniam possibilitas et liberi arbitrii voluntas amittitur. Et hæc quomodo contingunt, ipse secutus est dicens: Si omnis affirmationis et negationis vel in his quæ in universalibus dicuntur universaliter,vel in his quæ sunt singularia,necesse est oppositarum hanc quidem veram esse,illam vero falsam. Nihil autem utrumlibet esse in his quæ fiunt, sed omnia esse et fieri ex necessitate. Tunc enim inconvenientia illa contingunt, si omnis affirmatio et negatio definite vera vel falsa est,aut in his contradictionibus quæ in universalibus angulariter fiunt,sive in singularibus. Tunc enim nihil est utrumlibet,sed ex necessitate omnia, quoniam veritatem et falsitatem propositionum rerum eventus ex necessitate consequitur. Quare (ut ipse ait) non oportebit neque consiliari neque negotiari, quoniam si hoc facimus, erit hoc, si vero non, hoc non erit hoc. Evertitur enim consiliatio, si frustra est, frustra autem eam dicit esse,quisquis in rebus solam ponit fati necessitatem. Cur enim quis consilium habeat si nihil ex eo quod consiliatur efficiet, cum administret cuncta necessitas? Quare non oportebit consiliari,vel si quis consiliatur,negotiari non debet. Negotiari autem est, actu aliquid et negotio agere,non lucrum, sed aliquam causam vel actum. Nihil enim ipse per actum suum consiliumque expediret, nisi fati necessitas jubeat. Docuit autem quid esse consiliatio per id quod ait, quoniam si hoc fa-

cimus, erit hoc, si vero non hoc, non erit hoc. Ita enim semper fit consiliatio, ut si sit Scipio, ita consiliatur. Si in Africam exercitum ducam, cladem Hannibalis ab Italia removebo ; si vero non ducam, non eripietur Italia. Hoc est enim dicere: Si hoc faciam, ut si in Africam exercitum ducam, erit hoc, id est eripietur Italia; si vero non hoc, id est si hic mansero, non erit hoc, id est non eripietur Italia. Et in aliis omnibus rebus eodem modo. Simul autem monstravit in consiliis non esse necessitatem. Si enim hoc, inquit, faciam, hoc erit, et si non, hoc non erit; quod si necessitas esset in rebus, sive hoc quis faceret, sive non faceret, quod necesse esset eveniret. Quare quod consilii ratione fit, non fit violentia necessitatis. Adjunxit autem ei quod est consiliari negotiari, et est ordo hoc modo. Quare non oportebit, neque consiliari, quoniam si hoc facimus, erit hoc. Si vero non hoc, non erit hoc, nihil enim prohibet in millesimum annum hunc quidem dicere, hoc futurum esse, hunc vero non dicere. Quare ex necessitate erit, quodlibet eorum verum erat dicere tunc. Neque negotiari, id est actum incipere atque negotium gerere, prior est enim consiliatio, posterius negotium, sed negotium post consiliationem posuit, et cuncta quæ ad consiliationis naturam addi oportebat, post negotiationis subdidit interpositionem. Est autem ordo hoc modo : Si omnia, inquit, necessitas agit, non oportet consiliari, quoniam si hoc facimus proveniet hoc nobis, si vero hoc non facimus, non proveniet. Nihil enim prohibet frustra unum dicere, alterum negare dicentem : Si hoc facimus, hoc erit aut non erit, quod enim venturum est fiet, sive ille per consilium conjecte hoc posse fieri, etiam si quid aliud fecerit, sive ille per consilium neget hoc posse fieri, etiam si hoc quod dixit faciat. Ex necessitate enim futurum est, quidquid unus ipsorum verum dixerit. Quod si consiliari omnino non oportet, nec negotiari oportebit, id est nullum incipere negotium. Sive enim quis incipiat, sive non incipiat, quidquid ex necessitate est, sine ulla dubitatione proveniet. Quare nihil alter homo distabit ab altero homine. Eo enim meliores homines judicamus, quod meliores sunt in consilio, sed ubi consiliatio frustra est cuncta necessitate faciente, homines quoque inter se nihil differunt. Ipsa enim consiliatio nihil differt, utrum bona an mala sit, cum proventus necessitas in fati administratione consistat. Quare si boni consilii homines laude digni sunt, mali consilii vituperatione. Non aliter hoc erit juste, nisi vel malus actus malumque consilium, et econtrario bonum in nostra sit potestate et non facto. Cum enim nulla ex necessitate constringatur eventus rei, tunc et liberum voluntatis arbitrium est, ut non sit fatali serviens necessitati. Ergo neque qui in hoc mundo simplices rerum ordines posuere, recipiendi sunt, et hi qui impermista hac mundana mole, non permistas quoque actorum causas accipiunt, repudiandi. Nam neque qui casu omnia evenire dicunt, recte arbitrantur, neque qui omnia necessitatis violentia fingunt, sana opinione tenentur, neque enim omnia ex libero esse arbitrio manifestum est, sed horum omnium, et causæ mistæ sunt, et eventus. Sunt enim quædam ex casu, sunt aliqua ex necessitate, quædam etiam videmus libero teneri judicio, et actuum quidem nostrorum voluntas in nobis est. Nostra enim voluntas domina quodammodo est nostrorum actuum, et totius vitæ rationis, sed non eodem modo eventus quoque in nostra est potestate. Pro alia namque re aliquid ex libero arbitrio facientibus ex eisdem veniens causis casus interstrepit, ut cum scrobem demittens quis, ut infodiat vitem, si thesaurum inveniat, scrobem quidem demittere ex libero venit arbitrio, invenire autem thesaurum solus attulit casus, eam tamen causam habens casus, quam voluntas attulit. Nisi enim foderet scrobem, thesaurus non esset inventus. Quidam autem eventus nostris voluntatibus suppetit. Quosdam impedit quædam violenta necessitas. Prandere enim et legere, et alia hujusmodi sicut ex nostra voluntate sunt, ita quoque eorum, sæpe ex nostra voluntate pendet eventus. Quod si nunc imperare Persis velut Romanus, arbitrium quidem voluntatis in ipso est, sed hunc eventum durior necessitas retinet, et ad perfectionem vetat adduci. Itaque omnium rerum et casus, et voluntas, et necessitas dominantur. Nec una harum res in omnibus ponenda est, sed trium mista potentia, unde fit ut peccantium animus magis consideretur potius quam eventus, et puniatur animus non perfectio, idcirco quod voluntas quidem nobis libera est, sed aliquoties perfectionis ordo retinetur. Quod si omnia vel casu vel necessitate fierent, nec laus digna bene facientibus, nec ultio delinquentibus, nec leges ullæ essent justæ, quæ aut bonis præmia, aut malis restituerent pœnas. Venio nunc ad illud quod multis quæritur modis, an divinatio maneat, si non omnia in rebus ex necessitate contingant. Nam quod in vera prædicatione est, idem est in scientia. Et sicut cum quis verum prædicit, quod vere prædicitur esse necesse est. Ita quod quis futurum novit, illud futurum esse necesse est. Sed divinatio non novit sic omnia ut ex necessitate futura pronuntiet. Atque idcirco frequenter ita divinatur, quod facillime in veterum libris agnoscitur. Hoc quidem eventurum est. Sed si hoc fit, non eveniet. Quasi interdici possit, et alio modo evenire. Quod si ita est, necessitate non evenit. Utrum autem si omnia futura sciat Deus, omnia esse necesse est, ita quæramus. Si quis dicat Dei scientiam de futuris eventuum subsequi necessitatem, is profecto conversurus est, si omnia ex necessitate non contingunt, omnia Deum scire non posse. Nam scientiam Dei sequitur eventuum necessitas, si necessitas eventuum non sit, divina scientia perimitur. Et quis tam impia ratione animo torqueatur, ut hoc de Deo dicere audeat ? Sed fortasse quis dicat, quoniam evenire non potest ut Deus omnia futura non noverit, hinc evenire ut omnia ex necessitate sint, quoniam Deo notitiam rerum futurarum tollere nefas est. Sed si quis hoc dicat, illi videndum est, quod Deum dum omnia

scire conatur, efficere omnia nescire contendit. Binarium enim numerum esse imparem si quis se scire propɔnat,non ille noverit,sed potius nescit.Ita quoque non est potentiæ nosse, sed id arbitrari nosse potius impotentiæ est.Qui ergo dicit Deum cuncta nosse et ob hoc cuncta ex necessitate esse futura,is Deum dicit ex necessitate cuncta ventura credere, quæcunque ex necessitate non eveniunt.Nam si omnia ex necessitate ventura novit Deus,in notione sua fallitur,non enim omnia ex necessitate eveniunt,sed aliqua contingenter.Ergo si quæ contingenter eventura sunt ex necessitate eventura noverit,in propria providentia falsus est.Novit enim futura Deus non ut ex necessitate evenientia, sed ut contingenter, ita ut etiam aliud posse fieri non ignoret, quod tamen fiat ex ipsorum hominum et actuum ratione persciscat.Quare si quis omnia ex necessitate fieri dicat, Deo quoque benevolentiam subripiat necesse est, nihil enim illius benignitas parit, quandoquidem cuncta necessitas administrat,ut ipsum Dei benefacere ex necessitate quodammodo sit,et non ex ipsius voluntate, nam si ex ipsius voluntate quædam fiunt,ut ipse nulla necessitate claudatur,non omnia ex necessitate contingunt.Quis igitur tam impie sapiens Deum quoque necessitate constringat? qui si omnia ex necessitate fieri dicat, ista quoque vis impossibilitas veniet. Quare ponendum in rebus est casu quædam posse,et voluntate effici, et necessitate constringi. Et oratio quæ utrumvis horum subruit,impossibilis judicanda est.Non igitur immerito Aristoteles ad impossibilem rationem perducit dicens, et possibilitatem, et casum,et liberum arbitrium deperire, quod fieri nequit,si omnium futurarum enuntiationum una semper vera est definite, falsa semper altera definite. Harum enim veritatem et falsitatem necessitas consequitur, quæ et casum de rebus et liberum subducat arbitrium. Unde nunc quoque idem repetit dicens : Nihil impedire utrum aliquis ante mille annos aliquid futurum esse dicat,an alius neget, non est enim ut propter dicere vel negare cuncta facienda sint vel non facienda,sed si necesse est, dicentem vel negantem,res quoque affirmatas vel negatas subsequi, etiam si illi non dicant quæ illis dicentibus evenire necesse erat, etiam non dicentibus evenire necesse est, dicit autem hoc modo :

At vero neque hoc differt, si aliquis dixerit contradictionem, vel non dixerit, manifestum est enim quoniam sic se habent res,etiam si non hic quidem affirmaverit, ille vero negaverit.Non enim propter negare vel affirmare, erit vel non erit, nec in millesimum annum magis quam in quantolibet tempore. Quare si in omni tempore sic se habebat,ut unam diceretur vere, necesse erit hoc fieri, et unumquodque eorum quæ fiunt, sic semper se habebat, ut ex necessitate fieret. Quando enim vere dicit quis quoniam erit, non potest non fieri, et quod factum est,verum erat dicere semper quoniam erit.Quod si hæc non sunt possibilia, videmus enim esse principium futurorum,et ab eo quod consultamus, atque agimus aliquid.

A Eventum necessarium rerum Aristoteles n
prædicentium veritate,sed ex ipsarum rerum n
considerans ait,quod licet necesse sit quisquis
aliqua vere prædixerit,rem quam ante pronun
rit evenire,non tamen idcirco rerum necessit
prædictionis veritate pendet, sed divinandi v
ex rerum potius necessitate perpenditur.Non
idcirco necesse est esse, quoniam verum a
prædictum est,sed quoniam necessario erat futi
idcirco de ea re potuit aliquid vere prædici,qu
ita est,eveniendi rei vel non eveniendi non est
is qui prædicit rem futurum esse vel negat.Non
propter affirmationem vel negationem esse ne
est,sed idcirco ea esse necesse est quæ futura
quoniam in natura propria quamdam habent r
B sitatem, in qua si quis incurrerit, verum est
prædicit.Ergo si quæcunque nunc facta sunt,v
de his fuisset dicere quoniam erunt,sive ille
set, sive non dixisset. Hæc quæcunque facta
sunt,erant ex necessitate futura, non enim pr
dicentem vel negantem in rebus necessitas es
propter rerum necessitatem veritas in pronunti
vel falsitas invenitur. Quare si etiam ea quæ
facta sunt vere potuissent prædici quoniam eri
his ita positis rem necesse esset evenire, si
prædicerent sive non prædicerent,necesse est
quod fit ex necessitate esse futurum, et nihi
nino utrumlibet in rebus est;namque si nihil
sitatem rerum adjuvat divinatio, et nihil in
utrum quis prædicat futurum esse aliquid,an
C an nullus omnino aliquid, nec in affirmatione
negatione prædicat, manifestum est quoniam
eb ulla distantia est : sive enim quis ante quid
multum tempus aliquid eventurum vere esse
dixerit, sive ante quamlibet paucos dies vel
vel momenta, nihil interest : sive enim
ante mille annos prædiceret, quod ex neces
esset futurum, sive ante annum vel mensem
diem, vel horam, vel momentum de necessit
eventuræ nihil moveret;quid enim interesset
prædiceretur an non prædiceretur? nihil quoq
terest an juxta prædicatur an longius. Quod s
ita sunt, et omnia quæcunque eveheruntfutura
necesse est, totum liberum arbitrium perit,
casus absumitur, rerum possibilia propter ne
tatem omnis excluditur. Simul autem Arist
D prænuntiationem eventumque contingens veru
cessitatem ex ipsa propositionum veritate con
dicens : Si hæc ita sunt, ut in omni tempore
haberet unumquodque quod factum est ut hoc
vere prædiceretur, necesse esset hoc fieri,
necesse esset quod prædictum est vere eve
unumquodque enim eorum quæ fiunt et vere p
cuntur sic se habet, ut ex necessitate fiat. Hoc
tur fiat hæc ratio est, quod enim vere quis dici
necesse est. Illa enim veritas ex necessitate
procreatur. Quod si etiam id quod factum est
citer prænuntiaretur futurum, nulla esset dul
omnia ex necessitate provenire.Quod si hoc,i

impossibile est(videmus enim quasdam res ex principio liberi arbitrii et ex nostrorum actuum fonte descendere),quid dubitamus frivolam rationem omnium rerum necessitatis excludere?et delectum humanæ vitæ interpositione necessitatis non absumere? quæ enim erit ulla discretio inter homines,si liberi arbitrii judicium perit?Cur postremum leges conditæ? Cur reipublicæ jura?Cur responsa sunt? Cur instituta?Cur mores publici et privati actus constitutionibus principum et judiciorum nexibus continentur,si certum est nihil humanis licere propositis, frustra enim cuncta sunt,si liberum arbitrium non est, leges enim et cætera ad continendos animos hominum conditas scimus.Quod si seipsi animi non regunt,et eos aliqua quædam violentia necessitatis impellit,dubitum non est quin vacuæ istæ leges sunt, quæ nihil sponte facientibus proponuntur.Sed hæc quam sint impossibilia ipse Aristoteles probat,cujus recta sententia neque casum, neque necessitatem, neque possibilitatem in utraque parte naturæ,neque liberum tollit arbitrium,sed cuncta permiscens,rebus pluribus arbitratur mundum compositum non sine plici vel casu,vel necessitate,vel liberæ voluntatis judicio contineri.Quod si hæc non sunt possibilia, videmus enim esse principium futurorum et ab eo quod consiliamur atque agimus aliquid.Impossibilia, inquit,ista sunt ut omnia ex necessitate proveniant. Sumus enim quorumdam nosipsi quoque principia, et animus noster ratione formatus,actionesque nostræ ea ratione directæ quarumdam rerum principium tenent.Sic enim id quod in nobis est se habere dicitur,nulloque extra impediente vel cogente ad quod nobis videtur ratione judicante prosilimus.Nec omnia necessitatibus surripienda sunt.Omnium namque animalium genus in eo quod animalia sunt subjectum est aliud naturæ, aliud cœlestibus siderum cursibus,aliud rationi quoque mentis et animi cogitationi.Arbores namque et quædam animalia irrationabilia. Illa quidem tantum naturæ subjecta sunt. Pecudes vero quia liberum non habent arbitrium cœlestium etiam decretis.Homines autem et naturæ et sideribus et propriæ voluntati subjecti sunt.Multa enim natura dominante vel facimus,vel patimur,ut mortem vel hujusmodi habitudinem corporis.Multa etiam secum rerum ipsarum necessitas trahit,ut ea quæ cum facere volumus,non tamen facere valemus. Multa autem dat voluntatis liberum arbitrium quæ nobis volentibus fiunt,quæ non fierent nisi vellemus, unde fit ut natura quæ motus est principium et liberi arbitrii facultate,et animi quoque ratione participet. Anima vero velut alligata corporibus,quibus natura dominatur,imaginationibus et cupiditatibus et iracundiæ ardoribus cæterisque,quæ afferunt corpora, ex ipsa cui illigata est natura participat.Cuncti autem divinæ providentiæ subjecti,ex illa quoque divinorum voluntate pendemus,itaque nec cœlestium necessitas tota subruitur, nec casum disputatio hæc de rebus eliminat,et liberum firmat arbitrium,sed hæc majora sunt quam ut nunc digne pertractari queant.Su- A mus igitur nos quoque rerum principia,et ex nostris consiliis atque actibus in rebus plura consistunt.Quod si ea quæ per hanc rationem afferuntur, perspicua sunt,quod vero ponitur,id est,affirmationem et negationem omnem in futuro veram esse, non æque perspicuum est,cur dubitamus mendacem subterfugere rationis viam,et tenere ea quæ cum vera,tum manifesta sunt,repudiatis his quæ nec veritate ulla firma sunt,nec perspicue clarescunt ? Et quoniam jam supra dixerat,quare non oportebit neque consiliari,neque negotiari,nunc hoc reddidit ad id quod ait neque consiliari,dicens nos esse principium futurorum,et ab eo quod consiliamur,ad id quod ait,neque negotiari reddidit id quod subjecit, atque agimus ut aliquid.Quare tanta brevitate oratio constricta est,ut in ea teneatur rationis ordinisque necessitas.

B *Et quoniam est omnino in his quæ non semper actu sunt, possibile esse et non esse similiter, in quibus utrumque contingit,et esse et non esse. Quare fieri et non fieri.Ac multa nobis manifesta sunt sic se habentia,ut quod hanc vestem possibile est incidi et non incidetur,sed prius exteretur,similiter autem et non incidi possibile est.Non enim esset possibile eam prius exteri,nisi possibile esset non incidi. Quare et in aliis fiendis quæ secundum potentiam hujusmodi dicuntur. Manifestum igitur est, quoniam non omnia ex necessitate vel sunt vel fiunt,sed alia quidem utrumlibet,et non magis vel affirmatio vel negatio vera est,alia vero magis quidem et in pluribus alterum,sed tamen contingit fieri et alterum, alterum vero minime.*

C Continuus quidem sensus ex superioribus hoc modo. Supra enim ait quod si hæc non sunt possibilia,id est ut omnia necessitas administret. Videmus enim a nobis quoddam esse principium futurorum et a nostris actibus, atque consiliis, his illud addit,quoniam sunt aliqua quæ possibilia sunt esse cum non sint,et non esse cum sint,hæc jam simul auferentur si necessitas in omnibus dominetur, et sensus quidem cum superioribus ita conjunctus est. Quid autem habeat argumentationis tota sententia, hoc modo perspiciendum est.Possibile esse dicitur quod in utramque partem facile naturæ suæ ratione vertatur,ut cum non sit,possibile sit esse,nec cum sit, ut non sit res ulla prohibeat, ita ergo et quod possibile dicimus a necessitate sejungimus. Aliter enim dicitur possibile me esse ambulare cum se-

D deam, aliter solem nunc esse in Sagittario et post paucos dies in Aquarium transegredi.Ita enim possibile est ut etiam esse necesse sit.Possibile autem dicere solumus,quod et cum non sit,esse possit,et cum sit,non esse iterum possit.Si quis ergo omnia necessitati subjecerit,ille naturam possibilitatis intercipit. Tres ergo sunt sententiæ de possibilitate. Philo enim dicit possibile esse,quod natura propria enuntiationis suscipiat veritatem, ut cum dico me hodie esse Theocriti Bucolica relecturum,hoc si nihil extra prohibeat, quantum in se est potest veraciter prædicari.Eodem autem modo idem ipse Philo necessarium esse definit,quod cum verum sit,quantum

in se est nunquam possit susceptivum esse mendacii, non necessarium autem idem esse determinat, quod quantum in se est, possit suscipere falsitatem. Impossibile vero secundum propriam naturam, nunquam possit suscipere veritatem. Idem tamen ipse et contingens et possibile unum esse confirmat. Diodorus possibile esse determinat, quod aut est aut erit, impossibile quod cum falsum sit, non erit verum, necessarium quod cum verum sit non erit falsum. Non necessarium, quod aut jam est aut erit falsum. Stoici vero possibile quidem posuerunt, quod susceptibile esset veræprædicationis, nihil his prohibentibus quæ cum extra sint, cum ipso tamen fieri contingunt. Impossibile autem quod nullam nunquam suscipiat veritatem, aliis extra eventum ipsius prohibentibus. Necessarium quod cum verum sit, falsam prædicationem nulla ratione suscipiat Sed si omnia ex necessitate fiunt, in Diodori sententiam non rectam sine ulla dubitatione veniendum est. Ille enim arbitratus est si quis in mari moreretur, eum in terra mortem non potuisse suscipere, quod neque Philo neque Stoici dicunt. Sed quanquam ista non dicant, tamen si unam partem contradictionis eventu necessitatis metiuntur, idem cum Diodoro sentire coguntur. Nam si quis in mari mortuus est, illum necesse fuit in mari necari, impossibile enim eum fuit mortem in terra suscipere, quod perfalsum est. Atque hæc omnia impossibilia subire coguntur. Quicunque enim definite alteram contradictionis partem in futuro veram esse contendunt, solam necessitatem in rebus inducunt. Neque enim si quis naufragio periit in pelago, idcirco si nunquam navigasset, immortalis in terra futurus fuisset. At vero non ex eventu rerum, sed ex natura eventus ipsos suscipientium propositionum contradictiones judicandæ sunt. Si enim mihi omnia suppetunt nunc ut Athenas eam, etiamsi non vadam, posse me tamen ire manifestum est, et cum iero potuisse non ire. Id quoque apud eos qui eventus ex rerum natura recta ratione dijudicant indubitatum est. Non ergo id est possibile ut sit necessarium. Sed quanquam quod necessarium est, possibile sit, est tamen alia quædam extrinsecus possibilitatis natura, quæ et ab impossibili et a necessitate sejuncta est. Aristoteles enim hanc habens opinionem de his quæ semper necesse esse est, ea putat nullam habere ad contraria cognotionem, ut nix, quoniam semper est frigida, nunquam calori conjuncta est. Ignis quoque nunquam frigori cognatus est. Idcirco quoniam semper in frigoris contrarietate versatur, id est in calore. Ergo omnia quæcunque sunt necessaria, nullam ad contrariam qualitatem, quam ipsa retinet, habent cognationem. Quod si quam cognationem haberet ignis ad frigus, frustra esset illa cognatio, nunquam igni se in frigoris qualitatem vertente, sed novimus nihil proprium natum frustra naturam solere perficere. Ergo illa sunt posita necessaria quæcunque ad contraria nullam habent cognationem, quæcunque autem habent, illa non sunt necessaria. Sed quoniam ad utramque partem contrarietatis naturali quadam cognatione videntur esse conjuncta, idcirco ad utramque partem eorum eventus possibilis est, ut lignum hoc potest quidem secari, sed nihilo tamen minus habet ad contraria cognationem. Potest enim non secari. Et aqua potest quidem calescere, sed nihil eam prohibet frigori quoque esse conjunctam. Et universaliter dicere est, quæcunque neque semper sunt, neque semper non sunt, sed aliquoties sunt, aliquoties non sunt, ea per hoc ipsum quod sunt, et non sunt, habent aliquam ad contraria cognationem. Hæc autem impossibilium et necessariorum media sunt. Impossibile enim nunquam esse potest. Necessarium nunquam non esse, inter hæc propria quorumdam natura est, quæ horum utrorumque sit media, quæ et esse, scilicet possit et non esse. Ergo hoc nunc dicit: Videmus, inquit, in his, quæ non semper actu sunt. Illa vero non semper sunt actu, quæ ad utraque contraria habent cognationem: ignis semper actu calidus est, aqua vero non semper. Quocirca videmus in his, quæ non semper actu sunt, esse quædam possibilia, et non, id est, ut et sint, et non sint quod in his evenit in quibus utrumque contingit, id est, et esse et non esse, ut aquam et esse calidam et non esse calidam, fieri quoque calidam et non fieri. Multaque nobis perspicua sunt, ita sese habentia, ut in utramque partem eventus sine ullo alicujus rei impedimento vertatur, ut vestem quam possibile est quidem secari, sed fortasse ita contingit, ut non ante ferro dividatur, quam eam exterat vetustas, et hoc fieri potest, ut quælibet vestis non ferro potius minuatim pereat, quam usu ipso exteratur. Similiter autem non solum eam secari possibile est, sed eam prius exteri quam secari, non enim esset eam possibile non secari, nisi prius possibile esset exteri. Cum enim exteritur, non secatur, hoc autem in quibus eveniat universaliter monstrat. Evenit hoc enim, inquit, in facturis. Facturæ autem sunt, in quibuscunque generatio est atque corruptio. Sive enim quod natura fiat sive arte, in his a faciendo facturam dixit. In his ergo facturis alia quidem potestate sunt, alia actu, ut aqua calida quidem est possibilitate. Potest enim fieri calida, frigida vero actu est. Est enim frigida actu, hoc autem actu et potestate fieri ex materia venit. Nam cum sit materia contrarietatis susceptrix, et ipsa in se utriusque contrarietatis habeat cognationem, si ipsa per se cogitetur, nihil eorum habet quæ in se suscipit, et ipsa quidem nihil actu est, omnia tamen potestate. Suscipiens autem contraria, quanquam unam habeat contrarietatem, habet tamen et alteram simul, sed non actu, ut in eadem aqua. Hujus enim materia et caloris susceptrix est et frigoris. Sed cum utrumlibet horum susceperit vel calorem vel frigus, est quidem, si ita contingit, calida, est etiam simul frigida, sed non eodem modo. Nam fortasse actu calida est, frigida potestate. Ergo quod potestate est in rebus, ex materia venit. Alioqui divinis corporibus nihil omnino est potestate, sed omne actu, ut soli nunquam est lumen potestate, sed actu nec potestate

quidem ulla obscuritas, vel toto cœlo nulla quies. Ita A ergo sese habent ex materia, ut omnia ipsa essent potestate, nihil autem actu introducta, sed natura quæ in ipsa materia est, singulos pro ratione distribuit motus, et singulas qualitatum proprietates singulis materiæ partibus ponit, ut alias quidem natura ipsa necessarias ordinaverit, ita ut quandiu res illa esset ejus, in ipsa proprietas permaneret, ut igni calor. Nam quandiu ignis est, tandiu ignem calidum esse necesse est, aliis vero rebus tales qualitates apposuit, quibus carere possint. Et illa quidem necessaria qualitas informat uniuscujusque substantiam. Illa enim ejus qualitas cum ipsa materia ex natura conjuncta est. Istæ vero aliæ qualitates extra sunt, quæ et admitti possunt et non admitti, atque hinc est generatio et corruptio. Ex natura ergo et ex materia B ista in rebus possibilitas venit, qua in re casus quoque aliquando subrepit, quæ est indeterminata causa et sine ulla ratione cadens, neque enim casus natura est, quæ frustra nihil efficit. Nec liberum est casus arbitrium quod in judicio et ratione consistit. Sed extra est casus, qui propter aliam rem quibusdam factis ipse subitus et improvisus exoritur. Et ex hac autem quæ est utrumlibet possibilitate etiam illa liberi arbitrii ratio venit. Si enim non esset fieri aliquid possibile, sed omnia aut ex necessitate esent, aut ex necessitate non essent, liberum arbitrium non maneret. Recte igitur nec omnia casu, ut Epicurus, nec necessitate omnia, ut Stoicus, nec rursus omnia libero arbitrio fieri proposuit. Sed cuncta permiscens, in permisto mundo permistas quoque rerum causas esse proposuit, ut aliæ quidem ex necessitate, C aliæ vero casu, vel libero arbitrio, vel postremo possibilitate contingerent. Quorum omnium unum nomen est, utrumlibet, vel in casu, vel in voluntate, vel in possibilitate. Sed horum divisionem facit. Nam eorum quæ sunt utrumlibet, alia sunt quæ æqualiter ad affirmationem et negationem se habent, ut est lecturum me esse hodie Virgilium et non lecturum. Utroque enim modo utrumque est, hoc est enim quod ait, Et non magis vel affirmatio vel negatio est. Æqualiter enim et possum legere Virgilium nunc, et possum non legere. Alia vero sunt quæ non se æqualiter habent, sed quanquam in una re frequentius eveniat, non tamen prohibitum est in altera provenire, ut in eo quod est hominem in senecta canescere. In pluribus quidem hoc contingit, sed contingit fieri et D alterum, id est ut non canescat. Alterum vero minime, id est ut canescat. Ita ergo et possibilitate, et casu, et libero arbitrio, contradictionem in una parte de futuro definite non esse veram vel falsam, per firmissimam et validissimam argumentationem constituit. His autem adjicit hoc.

Igitur esse quod est, quando est, et non esse quod non est, quando non est, necesse est. Sed non omne quod est, necesse est esse, nec omne quod non est, necesse est non esse. Non enim idem est omne quod est, necessario esse quando est, et simpliciter esse ex necessitate. Similiter autem et in eo quod non est.

Duplex modus necessitatis ostenditur, unus qui cum alicujus accidentis necessitate proponitur, alter qui simplici prædicatione profertur, ut cum dicimus solem moveri necesse est, non enim solem quia nunc movetur, sed quia nunquam non movebitur, idcirco in solis motu necessitas venit. Aliter vero qui cum conditione dicitur talis est, ut cum dicimus, Socratem sedere necesse est, cum sedet, et non sedere necesse est, cum non sedet. Nam cum idem eodem tempore sedere et non sedere non possit, quicunque sedet non potest non sedere, tunc cum sedet, igitur sedere necesse est, ergo tunc quando quis sedet, eum sedere necesse est; fieri enim non potest ut cum sedet, non sedeat. Rursus quando quis non sedet, tunc cum non sedet, non sedere eum necesse est. Non enim potest idem sedere et non sedere, et potest ista esse cum conditione necessitas, ut cum sedet aliquis, tunc cum sedet, ex necessitate sedeat, et cum non sedet, tunc cum non sedet, ex necessitate non sedeat. Sed ista cum conditione quæ proponitur necessitas, non illam simplicem secum trahit. Non enim quicunque sedet, simpliciter eum sedere necesse est, sed cum adjectione ea quæ est, tunc cum sedet, sicut solem dicimus necesse est moveri. Nec hoc addimus, ut solem moveri necesse sit cum movetur, sed tantum simpliciter dicimus solem moveri necesse est, et hæc necessitas simplex de sole dicta, veritatem in oratione perficiet. At vero illa quæ cum conditione dicitur, ut cum dicimus Socratem sedere necesse est, tunc cum sedet, id quod dicimus, tunc cum sedet, et hanc conditionem temporis, si a propositione dividamus, de tota propositione veritas perit. Non enim possumus dicere quoniam ex necessitate Socrates sedet. Potest enim et non sedere. Habet enim quamdam convenientiam et cognationem potestas Socratis sicut ad sedendum, sic etiam ad non sedendum. Ergo id quod dicimus ex necessitate Socratem sedere, tunc cum sedet, ad accidens respicientes proponimus. Nam quando accidit Socrati sedere, eo tempore quo accidit, ei non accidisse non potest. Sic enim fiet ut eidem eadem res accidat et non accidat uno eodemque tempore, quod impossibile est. Idcirco accidens ejus inspicientes dicimus, necesse est Socratem sedere, sed non simpliciter, sed tunc cum sedet. Et sicut simpliciter Æthiopem dicere esse candidum falsum est, verum tamen est in aliquo esse candidum (In oculis enim et dentibus illi candor inest), ita quoque falsum est Socratem ex necessitate sedere simpliciter. Verum autem est hanc necessitatem in aliquo quodam ponere, et non simpliciter prædicari, ut dicamus tunc cum sedet. Quemadmodum enim in sole dimus, quoniam solem moveri necesse est simpliciter, si ita dicamus, Socratem sedere necesse est, falsum est. Sin vero marmoreum Socratem dicamus, quoniam marmoreum Socratem sedere necesse est, si fortasse sedens formatus sit, verum est, et simpliciter de tali Socrate necessitas poterit prædicari. De ipso autem Socrate simpliciter talis necessitas non dicitur. Neque enim fieri potest ut Socrates ex necessitate sedeat

nisi fortasse cum sedet, tunc enim cum sedet, quoniam sedet et non potest non sedere, ex necessitate sedet alioqui simpliciter et non ex necessitate sedet, sed contingenter. Potest enim surgere. Quod autem ex necessitate simpliciter est, illam non potest permutare necessitatem, ut quoniam simpliciter solem moveri necesse est, sol stare nulla ratione potest. Hoc igitur Aristoles dicit, omne quod est quando est, et omne quod non est, quando non est, esse cum conditione et non esse, necesse est, sed non sine conditione aut esse aut non esse simpliciter. Hæc enim solis illis necessitatibus attributa sunt quæcunque nullius potentiæ aut cognationis ad opposita sunt, ut sol ad quietem, vel ignis ad frigus. Neque enim idem est, inquit, Aristoteles, ex necessitate esse aliquid quando est in conditione, vel non esse quando non est, et simpliciter dicere omnia ex necessitate esse, vel non esse. Illud enim conditio verum fecit, in hoc simplicitatis natura efficit veritatem. Similiter autem, inquit, et in eo quod non est, idem est. Non enim omne quod non est, non esse necesse est, sed tunc cum non est, tunc non esse necesse est, et hoc in conditione rursus, non simpliciter. Duabus igitur his necessitatibus demonstratis, una scilicet conditionali, altera simplici. Rursus ad contradictionem de futuro contingentique revertitur.

Et in contradictione eadem ratio est. Esse quidem vel non esse omne, necesse est, et futurum esse vel non. Non tamen dividentem dicere alterum necessarium. Dico autem ut necesse est quidem esse futurum bellum navale cras, vel non futurum esse, sed non necesse est futurum esse cras bellum navale, vel non futurum esse. Futurum autem vel esse vel non esse necesse est.

Planissime quæ sententia habetur de contingentibus propositionibus et futuris exposuit dicens : In his quidem totam contradictionem dictam unam quamlibet partem veram habere, alteram falsam, sed non ut aliquis dividat atque respondeat. Hanc quidem ex necessitate esse veram, illam vero ex necessitate alteram falsam, ut in eo quod dicimus, sol hodie occidet, sol hodie non occidet, facillime in his aliquis dividens dicit, quoniam solem hodie occidere, ex necessitate verum est, non occidere, ex necessitate falsum. Ita sese habet divinorum corporum ratio et natura, ut in his nulla cognatio sit ad opposita, atque ideo vel quod sunt, ex necessitate sunt, vel quod non sunt, ex necessitate non sunt. Ea vero quæ in generatione et corruptione sunt, non ita sunt, habent enim hoc ipso quod et gignuntur et corrumpuntur ad opposita cognationem, atque ideo in his non est unam partem contradictionis assumere, et eam necessario esse prædicare, et rursus aliam necessario non esse proponere, quamvis totius contradictionis una quælibet pars vera sit, altera falsa, sed incognitæ et indefinitæ, et non nobis. Verum quia natura ipsarum rerum quæ proponuntur dubitabilis est, ut in ea propositione quæ est, Socrates hodie lecturus est, Socrates hodie lecturus non est, totius quidem contradictionis una vera est, altera falsa, aut enim lecturus est, aut non lecturus, et hoc confuse et in tota oratione perspectum. Sed nullus potest dividere et respondere, quoniam vera est et lecturum eum esse, vel certe quoniam vera est non eum esse lecturum. Hoc autem non quod audientes de futuro nesciamus, sed quod eadem res et esse possit et non esse. Alioqui si ex nostra scientia hoc eveniret, et non ex ipsarum rerum variabili et indefinito proventu, illa rursus impossibilitas contingeret, ut omnia necessitas administraret. Non enim propter scientiam nostram quod ex necessitate est, eventurum est. Sed etiamsi nos nesciamus, erit tamen ejus rei eventus constitutus, et indubitanter illam rem futuram esse necesse est. Ergo quoniam hoc fieri nequit, et sunt quædam quæ non ex necessitate proveniant, sed contingenter, in his quanquam totius contradictionis in qualibet ejus parte veritas inveniatur aut falsitas, non tamen ut aliquis dividat et dicat hanc quidem veram esse, illam vero falsam, quod hujusmodi monstravit exemplo. Cras enim bellum navale fieri, aut non fieri necesse est, non tamen ex necessitate fiet cras, aut necessitate cras non fiet. Ut possit aliquis dividere et prædicare dicens, cras fiet, ut hoc vere dicat, et ita ex definito contingat, vel rursus cras non fiet, et hoc eodem modo proveniat, hoc fieri non potest, sed tantum indefinite quæcunque una pars contradictionis vera est, altera falsa, sed quæ evenerit. Eventus autem ipsorum indiscretus est, et illud enim et illud poterit evenire. Hoc autem idcirco est quoniam non est ex antiquioribus quibusdam causis pendens rerum eventus. Ut quædam quodammodo necessitatis catena sit, sed potius hæc ex nostro arbitrio et libera voluntate sunt, in quibus est nulla necessitas. Quod si, inquit, similiter orationes veræ sunt quemadmodum et res, hoc sumpsit a Platone, qui dixit similiter se habere orationes rebus, et cognatas quodammodo esse in ipsa significatione, ut si sint res impermutabiles et ratione stabili permanentes, oratio quoque de his vera esset et necessaria. Sin vero esset res quæ varietate naturæ nunquam perpetuo permaneret, in orationibus quoque fixa veritas non esset, et nulla per hujusmodi orationes demonstratio proveniret. Hoc ergo sumens Aristoteles ut optime dictum, sic ait :

Quare quoniam orationes similiter veræ sunt, quemadmodum et res, manifestum est quoniam quæcunque sic se habent, ut utrumlibet sint, et contraria ipsorum contingere possint, necesse est similiter se habere et contradictionem. Quod contingit in his quæ non semper sunt, et non semper non sunt.

Quoniam, inquit, orationes similiter sese habent quemadmodum et res manifestum est, quoniam quæcunque res ita sunt ut utrumlibet sint et contraria ipsorum contingere possint, necesse est contradictionem ita se habere, quæ de illius naturæ instabilibus atque indefinitis rebus est. Quod si res sint dubitabiles et indefinito variabilique proventu, contradictio quoque quæ de his rebus fit, variabili et indefinito proventu sit. Quæ autem essent hujusmodi res,

quarum eventus varius indefinitusque constaret, planissime demonstravit dicens, quod contingit in his quæ non semper sunt et non semper non sunt. Ea enim sunt in quibus contingit utrumlibet, quæ neque semper sunt (possunt enim corrumpi), neque semper non sunt, possunt enim generari et fieri. Hæc enim sunt quæ habent ad opposita cognationem, sicut in ipsa propria substantia rerum ipsarum eventus docet. Nam esse et non esse oppositum est. Quod autem non fuit, et generatur, et fit, ex eo quod non fuit est. Habuit igitur in hoc ad esse et non esse, id est ad opposita cognationem. Sin vero idem ipsum quod est corrumpatur, ex eo quod fuit non erit. Habebit igitur rursus ad opposita cognationem. Quare sicut harum quæ sunt in generatione et corruptione rerum proventus indefinitus est, ita quoque et contradictionum partes, quanquam in tota contradictione una vera sit, altera falsa. Indefinitum enim et indiscretum est, quæ una harum vera sit, quæ altera falsa.

Horum enim necesse est alteram partem contradictionis veram esse vel falsam. Nam tamen hoc vel illud, sed utrumlibet, et magis quidem alteram veram non tamen jam veram vel falsam. Quare manifestum est quoniam non est necesse omnis affirmationis et negationis oppositarum hanc quidem veram, illam vero falsa esse.

Docuit supra nos in his quæ utrumlibet sunt rebus contradictionis unam partem non esse definite veram falsam vero alteram definite, nunc a frequentiori et a rariori argumentum trahit. Supra namque monstravit esse quasdam res quæ frequentius quidem contingant, non tamen interclusum sit, ut et opposita aliquando contingant. Contingit enim ut rarius infrequentiusque contingant. Ergo si in his quæcunque in pluribus eveniunt, non necesse est unam veram esse, alteram falsam. Idcirco quoniam quicunque dixerit hominem in senecta canescere, et hoc ex necessitate esse protulerit, mentietur. Potest enim et canescere. Si in his ergo non est definite una vera, altera falsa, in quibus una res frequentius evenit, rarius altera, multo minus in his in quibus oppositorum eventus æqualis est, et verum est quidem dicere, quoniam hoc contingit frequentius, non tamen omnino, quoniam ita contingit, idcirco, licet rarius, non contingit oppositum. Quod si neque in his quæ in pluribus prædicantur, una definite vera est, altera falsa, et multo minus in his quorum æqualiter indiscretus eventus est, manifestum est in futuris et contingentibus propositionibus non esse veram unam, alteram falsam. Hoc enim in principio, ut monstraret validissima argumentatione, contendit.

Neque enim quemadmodum in his quæ sunt, sic se res habet etiam in his quæ non sunt, possibilibus tamen esse vel non esse, sed quemadmodum dictum est.

Ad divisionem temporum in principio factam totam revocat quæstionem. Ait enim eas prius propositiones quæ fierent, aut in præsenti, aut in futuro, aut in præterito prædicari, et eas quidem quæ de præterito vel præsenti dicerentur, definitam veritatem vel falsitatem habere, sive in sempiternis et divinis rebus dicerentur, sive in nascentibus et morientibus, in quibus utrumlibet contingeret, ut haberent ad opposita cognationem, in futuris vero, si de divinis quidem rebus aliquis et immutabilibus loqueretur, eodem modo unam veram definite, alteram falsam esse definite. Non enim habent hujusmodi naturæ ad opposita cognationem. In his autem quæ in generatione et corruptione essent de futuro prædicatis vel affirmative vel negative, non eumdem esse modum veritatis definite, sed totius quidem contradictionis unam partem veram esse, alteram falsam, definite autem unam veram, definite alteram falsam, minime. Nunc autem non utraque tempora posuit, præsens scilicet et præteritum. Sed tamen præsens; dixit enim: Neque enim quemadmodum in his quæ sunt, id est in his quæ præsentia. Quod vero ait in his quæ non sunt, possibilibus tamen esse, de futuris loquitur, quæ cum non sint tamen esse possunt. Non enim sic se habet in præsenti prædicta propositio, quemadmodum in futuro in his scilicet quæ utrumlibet sunt, et in generatione et corruptione consistunt. In illis enim, id est, præsentibus et præteritis definite una vera est, altera falsa. In his vero, id est futuris et contingentibus, veritas et falsitas propositionum nulla definitione constringitur. Sed quoniam de futuris propositionibus Aristotelicam sententiam, quantum facultas fuit, diligenter expressimus, prolixitatem voluminis terminemus.

LIBER QUARTUS.

Est siquidem libri hujus, qui de Interpretatione apud Latinos, apud Græcos vero Περὶ ἑρμηνείας inscribitur, obscura oratione series, obscuris adjecta sententiis, atque ideo non hanc magnis expedissem voluminibus, nisi etiam nihil labori concedens, quam possem planissime quod in prima editione altitudinis et subtilitatis omiseram, secunda commentatione complerem. Sed danda et proloxitati venia, et operis longitudo libri obscuritate pensanda est. Sunt tamen gradus apud nos satisfacientes lectoris et diligentiæ et studio, copientis facillime magna cognoscere. Hujus enim libri post has geminas commentationes quoddam breviarium faciemus, ita ut in quibusdam et fere in omnibus Aristotelis ipsius verbis utamur, tantum quod ille brevitate dixit obscure, nos aliquibus additis dulciorem seriem adjectione faciamus, ut quasi inter textus brevitatem, commentationisque diffusionem, medius ingrediatur stylus, diffuse dicta colligens, et angustissime scripta diffundas, atque hæc posterius. Nunc vero quoniam ab Aristotele su-

pra monstratum est,in futuro contingentium propositionum veritatem et falsitatem non stabili neque definita ratione esse divisam, et quidquid supra latissima disputatione complexa est,nunc ejus hæc intentio est,ut categoricarum propositionum numerum tradat, quæcunque cum diffinito vel infinito nomine simpliciter fiunt.Primo enim volumine dictum est nomen esse, ut homo ; infinitum nomen vero, ut non homo.Prædicativæ autem et categoricæ propositiones sunt quæ duobus tantum simplicibus terminis constant. Hæ,sive cum finito nomine sunt,ut est, homo ambulat,sive cum nomine infinito,ut est, non homo ambulat.Harum igitur propositionum categoricarum atque simplicium tradere numerum contendit, quæcunque fiunt adjectione nominis infiniti.Sed quoniam propositiones omnes aut secundum qualitatem differunt,aut secundum quantitatem. Secundum qualitatem quod hæc quidem affirmativa est, illa vero negativa.Secundum quantitatem vero, quod hæc quidem plura complectitur,illa vero pauca, secundum quam differentiam hæ propositiones,quæ dicuntur, homo ambulat, et rursus,non homo ambulat,a se differunt,aut secundum quantitatem, aut secundum qualitatem. Nam quod dico,homo ambulat,qualitatem quamdam substantiæ,id est hominem ambulare designat, et rem definitam atque substantiam,quæ unam speciem ambulabilem esse pronuntiat.Quod autem dico;non homo ambulat, hominem quidem rem definitam tollo, innumerabilia vero significo, quare illa quidem quæ dicit, homo ambulat secundum qualitatem,quæ vero non homo ambulat videbitur secundum quantitatem potius discrepare. An certe illud magis est verius, ut quod dico, homo ambulat,homo simplex nomen quasi affirmationi est proximum, quod vero dico,non homo ambulat, non homo infinitum nomen negationi videtur esse consimile,sed affirmatio et negatio secundum qualitatem differunt.Hæc autem affirmationi sunt negationique consimilia.Qualitate igitur potius quam nulla discrepant quantitate.An magis illud est verius,quod quemadmodum se habet propositio quæ dicit, Socrates ambulat,ad eam quæ dicit,quidam homo ambulat.Ita sese habet homo ambulat,ad eam quæ dicit,non homo ambulat.Propositio namque quæ est quidam homo ambulat, si plures ambulant, necesse est ut vera sit. Si autem plures ambulent,ut Socrates ambulet non est necesse. Possunt enim plures ambulare, et Socrates non ambulare. Sed cum plures ambulant, quidam homo ambulat, hoc autem ideo evenit.Quia quod dicimus,quidam homo ambulat,particularitatem jungimus universalitati, id est homini, et si qui sub ipsa universalitate sunt, id est sub homine ambulantes sunt, eam quæ dicit quidam homo ambulat veram esse necesse est. At vero cum dicitur,Socrates ambulat, quoniam Socrates circa unius cujusdam proprietatem est. Nisi ipse Socrates ambulaverit, quanquam omnes homines ambulent, non est verum dicere Socrates ambulat. Sicut ergo quidam homo ambulat,definite verum est,si plures ambulant. Non autem Socrates ambulat, quamvis plures ambulent, nisi ipse Socrates ambulet, sic etiam in eo quod est homo et non homo, qui dicit homo ambulat, dicit quoniam quoddam animal ambulat, et hoc nomine qualitate determinat, dicens homo ambulat. Qui vero dicit non homo ambulat,non quidem omnia subruit, sed hominem tantum. Cætera vero animalia ambulabilia esse pronuntiat. Ergo sive equus,sive bos, sive leo ambulat, verum est, non homo ambulat, sed non est verum homo ambulat,si non homo ipse ambulet.Quare quemadmodum se habet quidam homo ambulat, ad Socratem ambulat. Quod illic si plures homines ambularent, verum erat, quidam homo ambulat. Non etiam Socrates ambulat, nisi ipse Socrates ambularet, ita quoque in eo quod est, homo ambulat, et non homo ambulat, dici potest. Nam si plures qui sunt non homines ambulent, verum est dicere, quoniam non homo ambulat, non autem verum est dicere quoniam homo ambulat,nisi ipse homo ambulet, secundum definitionem ergo potius et proprietatem videntur discrepare, quam secundum aliquam totam quantitatem, vel partem quantitatis,vel rursus secundum aliquam qualitatem Nam sicut posterius demonstrabitur ea quæ dicit, non homo ambulat, affirmatio potius quam negatio est, atque hæc hactenus prædixisse sufficiat.

DE ENUNTIATIONIBUS INFINITIS.

Quoniam autem est affirmatio de aliquo significans aliquid, hoc autem est vel nomen vel innominatum. Unum autem oportet esse, et de uno, id quod est in affirmatione. Nomen autem dictum est, et innominatum prius, non homo enim nomen quidem non dico, sed nomen infinitum. Unum enim significat quodammodo infinitum nomen. Quemadmodum et non currit, non verbum dico, sed infinitum. Erit omnis affirmatio et negatio, vel ex nomine et verbo, vel ex infinitio nomine et verbo.Præter verbum autem nulla affirmatio vel negatio est enim, vel erit, vel fuit, vel fit, vel quæcunque alia hujusmodi verba, ex his sunt quæ sunt posita, consignificant enim tempus. Quare prima erit affirmatio et negatio, est homo, non est homo, deinde,est non homo, non est non homo. Rursus, est omnis homo,non est omnis homo, est omnis non homo, non est omnis non homo,et in extrinsecus temporibus eadem est ratio.

In secundo (ut arbitror) libro prædiximus omnem enuntiationem simplicem, id est, prædicativam ex subjecto et prædicato consistere. Quorum semper prædicatio aut verbum esset, aut quod idem posset, tanquam si verbi dictio poneretur, ut cum dicimus, homo ambulat, verbum ponitur ; cum vero dicimus, homo rationalis,subaudiatur hic verbum est, ut totus intellectus sit homo rationabilis est.Quocirca necesse est aut verbum semper esse prædicatum, aut quod fit verbo consimile, idemque in enuntiationibus possit. Quod vero subjectum esset, aut omnino nomen esset, aut quod vice nominis fungeretur. Quocirca illud maxime colligendum est, omne in categorica propositione subjectum,esse nomen, omne vero prædicatum,verbum. Sed quoniam cum de nomine loquere-

tur, aliud quoddam nomen introduxit, ut simpliciter quidem et per se nomen non esset, infinitum tamen nomen vocaretur, id quod cum negativa particula profertur. Omnis autem propositio ex nominis subjectione consistit. Est autem categorica propositio quæ aliquid de aliquo prædicat vel negat, et de quo prædicat quidem nomen est. Quandoque in nomine infinitum etiam nomen dicitur, necesse est semper categoricam propositionem aut nomen habere subjectum, aut illud quod infinitum dicitur. Infinitum vero nomen est quod ipse nunc innominatum vocat. Omnis ergo propositio prædicativa in duas dividitur species: aut enim ex infinito nomine subjectum est, aut ex simplici et finito. Ex infinito quidem quemadmodum cum dico, non homo ambulat, ex finito autem et simplici, ut homo ambulat. Hujus autem quæ ex finito et simplici est, species sunt duæ, quæ aut universale nomen subjicit, ut homo ambulat, aut singulare, ut Socrates ambulat. Quare ita fit divisio. Omnium enuntiationum simplicium, quæ duobus terminis constant, aliæ sunt ex infinito nomine subjecto, aliæ vero ex finito et simplici. Earum quæ simplex habent subjectum, aliæ sunt quæ universale simplex subjiciunt, aliæ quæ singulare. Supra vero docuit quæ sint differentiæ propositionum, simplex nomen in subjecto ponentium. Quod aliæ sunt universales, aliæ sunt particulares, aliæ sunt indefinitæ, et secundum quantitatem quidem hoc modo differunt. Secundum qualitatem vero, quod aliæ affirmativæ sunt, aliæ negativæ. Idem quoque in his propositionibus quæ ex infinito nomine subjecto enuntiantur. Aliæ namque earum indefinitæ sunt, aliæ definitæ. Definitarum aliæ sunt universales, aliæ particulares, hic quoque secundum quantitatem, nec minus secundum qualitatem eædem infinitorum quoque nominum, in propositionibus differentiæ sunt. Dicimus enim alias esse affirmativas, alias negativas; subjecta vero descriptio docet, quæ sint affirmativæ simplices, et quæ sunt negativæ, et rursus quæ sunt affirmativæ ex infinito nomine, et quæ negativæ, easque omnes in propriis determinationibus adjunximus, nec minus etiam indefinitas in utraque specie propositionum posuimus, singulare habentibus subjectum, simplicibus propositionibus rejectis. Sunt enim infinitæ propositiones simplices hæ: homo ambulat, homo non ambulat; contra eas vero divisæ secundum nomen infinitum hæ: non homo ambulat, non homo non ambulat; universales ex simplici subjecto nomine sunt hæ: omnis homo ambulat, nullus homo ambulat. Contra has vero divisæ ex infinito nomine universales: omnis non homo ambulat, nullus non homo ambulat. Rursus particulares ex simplici nomine subjecto sunt hæ: quidam homo ambulat, quidam homo non ambulat. Rursus particulares contra has divisæ ex infinito nomine subjecto sunt hæ: quidam non homo ambulat, quidam non homo non ambulat. Hoc autem subjecta descriptione declaratur.

Indefinitæ ex simplici nomine subjecto.
Homo ambulat Homo non ambulat

Indefinitæ ex infinito nomine subjecto.
Non homo ambulat Non homo non ambulat

Universales ex simplici nomine subjecto.
Omnis homo ambulat Nullus homo ambulat

Universales ex infinito nomine subjecto.
Omnis non homo ambulat. Nullus non homo ambulat

Particulares ex simplici nomine subjecto.
Quidam homo ambulat. Quidam homo non ambulat

Particulares ex infinito nomine subjecto.
Quidam non homo amb. Quidam non homo non amb.

Hæc ergo partiens, et de propositionibus ex duobus terminis constitutis faciens propositionem, inquit omnes ex subjecto fieri nomine propositiones, et eas tantum ad divisionem sumit quæ ex infinito nomine, et finito nomine fiunt, faciens hujusmodi divisionem principalem, ut sit: Propositionum aliæ sunt ex finito nomine, aliæ ex finito. Oportuerat quidem volentem cuncta partiri ad differentias propositionum non solum infinita sumere nomina, sed etiam verba. Sed quoniam noverat nomen quidem infinitum conservare propositionem quam invenisset, ut si in affirmativa diceretur, affirmativam servaret enuntiationem, ut est non homo ambulat. Si negativa, negativam servaret enuntiationem, negativa autem est, ut est non homo ambulat. Verba vero quæ sunt infinita juncta in propositione non affirmationem, sed perficere negationem, idcirco de his reticuit. Quod hæ magis quæ ex verbo infinito sunt ad unam qualitatem pertinent propositionis, id est ad negativam. Semper enim fit ex infinito verbo negatio. Hæc igitur colligens ait. Quoniam autem est de aliquo subjecto affirmatio significans aliquid, id est prædicans, hoc est quoniam omnis propositio est ex subjecto et prædicato, quod autem subjectum est, vel nomen, vel innominatum. Innominatum autem est quod propositum nomen subruit, ut est non homo. Nomen enim quod est homo differt nominis infiniti privatione, quod est non homo, atque ideo et innominatum vocavit. Qualis autem debeat esse propositio de qua tractat, ostendi dicens, unum autem oportet esse et de uno hoc quod est in affirmatione, id est ex duobus terminis propositionem oportere consistere. Commemorat quoque quid sit innominatum se supra dixisse quoniam quod dicimus non homo, nomen quidem Aristoteles non diceret, sed quod nomen simpliciter non vocaret, hoc addito infinito nomen diceret infinitum, idcirco quoniam unum quidem significat, sed infinitum, nomen enim quod ipsam significationem ejus quod dicimus homo tollit, id est non homo, unum est, et unam per se significationem subripiens. Multa sunt quæ intelligentium sensibus relinquuntur, commemorat etiam quoniam, non currit verbum superius infinitum vocavit, et non simpliciter verbum. Quoniam ergo aliquid de aliquo affirmatio est, hoc autem quod subjectum est, aut nomen esse oportet, aut innominatum, id est infinitum nomen. Duplex propositionis species invenitur. Omnis enim affirmatio vel ex finito nomine est et verbo, vel ex infinito nomine et verbo, eodem quoque modo et negatio. Neque enim reperietur unquam ulla affirmatio, cujus negatio inveniri non possit. Quod si duplex est species affirmationum,

duplex quoque est species negationum, illud quoque commemorat quod supra jam dixit. Nam licet ex nomine et verbo, et rursus ex eo quod non est nomen, sed infinitum nomen, et verbo fit affirmatio et negatio prædicativa, id est categorica, ut autem sit præter verbum ulla affirmatio atque negatio, aut præter id quod idem significet verbum vel in subauditione, vel aliquo alio modo, fieri non potest. Ponit quoque verba quæ pene in omnibus propositionibus, aut ipsa cadant, aut quæ idem valeant. Est enim, inquit, vel erit, vel fuit, vel quæcunque alia consignificant tempus, verba sunt, ut doceri ex his possumus quæ ante posita sunt, atque concessa, cum diffinitio verborum, daretur, verba esse quæ consignificarent tempus. Quare si hæc consignificant tempus, non est dubium quin verba sint; sed præter hæc aut præter idem valentia, nulla propositio est. Recte igitur dictum est præter verba prædicativam propositionem non posse constitui. Juste tamen aliquis quæstionem videatur opponere, cur jam dixerit præter verbum enuntiationes nulla ratione posse constitui, nunc idem repetit, quasi nihil de hoc antea prædixisset, sed superfluum videri non debet. Quoniam enim finitum nomen cum negativa particula, nomen est infinitum, idcirco putaretur fortasse negatio esse, quod dicimus non homo. Quod si hæc est negatio homo est affirmatio. Ne in hunc ergo quisquam laberetur errorem, hoc dixit, et congrue repetivit, quoniam præter verbum enuntiatio esse non potest, tanquam si diceret, nemo arbitretur infinitum nomen esse negationem, nec nomen affirmationem. Præter verbum enim affirmatio et negatio nulla potest unquam ratione constitui. In hoc illud quoque notaverat quod verbum infinitum et negationem significaret, et infinitum verbum. Id enim quod dicimus non ambulat et infinitum verbum est, et negatio, sed per se quidem si dicatur simplex sine aliquibus aliis adjectionibus infinitum verbum est. Sin vero cum nomine aut cum infinito nomine proferatur, non jam verbum infinitum, sed negatio accipitur, ut non, negativa particula, juncta cum ambulat infinitum verbum efficiat non ambulat, sed in propositione quæ est homo non ambulat, hominem non ambulare designat, atque ideo ait subjecta quidem in propositionibus posse esse vel nomina, vel infinita nomina, prædicata vero præter verba esse non posse. Nam sive in affirmationibus quis ponat, id verbum sine dubio prædicavit, sive in negationibus, est non infinitum verbum, sed tantum verbum, cui addita non particula totam qualitatem propositionis ex affirmativa in negativam commutat. Quare recte nullam differentiam propositionum de infinitis verbis fecit. Infinita enim verba tunc sunt infinita, cum sola sunt. Si vero cum infinito nomine jungantur aut finito nomine, non infinita verba jam sunt, sed finita. Cum negatione tamen in tota propositione intelliguntur. Si ergo, quemadmodum Stoici volunt, ad nomina negationes ponentur, ut esset non homo ambulat negatio, ambiguum esse posset, cum dicimus non homo, an infinitum nomen esset, an vero finitum cum negatione conjunctum. Sed quoniam Aristoteli placet verbis negationes oportere conjungi, infinita magis verba ambigui intellectus sunt, an infinita videantur, an cum negatione finita. Atque ideo ita discernitur sumptum cum nomine infinitum verbum negatio fit et negativa propositio, ut est, homo non ambulat. Per se vero dictum infinitum verbum est, ut non ambulat. Atque ideo hic solam differentiam nominum et infinitorum nominum in propositionibus dedit, non etiam infinitorum verborum, idcirco quod de conjunctis loquebatur, scilicet de nominibus vel infinitis nominibus atque verbis. In qua conjunctione id quod per se infinitum verbum dicitur, negatio est. Neque enim oportet sicut omnis propositio aut ex finito nomine aut ex infinito constat, id quoque aut ex finito verbo, aut ex infinito constare. Infinitum enim verbum in propositionibus non est, sed quoties aliquid (ut dictum est) tale per se ponitur, finitum quidem verbum est, sed illi conjuncta negatio totam propositionem privat ac destruit, et verbum quidem infinitum junctum nominibus negationem ut faciat necesse est, nomen vero infinitum junctum verbo non necesse est ut faciat negationem. Quod enim dicimus non homo ambulat, affirmatio, non negatio est. Ergo quoniam affirmationem oportet aliquid de aliquo significare, nomen autem infinitum est aliquid, quoties dicimus, non homo ambulat, ambulationem, id est aliquid de non homine, id est de aliquo prædicamus. Sed si dicamus non ambulat, non potius de aliquo prædicamus aliquid, sed ab aliquo tollimus. Qui enim dicit homo non ambulat, ambulationem ab homine tollit, non de homine prædicat. Quare negatio potius quam affirmatio est. Si enim affirmatio esset, id est si verbum esset infinitum, aliquid de aliquo prædicaret. Nunc autem aliquid ab aliquo tollit. Non est igitur verbum infinitum, sed potius negatio, quoties in tota sumitur propositione. Numerum vero propositionum quas nos supra quoque descripsimus, ipse subjecit, et infinitas quidem prius, post vero contrajacentes; quod si quis ad illa revertitur vel hic intendit animum, in quo vel nostra vel Aristotelis dispositio discrepet, diligenter agnoscit. Nos enim et contrarias proposuimus et subcontrarias. Aristoteles vero solum contradictorie sibimet contrajacentes oppositasque proposuit; sed Aristoteles non solum in præsenti tempore easdem propositionum dicit esse differentias quas proposuit, sed etiam in aliis quoque duobus temporibus quæ extrinsecus sunt: extrinsecus autem tempora vocat quæ præter præsens sunt, præteritum scilicet et futurum.

Quando autem est tertium adjacens prædicatur, dupliciter tunc dicuntur oppositiones. Dico autem, ut est justus homo. Est tertium dico adjacere nomen vel verbum in affirmatione. Quare quatuor erunt istæ, quarum duæ quidem ad affirmationem et negationem sese habebunt secundum consequentiam, ut privationes, duæ vero minime. Dico autem quoniam est, aut justo ad-

jacebit, aut non justo. Quare etiam negatio. Quatuor ergo erunt. Intelligimus vero quod dicitur ex iis quæ subscripta sunt, est justus homo. Hujus negatio, non est justus homo. Est non justus homo. Hujus negatio, non est justus hono. Est enim hoc loco et non est, justo et non justo adjacet. Hæc igitur, quemadmodum in resolutoriis dictum est, sic sunt disposita.

Quod autem dicitur perobscurum est et expositum a pluribus incurate, quorum cum judicio competenti enumerabo sententias. Postquam de his propositionibus expedivit, quæ duobus constiterant terminis, et subjectum habuerant aut nomen, aut (ut ipse ait) innominatum, id est infinitum nomen. Nunc ad eas transit in quibus est tertium adjacens prædicatur uno subjecto duobus prædicatis, ut in eo quod dicimus, homo justus est, homo subjectum est, et justus et est, utraque prædicantur. Ergo in hoc duo sunt prædicata, unum vero subjectum, et fortasse aliquis inquirat cur ita dixerit. Quando autem est tertium adjacens prædicatur, non enim tertium prædicatur, sed secundum. Duo enim sunt quæ prædicantur, unum vero subjectum est. Sed non ita dictum est quasi est in propositione quæ dicit, homo justus est, tertium prædicaretur. Sed quoniam adjacet tertium et prædicatur, ergo quod dicitur tertium, ad adjacere refertur; etenim in ea ipsa propositione quæ dicit, homo justus est, est tertium adjacet, prædicatum autem jam non tertium, sed secundum. Ergo tertium numeratum adjacet, secundum vero numeratum prædicatur, hoc est igitur quod ait. Quando est tertium adjacens prædicatur, non quoniam tertium prædicatur, sed prædicatur tertium adjacens, id est tertio loco. Facit igitur nunc in his propositionibus considerationem in quibus est tertium adjacens est, secundum prædicatum, et sicut in his in quibus tantum prædicatur est, non etiam adjacens prædicabitur, ut homo est de subjecto considerationem fecit, quot modis subjectum sumptum differentias faceret propositionum. Aut enim nomen dicebat esse subjectum, aut infinitum nomen. Ita hic nunc de prædicato loquitur, et de prædicati differentiis tractat. In his enim propositionibus in quibus est tertium adjacens prædicatur, sumptum prædicatum alias nomen, alias infinitum nomen facit differentias propositionum. Prædicatum autem dico in ea propositione quæ proponit, homo justus est, justus, hoc enim prædicatum de homine est, est autem non prædicatur. Sed tertium adjacens prædicatur, id est secundo loco, et adjacens justo, tertium vero in tota propositione prædicatur, non quasi quædam pars totius propositionis. Sed potius demonstratio qualitatis, hoc enim quod dicimus est, non constituit propositionem totam, sed qualis sit, id est quoniam est affirmativa demonstrat, atque ideo non dixit tertium prædicatur tantum sed tertium adjacens prædicatur. Non enim positum est tertium prædicatur solum. Sed adjacens tertium secundo loco, et (quemadmodum dictum est) accidenter prædicatur. Potest autem et sic intelligi, idcirco dixisse Aristotelem est in his tertium adjacens prædicari, quoniam possit aliquoties et per se prædicari, ut si quis dicat Socrates philosophus est, ut propositio hæc hoc sentiat: Socrates philosophus vivit. Est enim pro vivit positum est. Si quis ergo sic dicat, duo inveniuntur subjecta. Est vero solum prædicatur, non etiam adjacens. Quod enim dicimus Socrates philosophus, utraque subjecta sunt. Est enim prædicatur solum; si quis autem dicat sic: Socrates philosophus est, ut non jam Socratem philosophum esse atque vivere, sed Socratem philosophari et philosophum esse enuntiatione significet, tunc invenitur unum subjectum et duo prædicata. Socrates enim subjectum est, philosophus autem et est prædicata, quorum philosophus quidem principaliter prædicatur. Est autem adjacens nomini, quod est philosophus, et ipsum prædicatur, sed non simpliciter prædicatur, sed adjacens. Sunt autem aliæ propositiones hoc modo: Socrates in Lycæo disputat. Et sunt hæ ex tribus terminis. Sed de hac interim propositionum natura nihil tractat, sed de his solum in quibus est tertium adjacens prædicatur, ut est homo justus est, sed de his duas quidem oppositiones. Quocirca recte duæ oppositiones quatuor propositionum sunt. Hoc autem hujusmodi est. Quando est tertium adjacens prædicatur, quod principaliter prædicatur aut nomen erit, aut infinitum nomen. Et hæc aut affirmative prædicanda sunt, aut negative. Quocirca simplicis nominis affirmatio et simplicis nominis negatio, una est oppositio, et duæ propositiones. Finitum autem et infinitum hic non subjectum, sed sumitur prædicatum, ut in eo quod est, homo justus est, justus prædicatur, hoc autem nomen erit, aut infinitum nomen. Fiunt ergo ex his duæ affirmationes et negationes, homo justus est, homo est non justus, non est non justus homo, non est justus homo. Atque hoc quidem in indefinitis. Posterius autem monstrabitur hoc etiam in his esse, quæ determinationem habent universalitatis vel particularitatis. Nunc autem horum ordo subjectus numerum oppositionemque declarat.

Affirmatio simplex.		Negatio simplex.
Homo justus est.	Oppositio una.	Homo justus non est.
Affirmatio ex infinito.		Negatio ex infinito.
Homo non justus est.	Oppositio una.	Homo non justus non est.

Simplices in suprapositæ descriptione propositiones vocavi, in quibus nomen prædicatur, ut homo justus est, homo justus non est. Ex infinitis autem in quibus nomen infinitum principaliter prædicatur, ut homo non justus est, homo non justus non est. Sive autem est primo prædicatur sive postea, idem est. Nec hoc turbet quod Aristoteles est, primum dixit, nos vero postremum; sed idem est, fiunt igitur oppositiones duæ, propositiones vero quatuor, et hæ quatuor propositiones ex senario propositionum numero ad pau-

ciora reductæ sunt. Si enim simplices et ex duobus terminis fuissent, hoc modo essent, homo est, homo non est, justus est, justus non est, non justus est, non justus non est, et essent hæ sex propositiones. Posset quidem adjici hoc etiam, ut de infinito nomine subjecto fierent propositiones, ut est, non homo est, non homo non est. Sed de his posterius dicit. Nunc autem sex illæ simplices in quatuor reductæ sunt, idcirco quod res simplices junctæ naturaliter redeunt pauciores. Conjunctio enim ipsa numerum minuit, ut si sint decem res, et singulæ singulis jungantur, ut binæ fiant quinarius numerus conjunctionis redit. Ita enim hoc modo sex erant propositiones (ut supra docui) quæ et simpliciter dicerentur, sed hæ astrictæ sunt et conjunctione diminutæ sunt. Nam quod proposuerunt istæ quatuor, homo est, homo non est, justus est, B justus non est. Hæ conjunctiones in duas reductæ sunt, junctus enim homo cum justo duas propositiones fecerunt, homo justus est, homo justus non est. Rursus ad eumdem ipsum hominem infinitum cum prædicatur. Aliæ duæ propositiones ex infinito prædicato rationabiliter oriuntur, homo non justus est, homo non justus non est, quarum duæ oppositiones sunt, propositiones vero quatuor. Ita igitur ex sex propositionibus, id est homo, non est homo, est justus, non est justus, est non justus, non est non justus. Quæ cum sint sex propositiones, tres tantum habent oppositiones, homo justo et homo non justo subjectus quatuor solas propositiones fecit, duplicem vero oppositionem. Qui vero dixerunt numerosiores fieri propositiones ex his in quibus est adjacens prædicatur, quam ex his quæ duobus terminis constarent, illos C non intellexisse rerum naturam manifestum est, quæ ita fert, ut semper ex pluribus simplicibus rariores redeant res paucioresque conjunctæ. Ait igitur in his in quibus est tertium adjacens prædicatur, ut hoc quod ait tertium non ad prædicationem referatur potius quam ad ordinem, ut ipse distinxit dicens: Dico autem ut est justus homo, est tertium dico adjacere nomen vel verbum in affirmatione, non, inquit, tertium prædicari. Sed adjacere tertium, sed ad ordinem scilicet, non ad prædicationem refert ut tertium quidem adjaceret. Adjacens autem prædicaretur, id est non simpliciter prædicaretur. Neque enim superius est terminatum, ut in propositione, est, sit terminus. Atque ideo si quis resolvere præpositiones velit in suis terminis, ille non resolvit in est. Sed in D eo quod est homo et justus, et erunt duo termini subjectus quidem, homo, prædicatus vero, justus. Est autem quod adjacens prædicatur et tertium adjacens non in terminis, sed in qualitate potius propositionis (ut dictum est) accipitur. Nomen autem vel verbum ait est propter hanc causam, tertium enim nomen adjacere dixit est, ut doceret prima duo esse, homo scilicet et justus, idcirco autem ait nomen vel verbum, quoniam verba quoque nomina sunt. Hoc autem prius dixit dicens. ipsa quidem secundum se dicta verba nomina sunt. Postquam igitur dixit, quid vellet ostendere per id quod ait, est tertium adjacens

A prædicatur. Quoniam quantum ad ordinem non ad prædicationem refertur, subter exposuit quot fierent propositiones dicens: Quare quatuor istæ erunt? Dixit autem in his quatuor communem accidentiam, quam paulo post diligenter exponam. Quod autem accidit hoc est: Cum sint quatuor propositiones, quas positurus est, duæ ipsarum sese ad affirmationem et negationem ita habebunt secundum consequentiam, ut privationes, duæ vero minime. Sed hanc in his propositionibus accidentiam paulo post demonstrabo. Nunc autem illud respiciamus, quemadmodum ipsæ quatuor fieri propositiones dicat. Ait enim, Dico autem quoniam est aut justo adjacebit, aut non justo. Fiet enim duplex propositio. Si aut justo autem non justo est adjacet hoc modo, est justus homo est non justus homo. Quare, inquit, si est affirmativo modo positum, nunc quidem cum justo, nunc autem cum non justo geminas fecit propositiones scilicet affirmativas, idem quoque est cum negatione conjunctum, id est non, geminas quoque facit negationes, eas scilicet quæ sunt, non est homo justus, non est homo non justus: hoc est autem quod ait: Dico autem quoniam est, aut justo aut non justo adjacebit. Si enim adjacet justo, facit hanc affirmationem, est justus homo; si adjacet non justo, facit hanc affirmationem, est non justus homo. Quare etiam negatio juncta cum est idem facit. Hæc igitur negatio quæ est non, copulata justo et non justo, duas faciet negationes contra eas, quas supra diximus, propositiones. Si enim addatur justo, talem facit negationem, non est justus homo, si non justo, non est non justus homo. Hoc autem cur evenit, quoniam est et non est justo et non justo adjacet, est cum justo et non justo duas faciens propositiones. Non est iterum negatio cum justo et non justo alias duas negationes. Ex quibus quatuor duæ oppositiones sunt, ut ait supra. Quando est tertium adjacens prædicatur, dupliciter dicuntur oppositiones. Quare sensus sese totus hoc modo habet. Sed quoniam est quoque alia descriptio loci quæ sic dicit: Dico autem quoniam est aut homini adjacebit, aut non homini, quare et negatio; quatuor ergo proposiones erunt. Intelligimus autem quod diximus ex his quæ subscripta sunt. Est justus homo, hujus negatio, non est justus homo. Est non justus homo, hujus negatio, non est non justus homo, est enim hoc loco et non est, homini et non homini adjacet, turbabat expositores, et dubitabant quid hoc esset quod cum supra dixisset: Dico autem quoniam est aut homini adjacebit, aut non homini, in eorum exemplo et dispositione est non apposuit homini, aut non homini, sed justo non justo dicens. Intelligimus vero quod dicitur ex iis quæ subscripta sunt, est justus homo, hujus negatio, non est justus homo. Est non justus homo, hujus negatio, non est non justus homo, et postquam justo et non justo est et non est apposuit quod ante non dixit, sed ad hominem et non hominem est adjacere proposuit. Postea infert: Est autem hoc loco homini adjacet, et non homini, qui posuerat justo et non justo, est et non est adjacere.

Unde Alexander quoque dicit scripturæ esse culpam, non philosophi recte dicentis, et emendandam esse scripturam, sed non eum oportuit confundi, si pro homine et non homine justum et non justum intulit. Hæc enim exempla sunt potius quam propositionum necessitas, quod enim dixit est homini et non homini adjacere ita sumpsit, tanquam si homo prædicaretur, ut in eo quod est Socrates homo est, vel rursus Socrates non homo est. Ergo volens sumere quodcunque prædicatum, nunc quidem simplex, nunc autem infinitum, intulit justum et non justum indifferenter habens, an homo et non homo prædicaretur, an justus et non justus, solum in prædicato alias sumeretur nomen, alias infinitum nomen. Non ergo oportuit Alexandrum conturbari. Aliosque in hac scriptione in qua nos philosophus exercere voluit, sicut Porphyrium, et Herminum non turbabat, qui dicunt exempla hic esse finiti prædicati et infiniti, in quibus quod liber prædicatum sit, æque accipi oportere, vel sic cum dixisset homini et non homini adjacere, est et non est, album et non album, postea intulisset sufficere. Hoc enim et illud prædicatum, alias finitum, alias infinitum sumere in quibuscunque nominibus æque oportet, et quod homini ait et non homini adjacere est, et postea intulit justo et non justo, et subjecit hominem, non ita putandum est tanquam de subjectis, id est homine, et non homine loqui voluerit, et postea per errorem intulerit in prædicato justo et non justo, sed potius ipsum homini et non homini ita sumpsit, tanquam in aliquo prædicaretur, ut sicut dictum est, Socrates homo est, Socrates non homo est, hic ergo homo et non homo prædicatur. Rursus si quis dicat homo justus est, homo non justus est, nihil differt. Eodem enim modo prædicatum in una propositione simplex sumptum est. In altera infinitum, velut si dicam nix alba est, nix non alba est, eodem modo, non ergo culpanda est scriptura quæ cum prius proposuisset homini et non homini adjacere est justum et non justum intulit. Nihil enim interest sive justum aut non justum prædicetur, sive homo aut non homo, dummodo prædicationem alias infinitam, alias sumat finitam, tunc cum est tertium adjacens prædicatur. Exercere igitur intelligentiam nostram actionemque philosophus voluit rerum omnium solertissimus, non scripturæ falsa confundere; quando autem ea quæ supra dixit colligens ait: Est enim hoc loco, et non est, homini adjacet, hoc sentit, quoniam in hac propositione, quæ dicit, homo justus est, quam supra proposuerat: justus de homine prædicatur. Est autem adjacens justo adjacebit et homini, et in ea quæ dixit, homo justus non est, quoniam justus prædicatur de homine, non est autem adjacet. Non est ergo homini quoque adjacebit. Hoc enim est, quod ait, est enim hoc loco et non est homini adjacet. Nam si justus prædicatur de homine, est autem et non est adjacet justo, et homini quoque adjacebit, ut dictum est. Hanc quoque scripturam emendandam esse Alexander opinatur faciendumque esse hoc modo, sicut prius quoque exposuimus: Est enim hoc loco et non est, justo et non justo adjacet. Sed ordo quidem totius sententiæ diligenter expositus est, sive illa scriptio sit, sive illa, neutra enim mutanda est. Et una quidem plus habet exercitii, altera vero facilitatis, sed ad unam intelligentiam utraque perveniunt. Restat igitur ut quod ait: Quare idcirco quatuor istæ erunt, quarum quidem duæ ad affirmationem sese habent secundum consequentiam, ut privationes, duæ vero minime, diligentius exponamus. Locus enim magna brevitate constrictus est, et nimia subtilitate ac obscuritate difficilis, et hunc quidem in prima editione hujus operis transcurrentes exposuimus, atque in eo brevissimam, ut in aliis quoque dedimus, expositionem. Nunc autem quid in se sensus habeat veri, quidve hac brevitate latitet, quantum facultas suppetit, nos ipsi patefaciemus, et quantum valet animum lector intendat. Cui si forte paulo obscuriora videntur, rerum imputet difficultati, si vero planiora quam putaverit, suo gratiam debebit acumini. Sed prius quid de hoc loco Herminus arbitretur, quam possibiliter expediam. Ait Herminus tribus modis cum infinito nomine propositiones posse proferri, aut enim infinitum subjectum habent, ut non homo justus est, aut infinitum prædicatum, ut homo non justus est, aut infinitum subjectum et infinitum prædicatum, ut non homo non justus est. Harum igitur, inquit, quæcunque ad prædicatum terminum habent nomen infinitum, similes sunt his quæ aliquam denuntiant privationem. Denuntiant autem privationem hæ quæ dicunt, homo injustus est, homo injustus non est; ergo istiusmodi, quæ proponunt, homo injustus est, homo justus non est. Illæ, inquit, consentiunt quæ sunt ex infinito prædicato, ut ea quæ est homo non justus est, homo non justus non est. Idem enim est, inquit, esse hominem injustum, quod hominem non justum. Illæ vero quæ habent aut subjectum infinitum ut est, non homo justus est, aut utraque infinita, ut est, non homo non justus est, non consentiunt ad privatoriam propositionem, quæ est homo injustus est. Nulla enim similitudo est ejus propositionis quæ est, non homo justus est, et ejus quæ dicit, homo injustus est. Nec vero ejus quæ proponit non homo non justus est, et ejus quæ enuntiat, homo injustus non est. Namque illæ quæ infinitum nomen habent in prædicatione, hæ privatoriis consentiunt. Illæ vero propositiones quæ aut subjectum habent infinitum, aut utraque infinita, privatoriis longe diversæ sunt. Sed hic Herminus longe a toto intellectum et ratione sententiæ discrepans has interposuit, quæ aut ex utrisque infinitis, aut ex subjecto fierent infinito. Quod autem esset quod ait secundum consequentiam, vel quæ duæ haberent se secundum consequentiam ut privationes, quæ vero non exponent nihil planum fecit, et sensus nihilo magis ante expositionem Hermini quam post expositionem obscurum est. Nos autem Porphyrium sequentes, eique doctissimo viro consentientes hoc dicimus, esse quatuor propositiones, quarum duæ

quidem ex finitis nominibus sunt, duæ vero ex infinitis nominibus prædicatis. Sunt autem ex finitis nominibus hoc modo, affirmatio, est justus homo, negatio, non est justus homo. Ex infinitis vero nominibus prædicatis affimatio est quæ dicit, est non justus homo, negatio quæ proponit, non est non justus homo. Sed has ex infinitis nominibus prædicatis propositiones in reliquo sermone infinitas vocabimus, ut affirmatio infinita sit in hac expositione, ea quæ dicit, est non justus homo, negatio infinita, ea quæ dicit, non est non justus homo, ut quod dicturi eramus propositionem ex infinito nomine prædicato, hanc infinitam nominemus, illas autem duas quæ nullum nomen habent infinitum, nec subjectum nec prædicatum, simplices vocemus. Sunt ergo simplices propositiones hæ, est homo justus, non est homo justus. Privatorias autem propositiones voco quæcunque habent privationem. Privatoriæ autem sunt hoc modo, est injustus homo, hæc enim justitia subjectum privat, et rursus non est injustus homo, hæc rursus injustitia subjectum privat. Ergo cum sint duæ propositiones simplices, una affirmativa altera negativa, et sint aliæ duæ privatoriæ, earum quoque una affirmativa, altera negativa, nec non etiam sint aliæ duæ infinitæ, affirmativa rursus et negativa, dico quoniam quemadmodum se privatoriæ propositiones, affirmatio scilicet et negatio, ad affirmationes et negationes simplices habuerint, sic se habebunt et quæ sunt infinitæ ad easdem ipsas simplices, id est secundum consequentiam; quod autem dico tale est, disponantur prius duæ simplices, id est affirmatio quæ dicit, est justus homo, et rursus negatio quæ dicit, non est justus homo. Sub his autem disponantur privatoriæ, sub affirmatione quidem simplici privatoria negativa, sub negativa simplici affirmativa privatoria, ut sub ea quæ dicit, est homo justus, ponatur quæ dicit non est homo injustus, et sub ea quæ dicit non est homo justus, ponatur ea quæ proponit est homo injustus. Rursus sub privatoriis disponantur infinitæ, sub affirmatione affirmatio, sub negatione negatio. Sub affirmatione quidem privatoria, quæ dicit est injustus homo, disponatur affirmativa infinita, est non justus homo; sub negativa vero privatoria quæ dicit non est injustus homo, ponatur negativa infinita, quæ dicit, non est non justus homo. Hoc autem subjecta descriptio docet:

Affirmatio.	Est justus homo.	Simplices.	Non est justus homo.	Negatio.
Negatio.	Non est justus homo.	Privatoriæ.	Est justus homo.	Affirmatio.
Negatio.	Non est non justus homo.	Infinitæ.	Est non justus homo.	Affirmatio.

His igitur ita dispositis dico quoniam quemadmodum se habent privatoriæ, id est, affimatio et negatio, quæ dicunt, est injustus homo, non est injustus homo, ad simplices quæ proponunt est justus homo, non est justus homo, secundum consequentiam sic se habebunt etiam infinitæ propositiones affirmatio et negatio, hæ scilicet quæ sunt, est non justus homo, non est non justus homo, ad easdem simplices quæ sunt, est justus homo, non est justus homo. Videamus quæ sit simplicium et privatoriarum consequentia, ut utrum se sic habeant infinitæ ad simplices, quemadmodum se habent privatoriæ ad easdem simplices, cognoscamus. Dispositæ igitur sunt in primo quidem ordine simplices propositiones, affirmatio simplex quæ dicit, est justus homo, et negatio simplex quæ dicit, non est justus homo. Sub his, id est sub affirmatione simplici, duæ negationes, una privatoria quæ est non est injustus homo, et altera infinita quæ est non est injustus homo. Sub negatione vero simplici quæ dicit, non est justus homo, duæ affirmationes, una privatoria quæ dicit, est injustus homo, altera infinita quæ dicit, est non justus homo. Illud quoque in descriptione videndum est quod angulariter se affirmationes negationesque respiciunt, nam affirmatio quæ est simplex, est justus homo, angulariter se contra utrasque respicit affirmationes, infinitam scilicet et privatoriam, quæ sunt est non justus homo, est injustus homo. Rursus negatio simplex quæ est, non est justus homo, angulariter respicit duas negationes, infinitam scilicet et privatoriam, et in veritate simplicem affirmationem privatoriam negatio sequitur, nam si verum est dicere quoniam est justus homo, verum est dicere quoniam non est injustus homo, nam qui justus est homo, non est injustus homo. Sequitur ergo affirmationem simplicem privatoria negatio, ut si vera fuerit affirmatio simplex, vera quoque sit negatio privatoria, et affirmationis simplicis veritatem negationis privatoriæ veritas consequatur. At vero non econverso est, neque enim affirmatio simplex negationem sequitur privatoriam. Nam si verum est dicere, quoniam non est injustus homo, non omnino verum est dicere quoniam est justus homo. Potest enim vere de equo dici quoniam equus non est injustus homo, neque enim omnino homo est. Et ideo nec injustus homo est, sed non potest dici de equo, quoniam equus est justus homo; ita ergo veritatem privatoriæ negationis non sequitur veritas simplicis affirmationis, atque ideo nec continua propositio hinc et conjuncta proponi proferrique potest. Non enim vera propositio est si quis dicat, si non est injustus homo, est justus homo, de equo enim verum est (ut dictum est) quia non est injustus homo, non tamen verum est esse justum hominem equum. Quare negationem privatoriam simplex affirmatio non sequitur. Monstratum est igitur quoniam affirmationem simplicem negatio privatoria sequeretur, negationem vero privatoriam simplex affirmatio non sequeretur. Rursus videamus et in opposita parte qualis sit consequentia, in diversa enim parte affirmationem quidem privatoriam sequitur negatio simplex, negationem vero simplicem affirmatio privatoria non sequitur. Nam si verum est dicere quoniam est injustus homo, verum est dicere quoniam non est justus homo, qui enim injustus est, justus non est, et affirmativæ privatoriæ, ejus scilicet quæ dicit, est

injustus homo, veritatem sequitur negativa simplex quæ est, non est justus homo, hoc autem non convertitur. Neque enim simplicem negativam sequitur privatoria affirmativa. Nam si verum est dicere quoniam non est justus homo, non est omnino verum quoniam est injustus homo, de equo enim verum est dicere quoniam equus non est justus homo, nam qui omnino homo non est, nec justus homo est. Sed non de eodem equo potest dici vere quoniam equus est injustus homo, nam qui homo non est, nec injustus homo esse potest. Quare veritatem negativæ simplicis non sequitur veritas privatoriæ affirmationis, veritatem autem affirmationis privatoriæ sequitur ex necessitate veritas simplicis negativæ. Quocirca monstratum est hoc in utrisque, quoniam affirmationem quidem simplicem sequeretur negatio privatoria, negationem vero privatoriam non sequitur affirmatio simplex. Rursus affirmationem privatoriam sequitur negatio simplex, negationem simplicem non sequitur affirmatio privatoria. His ergo ita positis de infinitis privatoriisque tractemus. Privatoriæ namque et infinitæ affirmationes affirmationibus, negationes consentiunt negationibus hoc modo. Affirmatio enim privatoria quæ dicit, est injustus homo, consentit infinitæ affirmationi, quæ dicit non est justus homo, idem enim significant utræque privatoria affirmatio et infinita affirmatio, et quanquam in aliqua sermonis prolatione discrepent, tamen significatione nil discrepant, nisi tantum quod quem illa injustum ponit, id est privatoria hæc ponit esse non justum, et rursus negatio privatoriæ quæ est, non est injustus homo, consensit atque concordat ei negationi quæ est infinita, non est non justus homo. Hæ quoque, id est negationes quo sibi in consequentia consentiunt manifestum est. Sequitur autem simplicem affirmationem ea quæ dicit, est justus homo, privatoria negatio quæ dicit, non est injustus homo, sequitur ergo eadem ipsam simplicem affirmationem infinita negatio, id est eam quæ dicit est justus homo, ea quæ proponit non est non justus homo. Nam sibi privatoria negatio et infinita consentiunt, si eam sequitur privatoria negatio, eamdem quoque infinita negatio consequitur, sed affirmationem simplicem quæ proponit est justus homo, privatoria negatio sequitur quæ dicit, non est injustus homo. Quare sequitur etiam eamdem simplicem affirmationem quæ enuntiat est justus homo, infinita negatio quæ dicit, non est non justus homo. Rursus e diversa parte idem evenit, quoniam affirmationem privatoriam quæ dicit, est injustus homo, sequebatur negativa simplex quæ proponit non est justus homo. Sequitur quoque infinitam affirmationem quæ dicit, est non justus homo, simplex negatio quæ proponit, non est justus homo, nam si privatoria affirmatio et infinita consentiunt, quæ propositio sequitur privatoriam, eadem sequitur infinitam. Sed privatoriam affirmationem, quæ dicit, est injustus homo, sequitur simplex negatio, quæ proponit, non est justus homo, sed

A privatoria affirmatio et infinita affirmatio idem significant, sibique consentiunt. Sequitur ergo simplex negatio quæ est, non est justus homo, infinitam affirmationem quæ dicit, est non justus homo, sed hoc econverso non evenit. Nunc enim demonstratum est quod simplicem affirmationem sequeretur infinita negatio, et simplex negatio veritatem infinitæ affirmationis sequeretur, sed non est conversio, ut rursus infinitam negationem sequatur finita affirmatio, et simplicem negationem infinita rursus affirmatio consequatur. Nam si idem privatoria negatio quæ est, non est injustus homo, et infinita negatio significant, quæ est non est nonjustus homo, quoniam affirmatio simplex quæ dic. test justus homo, non sequitur privatoriam negationem quæ est, non est justus homo, ut supra monstravimus, eadem ipsa simplex affirmatio quæ proponit, est justus homo, non sequitur infinitam negationem quæ enuntiat, non est non justus homo. Rursus in parte altera si affirmatio privatoria quæ proponit est injustus homo, idem significat cum infinita affirmatione, quæ dicit, est non justus homo: privatoria autem affirmatio quæ proponit est injustus homo, non sequebatur simplicem negationem, quæ dicit non est justus homo, nec eadem quoque simplicem negationem quæ proponit non est justus homo, sequitur indefinita affirmatio quæ dicit, est non justus homo. Sed quanquam hic ratio consequentiæ et necessitas monstret, nos tamen id quod demonstravimus ratione, exemplis quoque doceamus. Dico enim affirmationem simplicem quæ dicit est justus homo, sequi infinitam negationem quæ dicit, non est non justus homo, sicut eamdem quoque simplicem affirmationem sequebatur privatoria negatio, quæ proponit non est injustus homo, nam si verum est dicere quoniam est justus homo, verum quoque de eodem est dicere quoniam non est non justus homo. Nam qui justus est, non est non justus, sicut verum erat dicere, quoniam idem qui justus est, non est injustus, quare simplicem affirmationem sequitur infinita negatio, sicut eamdem quoque simplicem privatoria negatio sequebatur. Sed hoc non convertitur, neque statim verum est, quoniam non est non justus homo eumdem esse justum, equus enim non est non justus homo, neque enim omnino homo est. Quod autem omnino homo non est, non poterit esse homo non justus, sed de equo, de quo verum est dicere quoniam non est non justus homo, non est de eo verum dicere quoniam est justus homo. Sicut et de eodem equo verum esset dicere privatoriam negationem quæ proponit, non est injustus homo. Hæc enim poterat etiam de equo dici, nec erat verum quoniam sequeretur hanc, id est privatoriam negationem simplex affirmatio quæ dicit, est justus homo. Quare non sequitur infinitam negationem quæ est, non est non justus homo simplex affirmatio quæ proponit, est justus homo, sicut nec illam quidem quæ consentit infinitæ negationi, id est privatoriam negationem quæ proponit, non est injustus homo, ea quæ dicit est justus homo

simplex affirmatio sequebatur. Concludenti igitur dicendum est, quoniam affirmationem quidem simplicem sequitur infinita negatio, sicut eam privatoria sequebatur. Infinitam vero negationem non sequitur simplex affirmatio, sicut nec negationem privatoriam sequebatur. Rursus in parte altera idem econverso evenit. Affirmationem enim infinitam sequitur negatio simplex sicut privatoriam quoque affirmationem eadem simplex negatio sequebatur; nam qui est non justus homo, ille ex necessitate non est justus, sicut etiam qui est injustus homo, ille ex necessitate non est justus homo. At vero si verum est dicere quoniam non est justus homo, non omnino necesse est illum esse non justum hominem. Equus enim non est justus homo, nam qui omnino homo non est, nec justus homo esse potest, sed nullus de eodem dicere potest quoniam equus est non justus homo; quod enim homo non est, nec non justus homo esse potest, sicut etiam cum diceremus, non est justus homo, non sequebatur privatoria affirmatio quæ dicit, est injustus homo, equus namque non est justus homo, sed de eodem equo nemo dicit quoniam est injustus homo. Iterum igitur concludenti dicendum est affirmationem infinitam sequi simplicem negationem, sicut affirmatio quoque privatoria sequebatur, sed non convertitur. Neque enim sequitur simplicem negationem infinita affirmatio, sicut eam nec privatoria affirmatio sequebatur. Sic ergo cum sint quatuor propositiones, duæ simplices, duæ infinitæ sunt. quarum quatuor duæ simplices sunt, est justus homo, non est justus homo, duæ vero infinitæ, est non justus homo, non est non justus homo. Et harum quatuor duæ quidem, id est negatio infinita et negatio simplex, sequuntur duas, id est negatio infinita simplicem affirmationem, ea quæ dicit, non est non justus homo, eam quæ dicit est justus homo, affirmationem vero infinitam sequitur negatio simplex. Affirmationem enim infinitam quæ dicit, est non justus homo, sequitur ea quæ proponit, non est justus homo negativa simplex, duæ vero aliæ, id est affirmatio simplex et affirmatio infinita, non sequuntur negationem infinitam et simplicem negationem. Hoc autem etiam in privatoriis evenit, ut affirmatio privatoria non sequatur simplicem negationem, cum illa simplex negatio sequatur, et rursus negatio privatoria sequatur affirmationem simplicem, cum simplex affirmatio non sequatur privatoriam negationem. Recte igitur dictum est, harum quatuor, id est duarum simplicium propositionum et duarum infinitarum, duas duabus esse consequentes, et habere quamdam consequentiam ad alias, sicut infinita negatio et simplex negatio sequuntur simplicem affirmationem et infinitam affirmationem, sicut privationes quoque, nam et privatoria negatio sequebatur simplicem affirmationem, et simplex negatio sequebatur privatoriam affirmationem. Ergo duæ habent consequentiam, id est infinita negatio et simplex negatio ad simplicem et infinitam affirmationes, sicut privationes quoque, namque et privatio-

A nes similiter sunt, ut sæpe supra monstravi vero minime habent consequentiam. Neque negativam infinitam simplex sequitur affirm aut infinita affirmativa simplicem negativam tur, sicut in privationibus quoque fuit. In priva bus namque nec affirmatio simplex privatoria gationem sequebatur, nec simplicem negati privatoria affirmatio consecuta est. Sensus erg jusmodi est: Quatuor istæ erunt, id est qu propositiones, ex quibus duplicem fieri oppositi dixerat, quatuor autem istæ sunt duæ simplic firmativa, est justus homo, negativa, non est j homo, et duæ infinitæ, affirmativa, est non j homo, negativa, non est non justus homo. Qua inquit, duæ, negativa scilicet infinita et ne

B simplex, sic se habebunt ad affirmationem et tionem secundum consequentiam, id est ita duas affirmationes, simplicem et infinitam, ips negationes sequuntur, ut eas privationes sequ tur. Duæ vero minime, id est simplex affirma infinita affirmatio, non sese habebunt secu consequentiam, ipsæ duæ affirmationes ad dua gationes, infinitam scilicet et simplicem, qua sequebantur, sicut nec dudum has negationes toriæ quoque affirmationes secutæ sunt. Quod ait secundum consequentiam ad affirmation negationem, non ita intelligendum est, quasi u affirmatio aut una negatio. Sed quoniam in qu propositionibus, in quibus duæ quidem affirmat erunt, duæ vero negationes, affirmationes sir

C quidem est justus homo, infinita autem est nc stus homo, negationes autem simplex quidem est justus homo, infinita autem, non est non j homo. Quoniam affirmationes duas simplicem dem, est justus homo, infinitam autem, est nc stus homo, duæ negationes sequebantur, sin negatio quæ est, non est justus homo, infinita firmationem quæ dicit, est non justus homo, e sus infinita negatio simplicem affirmationem s batur. Quoniam ergo (ut dictum est) duas affi tiones et simplicem et infinitam, duæ negat simplex et infinita sequebantur, hoc autem et i vationibus erat, idcirco dictum est ad affirmati et negationem secundum consequentiam sic bere harum quatuor propositionum duas, sicut se privationes haberent. Ad affirmationem ante

D negationem dixit, quod duas affirmationes du gationes consequerentur, duæ vero minime, duæ affirmationes negationes duas non sequ tur, neque enim sequebatur negationem infir simplex affirmatio, aut simplicem negationem affirmatio, sicut nec in privationibus erat, quod supra monstratum est. Ne quis autem nos tretur de eodem genere propositionum dicere, negationes affirmationes. Neque enim dicimus tionem simplicem sequi affirmationem simpli Hoc enim impossibile est, nunquam enim sibi sentiunt simplex affirmatio, simplexque negati rursus infinita negatio, et infinita affirmatio, n

enim fieri potest ut aut negatio quæ dicit, non est justus homo,affirmationi quæ proponit, est justus homo,consentiat, aut affirmatio quæ dicit, est non justus homo, consentiat negationi quæ dicit, non est non justus homo.Eam enim quæ dicit, est justus homo simplicem affirmationem sequitur privatoria negatio quæ dicit, non est injustus homo, sed negativam inquiunt infinitam quæ est, non est non justus homo,non sequitur affirmativa simplex quæ dicit,est justus homo.Ergo quemadmodum negativa privatoria quæ est,non est injustus homo,sequitur affirmativam simplicem quæ dicit,est justus homo, non eodem modo eadem simplex affirmatio, quæ dicit, est justus homo, sequitur infinitam negationem quæ dicit, non est non justus homo. Quibus dicendum est non eos hanc consequentiam recte intelligere,nec quidquam in hac hujusmodi propositionum consequentia discrepare.Cur enim hoc non notaverunt, quod non sequitur negationem infinitam quæ est, non est non justus homo, finita affirmatio quæ dicit,est justus homo? Nam hoc nihil mirabile debet videri.Idcirco enim simplex affirmatio quæ dicit,est justus homo,non sequitur infinitam negationem quæ dicit, non est non justus homo, quoniam nec antea privatoriam sequebatur. Neque enim sequebatur eadem simplex affirmatio quæ dicit, est justus homo,privatoriam negationem, quæ dicit non est injustus homo, et ea causa est cur infinitam quoque non sequitur.Infinita enim et privatoria (ut supra sæpe jam dictum est) sibi consentiunt.Quare nulla est discrepantia, nam si simplex affirmatio negationem privatoriam sequeretur,eodem quoque modo infinitam negationem sequeretur, nunc autem quoniam simplex affirmatio privatoriam negativam non sequitur,nec infinitam quoque sequitur negativam.Illi autem qui sumpserunt quoniam sequeretur privatoria negatio simplicem affirmationem, et in eadem consequentia discrepare dixerunt,quod simplex affirmatio non sequeretur infinitam negationem, non ita oportuit discrepantiam sumere, sed magis si quemadmodum privatoria negatio sequeretur affirmationem simplicem,sic infinita negatio non sequeretur simplicem affirmationem,tunc in consequentia discreparet,nunc autem nulla est omnino discrepantia.Atque in hac quidem parte nihil omnino discrepant atque discordant; videamus nunc in altera parte, quam illi esse discrepantiam dicunt infinitarum consequentiæ et privatoriarum ad simplices, ut in ea quoque si quid vere discrepent, videamus. Dicunt enim affirmationi quidem privatoriæ,quæ dicit,est injustus homo,consentientem esse et concordantem simplicem negativam quæ dicit,non est justus homo, et sicut negatio privatoria sequitur simplicem affirmationem,aiunt quoniam non ita sequitur simplicem negationem quæ dicit,non est justus homo, infinita affirmatio quæ dicit,est non justus homo.Hæc enim illam non sequitur. Quibus dicendum est rursus, quoniam idcirco infinita affirmatio quæ dicit, est non justus homo, non sequitur simplicem negationem quæ proponit,non est justus homo,quoniam privatoria affirmatio quæ dicit, est injustus homo, non sequitur simplicem negationem quæ proponit,non est justus homo.Quod si privatoria affirmatio sequeretur simplicem negationem, sequeretur sine dubio infinita quoque affirmatio eamdem simplicem negationem.Nunc autem quoniam privatoria affirmatio simplicem negationem non sequitur, nec infinita affirmatio simplicem sequitur negationem,affirmatio enim privatoria et affirmatio infinita sibimet consentiunt. Illi vero qui discrepantiam ostendere voluerunt infinitarum et privatoriarum consequentiæ ad simplicem,quod cum negatio simplex sequeretur affirmationem privatoriam,non eodem modo affirmatio infinita sequeretur simplicem negationem, non ita oportuit colligi discrepantiam,sed potius,si quemadmodum affirmativa privatoria quæ dicit, est injustus homo,non ita infinita affirmatio quæ enuntiat, est non justus homo,non sequeretur simplicem negationem quæ est,non est justus homo, tunc oportuerat dicere aliquid discrepare consequentiam privatoriarum et infinitarum ad simplices.Nunc autem cum eodem modo privatoria affirmatio non sequatur simplicem negationem, quo infinita affirmatio non sequitur eamdem simplicem negationem,manifestum est nullam esse in his discrepantiam,imo in omnibus simillimam consequentiam,et illos nihil per hanc rationem, quam volunt addere recte disserere, imo potius majoribus obscuram sententiam obscuritatibus implicare,sed potius ita intelligendum est,ut id quod ait: Quarum duæ quidem ad affirmationem et negationem sese habebunt secundum consequentiam, ut privationes, duæ vero minime, ita accipiamus tanquam si ita dixisset,quatuor propositionum duarum simplicium, duarum vero infinitarum, duas affirmationes,id est simplicem et infinitam,sequuntur duæ negationes,simplex et infinita scilicet,sicut privationes quoque.In privationibus enim affirmativam simplicem sequebatur privatoria negatio, et simplex negatio privatoriam affirmationem, reliquæ vero duæ,id est simplex affirmatio et infinita affirmatio, nullam habent consequentiam ad negationes, id est ad simplicem et infinitam,sicut nec privationes quoque, nam affirmatio privatoria non sequebatur negationem simplicem,nec simplex affirmatio privatoriam negationem, ut dicamus hoc modo. Quare quatuor istæ erunt duæ simplices, duæ infinitæ, quarum,id est duarum simplicium et duarum infinitarum, duæ quidem, id est negationes simplex et infinita ad duas affirmationes sequuntur,id est simplicem et infinitam.Hoc est enim quod ait,ad affirmationem et negationem sic se habebunt secundum consequentiam,id est consequentiæ negationes ad eas quæ sunt affirmationes, sicut in privationibus quoque dicebatur, duæ vero, id est affirmationes simplex et infinita non habent se secundum consequentiam ad duas negationes, id est simplicem et infinitam,sicut privationes quoque se secundum consequentiam non habebant,nam privatoriam negatio-

nem non sequebatur affirmatio simplex, nec simplicem negationem privatoria affirmatio. Est alia quoque simplicior expositio, quam Alexander post multas alias expositiones, in quibus animadvertit, edidit hoc modo : Cum sint, inquit, quatuor propositiones, quarum duæ sunt infinitæ, duæ vero simplices, duæ, inquit, infinitæ æqualiter se habent secundum affirmationem et negationem ad privatorias, duæ vero simplices ad easdem privatorias se similiter non habent hoc modo : Affirmativa enim infinita consentit affirmativæ privatoriæ. Ea enim quæ dicit infinita affirmatio, est non justus homo, ei consentit affirmationi privatoriæ quæ dicit, est injustus homo, ea vero infinita negatio quæ dicit, non est non justus homo, privatoriæ negationi consentit quæ dicit non est injustus homo, atque hæ quidem duæ, id est infinita affirmatio et infinita negatio, ita sese habent ad affirmationem et negationem, ut privationes, id est eadem affirmant vel negant, quæ privationes affirmant vel negant, duæ vero minime, id est duæ simplices, minime ita se habent ad affirmationem et negationem sicut privationes, nam omnino non contingit simplex affirmatio privatoriam affirmationem. Ea enim quæ dicit, est justus homo, non consentit ei quæ dicit, est injustus homo, nec rursus negatio simplex privatoriæ negationi consentit. Ea enim quæ dicit, non est justus homo, quæ est simplex negatio, plurimum dissidet ab ea quæ dicit, non est injustus homo, quæ est privatoria negatio ; ergo cum sint quatuor, affirmatio simplex et negatio simplex, affirmatio infinita et negatio infinita, harum duæ, id est affirmatio infinita et negatio infinita, ita aliquid affirmant vel negant ut privationes. Hoc est enim quod ait, ita sese habent ad affirmationem et negationem, ut privationes, duæ vero minime. Neque enim ita affirmant et negant duæ simplices, sicut duæ privatoriæ, affirmatio namque simplex ab affirmatione privatoria discrepat, et rursus negatio simplex a negatione privatoria longe dissidet atque discordat, sed hæc (ut diximus) Alexandri expositio est post multas alias simplicior, non tamen repudianda, sed illa superior verior esse videtur, quod Aristoteles ipse testatur, ait enim paulo post : Hæc igitur quemadmodum in resolutoriis dictum est, sic sunt disposita. Hanc enim consequentiam quam supra in superiori expositione memoravi privatoriarum et infinitarum ad simplices in primi libri priorum resolutoriorum, quæ ἀναλυτικὰ Græci vocant, fine disposuit ; dicit autem Porphyrius fuisse quosdam sui temporis, qui hunc exponerent locum, et quoniam ab Hermino vel Aspasio vel Alexandro expositiones singulas proferentes multa contraria, et in expositionibus male ab illis editis dissidentia repererunt, arbitratos fuisse librum hunc Aristotelis ut dignum esset, exponi omnino non posse, multosque illo tempore viros totam hujus libri præteriisse doctrinam, quod inexplicabilem putarent esse caliginem. Nos autem brevissime hunc locum in prima editione præterivimus, sed quod illic pro intellectus simplicitate breviter posuimus, hic omni latitudine totam sententiæ vim et prolixitatem digessimus, quare quoniam superiore digne (ut mihi videtur) expressimus, sequentis textus ordinem sententiamque videamus.

Similiter autem se habent, et si universalis nominis sit affirmatio, ut omnis est homo justus. Negatio non omnis est homo justus omnis est homo non justus, non omnis est homo non justus. Sed non similiter angulares contingit veras esse, contingit autem aliquando.

De infinitis quædam propositionibus prælocutus, nunc de iis quæ determinatæ sunt secundum universalitatis et particularitatis adjectionem dicit, quod etiam ipsæ similiter se habeant sicut illæ quoque quæ sine nulla determinatione dicebantur, simplex scilicet propositio atque infinita. Quod vero ait : Similiter autem se habent et si universalis nominis affirmatio sit, alii ita intellexerunt, ut quod ait : Similiter referatur ad numerum propositionum et oppositionum. Nam sicut in his quæ infinitæ sunt et indeterminatæ duæ sunt oppositiones, una simplicis negationis et simplicis affirmationis, altera infinitæ affirmationis et infinitæ negationis. Quatuor autem propositiones, quod supra jam dictum est, ita quoque in iis quæ determinationem secundum universalitatem particularitatemque habent, quatuor fiunt propositiones et oppositio duplex. Oppositio enim una est universalis affirmationis simplicis, et particularis negationis simplicis, ut est, omnis homo justus est, non omnis homo justus est, et hæc est quidem una oppositio. Alia vero infinitæ universalis affirmationis, et infinitæ particularis negationis, ut est, omnis homo non justus est, non omnis homo non justus est. Quare hic quoque cum duæ sint oppositiones, erunt sine dubio propositiones quatuor, sicut in his de quibus supra dixerat, quæ scilicet, determinatione carebant. Alii vero qui Aristotelis animum penitus inspexerint, non aiunt similiter solum se habere determinatas propositiones, ad numerum oppositionum et propositionum, sed etiam ad consequentiam, nam quæ est consequentia negationum ad affirmationes in his propositionibus simplicibus et infinitis, quæ præter determinationum dicuntur, eadem similitudo habetur, et in iis quæ cum determinatione proferuntur. Sed quoniam non in omnibus omnia similia habent, idcirco addidit notans, sed non similiter angulares contingit esse veras, contingit autem aliquando. Sensus autem hujusmodi est : Similiter, inquit, se habent hæ propositiones quæ secundum determinationem dicuntur infinitæ ad simplices, et simplices ad infinitas, quemadmodum illæ quoque se habebant, quæ sine determinatione indefinitæ dicebantur. Sed habent quamdam dissimilitudinem, quod angulares propositiones in iis quæ cum determinatione dicuntur, non eodem modo veræ sunt, quomodo illæ quæ sine determinatione proferebantur, vel infinitæ vel simplices. Videamus ergo prius an eadem in iis quæ determinatæ sunt sit consequentia quæ in iis est quæ indefinite proferuntur. Post videamus quæ sit in angularibus dissimilitudo; disponantur ergo non solum

hæ quæ simplices vel infinitæ sunt, sed etiam quæ sunt privatoriæ, et prius quidem disponantur hoc modo : Simplex affirmatio simplexque negatio. Et hæ quidem indefinite, id est præter universalitatis aut particularitatis adjectionem, sub his, id est sub affirmatione quidem simplici ponatur negatio privatoria, sub negatione vero simplici affirmatio privatoria. Hæ quoque rursus indefinite; ponatur autem sub affirmatione privatoria, et sub simplici negatione affirmatio infinita. Sub privatoria autem negatione et simplici affirmatione ponatur negativa infinita, et hæ quoque indefinite et indeterminate sine ulla particularitate vel universalitate. Sub his autem disponantur hæ

A quas determinatas, vel universalitatis quantitate vel particularitatis vocamus, et primo quidem affirmatio universalis simplex, contra hanc negatio particularis simplex. Sub affirmatione autem universali simplici ponatur negatio particularis privatoria, sub negatione autem particulari simplici, universalis affirmatio privatoria. Rursus sub negatione particulari privatoria, et sub affirmatione universali simplici ponatur negatio particularis infinita. Sub affirmatione vero universali privatoria, et sub negatione simplici particulari ponatur universalis affirmatio infinita, erit autem hujusmodi descriptio :

Affirmatio simplex.	Homo justus est.
Negatio privatoria.	Homo injustus non est.
Negatio infinita.	Homo non justus non est.
Indefinitæ.	
Homo justus non est.	Negatio simplex.
Homo injustus est.	Affirmatio privatoria.
Homo non justus est.	Affirmatio infinita.
Affirmatio universalis simplex.	Omnis homo justus est.
Negatio particularis privatoria.	Non omnis homo injustus est.
Negatio particularis infinita.	Non omnis homo non justus est.
Definitæ.	
Non omnis homo justus est.	Negatio particularis simplex.
Omnis homo injustus est.	Affirmatio universalis privatoria.
Omnis homo non justus est.	Affirmatio universalis infinita.

In hoc ordine propositionum quem supra descripsimus, quæ sint angulares manifestum est. Sunt namque affirmationes quidem affirmationibus, negationes vero negationibus, et in his quidem quæ indefinitæ sunt eodem modo angulares sunt affirmationes. Simplex quidem affirmatio quæ dicit, est homo justus, privatoriæ affirmationi quæ dicit, est homo injustus, et infinitæ affirmationi quæ proponit, est homo non justus, angularis est. Negatio vero simplex quæ est, non est homo justus, negationi privatoriæ quæ dicit, non est homo injustus et negationi infinitæ quæ est, non est homo non justus, angularis est. Item si quis ad definitas propositiones aspiciat, idem sine aliqua dubitatione reperiet. Affirmatio enim universalis simplex quæ est, omnis homo justus est, affirmationi universali privatoriæ quæ enuntiat, omnis homo injustus est, et affirmationi universali infinitæ quæ dicit, omnis est homo non justus, angularis est. Item negatio particularis simplex quæ est, non omnis est homo justus, negationi particulari privatoriæ quæ dicit, non omnis est homo injustus, et negationi particulari infinitæ quæ proponit, non omnis est homo non justus, angulares sunt igitur affirmationes affirmationibus, et negationes negationibus, angulares sunt et in ordine indefinitarum propositionum et in ordine definitarum, quocirca de earum consequentia speculandum est. Dictum est enim prius quod affirmationem indefinitam simplicem sequeretur privatoria et infinita negatio, eas vero simplex affirmatio non sequeretur, rursus infinitam affirmationem, privatoriamque affirmationem sequitur simplex negatio, hæ vero negationem simplicem non sequuntur. Rursus si quis ad ordinem definitarum respiciat, idem inveniet, affirmationem namque universalem simplicem sequitur particularis privatoria negatio et particularis

B infinita negatio. Nam si vera est universalis affirmatio simplex quæ dicit, omnis est homo justus, vera est etiam particularis privatoria negatio quæ dicit, non omnis est homo injustus ; hoc autem idcirco evenit quod ea quæ dicit, non omnis homo injustus est, idem potest quod simplex, et similis est ei quæ proponit, quidam homo justus est, particulari simplici affirmationi ; nam si non omnis homo injustus est, quidam homo justus est, sed particularis affirmatio simplex sequitur universalem affirmativam simplicem. Quando enim vera est universalis affirmatio quæ dicit, omnis homo est justus, vera est et particularis affirmativa quæ proponit, quidam homo justus est, sed ei quæ dicit, quidam homo justus est, consentit particularis negatio privatoria quæ proponit, non omnis homo est injustus.

C Quocirca etiam particularis negatio privatoria universali simplici affirmationi consentit. Sequitur igitur eam quæ dicit, omnis est homo justus universalem scilicet simplicem affirmationem, ea quæ proponit, non omnis est homo injustus, particularis negatio privatoria, sed huic particulari negationi privatoriæ, quæ dicit, non omnis est homo injustus, consentit particularis infinita negatio quæ dicit non omnis est homo non justus, et verum est si non omnis est homo injustus, quoniam non omnis est homo non justus, idem enim est esse injustum quod non justum, sed particularis privatoria negatio sequitur simplicem universalem affirmationem. Infinita igitur negatio particularis sequitur simplicem affirmationem universalem, eique consentit, si prius affirmatio

D universalis vera sit. Quocirca eam quæ dicit, omnis est homo justus, universalem simplicem affirmationem sequuntur sine dubio particularis negatio privatoria, non omnis est homo injustus, et particularis negatio

infinita non omnis est homo non justus. Quare hic quoque affirmationem negationes sequuntur, sed hoc non convertitur ; quoniam enim (ut dictum est) negatio particularis privatoria quæ dicit, non omnis est homo injustus, consentit particulari affirmationi simplici, ei scilicet quæ dicit, quidam homo justus est. Hanc autem particularem affirmationem non sequitur universalis affirmatio, neque enim si verum est quemdam hominem esse justum, idcirco jam et omnem esse hominem justum necesse est. Quare non sequitur affirmatio universalis simplex, omnis est homo justus, affirmationem particularem, quidam homo est justus, potest enim hæc vera, id est particulari universalis esse falsa, sed particularis affirmatio simplex particulari negationi privatoriæ consentit, quare nec privatoriam particularem negationem simplex affirmatio sequitur universalis. Eam igitur quæ dicit, non omnis est homo injustus, non sequitur affirmatio universalis simplex quæ proponit, omnis homo justus est, sed particularis privatoria negatio consentit particulari negationi infinitæ, universalis igitur affirmatio simplex non sequitur particularem negationem infinitam. Ea igitur quæ dicit, omnis est homo justus, affirmatio universalis simplex non sequitur eam quæ dicit, non omnis est homo non justus particularem infinitam negationem. Duæ igitur negationes infinita et privatoria particulares sequuntur universalem affirmationem simplicem, sicut in his quoque erat quæ sunt indefinitæ. Duæ enim negationes infinita et privatoria indefinitæ simplicem affirmativam sequebantur indefinitam, sed non econverso, affirmatio enim universalis simplex non sequitur negationes particularem infinitam et privatoriam, sicut nec indefinita quoque affirmatio simplex indefinitas sequebatur negationes privatoriam atque infinitam. Quare in hoc uno ordine similiter se habent definitæ his quæ sunt indefinitæ ; æqualiter enim affirmationibus veris veræ sunt negationes, negationum veritatem affirmationum veritas non sequitur, nec in his consentit. Rursus in alteram partem perspiciamus quemadmodum affirmationes universales, privatoriam scilicet et infinitam, particularis negatio simplex sequatur, namque universalem affirmationem privatoriam, omnis est homo injustus, sequitur particularis negatio simplex, non omnis est homo justus, ea enim quæ dicit, omnis est homo injustus, consentit simplici universali negationi quæ dicit, nullus homo justus est, nam si omnis est homo injustus, nullus est homo justus. Sed hanc, id est universalem simplicem negativam, sequitur particularis simplex negatio, nam si vera est quoniam nullus homo justus est, vera est quoniam non omnis homo justus est, sed universalis negatio simplex universali privatoriæ affirmationi consentit. Sequitur ergo particularis simplex negatio quæ est, non omnis est homo justus, universalem affimationem privatoriam quæ proponit, omnis est homo injustus, sed hæc universali affirmationi infinitæ consentit, idem enim significat omnis est homo injustus, et omnis est homo non justus. Quare sequitur quoque

A particularis negatio simplex quæ est, non omnis est homo justus, universalem affirmationem infinitam quæ dicit, omnis est homo non justus, hic quoque affirmationes universales privatoriam atque infinitam sequitur particularis negatio simplex quæ est, non omnis est homo justus, sed non convertitur. Etenim quoniam simplicem negationem particularem quæ dicit, non omnis est homo justus, non sequitur universalis negatio quæ proponit, nullus homo justus est, neque enim si vera est, non omnem hominem esse justum, vera est, nullum hominem esse justum. Hæc autem, id est universalis simplex negatio, consentit unumque significat cum affirmatio ne universali privatoria ; non sequitur igitur universalis affirmativa quæ dicit, omnis est homo injustus.

B Simplicem particularem negationem quæ proponit, non omnis est homo justus, sicut nec eamdem particularem negationem universalis negatio sequebatur, sed privatoria universalis affirmatio consentit cum infinita affirmatione universali. Igitur particularem negationem quæ dicit, non omnis est homo justus, universalis affirmatio infinita non sequitur quæ proponit, omnis est homo non justus. Quare hic quoque affirmationes duas universales, id est privatoriam atque infinitam, particularis simplex negatio sequitur, sicut affirmationes duas quoque indefinitas privatoriam atque infinitam negativa indefinita sequebatur, sed duæ affirmationes universales privatoria et indefinita non sequuntur particularem simplicem negationem, sicut duæ quoque indefinitæ affirmationes privatoria et infinita simplicem negationem

C non sequebantur. Similiter igitur se habent definitæ indefinitis secundum consequentiam. Angulares non eodem modo se habent, nam indefinitarum propositionum angulares simul veras esse contingit. Nam si verum est, quoniam est homo justus, quæ est indefinita affirmatio simplex, nihil prohibet veram esse etiam quæ dicit, est homo injustus, et rursus ea quæ dicit, est homo non justus, quæ sunt indefinitæ affirmationes privatoria et infinita. Rursus negationes negationibus quæ sunt angulares veras esse contingit, ut ea quæ dicit, non est homo justus, si vera est, nihil prohibet veram esse etiam quæ dicit, non est homo justus, et eam quæ proponit, in non est homo non justus. Angulares ergo sibi indefinitas in

D veritate consentire nihil prohibet, sed in his tantum terminis, ut in secundo hujus operis volumine docuimus, quæ neque naturalia sunt inesse neque impossibilia. Si quis enim sic dicat, est homo rationalis, huic angulares veræ esse non possunt, hæ scilicet quæ dicunt, est homo irrationalis, et rursus est homo non rationalis. Rationalitas enim homini per naturam inest ; similiter autem et de impossibilibus dicendum est, quod si sint talia quæ neque impossibilia sint inesse, nec naturalis sint inesse, ut in ea propositione quæ dicit, est homo justus, justitiam neque naturalem esse necesse est homini, nec impossibile inesse, manifestum est, quoniam angulares sibimet semper in veritate consentiunt, atque hoc

idem de negativis quoque angularibus recte dicitur. In his igitur terminis qui nec naturales sunt, nec impossibiles, semper angulares et negationes negationibus et affirmationes affirmationibus simul veras esse contingit, et hoc quidem in his quæ indefinitæ sunt. In his autem quæ definitæ sunt et universalitatis particularitatisque participes non eodem modo sunt. In quibusvis autem terminis sive possibilibus, sive naturalibus, sive impossibilibus affirmationes affirmationibus sibimet angularibus in veritate consentire non possunt, negationes autem negationibus angulares angularibus in his tantum terminis qui neque naturales, neque impossibiles sunt, in veritate poterunt convenire. Et primum quemadmodum affirmationes affirmationibus sibimet angularibus in veritate consentire non possunt, in quibuslibet terminis demonstrandum est. Ea enim quæ dicit, omnis est homo justus, et ea quæ dicit, omnis est homo injustus, quæ est scilicet angularis, veræ simul esse non possunt. Ea namque quæ dicit, omnis est homo injustus, nihil differt ab ea quæ proponit, nullus est homo justus, sed omnis est homo justus, et nullus est homo justus, quoniam contrariæ sunt, simul veræ esse non possunt; sed ea quæ dicit, nullus est homo justus, convenit atque consentit ei quæ proponit, omnis homo est injustus; quare omnis homo justus est, et omnis homo est injustus, simul veræ esse non possunt, sed eadem (quæ proponit, omnis est homo injustus, consentit (ut sæpe dictum est) ei quæ dicit, omnis est homo non justus. Quare nec in his hæc in veritate consentire poterit ei quæ dicit quoniam omnis est homo justus; affirmatio igitur universalis simplex, omnis est homo justus, affirmationibus universalibus privatoriæ et infinitæ quæ sunt, omnis est homo injustus, et omnis est homo non justus, sibimet angularibus, in veritate simul nulla ratione consentit, sicut in his quæ indefinitæ erant, et affirmationes affirmationibus et negationes negationibus in veritate poterant consentire. In his autem quæ sunt definitæ affirmationes, angulares simul veræ esse non possunt. Recte igitur dictum est quoniam in aliis omnibus similis est consequentia diffinitarum et indefinitarum. Affirmationibus enim consentiunt in veritate negationes, negationibus autem affirmationes non omnino consentiunt, quæ similitudo consequentiæ in utrisque est, id est et in his quæ diffinitæ sunt et in his quæ indefinitæ, sed est distantia quod non similiter angulares contingit veras esse, et affirmationes affirmationibus et negationes negationibus indefinitis autem veras esse contingit eas scilicet quæ sunt angulares. In his autem quæ sunt definitæ, affirmationes affirmationibus angulares veras esse aliquando nulla ratione contingit. Hoc autem manifestum erit, si quis et ea sibi proponat exempla, in quibus sunt termini naturales atque impossibiles, et ea in quibus sunt possibiles et non naturales neque impossibiles, in omnibus enim inveniet affirmationes affirmationibus definitis definitas, angulares simul veras esse non posse. Quod autem addidit. Contingit autem aliquando, hujusmodi est: Quanquam enim affirmationes affirmationibus angulares definitæ simul veræ esse non possunt, quibuscunque positis terminis, potest tamen fieri ut negatione negationibus veræ inveniantur, et sic hæc similitudo ad infinitas angulares. Nam sicut illic negationes negationibus indefinitæ angulares veræ simul esse poterant in his quæ neque naturalia sunt neque impossibilia essent ita, hic quoque, id est, in ordine definitarum negationes definitas negationibus definitis, angulares angularibus simul veras esse contingit in his quæ neque sunt impossibiles nec naturales. Negatio enim simplex particularis quæ dicit, non omnis est homo justus, potest simul vera esse cum ea quæ dicit, non omnis est homo injustus; potest enim fieri ut quidam sint justi, quidam autem non sint justi, et in eo utræque veræ sunt. Et ea quæ dicit, non omnis est homo justus, quia sunt quidam injusti, et ea quæ dicit, non omnis est homo injustus, quia poterant aliqui esse justi, sed hæc consentit infinitæ negationi particulari quæ dicit, non omnis est homo non justus, idem est enim dicere non omnis est homo injustus, quod non omnis est homo non justus. Quocirca et hæ sibimet angulares simul veræ esse possunt, nam si quidam sunt justi, quidam injusti, verum est dicere quoniam non omnis est homo justus, quia sunt quidem injusti. Rursus verum est dicere, non omnis est homo non justus, quia sunt quidam justi, negationibus igitur negationes angulares definitæ simul veræ esse possunt, et hoc est simile indefinitis, in quibus sicut affirmationes affirmationibus, ita quoque in veritate angulares negationes negationibus consentiunt. Sensus ergo totus hujusmodi est: Similiter autem, inquit, se habet, id est similis erit consequentia propositionum, quemadmodum fuit in indefinitis, etiamsi universalis nominis sit affirmatio, id est etiamsi definitæ affirmationes negationesque ponatur, ut per subjecta exempla monstravit dicens affirmationi simplici universali, omnis est homo justus, opponi, non omnis est homo justus, particularem scilicet simplicem, et rursus universalem affirmationem infinitam proponens eam scilicet quæ est, omnis est homo non justus, huic illam opposuit, quæ dicit, non omnis est homo non justus. Hæ, inquit, similiter se habent ad consequentiam quemadmodum indefinitæ; quomodo autem se illæ haberent ad consequentiam, supra monstratum est; sed non, inquit, similiter angulares contingit veras esse. In his enim quæ erant indefinitæ, affirmationes affirmationibus angulares simul veræ esse poterant. In his autem quæ definitæ sunt, simul veræ esse non possunt. Contingit autem aliquando ut similiter angulares veræ sint in his quæ diffinitæ sunt, quemadmodum et indefinitis, negationes enim negationibus angulares definitæ, simul in veritate consentiunt, ut in his quoque inveniebatur, quas indefinitas supra descripsimus. Plenus est igitur hujusmodi intellectus. Herminus autem hoc aliter sic exponit: Similiter, inquit, duas facient oppositiones quatuor propositiones si fuerint duæ simplices, duæ

infinitæ,determinatione tamen adjecta. Hoc autem simonstrat,proponet prius simplicem affirmationem universalem quæ dicit, omnis est homo justus. Contra hanc particularem simplicem negationem, non omnis est homo justus, sub affirmatione uni-

Omnis est justus homo.
Omnis est non justus homo.

His ergo ita depositis,duæ, inquit, fiunt oppositiones. Contra enim eam quæ est, omnis est justus homo, opponitur illa quæ proponit,non omnis est justus homo.Hoc autem idcirco, quoniam sibi contradictoriæ oppositæ sunt universalis affirmatio simplex, et particularis negatio simplex, et est hæc quidem una oppositio.Rursus contra eamdem affirmationem simplicem quæ dicit, omnis est justus homo,opponitur universalis affirmatio infinita quæ dicit, omnis est non justus homo, et hoc contrario modo. Ea namque quæ dicit, omnis est non justus homo, idem significat eique consentit quæ dicit, nullus homo justus est;sed hæc quæ proponit,nullus homo justus est,contrario modo opposita est ei quæ dicit, omnis est justus homo. Quocirca etiam ea quæ dicit, omnis est non justus homo, contrariæ erit opposita ei quæ proponit,omnis est justus homo. Est igitur hæc quoque altera oppositio ; duæ ergo sunt oppositiones,quemadmodum etiam in his quæ sunt indefinitæ, licet alio modo essent oppositæ, tamen duæ erant oppositiones,secundum diametrum autem non contingit similiter veras esse,ut ipse ait. Illæ enim quoniam indefinitæ erant, et secundum diametrum qnæ erant,simul veras esse contingebat et omnes omnibus. Quod si quis ad indefinitarum descriptiones redeat,diligenter agnoscet.Hic autem, inquit,hoc est in his quæ definitæ sunt, non idem est.Hoc sic monstrat.Ea enim propositio quæ dicit, omnis est justus homo,non consentit contradictioni suæ quæ dicit,non omnis est justus homo. Rursus ea quæ dicit,omnis est non justus homo,non consentit rursus ei quæ dicit,non omnis est non justus homo. Hæc enim contrariæ ipsius consentiebat. Quare cum vera est universalis affirmatio simplex quæ dicit,omnis est justus homo, sine dubio falsa est ea quæ dicit, omnis est non justus homo. Sed hæc falsa,contradictio ejus vera erit,vera est igitur ea quæ negat dicens, non omnis est non justus homo. Quocirca hæ duæ propositiones angulares veræ aliquoties inveniuntur,omnis est justus homo, non omnis est non justus homo;contingit ergo aliquando veras esse,sed non,inquit, omnino. Nam si a particulari negatione infinita cœperis, non idem est,id est,non eadem veritas venit ; hoc autem tali probatur modo.Si enim vera est,quoniam non omnis est non justus homo,falsa est ea quæ dicit,omnis est non justus homo.Est enim ei contradictoriæ opposita,hæc autem falsa quæ dicit, omnis est non justus homo, non omnino veram necesse est esse eam quæ proponit, omnis est justus homo, idcirco quoniam hæ duæ sibi contrariorum loco oppositæ sunt, contrarias autem propositiones simul falsas

A versali simplici, affirmationem universalem infinitam quæ dicit, omnis est homo non justus. Contra hanc sub negatione particulari simplici particularem negationem infinitam quæ proponit,non omnis est homo non justus.

Non omnis est justus homo.
Non omnis est non justus homo.

esse posse supra docuimus,ergo non necesse est,si falsa est, omnis est non justus homo, veram esse eam quæ dicit,omnis est homo justus:quod si non necesse est, hoc potest fieri ut utræque sint falsæ, quare evenit aliquando ut vera hac propositione quæ dicit,non omnis est non justus homo, falsa sit illa quæ proponit, omnis est justus homo, quare non similiter secundum diametrum in veritate sibi propositiones consentiunt,atque hoc quidem Herminus B non recta expositione dicens, ordinem turbat. Si quis autem vel hoc quod Herminus ait, diligenter agnoscit,vel id quod supra nos diximus, cognoscit multam esse differentiam expositionis,et meliorem superiorem judicans ei si quis nobis credit, recte consentiet.

Hæ igitur duæ oppositæ sunt,aliæ autem ad id quod est,non homo, quasi subjectum aliquod additum, ut, est justus non homo,non est justus non homo,est non justus non homo,non est non justus non homo. Magis autem plures his non sunt oppositiones.Hæ autem extra illas ipsæ secundum se erunt, ut nomine utentes eo, quod est non homo.

Supra jam dixerat omne subjectum aut ex nomine simplici et finito,aut ex nomine rursus infinito consistere,et eorum oppositiones ostendit quod essent C duæ,et quatuor propositiones,duæ quidem simplex subjectum nomen habentes,duæ vero infinitum, et post has quando est tertium adjacens prædicaretur. Illic quoque dupliciter oppositiones fieri dixit, cum scilicet,finitum nomen esset vel infinitum prædicatum,earumque inter se eam consequentiam demonstravit,qualem haberent privatoriæ ad easdem ipsas simplices, quibus ex finito nomine propositiones compararentur. Et quoniam omnis harum varietas propositionum ita fit cum est tertium prædicaretur, ut aut subjectum et prædicatum finita sint,aut subjectum quidem finitum,prædicatum vero infinitum, de quibus supra locutus est,cum earum consequentiam demonstravit,aut infinitum habent subjectum, D finitum vero prædicatum,aut infinitum et subjectum et prædicatum et habent quidem propositiones utrumque finitum. Ut est, homo justus est, homo justus non est,finitum vero subjectum,infinitum prædicatum,ut est,homo non justus est, homo non justus non est,et harum quidem consequentia supra monstrata est.Aliæ vero sunt quæ infinitum habent subjectum,et quæ ut nomine utantur nomine infinito, ut non homo justus est,non homo non justus est;utuntur enim hæ propositiones subjecto,id est non homo ut nomine,prædicato vero eo quod est justus, hoc est enim quod ait,aliæ autem ad non homo, ut ad subjectum aliquod additum.Si quis enim ponat non

homo quidem subjectum, et de hoc aut finitum nomen prædicet, ut est justus, aut infinitum, ut est non justus, utroque modo rursus duplicem faciet oppositionem. Quatuor autem sunt propositiones hæ :

Est non homo justus Non est non homo justus
Est homo non justus Non est non homo non justus.

In his igitur quatuor propositionibus, oppositionibus vero duplicibus non homo quidem subjectum est, sed in superiori oppositione finitum quidem prædicatur nomen quod est justus, in inferiore vero infinitum quod est non injustus. Sed illæ, inquit, quæ prædicatum quidem infinitum habent, subjectum vero finitum, vel quibus et prædicatum finitum est et subjectum, habent aliquam ad se consequentiam, hæ vero quas potea memoravimus, id est quæ infinitum habent subjectum aut prædicatum, vel finitum vel infinitum, nullam habent consequentiam ad eas propositiones, quæ sive finito prædicato sive infinito ex finito, tamen subjecto consisterent. hoc enim est quod ait. Hæ autem extra illas ipsæ secundum se erunt, id est nullam consequentiam ad superiores quæ ex finito subjecto constarent, habere ait eas quæ infinitum subjectum in propositionum ordine retinerent. Postquam igitur enumeravit et eas quæ ex utrisque finitis consisterent, id est et subjecto et prædicato, et illas quæ ex subjecto quidem finito, prædicato vero infinito essent, his etiam illas quæ ex subjecto infinito essent, et ex finito prædicato, nec non illas addit quæ ex utrisque infinitis constare viderentur. Postquam igitur has enumeravit, ait : Magis autem plures his non erunt oppositiones, omnis enim oppositio (quod supra dictum est) aut est ex utrisque finitis, ut est, homo justus, non est homo justus, aut ex finito quidem subjecto et infinito prædicato, ut est, homo non justus est, homo non justus non est. Aut ex infinito quidem subjecto, finito vero prædicato, ut est non homo justus, non est non homo justus. Aut ex infinitis utrisque, ut est non homo non justus est, non homo non justus non est; ut autem quinta oppositio reperiri possit, nulla rerum ratione possibile est. De his ergo hæc dicta sunt, in quibus est tertium adjacens prædicatur.

In his vero in quibus, est, non convenit, ut in eo quod est currere, vel ambulare, idem facit sic positum, ac si est adderetur, ut currit omnis homo, non currit omnis homo, currit omnis non homo, non currit omnis non homo. Non enim dicendum est, non omnis homo, sed non negationem ad id quod est homo, addendum est, omnis enim non universale significat, sed quoniam universaliter. Manifestum est autem ex eo quod est, currit homo, non currit homo, currit non homo, non currit non homo, hæc enim ab illis differunt eo quod universaliter non sunt. Quare omnis vel nullus nihil consignificat aliud, nisi quod universaliter de nomine vel affirmationem, vel negationem, ergo et cætera eadem oportet apponi.

Sunt quædam propositiones in quibus est quidem tertium adjacens prædicatum est, et hoc sono ipso et prolatione dignoscitur; aliæ vero sunt in quibus tale verbum prædicatur, quod tertium quidem adjacens non prædicatur, habet tamen conjunctum atque intra se verbum est, quæ propositio si solvatur in participium atque verbum est, quod ante solo verbo dictum prædicatum, secundo prædicabitur, tertio loco prædicabitur est, et fit similis propositio tanquam si prolatione quoque haberet est verbum. Si quis enim dicat omnis homo currit, in hac propositione unum subjectum est, alterum prædicatum, homo enim subjectum est, prædicatum autem currit. Neque enim possumus arbitrari in hac propositione tres esse terminos, idcirco quod omnis quidem terminus non est, sed subjecti termini determinatio. Significat enim quoniam res universalis, id est homo universali subjicitur cursui, cum dicitur omnis homo currit, nulla est enim hominis exceptio, ubi omnem currere determinatio est. Ergo non ponitur loco termini id quod dicimus omnis, sed potius subjecti termini determinatio est. Quocirca in hac propositione quæ dicit, omnis homo currit, duo sunt termini, homo et currit, ergo in hac eadem quanquam verbum est non prædicetur, in prolatione tamen verbi quod est currit significatione concluditur. Si quis enim hanc propositionem quæ dicit, omnis homo currit, solvat in participium atque verbum, faciet omnis homo currens est, et idem significat participium verbo conjunctum quod significat verbum. Quod utraque complectitur, nam cum dico omnis homo currit, omni homini actionem præsto esse pronuntio; quod si idem rursus dicam, omnis homo currens est, eamdem actionem homini rursus adesse proposui. Idem igitur significat verbum currit quod currens est, et in eadem propositione quæ dicit, omnis homo currit, licet in prolatione est non dicatur, tamen tertium potestate prædicatur, quod hinc cognoscitur, si tota propositio solvatur in participium scilicet atque verbum. Quamobrem sicut ex nomine infinito subjecto fit affirmatio, non eodem modo ex infinito verbo affirmatio fieri potest, sed mox in ea vis negationis agnoscitur, quoniam enim facimus affirmationem dicentes, Omnis non homo currit, non homo scilicet subjectum infinitum ponentes, non ita possumus dicere affirmationem fieri cum proponimus omnis homo non currit, hæc enim jam negatio est; quare ubicunque fuerit non currit, vel non laborat, vel non ambulat, vel non legit, in omnibus negatio fit, in quibuscunque infinitum verbo prædicatur. Dubitabit autem aliquis an sicut ex infinito verbo fieri affirmatio non potest, sed semper negatio ex hoc prædicamento fit, ita quoque si eadem propositio solvatur in participium atque verbum, an ex infinito possit affirmatio fieri participio; quæretur enim an sicut in hac propositione quæ dicit, omnis homo currit, qui ita proponit dicens, omnis homo non currit, facere affirmationem non potest, sed sine dubio negationem facit, ita quoque si eadem solvatur in participium atque verbum, ut si quis dicat, omnis homo currens

est, si fiat infinitum non currens,et dicatur,omnis homo non currens est;an hæc affirmatio sit an certe negatio tantumdem valens tamquam si aliquis dicat, omnis homo non est currens.Sed fuerunt qui hoc cum ex multis aliis,tum ex aliquo Platonis syllogismo colligerent,ut quid ex ea re definirent, doctissimorum virorum auctoritate cognoscerent ; ex duabus enim negativis syllogismus fieri non potest. In quodam enim dialogo Plato hujusmodi interrogat syllogismum : Sensus, inquit, non contingit rationem substantiæ, quod non contingit rationem substantiæ, ipsius veritatis notionem contingit. Sensus igitur veritatis notionem non contingit. Videtur enim ex omnibus negativis fecisse syllogismum,quod fieri non potest,atque ideo aiunt infinitum verbum quod est non contingit pro principio infinito profuisse,id est non contingens est :est enim in pluribus aliis inveniendi facultas frequenter verbum infinitum positum pro nomine infinito, quare verbum quidem dixere quidam semper facere negationem,si infinitum apponatur. Participia autem vel nomina si sint infinita posse facere affirmationem,et ideo quotiescunque a magnis viris infinitum verbum et duæ negationes in syllogismo ponuntur,hac ratione defenditur,quo dicatur infinitum pro participio esse positum,quod participium nominis loco in propositione prædicatur,et id quidem Alexander Aphrodiseus arbitrabatur cæterique complures.Idcirco enim aiunt non posse fieri ex infinito verbo affirmationes, quoniam sicut ad verbum est juncta particula negativa mox totam perficiet negationem,sic etiam verba quæ sunt infinita, vel quæ in se complectuntur verbum est, non facient infinitam affirmationem, sed potius negationem. Si quis enim sic dicat, homo currens non est, nullus hanc dixerit affirmationem. Si quis vero sic dicit, homo non currit,idcirco nec hæc propositio affirmatio est quoniam currit est verbum intra se continet, et sicut ad est verbum particula negativa juncta non facit affirmationem,sed potius negationem,ita quoque ad aliud verbum juncta negatio quod intra se continet est verbum, plenam perficit negationem. Aristoteles autem non videtur ista discernere,sed similiter arbitrari,sive cum participio ponatur est verbum,sive sine participio verbum illud,quod verbum est intra se claudit atque complectitur ; dicit enim hoc modo : In his vero in quibus est non convenit, ut in eo quod est currere vel ambulare,idem faciunt, sic posita ac si est adderetur,et hujus subjecit exemplum, ut currit omnis homo.In hac enim propositione quæ dicit, currit omnis homo, non quidem convenit poni est verbum, eodem modo vel si quis dicat omnis homo ambulat,hic quoque est verbum non convenit poni,sed hæc talia sunt,tanquam si est adderetur. Quod exemplo docuit.Nam sicut est currens omnis homo affirmatio est,cursus præsentiam monstrans,ita quoque currit omnis homo affirmatio est idem valens,idemque significans,et has ex simplicibus subjectis affirmationes in quibus est dici non convenit,consequenter enumerat dicens,currit omnis homo,mediam ponens determinationem,quæ est omnis,intercurrit quod est prædicatio,et subjectum quod est homo.Contra hanc opponit simplicem negationem dicens,non currit omnis homo,rursus facit affirmationem ex infinito nomine currit omnis non homo,huic opponit negationem infiniti nominis subjecti, non currit omnis non homo, et has idcirco proposuit,ut monstraret idem in his evenire in quibus est non convenit prædicari,quod in illis quoque in quibus est tertium adjacens prædicabatur, sed quoniam in negatione infiniti nominis substituit,non currit omnis non homo.Ait non enim dicendum est, non omnis homo, sed non negatio ad id quod est homo addenda est. Poterat enim quis dicere non recte fecisse negationem ejus affirmationis quæ est, currit omnis non homo, hanc quæ dicit non currit omnis non homo,sed potius ita debuisse oppositionem constitui, currit omnis non homo, non currit non omnis homo. Ex hoc autem demonstrat ita faciendam esse negationem,ut eam ipse disposuit,dicit enim,Non enim dicendum est,non omnis homo,sed non negatio ad homo addenda est, qui est sensus hujusmodi : Quoties facimus, inquit, negationem contra hanc affirmationem quæ dicit, currit omnis non homo, non est negativa particula, non adjungenda ei quod est omnis, sed potius subjecto quod est homo. Cum enim ita dicimus, currit omnis non homo, facienda est negatio, non currit omnis non homo.Non enim dicendum est non currit non omnis homo, id est non negativa particula non est adjcienda ad omnis,sed potius ad homo;hujusmodi hæc causa est quod omnis determinatio in terminorum numero non ascribitur, sed potius ad vim suam,id est ad determinationem, non enim alibuid universale significat ipsum omnis, sed significat quidem universale, quod est homo universaliter.Omnis autem determinatio est,quoniam id quod universale est, id est homo universaliter prædicatur;non ergo aliquid universale significat determinatio omnis,sed potius quod universale nomen universaliter prædicatur.Atque ideo quoties in his negatio fit, ad subjectum potius nomen trahi oportet negationem non ad determinationem, sed ne forte quis dubitet, ut etiam in aliis quoque ita fieri oportere oppositiones dicat.In his enim quæ subjectum finitum habent,cum dicimus omnis homo currit,si contra hanc contradictoriæ opposita, negatio ponitur ad determinationem negativa particula est constituenda, ut contra eam quæ dicit, omnis homo currit,ea sit quæ dicit, non omnis homo currit.In his autem quæ ex infinito nomine subjecto fiunt,sive in affirmatione,sive in negatione a subjecto nomine non est separanda negatio. Hoc autem ita esse facillima ratione cognoscitur,si determinationes paulisper auferantur,et in his propositionibus ex infinito nomine subjecto quæ sunt indefinitæ speculatio fiat.Sit enim affirmatio indefinita,non homo currit.Contra hanc erit negatio,non homo non currit. Si igitur hæ propositiones factæ sunt in universalibus terminis,universalis enim terminus est,homo,sed non habent additam determi-

nationem, quoniam universaliter prædicantur, id est omnis, et servata est et in affirmatione et negatione ad subjectum negativa particula. Semper enim fiebat nomen infinitum, etiam tunc quando additur aliquid quod determinet, non ad determinationem addenda est negatio, sed potius ad subjectum nomen, quod cum in affirmatione fuerit infinitum. Hoc idem infinitum, ut in negatione revertatur providendum est ; sicut enim finitum terminum et simplicem in his indefinitis propositionibus ad affirmationem et negationem custodiri oportet, ut dicamus currit homo, non currit homo. Ita quoque in ea propositione quæ est ex infinito nomine subjecto, idem servandum est, ut quod in affirmatione subjectum est idem servetur etiam in negatione ; quod sic hoc in iis quæ sunt indefinitæ venit, cur non etiam in illis idem fieri oportere videatur quæ definitæ sunt ?Hoc solum enim definitæ ab indefinitis differunt, quod cum indefinitæ universalia prædicant, præter universalitatis determinationem determinatæ, et definitæ idem illud prædicant universale cum adjectione et significatione, quoniam universaliter prædicatur. Nihil igitur aliud omnis vel nullus significat, nisi quoniam id quod universale dicitur universaliter prædicatur ;ergo omnia eadem quæ in affirmatione et negatione in indefinitis ponebantur, eadem quoque et in eisdem determinatis servanda sunt. Omnis enim et nullus non sunt termini, sed universalis termini determinationes. His igitur ab Aristotele discursis, nos quoque a Syriano, cui Phi- loxeno cognomen esse supra retulimus, propositionum omnium numerum, de quibus in hac libri disputatione perpendit, nimis ad rem pertinentem atque utilem transferamus, et prius perspiciendum est in categoricis propositionibus quot indefinitæ sint. Quantæ enim fuerint indefinitæ, tot erunt universales, tot particulares, tot singularium atque individuorum propositiones, et prius quidem affirmationes perspiciamus hoc modo. Quatuor modi sunt propositionum, aut enim indefinitæ sunt, aut universales, aut particulares, aut singularium atque individuorum. Si ergo perspiciatur quantæ sint indefinitæ affirmationes, e has si per quaternarium numerum multiplicavero, colligitur mihi numerus affirmationum ; quem si duplico, colligitur etiam negationum hoc modo : prædicatur enim est aut ipsum solum, aut certe tertium adjacens cum alio ; et si solum prædicatur, aut ad nomen simplex atque finitum prædicatum est aut ad infinitum. Ex his, duæ sunt affirmationes, est homo, est non homo. Quoties autem est tertium adjacens prædicatur, quatuor erunt affirmationes, aut cum subjectum indefinitum est solum, ut est, non homo justus, aut cum prædicatum infinitum est solum, ut est, homo est non justus, aut cum utraque finita sunt, ut est, justus homo, aut cum utraque finita sunt, ut est, non justus non homo. Magis autem plures his non erunt oppositones, ut ipse ait. Cum igitur sex sint affirmationes, duæ quibus est prædicatur, quatuor vero adjacens, has si per quaternarium ducam, viginti quatuor fient quas rursus si binario numero multiplicem, quadraginta octo mihi summa succrescet ; tot igitur erunt affirmationes et negationes quæcunque vel prædicato est verbo vel adjacenti, et prædicato fiunt. Quare quoniam tres sunt aliæ qualitates propositionum quæ sunt necessariæ contingentes, et in esse tantum significantes, secundum quas qualitates istæ omnes propositiones proferuntur ; has quadraginta octo propositiones si in internarium numerum duxerimus, scilicet secundum propositionum qualitates, centum quadraginta quatuor omnium propositionum prædicativarum, de quibus hoc libro tractat, numerositas crescet. Sed nunc præter has tres qualitates eas quæ sunt, quadraginta octo propositiones cum negationibus suis ; quas si per qualitates propositionis, necessariam scilicet contingentem et inesse significantem multiplicavero, centum quadraginta quatuor fient, subter ascripsimus.

Est homo.	Non est homo.
Est omnis homo.	Non est omnis homo.
Est quidam homo.	Non est quidam homo.
Est Socrates.	Non est Socrates.
Est justus non homo.	Non est justus non homo.
Est justus omnis non homo.	Non est justus omnis non homo.
Est justus quidam non homo.	Non est justus quidam non homo.
Est justus non Socrates.	Non est justus non Socrates.
Est non homo.	Non est non homo.
Est omnis non homo.	Non est omnis non homo.
Est quidam non homo.	Non est quidam non homo.
Est non Socrates.	Non est non Socrates.
Est non justus homo.	Non est non justus homo.
Est non justus omnis homo.	Non est non justus omnis homo.
Est non justus quidam homo.	Non est non justus quidam homo.
Est non justus Socrates.	Non est non justus Socrates.
Est justus homo.	Non est justus homo.
Est justus omnis homo.	Non est justus omnis homo.
Est justus quidam homo.	Non est justus quidam homo.
Est justus Socrates.	Non est justus Socrates.

Est non justus non homo. Non est non justus non homo.
Est non justus omnis non homo. Non est non justus omnis non homo.
Est non justus quidam non homo. Non est non justus quidam non homo.
Est non justus non Socrates. Non est non justus non Socrates.

Has igitur propositiones Syriano calculis colligente, nos quoque nominatim disposuimus, idcirco quoniam facilior fides habebitur numero, si per exempla prodantur. Simul etiam, quoniam male doctus de his propositionibus perversissime contendebat, et affirmationes quidem negationum loco ponens, per negationes vero affirmationum totum ordinem confundebat. Quare ne quem illius oratio a rectæ rationis veritate traduceret, idcirco hanc ad elatioris memoriæ subsidium fecimus dispositionem.

Quoniam vero contraria est negatio ei quæ est omne animal est justum, illa quæ significat quoniam nullum animal est justum, hæ quidem manifestum est quod nunquam erunt neque veræ simul neque in eodem ipso. His vero oppositæ erunt aliquando, ut non omne animal justum est, et est aliquod animal justum.

Hoc quoque est diligentissime superius demonstratum, quoniam contrariæ aliquoties verum falsumque dividerent, si aut in rebus naturalibus, aut in impossibilibus proponerentur; aliquoties vero simul inveniri posse falsas, si res neque naturales neque impossibiles prædicarent. Contrarias autem esse dictum est, si quis vel affirmative vel negative universalem faceret enuntiationem; ergo nunc hoc dicit: quæ sunt, inquit, contrariæ simul veræ esse non possunt, et hoc non sine quadam rerum determinatione locutus est; ait enim: Quoniam vero contraria est negationi ei quæ est, omne est animal justum, scilicet affirmationi, illa quæ significat, quoniam nullum est animal justum; scilicet negatio, hæc quidem, inquit, quoniam sunt contrariæ, quæ simul veræ esse non possunt, manifestum est quoniam nunquam erunt, neque veræ simul neque in eodem, sed quod dixit neque veræ simul, hujusmodi est. Nihil enim prohibet alio et alio tempore et affirmationem universalem, et negationem veraciter posse proponi, ut si quis dicat: omnis homo justus est, hoc si aureo sæculo diceretur, verissime proponeretur. Quod si quis rursus dicat, nullus homo justus est, hoc si ferreo sæculo enuntiaret, erit vera propositio. Quare contingit affirmationem et negationem universalem veras esse, quas manifestum est esse contrarias, sed non simul. Illa enim in aureo sæculo, si ita contingit, illa in ferreo sæculo, sed hæc tempora diversa sunt, et non sunt simul. Quare recte hoc quoque addidit ut diceret, manifestum est quoniam nunquam erunt neque veræ simul, quod autem addidit, neque in eodem, ad aliam ejusdem rei determinationem valet: possunt enim rursus eodem tempore et simul universalis affirmatio et universalis negatio veræ esse; sed si non de eodem prædicentur, ut si quis dicat: omne animal rationale est, hoc si de hominibus prædicetur, vera est affirmatio. Quod si quis dicat: nullum animal rationale est, hoc si de equis enuntiet, vera erit uno eodemque tempore contra universalem affirmationem universalis facta negatio, sed non de eodem; illa enim affirmatio de hominibus facta est, hic vero de equis negatio. Quamobrem dictum est nunquam esse posse simul contrarias veras, neque in eodem, id est nec uno eodemque tempore, nec de uno subjecto. Sed quoniam his oppositæ erunt universali quidem affirmationi particularis negatio, universali autem negationi particularis affirmatio, et has diximus idcirco subcontrarias dici, quod diversa quodammodo contrariis patiantur. Manifestum est quoniam sicut contrariæ veræ simul esse non possunt, dividunt tamen aliquoties inter se veritatem et falsitatem, ita quoque et subcontrariæ dividunt quædam inter se verum falsumque aliquoties, quando contrariæ quoque diviserint; simul autem veræ inveniri possunt, quando universales et contrariæ simul veræ non sunt, ut autem simul falsæ sint, nulla rerum ratione contingit. Ergo contrarias quidem simul veras esse atque in eodem nunquam quisquam poterit invenire. Subcontrariæ autem quæ universalibus et contrariis oppositæ sunt, sibi invicem comparatas veras inveniri possibile est, ut in eo ipso exemplo quod ipse proposuit, non omne animal justum est, vera est; rursus, est aliquod animal justum, hæc quoque vera est. Quare contrariæ simul veræ esse non possunt, subcontrarias simul veras nihil prohibet inveniri.

Sequitur vero hanc quidem quæ est, nullus homo est justus, illa quæ est, omnis homo est non justus. Illam vero quæ est, aliquis homo justus est, opposita, non omnis est homo non justus, necesse est enim aliquem esse.

De consequentia propositionum simplicium atque infinitarum sufficienter quidem supra disseruit. Sed nunc hæc est huic intentio non quæ particularis affirmatio, quam universalem affirmationem vel negationem sequatur, quod supra jam monstravit. Sed quæ universalis negatio universalem sequatur affirmationem, vel quæ particularis negatio particulari scilicet affirmationi consentiat, proponitque has quatuor dicens, negationem simplicem universalem et affirmationem infinitam universalem sese sequi et sibimet consentire, nec minus his oppositas, id est particularem affirmationem simplicem et particularem infinitam negationem, et in veritate et in falsitate se sequi, et a se nullo modo discrepare. Disponantur enim hæ quatuor, prior affirmatio infinita universalis quæ dicit, omnis homo est non justus, sub hac ei consentiens simplex universalis negatio quæ proponit, nullus homo justus est. Rursus in altera parte contra affirmationem infinitam, particularis simplex affirmatio quæ dicit, est aliquis homo justus, et sub hac particularis infinita negatio quæ proponit, non omnis est homo non justus.

Omnis est homo non justus. Est aliquis homo justus.
Nullus est homo justus Non omnis est homo non justus.

His ergo ita dispositis, si affirmatio universalis infinita versa sit, ea quæ dicit, omnis est homo non justus, vera est etiam ea quæ proponit, nullus est homo justus, quæ est universalis simplex negatio; hoc autem melius in inferioribus cognoscitur exemplis. Dicatur enim, omnis est homo non quadrupes, vera est, rursus nullus est homo quadrupes, hæc quoque vera est: quod si una harum sit falsa, falsa quoque erit et altera. Nam si falsa est, quoniam omnis est homo non justus, sicut vere quoque falsa est, illa quoque negatio simplex mendacissime prædicavit quæ dicit, nullus est homo justus. Quocirca affirmatio universalis infinita et negatio universalis simplex sibimet consentiunt, ut, una vera, alteram veram esse necesse sit; alterius falsitatem reliquæ quoque falsitas consequatur. Idem quoque evenit in parte altera, nam si vera est, quoniam quidam homo justus est, vera quoque est, quoniam non omnis est homo non justus, est enim aliquis: nam si quod dicitur, non omnis, tantumdem est, tanquam si quis dicat, quidam non est, quod in alio quoque exemplo manifestius apparebit. Si quis dicat, non omnis est homo justus, hoc est dicere, quidam homo justus non est; ergo non omnis, quidam non, significat. Si quis ergo ita proponat, quidam homo non justus non est, quem dicit non esse non injustum, injustum esse confirmat. Quare ille de quo dicitur, quoniam non justus non est, erit justus. Unde fit ut ea quæ dicit, non omnis est homo non justus, consentiat ei quæ dicit, quidam homo justus est. Sed hæc non consentit ei quæ dicit, quidam homo non justus est, non igitur hæc consentit ei quæ proponit, non omnis homo est non justus. Sed quoniam hoc fortasse aliquatenus videtur obscurius, consequentiæ ipsarum hoc modo sumendæ sunt. Sitque nobis hoc positum affirmationem universalem infinitam, et negationem universalem simplicem sibimet consentire, ut unius veritatem et falsitatem, alterius veritas aut falsitas consequatur. Si falsa est affirmatio infinita universalis quæ dicit, omnis est homo non justus, vera erit huic opposita particularis infinita negatio quæ proponit, non omnis est homo non justus; sed cum falsa est affirmatio universalis infinita, falsa quoque et universalis simplex negatio quæ dicit, nullus est homo justus; sed hac falsa particularem affirmationem quæ huic contradictoriæ opposita est, veram esse necesse est quæ est, quidam homo justus est. Quocirca, quando affirmatio universalis infinita falsa est, vera est particularis infinita negatio, et quando universalis negatio simplex falsa est, vera est simplex affirmatio particularis. Sed affirmatio universalis infinita et negatio universalis simplex simul falsæ sunt et sibimet in falsitate consentiunt; simul igitur veræ erunt simplex particularis affirmatio et infinita negatio particularis. Rursus si vera est affirmatio universalis infinita, falsa erit negatio particularis infinita, ei enim contradictoriæ opposita est. Si rursus vera est universalis simplex negatio, falsa est particularis simplex affirmatio; sed universalis affirmatio infinita et universalis negatio simplex simul veræ sunt, simul igitur erunt falsæ particularis affirmatio simplex et particularis infinita negatio. Quare hæc quoque, id est particularis affirmatio simplex et particularis infinita sibimet in veritate et falsitate consentiunt, et veritatem suam et mendacium invicem consequuntur. Quare affirmatio quidem et negatio, utraque universalis hæc simplex, illa infinita, sequuntur sese sibique consentiunt. Particulares autem, id est universalibus oppositæ simplex affirmativa et negativa infinita, ipse quoque sibimet consentiunt. Quæ rectus ordo est, ut sicut affirmationi universali infinitæ consentit simplex universalis negatio, ita particulari affirmationi simplici particularis negatio infinita consentiat.

Manifestum est autem, quoniam etiam in singularibus, si est verum interrogatum negare quod et affirmare verum est, ut, Pulasne Socrates sapiens est? Non. Socrates igitur non sapiens est. In universalibus vero non est vera quæ similiter dicitur; vera est autem negatio, ut, Pulasne omnis homo sapiens est? Non. Omnis igitur homo non sapiens est: hoc enim est falsum, sed, non igitur omnis homo sapiens est, vera est; hæc enim opposita est, illa vero contraria.

De consequentia propositionum disputans, et sibi quemadmodum consentirent illum tractatum parumper egressus docere proposuit, quæ veniant in responsionem de singularibus, si ad prædicationem ipsarum sit particula negationis apposita, quæ rursus in his quæ de universalibus sunt propositionibus, si ad prædicationem addita particula negativa concurrat, neque enim oportet similiter facere enuntiationes. Non enim simile est quod ex utraque prædicatione contingit. Hoc autem ita manifestum est: si quis de singulari aliquo interrogatus neget, ille qui interrogaverit potest facere ex infinito nomine prædicato conclusionem, illam scilicet negationem jungens quam respondens ante negaverat, et hoc veraciter prædicabit. De universalibus autem apparebit non eamdem veritatem posse contingere, si ex his affirmatio componatur. Si quis enim interroget alium, Pulasne Socrates sapiens est? si ille respondet, Non, vere ille concludit dicens: Socrates igitur non sapiens est. Si autem hoc quoque in alio clariori exemplo manifestum. Si interrogaremus aliquem hoc modo: Socratesne Romanus est? atque ille respondeat: Non, nos vere concludere possumus: Socrates igitur non Romanus est. Facientes ex negatione quam ille respondebat, et ex nomine quod in propositione prædicavimus affirmationem ex infinito nomine quæ dicit: Socrates non sapiens est, vel Socrates non Romanus est. Has enim affirmationes esse ex infinito nomine supra monstratum est. Si igitur eodem modo aliquis in universalibus subjectis interroget dicens: Omnisne homo sapiens est? nos utique respondebi-

mus : Non. Tum ille eadem similitudine concludit, A dicit enim, Omnis igitur homo non sapiens est. Quocirca nullus homo sapiens est ;eam enim quæ dicit : omnis homo non sapiens est, consentire monstrata est ei quæ dicit : nullus homo sapiens est. Videbitur igitur quodammodo ex vera responsione falsa illata esse conclusio, cui nos dicimus negationem quidem nos respondisse, non ut ea negatio ad prædicatum jungeretur, sed ad determinationem, neque enim nos voluisse ab omni homine sapientiam tollere, cum interrogante aliquo an omnis homo sapiens esset, nos negaremus, seb ab omni potius id est determinatione voluisse nos abstrahere sapientiam, illud scilicet significantes, quod alicui esset, et alicui non esset sapientia, ut quod diximus non tantum valeret quantum si diceremus non omnis. B Igitur si illa negatio ad nomen, id est ad sapientiam jungatur, universalis fit affirmatio quæ dicit, omnis homo non sapiens est, consentiens universali negationi, quæ proponit, nullus homo sapiens est. Sed hæc contraria est interrogationi ; fuit enim interrogatio, omnisne homo sapiens est. Hæc habet universalem affirmationem, cui contraria est universalis negatio, cuirursus si negationi consentit universalis affirmatio infinita. Quocirca affirmatio quoque universali simplici, quæ in interrogatione posita est, id est omnisne homo sapiens est, contraria est ea quæ dicit conclusio, quoniam omnis homo non sapiens est. Quod si dicatur, non omnis homo sapiens est, et verum est, et ei opposita est. Contra enim eam quæ dicit interrogationem, omnisne homo sapiens C est? cum responsum fuerit non, et juncta negatio fuerit ad omnis, particularis negatio fit dicens, non omnis homo sapiens est, quæ est opposita universali affirmationi ei quæ in interrogatione est posita universali, hoc est enim quod ait. Hæc est enim opposita illa vero contraria. Per verba autem sensus iste sic constat. Manifestum est autem, inquit, quoniam in singularibus, ut est Socrates et quidquid individuum est, si verum est interrogatum negare, id est si quando aliquid quis interrogat vere ille negaverit, ut cum aliquis interrogat an Romanus sit Socrates, ille neget quoniam et affirmare verum est, ut ille qui interrogat ex negatione et nomine prædicato infinitam faciat affirmationem, et hujus est exemplum: putasne Socrates sapiens est ? Responsio, non. Con- D clusio, Socrates ergo non sapiens est. Sed hoc non similiter in universalibus se habet, quod per hoc monstrat quod ait, in universalibus vero non est vera quæ similiter dicitur, id est non vera est, affirmatio infinita facta ex prædicato nomine et respondentis negatione, sed potius vera est negatio, non affirmatio ; hujus exemplum tale est, non interrogatio est ut, putasne homo omnis sapiens est? Responsio, non. Falsa conclusio, omnis igitur homo non sapiens est ; hoc autem falsum est, et non simile est ei quod supra de singulari subjecto prædiximus, sed potius illa quæ dicit, non omnis igitur homo sapiens est, ut respondentis negatio ad omnis jungatur, et fiat negatio particularis : est enim hæc vera, hæc autem est etiam opposita. Nam cum affirmatio universalis interrogata esset ea quæ dicit, omnisne homo sapiens est? ex negativa particula factum est, non omnis homo sapiens est in conclusione, et sunt oppositæ. Illa est enim affirmatio universalis, hæc autem particularis negatio, illa vero contraria. Nam si non negatio ad prædicatum jungatur, fit universalis affirmatio infinita, quæ consentit universali negationi finitæ ; sed hæc contra universalem affimationem finitam quæ in interrogatione est posita, contraria est. Contraria igitur erit etiam illa quæ universalis est affimatio infinita. Quæ autem causa est cur in singularibus vel affirmatio ex infinito nomine, vel negatio sibimet finita consentiant, in universalibus autem universalis affirmatio ex infinito nomine non consentiat particulari negationi finitæ, quærendum est. Etenim si quis dicat, Socrates, non sapiens est et Socrates sapiens non est, idem est, et hæduæ sibimet consentiunt. Si quis autem dicat, omnis homo non sapiens est, et rursus, non omnis homo sapiens est, hæc duæ non sibimet consentiunt. Sed hæc ratio est quod in singularibus subjectis non sunt duplices oppositiones, sed una tantum, id est, quæ negationem facit. In universalibus autem universaliter prædicatis duplex oppositio est, una contraria, una vero contradictoria. Si sit ergo hujusmodi affirmatio quæ dicit Socrates sapiens est, contra hanc una oppositio est quæ proponit, Socrates sapiens non est. Si ergo dicet aliquis, Socrates non sapiens est, hæc nullum alium habebit intellectum quam ea quæ dicit, Socrates sapiens non est, unam enim tantum solam diximus in singularibus oppositionem. Quare quæcunque aliæ fuerint, eadem significatione concurrerent ; in universalibus vero universaliter prædicatis non eodem modo est. Nam si sit affirmatio universalis quæ dicit, omnis homo sapiens est, contra hanc etiam illa est quæ dicit, nullus homo sapiens est, etiam illa quæ dicit, non omnis homo sapiens est, et illa est contraria, hæc contradictoria. Simplex ergo hæc oppositio sibi non potest consentire, illa enim tollit quæ est universalis negatio, illa partem diffinite quæ est particularis negatio. Sed universalis negati universali affirmationi in infinito nomine consentit diversa igitur erit hæc quoque a particulari definit negatione, et quoniam duplex est oppositio in un versalibus, et simplex in singularibus, recte in e dem similitudine prædicationis non eadem verit falsitasque contiugit.

Illæ vero quæ sunt contrajacentes secundum infini nomina vel verba, ut in eo quod est, non homo, v non justus, quasi negationes sine nomine et verbo e videbuntur, sed non sunt, semper enim vel verum e vel falsum necesse est negationem. Qui vero dixit n homo, non plus dicente homo, sed etiam minus, v rus vel falsus fuit, si non aliquid addatur.

Novimus propositiones ex infinitis fieri posse n minibus, has ergo dissolvens Aristoteles sumit p se dictionem nominis infiniti, et de ea disputat contra finitum nomen comparetur, an quædam enu

tiativa oppositio videatur. Si quis enim sumat id quod dicitur, non homo, et opponat contra id quod dicimus, homo, videbitur fortasse aliquatenus facere oppositionem, quoniam enim omnis negativa particula adjecta verbo, quod continet propositionem, negationem facit, etiam si modus aliquis propositionis non prædicetur, quod posterius demonstrandum est, ita etiam nomini videtur cum adjecta fuerit negativa particula, quamdam facere negationem, ut si non particula jungatur ei quod est homo, faciat non homo, hoc est enim quod ait. Illæ vero quæ sunt secundum infinita nomina vel verba oppositæ, ut in quod est non homo, vel non justus, quasi negationes sine nomine vel verbo esse videntur. Si quis enim dicat, non currit, hæc fit sine nomine negatio; quod si quis dicat, non homo, hæc quoque est sine verbo negatio. Quæ dictiones secundum infinitum nomen verbum opponuntur finito nomini vel verbo, quod est homo, et currit; videbuntur ergo hæ negationes secundum infinitum nomen vel verbum quæ prædicantur, sed non sunt. Maxime enim ratio has negationes non esse convincit, quod omnis negatio vel vera vel falsa est, quod autem dicimus non homo vel non currit, licet simplicia quoque et finita, homo scilicet atque currit, nihil verum falsumve significent; tamen hæc infinita multo minus aliquid verum aut falsum demonstrant, non quod simplicia verum aliquid falsumve significent; idcirco dicimus infinitas dictiones simplicibus minus verum aut falsum monstrare. Sed quod quanquam nihil verum falsumve designet simplex nomen et verbum, tamen definitum quiddam proponit, ut in eo quod est homo finitum quiddam est et una species. Is vero qui dicit, non homo, præsentem quidem speciem interimit, infinitas autem alias dat intelligere ipsas nihil ponens. Quocirca quanquam finita verba vel nomina per se vera vel falsa esse non possint nisi cum aliis juncta sint, tamen longe minus veritatis aut falsitatis capacia sunt nomina infinita vel verba quæ nec hoc ipsum quidem quod significant ponunt, sed illud quidem perimunt; nihil autem per se aliud in significatione constituunt. Postremo propinquius ad veritatis vel falsitatis finita sunt intellectus. Minus igitur vera vel falsa est dictio nominis infiniti, quam alicujus simplicis et finiti vocabuli.

Significat autem, est omnis non homo justus, nulli illarum idem, nec huic oppositæ ea quæ est, non est omnis non homo justus. Illa vero quæ est, omnis non justus non homo, illi quæ est, nullus justus non homo, idem significat.

Postquam de propositionibus infinitum habentibus prædicatum, sufficienti disputatione locutus est, earumque oppositiones ostendit, consequentiasque demonstavit, atque in medio de infinitis nominibus, quod non essent negationes breviter pernotavit, nunc redit ad eas propositiones quæ subjectum habent infinitum, prædicatum vero vel finitum vel infinitum, et primum quidem an eædem sint, idemque significent, habeantque ordine aliquam consequentiam hæ propositiones quæ ex infinito subjecto sunt, eum his quæ ex infinito prædicato sunt vel ex utrisque finitis docet. Ait enim has duas propositiones quæ sunt, est omnis non homo justus, non est omnis non homo justus, nulli illarum idem significare quæ aut ex utrisque finitis sunt aut ex prædicato infinito, et disponantur quidem illæ quæ aut ex utrisque finitis sunt aux ex prædicatio infinito, et primum quidem ponatur simplex affirmatio universalis, sub hac negatio universalis ex prædicato infinito superiori simplici affirmatio consentiens. Contra vero ponatur universalis simplex negatio, et sub hac universalis ex infinito prædicato affirmatio, quas constat sibimet consentire præcedente affirmatione universali quæ est ex infinito scilicet prædicato.



Cum igitur ita sint affirmationes positæ et negationes quæ simplex quidem subjectum habent, infinitum vero vel simplex prædicatum, nunc Aristoteles dicit quoniam hæ propositiones quæ subjectum habent infinitum nulli illarum superiorum quis disposuimus idem significant: hæc enim quæ dicit, est omnis non homo justus, non consentit ei quæ dicit, est omnis homo justus, nec rursus ei quæ dicit, est omnis homo non justus, nec his rursus quæ sunt, nullus est homo justus, vel nullus est homo non justes; hæ enim omnes hominem subjectum habent, illæ vero non hominem. Quocirca nec hujus negatio, id est universalis affirmationis ex infinito subjecto, particularis scilicet negatio cum ulla earum quæ finitum habent subjectum, poterit consentire. Ea enim quæ dicit, non est omnis non homo justus, neque cum ea quæ proponit, est omnis homo justus, neque cum ea quæ dicit, est omnis homo non justus, neque cum his quæ enuntiant, nullus est homo justus, vel nullus est homo non justus. Sed non hoc dicit, quoniam ex infinito subjecto propositiones diversæ sunt, his quæ sunt vel ex finito prædicato vel ex infinito, subjecto tamen finito. Possunt enim diversæ quidem esse prædicationes, idem tamen aliquoties significare, ut ea quæ dicit, omnis est homo injustus, cum diversa sit ea ab quæ dicit, nullus est homo justus; idem tamen aliquando significant, si affirmatio privatoria præcesserit. Dictum est enim quod affirmationibus præcedentibus negationes sine dubio sequerentur; ergo non hoc dicit, quoniam diversæ sunt propositiones ex infinito nomine subjecto iis quæ sunt ex prædicato vel finito vel infinito, subjecto tamen finito, sed quod omnino sibi non consentiant, vel non

idem significent, id est tota sint virtute propositionis dissimiles. Atque quidem hæc dixit de his quæ finitum subjectum haberent, infinitum vero vel finitum prædicatum; venit autem nunc ad ipsarum consequentias quæ ex infinito nomine subjecto constant, et ex utroque infinito; et sicut supra consequentiam earum quæ ex utrisque finitis erant, vel ex infinito prædicato docuit, ita quoque nunc econverso quæ ex utrisque infinitis nominibus constant, vel ex infinito nomina subjecto qualem ad se habeant consequentiam, monstrat, dicens: Illa vero quæ est, omnis non justus non homo, illi quæ est, nullus justus non homo, idem significat; has duas tantum propositiones monstrat, affirmativam scilicet universalem ex utrisque infinitis quæ dicit, omnis non justus non homo, ei consentire quæ est universalis negatio ex solo infinito subjecto, quæ dicit, nullus justus non homo. In his autem subauditur particula est, ut sit tota propositio, omnis non justus non homo est, rursus nullus justus non homo est; nam sicut in his quæ finitum habebant subjectum, infinitum vero vel finitum prædicatum, affirmationem ex finito subjecto vel infinito prædicato, eam scilicet quæ dicit, est omnis homo non justus, sequebatur simplex universalis negatio, quæ ex utrisque finitis constat, nullus homo justus est. Ita quoque in his permutatis tantum subjectis idem venit. Nam sicut illic negatio ex utrisque finitis universalis sequebatur affirmationem ex finito subjecto et infinito prædicato, ita quoque affirmationem ex utrisque infinitis universalem sequitur negatio ex infinito subjecto, ipsa quoque universalis, et has quidem duas propositiones ascripsit, solam in his consequentiam ostendens. Cæteras autem quia putabat intellectu esse faciles, persequi neglexit. Nos autem eas ne quid relictum videatur apponimus; est enim consequentia hoc modo:

Est omnis non homo non justus.
Nullus non homo justus est.

Quidam non homo justus est.
Non est omnis non homo non justus.

Est omnis non homo justus.
Nullus non homo non justus est.

Quidam non homo non justus est.
Non est omnis non homo justus.

Has igitur si quis diligenter inspexerit duas comparationes, duabus convenientissimam consequentiam consensumque monstrabunt.

LIBER QUINTUS.

Maximam operis hujus emensi partem, ea quæ sequuntur licet magnis quæstionibus impedita, tamen audacius atque animosius exsequemur, nec defatigari in singulis partibus oportet, totius dialecticæ prodere aggressos atque expedire doctrinam, itaque rectam commentationis seriem conteximus.

Transposita vero nomina et verba idem significant, ut, est albus homo, est homo albus; nam si hoc non est, ejusdem multæ erunt negationes, sed ostensum est quod una unius est; ejus enim quæ est, est albus homo, negatio est, non est albus homo; ejus vero quæ est, est homo albus, si non eadem est ei quæ est, est albus homo, erit negatio, vel ea quæ est, non est non homo albus, vel ea quæ est, non est homo albus. Sed altera quidem est negatio ejus quæ est, est non homo albus, altera vero ejus quæ est, est albus homo. Quare erunt duæ unius.

Docet nunc quoniam si nomina et verba transferuntur, et ad aliud prius, aliud vero posterius prædicetur, unam sine dubio significantiam retinere. Sive enim quis dicat, est homo albus, sive est albus homo, sive homo albus est, sive albus homo est, sive quomodolibet aliter ordinem prædicationis permutet, eadem sine dubio significatio permanebit, et hoc quidem fortasse oratoribus vel poetis non eodem modo perspiciendum est quo dialecticis. Etenim quantum ad compositionem orationis spectat, maxime differt quo verba et nomina prædicationis suæ ordine proferantur. Multum enim interest in eo quod ait Cicero, Ad hanc te amentiam natura peperit, voluntas exercuit fortuna servavit, ita dixisse ut dictum est, an ita, Ad hanc te amentiam peperit natura, exercuit voluntas, servavit fortuna. Sic enim minor est sententiæ magnitudo, minusque in ea lucet id quod si sic componatur eminet, et esse vel nolentibus hominum auribus animisque patefacit. Rursus cum dicit Virgilius: Pacique imponere morem, potuisset servare metrum, si ita dixisset, moremque imponere paci, sed esset debilior sonus, nec in eo ictu versus tam præclare ut nunc compositus diceretur. Ergo non idem valet oratoribus vel poetis verborum nominumque ordo mutatus. Qui enim ad compositionem spectant, nullum in ordine sermonum ornamenti reperient. Dialecticis vero, quibus nulla est ad orationis leporem cura loquendi, quibusque sola veritas perscrutatur, nihil differt quolibet ordine verba et nomina permutentur, cum tamen eamdem vim quam prius in significatione retineant. Sed nec apud ipsos modis omnibus permutato ordine dictionis eadem semper vis significatioque servatur. Hæc enim particula quæ negativa est, id est, non multum valet, multamque differentiam perficit variis adjecta locis. Si quis enim dicat, homo albus non est, faciet indefinitam negationem. Si quis vero dicat, homo non albus est, faciet indefinitam ex infinito prædicato affirmationem. Si quis autem prædicet, non homo albus est, idem quoque constituit ex infinito subjecto indefinitam affirmationem. Rursus si quis dicat, om-

nis homo non justus est, hæc consentit ei quæ dicit nullus homo justus est. Quod si idem non ad universalem determinationem ponatur, ut dicatur, non omnis homo justus est, non jam universalis affirmatio infinitæ prædicationis consentiens universali simplici negationi fit, sed potius particularis negatio simplex. Videsne igitur quam multas faciat differentias negativa particula diversæ nominum prædicationi conjuncta? Sed quanquam hæc ita sint, potest tamen alio modo eadem, diversis in locis posita, eamdem vim significationemque servare. Si enim sit posita non particula cum universalitate sua, cum eadem ipsa sæpius permutetur, idem sine dubio in significatione consistit. Si quis enim dicat, non omnis homo albus est, particularis est simplex negatio. Si quis vero sic dicat, homo non omnis albus est, eadem significatio est. Vel si hoc modo, homo albus non omnis est, nec hæc a superiore significatione discedit, vel si quis amplius quoque permutet dicens, homo albus est non omnis, a priori significatione nil discrepat. Eodem modo vel si quomodolibet aliter permutetur, cum propria tamen universalitatis determinatione diverso modo permutata, idem semper necesse est in significatione servetur. Eodem modo si eadem non particula cum alio nomine vel verbo juncta sæpius transferatur, ut cum dicimus, homo justus non est, rursus homo non est justus, rursus non est homo justus, eadem significatio retinetur. Quocirca si sola particula negativa permutata sit, et non eodem semper ordine prædicetur, multas differentias faciet propositionum. Sin vero juncta cum alio nomine sæpius (ut dictum est) transferatur, eadem in translationibus omnibus significatio permanebit. His igitur ita dispositis videndum est quæ sit Aristotelis demonstratio, verba et nomina transposita eamdem semper vim significationemque subjicere. Ait enim, transposita vero verba et nomina idem significant, ut est albus homo, est homo albus. Hæc enim transposita nominibus atque verbis eadem retinent significationem. In illa enim prius albus est, posterius homo; in hac autem prior homo, posterior albus: quod si hoc falsum est, et non sint eædem, sed a se diversæ sunt, impossibile aliquid inconveniensque contingit, erunt enim duæ negationes unius affirmationis, quod est impossibile. Ostensum enim est quoniam una unius est affirmationis negatio. Nunc igitur videamus si hæc affirmationes quæ dicunt est albus homo, et est homo albus, non sunt eædem, sed diversæ, quemadmodum unius affirmationis duæ sunt negationes, et primo quidem disponantur hoc modo, est albus homo, est homo albus; hujus ergo propositionis quæ dicit, est albus homo, erit negatio, ea scilicet quæ proponit, non est albus homo, alia namque quæ esse possit rationabiliter non potest inveniri. Disponantur igitur rursus eædem et superior affirmatio cum propria negatione.

Est albus homo.
Non est albus homo.
Est homo albus.

A Cum igitur ejus quæ dicit, est albus homo, negatio sit ea quæ proponit, non est albus homo, si ea quæ dicit, est homo albus diversa erit ab ea propositione quæ pronuntiat, est albus homo, alia erit ejus negatio; si ergo aut ea quæ dicit, non est non homo albus, aut ea quæ dicit, non est homo albus. Rursus igitur disponantur duæ quidem affirmationes primæ alternatim positæ, et contrario confessa prioris negatio. Contra secundum vero utræque hæc negationes quæ diximus ascribantur.

Est albus homo. Non est albus homo.
Est homo albus. Non est homo albus.
Non est non homo albus.

His igitur ita discretis ejus propositionis quæ dicit, est homo albus, non potest esse illa negatio quæ di-
B cit, non est non homo albus. Illius est enim negatio quæ habet subjectum infinitum quæ dicit, est non homo albus. Similiter autem et si quamlibet aliam quis posuerit negationem ejus sine dubio alia reperitur affirmatio. Unde fit ut relinquatur ea ejus esse negatio quæ proponit, non est homo albus; est ergo negatio ejus quæ dicit est homo albus, ea quæ dicit, non est homo albus; sed ejus affirmationis quæ proponit, est albus homo, negatio est ei ista quæ dicit, non est homo albus. Quod probat ea res quod inter se verum falsumque dividunt, nam si verum est esse album hominem, falsum est non esse hominem album. Quod si in aliquibus verum invenitur, hoc secundum definitionem propositionis agnoscitur, non secundum negationis formam, ut magis secundum
C quantitatem non sint sibi oppositæ potius quam secundum qualitatem, quod illa res monstrat si quis sic dicat: est albus omnis homo; si contra hanc ponatur, non est omnis homo albus, perspicuum est quoniam inter se et veritatem dividunt et falsitatem, unam enim veram esse necesse est, unam falsam; quare etiam si determinationes auferantur, eadem oppositio redit, licet sit indefinita. Nam sicut in ea quæ dicit, omnis homo justus est, non omnis homo justus est, sublatis omnis et non omnis homo justus est, et homo justus non est, affirmatio et negatio oppositæ sunt ita quoque in his sublato omnis et non omnis ea quæ dicit, est albus homo, ei quæ dicit, non est homo albus, opposita est. Additis enim determinationibus una semper vera est, altera falsa;
D sed diximus quoniam affirmationis ejus quæ dicit, est albus homo, negatio est, non est albus homo. Duæ igitur negationes non est albus homo, et non est albus homo unius affirmationis sunt, ejus scilicet quæ enuntiat, est homo albus. quod evenit si negationes hæc quæ dicunt, non est homo albus, et non est albus homo a se diversæ sunt, quod ex eo contingit quod prius positum est eam quæ dicit, est albus homo, diversam esse ab ea quæ dicit, est homo albus. Quod si hoc impossibile est ut una affirmatio duas habeat negationes, et perspicuum est contra eam affirmationem quæ dicit, est homo albus, utrasque has negationes quæ dicunt, non est albus homo et non est homo albus opponi, hæc a se diversæ non sunt sibi

que consentiunt, et tantum permutatione nominis distant. Cæteris autem omnibus eædem sunt ; quod si hæ negationes eædem sunt, eædem quoque sunt affirmationes. Recte igitur dictum est quoniam transposita nomina et verba eamdem vim significationemque servant. Sensus ergo totus ita se habet ; hoc autem modo ordo verborum. Transposita, inquit, nomina et verba idem significant, et est horum exemplum, ut est homo albus, est albus homo. In his enim nomina transposita sunt. Nam si hoc non est, id est si non idem significant nomina et verba transposita, quiddam impossibile et inconvenions contingit. Ait enim, ejusdem multæ erunt negationes, id est ejusdem affirmationis multæ negationes erunt. Sed hoc impossibile est, ostensum est enim quoniam negatio una unius est affirmationis. Duæ ergo negationi uni opponi affirmationi, si verba et nomina transposita non idem significant, sic demonstrat. Ejus enim quæ est, est albus homo, scilicet affirmationis negatio est, non est albus homo. Contra illam enim affirmationem, hæc negatio juste opponitur, ejus vero quæ est, est homo albus, id est alterius affirmationis, si non eadem est ei quæ est, est albus homo, id est si diversa est a priori propositione quæ dicit, est albus homo, et non est ei eadem ac si diceret, si ei non consentit, erit negatio vel ea quæ est, non est albus homo, vel quæcunque alia, quam si quis ponat esse negationem una ratione refellitur, quam hic quoque posuit ; refellitur autem hoc modo, ait enim : Sed altera quidem est negatio ejus quæ est, est non homo albus, altera vero ejus quæ est, est albus homo. Inter duas enim negationes quas posuit, illam scilicet, quæ dicit, non est non homo albus, et eam quæ proponit, non est homo albus, illa quæ dicit, non est non homo albus, negatio est affirmationis infinitum habentis subjectum, quæ dicit, est non homo albus : alia vero, scilicet quæ proponit, non est homo albus, ejus est negatio quæ dicit, est albus homo, cum ea enim verum divinit atque falsum. Quare erunt duæ negationes unius affirmationis, sed hoc impossibile est.

Quoniam igitur transposito nomine et verbo, eadem sit affirmatio et negatio manifestum est.

Superiorem argumentationem hac hujus sententiæ conclusione confirmat ; fecit autem hunc syllogismum in secundo modo hypothetico, quem indemonstrabilem vocat hoc modo : si primum est, secundum est ; sed secundum non est, primum igitur non est ; id est, si transpositis verbis et nominibus non sunt eædem propositiones unius affirmationis, duæ sunt negationes ; sed hoc impossibile est. Non igitur diversæ sunt propositiones, transpositis verbis et nominibus.

DE CONJUNCTIS ET DIVISIS ENUNTIATIONIBUS.

At vero unum de pluribus, vel plura de uno affirmare vel negare, si non est unum ex pluribus, non est affirmatio una neque negatio. Dico autem unum, non si unum nomen positum sit, non sit autem unum ex illis, ut homo est fortasse et animal et mansuetum et bipes, sed ex his etiam unum fit, ex albo autem et homine et ambulare non fit unum. Quare nec si unum aliquia de his affirmet aliquis, erit affirmatio una, sed vox quidem una. Affirmationes vero multæ, nec si de uno ista, sed similiter plures.

Multos talis loci hujus caligo confundit, ut digne exsequi et quod ab Aristotele dicebatur expedire non possent. Nos autem supra jam diximus magnæ fuisse curæ apud peripateticæ sectæ principes dijudicare, quæ esset una affirmatio vel negatio, quæ plures. Neque enim vocis sonitu cognoscuntur, aut numero terminorum ; est enim ut una quidem res de una prædicetur, et non sit una enuntiatio. Potest etiam fieri ut vel plures de una re prædicentur, vel una de pluribus, una tamen ex his omnibus enuntiatio fiat, quæ res magnæ apud eos cantelæ fuit, ut ubi incidisset perspecta regula non lateret. Nam si quis dicat, canis animal est, non una est enuntiatio, canis enim multa significat. Si quis vero dicat, homo animal rationale mortale est, vel animal rationale mortale homo, singulæ enuntiationes sunt ; idcirco quoniam unum ex omnibus quiddam fieri potest, nam de animali, rationali atque mortali simul junctis, unus homo perficitur. Item alia sunt quæ plura prædicantur, de quibus unum aliquid effici constituique non possit, neque si illa de altero prædicentur, neque si de illis aliud, una affirmatio vel negatio est, sed tot dicendæ sunt affirmationes esse quot sint hæ res quæ vel de una prædicantur, vel de quibus una dicitur, ut cum dicimus : Socrates calvus philosophus ambulat. Ex calvitie et philosophia et ambulatione, nihil unum conjungitur, ut hæc quasi alicujus speciem forment. Quocirca sive hæc de uno prædicentur, sive unum de istis, non poterit una esse enuntiatio, et communiter quidem totius propositi sensus hujusmodi est. Nunc autem ad ipsius Aristotelis verba veniamus. Dicit enim : At vero unum de pluribus vel plura de uno affirmare vel negare, si non est unum ex pluribus, non est una affirmatio neque negatio. Si, inquit, plura de uno prædices, ut cum dicis : philosophus simus, calvus Socrates est, vel rursus cum unum de pluribus prædicas, cum dicis : Socrates simus philosophus calvus est, si ex his pluribus quæ vel prædicas vel subjicis, unum aliquid non fit, quemadmodum fieri unum potest de his quæ prædicamus, substantia animata sensibilis, id quod est animal, non fit una affirmatio nec una negatio. Quandoquidem plura vel prædicantur vel subjiciuntur, ex quibus congregatis una species non existit. Quod si unum de uno aliquis prædicaverit, quorum unum nomen plura significet, ex quibus unum aliquid non fiat, rursus non est una affirmatio nec una negatio. Si quis enim dicat, canis animal est, nomen canis significat et latrabilem, et cœlestem, et marinum, ex quibus junctis nihil unum efficitur. Quare quoniam ex his pluribus unum aliquid effici non potest, ex illo quoque canis nomine non fit una affirmatio et una negatio, quod prædicatur aut subjicitur, cum significet multa ex quibus unum fieri non possit. Quod per hoc ostendit quod ait, dico autem

unum, non si unum nomen sit positum, non sit autem unum ex illis. Potest enim fieri ut unum nomen de uno prædicetur. Sed si unum ipsorum plura significat, ex quibus unum non fit, non est una negatio vel affirmatio. Neque enim vox una perficit enuntiationem, sed ejus quod significatur simplicitas, vel si plura sint in unum collecta, aliquid unum faciendi potentia. Hujus autem rei subjecit exemplum, quod plurimos fefellit dicens, ut homo est fortasse et animal et bipes mansuetum. Sed ex his unum fit, ex albo autem et homine et ambulare non unum. Putaverunt alii hunc ita dixisse, ut ostenderet, exempli gratia, se hanc quasi diffinitionem dedisse, ne forte aliquis arbitretur hanc quasi veram hominis diffinitionem posuisse, quæ est animal bipes mansuetum. Idcirco enim, inquiunt, dixit fortasse, et animal, et bipes, et mansuetum, ne quis omnino putaret hujusmodi esse hominis diffinitionem Aristotelem arbitrari. Alii vero hoc non ita dictum accepere, sed potius in hanc sententiam dictum Aristotelis scripturamque interpretati sunt, ut homo est qui et animal, et bipes, et mansuetum, sed ex his unum fit, ut ita intelligeretur: Homo quidem æqualiter se habet ad id quod est homo, et ad id quod est animal bipes mansuetum. Quocirca si idem est et æquum dicere hominem, quod animal bipes, mansuetum, necesse est quoties de uno plura hæc prædicantur, id est animal, bipes mansuetum de homine, quoniam æquale est homini, quod unum est, unum quiddam prædices, quamvis tres voces prædicare videaris. Sed omnes hi nihil omnino intelligunt, sed est melior expositio quam Porphyrius dedit. Volens, inquit, Aristoteles demonstrare quæ una esset affirmatio, quæ non una, dixit primo: Quoniam pluro de uno prædicare, vel plura uni subjicere non est unam enuntiationem facere, nisi ex illis pluribus unum aliquid fieret. Videns item quod adhuc plures possent esse affirmationes etiam in his prædicatis, quæ cum plura sint, unum tamen ex his fieri possit, hoc dixit, ut homo est fortasse et animal, et bipes, et mansuetum. Quod autem dico tale est: manifestum quidem fit, quoniam si plura de uno prædicentur, ex quibus unum fieri non possit, vel plura subjiciantur uni, ex quibus unum non fit, non est una affirmatio nec una negatio. Nunc autem tractemus de his pluribus ex quibus unum aliquid fieri possit. Invenietur enim et in his ipso modo enuntiandi plures aliquoties enuntiationes, et non unam reperiri, quam ex pluribus unum fieri aliquid possit. Si quis enim sic dicat, animal rationale mortale homo est, simul jungens animal rationale, mortale, quoniam continue dictum est, et ex his unum aliquid fit, una est affirmatio. Si vero sit aliquid intervalli, ut ita quis dicat, homo animal, et rursus rationale, et aliquantulum requiescens dicat, mortale est, non est una affirmatio nec una negatio. Hæc enim intercedo plurimas efficit enuntiationes; rursus si cum conjunctione dicantur, homo animal et rationale et mortale est, sic quoque multæ sunt propositiones.

A Nec differt aliquid vel requiescendo, vel interponendo conjunctiones dicere, quam si quis dicat, homo animal est, homo rationalis est, homo mortalis est, quæ perspicue propositiones multæ sunt. Videns ergo hoc Aristoteles, ita dixit: Homo est fortasse et animal, et bipes, et mansuetum, ad hoc, inquit, fortasse tanquam si ita diceret, et de homine quidem, et bipede, et mansueto fit unum; sed est aliquotics forte ut plures propositiones sint, cum ea conjunctio quædam separat atque discernit. Erit enim fortasse homo et animal, ut hæc una sit propositio, et bipes ut altera, et mansuetum rursus, ut altera. Sed ex his omnibus unum aliqdid fit, quæ cum continue prolata sunt, quoniam ex his unum aliquid efficitur, una est propositio; non autem idem evenit in omB nibus, ex albo enim et homine et ambulare non unum fit. Si quis enim dicat: Socrates homo albus ambulat, non est una affirmatio, quoniam ex homide, et albedine, et ambulatione nulla omnino species fit. Quare conclusio est, quoniam nec si de his pluribus ex quibus unum non fit, unum aliquid prædicetur, ut ex cane terreno latrabili, et cœlesti, et marino, quoniam unum non fit, et de his unum aliquid prædicetur, quod dicimus canis, hujusmodi nomen quod plura significat, ex quibus unum non fit, si de altero prædicetur vel subjiciatur alteri, non fit una affirmatio nec una negatio, sed erit quidem vox una, affirmationes vero plurimæ. Sive enim unum de pluribus prædicetur, ex quibus non fit unum, vel plura hujusmodi de uno, vel si unum de uno prædicetur, quod prædicatum plura significet, C ex quibus unum non fit, sive illud prædicatum alteri subjiciatur, omnino non fit una affirmatio nec una negatio. Est autem regula hujusmodi, una affirmatio est, si aut duo termini singulas res significent, aut si plura ita de uno prædicentur vel unt subjiciantur, ut ex his unum aliquid fieri possit, aut unum nomen quod vel prædicatur vel subjicitur, talia significet plura, quæ omnia unam quodammodo speciem valeant congregare.

Si ergo dialectica interrogatio responsionis est petitio, vel propositionis, vel alterius partis contradictionis, propositio vero unius contradictionis pars est, non erit una responsio ad hæc. Neque enim est una interrogatio, nec si sit vera; dictum est autem de his in Topicis. Simul autem manifestum est quoniam nec hoc D *ipsum quid est, dialectica interrogatio est. Oportet enim esse datum ut ex interrogatione eligat utram velit contradictionis partem enuntiare. Sed oportet interrogantem determinare, utrum hoc sit homo, an non hoc.*

Quisquis dialectica utitur interrogatione, hic aut simpliciter interrogat, atque unam propositionem in interrogatione ponit, ut contra eam sit una responsio, aut utrasque interrogans dicit, ad quas non fit simplex responsio, sed una tota propositio respondetur. Si quis enim dicat interrogans: Socrates animal est? Contra hanc talis est responsio, aut ita, aut non. Si quis vero hoc modo interroget: Socrates animal est, an non? Contra hanc non est una responsio. Si enim respondetur ita, de qua annueris

ignoratur, de affirmatione an de negatione ; rursus si non responderis, nescitur quam negari volueris affirmationem an negationem. Quare contra hujusmodi interrogationes tota propositio respondenda est, id est altera pars contradictionis, aut tota affirmatio aut tota negatio, ut dicas, aut est animal Socrates, aut si hoc non videtur, respondeas, non est animal Socrates. In his igitur quæ multa sunt, ex quibus unum fieri nequit, si fiat una interrogatio et ipsa reprehensibilis est, et contra eam una responsio. Quisquis enim ea plura interrogat, ex quibus unum esse non possit, multas facit interrogationes, contra quas si simpliciter respondeatur, etiam si vera sit ipsa responsio, tamen jure reprehenditur. Contra enim multiplicem interrogationem multiplex debet esse responsio. Si quis enim dicat interrogans, Socrates philosophus est, et legit et ambulat ? quia potest fieri ut sit quidem philosophus et legat, non autem ambulet, vel ambulet, sed non legat : potest item fieri ut et legat et ambulet ; contra hujusmodi propositionem non erit una responsio. Nam qui ita interrogavit : Socrates philosophus est, et legit et ambulat ? aut imperit aut captiose interrogavit. Contra quam interrogationem si contigerit Socratem philosophum esse et legere, et ambulare, si respondeat : ita est, hæc quoque responsio reprehenditur. Contra plures enim interrogationes una responsio non debet adhiberi etiamsi vere per unam illam respondeatur, sicut in hac quoque, si et philosophus est, et legit et ambulat. Quocirca si interrogatio dialectica responsionis petitio est, per quam responsionem fiat propositio, ut cum quis dixerit interrogans, dies est ? alius respondeat, non, fiet inde negatio, dies non est, vel certe altera pars oppositionis cum ita interrogatur, dies est, an dies non est, ut congrue respondeatur diem esse, aut diem non esse, id est tota propositio ; hæ quæ ex his pluribus fiunt atque interrogantur, cum unum ex his fieri non possit, non sunt simplices interrogationes. Quocirca nec ad eas reddenda est simplex responsio, de his autem se in Topicis dixisse commemorat. Rursus quia dialectica interrogatio responsionis est petitio (ut supra dictum est) vel propositionis vel alterius partis contradictionis, quod paulo post demonstrabitur, imperite illi interrogant qui ita dicunt, quid est animal ? vel quid est homo ? oportet enim quia dialectice interrogat, dare ex interrogatione optionem, an sibi respondens affirmationem eligere velit, an negationem. Qui vero sic interrogat, utquid est aliqua res, velit dicere respondentem, non est illa interrogatio dialectica. Interrogant autem quidam hoc modo, putasne anima ignis est ? cum respondens negaverit, addunt, nonne tibi videtur aliquid esse inter ignem atque aerem medium corpus, ut, sit anima ? Cum respondens hoc quoque abnuerit, illi persequuntur, an fortasse magis ubi videtur aquam esse animam vel terram ? Cum ille neque terram, neque aquam animam esse consenserit, tunc defessi interrogationibus ita interrogant : Quæ res est ergo anima ? hæc autem non est interrogatio dialectica, sed potius discipuli ad magistrum aliquid discere cupientis. Qui enim aliquid addiscere cupit, interrogat eum qui docere potest quid sit id de quo ambigit. Dialecticus autem (ut dictum est) ita interrogare debet, ut respondenti sit copia an affirmationem an negationem velit eligere. Oportet enim scire quoniam omnis interrogatio responsionis est petitio. Dialectica vero non cujusdam responsionis, sed ejus quæ in utraque parte habeat oppositionem ; ergo hoc ipsum quid est, non est dialectica interrogatio. Oportet enim ita interrogare, ut ex interrogatione respondens possit eligere alteram contradictionis partem. Debet enim determinare et diffinire is quis interrogat, an hoc sit quod dicitur an non, ut homo animal est an non ? ut ille aut affirmationem respondeat aut negationem : quod autem dixit dialecticam interrogationem petitionem esse responsionis vel propositionis, vel alterius partis contradictionis, hujusmodi est. Quisquis interrogat affirmationem, aut eamdem expetit, ut auditor sibi respondeat, aut contradictionem. ut si quis sic interroget, homo animal est ? si ille annuerit, propositionem reddidit, eam scilicet quam proposuit interrogans ; si vero interrogante aliquo, an homo animal sit, respondens dixerit, non est, contradictionem respondisse videbitur. Ille enim affirmationem interrogavit, ille negationem respondit, quod est contradictio. Rursus si negationem interroget, et ille respondeat negationem, eamdem propositionem reddidit quam is qui interrogavit ante proposuit. Sin vero interrogante aliquo negationem, ille affirmationem responderit, contradictio responsa est. Hoc est igitur quod ait, interrogationem responsionis esse petitionem, et cujus responsionis addidit, vel propositionis, si idem respondeat, quod ille interrogat, vel alterius partis contradictionis, si cum hic affirmationem interroget, ille responderit negationem, vel si cum hic negationem in interrogatione posuerit, ille affirmationem in responsione reddiderit. Interrogationis autem secundum Peripateticos duplex species est, aut cum dialectica interrogatio est, aut cum non dialectica. Non dialecticæ autem interrogationis duæ species sunt, una quidem quando sumentes accidentes interrogamus, cui illud accidat, ut cum videmus domum Ciceronis, si interrogemus quis illic maneat, vel quando subjectum quidem ipsum et rem sumimus, quid autem illi accidat interrogamus, ut si ipsum Ciceronem quis videat, et interroget, quo divertat, et hæc una species est eorum quæ secundum accidens, non dialectice interrogamus. Altera vero quando proponentes nomen quis sit quærimus, aut genus, aut differentiam, aut diffinitionem requirentes, ut si quis interroget quid sit animal, vel quando diffinitionem aut aliquid superius dictorum sumimus, et quærimus cujus illa sint ut si quis quæret, animal rationale, mortale, cujus sit diffinitio.

Quoniam vero hæc quidem prædicantur composita ut unum sit omne prædicamentum eorum quæ extra

prædicantur, alia vero non, quæ differentia est, de homine enim verum est dicere, et extra animal, et extra bipes, et hæc ut unum. Et hominem, et album, et hæc ut unum. Sed non si citharædus est, et bonus est et citharædus bonus. Si enim quoniam alterutrum dicitur et utrumque dicetur, multa inconvenientia erunt. De homine enim verum est et hominem et album dicere, quare et omne. Rursus si album, et omne. Quare erit homo albus, et hoc in infinitum. Et rursus musicus albus ambulans, et hæc eadem frequenter implicita in infinitum. Amplius si Socrates, Socrates est et homo, et Socrates Socrates homo. Et si homo et bipes, et homo homo bipes.

Multa sunt quæ cum singulatim vere prædicentur, si quis ea conjungat et prædicet, veram prædicationem tenent. Sunt autem alia quæ, si per se et disjuncta prædicentur, vera sunt; sin vero conjuncta dicantur, veritatem in prædicatione non re tenent; quæ ergo sit horum differentia, oportet agnosci. Si quis enim dicat, Socrates animal est, verum dixerit; si quis rursus prædicet, quoniam Socrates bipes est, hoc quoque verum est; quæ si conjuncta dicantur, ut est, Socrates animal bipes est, a propria veritate non discrepat, atque hæc quidem in genere et differentia, ea quæ substantialis est Socrati. Quod si de accidente quoque dicatur, potest idem nihil ominus evenire. Si quis enim sic dicat, Socrates homo est, verum est, et rursus Socrates calvus est, hoc quoque verum est; quod si jungat dicens, Socrates homo calvus est, veram rursus ex conjunctis faciet prædicationem. Atque in his quidem ea quæ sigillatim vere dicebantur, juncta veraciter prædicata sunt. Sunt autem alia in quibus sigillatim quidem prædicata vera sunt, juncta vero qualitatem veritatis amittunt, ut si quis dicat, quoniam Socrates bonus est, verum est, rursus, Socrates citharædus est, sic quoque hoc verum est. Hæc conjungere non necesse est, ut sit verum, Socrates bonus citharœdus est. Potest enim bonus quidem esse homo, et cum sit citharœdus, non tamen esse bonus, sed in alia quidem re bonus, in alia tantum artis illius cognitor, non tamen in ipsa perfectus. Hoc autem facilius tali liquebit exemplo. Si quis enim dicat, quoniam Tiberius Gracchus malus est, verum est, rursus Tiberius Gracchus orator est, hoc quoque verum est; si conjungens dicat: Tiberius Gracchus malus orator est, falso dixeri, optimus enim orator fuit; sed ne quis nos ita dicentes ignorare putet oratoris esse definitionem virum bonum dicendi peritum, hæc dicta sunt ad exemplum potius quam ad veritatem. Atque hæc quidem proposita ab Aristotele sunt, cujus in textu verba sic constant. Quoniam vero, inquit, hæc quidem prædicantur composita, ut ex his unum prædicamentum fiat, eorum quæ extra vere prædicata sunt, alia vero cum extra sigillatim vere prædicarentur, juncta veram non faciunt prædicationem. Inquirendum est quæ eorum sit differentia, exempla autem horum talia sunt. Eorum quidem quæ extra prædicantur vere, nec si conjuncta sunt naturam veritatis amittunt, tale exemplum est, de homine enim verum est dicere, quoniam et animal et bipes, rursus quoniam animal bipes, verum est de eodem homine dicere, ut de Socrate, de eodem quoque Socrate et hominem extra et album si ita contingit, verum est dicere, et de eodem prædicare animal bipes, a veritate non discrepat, atque hæc quidem quæ extra sigillatim prædicantur vere et juncta vera sunt. Quod si de aliquo prædicetur, quoniam citharœdus est, et verum sit. Et rursus quoniam bonus est, et verum sit, non necesse est dicere quoniam bonus citharœdus est. Potest enim esse quidem solum citharœdus, bonus autem homo, hucusque quidem ista disposuit. Quoniam autem videbantur quidam arbitrari quod omnia quæ sigillatim vere prædicarentur, eadem quoque composita recte dicerentur, contra hos dicit quoniam multa erunt inconvenientia, multaque impossibilia sunt, si quis dicat omne quod sigillatim prædicatur veraciter, id junctum vere prædicari. De homine enim verum est dicere quoniam homo est, nam de Socrate qui homo est, vere dicitur quoniam homo est, rursus de eodem vere dici potest quoniam albus est. Quare et si hæc jungas, et ut unum prædices, verum est dicere de aliquo homine quoniam homo albus est; sed homo qui albus est, verum est dicere de eo quoniam albus est. Quare etiamsi hæc jungas, erit prædicatio, Socrates homo albus albus est, nam de Socrate verum erat dicere quoniam homo albus est; sed de homine albo verum est dicere quoniam albus est, hæc conjuncta, Socrates homo albus albus est faciunt: quod si de eodem homine albo rursus album prædicare velis, verum est; quocirca et si jungas, erit igitur prædicatio, homo albus albus albus est, atque hoc in infinitum. Rursus si quis de aliquo homine dicat quoniam ille homo musicus est, si verum dicat adjiciatque quoniam idem homo ambulans est, verum dicit, si jungat quoniam ille homo ambulans musicus est. Sed si verum est de aliquo homine prædicare quod sit ambulans musicus, de ambulante autem musico verum est dicere quoniam musicus est, erit ille homo ambulans musicus musicus, sed de eodem verum est dicere quoniam ambulans est, verum erit igitur de eo rursus dicere quoniam homo ambulans ambulans musicus musicus est. Amplius quoque Socrates Socrates est, et rursus homo, erit igitur Socrates Socrates homo; sed et bipes, erit igitur Socrates Socrates homo bipes; sed de Socrate verum est dicere quoniam Socrates homo bipes est, sed cum dixi hominem, de eo jam et bipedem dixi, omnis enim homo bipes est; verum est ergo de eo dicere quoniam bipes est, sed verum erat dicere quoniam Socrates Socrates homo bipes est; vera igitur prædicatio erit. Socrates Socrates bipes bipes homo est. Sed rursus hominem dixi, atque in eo aliud bipes nominavi, omni enim homo bipes est. Socrates igitur homo bipes bipes bipes est, et hoc infinitum protracto superflua loquacitas invenitur; non igitur fieri potest ut modis omnibus quidquid extra dicitur, id junctum vere prædicetur.

Quoniam ergo si quis simpliciter dicat complexiones fieri, plurima inconvenientia contingit dicere, manifestum est. Quemadmodum autem ponendum sit nunc dicimus. Eorum igitur quæ prædicantur, et de quibus prædicantur quæcunque secundum accidens dicuntur, vel de eodem, vel alterum de altero, hæc non erunt unum, ut homo albus est et musicus, sed non est idem musicum et album; accidentia enim sunt utraque eidem, nec si album musicum verum est dicere, tamen erit album musicum unum aliquid, secundum accidens enim album musicum dicitur. Quare non erit album musicum unum aliquid, quocirca nec citharœdus bonus simpliciter, sed animal bipes, non enim sunt secundum accidens. Amplius nec quæcunque insunt in alio. Quare neque album frequenter, neque homo, homo animal est vel bipes; sunt enim in homine animal et bipes.

Quæ superius comprehendit, ea nunc apertissima ratione determinat dicens, de his solis extra prædicatis veraciter non posse unam prædicationem fieri veram, si conjuncta sint, quæcunque aut accidentia sunt eidem, aut cum unum alii accidit, accidens aliud de illo accidenti prædicatur. Si quis enim de Socrate dicat quoniam Socrates citharœdus est, rursus Socrates bonus est, si utraque vere prædicet, duo accidentia de uno subjecto prædicavit, id est de Socrate. Quocirca non potest ex his fieri una prædicatio, ut dicatur, Socrates citharœdus bona est; rursus si de Socrate prædicetur musicus, sit enim Socrates musicus; de musico autem si prædicetur albus, et hoc fortasse sit verum, non tamen jam necesse est musicum album esse. Si enim sit musicus Socrates, si de eodem musico albus prædicetur, prædicatur quidem de Socrate subjecto musicus, de musico autem quod est accidens prædicatur album, rursus aliud accidens. Ergo non potest hic una fieri vera propositio, ut dicatur: Socrates albus musicus est, neque enim semper musicus albus esse potest, sed hanc naturam habent accidentia, ut veniant et recedant; ergo si ejus qui musicus albus est, in sole stantis autem calor fuscaverit, non erit quidem albus cum sit musicus. Quocirca neque tunc cum vere prædicabatur, quoniam Socrates musicus albus est, neque tunc fuit vera rectaque prædicatio, non enim habet naturam permanendi accidens ut semper vere prædicetur. Ratio autem verborum sic constat. Quoniam igitur si quis, inquit, dicat omnino quomodolibet complexiones fieri, id est, ut quod sigillatim prædicaveras, hoc complexum connexumqxe proponas, plurima inconvenientia dicere contingit. Multa enim concurrunt impossibilia, sicut supra ipse monstravit tunc, quando ad nimiam loquacitatem perduxit eos, eadem frequenter nomina repetentes. Quemadmodum ponendum est nunc dicimus, id est, quemadmodum autem debant, quæ sigillatim vere dicuntur juncta prædicari, nunc, inquit, dicimus. Omnia, inquit, quæ prædicantur de aliquo, et rursus de quibus alia prædicantur duplici modo sunt, aut enim accidentia sunt, aut substantialia, et aliæ quidem prædicationes sunt secundum accidens, quoties aut accidentia duo de substantia, aut accidens de accidenti alicujus substantia prædicatur; alia vero non secundum accidens, quoties aliquid de aliquo substantialiter dicitur. Eorum igitur quæcunque secundum accidens dicuntur, eorum vel si duo sunt accidentia et de eodem prædicentur, vel si alterum accidens de altero accidenti dicatur, ex his non potest una fieri prædicatio, neque erit unum si juncta sint, ut homo et albus est, et musicus, album enim musicum, quoniam in unam formam non concurrunt, non faciunt unam propositionem. Non enim idem est album et musicum, utraque enim eidem sunt accidentia, non tamen idem sunt. Nec si album de musico prædicemus, id est accidens de accidenti, et hoc verum sit, non tamen necesse est id quod musicum est esse album, neque enim est unum aliquid. Accidenter enim id quod musicum est album est; quoniam enim idipsum cui musicum accidit album est, idcirco musicum album dicitur. Non est autem idem musicum album. Quodcirca eadem ratione tenetur, ut non possit idem esse citharœdus bonus, nec in unum corpus conjuncta, faciant unum aliquid, quanquam sigillatim vere prædicentur. Quod si quis aliquid substantialiter prædicet, duasque res sigillatim dicat, possunt in unam propositionem redire, quæ substantialiter vere sejunctæ separatimque ponuntur; homo enim, cum et animal sit et bipes, est animal bipes, et fit ex his una prædicatio. Nam neque animal secundum accidens inest homini nec bipes, quod per hoc ostendit quod ait, sed animal bipes; non sunt enim secundum accidens. Addit quoque illud, quoniam nec ea juncta recte ponuntur, quæcunque vel latenter vel in prolatione in aliquo terminorum continentur, qui in propositione positi sunt. Idcirco enim de homine albo non debet dici albus, ut veniat prædicatio homo albus albus, quoniam jam in homine albo continetur album. Rursus de homine idcirco non debet prædicari bipes, quoniam licet non sit prolatum, tamen qui homo est bipes est. Sed de homine si quis bipes prædicet, de re duos habente pedes, neque habet differentia quod est bipes, prædicat bipes. Quocirca erit hic quoque homo bipes bipes, homo enim bipes continet intra se, et qui dicit hominem cum sua differentia dicit. Si quis ergo adhuc prædicet bipes, de re duos habente pedes, bipedem prædicavit. Erit ergo homo bipes bipes, sed ita prædicari non debet. Continetur enim in homine bipes, ad quod si rursus bipes prædices, molestissimam facies repetitionem. Hoc enim est quod ait: Amplius nec quæcunque in sunt in alio, id est continentur, aut prolatione, ut in eo quod est homo albus, continetur in eo albus quoniam prolatione jam dictum est, aut potestate et vi, ut eo quod est homo continetur bipes, quamquam dictum penitus non sit.

Verum autem est dicere de aliquo et simpliciter, quemdam hominem hominem, aut quemdam albus hominem, hominem album. Non autem semper, sed quando in adjecto aliquid quidem oppositorum ines-

Quod consequitur contradictio, non verum, sed falsum est, ut hominem mortuum, hominem dicere, quando autem non inest, verum est.

Hæc quæstio superiori contraria est. Illic enim quærebatur si quæ sigillatim prædicarentur, an semper vere eadem conjuncta compositaque dicerentur ; hic autem converso ordine id querit, an ea quæ composita vere prædicantur, sigillatim dicta vere dicantur. Post obitum enim Socratis possumus dicere, hoc cadaver, homo mortuus est, et hominem mortuumque jungentes, unam inde veram prædicationem facere. Solum autem hominem dicere cadaver, illud non est verum. Rursus eumdem Socratem vivum verum est dicere quoniam animal bipes est, et sigillatim verum est dicere quoniam animal est. Quare quæritur quæ sit hujus quoque differentia prædicationis, ut cum conjuncta dicantur, et vere de subjectis prædicantur, alias quidem et extra dici vere possint, alias vero præter illam conjunctionem, simplicia si dicantur, falsa sunt. Hoc autem quasi dubitans dixit. Ita enim legendum est, quasi si dubitans diceret sic : Verum est autem dicere de aliquo compositum conjunctum quod aliquid, ut de aliquo homine hominem, aut de aliquo albo album, ita ut extra horum aliquid simpliciter prædicetur, an certe non semper. Et dat regulam qua pernoscamus an quæ composita dicuntur, eadem sigillatim dici possint, an minime. Quoties enim talia sunt quæ prædicantur cum alio, ut in se non habeant contradictionem, prædicata possunt dici et separata veraciter. Quod si habeant in se contradictionem aliquam, quæ prædicantur et composita dicuntur, separata vere prædicari non possunt, ut ea quæ dicit cadaver, hominem mortuum vere dicit, solum autem dicere hominem vere non potest. Idcirco quoniam prius cum conjunctione prædicavit dicens, hominem mortuum, mortuusque adjacet hominis prædicamento, cum homine enim prædicatum mortuum, contradictionem tenet contra hominem. Est enim homo animal, mortuus vero non animal ; ergo mortuus et homo contradictionem quamdam inter se habent. Illud enim est animal, illud vero non animal. Quocirca quoniam inter se habent hæc quamdam contrarietatem, separatus homo de mortuo homine, solus non dicitur. Eodem quoque modo est si quis dicat manum esse marmoream statuæ, verum dicit ; solum autem manum dicere eam quæ statuæ est, falsum est. Habet enim manus potestatem dandi accipiendique, sed illa marmorea non habet. Ergo est quædam contradictio inter manum et manum marmoream, quod illa dare atque accipere potest, illa non potest. Hæc enim sibi opponuntur contradictionis modo. Ergo quotiescunque tale aliquid prædicatur, ut homo de cadavere, cui tale aliquid conjunctum si atque adjacet, quod faciat contradictionem contra prædicatum, ut hic adjacet mortuus homini. Simulque prædicatur de cadavere, ut faciat contra ipsum hominem contradictionem, eam quæ in se contineat, non potest separari vera prædicatio, ut sigillatim dicatur. Si vero non sit ista contradictio, potest, ut in eo quod est Socrates, animal bipes est, animal et bipes nulla contradictione opponuntur. Quocirca potest de eo et animal sigillatim atque simpliciter et bipes dici, sensus quidem est hujusmodi. Ordo autem se sic habet, dubitans enim dixit. Verum est autem aliquid dicere de aliquo composite et connexe, et rursus simpliciter, ut quemdam hominem aut quemdam album hominem, an certe non semper, sed tunc quando in adjecto, id est in eo quod adjectum cum aliquo prædicatur, inest aliquid oppositorum talium quæcunque consequitur contradictio, id est, quam oppositionem mox consequitur contradictio, ut oppositionem hominis et mortui sequatur contradictio, animal scilicet et non animal. Si igitur sic sint, non est simpliciter verum prædicari, sed falsum, ut hominem mortuum, quem conjuncte vere dicere possis, eumdem hominem solum non vere prædicabis. Quando enim hæc oppositio in his quæ prædicantur non est, verum est quod conjuncte prædicaveris, et simpliciter prædicare. Adjectum est autem in quo venit aliquoties oppositio hujusmodi, ut in eo quod est homo mortuus, mortuus adjicitur homini. Aliter enim vere homo de cadavere non potest prædicari.

Vel etiam, quando inest, semper non verum est, quando vero non inest, non semper verum est, ut Homerus est aliquid, ut poeta, ergo etiam est, an non. Secundum accidens enim prædicatur esse de Homero, quoniam est poeta, sed non secundum se prædicatur de Homero, quoniam est.

Quoniam supra dixerat, quando esset in adjecto contradictio, non esse verum simpliciter, prædicare, quando vero non esset, verum esse quod conjuncte diceretur, simpliciter dicere, hoc ipsum quoniam videbatur in aliquibus non esse verum, consequenter emendat. Ait enim verum esse illud quod supra dictum est, quandocunque in adjecto esset aliqua contradictio, non esse verum simpliciter prædicare, quod conjuncte diceretur, quando autem non inest contradictio, non semper verum est prædicare simpliciter, quod conjuncte vere diceretur, sed aliquoties quidem verum, aliquoties autem falsum. Hujus rei tale exemplum est cum dico : Homerus poeta est, est et poeta conjuncte de Homero vere prædicavi. Sin vero dixero : Homerus est, falsum est, quanquam non sit aliqua contradictio inter est et poetam, neque in adjecto est ulla talis oppositio quam consequatur contradictio ; cur autem hoc eveniat, talis ratio est. De Homero enim poetam quidem principaliter prædicamus, cum dicimus : Homerus poeta est. Est autem verbum de poeta quidem prædicamus principaliter, de Homero autem secundo loco. Non enim idcirco prædicamus esse, quia Homerus est, sed quia poeta est. Sublato igitur eo quod principaliter prædicatur, id est poeta, licet nullam contradictionem habeat est, quod adjacet poetæ, contra poetam, non fit vera prædicatio, dicendo : Homerus est. Secundum accidens enim est prædicatur, non principaliter. Sublata autem principali prædicatione.

quod secundum accidens prædicabatur, falsum continuo reperitur; quod autem addidit:

Quare in quibuscunque prædicatis contrarietas non inest, si diffinitiones pro nominibus dicantur, et secundum se prædicatur, et non secundum accidens, in his aliquid et simpliciter verum erit dicere. Quod autem non est, quoniam opinabile est, non est verum dicere esse aliquid; opinatio ejus est, non quoniam est, sed quoniam non.

Ea quæ supra dixit una ratione colligit dicens: Quæcunque eo modo prædicantur, ut neque in nominibus neque in diffinitionibus propriis aliquam tenent contrarietatem, hæc et extra simpliciterque prædicata vera sunt, ut in eo quod est mortuus atque homo, hæc quidem nominibus nullius contrarietatis contradictionisve sunt. Sed si horum pro nominibus diffinitiones sumantur, mox contrarietas oppositionis agnoscitur. Si quis enim hominis diffinitionem dederit, dicit esse animal rationale. Si quis mortui, dicet esse corpus vita privatum atque inanimatum, atque ex hoc tota vis contradictionis apparet. Quocirca si sumantur diffinitiones pro nominibus, et in his aliqua contrarietatis inesse videbitur, vel si secundum accidens aliquid prædicetur, ut est de Homero, cum de poeta principaliter prædicetur, non prædicabuntur simpliciter vere quæcunque composita prædicabantur. Quod si neque contrarietas ulla sit, et per se prædicentur et non per accidens, quidquid composite vere dicitur, hoc et simpliciter vere prædicatur. Quoniam autem fuerunt quidam qui hoc ipsum quod non est, esse dicerent, totum syllogismum his propositionibus conjungentes. Quod non est, opinabile est; quod autem opinabile est, est; igitur est quod non est. Hoc ergo dicit, si verum est prædicare, inquit, de eo quod non est, quoniam opinabile est, est quidem verbum de opinabili prædicamus, de eo autem quod non est, secundum accidens. Quoniam enim quod non est, secundum accidens. Quoniam enim quod non est opinabile est, idcirco secundo loco de eo quod non est, verbum est prædicamus. Quare non possumus simpliciter dicere esse quod non est. Idcirco enim opinabile est, quia non est. Scibile enim esset, si per se esset, non opinabile, sicut Homerus idcirco esse dicitur, quia poeta est, non quia per se est. Vel certe idcirco dicitur Homerus esse poeta, quia poesis ipsius exstat et permanet, sicut aliquos in filiis sæpe vivere dicimus. Quocirca id quod non est, idcirco esse dicitur opinabile, quoniam ipsius est opinatio. Non autem quoniam id quod non est, per se aliquid esse potest. His igitur ante perstrictis atque ordine terminatis ad propositionem modos rem in dialectica utilissinam de propositionibus tractatum disputationemque convertit. Restat nunc de propositionum modis oppositionumque disserere. Multis enim dubitatum est rationibus an idem modus esset propositionum sine modo propositarum, qui illarum quoque quæ propriis modis et qualitatibus terminantur, inchoat autem de his rebus dubitationem sic.

A DE ENUNTIATIONIBUS MODORUM POSSIBILIS, COTINGENTIS, IMPOSSIBILIS, ET NECESSARII.

His vero determinatis, perspiciendum est quemadmodum esse habent affirmationes et negationes ad se invicem, hæ scilicet quæ sunt de possibili esse et non possibili, de contingenti et non contingenti, de impossibili et necessario, habet enim aliquas dubitationes.

Omnis proposito aut sine ullo modo simpliciter pronuntiatur, ut Socrates ambulat, ut dies est, ve quidquid simplicitur et sine ulla qualitate prædicatur. Sunt autem aliæ quæ cum propriis dicuntur modis, ut est, Socrates velociter ambulat. Ambulationi enim Socratis modus est additus, cum dicimus eum velociter ambulare, quomodo enim ambulat, significat ad quod de ambulatione ejus velociter prædicamus. B Similiter autem si quis dicat, Socrates bene doctus est, quemadmodum sit doctus ostendit, nec solum doctus dixit, sed modum quoque doctrinæ Socratis adjunxit. Sed quoniam sunt modi alii per quos aliquid fieri posse dicimus, aliquid non posse, aliquid necesse esse, aliquid contingere, quæritur in his quoque quemadmodum fieri contradictionis debeat oppositio; in his enim propositionibus quæ simpliciter et sine ullo modo prædicantur, facile locus contradictionis agnoscitur. Hujus enim affirmationis quæ est, Socrates ambulat, negatio si ad verbum ponatur, ut est, Socrates non ambulat, rectissime oppositione facta ambulare a Socrate disjunxit. Rursus hujus propositionis quæ est, Socrates philosophus est, si quis ad est verbum negationem ponat, C integram faciet negationem dicens: Socrates philosophus non est, neque enim fieri potest ut ad aliud in simplicibus affirmationibus negatio ponatur, nisi ad id verbum quod totius vim continet propositionis. Si quis enim in hac propositione quæ est, homo albus est, non dicat fieri negationem eam quæ est homo albus non est, sed potius homo non albus est, hoc modo falsum ostenditur propositum, per lapidem. Interrogetur enim de eo an lapis ille homo albus sit, ut si ille negaverit ponens negationem ejus quæ est, homo albus est, eam quæ dicit, homo non albus est, dicatur ei; si non est de hoc lapide vera affirmatio, quæ dicit homo albus est, vera erit de eo negatio, scilicet ea quæ dicit, homo non albus est; sed hæc quoque falsa est. Omnino enim lapis homo non est, atque ideo de eo non poterit prædicari quoniam ho- D mo non albus est. Quod si neque affirmatio neque negatio de eo vera est, hoc autem impossibile est, ut contradictoriæ affirmationes et negationem de eodem prædicatæ utræque falsæ sint. Constat ejus affirmationis quæ dicit, homo albus est, non esse illam negationem quæ dicit, homo non albus est, sed potius eam per quam proponitur quoniam homo albus non est. Nusquam igitur alibi ponenda est negatio in his quæ simpliciter et sine modo aliquo ponentur, nisi ad verbum quod totam continet propositionem, de his autem sufficienter supra jam diximus. In his autem in quibus modus aliquis apponitur, dubitatio est an ad modum illum ponatur negativa particula, an

locum suum servet ad verbum, sicut in his quoque propositionibus fiebat, quæ simplices et sine ulla modo proponuntur. Nam si servet locum suum negativa particula, ut ponatur ad verbum, proprietas contradictionis excidit, et verum inter se falsumque non dividit. Modus enim quidam est faciendi aliquid, quoties dicimus aliquid possibile esse, vel necesse esse, vel quidquid hujusmodi est. Ergo si quis me dicat nunc posse ambulare, idemque neget negationem ponens ad verbum quod est ambulare, dicatque me posse non ambulare, affirmatio et negatio contradictoriæ de eodem dictæ, veræ simul invenientur. Me namque et ambulare posse et non ambulare manifestum est. Quod si in hoc modo possibilitatis non recte verbo particula negativa conjungitur, etiam in his quoque quæ nullam habent differentiam, an ad modum, an ad verbum negatio ponatur, custodiendo est talis oppositio quæ huic speciei propositionum conveniat, quæ cum modo proferuntur, ut in hac propositione quæ dicit, Socrates velociter ambulat, sive quis ita neget, Socrates velociter non ambulat, ad verbum ponens negationem, sive sic, Socrates non velociter ambulat, modo negativam particulam jungens, prope simile esse videbitur; dividit enim cum affirmatione veritatem falsitatemque utroque modo aptata negatio. Sed quoniam sunt plures modi in quibus si ad verbum jungatur particula negativa, non est negatio superius enuntiatæ affirmationis. Idcirco servanda est in omnibus secundum modum propositionibus ista proportio, ut uno eodemque modo cunctarum fieri oppositiones dicantur, ut in illis quidem negatio quæ simplices sunt, rem neget. In his autem quæ cum modo sunt, modum neget, ut in eo quod est, Socrates ambulat, rem ipsam, id est ambulat, neget, ad matque propositio dicens, Socrates non ambulat. In his autem quæ cum modo sunt, rem quidem esse consentiat, modum neget, ut in ea propositione quæ dicit, Socrates velociter ambula, negatio dicat, Socrates non velociter ambulat, ut sive ambulet, sive non ambulet, nulla sit differentia. Modum autem, id est velociter ambulandi, perimat ex adverso constitua negatio, quanquam hoc in quibusdam non fit; simul enim cum modo ipso et rem perimi necesse est, ut in eo quod est, Socrates potest ambulare, Socrates non potest ambulare, et modum et rem modo ipsi conjuncta particula negationis intercepit; sed hoc in his fere evenit in quibus non fieri quidem aliquid dicitur, et actus ipsius non additur modus, sed potius faciendi in futuro modus, ut si quis dicat Socratem ambulare posse, non quod jam ambulet, sed quod eum scit ambulare possibile, hic si possibili negatio conjungatur, etiam rem ipsam tulisse videbitur de qua illa possibilitas prædicabatur. Si quis autem dicat quoniam Socrates velociter ambulat, facere eum aliquid dicit, modumque illi actui jungit, ut quemadmodum illud faciat, quod facere dicit, quilibet agnoscat, in his res quidem permanet, modus autem subruitur, et supra dictum est. An certe illud magis verius est dicendum, quod semper hujusmodi propositiones modum quidem auferunt, rem vero de qua modus ille prædicatur, non perimant et in quibus ponitur res, ut in eo quod est Socrates velociter ambulat, et in quibus prædicatur actus ipse et præsens, quia fiat atque agatur, manifestum est modum quidem subrui, rem vero quæ fieri dicitur permanere, ut cum dicimus, Socrates non velociter ambulat. Ambulare enim eum quidem non subractum est, sed tantum hæc negatio velocitatem ab ambulatione disjunxit. In his autem quæ possibilitatem aliquid in futuro faciendi per modum ponunt, nullus omnino actus ponitur, sed tantum modus; ad quem modum juncta negatio modum quidem perimit. Sed res illa de qua modus prædicabatur non permanet, idcirco quoniam nec tunc cum prædicabatur cum modo aliquid fieri agive propositum est, ut si quis dicat Socratem possibile esse ambulare, positus quidem modus est, res vero actu constituta non est. Non enim dictum est quoniam ambulat, sed quoniam eum possibile est ambulare. Hanc ergo possibilitatem tollit negatio in propositione quæ dicit, Socratem non possibile est ambulare. Sed in eadem propositione res de qua dicebatur modus ille non permanet; hoc autem idcirco evenit, quia nec in affirmatione quidem posita est res de qua prædicatus est modus. Atque ideo non a negatione perempta est res, quippe quam negatio positam invenit, sed tantum modum, qui etiam ab affirmatione constitutus est. Magna autem distantia est an ad modum negatio ponatur, an ad verbum. Nam si ad verbum ponatur, prædicatum a subjecto disjungitur, ut est, Socrates non ambulat. Nam ambulat, quod est prædicatum a subjecto quod est Socrates, divisum est. Sin vero ad modum ponatur non, prædicatum a subjecto dividitur. Sed a prædicatione potius disjungitur modus, ut in eo quod est, Socrates non velociter ambulat, non ambulationem a Socrate propositio ista disjungit, sed velocitatem ab ambulatione, id est modum a prædicato, et hoc in his facilius evidentiusque apparet, quæcunque ita prædicantur, ut et fieri et non fieri posse dicantur. Oportet autem quid sit possibile, quid necessarium, quid in esse diffinire, eorumque significationes ostendere, quod nobis ad hujus loci subtilitatem proderit, quem tractamus, et superiora quæcunque de contingentibus dicta sunt, magis liquebunt, et Analyticorum mentem nobis apertissima luce vulgabit. Quatuor modi sunt quos Aristoteles in hoc libro de Interpretatione disponit. Aut enim aliquid esse dicitur, aut contingens esse, aut possibile esse aut necesse esse. Quorum contingens esse et possibile esse idem significat, nec quidquam discrepat dicere, posse cras esse circenses. Et rursus contingere cras esse circenses, nisi hoc tantum, quod possibile quidem potest privatione subduci, contingens vero minime. Contra enim id quod dicitur possibile esse, et negatio possibilitatis infertur aliquoties, ut est non possibile est esse, et privatio, ut est impossibile esse. Namque quod dicimus impossile esse, privatio possibilitatis est; in contingenti autem quamquam idem signi-

ficet, sola tantum opponitur negatio, nulla vero privatio reperitur; ut in eo quod est contingens, si hoc perimere volumus, dicimus non contingens, et hæc negatio est. Incontingens autem nullus dixerit quod est privatio. Cum ergo contingens esse et possibile esse idem significent, multa in his diversitas est secundum Porphyrium quæ sunt necessaria et inesse tantum significantia, et contingentia vel possibilia. Quod enim esse aliquid dicitur, de præsenti tempore judicatur. Si quis enim nunc alicui est, hoc esse prædicatur. Quod vero ita inest, ut semper sit et nunquam mutetur, illud necesse esse dicitur, ut solis motus, lunæque cum terra obsistit, defectus. Quæ autem contingere dicuntur vel possibili esse, illorum neque secundum præsens, neque secundum aliquam immutabilitatem speculamur eventum, sed tantum respicimus quantum contingentis propositio pollicetur. Quod enim posse esse vel contingere dicitur, nondum quidem est, sed esse poterit; sive autem eveniat, sive non eveniat, quia tamen esse potest, contingens et possibilis dicitur propositio: non enim ex eventu dijudicantur propositiones, sed potius ex significatione, hoc modo. Si quis enim dicat posse esse cras circenses, possibilis est contingensque affirmatio. Quod si cras sint circenses, non tamen est aliquid actu propositionis contingentis vel possibilis permutatum, ut necesse fuisse videatur, quod illa possibiliter promittebat. Quod si rursus non sint circenses, omnino nec sic aliquid permutatum est, ut necesse fuisse non esse circenses videatur. Non enim (ut dictum est) secundum eventum ista judicantur, sed secundum propositionis potius ipsius promissum. Quod enim dicit, quisquis dixerit cras posse esse circenses, hoc (ut opinor) sive sint, sive non sint, nulla tamen interclusum est necessitate, ne non sint. Quare quatuor modorum duo quidem idem sunt, id est, contingens atque possibile, bi duo autem cum duob ug reliquis, atque ipsi reliqui a se dissentiunt. Possibile enim et contingens distat ab ea propositione quæ dicit aliquid esse; hæc enim secundum possibilitatem futuri tempus affirmationem proponit, illa vero secundum præsentis actum. Utræque vero, et ea quæ esse, et ea quæ possibile esse vel contingere significata necessaria propositione disjunctæ sunt; necesitas enim non modo inesse vult aliquid, sed etiam immutabiliter inesse, ut illud quod esse dicitur nunquam esse non possit. Quocirca consequentiæ quoque ordinis evidenter apparent. Quod enim est necessarium, sine eo quod est esse, vel contingere esse, vel possibile esse non dicitur. Quidquid enim necessarium est, et est et esse potest; vel si esse non posset, non esset omnino. Quod si non esset, nec necesse esse diceretur. Quare omne necessarium et esse dicitur, et possibile est, sed non æque omne quod est necessarium est; possunt enim quædam esse, quæ ut sint, non necesse est ut Socratem ambulare, vel cætera quæ de separabilibus sumuntur accidentibus, nec rursus quod contingit esse vel esse possibile est, mox esse necesse est. Quare necesse esse quidem sequuntur esse et possibilitas, sed neque esse neque possibile esse necessitas ulla consequitur. Rursus omne esse sequitur posse esse; quod enim est et potest esse. Nam si esse non posset, sine ulla dubitatione non esset; possibilem autem esse non consequitur esse. Quod enim possibile est esse, potest et non esse, ut me possibile est nunc quidem procedere, sed hoc mihi non est necesse. Non enim nunc procedo, quare gradatim omnis est consequentia, necesse et namque et esse sequitur et possibilitas. Rursus esse eadem sequitur possibilitas, possibilitatem autem nec esse sequitur, nec necessitas. Liquet ergo, quoniam duo modi sunt possibilium, unum quod jam sequitur necessitatem, alterum quod non sequitur ipsa necessitas. Nam cum dico, necesse est ut nunc sol moveatur, hoc etiam possibile est cum dico, possibile est inunc me sumere codicem, non necesse est. Recte gitur ab Aristotele paulo post dubitabitur an sit illud possibile quod necessitati conveniat. Sed cum ad eadem loca venerimus, quid sibi ista possibilium similitudo velit, vel quemadmodum discerni possit, agnoscemus. Nunc autem quoniam affirmativarum propositionum consequentias explicuimus, negativarum rursus consequentias exploremus. Harum namque quatuor propositionum quæ fiunt ex esse, ex nesesse esse, ex possibili esse, et contingere esse, quatuor negationes sunt, non esse, non neceese esse, non possibile esse, non contingens esse. Sed quemadmodum affirmationes contingere esse et possibile esse eædem erant secundum significationum similitudinem, ita quoque negationes eædem sunt; neque enim discrepat quidquam dicere non possible est quam si enuntiet non contingit. Consequentiæ autem se in affirmativis habebant hoc modo, ut necessarias propositiones sequerentur esse aliquid significantes atque possibiles. Eas autem quæ esse aliquid dicerent, eædem possibiles sequerentur, sed neque possibilibus, esse aliquid significantes, nec necessariæ consentiebant. In negativis vero contra est: negationem enim possibilitatis sequitur, et ejus quæ est esse aliquid significantis negatio et necessariæ. Negationem vero necessarii neque ejus quod est esse, neque ejus quod est possibile esse, negatio sequitur. Disponantur enim in ordinem omnes hoc modo:

Possibile esse.	Non possibile esse.
Contingens esse.	Non contingens esse.
Esse.	Non esse.
Necesse esse.	Non necesse esse.

Repetendum igitur breviter est affirmativarum consequentias, ut quemadmodum e converso sint in negativis evidentius pateflat. Esse sequitur possibilitatis et contingentia. Possibilitatem vero et contingentiam esse non sequitur. Necesse vero esse sequitur et esset possibilitas et contingentia, possibilitatem autem et contingentiam nec esse sequitur nec necessitas. In negationibus vero e contrario est, non posse esse et non contingere esse sequitur non esse quiquid enim non potest esse, non est; non esse autem non posse esse non sequitur quod enim non est, non omnino interclusum est ut esse non possit

Nunc enim ego Trajani forum non video, sed non est necesse ut non videam, fieri enim potest ut propius accedens, videam. Rursus non posse esse, et non contingens esse, nec non esse, sequitur nec non necesse esse. Quod enim non est, non videbit vere dici, quoniam illud esse non potest, sed potius quoniam potest non esse vel esse; quod est non necesse esse. Quod enim non esse potest, non videbitur vere dici, quoniam illud non necesse est esse, sed potius, quoniam illud necesse est non esse, id est, nullam essentiam habere. Negationem autem necessitatis, id est non necesse esse, neque non esse sequitur, neque non possibile esse. Me enim dum ambulo non necesse est ambulare, neque enim ex necessitate quisquam ambulat, nec rursus quod non est necesse, id non potest fieri, quisquis enim ambulat non quidem ambulare illi necesse est, sed tantum potest. Atque ideo quod non est necesse esse, non omnino interclusum est ut esse non possit. Et de non contingenti eadem ratio est, diverso ergo modo quam in affirmationibus negativa conversio est. Illic enim necessitatem et essentia et possibilitas sequebatur; essentiam autem possibilitas, sed neque possibilitatem essentia vel necessitas, nec rursus necessitas essentiam sequebatur. Hic autem non esse, non possibile esse, et necesse non esse consequitur Sed neque non necesse esse, non esse sequitur, neque utrasque possibilitatis negatio, quæ non posse esse aliquid proponit. An magis illud dicendum est, quod sicut se in affirmationibus habet, ita quoque in negationibus, ut Theophrastus acutissime perspexit? Fuit enim consequentia in affirmativis, ut necessitatem et esse consequeretur et possibilitas, possibilitatem vero nec esse sequeretur nec necessitas. Idem quoque penitus perspicientibus in negationibus apparebit, veniens namque negatio in necessario, faciensque hujusmodi negationem quæ dicit, non necesse est esse vim necessitatis infringit et totam propositionem ad possibile ducit, quod enim non necesse est esse, fracto rigore necessitatis ad possibilitatem perductum est, sed possibilitatem nec esse sequebatur nec necessitas Recte ergo fractam necessitatem et ad possibile perductam, cum negatio dicit non necesse esse, nec non esse, nec non contingere esse consequitur. Rursus qui dicit possibile esse, si ei disjunctio negationis addatur, tollit possibile, et ad necessitatis perpetuitatem negativa forma totam propositionem revocat, ut est non possibile, quod enim est possibile, non est adhuc, quando dicitur, sed in futuro, sic quidem negatio illius in necessitate versa de eo quod est mutare non poterit, quod enim non possibile est esse, fieri non potest ut sit, quod autem fieri non potest ut sit, necesse est ut non sit. Ergo necessariam quamdam vim habet hæc propositio in qua dicimus, non posse esse aliquid, sed necessitatem sequebatur et essentia et possibilitas. Non necesse autem esse ad possibilitatem respicit. Recte ergo non necesse esse, quod est etiam possibilitatis, sequitur propositionem quæ dicit non posse esse, quod est necessitatis. Alii ergo ordines propositionum sunt, vis tamen eadem, ut necessitatem cuncta sequantur, possibilitatem vero necessitas non sequatur. Hic oritur quæstio subdifficilis, nam si necessitatem sequitur possibilitas, non necesse autem possibilitati confine est, cur necesse esse non sequatur id quod dicimus non necesse esse? nam si possibilitas sequitur necessitatem, non necesse autem esse sequitur possibilitatem. Sequi debet necessitatem, ergo id quod non necesse est prædicamus. Quæ hoc modo dissolvitur, non possibile esse, quanquam vim habeat necessitatis, differt tamen a necessitate, quod illa affirmativam habet speciem, illud vero negativam sic etiam possibile esse et non necesse esse differunt, eo tantum quod illud est affirmativum, illud vero negativum, cum vis eadem significationis sit. Sed necessitatem affirmatio possibilitatis et contingentis sequebatur, quanquam enim possibilitatem imitetur, eique consentiat id quod dicimus non necese esse, tamen negatio quædam est. Recte igitur affirmationem quæ est necesse esse, non sequitur negatio per quam aliquid non necesse esse proponimus. Et hanc quidem hujus solutionem quæstionis Theophrastus vir doctissimus reperit. Nos autem his determinatis ad sequentia procedamus. Sunt enim, ut ipse Aristoteles ait, in his multæ dubitatione, sed totius textus plenissimum sensum primo ponamus, qui et si longus est, tamen ne intercisa videatur esse sententia, non gravabor apponere.

Nam si eorum quæ complectuntur illæ sibi invicem oppositæ sunt contradictiones, quæcunque secundum esse et non esse disponuntur, ut ejus quæ est, esse hominem negatio est, non esse hominem non esse non hominem. Et ejus quæ est, esse album hominem, negatio est ea quæ est, non esse album hominem, sed non, esse non album hominem. Si enim de omnibus aut dictio est, aut negatio, lignum erit verum dicere, esse non album hominem. Quod si hæc hoc modo, et quibuscunque esse non additur, idem faciet id quod pro esse dicitur, ut ejus quæ est, ambulat homo, negatio est, non ea quæ est, ambulat non homo, sed ea quæ est non ambulat homo, nihil enim differt dicere hominem ambulare, vel hominem ambulantem esse.

Hæc Aristotele subtiliter discutiente, illud oportet agnoscere, quod multum differt ipsius possibilitatis vim naturamque diffinire, vel propriæ scientiæ qualitate concludere, et possibilem enuntiationem qualis esse debeat judicare. Namque possibilis cognitione illud solum perspicitur, an id quod dicitur, fieri possit nullo extrinsecus impediente causam, quod etiamsi accidat, nihil de statu prioris possibilitatis permutatur, verum ipsius possibilis enuntiationis dijudicatio plurimum differt, quod mox poterit ex ipsa de possibilibus enuntiationibus disputatione cognosci. Nam sicut non est idem hominis diffinitionem respondere quærentibus, et ipsam diffinitionem alio termino diffinitionis includere, ita non idem est de possibili enuntiatione et quid ipsum possibile est tractare. Unde fit ut cum possibile atque contingens

idem in significationibus, sit diversum esse in enuntiationibus videatur. Supra namque docuimus possibilitatem et contingentiam ejusdem significationis esse, ut quod contingeret fieri, idem esset possibile, et quod possibile esset, idem quoque contingeret. Sed possibilis enuntiatio non est eadem quæ contingens, neque enim, si quis possibilem affirmationem proponat, eique opponat contingentem negationem, rectam faciet contradictionem. Si quis enim dicat, quodlibet illud esse possibile, alius respondeat negans rem illam contingere, licet quantum in significatione est priorem possibilitatem abstulerit, non tamen dicenda est contradictio, in qua alii termini in negatione, alii in affirmatione enuntiati sunt. Possibilis enim affirmatio de possibilitate negationem, non de contingentia habere debebit. Idem quoque in contingentibus. Neque enim si quis aliquid contingere dixit, opponenda illi est possibilitatis negatio, licet idem sit possibile quod contingens. Constat ergo diversissimam esse rationem modi per se dijudicandi et enuntiationis, quæ cum modo et qualitate prædicatur. Unde fit ut quanquam idem in significationibus possibilitas et contingentia sint, quasi diversa ab Aristotele in modorum ordine proponantur. Illud autem ignorandum non est, quod Stoicis universalius videatur esse possibile a necessario. Dividunt enim enuntiationes hoc modo. Enuntiationum, inquiunt, aliæ sunt possibiles, aliæ impossibiles. Possibilium aliæ sunt necessariæ, aliæ non necessariæ. Rursus non necessarium aliæ possibiles. Stulte atque improvide idem, possibile et genus non necessarii et speciem constituentes. Novit autem Aristoteles id possibile quod non necessarium esse potest. Eodem namque modo non dicitur possibile esse, quod vel ex falsitate in verum transit aliquando, vel rursus ex veritate in falsitate, ut si quis dicat nunc, quoniam dies est, verum dixerit, idem si hoc nocte prædicet, falsum est, et hæc veritas propositionis in falsum est permutata. Sic ergo quædam sunt possibilitates, ut eas esse et non esse contingat, quæ non eodem modo dicuntur quemadmodum illæ quæ mutabilem naturam non habent, ut hæ scilicet quas necessarias diximus, ut si quis dicat solem moveri, vel solem possibile esse moveri, hæ nunquam ex veritate in falsitatem mutabuntur. Sed nunc de Aristotelis et Stoicorum dissensione tacendum est. Illud tamen solum studiosius perquirendum est, quo loco sit ponenda negatio in his propositionibus, in quibus modus aliquis prædicatur, aut quæ dicentur esse possibiles enuntiationes, contingentes et necessariæ, et quæcunque cum modo sint propositiones. Illæ veraciter esse secundum modum sicut aliæ secundum esse dicentur, in quarum significationibus rei de qua prædicantur subsistendi qualitas invenitur, ut cum dico. Socrates bene loquitur, modus quidam est bene loquendi Socratis. Ergo sicut in his propositionibus, quæcunque cujuslibet illius rei subsistentiam promittunt, ad ipsam subsistentiam negatio ponitur, ut cum dicimus, Socrates est, ad esse aptatur negatio, cum negamus, Socrates

A non est. Ita quoque in his quæ modum subsistentiæ dicunt, ad eum modum ponenda est negatio, qui ad illam subsistentiam videtur adjectus, ut cum dicimus, Socrates bene loquitur, modus ipsius rei est id quod prædicamus bene. Ad hunc ergo modum et qualitatem ponenda est negatio. Plures autem propositiones vel contingentes eas esse dicimus, in quibus ipse modus monstratur, et non potius esse de modo dicitur, sed modus de eo quod est esse. Cum enim dicimus, possibile est esse quidem, quiddam dicimus, quemadmodum autem sit additum est, id est possibile, ut non necessarium neque alio aliquo modo, nisi tantum secundum potestatem dicatur, fit ergo esse subjectum, prædicatum vero modus, vel contingens, vel possibile, vel necessarium, vel quilibet alius. Atque hæ quidem propositiones secundum B modum dicuntur, in quibus de substantia nihil ambigitur. De modo autem et sola qualitate tractatur. Sin vero subjiciatur modus quidem, prædicetur vero esse, tunc de substantia rei quæritur non de modo, ut si quis dicat, possibile est, ut ipsum possibile in rebus esse pronuntiet, huic propositioni nullus modus adjectus est. Cum enim dicimus, possibile est modum habere, hoc ita per se non dicimus, sed particulam propositionis ablatam, ita eam perspicimus quasi si cum propositione esset conjuncta, quam si cum propria propositione junximus, quali modo prædicetur apparet. Cum enim dicimus, possibile est, ut modum significet, particula propositionis est quam si suo corpori aggregemus facientes aliquam C propositionem, quid modus ille profiteatur, agnoscimus, age enim id quod dicimus possibile est, conjungamus aliis prædicamentis, atque inde una enuntiatio conficiatur, dicamusque Socratem ambulare possibile est. Videsne modum in propositione possibile, ut etiam sive Socrates ambulet, sive non ambulet, posse eum tamen ambulare ex ipso propositionis modo quilibet agnoscat ? Ita igitur de toto auferentes partem, possibilem enuntiationem quasi tota sit propositio speculamur, ut in his dictionibus fieri solet, quæ pluralitatem determinant, ut si dubitamus contra omnis, an nullus ponatur, an non omnis, ita eas speculamur, quasi integras propositiones, quas determinationes propositionum esse manifestum est. Concludenti ergo dicendum est in his quæ modum prædicant, omnes aliæ res subjectæ D sunt vel esse, vel ambulare, vel legere, vel dicere, vel quidquid aliud cum aliquo modo fieri dicentur, in his autem ubi modus ipse subjicitur, esse vero prædicatur, ut sit integra propositio, non est cum modo propositio. Sed ibi tantum de substantia modi proponitur, ut si quis dicat possibile est, quiddam in rebus dicit esse possibile, et rursus contingens est, quiddam in rebus dicit esse quod contingat, et rursus necesse est esse, quiddam dicit in rebus quod sit necesse, hic non de modo, sed de solo esse tractatur, quare quoties esse quidem subjicitur, modus autem prædicatur, ut cum dicimus, Socratem ambulare possibile est, ad modum jungenda negatio

est.Quoties vero modus subjicitur, esse autem prædicatur, ad esse ponenda negatio est, ut cum dicimus possibile est, quia ita dicimus tanquam si diceremus possibilitas est,et cum dicimus contingens est,ista dicimus tanquam si diceremus contingentia est,ad esse ponendo negatio est,dicendumque est, possibile non est,quod idem valet tanquam si diceretur,possibilitas non est. Eodem quoque modo et de contingentia.Non autem perfecte speculantibus idem semper videri debet subjectum, quod primo loco reperiri dicitur. Id enim prædicatur semper, quod secundo loco prædicatur.In quibusdam enim verum est. In aliis vero ex significatione potius propositionum colligimus, qui terminus subjectus sit, qui vero prædicatus. Nam cum dico, homo animal est, prius mihi necesse est hominem dicere, post prædicare animal, atque ideo subjectum dicitur homo, animal vero prædicatur. In his autem in quibus modus additur, sicut est cum dicimus, Socrates bene loquitur, idem valet tanquam si dicamus, Socrates bene loquens est, et hoc quidem bene prius dictum est, postea vero loquens est,et videtur esse quidem subjectum id quod dictum est bene.Prædicatum autem id quod dictum est,loquens est. Sed hoc falsum est, et hinc facillime potest inveniri, quod loquentem quidem eum esse nullus ignorat, quisquis audit Socratem bene loquentem esse,vim autem totius propositionis modus continet.In id enim intendendus est animus non si loquatur,hoc enim indubitatum est.Nam qui eum bene dicit loqui, loqui quoque consentit. Quare ad modum intendendus est animus ad id quod dictum est bene. Socrates enim bene loquitur, quod dixit, loqui quidem non sufficit dicere, nisi etiam dicat bene. Continet ergo totam propositionem modus, sed rursus totam propositionem continet prædicatio,modus igitur in his propositionibus potius prædicatur.Concludendum igitur universaliter est,omnem modorum contradictionem non secundum esse verbum fieri,nec secundum id rursus verbum quod in se esse contineat, sed potius secundum modum. Continere autem in se verba id quod est esse dicuntur,ut cum dicimus loquitur,tantumdem enim valet tanquam si dicamus,loquens est.Quare quæcunque propositiones quemlibet illum in se retineant modum.Dubitandum non est quin non ad id quod ponit esse,negatio juste applicetur.Sed potius ad eum modum quo aliquid esse fierive pronuntiet. Omnis namque cum modo affirmatio talis est,ut non intendere debeat animum auditor ad id quod esse dicitur. Seu ad id potius quomodo illud esse dicatur,ut cum dicimus,Socrates bene loquitur,non perspiciendum est an loquatur, sed potius illuc anima dirigenda intentio est quemadmodum loquatur.Hoc enim videtur continere totam propositionem. Ergo contra possibile esse,non est ea negatio quæ dicit,possibile non esse,sed non possibile esse,eodem modo et contra eam quæ dicit contingere esse non ea quæ enuntiat contingere non esse sed potius ea negatio est quæ dicit non contingere esse.Idem quoque in necessariis impossibilibusque modis cæterisque quæ nunc Aristoteles pro solita brevitate transgressus est,faciendum videtur. Sed quoniam commentationis virtus est, non solum universaliter vim sensus exprimere,verum etiam textus ipsius sermonibus ordinique connectere ea quæ superius confusa dicta sunt, nunc per sermonum ipsorum ab Aristotele dictorum ordinem dividamus. His vero determinatis perspiciendum est, quemadmodum se habent negationes et affirmationes ad invicem, hæ scilicet quæ sunt de possibili esse et non possibili esse, contingere et non contingere,de impossibili et necessario.Habent enim aliquas dubitationes. Perspiciendum, inquit, est de affirmationibus negationibusque,qua ratione videantur opponi. In his propositionibus quas quidam modus continet,ut in his quæ sunt possibiles, vel contingentes, vel necessariæ, vel impossibiles, vel veræ, vel falsæ, vel bene, vel male, vel quidquid aliqua qualitate prædicatur. Habent enim, inquit,aliquas dubitationes,et quas dubitationes habeant continuo eas subjicit.Nam si eorum quæ complectuntur illæ sibi invicem oppositæ sunt contradictiones, quæcunque secundum esse vel non esse disponuntur.Sensus totus hujus modi est,in omnibus complexionibus propositionum illa in his oppositio valet,quæcunque secundum esse vel non esse fit,ut cum dicimus,homo est,hujus negatio est,homo non est.Sed non ea quæ dicit, non homo est, et rursus ejus quæ proponit, est albus homo, illa negatio est quæ dicit,non est albus homo, non ea quæ proponit,est albus homo,hoc ipsum autem quoniam ejus quæ dicit, est homo albus, negatio est, quæ dicit, non est albus homo, non ea quæ proponit, est non albus homo,sic demonstrat.Si enim de omnibus aut dictio est, aut negatio, lignum erit verum dicere esse non album hominem.Breviter dictum est, sed ita posse videtur exponi, propositum, inquit, sit lignum, de quo duæ enuntiationes dicantur, illud tamen nobis manifestum sit de omnibus,sit affirmato vera est, falsam esse negationem, eam scilicet quæ contradictoriæ opponitur,et si vero negatio est, falsa affirmatio esse pronuntietur.Igitur de proposito ligno, quoniam lignum, hoc est, albus homo, hoc falsum est. Si igitur hæc affirmatio falsa est, vera debet esse ejus negatio. Si ergo ea est negatio affirmationis quæ dicit, est albus homo, quæ negat dicens, est non albus homo, hæc negatio vere prædicatur de ligno dicente quolibet quod lignum, hoc est, non albus homo. Sed hoc fieri non potest. Perspicue enim falsum est lignum non album hominem esse. Quod enim omnino non est homo, nec non albus homo esse potest, falsæ ergo sunt utræque, et affirmatio quæ dicit de ligno, quoniam lignum est albus homo, et negatio de eo quæ dicit quoniam est non albus homo. Quod si sunt falsæ utræque, hæc negatio illius affirmationis non est. Quærenda est ergo alia quæ cum ea dividat verum atque falsum. Qua in re nulla alia reperitur contra eam quæ dicit,

est albus homo, præter eam quæ dicit, non est albus homo, nam si ea dicitur esse affirmationis hujus quæ dicit, est albus homo, negatio quæ enuntiat est non albus homo, erit ut de ligno de quo affirmatio dicta falsa est, vera sit enuntiata negatio, eritque de ligno verum dicere, quoniam lignum hoc est non albus homo, sed hoc impossibile est. Constat ergo eam propositionem quæ dicit, est non albus homo, illius affirmationis non esse negationem quæ proponit, est albus homo. Sed eam quæ dicit, non est albus homo, negationem esse ejusdem affirmationis quæ dicit, est albus homo. Videsne ergo ut prope in omnibus affirmationes et negationes secundum esse vel non esse fiant? Illa enim album quidem esse dicit, illa negat album non esse dicens, rursus illa dicit hominem esse, illa vero negat dicens, hominem non esse, et in cæteris eodem modo est Quod si hoc modo et in cæteris eodem modo est. Quod si hoc faciet quod pro esse dicitur, ut ejus quæ est, ambulat homo, non ea quæ est, ambulat non homo, negatio est. Sed ea quæ est, non ambulat homo. Nihil enim differt dicere hominem ambulare, vel hominem ambulantem esse. Nec hoc solum, inquit, in his evenire potest propositionibus, quæ secundum esse vel non esse disponuntur, sed etiam in his quæcunque verbis talibus continentur, ut verba illa vim ejus, quod est esse concludant, ut est homo ambulat, in se continet esse. Idem enim est, ambulat quod ambulans est. Ad hæc ergo verba quæ in propositionibus esse continent aptanda negatio est. Si enim omnis contradictio secundum esse vel non esse fit, hæc autem verba esse propria significatione concludunt, quoniam que verba hæc ita ponuntur tanquam si hoc ipsum esse poneretur. Manifestum est ad ea verba quæ esse continent negationem poni oportere ad earum similitudinem propositionum, quæ secundum esse vel non esse supra dicta ratione sibimet opponuntur. His ergo ante prædictis, quid inconveniens ex his possit esse prosequitur.

Quare si hoc modo in omnibus, et ejus quæ est, possibile est esse, negatio est, possibile est non esse, sed non ea quæ est, non possibile est esse. Videtur autem idem posse et esse et non esse. Omne enim quod est possibile dividi, vel ambulare, et non ambulare, et non dividi, possibile est.

Superius demonstratum est quemadmodum in iis quæ complectuntur enuntiationibus secundum esse potius, et non esse fierent oppositiones, nunc hoc dicit: Si hoc, inquit, in omnibus propositionibus faciendum est, ut earum contradictiones secundum esse et non esse ponantur, in iis quæ aliquid possibile esse pronuntiant, non ea ponenda negatio est, ut dicat non possibile esse. Sed potius secundum non esse constituenda est, ut dicatur possibile non esse, negationem ejus esse quæ dicit possibile esse. Sed si hoc, inquit, dicimus, affirmatio et negatio contradictoriæ verum inter se falsumque non dividunt. Omne enim quod potest esse, idem etiam potest non esse. Quod enim potest dividi, idem potest non divi- A vidi, et quod potest ambulare, idem potest non ambulare. Quæ autem sit hujusmodi possibilitas perquam cum dicitur aliquid fieri posse, illud tamen relinquatur posse non fieri, consequenter explanat dicens:

Ratio autem est, quoniam omne quod sic possibile est, non semper in actu est. Quare inerit ipsi etiam negatio, potest igitur et non ambulare, quod est ambulabile, et non videri quod est visibile. At vero impossibile est de eodem oppositas esse veras dictiones. Non igitur ejus quæ est, possibile est esse, negatio est, possibile est non esse. Contingit enim ex his aut idem ipsum affirmare et negare simul de eodem, aut non secundum esse et non esse, quæ opponuntur, fieri affirmationes et negationes. Si ergo illud impossibile est, B *hoc erit magis eligendum. Est igitur negatio ejus quæ est possibile esse, ea quæ est, non possibile esse, et non ea quæ est, possibile non esse. Eadem quoque ratio est in eo quod est, contingens esse, etenim negatio ejus est, non contingens esse. Et in aliis quoque simili modo, ut in necessario et impossibili.*

Causa est igitur, inquit, cur id quod posse esse dicitur, idem possit non esse. Quod omne quod possibile dicimus, ita pronuntiamus, ut non semper in actu sit, id est non sit necessarium. Omne namque quod semper in actu est, necessarium est, ut sol semper moveatur. Itaque illi semper agitur motus. Quis autem me dicat ambulare posse, quoniam mihi ambulationis motus non semper agitur, et inest mihi aliquoties non ambulare, inest quoque illud ut vere de me dicatur posse me non ambulare, cum vere C pronuntiatur posse ambulare. Ergo quæcunque non semper in actu sunt, et posse esse et posse non esse recipiunt. Potest ergo quod est ambulobile, id est quod ambulare potest, non ambulare, et quod est visibile non videri. Quocirca docet non esse negationem ejus quæ dicit, posse esse eam quæ proponit posse non esse. Idcirco quoniam utræque sunt veræ, ut in iis quæ (ut ipse ait) non semper actu sunt. Contingit enim unum ex utrisque quæ Aristoteles dicit, aut idem ipsum dicere et negare simul de eodem, aut non secundum esse et non esse, quæ opponuntur, fieri affirmationes et negationes, id est ut aut idem sint affirmatio et negatio sibique consentiant, si secundum esse et non esse in omnibus contradictio fit, ut est in eo quod est posse esse et posse non esse. D Idem enim utræque sunt sibique consentiunt, et si quis dicit eam esse contradictionem, dicet consentire sibi contradictionem, quod impossibile est. Aut certe non in omnibus affirmationibus et negationibus secundum esse et non esse ea quæ opponuntur, fieri affirmationes et negationes, id est non in omnibus affirmationibus et negationibus secundum oppositionem esse vel non esse, vel eorum verborum quæ esse continent, fieri contradictionem. Si ergo, inquit, illud impossibilius est, hoc erit magis eligendum. Duo supra posuerat quæ ex supradictis rationibus evenirent, at unum et idem dicere et negare simul de eodem, id est ut et dictio et negatio idem essent, simul de eodem prædicatæ sibique consentirent, aut,

non secundum esse vel non esse contradictionem fieri. Sed videntur utraque quasi quodammodo inconvenientia esse, quippe cum illud unum etiam impossibile sit, ut affirmatio negatioque consentiant, illud alterum non secundum esse vel non esse fieri oppositiones, inconsentiens sit aliis propositionibus, in quibus hoc modo fieri contradictionem manifestum est. Nunc ergo hoc dicit, quoniam utrumque, inquit, inconveniens est, unam ex his erit eligendum, id est quod minus est impossibile, hoc sumendum est. Minus autem est impossibile, ut secundum esse et non esse non fiant oppositiones. Hoc enim nihil prohibet. Illud autem impossibilius est, ut affirmatio negatioque sibi consentiant, hoc igitur erit eligendum potius, id est has quæ cum modo sunt propositiones non eas habere oppositiones, quæ secundum esse vel non esse fiunt, sed potius eas quæ ad modum ponuntur. Non autem dixit ita impossibilius est, tanquam si alterum impossibile sit. Sed ad hoc potius retulit quod utraque quasi inconvenientia videntur, quorum unum etiam impossibile esse non dubium est, hinc quoque disposuit ordinem secundum modum aliquem pronuntiatarum propositionum quæ non secundum esse negationes ponunt, dicit enim : Est ergo negatio ejus quæ est possibile esse, ea quæ est, non possibile esse, negationem scilicet addens non ad esse verbum, sed ad modum quod est possibile, eamdem quoque rationem dicit esse et in contingentibus. Ejus enim quæ est contingere esse, negatio est non contingere esse. Docet etiam de necessario et impossibili idem sibi videri. Quæ autem natura sit hujus oppositionis, licet breviter, veracissime tamen expressa est, de qua nos superius diutius locuti sumus; quod si quis perspicacius intendit illius intelligentiam loci, cum hac gradatim proficiscente expositione communicet.

Fiunt enim quemadmodum in illis esse et non esse appositiones, subjecta vero res, hoc quidem album, illud vero homo. Sic hoc loco, esse quidem et non esse subjectum fit, contingere vero et posse, appositiones, determinantes quemadmodum in illis esse et non esse, veritatem et falsitatem, sic hic in eo quod est esse possibile, et esse non possibile. Ejus vero quæ est, possibile est non esse, negatio est non ea quæ est, non possibile esse, sed ea quæ est, non possibile non esse. Et ejus quæ est possibile est esse, non ea quæ est, possibile est non esse, sed ea quæ est non possibile est esse. Quare et sequi sese invicem videbuntur hæ, possibile est esse, possibile est non esse. Idem enim possibile est esse, et non esse. Non enim contradictiones sunt sibi invicem hujusmodi, possibile esse, et possibile non esse, sed possibile est esse, et non possibile est esse, nunquam simul in eodem veræ sunt. Opponuntur enim. At vero nec possibile est non esse, et non possibile est non esse, nunquam simul veræ sunt. Similiter autem et ejus quæ est necessarium esse, negatio non est ea quæ est, necessarium non esse sed ea quæ est, non necessarium esse. Ejus vero quæ est necessarium est non esse, ea quæ est, non necessarium non esse. Et ejus quæ est impossibile esse, non ea quæ est impossibile non esse, sed non impossibile esse, ejus vero quæ est impossibile non esse, ea quæ est non impossibile est non esse.

Appositiones vocat prædicationes, dicit ergo in his propositionibus quæ præter aliquem modum dicuntur, prædicantur quidem semper esse et non esse, vel ea verba quæ esse continent, subjiciuntur vero res de quibus illa prædicantur, ut album, cum dicimus album est, vel homo cum dicimus homo est. Atque ideo quoniam in his prædicatio totam continet propositionem, veritatem et falsitatem prædicatio illa determinat. Prædicatur autem esse vel aliquid quod esse continet. Jure secundum esse et non esse contradictiones ponuntur. In his autem, id est in quibus modus aliquis prædicatur esse quidem subjectum est, vel ea verba quæ esse continet. Modus autem solus quodammodo prædicatur, nam quod dicitur esse solum sine modo aliquo ipsius rei substantia pronuntiatur, et quæritur in eo quodammodo an sit, idcirco esse ponente affirmatione dicit, negatio non esse. In his autem in quibus modus aliquis est, non dicitur aliquid esse, sed cum qualitate quadam esse, ut esse quidem nec affirmatio ambigat, nec negatio. De qualitate autem, id est quomodo sit, tunc inter aliquos dubitatur, atque ideo ponente aliquo quoniam Socrates bene loquitur, non ponitur negatio, quoniam bene non loquitur, sed quoniam non bene loquitur. Idcirco quoniam (ut dictum est) non ad esse vel ad ea verba quæ esse continent, et propositionem totam constituunt, sed potius ad modum intenditur animus audientis, cum affirmatio aliquid esse prenuntiat. Si igitur hoc continet totius propositionis vim, quod autem propositionis vim continet prædicatur, et secundum id quod prædicatur semper oppositiones fiunt, recte solis modis vis negationis opponitur. His autem rationabiliter constitutis illud rursus exsequitur quod non modo contradictio non est posse esse et posse non esse, verum etiam hujusmodi propositiones quæ cum modo sunt positæ, negationem tamen habent ad esse junctam, omnino negationes non sunt, sed affirmationes, possunt enim earum negationes aliæ reperiri. Ait enim : Ejus vero quæ est possibile non esse negatio est, non possibile non esse, in tantum, inquit, non est ulla contradictio ejus quæ est posse esse et ejus quæ est posse non esse, ut ea quæ dicit posse non esse, non esse negatio, sed potius affirmatio convincatur. Affirmatio autem affirmationi nunquam opponitur contradictoriæ. Docetur autem esse affirmatio ea quæ dicit, posse non esse quod ejus quædam alia negatio reperitur, ea scilicet quæ dicit, non posse non esse, simulque illud adjungit : Cum sint, inquit, hujus propositionis quæ dicit, aliquid posse esse, duæ quæ videantur esse negationes, ea scilicet quæ dicit posse non esse, et ea quæ proponit non posse esse, hinc agnoscitur quæ harum sit contradictoria contra eam quæ dicit posse esse, affirmationem. Quæ enim verum falsumque cum ea dividit, ipsa potius potest negatio esse quam ea quæ illi consentit. Ei vero quæ est, posse esse, consentit ea quæ

dicit, posse non esse,ut supra jam docui ; ea autem quæ dicit, non posse esse, si falsa est, vera est quæ dicit posse esse. Sed si hæc rursus falsa est, vera est illa quæ enuntiat non posse esse. Dividunt ergo hæ veritatem falsitatemque,quod in singulis exemplis facile poterit inveniri.Age enim dicat quis me posse ambulare, ille verum dixerit. Si vero quis me posse posse me ambulare,mentitus est. Rursus si quis dicat posse solem consistere,mentitur.Si quis vero dicat non posse solem consistere,de ipsius nullus ambigit veritate. Dividunt ergo veritatem falsitemque hæ scilicet quæ dicunt, posse esse et non posse esse, illæ vero sese sequuntur quæ dicunt posse esse et posse non esse. Quæ ergo sibi consentiunt, contradictiones non sunt,quæ autem veritatem falsitatemque dividunt,ipsas esse contradictiones magis putandum est quod hoc ait : Quare et sese sequi invicem videbuntur.Quæ autem propositiones sequantur sese dicit, id est possibile est esse et possibile non esse. Cur autem sese sequantur monstrat adjiciens : Non enim contradictiones sibi invicem sunt.Si enim contradictiones essent,nunquam sese sequerentur. Sed quæ sint contradictiones declarat dicens : Sed possibile est esse et non possibile esse nunquam simul sunt. Cur autem nunquam simul sunt, non tacuit, ait namque:opponuntur enim.Nam idcirco nunquam simul sunt,quia veritatem falsitatemque dividunt,quoniam opponuntur. Docet quoque ejus propositionis quæ dicit posse non esse illam esse negationem, quæ proponit non posse non esse,et ex eadem vi ad hanc propositionem transit.Dicit enim : At vero possibile non esse et non possibile non esse nunquam simul sunt, per quod ostenditur illam esse affirmativam, illam vero negativam.Universaliter enim quæcunque idem de eodem hæc ponit, hæc aufert, si illa sit affirmativa, illa negativa, et nihil æquivocationis, aut universalium determinationis impediat,contradictoriæ sibimet opponuntur. Cætera jam ita ait, per se expedita sunt, ut longa expositione non egeant. Sed quædam in eorum ordine permiscenda sunt,per quæ id quod per se est lucidum,clarius monstretur. Prosequitur enim similiter cæteros modos, dicens quæ propositiones quarum affirmationum non sint negationes et quæ sint, et eis quas negationes esse dicit,ut affirmationes esse demonstret, alias negationes opponit.Similiter autem, inquit,et ejus propositionis quæ est necessarium esse, non est ea negatio quæ dicit, necessarium non esse, hæc enim affirmatio est;sicut mox negatione opposita comprobavit, sed potius ea negatio est ejus quæ est necessarium esse quæ dicit,non necessarium esse.Eodem quoque modo cuncta prosequitur dicens, ejus vero quæ est, necessarium non esse,quam supra dixerit non esse oppositam ei quæ dicit, necessarium est esse, illa negatio est quæ proponit non necessarium non esse. Quæcunque enim negationem ad esse positam habent,illæ si cum modo sunt, affirmationes esse putandæ sunt. Ejus vero quæ est, impossibile esse, non est ea negatio quæ dicit,impossibile non esse. Non enim admodum habet negativam particulam junctam,sed potius ea quæ dicit,non impossibile esse, hæ namque inter se verum falsumque dividunt, illius vero quæ ad esse habet particulam negativam,quam affirmationem esse manifestum est, id est ejus quæ dicit,impossibile non esse ea negatio est quæ dicit, non impossibile non esse. Concludit etiam breviter id quod supra demonstravit dicens:

Universaliter vero (quemadmodum dictum est) esse quidem et non esse oportet ponere,tanquam subjecta, negationem vero et affirmationem hæc facientem ad esse et non esse apponere, et has putare oportet esse oppositas dictiones,possibile,non possibile,contingens, non contingens, impossibile,non impossibile, necessarium, non necessarium, verum,non verum.

Universaliter,inquit, dicimus,sicut jam supra dictum est,in his propositionibus quas modos additos habent,esse et non esse subjecta potius fieri,modos vero prædicari,atque ideo ad unum quemlibet modum,id est secundum unum fieri debere affirmationem et negationem semper,ut sicut prædicatus modus affirmationem continet,ita negativa particula ad modum juncta totam hoc modo contineat negationem.Proponit autem eas quas putat esse oppositas dictiones hoc modo,possibile non possibile, contingens non contingens, impossibile non impossibile, necessarium non necessarium.Quod autem addit verum non verum, ad hoc pertinet, ut omnes modos includeret, vere enim modus quidem est sicut et bene, sicut velociter, sicut læte, sicut graviter, et quicunque modi sunt,hoc modo facienda est contradictio, verum est, non verum est, non autem non est verum,velociter ambulare,non velociter ambulare,sed non illa quæ dicit, velociter non ambulare. Concludenti ergo semper ad modum jungenda negatio est.Illæ enim semper sibimet opponuntur, ut supra jam dictum est,quæ secundum prædicationes habent negativas particulas junctas.Prædicantur autem in his modi,ut supra jam demonstravimus.Secundum modos ergo in his negatio posita integram vim contradictionis efficiet.Expeditis modorum oppositionibus de consequentia propositionum atque consensu habebitur subtilis utilisque tractatus.Si ergo possibile esse simpliciter diceretur, simplex et facilis propositionum videretur esse consensus, nec quidquam in earum consequentia posse errari.Nunc autem quoniam dupliciter dicitur secundum diversos modos non eædem propositionum sunt consequentiæ. Quod autem dico tale est.Possibilis duæ sunt partes, unum quod cum non sit, esse potest. Alterum quod ideo sit possibile, quod jam est, prior quidem pars corruptibilibus et permutabilibus propria est, mortalis enim Socrates poterat esse cum non fuit, sicut ipsi mortales qui sunt id quod ante non fuerant, potest enim homo cum non loquitur loqui, et cum non ambulat ambulare.Ergo hæc pars secundum id dicitur quod jam quidem non est, esse tamen potest, illa vero alia pars possibilis quæ secundum id dicitur,quod jam est aliquid actu non potestate,utrisque

is accommodatur,et sempiternis scilicet et mor- A test efficere. Quare facienda a principio hujusmodi
is.Nam quod in sempiternis est,esse possibile divisio est.Possibilis alia pars est quæ cum non sit
ursus quod est in mortalibus, nec hoc a sub- tamen esse potest. Alia vero quæ actu est, et ideo
idi possibilitate discedit, sed tantum differt, possibile dicitur. Si enim esse non posset,nec esset
id quod in æternis est nullo modo permutatur et omnino, hujus autem possibilitatis quæ secundum
er esse necesse est, illud vero quod in rebus illum dicitur modum,quod jam actu fit,duæ partes
ilibus invenitur poterit et non esse, et ut sit sunt,una secundum id quod ex necessitate esse di-
st necesse.Ego namque cum scribo inest mihi cimus. Altera vero secundum id quod cum sit, non
re.Quocirca et scribere mihi possibile est,sed tamen esse ex necessitate aliquid arbitramur,hujus
am ipse mortalis sum, non est hæc potestas autem non necessariæ potestatis duæ sunt aliæ par-
ndi necessaria, neque enim ex necessitate tes,una quæ quoniam ex potestate ad actum venit,et
. At vero cum dicimus cœlo inesse motum, esse et non esse recipiet facultatem.Altera quæ quia
dubitatio est qui necesse sit cœlum moveri, nunquam actum habere destitit, aliquando fuit id
rtalibus ergo rebus cum est aliquid et esse pot- quod dicitur ei esse possibile,ad unam tantum par-
ut sit non est necesse,in sempiternis autem, tem apta est atque possibilis, ad eam scilicet quam
est necesse est esse, et quia est esse possi- B actu semper exercuit, ut igni calor vel nivi frigus,
st. Cum ergo possibilis principaliter duæ sint vel adamanti durities, vel aquæ liquor. Sed nullus
,una quæ secundum id dicitur quod cum non arbitretur ex necessariæ possibilitatis specie esse id
se tamen potest. Altera quæ secundum id quod dicimus nunquam potestate fuisse,actus quos-
catur quod jam est aliquid actu non solum dam in quibusdam rebus,ut igni calorem,ipse enim
ate, hujusmodi possibile quod jam sit actu, exstingui ignis potest.In illis autem quæ necessariæ
x se species profert, unam quæ cum sit sunt, non modo qualitas a subjecta re discedere
st necessaria; alteram quæ cum sit illud nunquam debet, quod videtur etiam in igni,a quo
e habet,ut eam esse necesse sit.Nec hoc solius sua qualitas caloris non recedit, sed etiam illud
telis subtilitas deprehendit, verum Diodorus quod subjecta illa substantia immortalis esse videa-
e possibile ita diffinit dicens,quod est aut non tur,quod igni non accidit.Solem enim et cætera hu-
de Aristoteles id quod Diodorus ait non est, jusmodi corpora quæ superna sunt, et cœlestia,im-
ossibile putat, quod cum non fit fieri tamen mortalia peripatetica disciplina putat, atque ideo
. Quod autem dixit Diodorus, est id possi- consentienter sibi docet solem necessario moveri,
ristoteles interpretatur, quod idcirco dicitur quod non modo a sole motus ille nunquam recedit,
ossibile, quia jam est actu. Cujus possibili- C sed ne sol quidem ipse esse desinet.His ergo prædi-
nodi duas partes esse docuimus: unam sci- ctis id ad quod hæ præmissa sunt,id est consequen-
m necessariam dicimus,alteram quam non tia propositionum diligentius exsequenda est.
ariam prædicamus. Hujus autem non neces- *Consequentiæ vero secundum ordinem fiunt ita po-*
duæ rursus partes sunt :una quæ a potestate *nentibus. Illi enim quæ est,possibile est esse,sequitur*
it ad actum ; altera quæ semper actu fuit,ali- *illa quæ est, contingens esse,et hæc illi convertitur,et*
o res illa quæ susceptibilis illius est fuit, et *non impossibile esse, et non necessarium esse. Illi*
idem quæ a possibilitate ad actum venit, et *vero quæ est,possibile non esse,et contingens non esse,*
que partis contradictionis susceptibilis est,ut *ea quæ est,non necessarium non esse, et non impossi-*
go scribo, et ex potestate ad actum venit, *bile non esse. Illi vero quæ est, non possibile esse, et*
possum scribere.Ante enim quam scriberem *non contingens esse, ea quæ est,necessarium non esse,*
ihi scribendi potentia. Sed ex potestate scri- *et impossibile esse.Illi vero quæ est,non possibile non*
veni ad actum scribendi Quare utraque mihi *esse, et non contingens non esse, illa quæ est, necesse*
iunt et scribere et non scribere,possum enim *est esse. Et impossibile non esse, consideretur autem*
scribere, possum et scribere, quæ est quo- *ex subscriptione quod dicimus.*
odo contra dictio.Atque ideo quæcunque a po- Hæc Aristoteles consentienter his quæ nos supra
ad actum veniunt,ea et facere possum et non D præmisimus addidit de consequentia propositionum,
,et esse et non esse,ut qui loquitur,quia ante quæ etsi manifesta sunt acute perspicientibus,tamen
loqui quam loqueretur, et nunc ideo potest ne nos nihil huic quoque loco addidisse videamur,
quia loquitur,et potest loqui et potest non lo- brevissima expositione ea percurrimus.Primus vo-
lia vero quæ nunquam antea potestate fuit,sed luit demonstrare, quoniam quæcunque de possibili
r actu,aliquando res ipsa fuit quæ aliquid po- dicerentur,ea etiam de contingenti veracissime dici
esse diceretur, ad unam rem tantum apta possunt, atque ideo ait illi quæ est, possibile esse
ignis nunquam fuit ante potestate calidus, ut consequentem esse illam quæ dicit,contingere esse.
calidus actu sentiretur,nec nix antea frigida Et ne in his aliquid discrepans videretur,adjecit di-
ite, post actu. Sed aliquando fuit ignis actu cens. Et hæc illi convertitur,ut intelligeremus quod
s, fuit et aliquando nix frigida actu. Quocirca esset possibile hoc contingere, et quod contingeret
entiæ non sunt aptæ ad utraque.Neque enim illud esse possibile,quare quæ sibi convertuntur, ea
rigus incurrere,nec nix calidum unquam po- æqualia sunt atque eadem. Quidquid ergo impossi-

bile dici potest,idem in contingenti prædicatur,hæc ergo,id est contingens et possibile sequi dixit illam propositionem quæ diceret;non impossibile esse,et eam quæ necessarium negat, id est non necesse esse. Ait enim: Illi enim quæ est possibile esse, illa quæ est contingere esse, et hæc illi convertitur, et ea quæ est,non impossibile esse et non necessarium esse, tanquam si hoc diceret, et possibile esse sequitur contingentia. Et hæc utraque sibi convertuntur, sed has sequitur non impossibile esse et non necessarium esse,hoc quam recte dictum sit neminem latet. Nam quod est possibile esse,id esse contingit,ut sit non impossibile esse. Nam si esset impossibile,non diceretur posse esse, quod ut non esset ratio impossibilitatis astringeret. Ergo id quod potest esse,non impossibile est esse. Similiter autem non est necesse esse,id quod posse esse dicitur. Hoc autem idcirco evenit,quia id quod possibile prædicamus ad utramque partem facile vertitur. Nam et ut si fieri potest et ut non sit. At vero necessitas et impossibilitas in alterutra parte constringitur. Nam quod impossibile est esse, esse nunquam potest. Porro autem quod necesse est esse, non esse nunquam potest. Ergo id quod negamus impossibile esse,consentire facimus possibilitati. Id autem quod negamus necessarium, rursus eidem naturæ vim possibilitatis adjungimus,ut sit hoc modo dicendum, et ut verius loquamur,ita dicendum est, quod possibile est et esse potest et non esse. Rursus quod impossibile est esse, non potest esse, quod necesse est, non potest non esse. Ergo si impossibilem enuntiationem negationis adjectione frangamus,dicentes non impossibile esse,illi partem possibilitatis adjungimus,in qua esse posse aliquid dicimus. Sin vero necessariæ propositionis rigorem negatione minuamus dicentes, non necesse esse, illud evenit ut ad eam partem necessariam propositionem applicemus, quæ in possibilitate est, ut possit non esse. Quare possibilitatem sequitur non esse impossibile, idcirco quia quod possibile est,fieri poterit, eamdem possibilitatem rursus sequitur propositio quæ dicit, non necesse est esse, idcirco quia quod possibile est, poterit et non esse. Aliter idem dicimus, quod possibile est non est verum dicere,quoniam impossibile est,quia fieri potest. Rursus quod possibile est, non est verum dicere, quoniam necesse est. Potest enim quod possibile est esse,idem non esse. Quare si de possibilitate impossibilitas et necessitas recte dici non potest, eorum negationes possibilitati consentient, quæ sunt non impossibile esse et non necessarium esse. Sed meminisse debemus eamdem semper in omnibus de contingenti et de possibili rationem esse. De eo scilicet possibili quod cum adhuc non sit poterit tamen esse aut non esse. Aliam rursus consequentiam dicit hoc modo: Illi vero quæ est possibile non esse et contingere non esse, illa quæ est non necessarium non esse et non impossibile non esse propter eamdem causam hanc quoque consequentiam dicit. Illi enim quæ est possi-

A

B

C

D

bile non esse,et ei quæ est contingere non consentire ait quæ dicit,non necesse non ess impossibile non esse. Hoc autem ideo,quia c test non esse,potest etiam esse. Et rursus qu tingit non esse,contingit esse. At vero quod est non esse,illud non potest esse,quod au possibile est non esse, illud non esse non Quare a possibili utræque discrepant. Namqu bilitati quæ posse aliquid esse promittit,con sentit ea quæ dicit necesse esse non esse. quia possibilitas habet in se vim, ut id quo esse,possit et non esse, dissentit ab ea mul discrepat quæ dicit impossibile esse non ess si sit propositio quæ prædicat necesse esse n et rursus quæ dicit impossibile esse non ess sibilitate dissentiunt. Recte nimirum harur tiones possibilitati consentire creduntur. Po autem propositiones voco hujusmodi quæ vel matione vel negatione possibilitatem aliqua strant,altera parte non interclusa,ut quæ di sibile esse aliquid ab hac non intercluditur quam dici potest possibile esse non esse,vel dicat possibile aliquid non esse,ab hac rursu clusum non est, ut esse possit. Atque ideo s tionem quæ dicit posse esse possibile voco. N quæ dicit aliquid posse non esse. Et in istis sitionibus quas Aristoteles ponit,in quibus di sibile non esse, non videatur ita dicere tan hoc modo pronuntiet,ut velint intendere aliq possibile esse cum dicit,possibile non esse. I hanc propositionem dicit, non quod possibi illam auferat, sed quod dicat possibile esse ut non sit. Subaudiendum enim est adjungend ad possibile verbum quod est esse,ut cum il possibile non esse, nos intelligamus possibi non esse, id est possibile esse ut non sit. T consequentiam ponit hanc in qua consentire illi quæ est non possibile esse et non con esse, illam quæ dicit, necessarium non esse possibile esse. Hoc ita planum est ut expositio egeat. Quod enim non possibile est, hoc fie potest. Quod fieri non potest necesse est ut r quod autem necesse est ut non sit, impossil Recte ergo dicitur eam propositionem quæ d quid non posse esse, et eam quæ dicit,non gere esse, consequi illas et quæ esse cum esse negant,et quæ impossibilitatem affirmar autem dicit, tale est. Non necesse esse con est esse. Necesse autem non esse non con esse, non est contingens, scilicet esse, et n rium non esse. Reliquam consequentiam eas propositiones quæ dicerent, non possib aliquid non esse, et non contingere non es quæ proponerent necesse esse, et impossib esse consentire dicit,neque ullam habet hoc ritatem. Nam quod non est possibile ut non impossibile est ut non sit. Id enim quod d impossibile esse,idem valet tanquam si dican possibile esse. Quod enim facit negatio in es

pretatione qua dicimus non possibile,idem facit privatio in ea qua dicimus impossibile. Quod autem impossibile est non esse,late patet,quia necesse esse esse.Ergo et quod non est possibile ut non sit, manifestum est quoniam necesse est esse,idem quoque et de contingenti dicendum est.Describit autem eas hoc modo, ut non solum mente et ratione capiantur, verum etiam subjectis oculis facilior intellectus sit.Nos autem ut sit lucidior explanatio,de his duos facimus ordines,et in primo quidem eas posuimus quæ præcedunt.In secundo vero eas quæ sequuntur, ut sit multa facilitas per se earum rationes non intelligentibus,ad descriptionem tamen respicientibus quæ quam sequatur agnoscere.

A	*Possibile esse.*	*Non impossibile esse.*
	Contingens esse.	*Non necesse esse.*
	Possibile non esse.	*Non necessarium non esse.*
	Contingens non esse.	*Non possibile non esse.*
	Non possibile esse.	*Necessarium non esse.*
	Non contingens esse.	*Impossibile esse.*
	Non possibile non esse.	*Necesse esse.*
	Non contingens non esse.	*Impossibile non esse.*

Hac ergo descriptione facta,quid Aristoteles communiter de propositionibus universaliter que tractaverit,nulli solertius intuenti videtur ambiguum.Cætera vero quæ singulatim de eorum consequentiis disputavit, quoniam defatigari nolumus lectores, sextum volumen expediet.

LIBER SEXTUS.

Sextus hic liber longæ commentationi terminum ponit,quæ quodam magno labore constiterit ac temporis mora.Nam et plurimorum suntin unum coacervatæ sententiæ,et duorum ferme annorum spatium continuo commentandi sudore consumpsimus. Neque ego arbitror quibusdam sinistre interpretantibus gloriose factum videri, ut quod dici breviter posset, id nos ostentatione doctrinæ, non ad lectorum scientiam potius quam prolixitate ad fastidium tenderemus. Quibus responsum velim non hoc tam mendaciter esse sensuros,si prioris commenti perlegerint brevitatem, nam neque brevius explicari potuit angustissimorum obscuritas impedita sermonum, et quam multa ad plenam hujus libri intelligentiam desint, agnoscent. Quid autem utrumque opus legentibus utilitatis exhibeat,hinc facillime mihi videtur posse perpendi, quod cum hanc secundam editionem in manus quisquam primum sumpserit, ipsarum rerum spatiosa varietate confunditur,ut qui in majoribus mentem intendere nequit, editionis primæ brevitatem simplicitatemque desideret.Quod si quis ad prioris editionis duos libros lector accesserit,sumpsisse sibi ad scientiam quiddam fortasse videbitur.Sed cum postremo hanc secundam cognoverit editionem, quam multa in prima ignoraret agnoscit, nec homines a legendo longum opus labore deterreat,cum nos non impedierit ad scribendum.Sed ne ipsum quoque proœmium tendi longius videatur,ad Aristotelis seriem, et ad ea quæ de consequentia propositionum diligenter exsequitur,revertamur. Ea quæ communiter universaliterque de Propositionibus, et de earum ad se invicem consequentiis speculanda fuerant, in superiori ipsarum Propositionum descriptione disposuit. Nunc vero quæ sigillatim singulis accidunt diligentissimo tractatu persequitur. Ait enim ita:

Ergo impossibile et non impossibile, ad illud quod est, contingens et possibile, et non contingens et non possibile sequuntur quidem contradictoriæ, sed conversim. Illud enim quod est possibile esse, negatio sequitur impossibilis, negationem vero affirmatio. Ad enim quod est, non possibile est sequitur illud quod est, impossibile esse. Affirmatio enim est impossibile esse, non impossibile vero negatio.

Consequentia propositionum (ut superior descriptio docet)secundum possibile et necessarium facta est.Quam rem illa quoque secuta est,ut ex contingentibus et impossibilibus propositionibus consequentiisque diceret.Nam cum contingens recto modo possibili consentiat,impossibile converso ordine necessarium est,ut paulo post docebimus.Speculatur ergo de possibili et contingenti et impossibili, quemadmodum ad se invicem,vel quas habeant consequentias,idque constituit hoc modo dicens. Impossibile et non impossibile sequuntur quidem possibile et non possibile contradictoriæ quidem,sed conversim.Hoc autem hujusmodi est.Scimus affirmationem privatoriam esse eam quæ dicit impossibile esse.Hujus vero negationem non impossibile esse.Rursus affirmationem possibilem eam quæ dicit possibile esse,hujus negationem quæ proponit non possibile esse.Sequitur ergo affirmationem possibilem negatio impossibilis. Nam quod possibile est, idem est non impossibile. Alioquin si ea quæ dicit.non impossibile esse non sequitur possibilitatem,sequitur ejus affirmatio,id est impossibile esse.Erit ergo quod possibile est impossibile,quod fieri potest.Quod si impossibilitas possibilitatem non sequitur, non impossibile esse sequitur possibilitatem.At vero negationem possibilitatis sequitur affirmatio impossibilitatis.Nam quod non possibile est,impossibile est. Eamdem enim vim obtinet negatio in propositionibus quam et privatio. Et de contingenti hoc modo. Nam quod contingens est esse, illud est non possibile.Nam si contingens et possibile sequuntur se,possibile vero et non impossibile consentiunt, contingens etiam et non impossibile idem designant.Rursus non contingens et impossibile idem videri poterit perspicienti, quod non contingens quidem et non possibile idem sentiunt.Sed non possibile impossibili consentit. Quocirca et non contingens quoque impossibile aliquid esse denuntiat.Fit ergo ut affirmatio impossibilitatis contradictionem possibilitatis sequatur.Sed non ut affirmatio affirmationem,nec ut negatio negatio-

nem sed conversim, id est ut affirmatio negationi, negatio vero affirmationi consentiat. Affirmationem namque quæ est possibile esse, sequitur negatio impossibilitatis quæ dicit non impossibile esse, negationem vero possibilitatis quæ est non possibile esse sequitur impossibilitatis affirmatio quæ proponit impossibile esse. Idem quoque et de contingenti dicendum est. Affirmationem namque contingentis sequitur negatio impossibilitatis. Negationem vero contingentis sequitur affirmatio impossibilitatis. Omnino enim quidquid de possibilitate proponitur, idem de contingentibus judicatur. Disponantur ergo hoc modo : primum affirmatio impossibilis, contra eam negatio impossibilis. Et sub affirmatione impossibili ponantur ex contingentibus et possibilibus, quas ipsa sequitur impossibilitas. Sub negatione vero impossibilitatis illæ possibilis et contingentis propositiones, quibus ipsa impossibilitatis negatio consentit, hoc modo:

Impossibile esse. Non impossibile esse:
Non possibile esse. Possibile esse.
Non contingens esse. Contingens esse.

Patet ergo ut contradictiones quidem aliis contradictionibus consentiant. Qua in re illud quoque manifestum est, quod affirmationes negationibus, negationes vero affirmationibus consentiant. Sensus ergo totus talis. Sermonum vero ratio hæc est. Impossibile, inquit, et non impossibile, scilicet quæ est contradictio duas contradictiones, id est illud quod est contingens et possibile et non contingens et non possibile, sequitur quidem contradictorie. Nam una contradictio, impossibilis et non impossibilis, duas sequitur contradictiones, id est contingens et non contingens, possibile et non possibile. Sed quanquam contradictiones sequatur alia contradictio, conversim tamen sibi consentiunt. Nam quod est possibile esse sequitur negatio impossibilis, ut superior descriptio docet. Negationem vero possibilis sequitur affirmatio impossibili, nam quod est non possibile consentit ei quod impossibile. Est autem affirmatio impossibilis ea quæ dicit impossibile esse. Et quanquam involuta sit sermonum ratio, tamen si quis secundum superiorem expositionem ad ipsius Aristotelis sermones superiores redeat, et quod illis deest ex nostra expositione compenset, sensus plenissimus a ratione non deviat.

Necessarium vero quemadmodum fit, considerandum est. Manifestum est autem quoniam non eodem modo, sed contrariæ sequuntur. Contradictoriæ autem sunt extra. Non enim est negatio ejus quod est, necesse non esse non necesse est esse. Contingit enim esse veras utrasque in eodem. Quod enim est necessarium non esse, non necessarium esse.

Possibilis atque impossibilis dudum comparatione didicimus, quod affirmationem possibilem impossibilis negatio sequeretur, rursus negationi possibilis affirmatio impossibilis consentiret. Quærens ergo nunc quemadmodum possibilium et necessariarum propositionum fiant consequentiæ, dicit non eodem modo in his evenire quemadmodum in illis evenit quæ ex possibilis comparationibus nascebantur. In illis enim contradictiones oppositæ, contradictiones rursus oppositas sequebantur, ut affirmationem negatio, negationem affirmatio sequeretur. In his autem hoc est impossibilibus et necessariis non eodem modo est, sed contrariæ quidem consequuntur, contradictoriæ vero et oppositæ extra sunt et non sequuntur. Et prius quidem quæ sint contrariæ, quæ contradictoriæ disponamus. Propositionis enim quæ dicit necesse esse ea quæ proponit, non necesse esse contradictoria est. Ea vero quæ dicit necesse non esse contraria, ut si quis dicat solem esse necesse moveri, huic est opposita contradictoriæ solem non necesse esse moveri. Contraria vero solem necesse esse non moveri. Possibilem ergo propositionem sequitur contradictio necessaria. Contradictionem vero possibilis non sequitur necessitas. Quod eveniret si in his sese oppositæ sequerentur. Sed potius ea quæ est contraria necessitati. Age enim oppositioni quæ dicit possibile esse videamus quæ ex necessariis consentiant. Illa quidem quæ dicit necesse esse non ei poterit consentire. Quod enim possibile est esse, potest et non esse. Quod autem necesse est esse, non poterit non esse. Ergo si possibilitatem necessitas non sequitur, sequitur eam necessitatis contradictio, non sequitur ergo propositionem possibilem ea quæ proponit necesse esse. Sed contradictio necessitatis quæ proponit non necesse esse. Sed contradictioni possibilis necessitas non consentit. Neque enim dicere possumus, quoniam eam propositionem quæ dicit, non possibile esse, sequitur ea quæ proponit necesse esse. Sed potius contraria necessariæ illa quæ dicit necesse esse non esse. Nam cum non possibile est, necesse est non esse. Disponantur enim hæ scilicet quæ sequuntur et sub his necessariæ et quæ sit contradictio, quæ contrarietas ascribatur.



Nulli ergo dubium est quin affirmationem possibilis sequatur necessarii negatio, negationem vero possibilis non sequatur necessarium, sed potius contrarietas necessarii. Nam cum possibile esse sequatur contradictio necessitatis, quæ est non necesse esse, contradictionem possibilis quæ dicit: non possibile esse, non sequitur necessitas ipsa. Sed potius contraria illa scilicet quæ proponit necesse esse non esse. Sensus ergo hujus modi est. Talis vero est ordo sermonum, necessarium vero, inquit, quemadmodum sit, id est, quas habeat consequentias considerandum est. Primo quidem definit dicens : Manifestum est quoniam non eodem modo. Quo loco subaudiendum est, quemadmodum in his quæ possibiles sunt et impossibiles, sed contrariæ sequuntur, contradictoriæ vero extra sunt, et non sequuntur. Namque contradictionem possibilis non necessarii contradictio,

, supra docuimus) contrarietas sequebatur. A
ıim contradictio contradictioni in hac neces-
ınsequentia consentiebat. Sequebatur namque
.litatem illud quod est non necessarium, non
le autem sequebatur ea propositio quæ dicit
ɜ esse non esse, non autem necesse esse. Sed
necesse esse non esse, et non necesse esse
nt contradictiones. Sed non necesse esse qui-
ɜgatio necessarii est, illa vero quæ dicit, ne-
sse non esse contraria necessarii. Contra se
non sunt contradictoriæ. Possunt namque in
demque simul inveniri. Quod per hoc ait quod
ontingit enim veras esse in eodem utrasque.
ıod necessarium non esse non est necessa-
ɜse, ut quoniam necesse est hominem qua-
em esse. Nam si hoc falsum est, necesse B
minem esse quadrupedem, cum necesse sit
ɜe. Quocirca manifestum est quoniam simul
do inveniri possunt non necesse esse, et rursus
esse non esse propositiones quæ cum con-
ıunt, contradictiones non sunt. Causam vero
ɜ cur cum secundum possibilis comparatio-
contradictiones sit reddita consequentia, non
modo in necessariis potuerit evenire sic dicit:

ım autem cur non sequantur similiter cæteris est
n contrariæ impossibile necessario redditur idem
Nam quod impossibile est esse, necesse est hoc,
dem esse, sed potius non esse. Quod vero impos-
it non esse, hoc necessarium est esse. Quare si
iliter sequuntur possibile, et non possibile hæc
rio. Quoniam non significant idem necessarium C
ssibile, sed (quemadmodum dictum est) con-

a est, inquit, cur consequentia in necessariis
ditur. quod necessarium semper impossibili
ia ratione consentit. Nam quod impossibile est
cessarium est non esse. Et rursus quod ne-
st esse, hoc impossibile est non esse. Fit igi-
trarietas quædam. Nam cum impossibilitas
bet, necessitas non esse, et cum necessitas
npossibilitas non esse, ergo idem valet im-
litas et necessitas, non eodem modo reddita.
necessitas secundum esse, impossibilitas se-
n non esse redditur, et si impossibilitas se-
ı esse, secundum non esse necessitas, quare
evenit ista contrario modo conversio, nam D
impossibile esse, ibi est necesse non esse,
ɔossibile esse et non possibile esse consen-
ɟitur non possibile esse et necesse non esse
:iunt. Nulli ergo dubium est idcirco necesse
ɜe sequi possibilis negationem, quoniam im-
.itas quæ sequitur, possibilis negationem con-
i quæ dicit, necesse non esse. Hoc autem ideo
possibilitas et necessitas idem valent (ut dixi)
rariæ proponantur. Quare quod dicitur hoc
ɜst. Causa autem est, inquit, cur non sequan-
ıiliter cæteris, id est quæ secundum possibile
ɔssibile factæ sunt, quoniam contrariæ impos-

sibile necessario redditur idem valens, id est contrario modo reddita et pronuntiata impossibilitas necessitati idem valet. Nam si impossibile est esse, necesse est hoc non esse. Sed si necesse non esse, hoc non est possibile esse. Nullus ergo dixerit quoniam necesse est esse, sed potius quoniam necesse est non esse, tanquam si ita dixisset. Nam si impossibile est esse, necesse est hoc non esse. Sed non putandum est quoniam impossibile est esse hoc est: quod necesse est esse. Quod si rursus impossibile est non esse, hoc necesse est esse. Conversim igitur et contrarie impossibilitas necessitati redditur idem valens, id est contrario modo reddita et pronuntiata impossibilitas necessitati. Quod si impossibilitas ad possibile simili contradictione, et contradictionum conversione consequentiam reddit, idem autem valet impossibilitas et necessitas contrariæ prædicata, nulli dubium est quin recte hic contraria et non opposita fuerit consequentia; an certe ita exponendum est, quoniam in consequentia impossibilis et non impossibilis ad eas quæ proponebant possibile et non possibile eam quæ est non possibile ea quæ dicit aliquid esse impossibile sequebatur, contrarie vero impossibile, idem valet quod necessarium manifestum est, quoniam similiter se habet, id est eo modo quo dictum est impossibile ad consequentiam possibilis et non possibilis. Impossibile vero ei quod est non possibile, consentaneum sit id quod e contrario idem velet, id est necessarium non esse, id sequi eam propositionem quam etiam impossibilitas sequebatur. Est autem contrariæ idem valens impossibilitati ea quæ est necessarium non esse, sequiturque impossibilitas eam propositionem quæ est non possibile esse necessarium non esse igitur sequitur eam quæ est non possibile esse, ut sit sensus hic, quoniam impossibile necessario idem potest e contrario. Similiter vero se habet, id est eodem modo quæ dictum est impossibilis consequentia ad eas quas dixi possibile et non possibile.

An certe impossibile est sic poni necessarii contradictiones. Nam quod est necessarium esse, possibile est esse. Nam si non, negatio sequetur. Necesse enim est aut affirmare aut negare. Quare si non possibile est esse, impossibile est esse. Igitur impossibile est esse, quod necesse est esse, quod est inconveniens. At vero illud quod est possibile esse, non impossibile esse sequi- D *tur. Hoc vero illud quod est non necessarium est esse. Quare contingit quod est necessarium esse, non necessarium esse, quod sane est inconveniens. At vero neque necessarium esse sequitur ad possibile esse, neque necessarium non esse. Illi enim utraque contingit accidere, horum autem utrumlibet verum fuerit, nondum erunt illa vera. Simul enim possibile est esse, et non esse. Si vero necesse est esse, vel non esse, non erit possibile utrumque. Relinquitur ergo non necessarium non esse, sequi ad possibile esse. Hoc enim verum est, et de necesse esse, hæc enim fit contradictio ejus quæ sequitur ad non possibile esse. Illud enim sequitur hoc quod est, impossibile esse, et necesse non esse. Cujus negatio*

est, non necesse non esse. Sequuntur igitur et hæ contradictiones secundum prædictum modum. Et nihil impossibile contingit sic positis.

Superius quidem propositionum facta conversio ita est, ut possibilem propositionem necessarii negatio sequeretur. Atque in his ita positis non evenit ut contradictio contradictionem sequeretur, nec ut converso modo sequeretur quod in illis scilicet eveniebat in quibus possibilium et impossibilium consequentia considerabatur quoniam contradictio necessarii quod est scilicet non necessarium esse, sequebatur possibilem propositionem. Possibilis vero contradictionem non consecuta est necessitas, sed contrarium necessitatis. Hoc permutare volens intendit ita constituere consequentias, ut simili modo contradictio quidem contradictioni consentiat, sed conversim. Hoc autem hac ratione disponit. Dicit enim, erravi fortasse quod necessarii et possibilis consequentiam ex possibili inchoavi, et non ex necessario, ut hac ejus consensione mentiretur, posuit enim præcedens possibile esse, eique fuit consentiens non necessarium esse. Et hoc quidem superius. Nunc autem convertit et dicit: An fortasse, inquit, errore lapsi ita has consequentias constituimus, ut primo poneremus possibile esse, huic autem adjungeremus velut consequens necessarii negationem quæ diceret non necesse esse ? An potius illud verum est, ut posito prius necessario necessitati possibilitas consentiens subsequatur? Videtur enim omnem necessariam propositionem possibilitas consequi. Quod si quis negat, illi confitendum est, quoniam negatio possibilis sequitur necessitatem. In omnibus enim aut affirmatio aut negatio est. Ergo si necessariam propositionem non sequitur possibilitas, possibilitatis negatio consequitur ut ita dicatur. Ergo recta consequentia ita dici, quod necesse est esse non possibile est esse. Sed dudum dictum est, quod ei propositioni quæ proponeret non possibile esse impossibilitas consentiret. Sed non possibile esse consequitur necessitatem, et impossibilitas igitur consequetur necessitatem. Erit itaque recta propositionum consequentia, si necesse est esse impossibile est esse. Sed hoc fieri non potest. Si igitur impossibilitas non sequitur necessitatem, sequitur autem propositio quæ aliquid non posse esse denuntiat impossibilem propositionem, necessariæ propositioni possibilitatis negatio quæ est non possibile esse non consentit; quod si hæc necessariæ enuntiationi non consentit, consentiet affirmatio. Necessitatem igitur possibilitas consequitur. Erit ergo recta propositionum consequentia hoc modo : Si necesse est esse, possibile est esse. Sed rursus alia nobis ex his impedimenta nascuntur. Nam si quis necessitati dicat propositionem possibilem consentire quoniam possibilitati propositio quæ dicit, non impossibile esse, et rursus ea quæ enuntiat non necesse esse consentit quod superior ordo prædocuit, erit necessariæ propositioni consentiat ea quæ dicit, non necesse esse, erit igitur recta consequentia si necesse est esse, non necesse est esse. Sed hoc rursus est impossibile, quod si ita est, aliquid impossibile consequentiis pr tionum permutandum est, ut possit ipsa sibi consentire. Aut igitur illud primo inconven dictum est, quod necessarii negatio affirmati possibilem sequeretur, ut ea quæ est non n esse, sequatur eam quæ dicit possibile esse, vel illud non recte sensimus possibilem propositi ad necessariam consentire, quod quia perabsu est. Nullus enim dixerit necessitati possibili esse contrariam, evenit enim quod necesse es fieri non posse rectaque est hæc consequent necesse est esse, possibile est esse, sicut potiu tradictio necessarii propositionem possibilen sequatur. Sed cum hæc dicuntur, illud intelligi cet, quod necessitatem possibilitas sequatur, quod est necesse, hoc possibile esse dicatur. altius perspicientibus propositum est. Nam ali rem dicere esse necesse, aliud esse possibile. autem quod per se possibile est, non modis om fit necesse. Nam si necesse est, fieri non pot non sit. Quod vero possibile est, et non esse pote tur quod possibile est non erit necesse. Dico aut neque ea propositio sequitur possibilitatem q cessitati omnino contraria est. Est namque nece propositioni contraria ea quæ dicit, necesse e esse. Hanc possibilitati consentire nullus im Nam quod necesse est non esse, illud non pot se. Quod autem possibile est, illud esse et no potest. Necessitas ergo propositionis quæ secu esse prædicatur, idcirco non sequitur possibili quod possibilitas quidem et non esse potest. sitas vero, quæ secundum esse est, non pote esse. Rursus necessitas quæ secundum non ess dicatur, a possibilitate differt, eamque non seq quod necessitas ea quæ secundum non esse c non potest esse. Possibile vero et esse et no potest. Quod igitur ut neque opposita negatio sarii possibilitatem sequatur, quæ non necess proponit, nec ipsa necessitas affirmandi qua necesse esse, neque huic contraria quæ dicit n esse non esse. Sed in his quatuor videbuntu enim necessaria affirmatio quæ dicit, neces esse, huic opposita est ea quæ prædicatur n cesse esse. Rursus contraria necessitati affirma quæ dicit necesse est non esse. Huic opponi quæ proponit non necesse est non esse, quod s cta descriptio docet :

Necesse est esse. Non necesse est ess
Necesse est non esse. Non necesse est no

Si igitur neque ea quæ dicit necesse est esse, huic opposita quæ proponit necesse est ess necessitati contraria, cujus sententia est : Qu necesse est non esse possibilitati consentit, re ei consentiat, quarta quæ dicit, non necesse es quæ scilicet quarta aliquatenus etiam ipsi nece consentit, necessitas vero ipsi possibilitati m Omne enim quod necesse est esse et possib esse, et ut non sit non est necesse. Idcirco hæc propositio quæ dicit, non necesse est no necessitati consentit, qui necessitati quiden

traria est ea quæ dicit, necesse est non esse, huic vero opposita est ea quæ proponit non necesse est non esse. Quare consentiet ei propositio quæ contradictoria est sibimet oppositæ affirmationi. Quod si quis attentius inspicit, et ad supra scriptum omnino revertitur, facile cognoscit. Si igitur possibile esse (ut dictum est) sequitur ea propositio quæ dicit, non necesse est non esse, negationem possibilem sequitur huic opposita quæ dicit, necesse est non esse. Erit itaque hujusmodi consequentia, si possibile est esse, non necesse est non esse. Rursus si non possibile est esse, necesse est non esse. Reversa est igitur illa consequentia quæ contradictoriæ quidem fiebat, sed conversim sicut supra de impossibilibus dictum est, hic namque affirmationem possibilem negatio sequitur quæ necessarium quidem destruit, sed id quod ad non esse ponitur ea scilicet quæ dicit, non necesse est non esse, rursus negationem possibilem affirmatio sequitur necessaria quæ secundum non esse ponitur. Est igitur hic quoque eadem conversio, ut contradictio quidem contradictionem sequatur, sed conversim, ut affirmatio negationi, negatio vero affirmationi conveniat. Melius vero hoc si sub oculis cadet liquere credimus, atque ideo apertissime sententiam rei subjectæ dispositionis nos ordo commoneat.

Possibile est esse. Non possibile est esse.
Non necesse est non esse. Necesse est non esse.

Omnis quidem sententia talis est. Ordo autem sermonum hujusmodi est: Postquam dixit de possibilium impossibilium consequentia, quod contradictiones quidem contradictionibus convenirent, sed conversim, id est quod affirmatio negationi, negatio vero consentiret affirmationi. Hæc eadem, inquit, consequentia quemadmodum in necessariis eveniat, videndum est. Speculatus igitur et de necessariis idem non reperit, nam cum dixisset necessarii negationem possibilitati consentire, affirmatio necessaria negationi possibilitatis non consentit. Ejusdem rei reddens causas illud arguit, quod impossibilitas necessitati idem valeret contrariæ reddita. Quam rem emendare volens ita dixit: An certe, inquit, impossibile est sic poni necessarii contradictiones, ut negationem scilicet necessarii possibilitati consentire diceremus. Addidit autem dubitationem quamdam quæ ita sese habet. Nam quod est, inquit, necessarium esse, illud sine dubio possibile est esse. Nam si non, id est si quod necessarium est, possibile non est, negatio possibilitatis consequitur. Necesse enim in omnibus rebus aut dicere, id est affirmare, aut certe negare, in omnibus namque rebus, aut affirmatio vera est, aut negatio, quare si non possibile est esse, id est, si hoc est non possibile esse, quod impossibile est, fiet id quod necessarium est esse. Sequitur autem propositionem quæ dicit, non possibile est esse illa quæ proponit, impossibile est esse, et fit aliquid impossibile ut dicatur, igitur impossibile est esse, id quod necesse est esse. Sed hoc inconveniens est, ergo id docuit quod necessitatem possibilitas sequeretur. Nunc autem aliud addit, quoniam supra dixit possibili propositioni necessariæ affirmationis negationem consentire, nunc de eadem re dubitationem profert dicens: At vero illud quod possibile est esse, non impossibile esse sequitur. Nam quod possibile est, hoc non est impossibile, sed quod non est impossibile esse, non necesse est esse; ergo si non impossibile est esse, sequitur possibilitatem, non impossibilitatem autem sequitur id quod dicitur non necessarium esse, sequiturque possibilem propositionem id quod dicimus non necessarium esse, nulli dubium quin si necessitatem possibilitas sequitur, sequatur affirmationem necessariam negatio necessarii. Quare contingit quod necessarium est esse, idipsum non necessarium esse, quod est inconveniens. Constat ergo quoniam affirmationem possibilem non sequitur opposita negatio necessariæ affirmationi, idcirco quod illud removendum est, ut supra diximus, nec sequatur possibilem affirmationem negatio necessariæ, ut necessitatem possibilitas sequatur. Quod quia fieri nullo modo potest, illud est removendum, ne possibilitatem necessitati opposita negatio subsequatur. Igitur ea quæ dicit, non necesse est esse, non sequitur possibilitatem. Et quia hæc omnia in medio tacuerat, supra dictis addidit: At vero neque necessarium sequitur possibile esse, hoc scilicet sententiæ includens possibilitati non consentire necessarium. Nec hoc solum, sed neque illud quod dicimus necessarium non esse, hoc ut tractatum sit ipse planius monstrat. Illi enim, id est possibili utraque contingit accidere et esse scilicet, et non esse. Horum autem, id est necessarii secundum esse, et necessarii secundum non esse, si utrumlibet verum fuerit, non erunt illa vera, et hoc ipse exponit, de possibili enim utroque ita dicit. Simul enim est possibile et esse et non esse, hoc est ergo quod ait. Illi enim utraque contingit accidere. Sin vero, inquit, necessa est esse et non esse, id est, si non potest non esse, et non poterit esse, non erit possibile utrumque, ut si esse necesse est, non poterit non esse, vel si non esse necesse sit, non poterit esse; tres igitur propositiones, non necesse esse necesse esse, necesse esse non esse, possibilitatem non sequuntur. Relinquitur ergo hoc, id est ut quarta propositio quæ opponitur necessariæ secundum non esse affirmationi, possibilitatem sequatur, id est non necessarium non esse sequi possibile esse; sed quia possibile consentit necessario, hæc quoque consentit necessario. Namque hoc est quod dixit. Hoc enim verum est et de necessitate esse. Nam quod necesse est esse, non necesse est ut non sit; hæc igitur propositio quæ dicit, non necesse est non esse, contradictio ejus affirmationis est quæ sequitur negationem possibilitatis, eam scilicet quæ dicit non possibile esse. Nam cum affirmationem eam quæ est scilicet possibile esse sequetur necessarii secundum non esse negatio ea quæ proponit non necesse est non esse. Negationem possibilem, eam scilicet quæ proponit non possibile esse, sequitur affirmatio necessaria secundum non esse, quæ dicit, ne-

cesse est non esse,quam eamdem quæ proponit non possibile est esse, quæ est scilicet negatio possibilitatis, impossibilis affirmatio sequitur quæ proponit impossibile est esse;hoc est ergo quod ait, Hæc enim sit contradictio ejus quæ sequitur id quod est non possibile esse. Nam cum possibilem affirmationem sequatur necessariæ secundum non esse negatio quæ dicit, non necesse est non esse,hæc necessariæ secundum non esse negatio contradictio est ejus quæ sequitur negationem possibilitatis.Illud enim,id est negationem possibilitatis,sequitur id quod est impossibile. Nam cum negatio possibilitatis sit quæ dicit non possibile esse,hanc sequitur ea quæ dicit impossibile est esse, cui consentit ea quæ dicit necesse esse non esse.Sequitur igitur possibilis propositionis negationem ea quæ dicit necesse esse non esse,cujus est contradictio ea quæ dicit non necesse est non esse. Fit ergo id quoque ut contradictio contradictionem sequatur,sed conversim.Quod ait per hoc cum dixit, Sequuntur igitur et hæ contradictiones secundum prædictum modum,eum scilicet,ut affirmatio negationem,negatio vero sequatur affirmationem,et nihil quidem erit vel inconveniens vel impossibile ita positis consequentiis,ut affirmationem quidem possibilem negatio necessarii secundum non esse sequatur, negationi vero possibilis affirmatio necessaria secundum non esse consentiat ; quibus explicatis alias rursus adjicit dubitationes.

Dubitabit autem aliquis si ad illud quod est necessarium esse,possibile esse sequatur. Nam si non sequitur, contradictio sequetur,non possibile esse, et si quis dicat non hanc esse contradictionem, necesse est ipsum dicere possibile non esse,sed utræque falsæ sunt de necesse esse. At vero rursus idem videtur esse possibile incidi, et non incidi, et esse, et non esse. Quare erit necesse esse,contingens non esse,hoc autem falsum est.

Supra consequentias ita disposuit,ut præcedens necessarium possibilitas sequeretur,nunc de eodem ipse ambigit.Sive enim disponat consentire necessario possibile,sive quis neget, utrumque videtur incongruum. Nam si quis neget possibilitatem necessitati congruere,id dicit quoniam possibilitatis negatio necessariæ propositioni conveniet. Si quis enim abnuat propositioni quæ dicit aliquid necesse esse consentire eam quæ proponit possibile esse,is illud abnuere non potest quin negatio possibilitatis necessitati consentiat,eritque integra consequentia, quæ dicit si necesse est esse non possibile est esse,quandoquidem illa falsa est consequentia quæ dicit, si necesse est esse, possibile est esse. Quod si hoc fieri non potest,ut possibilitatis negatio necessariæ consentiat affirmationi,illud verum est affirmationem possibilem necessariæ convenire. Sed in hoc quoque major inerit difficultas.Omne namque quod possibile est esse, possibile est et non esse. Sed si possibilitas necessitatem sequitur, erit id quod necesse est,ut possit esse et possit non esse secundum naturam scilicet possibilitatis, quæ ipsi convenit necessitati; sed hoc impossibile est. Non igitur possibilitas sequitur necessitatem ; quod si possibilitas necessitatem non sequitur, negatio possibilitatis sequitur ea scilicet quæ est non possibile esse, evenientque ea rursus incommoda,quæ dudum cum eum locum tractaremus expressimus;quod si quis possibilitatis non velit esse negationem eam quæ dicit non possibile esse, sed potius eam quæ dicit possibile esse non esse. Quanquam ille non recto ordine affirmationi negationem accommodet,dictum supra fit quoties cum modo propositiones dicuntur ad modos ipsos potius negationem poni oportere quam ad verba,dandæ tamen manus sunt, ut cum eo quoque concesso quod ad defensionem utile aliquibus videri possit,argumentationis falsam sententiam fregerimus, penitus atque altius sit veritas constituta. Sit ergo negatio possibilitatis quam ipsi volunt,id est ea quæ dicit possibile esse non esse;sed hæc quoque necessitati non convenit.Si quis enim dicat quoniam possibile esse necessarium non sequitur, sequitur mox possibilis contradictio necessitatem : quod si quis contradictionem possibilis ponat eam quæ dicit possibile non esse, eamque necessitati consentire putat, erit secundum eum recta consequentia, si necesse est esse, possibile est non esse,sed hoc fieri non potest. Quod enim necesse est esse non potest non esse; si igitur possibilitas non sequitur necessitatem, erit enim quod necesse est contingens. Possibile namque et contingens idem valent,negationes possibilitatis, sive ea quæ dicit non possibile esse, sive ea cujus sententia est possibile est non esse, necessitati convenient;sed utrumque impossibile est. Quod si hæc non sequuntur, sequitur ea quæ est earum affirmatio,id est possibilitatis; sed hoc quoque fieri non potest,ut sæpius supra monstravimus. Hæc ergo hujusmodi quæstio in sequenti ordine ab ipso resolvitur. Nunc autem quoniam quæstionis supra dictæ talis sensus est,verba ipsa sermonumque ordo videatur. Ait namquo : Dubitabit autem, inquit, aliquis si illud quod est necessarium esse, possibile esse sequitur, id est si necessitati possibilitas consentit.Nam si non sequitur, id est si negat aliquis ut possibilitas necessitatem sequatur,contradictio consequitur possibilitatis.Nam quod possibilitas non sequitur,contradictio possibllitatis sequitur ea scilicet quæ dicit non possibile esse, et prætermisit quod ex his esset impossibile. Hoc autem est ut si necessitatem possibilitas non sequatur,et contradictio possibilitatis consentiat,sit recta consequentia si necessariuni est esse, non possibile est esse, quod est inconveniens ; et si quis non hanc dicat esse contradictionem, id est si quis neget possibilitatis contradictionem esse quæ dicit non possibile esse, illud certe necesse est ei dicere quod possibilitatis contradictio ea sit quæ dicit possibile esse non esse, sed utræque falsæ sunt de necesse esse. Nam quod necesse est,fieri non potest ut non possibile sit. Et rursus quod necesse est,fieri non potest ut possibile sit non esse. Rursus videtur idem esse possibile incidi et non incidi. Possibilitas enim affir-

is textus verba denuntient, cum etiam ad-
ri quis debeat obscuris sensibus patientia
nsensu, quod ad sententiam potius dicentis
etsi sermonum ratio ita non habeat. Hoc
constituto manifestum est, scilicet non om-
estates opposita valere, sed esse quasdam in
non sit verum dicere quoniam opposita va-
t datur exemplum in his quidem quæ irratio-
ter possunt, id est non secundum aliquam ra-
n, quarum scilicet potestatum reddi ratio non
t, quod ipsarum sit natura, ut quoniam ignis
actibilis est, idcirco de eo ratio reddi non potest.
namque illi naturaliter adest, ut hæc quidem
s potestas non valeat opposita, licet sit irratio-
ilis. Quæ vero rationabiles sunt, et secundum ra-
nabilem potestatem eædem plurimorum etiam
ntrariorum sunt. Nam quibus ratio dominatur, ad
raque opposita natura ipsorum apta est, ut eædem
otestates sint plurimorum quæ sunt contraria, ut si
st mihi possibile ambulare, quoniam hoc ex ratione
t voluntate fit, sit possibile non ambulare, et est
hoc potestatis non unius, sed plurimorum, eorumque
contrariorum : licet enim affirmatio et negatio sit
quodammodo ambulare et non ambulare, tamen nunc
ab Aristotele in contrarii vice disponitur, et hoc
quidem in omnibus rationabilibus potestatibus pla-
num est, eas plurimorum esse contrariorum et oppo-
sita valere. Quæ vero secundum rationem non sunt,
licet sint quædam quæ opposita valeant, non tamen
omnia. Nam cum aqua frigefaciendi habeat potesta-
tem quod irrationabile est, et ei rursus alia potestas
calefaciendi, cum ipsa sit calefacta, sed non in om-
nibus potestatibus irrationabilibus hoc inveniri po-
test. Ignis enim (ut dictum est) unam calefaciendi
tantum videtur habere potestatem, hoc enim est
quod ait : Irrationabiles vero non omnes, id est op-
posita valent, sed quemadmodum dictum est, ignem
non est possibile calefacere et non calefacere, datur-
que in omnibus regula quæ non sint possibilia con-
trariorum, ea scilicet quæ semper unam rem actu
continent, ut ignis semper calet, sol semper mo-
vetur, et cætera hujusmodi, quod per hoc ait quod
dixit : Neque quæcunque alia semper agunt, alia vero
possunt quædam opposita, etiam secundam irratio-
nabiles potestates, ut dictum est de aqua. Sed hoc
idcirco dictum esse testatur, ut cognosceremus nihil
evenire contrariorum, si quis diceret possibilitatem
necessario consentire. Cum enim non omnis possibi-
litas contraria valeret, ea scilicet necessitati consen-
tit, quæ contraria non valet, sed unam rem semper
agit, hoc est enim quod ait : Sed hoc quidem idcirco
dictum est, quoniam non omnis potestas oppositorum
est, nec quæcunque secundum eamdem speciem di-
cuntur quod ait : Nec quæcunque secundum eamdem
speciem dicuntur tale est. Non modo omne quod di-
citur possibile contrariorum esse non potest, sed
etiam ea quæ sub eadem specie sunt, quædam con-
traria non possunt, ut ea quæ sunt irrationabilium.
Nam cum omnium irrationabilium in eo quod irratio-

A nabilia sunt, una sit species, tamen ne in his quidem
inveniri potest ut in omnibus eadem sit contrariorum
potestas, ut de igne quod supra dictum est. Nam cum
ejus irrationabilis sit potestas, non tamen talis est
ut ad contraria transferatur. Recte igitur dictum est,
quoniam neque quæ sub eadem specie sunt poterunt
omnia contrariorum esse potentia. Nam cum ignis
potestas cum aliis omnibus potestatibus irrationabi-
libus sub ea sit specie quæ irrationabilis est potestas,
tamen non valet opposita. Atque hoc quidem quod
attentare possit totam quæstionem, non tamen vali-
dissime dissolvere prædiximus. Quod vero maxime
dirigat dubitationem ambiguitatemque constituat,
ipse continuata oratione addidit dicens :

B *Quædam vero potestates æquivocæ sunt. Possibile
enim non simpliciter dicitur, sed hoc quidem quoniam
verum est ut in actu, ut possibile est ambulare quoniam
ambulat, et omnino possibile est esse quoniam jam est
actu quod dicitur possibile. Illud vero quoniam forsitan
aget, ut possibile est ambulare quoniam forsan ambula-
bit, et hæc quidem in mobilibus solis est potestas, illa
vero, et in immobilibus. In utrisque autem verum est
dicere non impossibile esse ambulare, vel esse, et quod
ambulantia, et agit et ambulabile est. Sic ergo possibile
non est verum de necessario simpliciter dicere, alterum
autem dicere verum est. Quare quoniam partem univer-
sale sequitur, illud quod ex necessitate est, sequitur
posse esse, non omnino.*

C Quid hæc sententia contineret quam nunc Aristo-
teles proposuit, quinto quidem libro diligenter ex-
pressimus et nunc eam breviter exsequamur. Expo-
sitionis enim causa doctrinæque hunc secundum nos
expositionis sumimus laborem, non augendi prolixi-
tate fastidii. Talis ergo est sententia tota. Possibile
quod frequenter in rebus dicimus non simpliciter di-
citur. Atque ideo quoniam possibile a potestate tra-
ductum est, ut ipsa quoque potestas æquivocum est.
Hoc hinc manifestum est, quod quædam possibilitates
ad hoc dicuntur non quoniam aguntur, sed quoniam
ut agantur nihil impedit, ut si de aliquo sano corpore
omnibusque aliis quæ impedire poterant remotis se-
dente, dicatur possibile esse ambulare eum, non quo-
niam ambulat, sed quoniam ut ambulet nihil omnimo
prohibet. Quædam vero possibilitates ita dicuntur
quoniam jam actu sunt atque aguntur, ut si quis de
ambulante homine dicat, possibile esse eum ambu-
D lare, atque ideo ea possibilitas quæ non secundum
actum aliquem dicitur, sed secundum id quod possit
agere, dicitur eo quod agere non prohibetur a po-
testate possibilitas nominatur. Hæc vero quæ jam a
atque in actu est, actus ipse possibilitas
pellatur. Duæ vero sunt significationes possibili
tis, una quæ eam possibilitatem designat, quæ
potestate, quæ secundum actum non sit. Altera
eam possibilitatem significat quæ actu sit. Ha
tem possibilitas quæ jam actu est, aut ex potest
actum transit, aut semper in actu naturalite
ut cum homo ex eo quod sedet non ambulat
ambulare, atque ideo ex potestate in actum v

id est speciem, id est in quod est universale, id est genus sequitur illud quod ex necessitate est, quod scilicet species est possibilitatis, sequitur posse esse, id est possibilitas, sed non, inquit, omne. Nam illa possibilitas quæ in actu prædicatur et relinquere subjectum potest, non sequitur necessitatem, sed ea tantum quæ cum in actu sit neque ex potestate in actum vertitur, neque poterit subjectum relinquere. Atque hæc quidem quæ Aristoteles dixit hujusmodi sunt. Quæ vero nos distulimus, ut doceremus immobilia esse divina. Mobilia vero sola corpora vocari brevissime demonstrandum est. Sex motus species esse manifestum est, sicut in Prædicamentorum libro Aristoteles digessit, quanquam hoc in Physicis permutaverit, sed nunc ita ponamus tanquam si omnino sex sint. Si secundum nullam motus speciem moveri divina atque incorporalia ratio declaraverit, ordine convincitur non moveri divina. Ergo quæ neque generantur, neque corrumpuntur, neque crescent, neque minuuntur, neque de loco in locum transeunt, quippe quæ plenitudine naturæ suæ ubique tota sunt, nec de Deo aliquid intelligi fas est, nec rursus aliquibus passionibus permutantur. Quod si secundum nullum horum motuum divinarum rerum permutabilis est natura, manifestum est ea omnino non esse mobilia atque sex motus hos solis corporibus evenire. Atque hæc quidem de plurimis quæ de ea re possunt dici rationibus atque argumentis libasse sufficiat. Nunc quoniam Aristoteles consentire necessario possibilitatem non omnem docuit, et quæ ei conveniret expressit, rursus de ipsorum consequentia et quid primo et quid posterius poni debeat, memoriter subjicit dicens:

Et est quidem fortasse principium quod necessarium est, et quod non necessarium est, omnium, vel esse vel non esse. Et alia ut horum consequentia considerare oportet. Manifestum est autem ex his quæ dicta sunt, quoniam quod ex necessitate est, secundum actum est. Quare si priora sunt sempiterna, et quæ actu sunt, potestate priora sunt, et hæc quæ sine potestate sunt, actu sunt, ut primæ substantiæ. Alia vero sunt actu cum possibilitate, quæ natura quidem priora sunt, tempore vero posteriora. Alia vero nunquam sunt actu, sed potestate solum.

Postquam de possibilis et necessarii consequentia quid videretur exposuit, hæc ad emendationem quodammodo superioris ordinis apponit. Et quoniam superius a possibili inchoans, cæteras omnes propositiones ad possibile et contingens, et ad eorum consensum reduxit, nunc hoc rationabiliter mutat, ut non potius a possibilitate inchoandum sit, sed a necessitate. Nam si quis advertat diligentius superiorem descriptionem, primo positum est possibile et contingens, et ad eamdem cunctorum sensus relatus est. Nunc hoc permutandum videtur. Dicit enim fortasse hoc esse rectius ut magis propositionum consequentia a necessariis inchoetur. Est autem totus sensus hujusmodi. Quoniam, inquit, necessaria sempiterna sunt, quæ autem sempiterna sunt, omnium aliorum quæ sempiterna non sunt principium sunt, necesse est ut id quod necessarium est cæteris omnibus prius esse videatur; ergo consequentiæ eodem modo faciendæ sunt, ut primum quidem necessitas, post vero possibilitas et cætera proponantur, sintque consequentia hoc modo:

Necesse esse.	Non necesse esse.
Non possibile non esse.	Possibile non esse.

Videsne igitur ut primo quidem necesse esse et non necesse esse propositum sit? secundo vero loco necessitatis cætera consensum consequentiamque relata sint. Hoc est ergo quod dixit fortasse principium quoddam esse omnium vel esse vel non esse, id quod esset necessarium, ut a necessario speculandarum propositionum principium sumeretur, quod esse aliarum propositionum vel non esse secundum consequentiam consensum constitueret, et quoniam prius positum est necesse esse, huic consentit ea quæ dicit, non possibile non esse. Istius ergo propositionis quæ dicit, non esse possibile ut non sit, quæ scilicet non esse denuntiat (tollit enim possibile quod nondum est) principium est necessitas, cui sine ulla dubitatione consentit; et rursus quoniam ei quæ dicit, non necesse esse, consentit ea quæ dicit, possibile esse non esse, hujus propositionis quæ aliquid esse constituit, id est possibile, principium est ea propositio quæ dicit, non necesse esse. Ergo sive affirmative necessitas proponatur sive negative, videtur quoddam principium esse cæterorum, et cætera velut his, id est necessariis consentientia judicari oportere. Et hoc est quod ait: Et alia ut horum consequentia considerare oportet. Cur autem illud eveniat, consequenter ostendit dicens: Quoniam ea quæ necessaria sunt actu sunt, ut frequenter supra monstratum est, ea vero quæ necessaria sunt, sempiterna sunt, quæ vero sempiterna sunt, priora sunt his quorum sunt hujusmodi potestates quæ in actu nondum sunt; manifestum est quoniam et quæ actu sunt, et ex potestate ad actum non veniunt, priora sunt. Sed dico actu loquimur qui ex potestate ad actum non venit, sed semper actu propriæ naturæ constitutione permansit, ut cum ignis calet vel sol movetur et cætera hujusmodi, ita sunt ut actum nunquam reliquerint, neque ab his actus abfuerit aliquando, neque ex potestate ad hunc venerint actum. Quoniam ergo hujusmodi fuerunt ut semper essent, quæ autem semper sunt, ea omnibus sunt priora, erunt etiam potestate secundum propriam naturam priora; sed quæ priora sunt, semper sempiterna sunt, et rursus eadem necessaria sunt actu, et necesse est ut ea quæ actu sunt his quæ sunt potestate priora sint. Post hæc fit rerum divisio ab Aristotele hoc modo: Rerum alia sunt actu semper quæ ex potestate non venerint, et istæ sunt quarum nullæ sunt potestates, sed semper in actu sunt. Aliæ vero quæ ex potestate in actum remigrarunt, quarum quidem substantia et actus secundum tempus posterior est potestate, natura vero prior. In omnibus enim illud quod est actu prius est et nobilius quam id quod potestat est. Illud enim quod potestate est adhuc ad actum festinat, et ideo

:io vera boni,quoniam bonum est;alia vero falsa, am bonum non est;alia quod malum est:quænam harum contraria est veræ? Et si est una secunquam contraria?

æc est investigatio?quæ magis sit universali afıationi contraria,utrumne privatoria universalis rmatio, an universalis negatio. Hinc sumi- quod omnis fere proprietas, quam in vocibus cesse evenire est,ex opinionibus venit quas voces sæ significant.Quod igitur quærendus in vocibus ıt, hoc prius est in opinionibus perspiciendum. eque enim fieri potest ut cum vocum signicationes ex opinionibus veniant, quas scilicet oce ipsæ significant,non prius proprietates vocum n opinionibus reperiantur. Requirendum igitur est quemadmodum se ista in opinionibus posita habeantur,quod in his fuerit repertum,ad voces rationabiliter transferatur.Quæratur igitur prius in opinionibus hoc modo: Si opinio privatoria universalis affirmationis magis est contraria opinioni simplicis universalis affirmationis quam opinio universalis negationis,manifestum est quoniam privatoria universalis affirmatio magis perimit universalem simplicem affirmationem, quam universalis negatio. Quod si illud magis non repererit, sed quod opinio universalis negationis opinionem universalis affirmationis magis perimat potius quam opinio privatoriæ affirmationis,constat quod universalis negatio magis contraria est universali affirmationi potius quam privatoria affirmatio. Hoc autem ut inveniatur, ita faciendum est: ponatur opinio quædam vera;contra eam duæ falsæ,quarum una affirmatio sit privatoria, altera universalis negatio. De duabus igitur falsis quam mendaciorem ratio invenit,eam dicimus veræ opinioni magis esse contrariam.Sint igitur tres opiniones,una vera,duæ falsæ: et sit quidem vera hæc quæ id quod bonum est, bonum esse arbitratur,ea scilicet quam dicit Aristoteles opinionem esse boni quoniam bonum est, falsa vero una quæ quod bonum est, bonum non esse dicit, ea est quam dicit Aristoteles falsa boni,quoniam non bonum.Reliqua quæ id quod bonum est, malum esse arbitratur,ea est quæ ab Aristotele dicta est opinio boni quoniam malum est. Ex his igitur tribus, una vera, duabus falsis,quærendum est quæ magis sit contraria veræ; sed quia contingit sæpe et negationem et privationem unum significare in his præsertim contrariis in quibus nulla medietas invenitur, addit: Et si est una,secundum quam contraria? Hoc autem hujusmodi est:in his contrariis in quibus nulla medietas est, idem negatio valet quod etiam privatio. In his vero in quibus est quædam medietas,affirmatio privatoria et negatio non ejusdem significationis sunt. Age enim sint hujusmodi contraria quæ sint immediata, genitum esse et ingenitum esse.In contrariis igitur immedietas idem privatoria affirmatio quod negatio valet.In his auiem quæ medietatem habent non idem.Neque enim æquum est dicere quemlibet illum esse malum, et rursus non esse bonum. Nam eum bonum negatur,potest aliquid modium audientis animus suspicari.Cum vero malum ponitur,tota audientis suspicatio in contrarium rejecta est.Atque ideo non idem significant,sed quia sæpe(ut dictum est) privatio vel contrarietas negationi consentit, quoties tales quædam propositiones reperiuntur,in quibus nihil negatione discrepet privatoria affirmatio,quærendum est,ut Aristoteli videtur,secundum quam potius prolationem vel opinionem veræ affirmationi vel opinioni contraria propositio vel opinio fiat.Quanquam enim interdum idem significent,alio tamen modo ipsis propositionibus utimur.Nam qui negationem ponit, id quod est dicit esse; qui vero privationem,id quod non est dicit esse. Cum igitur diversum initium et diversa intentio quodammodo sit propositionum sub eadem significatione,et quæ earum magis veræ propositioni contraria sit, et secundum quem motum animi magis vera propositio perimatur, quærendum est. Hoc est enim quod ait: Et si est una,secundum quam contraria? Non enim dicit quod omnino negatio et privatio unum sunt, sed in his in quibus idem sunt,hoc est in immediatis contrariis; et quando idem significant,quoniam non secundum unum motum animi unam significationem dicunt, qui contrarium vel privationem ponunt,et qui negationem secundum quam contraria magis est propositio, utrumne secundum eam quæ privationem ponit, an secundum eam quæ negationem. Post hæc quemadmodum sit contrarietatis natura designat.

Nam arbitrari contrarias opiniones definiri in eo quod contrariorum sunt,falsum est.Boni enim quoniam bonum est, et mali quoniam malum est,eadem est fortasse opinio et vera, sive plures,sive una sit.Sunt autem contraria ista, sed non in eo quod contrariorum sunt contraria, sed magis in eo quod cantrarie.

Sensus quidem breviter expedius,sed summa rationis veritate contextus est.Cum enim de contrariis disputat, quemadmodum contrariæ opiniones esse possint prima fronte disponit. Arbitrantur enim quidam contrarias esse opiniones,quæ de contrariis aliquid arbitrarentur,sed hoc falsum esse convincitur.Neque enim si bonum et malum contrarium est, et aliquid de bono et malo opinetur,mox necesse est ut contrarietas subsequatur. Age enim quilibet de bono opinetur quoniam bonum est,rursus de malo opinetur quoniam malum est. Cum igitur idem de bono et malo opinetur, illud quoniam bonum est, hoc quoniam malum,tamen contrariæ opiniones non sunt. Neque enim contrarium est opinari id quod bonum est,bonum esse,et id quod malum est, malum esse; utræque enim veræ sunt.Opinionum autem contrarietas veritate et falsitate agnoscitur.Hoc autem modo hujusmodi opiniones contrariæ esse possunt,quæ de eadem quodammodo affectione animi proficiscuntur,id est opiniones cognoscentes quidquam quod verum est.Non igitur si quis contrariorum aliquam opinionem habeat,et quidquam de contrariis arbitretur,statim necesse est subsequi in opinionibus contrarietatem. Ergo non est contrarietas opinionum in ea arbitratione quæ contrariorum est

iæ de contrariis habetur. Sed potius contrarietas A solum exspectari oportet in propositionibus quod
inionibus tunc fit, quoties de una eademque re falsa veræ sit contraria, sed quod inter omnes falsas
arie quis opinatur, ut quælibet res sit proposita illa falsa sit veræ contraria, quæ una est et non in-
, de ea si quis contrario modo opinetur, quoniam finita. Possunt autem esse infinitæ propositiones et
m est, de eadem rursus quoniam malum est, falsæ, potest una finita eadem quoque falsa, quæ veræ
o quæ id quod est bonum esse putat vera est, contraria esse rationabiliter ponenda est. Volens ergo
a vero quæ id quod est bonum malum esse constituere quoniam negatio potius contraria sit af-
ratur, falsa est. Vera autem et falsa contrariæ firmationi, quoniam ea affirmatio quæ contrarium
Recte igitur has opiniones, quas veritas falsi- ponit, hoc dicit. Potest, inquit, esse opinatio quædam
ie disjungit contrarias esse dicimus, et si non quæ id quod est de unaquaque re esse opinetur. Est
ariorum sunt, sed de una eademque re per con- etiam alia quæ id quod non est rem illam esse arbi-
itatem dictæ. Recte igitur dictum est non opor- tretur. Est autem alia quæ id quod secum habet res
efinire contrarias opiniones in eo quod contra- illa proposita non eam habere putet. Est rursus alia
m sint, sed potius in eo quod de eadem re contra- quæ id quod est res ipsa, non eam id esse arbitretur.
ispicentur; ordo vero sermonum talis est. Nam Ut autem hoc pervagatum luceat exemplum sumpsit
rari, inquit, contrarias opiniones definiri in B propositum de quo opinaretur aliquis, id quod est
iod contrariorum sint, id est, jin eo quod quæ- bonum. Si quis igitur hoc bonum bonum esse opine-
de contrariis opinentur, falsum est. Quomodo tur, vere opinabitur. Rursus si quis hoc esse bonum
a falsum sit ipse declarat. Boni enim quoniam quod non est bonum putet, false opinabitur, ut si quis
m est, et mali quoniam malum est, eadem for- arbitretur quoniam lædit, quoniam inutile est, quo-
est, id est non sibi sunt contrariæ opiniones, niam bonum injustum est, is ea de bono opinabitur
ræque idem sunt. Quemadmodum autem idem quæ non sunt, et hoc falsum est. Rursus qui id quod
pse subjungit dicens *et vera*. Idcirco enim idem in se habet bonum non habere arbitratur, is opina-
quia veræ sunt. Contrarietas autem in veritate, bitur hoc modo, bonum non est utile, bonum non est
tum est, falsitate est posita. Quare si consen- justum, bonum non est expetendum, et is quoque
idem in veritate et in falsitate esse videbun- fallitur. Quod si quis sit qui hoc ipsum quod est ho-
eo hic numerositas impediet. Sive enim plures num, non esse bonum arbitretur, ut non putet bonum
na sit, in eo quod veræ sunt idem sunt. Sunt neque malum esse id quod non est, neque expeten-
, inquit, ista contraria, id est quæ in opinioni- dum esse id quod in se habet, sed id quod est ipsum
ersantur, sed non in eo quod vel contrariorum bonum, id est ipsam boni essentiam, ita arbitretur
vel de contrariis arbitrantur contrariæ opinio- bonum non esse bonum. Cæteræ igitur omnes opi-
veniuntur; sed ipsarum contrarietas inde nas- C nionesinfinitæsunt. Possumus enim per multa colligere
quod de una re contrario modo opinantur, hoc falsa quæ cum non sint de unaquaque re, ea
iod ait, sed magis in eo quod contrarie. Hic au- tamen esse dicamus, ut in eo ipso bono possum dice-
ontrarie adverbii loco positum est tanquam si re, quoniam malum est, possum quia turpe, quia in-
et: sed magis ea re contrariæ sunt quod contra- justum, quia vitabile, quia periculosum est, et cætera
inantur, et subintelligimus de una scilicet re. Si quæcunque in bono nullus inveniet, et hæc sunt infi-
non de una re contrarie opinentur, sed de pluri- nita. Rursus possum dicere ea quæ habet bonum non
oterunt non esse contrariæ. Quod facile cauteque esse in bono, ut si dicam bonum non esse utile, bo-
iciens unusquisque reperiet. num non esse expetendum, bonum non esse quod
ergo est boni quoniam est bonum opinatio, alia auget, atque hæc quidem rursus infinita sunt. Sed
quoniam non est bonum, est vero et alia quoniam quando id quod est aliqua res aufert opinio, hoc fa-
id aliud est, quod non est, neque potest esse. Alia- cere nisi semel non potest. Neque enim aliqua per id
quidem nulla ponenda est, neque quæcunque esse effici possunt, si quod bonum est non esse bonum ar-
non est opinantur, neque quæcunque non esse bitratur; ergo cæteræ quæcunque aut id quod non
est (infinitæ enim utræque sunt, et quæ esse opi- est esse arbitrantur, aut id quod habet in se bonum
ur quod non est, et quæ non esse quod est), sed in D non habere arbitrantur, falsæ sunt, sed in infinitum.
is est fallacia. Hæ autem sunt, ex quibus sunt ge- Bonum autem nunc ita usurpat, tanquam si dicat bo-
iones, ex oppositis vero sunt generationes, quare nitas. Si quis autem ipsam bonitatem non esse bo-
fallaciæ. num arbitretur, is et falsus est et definitio modo
lidam quidem sententiam brevissimis sermoni- falsus est. Sed in falsis quæ definita sunt et una nu-
lausit, cujus, ut breviter dicendum sit, hæc vis mero, et magis et proxime veris videntur esse con-
ui de contrarietate propositionum nosse quæ- traria, una enim res semper uni rei est contraria.
t, debebat primo quæ propositionum esset infi- Quocirca hæc recte magis contraria est quæ negat id
constituere, atque ad eam vim contrarietatis quod est potius quam ea quæ negat, vel id quod in
e. In omnibus enim contrariis unum uni con- se habet, vel affirmat quod in se non habet. Hoc au-
um est. Si autem sit quædam in propositionibus tem ut clauderet non recto sermone usus est, sed ad
itas, illa tota infinitas propositionem uni propo- quiddam aliud orationem detorsit, quæ res confusio-
ni contraria esse non poterit. Hoc sumendo to- nem non minimam fecit. Nam cum dixisset non debere
textum argumentationis ingreditur. Atque non nos illas potius ponere contrarias veræ opinioni quæ

infinitæ sunt,subjunxit,illud quod ait,sed in quibus est fallacia,hæ autem sunt ex his ex quibus sunt et generationes.Hoc autem talem sententiam claudit : inquit,opiniones veris opinionibus opponendum esse contrarias in quibus principium estfallaciæ.Fallaciæ autem ex his nascuntur ex quibusetiam generationes, generationes autem in oppositis inveniuntur,hoc autem tale est.Omnis generatio ex permutatione ejus quod fuit surgit, nisi enim id quod fuit prius esse desierit,non potest esse generatio.Omne enim quod gignitur,in aliam quodammodo formam substantiæ permutatur. Ergo cum non fuerit id quod fuit tunc gignitur,et est quoddam aliud quam fuerit, et qui fallitur id quod est quælibet res non esse arbitratur. Nam qui quod bonum est malum esse putat fallitur, sed fieri aliter non potest ut si malum nisi non sit bonum, et de cæteris eodem modo. Fallacia igitur est,et principium fallaciæ,cum quis id quod est aliqua res non eam esse arbitratur. Hæc autem fallacia ex his est ex quibus sunt generationes. Omnis enim generatio, ut dixit, ex detrimento surgit, ut quod fit dulce non fit ex albo, sed ex non dulci. Et rursus quod fit album non fit ex duro, sed ex non albo, et cæteræ generationes ex generationibus potius proficiscuntur, et est prima fallacia. Quod si ibi prima fallacia, ex quibus sunt generationes, ubi integerrima falsitas est, et proxima veræ opinioni, non hæc autem nisi in oppositis reperiuntur, hæc est in affirmationibus et negationibus, dubium non est quin negationis opinatio magis contraria sit ei opinioni quæ contrarium aliquid in arbitratione confirmat.Et sensus quidem hujusmodi est,verba autem sese sic habent.Si ergo,inquit, est boni, quoniam bonum est opinatio,quæ scilicet vero est; est autem quoniam non bonum est, quæ falsa est ac definita. Est vero quoniam aliquid aliud est,quod non est neque potest esse,id est ea quæ id esse ascribit quod non est ; aliarum quidem omnium nulla ponenda est,neque quæcunque esse quod non est opinatur,id est quæ id quod non est res proposita, eam esse putet, neque quæcunque non esse quod est, id est neque ea quæ id quod habet res proposita in opinionibus negat. Cur autem ista non opinantur contrariæ docet hoc modo : Infinitæ enim,inquit, utræque sunt, et quæ esse opinantur quod non est, et quæ non esse quod est,sed quæ magis ponenda est?In quibus est, inquit,fallacia,id est in quibus principium fallaciæ est. Principium autem fallaciæ unde ducitur? ex his ducitur,ex quibus sunt et generationes ; unde autem sunt generationes?ex oppositis.Omnis enim, ut dictum est,generatio ex eo quod non est id quod fuit, quod scilicet ad negationem vergit. Quare, inquit, etiam fallacia et principium fallaciæ in oppositis invenitur,ubi etiam generationes, ex quibus est ipsa fallacia.

Si ergo quod bonum est, et bonum, et non malum est, et hoc quidem secundum se,illud vero secundum accidens. Accidit enim ei malum non esse;magis autem est in unoquoque vera quæ secundum se est, et falsa,siquidem et vera. Ergo ea quæ est quoniam non est bonum quod bonum est, ejus quæ secundum se et falsa est. Illa vero quæ est, quoniam malum est, ejus quæ est secundum accidens.Quare magis erit falsa de bono ea quæ est negationis opinio, quam ea quæ est contrarii.

Licet hæc omnia primæ editionis commentarii diligentissime explicuerimus,ne tamen curta expositio hujus libri esse videatur,hic quoque eadem repetens explicabimus. Est namque ingressus hujus argumentationis hujusmodi.Si, inquit, vera posita propositione plures sunt quæ eam perimunt falsæ, illa inter eas veræ propositioni magis erit contraria, quæcunque magis est falsa. Quærendum igitur est quæ inter plures falsas propositiones magis falsa sit, ut ea veræ propositioni magis videatur esse contraria, hoc autem per veritatem dicendum est. Nam cum vere et per se aliquid dici possit, et per accidens,illud tamen maxime veritatis naturam tenet, quod secundum rem ipsam dicitur potius quam quod secundum accidens venit,ut si quis de bono opinetur,quoniam bonum est, hic secundum rem ipsam veram opinionem habet. Sin quis vero arbitretur, quoniam bonum utile est,verum quidem opinabitur, sed ista veritas de bono per accidens fit boni. Accidit enim bono et utile quoque sit.Quare illa quæ bonum bonum esse arbitratur per se vera est, id est secundum ipsam rem vera est.Illa vero quæ id quod bonum est, utile opinatur per accidens boni vera est. Quamobrem propinquior naturæ bonitatis est ea quæ id quod bonum est,bonum esse arbitratur,quam ea quæ id quod bonum est, utile:quod si ita est,verior est illa quæ secundum ipsam rem vera est, potius quam ea quæ secundum accidens vera esse videtur. His igitur ita constitutis et de falsitate idem dicendum est. Falsa enim propositio quæ illi veræ contraria est,quæ[F.quæ vera]secundum se est, magis falsa est quam ea quæ eam veram perimat,quæ secundum accidens est. Nam si verior est ea quæ de ipsa natura rei verum aliquid opinatur,illa erit magis falsa quæ perimit veriorem ; quod si illa,quanquam sit vera, minus tamen quia de rei accidente pronuntiat,minus quoque illa erit falsa quæ minus veriorem perimit.His igitur ita constitutis, videamus nunc quemadmodum se in his habent opiniones vel propositionibus, de quibus nunc tractatur. Idem igitur sit exemplum ut supra dictum est: id quod bonum est, et bonum est,et non malum, sed quod bonum est, secundum ipsam rem est, quod vero malum non est,accidit ei:nam id quod bonum est per naturam bonum est;quod vero malum non est;secundo loco et quasi accidenter est.Ergo opinio de bono quoniam bonum est, verior est propinquiorque naturæ ea opinione quæ est de bono,quoniam malum non est.Si igitur ita est,et ea quæ veriorem opinionem perimit, magis falsa est quam quæ veram quanquam vera sit, minus tamen est vera,manifestum est quoniam negatio magis falsa est quam affirmatio,quæ contrarium ponit.Nam negatio dicit non esse bonum quod bonum est,affirma-

rò malum esse quod bonum est; negatio quæ
n esse bonum quod bonum est, illam secun-
ie opinionem veram perimit quæ dicit bonum
uod bonum est. Illa vero affirmatio contrarii,
st malum esse quod bonum est, illam opinio-
erimit veram quæ de bono secundum accidens
est non malum esse quod bonum est. Con-
itur magis falsam esse opinionem quæ dicit
se bonum quod bonum est, potius quam ea
pinatur malum esse quod bonum est. Quod si
sior magis contraria, magis igitur contraria
gationis opinio quam contrariæ affirmationis.
ito igitur sensu, verba ipsa demonstranda
li ergo, inquit, quod bonum est, sit bonum et
t malum, et hoc quidem secundum se, id est,
d bonum sit, bonum esse dicatur, illud vero
lum accidens, hoc est quod bonum est, ut ma-
on sit. Accidit enim ei malum non esse, ma-
tem in unoquoque est vera, quæ secundum se
m quod secundum uniuscujusque naturam est,
quius est ei rei cui est secundum naturam.
ca et veritas secundum rem, quia rei proxima
ior est quam ea quæ secundum accidens est,
t enim quod ait: Magis autem in unoquoque
a quæ secundum se est; quod si hoc ita est,
falsa, id est etiam illa falsitas est magis falsior
llam perimit opinionem vel propositionem
ecundum se vera est, siquidem illa secundum
a verior est quam quæ secundum accidens rei
st, hoc est enim quod dicit, siquidem et vera.
itur exponens exemplo confirmat. Ergo ea quæ
niam non est bonum quod bonum est, ejus
cundum se est falsa est, hoc est illa quæ op-
r illi opinioni quæ secundum se vera fuit, hoc
hæc verba demonstrant, cum dixit: Ergo ea
st, quoniam non est bonum quod bonum est,
quæ secundum se est, falsa est, id est quæ
bonum negat bonum esse, per se veræ propo-
s falsa est, id est opposita, falsitas enim veri-
ponitur. Illa vero quæ est quoniam malum est,
æ est secundum accidens, hoc est, illa opinio
quod bonum est, malum arbitratur esse, falsa
apta ei propositioni quæ est secundum ac-
vera, id est quæ opinabatur bonum non esse
. Quare magis erit falsa de bono ea quæ est
nis opinio quam ea quæ est contrarii, id est,
contraria est negatio quam affirmatio contra-
quidem cum sint de bono utræque prædica-
ior tamen negatio reperitur. Sed quod dixit
ccidere, ut malum non sit, non ita intelligen-
st quemadmodum solemus dicere, subjecto
accidere. Neque enim fieri potest, sed acci-
c intelligendum est secundo loco dici, princi-
enim quod est bonum dicitur bonum. Se-
vero loco dicitur, non est malum; hoc autem
m est a similitudine substantiæ et accidentis.
æque enim substantia principaliter quidem
ta est, secundo vero loco vel alba, vel bipeda,
idens, vel quidquid substantiis accidere po-

A *Falsus autem est maxime circa singula qui habet contrariam opinionem. Contraria enim eorum sunt quæ plurimum circa idem differunt. Quod si harum contraria quidem est altera, magis vero contraria est contradictio, manifestum est quoniam hæc erit contraria.*

Vis omnis argumentationis, ut brevissime expediatur, hujusmodi est. Omne verum aut secundum se verum est, aut secundum accidens, quia necesse est etiam falsum, aut secundum se falsum esse, aut per accidens. Verum autem illud esse verius constat quod secundum se est potius quam illud quod per accidens; qui vero contrariam de re alicujus habet opinionem quam res ipsa est, necesse est ut plurimum falsus sit. Etenim contrarietas opinionum est, quoties de una eademque re longissime a se absistentes opiniones sunt. Quod igitur magis falsum est, hoc
B erit etiam contrarium. Illud enim quod magis a veritate abest, hoc magis falsum est. In opinionibus vero quæ a se plurimum differunt, ea sunt contraria; illa igitur in opinionibus contraria est quæ plurimum falsa est. Est autem ut dictum est plurimum falsa, quæ secundum se falsa est, id est quæ illam perimit propositionem quæ secundum se vera est, hæc autem negatio est; negatio igitur contraria est affirmationi potius quam ea affirmatio quæ contrarium ponit. Talis igitur sensus his verbis includitur: Falsus est autem magis, inquit, circa singula qui habet contrariam opinionem. Quanquam enim possit esse quilibet falsus, etiamsi de eadem re contrariam non habeant opinionem, ille tamen magis fallitur qui contrarium
C aliquid opinatur. Hoc autem cur eveniat dicit: Contraria enim eorum sunt quæ plurimum circa idem differunt. Idcirco enim maxime falsa contraria opponuntur, quia contrarietas non nisi in plurimum discrepantibus invenitur. Quod si harum contraria est altera, id est quod si harum propositionum vel quæ per se falsa est, vel quæ per accidens, unam contrariam esse necesse est, magis vero contraria contradictionis, hoc est magis autem falsa negatio (hoc enim quod ait, Magis vero contraria hæc, hoc sensit tanquam si dixisset, magis vero falsa contradictionis est, id est magis vero falsa negatio est), concludit, si illa, ut dictum est superius, ita sunt, manifestum esse, quoniam hæc, id est contradictionis, erit contraria.

D *Illa vero quæ est, quoniam malum est, quod bonum est, implicita est. Etenim quoniam non bonum est, necesse est forte idem ipsum opinari.*

Postquam idcirco contrarium potius negationem monstravit esse, quod hæc magis esset falsa quam ea quæ contrarium affirmaret, et distinctione falsitatis contrariam esse propositionem opinionemque, quæ rem propositam, negaret edocuit, nunc ex simplicibus implicitisque propositionibus opinionibusque idem nititur approbare. Dicit enim quod ea affirmatio quæ contrarium ponit implicita et non sit simplex. Idcirco autem implicita est quod quæ arbitratur id quod bonum est malum esse, mox illam quoque opinari necesse est id quod bonum est bonum non esse. Neque enim aliter malum esse potest, nisi bonum non sit,

Quare qui quod bonum est malum esse arbitratur, et rem bonam malum putat,et eamdem ipsam non esse bonum.Non igitur simplex est hæc opinio de bono,quoniam malum est, continet enim intra se illam quoniam non est bonum.Qui vero opinatur non esse bonum quod bonum est,non illi quoque necesse est opinari quoniam malum est.Potest enim et non esse aliquid bonum et malum non esse. Atque hoc quidem in his invenitur rebus in quibus aliqua medietas poterit inveniri,hoc quoque cautissime addidit.His igitur ita positis,quoniam contrarii opinio non est simplex,simplex vero est negationis,necesse est ut contra simplicem opinionem simplex potius videatur esse contrarium.Est autem simplex opinio boni,quoniam bonum est,vera. Simplex vero boni, quoniam bonum non est,falsa. Simplici igitur opinioni de bono,quoniam bonum est,simplex erit contraria negationis,quæ est boni,quoniam non est bonum.Tota vero vis hujus argumentationis hinc tracta est:quoties vera est quædam propositio,et duæ quæ eam perimere possint,si una earum nihil indigens alterius veram propositionem perimat,reliqua vero præter alteram eamdem propositionem perimere non possit,illa magis dicenda contraria est,quæ sibi sufficiens nec reliqua indigens propositam propositionem perimere valet;veram autem propositionem de bono quoniam bonum est,sola negatio perimere potest,et ad illius veræ interitum est sibi ipsa sufficiens quæ dicit,quoniam bonum non est.Illa vero quæ opinatur malum esse sibi sola non sufficiet,nisi illa quoque ei auxilietur,quæ est id quod bonum est bonum non esse.Idcirco enim contraria illam aufert, quia secum negationes trahit,manifestum est hanc quæ ad veræ propositionis interitum sibi ipsa sufficit, recte magis contrariam videri quam quæ sibi ipsa non sufficit, nisi ei vis negativæ propositionis addatur.

Amplius si etiam similiter in aliis oportet se habere, et hic videbitur bene esse dictum.Aut enim ubique ea quæ est contradictio, aut nusquam. Quibus vero non est contrarium,de his quidem est falsa ea quæ est veræ opposita, ut qui hominem non putat hominem, falsus est. Si ergo hæ contrariæ sunt, etiam aliæ quæ sunt contradictiones.

Quod de his,inquit,propositionibus dicimus si hoc in omnibus invenitur,firmum debet esse quod dicimus.Neque enim verisimile est in aliis quidem propositionibus negationes esse contrarias.In aliis vero affirmationes,quæ contrarium ponunt.Sed si hoc in omnibus propositionibus invenitur et contradictionibus,ut contradictio potius contraria sit,id est negatio quam quæ contrarium habet, nihil est dubium quin hæc ratio consistat in omnibus.Sin vero in aliis ea quæ contrarium ponit magis contraria est quam negatio. Hic quoque ita sese manifestum est non habere, ubi enim inveniri potest contrarietas, in his dubitatio est quænam sit contraria,utrumne ea quæ contrarium affirmat,an ea quæ id quod propositum est negat. Ergo in his in quibus dubium non est quemadmodum sit hoc speculandum est. Dubium autem non est in his in quibus non est contrarietas, ut in substantiis. Hic enim solæ sunt contrariæ negationes. Si ergo huic contrariæ opinioni quæ est de homine quoniam homo est, illa opponitur quæ est de homine quoniam homo non est,manifestum est in aliis quoque in quibus contrarietas invenitur, locum contrarietatis negationem potius obtinere. Nam si in his in quibus contrarietas est,ut in bono vel malo,manifestum est non potius illam esse contrariam quæ bonum negaret,quam illam quæ malum obtineret, ei quæ id quod bonum est bonum esse arbitretur,nec in his eam contrariam esse oporteret in quibus contrarietas nulla est.Quid enim attinet cum de homine dicimus,quod contrarium non habet ibi esse negationem contrariam,cum vero de bono quod contrarium habet ibi non esse;sed potius eam quæ contrarium poneret?Quocunque enim vertitur negatio,suam vim in omnibus servare debet.Quod ergo dicitur ab Aristotele,ut breviter explicem,tale est:si in aliis negatio est contraria,hic quoque negationem esse contrariam manifestum est. Quod si in aliis minime, in his quoque quæ supra posuit, sed in omnibus aliis in quibus contrarietas non invenitur,contradictio contrarietatis locum tenet, et his igitur in quibus est contrarietas eumdem locum neque alium tenebit,quod his verbis explicuit:Amplius, si etiam in aliis similiter oportet se habere,et hic videbitur bene esse dictum.Nam si in omnibus aliis ita se habere necesse est,et in his quæ supra dicta sunt ita se se habet,et id quod dictum est optime dictum esse videbitur.Aut enim ubique ea quæ est contradictionis,aut nusquam alicubi quidem contrariam reperiet.Alicubi vero minime,quibus vero non est contrarium,ut in substantiis in quibus nulla est contrarietas.Hoc enim nos,si bene meminimus, prædicamenta docuerunt:de his est quidem falsa ea quæ est opposita veræ,id est in his invenitur quidem opposita falsa opinio veræ opinioni,sed quæ sit ista manifestum est.Nam ubi nulla contrarietas est,liquet contradictionis esse contrarietatem, ut qui hominem non putat hominem,falsus est.Hoc enim sola contrarietas veræ propositionis invenitur. Si ergo hæ contrariæ sunt,et illæ aliæ quæ sunt contradictionis,id est si in his quæ contrarietatem non habent, negationes sunt contrariæ (necesse est enim aliquas esse contrarias),in aliis omnibus etiam in quibus est aliqua contrarietas,ut bono et malo,negatio locum obtinet contrarietatis.

Amplius, similiter se habent boni quoniam bonum est, et non boni quoniam non bonum est, et ad has, boni quoniam non bonum est,et non boni quoniam bonum est.Illi ergo quæ non boni quoniam non bonum est,veræ opinioni quænam est contraria?Non enim ea quæ dicit quoniam malum est, simul enim aliquando erunt veræ.Nunquam autem vera veræ contraria est. Est enim quiddam non bonum,malum, quare contingit simul esse veras.At vero nec illa quæ est quoniam non malum,vera enim et hæc,simul enim et hæ erunt. Relinquitur ergo ei quæ est non bonum,quoniam non bonum est, contraria, ea quæ est non boni quoniam bonum est ; falsa enim hæc. Quare et ea quæ est bon

bonum est,ei quæ est boni quoniam bo-

ue superius dicta sunt, ea rursus vali-
roportionem argumentatione confirmat.
utem est rerum inter se invicem simili-
ur positæ sint res quatuor, quarum duæ
entes,reliquæ sequentes,et sic se habeat
ecundam quemadmodum tertia ad quar-
se est ita se habere primam ad tertiam
ium fuerit secunda ad quartam.Hoc enim
iter facillimeque numeris agnoscimus.
imus numerus 2, secundus 6 rursus in-
tertius 4, quartus 12.In his igitur præ-
idem sunt duo et quatuor,sequentes vero
ecim.Sicut autem duo ad sex, ita qua-
decim.Nam sicut duo senarii tertia pars
ernarius duodenarii tertia pars est. Quo-
quaternarius præcedens ad sequentem,

Præcedentes.
1. Boni quoniam bonum est.
3. Non boni quoniam non bonum est.

rigitur in his quæ sit similitudo propor-
enim ut prima boni,quoniam bonum est
n boni,quoniam bonum non est,ita tertia
ioniam bonum non est, ad quartam non
am bonum est. Nam sicut boni quoniam
vera propositio est,falsa autem boni quo-
st bonum,ita quoque non boni quoniam
um,vera propositio est, falsa autem non
am est bonum. Quod si ita est et eodem
abet opinio boni quoniam bonum est,ad
quæ est boni quoniam bonum non est,
ium etiam opinio non boni quoniam non
ad opinionem non boni quoniam bonum
admodum se habet prima ad tertiam,ita

Præcedentes.
Non boni quoniam bonum non est
Non boni quoniam bonum est.

perius demonstratum est, ita sese habet
boni quoniam non bonum est, ad eam
uæ est boni quoniam bonum est, quem-
on boni quoniam bonum est,ad eam quæ
niam non bonum est.Ut enim illæ simul
simul falsæ eademque proportio est.
t sicut prima quæ est non boni quoniam
est ad tertiam eam quæ est non boni
ium est,ita erit secunda boni quoniam
d quartam boni quoniam non est bonum.
n igitur est quemadmodum sit prima
it ex eo speculemur,quemadmodum sit
quartam. Dico enim quoniam huic opi-
bitratur non esse bonum quod bonum
contra illam est quæ arbitratur id quod
est bonum esse. Age enim si potius est
pinionem quæ id quod bonum non est,
t, sit ea quæ id quod bonum non est,
t; sed hoc fieri non potest. Contrariæ
es simul nunquam veræ sunt, possunt

A ita alius præcedens ad alium sequentem erit, et ut præcedens ad præcedentem,ita sequens ad sequentem; sed ad quatuor qui sunt præcedentes duo medietas est,et sex igitur ad duodecim medietas est. Ergo in omni proportione hoc respicitur,dum est, quod si de quatuor propositis rebus sicut prima est ad secundam,ita tertia ad quartam, erit ut prima ad tertiam,ita secunda ad quartam.Ista igitur numerorum proportio ad propositionem vim naturamque transferatur,sintque duæ propositiones primæ quarum una præcedens,altera sequens,et aliæ rursus duæ quarum una præcedens,altera similiter sequens, et in his sit aliqua similitudo.Si enim prima boni quoniam bonum est, hanc sequitur boni, quoniam non bonum est. Rursus sit præcedens tertia non boni quo-
B niam non bonum est, hanc autem sequens quarta non boni, quoniam bonum est.

Sequentes.
2. Boni quoniam bonum non est.
4. Non boni quoniam bonum est.

sese habebit secunda ad quartam. Quemadmodum sese habet igitur boni quoniam bonum est, ad eam quæ est non boni quoniam non bonum est, cum utræque sint veræ,ita sese habet opinio boni quoniam non est ad opinionem non boni quoniam bonum est,quod ipsæ quoque utræque sunt falsæ ; nam sicut istæ simul veræ, ita illæ simul falsæ, quocirca ut est prima ad tertiam, ita secunda ad quartam. Ostensa igitur hac proportione immutato ordine eædem disponantur, sed sit prior opinio ea quæ est
C non boni quoniam bonum non est, eaque sequatur boni quoniam bonum est,et sub his præcedens tertia non boni quoniam bonum est, quarta sequens boni quoniam bonum non est.

Veræ.
Sequentes.
2. Boni quoniam bonum est.
4. Boni quoniam bonum non est.

Falsæ.

autem simul hæ esse veræ.Si quis enim parricidium quod non est bonum putet non esse bonum, idem quoque parricidium quod per naturam non et bonum malum putet, vere utraque opinione arbitratur. Igitur non est contraria opinio ea quæ id quod bonum non est non bonum putet, ei quæ id quod bonum non est malum arbitratur. Rursus ponatur eidem opinioni de non bono quoniam
D non est bonum,contraria ea quæ arbitratur id quod non est bonum non esse malum.Id quoque contrarium non est.Fieri enim potest ut id quod bonum non est, nec malum sit. Neque enim omnia quæcunque bonum non sunt mala sunt statim,sed est ut bona quidem non sint, tamen nec mala sint. Si quis enim lapidem nequidquam jacentem quod per se bonum non est,non bonum esse putat,vere arbitretur, idem ipsum lapidem quod per se bonum non est, si non malum putet, nihil ejus opinioni falsitas incurrit. Quare quoniam ea quæ est non boni quoniam non bonum est,et cum ea quæ est non boni quoniam malum est,et cum ea quæ est non boni quoniam non est

malum, vera aliquoties invenitur, neutri contraria est. Restat igitur ut ei sit contraria opinio non boni quoniam bonum est, quæ opinatur id quod non est bonum bonum esse; hæc autem est, non boni quoniam bonum est, quoniam opinatur id quod non est bonum bonum esse. Contraria igitur est non boni quoniam non bonum est, ei quæ est non boni quoniam bonum est. Sed hic ita esse habet opinio non boni quoniam bonum est, ad opinionem non boni quoniam non bonum est, quemadmodum opinio boni quoniam bonum est, ad eamdem opinionem quæ est boni quoniam non bonum est. Sed prima tertiaque contrariæ. Secunda igitur quartaque secundum similitudinem proportionis sunt sine ulla dubitatione contrariæ. Potest vero et simplicius intelligi hoc modo, si boni quoniam bonum est opinio, et non boni quoniam non bonum est opinio, similes secundum veritatem sunt, boni autem quoniam non est bonum, et rursus non boni quoniam bonum est, ipsæ quoque similes secundum falsitatem sunt, si una falsarum uni verarum opinionum inventa fuerit, contraria erit reliqua falsa, reliquæ veræ contraria, quod scla efficit similitudo. Ostenditur autem una falsa uni veræ, quemadmodum supra exposuimus, contraria, hoc est ea quæ dicit quod non est bonum esse bonum ei quæ arbitratur id quod non est bonum non esse bonum. Relinquitur igitur ea quæ arbitratur id quod bonum est non esse bonum contraria esse ei quæ opinatur id quod bonum est esse bonum. Qua in re colligitur negationem potius quam contrarium ponentem affirmationem veræ affirmationi esse contrariam. Perplexa igitur sententia his modis quibus diximus expedita est, sed se sic habet ordo sermonum. Amplius, inquit, similiter se habet boni quoniam bonum est, et non boni quoniam non bonum est, quæ utræque veræ sunt, et super has boni quoniam non bonum est, et non boni quoniam bonum est, quæ sunt utræque mendaces. Illi ergo quæ est non boni quoniam non bonum est veræ opinioni quænam est contraria? (hoc quasi interrogativo modo dictum est.) Non ea quæ dicit quoniam malum est, quoniam simul aliquando esse poterunt veræ, hoc autem in contrariis non potest inveniri; nunquam enim veræ vera contraria est, quemadmodum autem fieri potest ut simul sint veræ, quoniam est quiddam non bonum malum, quare contingit simul veras esse. At vero nec illa quæ est quoniam non malum. Simul enim et hæ erunt, id est possunt aliquando simul esse veræ, in his præsertim rebus quæ inter bonum malumque sunt. Relinquitur ergo ei quæ est non boni quoniam non bonum est, quæ veræ est contraria, ea quæ est non boni quoniam bonum est, quæ falsa est et simul vera non potest inveniri. Quare ad similitudinem superius positam revertitur ut dicat, eam quæ est boni quoniam non bonum est, contrariam ei quæ est boni quoniam bonum est. Quod si quis ea quæ superius dicta sunt, diligentius intuetur, nec in totius sententiæ statu nec quidquam in ordine fallitur.

Manifestum est autem quoniam nihil interest, nec si universaliter ponamus affirmationem; huic universalis negatio erit contraria ut opinioni quæ opinatur quoniam omne quod est bonum bonum est, ea quæ est quoniam nihil horum quæ bona sunt bonum est.

In superiori argumentatione omnia de infinitis explicuit. Sed quoniam fortasse aliquis poterat suspicari non eamdem rationem esse posse in his propositionibus quæ sunt definitæ, atque in his aliquid interesse utrum eadem demonstratio eis quæ definitæ sunt, eveniret, hoc addit, nihil interesse utrum eamdem demonstrationem quam ipse superius in propositionibus indefinitis fecit, quisquam faciat in universalibus quæ jam sine dubio definitæ sunt. Si quis enim secundum indefinitarum propositionum superiorem dispositionem definitas disponat, easque secundum prædictum modum speculetur, non aliam universalis affirmationis opinioni contrariam reperiret, quam eam quæ universalis negationis opinio. Nihil enim interest inter indefinitas definitasque propositiones, nisi quod indefinitæ quidem sine determinatione, definitæ vero cum argumento determinationis sunt, vel universalitatis vel particularitatis: hoc est enim quod ait, nihil interest nec si universaliter ponatur affirmatio, universali namque affirmationi universalis contraria erit negatio, ut opinioni quæ opinatur quoniam omne quod est bonum bonum est, quæ scilicet est universalis affirmationis, ea fit contraria quæ est quoniam nihil eorum quæ bona sunt bonum est: hoc est opinio universalis negationis hoc autem cur fiat ostendit.

Nam ea quæ est boni quoniam bonum est, si universaliter sit bonum, eadem est ei quæ opinatur id quod bonum est, quoniam bonum est. Hoc autem nihil differt ab eo quod est, quoniam omne quod est bonum bonum est. Similiter autem et in non bono.

Gradatim indefinitam propositionem ad similitudinem universalis adduxit, dicit autem quæcunque fuerit indefinita propositio; ei si quod in sermone solemus dicere quidquid addatur universalis fit, ut nihil omnino distet ea quæ ad rem in affirmatione omne prædicat, ut ea opinio vel propositio quæ est de bono quoniam bonum est, huic si addatur quidquid, ut ita dicamus, quidquid bonum est bonum est, nihil differt ab ea quæ opinatur, omne bonum bonum est. Quare eadem vis est superioris demonstrationis in propositionibus indefinitis quæ etiam in universalibus quæ paululum quiddam distant, sed non ad qualitatem, nec ad vim propositionis, sed ad quantitatem refertur. Universalitas enim quantitati opponitur. Et sensus quidem homini est, verba vero sic sunt. Superius proposuerat nihil interesse an indefinita esset propositio an universalis. Cur autem nihil intersit hoc modo dicit. Nam ea quæ est boni quoniam bonum est, id est indefinita affirmatio, si universaliter sit bonum, id est si bonum universaliter proferatur, eadem est ei quæ opinatur quidquid bonum est quoniam bonum est, id est, nihil discrepat ab ea opinione quæ opinatur quidquid bonum est bonum esse; hujusmodi autem opinio nihil differt ab ea quæ aperte universaliter proponitur, quæ est, omne quod est bonum bonum est. Similiter autem et in non

lius requiri, priorum et posteriorum Ana- Aristotelis libros Latinitate ab hoc auctore A *donatos, adjunximus, ubique studentes ne nostro officio defuisse videamur.*

PRIORUM ANALYTICORUM ARISTOTELIS

LIBRI DUO

AN. MANL. SEV. BOETIO INTERPRETE.

LIBER PRIMUS.

CAPUT PRIMUM.

De propositione, termino et syllogismo.

imum dicendum circa quid et de quo est intenquoniam circa demonstrationem et de disciplina onstrativa est. Deinde determinandum quid propitio, et quid terminus, quid syllogismus, quis B fectus, et quis imperfectus. Postea vero quid est toto esse, vel non esse hoc in illo, et quid dicimus omni, aut de nullo prædicari. Propositio ergo est ratio affirmativa, vel negativa alicujus de aliquo. æc autem aut universalis, aut particularis, aut indefinita. Dico autem universalem quidem, cum aliquid omni, aut nulli inesse; particularem vero, cum alicui, aut non alicui, aut non omni inesse. Indefinitam autem, cum quid inesse, vel non inesse significat, sive universali, vel particulari, ut contrariorum eamdem esse disciplinam, aut voluptatem non esse bonum. Differt autem demonstrativa propositio a dialectica, quoniam demonstrativa quidem sumptio alterius partis contradictionis est. Non enim interrogat, sed sumit, qui demonstrat. Dialectica vero in- C terrogatio, contradictionis est. Nihil autem refert ut fiat ex utraque syllogismus; nam et qui demonstrat, et qui interrogat, syllogizat, sumens aliquid de aliquo esse, vel non esse. Quare erit syllogistica quidem propositio, simpliciter affirmatio vel negatio alicujus de aliquo secundum dictum modum. Demonstrativa vero si vera sit, et per primas propositiones sumpta. Dialectica autem per contanti quidem interrogatio contradictionis est, syllogizanti vero sumptio apparentis et probabilis, quemadmodum in Topicis dictum est. Quid est ergo propositio, et quid differt syllogistica a demonstrativa et dialectica, diligentius quidem in sequentibus dicetur. Ad præsentem vero utilitatem, sufficienter nobis determinata sint, quæ nunc dicta sunt. Terminum autem voco, in D quem resolvitur propositio, ut prædicatum, et de quo prædicatur, vel apposito, vel separato esse, vel non esse. Syllogismus est oratio in qua, quibusdam positis, aliud quiddam ab his quæ posita sunt ex necessitate accidit, eo quod hæc sunt. Dico autem eo quod hæc sunt, propter hæc accidere. Propter hæc vero accidere, est nullius extrinsecus termini indigere, ut fiat necessarium. Perfectum vero voco syllogismum, qui nullius alius indiget, præter ea quæ sumpta sunt, ut appareat necessarium. Imperfectum vero, qui indiget aut unius aut plurium, quæ sunt quidem necessaria per subjectos terminos, non autem sumpta sunt per propositiones. In toto autem esse alterum in altero, et de omni prædicari alterum de altero idem est. Dicimus autem de omni prædicari, quando nihil est sumere subjecti, de quo non dicatur alterum, et de nullo similiter.

CAPUT II.

De conversione absolutarum propositionum.

Quoniam autem omnis propositio est, aut de inesse, aut ex necessitate inesse, aut contingere inesse; harum autem, hæ quidem affirmativæ, illæ autem negativæ secundum unamquamque appellationem; rursus autem affirmativarum et negativarum, aliæ sunt universales, aliæ particulares, aliæ indefinitæ: universalem quidem privativam de eo quod est inesse, necesse est in terminis converti. Ut si nulla voluptas est bonum, neque bonum nullum, erit voluptas. Prædicativam autem converti quidem necessarium est, non tamen universaliter, sed in parte, ut, si omnis voluptas est bonum, et bonum aliquod voluptas. Particularem autem affirmativam quidem converti necesse est particulariter. Nam si voluptas aliqua, bonum, et bonum aliquod erit voluptas. Privativam vero non est necessarium. Non enim si homo non inest alicui animali, et animal non inest alicui homini. iPrimum ergo sit privativa universalis *a b* propositio, si ergo nulli *b* inest *a*, neque *a* nulli inerit *b*. Nam si alicui inest ut *c*, non verum erit nullum *b* esse *a*. Nam *c* eorum quæ sunt *b* aliquod est. Si vero omni *b* inest *a*, et *b* alicui *a* inest, nam si nulli neque *a* nulli *b* inerit, sed positum erat omni inesse. Similiter autem et si particularis est propositio, nam si inest *a* alicui *b*, et *b* alicui eorum quæ sunt *a* necesse est inesse; si enim nulli, nec *a* nulli inerit *b*. Si autem *a* alicui eorum quæ sunt *b* non inest, non necesse est et *b* alicui *a* non inesse, ut si *b* quidem sit animal, *a* vero homo, homo enim non omni animali, animal vero omni homini inest.

CAPUT III.

De conversione propositionum de modo

Eodem autem modo se habebit in necessariis propositionibus, nam universalis quidem privativa universaliter convertitur. Affirmativarum autem utraque particulariter. Nam si necesse est *a* nulli *b* inesse, necesse est et *b* nulli *a* inesse; si enim alicui contingit, et *a* alicui *b* continget. Si autem ex necessitate *a* omni vel alicui *b* inest, et *b* alicui *a* necesse es

),nam si non ex necessitate inest,neque *a* alicui essitate fuerit. Particularis vero privativa non titur, propter eamdem causam, propter quam a diximus. In contingentibus vero, quoniam liciter dicitur contingere,nam et necessarium, necessarium,et possibile contingere dicimus; mativis quidem,similiter se habebit secundum sionem in omnibus. Nam si *a* omni aut alicui *b* git, et *b* alicui *a* contingit,si enim nulli, nec *a* , ostensum est enim hoc prius. In negativis on similiter,sed quæcunque quidem contin- cuntur, ex eo quod ex necessitate non insunt, so quod non ex necessitate insunt similiter. ais dicat hominem contingere non esse equum, ium nulli tunicæ inesse. Horum enim hoc qui- t necessitate inest, illud vero non ex necessi- est,et similiter convertitur propositio. Nam si git nulli homini equum inesse, et hominem git nulli equo inesse, et si album contingit unicæ,et tunica contingit nulli albo, si enim necessario, et album tunicæ alicui inerit ex ne- te, hoc enim ostensum est prius. Similiter et in particulari negativa. Quæcunque vero ut ibus,et in eo quod nata sunt dicuntur contin- cundum quem modum determinamus contin- non similiter se habebit in privativis conver- us. Sed et universalis quidem privativa propo- on convertitur, particularis vero convertitur. item erit manifestum quando de contingenti us. Nunc autem nobis tantum sit cum iis quæ sunt, manifestum, quoniam contingere nulli icui non inesse affirmativam habet figuram, t contingit ipsi est similiter ordinatur. Est au- uibuscunque adjacens prædicatur, affirmatio- mper facit, et omnino, ut: est non bonum, vel n album, vel simpliciter, est non hoc. Osten- autem et hoc per sequentia, secundum con- nes autem similiter se habebunt in iis.

CAPUT IV.

dis syllogisticis et asyllogistis absolutis primæ figuræ.

vero determinatis dicemus jam per quæ et lo et quomodo fit omnis syllogismus, postea icendum de demonstratione. Prius enim de ismo dicendum quam de demonstratione, eo niversalior est syllogismus, nam demonstratio m syllogismus quidam est; syllogismus vero mnis demonstratio. Quando igitur tres termini habent ad invicem, ut et postremus sit in toto),et medius in toto primo vel sit, vel non sit, ne- est extremitatum perfectum esse syllogismum. autem medium quod et ipsum in alio, et aliud o est, quod et positione medium est; extrema uod et ipsum in alio, et in quo aliud est. im *a* de omni *b*, et *b* de omni *c*, necesse le omni *c* prædicari. Prius enim dictum omodo de omni dicimus. Similiter autem *a* de nullo *b*, *b* autem de omni *c*, quoniam *a* inerit. Si autem primum quidem omni medio consequens est, medium vero nulli postremo, non erit syllogismus extremitatum. Nihil enim necessarium accidit, eo quod hæc sunt, nam et omni et nulli contingit primum postremo inesse, quare neque particulare, neque universale fit necessarium. Cum autem nihil est necessarium, per hæc non erit syllogismus. Termini vero ejus quod est omni inesse, animal, homo, equus; ejus vero quod est nulli, animal, homo, lapis. Quando vero nec primum medio, nec medium postremo ulli inest, nec sic erit syllogismus. Termini vero ut inesse, scientia, linea, medicina; ut non inesse, scientia, linea, unitas. Universalibus igitur existentibus terminis, manifestum est in hac figura quando erit, et quando non erit syllogismus, et quoniam cum est syllogismus, necessarium est terminos sic se habere, ut diximus, et sic se habens manifestum quoniam erit syllogismus. Si autem hic quidem terminorum universaliter, alius vero particulariter ad alium, quando universale quidem ponitur ad majorem extremitatem vel prædicativum, vel privativum, particulare vero ad minorem prædicativum, necesse est syllogismum esse perfectum. Quando vero ad minorem vel quolibet modo aliter se habeant termini, impossibile est. Dico autem majorem extremitatem quidem in qua medium est, minorem vero, quæ sub medio est. Insit enim *a* quidem omni *b*, *b* autem alicui *c*, ergo si est de omni prædicari, quod in principio dictum est, necesse est *a* alicui *c* inesse. Et si *a* quidem nulli *b* inest, *b* vero alicui *c*, necesse est *a* alicui *c* non inesse, determinatum est enim et de nullo, quomodo dicimus, quare erit syllogismus perfectus. Similiter autem et si indefinitum sit *b c* prædicativum, nam idem erit syllogismus indefinito et particulari sumpto. Si autem ad minorem extremitatem universale ponatur vel prædicativum, vel privativum, non erit syllogismus neque cum affirmativa, neque negativa, neque indefinita, neque particularis sit, ut si *a* quidem alicui *b* inest, vel non inest, *b* autem omni *c* inest. Termini ut inesse, bonum, habitus, prudentia: ubi non inesse, bonum, habitus, indisciplina. Rursum si *b* quidem nulli *c*, *a* vero alicui *b* inest, vel non inest, vel non omni inest, nec sic erit syllogismus. Termini omni inesse, album, equus, cygnus; nulli inesse, album, equus, corvus. Idem autem et si *a b* indefinitum sit. Nec quando ad majorem extremitatem quidem universale ponatur vel prædicativum, vel privativum, ad minorem vero particulare privativum, non erit syllogismus vel indefinito, vel particulari sumpto. Velut si *a* quidem omni *b* inest, *b* autem alicui *c* non inest, vel non omni inest. Cui enim alicui non inest medium, hoc omne et nullum sequatur primum. Ponantur enim termini, animal, homo, album, deinde et de quibus albis non prædicatur homo, sumantur cygnus et nix; ergo animal de uno quidem omni prædicatur, de altero vero nullo, quare non erit syllogismus. Rursum *a* quidem nulli *b* insit, *b* autem alicui *c* non insit, et sint termini, inanimatum, homo, album, deinde sumantur alba, de quibus non prædicatur homo, cy-

; nam inanimatum de hoc quidem omni
:, de illo vero nullo. Amplius: quoniam
m est alicui eorum quæ sunt *c* non inesse *b*,
, autem et nulli inest, et si non omni, quo-
:ui non inest, sumptis autem his terminis
lli inesse, non fit syllogismus (hoc enim
ıst prius) manifestum; ergo est quoniam in eo
: se habent termini non erit syllogismus, es-
n et in his. Similiter autem ostendetur, et si
ıale ponatur privativum. Neque enim si ambo
alla particularia prædicative, vel privative di-
:, aut hoc quidem prædicativum, illud vero pri-
ım, vel hoc quidem indefinitum, illud vero defi-
n, vel ambo indefinita, non erit syllogismus
) modo. Termini vero communes omnium, ani-
,album, equus, animal, album, lapis. Manifestum
igitur ex iis quæ dicta sunt quoniam si sit syllo-
mus in hac figura particularis, quoniam necesse
, terminos sic se habere, ut diximus. Aliter enim
habentibus, nullo[modo]fit. Palam autem quoniam
nnes qui in hac sunt syllogismi perfecti sunt, omnes
nim perficiuntur per ea quæ ex principio sumuntur,
it quoniam omnia problemata ostenduntur per hanc
figuram; etenim omni et nulli, alicui et non alicui
inesse. Voco autem hujusmodi figuram, primam.

CAPUT V.

De syllogismis absolutis in secunda figura.

Quando vero idem huic omni quidem, illi vero nulli inest, vel utique omni, vel nulli, figuram quidem hujusmodi voco secundam. Medium autem in hac dico quod de utraque prædicatur; extremitates vero de quibus dicitur hoc, majorem quidem extremitatem, quæ juxta medium posita est, minorem vero, quæ longius sita est a medio. Ponitur autem medium foras quidem extremitatum, primum vero positione. Perfectus igitur non erit syllogismus nullo modo in hac figura possibile vero erit et universalibus, et non universalibus existentibus terminis. Universalibus igitur terminis erit syllogismus quando medium huic quidem omni, illi vero nulli inerit, etsi ad utrumvis si privativum, aliter vero nullo modo. Prædicetur enim *m* de *n* quidem nullo, de *x* vero omni, quoniam igitur convertitur privativa, nulli *m* inerit *n*, at *m* omni *x* supponebatur, quare *n* nulli *x* inerit: hoc enim ostensum est prius. Rursum si *m n* quidem omni inest, *x* vero nulli, neque *n x* nulli inerit. Nam si *m* nulli *x*, neque *x* nulli *n* inerit, at vero *m* omni *n* inerat, quare *x* nulli inerit. Facta est enim rursum prima figura. Quoniam autem convertitur privativum neque *n* nulli *x* inerit, quare erit idem syllogismus, est autem ostendere hæc et ad impossibile ducentes. Quoniam ergo fit syllogismus sic se habentibus terminis manifestum, sed non perfectus, non enim solum ex iis quæ ab initio sumpta sunt, sed ex aliis perficitur necessarium. Si autem *m* de omni *n* et *x* prædicetur, non erit syllogismus. Termini inesse, substantia, animal, ratio; non inesse, substantia, animal, lapis, medium, substantia. Nec quando de *n* nec de *x* nullo prædicatur *m*. Termini inesse, linea, animal, homo; non inesse, linea, animal, lapis. Manifestum ergo quoniam si fit syllogismus ex universalibus terminis, necesse est terminos sic se habere, ut in principio diximus. Aliter enim se habentibus terminis non fit conclusio necessaria. Si autem ad alterum sit universaliter medium, quando ad majus quidem fuerit universaliter vel prædicative, vel privative, ad minus autem est particulariter, et oppositæ universali (dico autem oppositæ, si universale quidem privativum particulare prædicativum, vel si universale prædicativum, particulare privativum), necesse est syllogismum fieri privativum particulariter. Namjsi *m* nulli quidem *n*, *x* autem alicui inest, necesse est *n* alicui *x* non inesse. Quoniam enim convertitur privativum, nulli *m* inerit, *m n* vero supponebatur alicui *x* inesse, quare *n* alicui eorum quæ sunt *x* non inerit. Fit enim syllogismus per primam figuram. Rursus si *n* quidem omni *m*, *x* vero alicui non inest, necesse est *n* alicui *x* non inesse. Nam si *x* omni inest *n*, prædicatur autem et *m* de omni *n* necesse est *m* omni *x* inesse, supponebatur autem alicui non inesse. Et si *m n* omni quidem inest, *x* autem non omni, erit syllogismus, quoniam non omni *x* inest *n*. Demonstratio autem eadem. Si autem de *x* quidem omni, de *n* vero non omni prædicatur *m*, non erit syllogismus. Termini inesse, animal, substantia, corvus. Non inesse, animal, album, corvus. Nec quando de *x* quidem nullo, de *n* vero aliquo. Termini inesse, animal, substantia, lapis. Non inesse, animal, substantia, scientia. Quando igitur oppositum est universale particulari, dictum est quando erit, et quando non erit syllogismus. Quando autem similis figuræ fuerint propositiones, ut ambæ privativæ vel affirmativæ, nullo modo erit syllogismus. Sint enim primum privativæ, et universale ponatur ad majorem extremitatem, ut *m n* quidem nulli, *x* autem alicui non insit; contingit ergo et omni, et nulli *x* inesse *n*. Termini quidem nulli inesse, nigrum, nix, animal. Omni vero inesse, non est sumere, si *m* alicui quidem *x* inest, alicui autem non. Nam si omni *x* inest *n*, et *m* nulli, *n* etiam *m* nulli *x* inerit; sed positum erat alicui inesse, non igitur sic sumere contingit terminos. E indefinito autem ostendendum est. Quoniam enir verum est *m* non inesse alicui *x*, et si nulli inest, nu vero cum insit non erit syllogismus, manifestu quoniam neque nunc erit. Rursum si prædicativæ universale ponatur similiter, ut *m* omni quider *x* autem alicui insit, contingit ergo et omni, et r *x* inesse. Termini nulli inesse, album, cygnus, l Omni vero non erit sumere terminos, propter dem causam quæm et prius, sed ex indefinito strandum est. Si autem universale ad minore tremitatem est, et *m x* quidem nulli, *n* vero non inest, contingit *n*, et omni et nulli *x* Termini inesse, album, animal, corvus; non album, lapis, corvus. Similiter autem et si p tivæ fuerint propositiones. Termini non in bum, animal, nix; inesse, album, animal, Manifestum est igitur quoniam si similis fi

iones, et hæc quidem universalis, illa vero aris, quoniam nullo modo fit syllogismus. si alicui, utrique inest, vel non inest, vel idem inest, illi vero non, vel neutri omni, finitæ. Termini autem communes omnium, nimal, homo, album, animal, inanimatum. tum est igitur ex prædictis quoniam si sic se termini ad invicem, ut dictum est, fit sylloex necessitate, et si syllogismus, necesse inos sic se habere. Palam autem et quoniam mperfecti sunt, qui in hac figura sunt syllonnes enim perficiuntur assumptis quibus- vel insunt terminis ex necessitate, vel poelut hypotheses, ut quando per impossibile nus. Et quoniam non fit affirmativus sylloper hanc figuram, sed omnes privativi, et les, et particulares.

CAPUT VI.

le syllogismis absolutis tertiæ figuræ.

em eidem hoc quidem omni, illud vero nulli l ambo omni vel nulli, figuram quidem huvoco tertiam. Medium autem in hac dico, bo prædicamus; extremitates vero, quæ præ-; majorem autem extremitatem, quæ longius io; minorem vero, quæ propius. Ponitur iedium foras quidem extremitatum, ultimum sitione est. Perfectus igitur non fit syllogiec in hac figura, possibilis vero erit et unier, et non universaliter terminis existentimedium. Universaliter quidem quando et erunt omni *s*, quoniam alicui *r* inerit *p* ex ate, nam quoniam convertitur prædicativa, alicui *r*. Quare quoniam *p* inest omni *s*, et *s* necesse est *p* alicui *r* inesse. Fit enim sylloper primam figuram. Est autem et per imo, et expositione facere demonstrationem: ambo omni *s* insunt, si sumatur aliquod eos sunt *s*, ut *n* huic et *p* et *r* inerunt ex ne-, quare alicui *r* inerit *p*. Et si *r* omni quiautem nulli *s* inest, erit syllogismus, quoalicui *r* non inerit ex necessitate. Nam idem erit demonstrationis, conversa *r s* propositendetur autem et per impossibile, quemadin prioribus. Si autem insit *r*, *s* quidem nulli, omni *s*, non erit syllogismus. Termini inesse, equus, homo; non inesse, animal, inani-, homo, neque quando ambo de nullo *s* dinon erit syllogismus. Termini inesse, aniuus, inanimatum; non inesse, homo, equus atum, medium, inanimatum. Manifestum est t in hac figura et quando erit, et quando non ogismus ex universalibus terminis. Quando bo termini sunt prædicativi, erit syllogismus, n inest alicui extremitas extremitati; quando vativi, non erit syllogismus; quando autem dem privativus, ille vero affirmativus; si malem fuerit privativus, alter vero affirmativus ogismus, quoniam alicui non inest extremiemitati. Si autem e converso, non erit. Si autem hic quidem sit universaliter ad medium, alter vero particulariter, si uterque sit prædicativus, necesse et fieri syllogismum, et si alteruter sit universalis terminorum; nam si *r* omni *s* insit, *p* vero alicui *s*, necesse est et *p* alicui *r* inesse, nam quoniam convertitur affirmativa, inerit *s* alicui *p*, quare quoniam *r* omni *s* inest, *s* autem alicui *p*; et *r* alicui *p* inerit, quare et *p* alicui *r*. Rursum si *r* alicui *s*, *p* vero omni *s* insit, necesse est et *p* alicui *r* inesse, nam idem modus demonstrationis. Est autem demonstrare et per impossibile, et expositione, quemadmodum in prioribus. Si autem unus quidem sit prædicativus, alius vero privativus, universaliter autem prædicativus, quando minor quidem fuerit prædicativus, erit syllogismus; nam si *r* omni *s*, *p* vero alicui *s* non inest, necesse est *p* alicui *r* non inesse, si enim *p* omni *r*, et *r* omni *s*, et *p* omni *s* inerit, sed non inerat. Monstratur autem et sine deductione, si sumatur aliquid eorum quæ sunt *s*, cui *p* non inest. Quando vero major fuerit prædicaticus, non erit syllogismus, ut si *p* insit omni *s*, *r* autem alicui *s* non insit. Termini vero omni inesse, animatum; homo, animal. Nulli vero, non est sumere terminos si *r* inest alicui quidem *s*, alicui autem non. Si enim omni *s* inest *p*, *r* autem alicui *s*, et *p* inerit alicui *r*, sed positum erat nulli *r* inesse. Sed quemadmodum in prioribus dicendum est; nam cum indefinitum est alicui non inesse, et quod nulli inest, verum est dicere alicui non inesse, nulli vero cum inesset, non erat syllogismus; manifestum ergo est, quoniam non erit syllogismus. Si autem privativus sit universalis terminus, quando major quidem privativus fuerit, minor autem prædicativus, erit syllogismus: Si enim *p* nulli *s*, *r* autem alicui inest *s*, et *p* alicui *r* non inerit. Rursum enim prima erit figura, *r s* propositione conversa. Quando autem minor fuerit privativus, non erit syllogismus. Termini inesse, animal, homo, ferum. Non inesse, animal, scientia, ferum, medium in utrisque ferum. Nec quando ambo privativi ponuntur, est autem unus quidem universalis, alter vero particularis. Termini inesse, quando minor est universalis ad medium, animal, homo, ferum, non inesse, animal, scientia, ferum. Quando autem major, non inesse quidem, corvus, nix, album; inesse vero non est sumere si *r* alicui quidem inest *s*, alicui autem non inest. Si enim *p* omnis *r* insit, *r* autem alicui *s*, et *p* inerit alicui *s*. Positum est autem nulli, sed ex indefinito monstrandum est. Neque si uterque alicui medio inest, vel non inest vel unus quidem inest, alter vero non inest, vel hic quidem alicui, ille vero non omni, vel indefinite, nullo modo erit syllogismus. Termini autem communes omnium, animal, homo, album, animal, inanimatum, album. Manifestum est igitur, et in hac figura, quando erit, et quando non erit syllogismus, et quoniam habentibus se terminis, ut dictum est, fit syllogismus ex necessitate, et si sit syllogismus, necesse est terminos sic se habere. Manifestum est etiam, quia omnes imperfecti sunt in hac figura syl-

logismi, omnes enim perficiuntur quibusdam assumptis. Et quoniam syllogizare universale per hanc figuram non erit, neque privativum, neque affirmativum.

CAPUT VII.

De tribus figuris et indirectis syllogismus ad invicem.

Palam autem et quoniam in omnibus figuris, aliquando non fit syllogismus. Cum prædicativi quidem, vel privativi sunt utrique termini, et particulares, nihil omnino fit necessarium. Cum autem prædicativus, et privativus, et universaliter sumptus privativus, semper fit syllogismus minoris extremitatis ad majorem, ut si *a* quidem omni *b* vel alicui, *b* autem nulli *c*; conversis enim propositionibus, necesse est *c* alicui *a* non inesse. Similiter autem et in aliis figuris, semper enim fit per conversionem syllogismus. Palam etiam quoniam indefinitum pro prædicativo particulari positum, eumdem faciet syllogismum in omnibus figuris. Manifestum autem et quoniam omnes imperfecti syllogismi perficiuntur per primam figuram. Aut enim ostensive, aut per impossibile clauduntur omnes. Utrinque autem fit prima figura. Et ostensive quidem perfectis, quoniam per conversionem claudebantur omnes, conversio autem primam faciebat figuram, per impossibile vero demonstratis, quoniam posito falso syllogismus fit per primam figuram. Ut in postrema figura, si *a* et *b* omni *c* insunt, quoniam *a* alicui *b* inest, nam si nulli et *b* omni *c*, nulli *c* inerit *a*, sed inerat omni. Similiter autem in aliis. Est etiam reducere omnes syllogismos ad universales syllogismos primæ figuræ. Nam qui sunt in secunda figura, manifestum quoniam per illos perficiuntur, verum non similiter omnes, sed universales quidem privativa conversa; particularium autem utraque per ad impossibile reductionem. Qui vero in prima sunt particulares, perficiuntur quidem per se. Est autem et per secundam figuram ostendere ad impossibile ducentes, ut si *a* omni *b*, et *b* alicui *c*, quoniam *a* alicui *c* inerit. Si enim nulli, *b* autem omni, nulli *c* inerit *b*. Hoc enim scimus per secundum figuram. Similiter autem et in privativo erit demonstratio; si enim *a* nulli *b*, et *b* alicui *c* inest, *a* alicui *c* non erit, nam si *a* omni *c*, *b* autem nulli inest, nulli *c* inerit *b*. Hæc autem fuit media figura; quare quoniam qui in media sunt syllogismi, omnes reducuntur in primæ figuræ universales syllogismos, qui vero particulares sunt in prima, ad eos qui sunt in media, manifestum est quoniam et particulares reducentur ad eos qui in prima figura sunt universales syllogismos; qui vero sunt in tertia, cum universales sint quidem termini, statim perficiuntur per illos syllogismos. Si autem particulares, sumuntur per particulares syllogismos primæ figuræ, sed hi reducti sunt ad illos, quare et tertiæ figuræ particulares. Manifestum ergo quoniam omnes reducentur in primæ figuræ universales syllogismos. Igitur syllogismi inesse vel non inesse ostendentes, dictum est quomodo se habent, et ad eos qui ex eadem sunt figura, et ad invicem, et ad eos qui ex aliis sunt figuris.

CAPUT VIII.

De syllogismis ex necessario in tribus figuris.

Quoniam autem diversum est inesse, et ex necessitate inesse, et contingere inesse (nam multa insunt quidem, non tamen ex necessitate, alia vero neque ex necessitate, neque insunt omnino, contingit autem inesse), manifestum quoniam et syllogismus in unoquoque horum diversus est, et non similiter habentibus se terminis, sed hic quidem ex necessariis, ille vero ex iis quæ simpliciter insunt, ille autem ex contingentibus. Ergo in necessariis quidem fere similiter se habet, et in iis qui insunt. Similiter enim positis terminis, et in iis quæ insunt, et in iis quæ ex necessitate insunt vel non insunt, et erit, et non erit syllogismus. Verum distabit in eo quod adjacet terminis ex necessitate inesse, vel non inesse, nam et privativum similiter convertitur, et in toto esse, et de omni similiter assignabimus. Ergo in aliis quidem eodem modo ostendetur per conversionem, quoniam conclusio necessaria, quomodo in eo quod est inesse. In media autem figura quando fuerit universalis affirmativa, particularis vero privativa, et rursum in tertia quando universalis quidem prædicativa, particularis vero privativa, non similiter erit demonstratio, sed necesse est exponentes, cui alicui utrumque non inest, de hoc facere syllogismum. Erit enim necessarius in hoc. Si autem de exposito est necessarius, erit et de illo aliquo. Nam hoc quod est expositum, ipsum quidem illud aliquid est. Fit autem uterque syllogismus in propria figura.

CAPUT IX.

De mixtis ex una necessaria et altera absoluta in prima figura.

Accidit autem quandoque et altera propositione necessaria, necessarium fieri syllogismum, verum non utralibet, sed quæ ad majorem extremitatem est, ut si *a* quidem, *b* ex necessitate sumptum est inesse, vel non inesse, *b* autem *c* inesse tantum; sic enim sumptis propositionibus ex necessitate *a* inerit *c* vel non erit. Nam quoniam omni *b* ex necessitate inest, vel non inest *a*, *c* autem aliquid eorum quæ sunt *b*, est manifestum quoniam et *c* ex necessitate erit alterum horum. Si autem *a b* quidem non necessaria, *b c* autem necessaria; non erit conclusio necessaria. Nam si est, accidit *a* alicui *b* inesse ex necessitate, per primam et tertiam figuram, hoc autem falsum, contingit enim tale esse t *b* cui possibile est *a* nulli inesse. Amplius autem et ex terminis manifestum quoniam non erit conclusio necessaria; ut si *a* quidem sit motus, *b* autem sit animal, in quo autem *c* homo, namque homo animal est ex necessitate, movetur autem animal non ex necessitate, quare nec homo. Similiter autem et si privativa sit *a b*; nam eadem demonstratio. In particularibus autem syllogismis, si universalis quidem est necessaria, et conclusio erit necessaria; si autem particularis, non necessaria, sive privativa, sive prædicativa fuerit

s propositio. Sit autem primo universalis
ı, et *a* quidem omni *b* insit ex necessitate,
icui *c* insit solum, necesse est ergo *a* alicui
ı necessitate, nam *c* sub *b* est, *b* autem omni
x necessitate. Similiter autem et si priva-
gismus sit, nam eadem erit demonstratio.
particularis est necessaria, non erit con-
ıessaria nihil enim impossibile evenit,
odum nec in universalibus syllogismis,
ıutem et in privativis. Termini, motus,
lbum.

CAPUT X.

ex una necessaria et altera absoluta in secunda figura.

nda autem figura si privativa quidem pro-
ıiversalis sit et necessaria, conclusio erit
ı. Si autem prædicativa, non necessaria.
ırimum privativa necessaria, et *a b* quidem
ingat, *c* autem insit tantum; quoniam ergo
ır privativa; et *b* nulli *a* contingit, *a* autem
:st, quare nulli *c* contingit *b*, nam *c* sub *a*
iter autem et si ad *c* ponatur privativum,
: nulli contingit, et *c* nulli *a* poterit inesse,
mni *b* inest. Quare nulli eorum quæ sunt *b*
s, fit enim prima figura. Rursum non ergo
psi *s*, convertitur enim similiter. Si autem
va propositio est necessaria, non erit con-
ıessaria, insit enim *a* omni *b* ex necessitate,
ulli insit tantum, conversa ergo privativa,
figura. Ostensum est autem in prima quo-
ı non est necessaria quæ ad majorem est
, nec conclusio erit necessaria, quare nec
: ex necessitate, Amplius autem si conclu-
cessaria, accidit *c* alicui *a* non inesse ex
te, si enim *b* nulli *c* inest ex necessitate,
ulli *b* inerit ex necessitate, *b* autem alicui *a*
st inesse, siquidem et *a* omni *b* ex necessi-
ıt, quare *c* necesse est alicui *a* non inesse,
prohibet *a* hujusmodi accipere, cui omni *c*
inesse. Amplius et si terminos ponentes sit
, quoniam conclusio non est necessaria
ır. Et his existentibus, necessarium ut sit *a*
ı vero homo, *c* autem album, et similiter
ones sumptæ sint, contingit enim animal
ı inesse, non inerit ergo nec homo nulli
non ex necessitate. Contingit enim homi-
album, non tamen donec animal nulli albo
ıre cum hæc sint, necessaria erit conclusio,
:er autem non necessaria. Similiter autem se
t in particularibus syllogismis, quando pri-
ıidem propositio, et universalis fuerit, et
ia, et conclusio erit necessaria. Quando
:ædicativa universalis fuerit necessaria, pri-
ıro particularis non necessaria, non erit
ı necessaria. Sit enim primum privativa, et
lis necessaria, et *a b* quidem nulli contingat
: autem alicui insit, quoniam ergo convertı-
ativa, et *b* nulli *a* continget inesse, *a* autem
nest, quare ex necessitate alicui eorum quæ
A sunt, *c* non inerit *b*. Rursum sit prædicativa, et universalis, et necessaria. et ponatur ad *b* quidem prædicativum, si ergo *a* omni *b* ex necessitate inest, *c* autem alicui non inest, quoniam non inerit *b* alicui *c* manifestum, sed non ex necessitate. Nam iidem termini erunt ad demonstrationem, qui in universalibus syllogismis : sed nec si privativa necessaria est particulariter sumpta, erit conclusio necessaria. Nam per eosdem terminos demonstratio.

CAPUT XI.

De syllogismis mixtis ex altera necessaria et altera absoluta in tertia figura.

In postrema autem figura terminis quidem universalibus ad medium, et prædicativis utrisque propositionibus, si utralibet sit necessaria, et conclusio
B erit necessaria. Si autem hæc quidem sit privativa, illa vero prædicativa, quando privativa quidem fuerit necessaria, et conclusio erit necessaria, quando autem prædicativa, non erit necessaria. Sint enim primum utræque prædicativæ propositiones, et *a* et *b* omni *c* insint, necessaria autem sit *a c*, quoniam ergo *b* omni *c* inest, et *c* alicui *b* inerit, eo quod consertitur universalis particulariter. Quare si *a* inest omni *c* ex necessitate, et *c* alicui *b*, et *a* alicui *b* necessarium inesse, nam *b* sub *c* est. Fit igitur prima figura. Similiter autem ostendetur, et si *b c* est necessaria, convertitur enim *c* alicui *a*, quare si omni *c* inest *b* ex necessitate, et *a* alicui *b* inerit ex necessitate. Rursum sit *a c* quidem privativa, *b c* vero affirmativa, necessaria autem privativa, quoniam ergo convertitur affirmativa, erit *c* alicui *b*, *a* autem nulli *c*
C ex necessitate, neque *a* alicui *b* inerit ex necessitate, nam *b* sub *c* est. Si autem prædicativa sit necessaria, non erit conclusio necessaria. Sit enim *b c* prædicativa et necessaria, *a c* autem privativa et non necessario, quoniam ergo convertitur affirmativa, inerit et *c* alicui *b* ex necessitate. Quare si *a* quidem nulli eorum quæ sunt *c* inest, *c* autem alicui eorum quæ sunt *b* et *a* alicui eorum quæ sunt *b* non inerit, sed non ex necessitate. Ostensum est enim in prima figura quoniam privativa propositione necessaria, nec conclusio erit necessaria. Amplius autem et per terminos sit manifestum, sit enim *a* quidem bonum in quo *b* animal, *c* autem equus, ergo bonum quidem contingit nulli equo inesse, animal vero necesse est omni equo inesse, sed non necesse est aliquod animal non esse
D bonum, siquidem contingit omne esse bonum. Aut si non hoc possibile, sed vigilare, vel dormire terminum ponendum. Omne enim animal susceptibile est horum. Si igitur termini universaliter ad medium sint, dictum est quando erit conclusio necessaria. Si autem hic quidem universalis, ille vero particularis prædicativus uterque, quando universalis fuerit necessarius, et conclusio erit necessaria. Demonstratio autem eadem quæ prius, convertitur enim et particularis affirmativa. Si ergo necesse est *b* omni *c* inesse, *a* autem sub *c* est, necesse est *b* alicui *a* inesse. Si autem *b* alicui *a*, et *a* alicui *b* inesse necessarium, convertitur enim. Similiter autem et si

a c sit necessaria universalis, nam *b* sub *c* est. Si autem particularis est necessaria, non erit conclusio necessaria. Sit enim *b c* particularis et necessaria, *a* autem insit omni *c*, non tamen ex necessitate, conversa ergo *b c* prima fit figura, et universalis quidem propositio non necessaria, particularis autem necessaria, quando autem sic se habebant propositiones, non erat conclusio necessaria, quare nec in his. Amplius autem et ex terminis manifestum. Sit enim *a* quidem vigilatio, *b* autem bipes, in quo autem *c* animal, ergo *b* alicui *c* necesse est inesse, *a* autem omni *c* contingit, et *a* non necessario *b*, non enim necesse est aliquem bipedem dormire vel vigilare. Similiter autem per eosdem terminos ostendetur etiam si *a c* sit particularis et necessaria. Si autem hic quidem terminorum sit prædicativus, ille privativus et necessarius, quando universalis fuerit privativus et necessarius, et conclusio erit necessaria. Si enim *a* nulli *c* ex necessitate contingit, *b* autem alicui *c* inest, necesse est *a* alicui *b* non inesse, quando autem affirmativa necessaria ponetur vel universalis vel particularis, vel privativa particularis, non erit conclusio necessaria. Nam alia quidem eadem quæ et in prioribus dicemus. Termini autem cum universalis quidem affirmativa est necessaria, vigilatio, animal, homo, medium homo: cum autem particularis prædicativa necessaria, vigilatio, animal, album. Animal enim necesse est alicui albo inesse, vigilatio autem contingit nulli, et non necesse est alicui animali non inesse vigilationem. Quando autem privativa particularis est necessaria, bipes, motus, animal, medium animal. Manifestum igitur quoniam inesse quidem non est syllogismus, si utræque propositiones non sunt in eo quod est inesse, necessaria vero est, et altera solum existente necessaria. In utriusque autem affirmativis et privativis existentibus syllogismis necesse est alteram propositionem similem esse conclusioni. Dico autem similem, si inesse quidem, inexistentem, si autem necessaria, necessariam. Quare et hoc palam, quoniam non erit conclusio neque necessario neque inesse, non sumpta vel necessaria, vel quæ inesse significet propositione. Igitur de necessario quomodo fit, et quam differentiam habeat ad inesse, sufficientem pene dictum est.

CAPUT XII.

De contingenti non necessario.

De contingente autem post hæc dicemus, quando, et quomodo, et per quæ erit syllogismus. Dico autem contingere, et contingens, quo non existente necessario, posito autem inesse, nihil erit propter hoc impossibile. Nam necessarium æquivoce contingere dicitur. Quoniam autem hoc est contingens, manifestam ex affirmationibus et negationibus oppositis. Nam non contingit esse, non possibile esse et impossibile esse, et necesse est non esse, vel eadem sunt, vel sequuntur se invicem, quare et opposita his contingit esse, et non impossibile esse, et non necesse non esse, eadem erunt, vel sequentia se invicem. De omni enim affirmatio, vel negatio vera. Erit ergo contingens necessarium, et non necessarium contingens. Accidit autem omnes quæ secundum contingere sunt propositiones converti sibi invicem, dico autem non affirmativas negativis, sed quæcunque affirmativam habent figuram secundum oppositionem, ut ea quæ est contingit esse ei quæ est contingit non esse, et ea quæ est contingit omni ei quæ est contingit nulli, vel non omni, et quæ alicui, et quæ non alicui, eadem autem modo et in aliis. Quoniam enim quod est contingens non est necessarium, et quod non est necessarium possibile est non esse, manifestum quoniam si contingit *a* inesse *b*, contingit et non inesse, et si omni contingit inesse, et omni contingit non inesse. Similiter autem et in particularibus affirmationibus, nam eadem demonstratio. Sunt autem hujusmodi propositiones prædicativæ, nam contingere ei quod est esse similiter ponitur, quemadmodum dictum est prius. Determinatis autem his, rursum dicimus quoniam contingere duobus modis dicitur; uno quidem, quod plerumque fit et deficit, necessarium, ut canescere hominem, vel augeri, vel minui, vel omnino quod natum est esse. Hoc enim non continuum habet necessarium, eo quod non semper est homo, cum tamen homo est, aut ex necessitate, aut ut in pluribus est. Alio autem modo infinitum, quod et sic, et non sic possibile, ut animal ambulare, vel ambulante fieri motum terræ, vel omnino quod casu fit, nihil enim magis sic natum est, vel contrario. Convertitur ergo et secundum oppositas propositiones utrumque contingens, non tamen eodem modo, sed quod natum quidem est esse ei quod non ex necessitate esse. Sic enim contingit non canescere hominem. Infinitum autem ei quod nihil magis sic, vel illo modo. Disciplina autem, et syllogismus demonstrativus, ex infinitis quidem non est, eo quod inordinatum et medium, ex iis vero quæ nata sunt esse, pene orationes et considerationes fiunt de sic contingentibus, ex illis autem possibile quidem est fieri syllogismum, non tamen solet quæri. Hæc ergo definientur magis in sequentibus, nunc autem dicemus quando et quomodo, et quis erit syllogismus ex contingentibus propositionibus. Quoniam autem contingere hoc huic inesse dupliciter est accipere, aut enim cui inest hoc, aut cui contingit ipsum inesse, nam de quo *b*, *a* contingere horum alterum significat, aut de quo dicitur *b*, aut de quo contingit dici, de quo autem *b*, *a* contingere, aut omni *b* possibile inesse *a*, nihil differt. Manifestum igitur quoniam dupliciter dicetur *a* omni *b* inesse contingere. Primum ergo dicemus si de quo *c* contingit *b*, et de quo *b* contingit *a*, quis erit, et qualis syllogismus, sic enim utræque propositiones sumuntur secundum contingere, quando autem de quo *b* est contingit *a*, hæc quidem inesse, illa vero contingens, quare a similibus figuris incipiendum, quemadmodum est in aliis.

CAPUT XIII.

ismis ex ambabus contingentibus in prima figura.

) ergo *a* contingit omni *b*,et *b* omni *c*,syl-
erit perfectus, quoniam *a* contingit omni
loc autem manifestum est ex definitione,
ingere omni inesse sic dicebamus.Simili-
ı et si *a* quidem contingit nulli *b*, *b* autem
uoniam *a* contingit nulli *c*. Nam de quo *b*
a non contingere,hoc erat nullum dimit-
) contingentium.Quando autem *a* contingit
autem nulli *c*,per sumptas quidem propo-
ıullus fit syllogismus,conversa autem *b c*
n contingere, fit idem quemadmodum et
ıniam enim contingit *b* nulli *c* inesse,con-
omni inesse. Hoc autem dictum prius.
b quidem omni *c*,*a* autem omni *b*,rursum
llogismus.Similiter autem etsi ad utrasque
ones negatio ponatur cum contingere (dico
. si *a* contingit nulli *b*,et *b* nulli *c*),igitur per
quidem propositiones nullus fit syllogismus
autem rursus idem erit qui et prius.Ma-
est igitur quoniam negatione posita ad mi-
tremitatem,vel ad utrasque propositiones,
it syllogismus,aut fit quidem,sed non per-
: conversione enim fit necessarium. Si au-
quidem propositionum universalis, illa
icularis sumatur,ad majorem quidem ex-
m posita universali,syllogismus erit per-
m si *a* omni *b* contingit,*b* autem alicui *c*,*a*
ontingit,hoc autem manifestum ex defini-
tingentis.Rursum si *a* contingit nulli *b*, *b*
ntingit alicui *c* inesse, necesse est *a* con-
licui *c* non inesse. Demonstratio autem
æ in his.Si autem privativa sumatur par-
propositio, universalis autem affirmativa,
autem similiter se habeant (ut *a* quidem
ntingat, *b* autem alicui *c* contingat non
er sumptas quidem propositiones non fit
s syllogismus,conversa autem particulari
b alicui *c* contingere inesse, eadem erit
quæ et prius, quemadmodum in iis quæ
pio.Si autem quæ ad majorem extremita-
cularis sumatur,quæ ad minorem univer-
utræque sumantur affirmativæ, sive pri-
e non similis figuræ,sive utræque indefi-
articulares, nullo modo erit syllogismus.
n prohibet *b* transcendere *a*, et non præ-
æquis,in quo enim *b* transcendit *a* sumat
que omni,neque nulli,neque alicui,neque
i contingit *a* inesse,siquidem convertuntur
ı contingere propositiones, et *b* pluribus
quam *a* inesse.Amplius autem ex terminis
ım est,nam sic se habentibus propositio-
mum postremo et nulli contingit, et omni
ıitate inesse. Termini autem communes
inesse quidem ex necessitate, animal, al-
no, non contingere vero, animal, album,
nifestum igitur quoniam hoc modo haben-

A tibus se terminis,nullus fit syllogismus,nam omnis
syllogismus vel ejus quod est inesse est,vel ex ne-
cessitate vel contingere,non est autem ejus quod est
inesse,neque necessarii, manifestum quoniam non
est,nam affirmativus interimitur privativo,et priva-
tivus affirmativo,relinquitur ergo ejus quod contin-
gere esse: hoc autem impossibile. Ostensum est
enim quoniam sic se habentibus terminis,et omni
postremo primum necesse inesse,et nulli contingere
inesse,quare non erit ejus quod est contingere syl-
logismus, nam necessarium uno erat contingens.
Manifestum autem et quoniam cum universales sunt
termini in contingentibus propositionibus, semper
fit syllogismas in prima figura, sive sunt prædica-
tivi, sive privativi. Verum ex prædicativis quidem
B perfectus, ex privativis autem imperfectus. Oportet
autem contingere sumere non in necessariis, sed
secundum dictam definitionem, aliquoties autem
latet hujusmodi.

CAPUT XIV.

De syllogismis ex una absoluta et altera contingente in prima figura.

Si autem hæc quidem inesse,illa vero contingere
sumatur propositionum, quando quæ ad majorem
quidem extremitatem contingere significaverit per-
fecti erunt omnes syllogismi,et contingentis secun-
dum dictam determinationem, quando autem quæ
ad minorem,et imperfecti omnes,et privativi syllo-
gismi,non contingentis secundum dictam determi-
nationem, sed ejus quod est nulli,aut non omni ex
necessitate inesse. Si enim nulli,aut non omni ex
C necessitate contingere dicimus,et nulli,et non omni
inesse. Contingat enim *a* omni *b*, *b* autem omni *c*
ponatur inesse;quoniam igitur sub *b* est *c*,*a* autem
contingit omni *b* manifestum quoniam et *c* omni
contingit *a*,fit ergo perfectus syllogismus.Similiter
autem et cum privativa est *a b* propositio,*b c* autem
affirmativa, et hæc quidem contingere, illa vero
inesse sumetur,perfectus erit syllogismus,quoniam
a contingit nulli *c* inesse.Quoniam ergo inesse po-
sito ad minorem extremitatem, perfecti syllogismi
fiunt,manifestum.Quod autem contrariæ se haben-
tes erunt syllogismi, per impossibile monstrandum
est,simul autem erit manifestum et quoniam imper-
fecti,nam ostensio non ex sumptis propositionibus.
Primum autem dicendum quoniam si cum est *a*, ne-
D cesse est esse *b*,et cum possibile est esse *a* possibile
erit *b* ex necessitate.Sit enim sic se habentibus re-
bus ut in quo quidem *a* possibile, in quo autem *b*
impossibile,si ergo aliud possibile quidem est,cum
possibile esse, ipsum fiet, hoc vero impossibile,
quoniam impossibile,non utique fiet, simul autem
si *a* possibile,et *b* impossibile, continget fieri præ-
ter *b*,si autem fieri et esse. Nam quod fit, quando
factum est, est.Oportet autem accipere non solum
in generatione possibile et impossibile,sed et in ve-
rum esse, et in quod actu est,et quocunque modo
simpliciter aliter dicitur possibile,in omnibus enim
similiter se habebit.Amplius cum est *a*,*b* esse,non

tanquam uno aliquo existente *a*,erit *b*,oportet opinari, nihil enim est ex necessitate uno aliquo existente,sed duobus ad minus,ut quando propositiones sic se habent (ut dictum est) secundum syllogismum, nam sic dicitur de *d*, *d* autem de *e*, et *c* de *e* ex necessitate,et si utrumque possibile,et conclusio erit possibilis. Quemadmodum ergo si quis ponat *a* quidem porpositiones, *b* autem conclusionem,accidet non solum *a* existente necessario,et *b* simul esse necessario,sed etiam necessarium possibile. Hoc autem ostenso manifestum est quoniam falso posito, et non impossibili, et quod accidit propter positionem falsum erit,et non impossibile, ut si *a* falsum quidem est,non tamen impossibile, cum autem sit *a* et *b*, et *b* erit falsum quidem,non tamen impossibile.Nam ostensum est quoniam cum est *a*, est *b*, et cum possibile est *a*,possibile est *b*. Positum autem est *a* possibile esse, et *b* erit possibile,si enim impossibile est *b*,simul idem erit possibile et impossibile.Determinatis autem iis,insit *a* omni *b*,*b* autem contingit omni *c*,necesse est *a* igitur contingere omni *c* inesse. Non enim contingat, *b* autem omni *c* ponatur inesse, hoc autem falsum quidem, non tamen impossibile, si ergo *a* quidem non contingit omni *c*, *b* autem omni *c* insit, *a* non omni *b* contingit.Fit enim syllogismus per tertiam figuram.Sed positum erat omni *c* contingere inesse, necesse est ergo *a* omni *c* contingere. Falso enim posito,et non impossibili,quod accidit est impossibile.Possibile est autem et primam figuram facere impossibile ponentes *b* inesse *c*, nam si *b* omni *c* inest,*a* autem omni *b* contingit,et omni *c* continget *a*,sed positum erat non omni possibile inesse.Oportet autem accipere omni inesse non secundum tempus determinantes, ut nunc, aut in hoc tempore, sed simpliciter (per hujusmodi enim propositiones et syllogismos facimus), quoniam secundum nunc sumpta propositione, non erit syllogismus. Nihil enim fortasse prohibet quandoque et omni moventi hominem inesse,ut si nihil aliud moveatur,movens autem contingit omni equo, sed homo nulli equo contingit. Amplius: sit primum quidem animal, medium vero movens,postremum vero homo, ergo propositiones quidem similiter se habebunt,conclusio vero erit necessaria,non contingens. Ex necessitate enim homo est animal, manifestum igitur quoniam universale sumendum simpliciter, et non tempore determinantes.Rursum : sit privativa propositio universalis *a b*, et sumatur *a* quidem nulli *b* inesse, *b* autem contingat omni *c* inesse.His igitur positis necesse est *a* contingere nulli *c* inesse, non enim contingat,*b* autem ponatur inesse *c* sicut prius, necesse est igitur *a* alicui *b* inesse, fit enim syllogismus per tertiam figuram.Hoc autem impossibile, quare contingit *a*,nulli c.Posito enim falso,et non impossibili, impossibile est quod accidit. Hic ergo syllogismus non est contingentis secundum definitionem, sed nulli inesse ex necessitate. Hæc est contradictio factæ hypothesis. Positum est enim ex necessitate *a* alicui *c* inesse,syllogismus autem per impossibile, oppositæ est contradictionis. Amplius autem et ex terminis manifestum quoniam non erit conclusio contingens, sit enim *a* quidem corvus,in quo autem *b* intelligens, in quo autem *c* homo,nulli ergo *b* inest *a*, nam nullum intelligens, corvus, *b* autem contingit omni *c*, omni enim homini inest intelligere, sed *a* ex necessitate nulli *c*, non igitur conclusio contingens.Sed nec necessaria semper: sit enim *a* quidem movens,*b* autem scientia, in quo autem *c* homo, ergo *a* quidem nulli *b* inerit, *b* autem omni *c* contingit, et non erit conclusio necessaria,non enim necesse est nullum hominem moveri,sed necesse est aliquem.Manifestum igitur quoniam est conclusio ejus quod est nulli ex necessitate inesse. Sumendum autem melius terminos.

Si autem privativum ponatur ad majorem extremitatem contingere significans, ex ipsis quidem sumptis propositionibus, nullus erit syllogismus, conversa autem secundum contingens propositione erit quemadmodum in prioribus.Insit enim *a* omni *b*,*b* autem contingat nulli *c*,sic ergo habentibus terminis, nihil erit necessarium. Si autem convertatur *b c*,et sumatur *b* contingere omni *c*, fiet syllogismus quemadmodum prius,similiter enim habent se termini positione. Eodem autem modo et cum privativa sunt utraque intervalla,si *a b* quidem non inesse, *b c* autem nulli, contingere significat, nam per ea quidem quæ sumpta sunt nullo modo fit necessarium, conversa autem secundum contingens propositione erit syllogismus,sumatur enim *a* quidem,nulli *b* inesse,*b* autem contingere nulli *c*, per hæc quidem nihil necessarium. Si autem sumatur *b* omni *c* contingere, quod verum est, *a b* autem propositio similiter se habeat,rursus erit idem syllogismus. Si autem non inesse ponatur *b* omni *c*, et non contingere non inesse, non erit syllogismus nullo modo, sive privativa sit, sive affirmativa *a b* propositio.Termini autem communes ex necessitate quidem inesse,album, animal, nix. Non contingere autem, album, animal, pix. Manifestum est igitur quoniam cum universales sunt termini,et hæc quidem propositionum inesse,illa vero sumitur contingens, quando quæ ad minorem est extremitatem contingere sumitur propositio, semper fit syllogismus,verumtamen quandoquidem ex ipsis, quando autem propositione conversa, quando vero utrumque horum,et ob quam causam,diximus. Si autem hoc quidem universale,illud vero particulare sumitur intervallorum,quando ad majorem quidem extremitatem universale ponitur, et contingens sive negativum,sive affirmativum,particulare autem affirmativum et inesse,erit syllogismus perfectus,quemadmodum et cum universales sunt termini, demonstratio autem eadem quæ et prius.Quando autem universale quidem fuerit,ad majorem extremitatem inesse,et non contingens,alterum vero particulare,et contingens,sive affirmative,sive negative ponantur utreque, sive hæc quidem negativa, illa vero affirma-

inesse.et in necessariis,et fit,et non fit syllogismus, verumtamen secundum inesse quidem posita privativa propositione,ejus quod est contingere erat syllogismus,secundum necessarium autem privativa,et contingere,et non inesse.Palam autem et quoniam omnes imperfecti syllogismi, et quomodo perficiuntur per prædictas figuras.

CAPUT XVI.

De syllogismis ex ambabus contingentibus in secunda figura.

n secunda autem figura quando contingentes quidem sumuntur utræque propositiones, nullus erit syllogismus, sive sint affirmativæ, sive privativæ, sive universales,sive particulares.Quando autem hæc quidem inesse, illa vero contingere significat,affirmativa quidem inesse significante nunquam erit syllogismus,privativa universali existente,semper.Eodem modo et quando hæc quidem ex necessitate,illa vero contingere assumatur,oportet autem et in his accipere quod in conclusionibus est contingens quem admodum in prioribus.Primum igitur ostendendum quoniam non convertitur in contingenti,privativa, ut si *a* contingit nulli *b*,non necesse est et *b* contingere nulli *a*.Ponatur enim hoc et contingat *b* nulli *a* inesse ergo quoniam convertuntur quæ sunt in eo quo est contingere affirmationes negationibus,et contrariæ, et contrajacentes,*b* autem contingit nulli *a* inesse,manifestum est quoniam et omni *a* contingit *b* inesse.Hoc autem falsum est.Non enim si hoc huic omni contingit,et hoc huic contingat necessarium, quare non convertitur privativa. Amplius autem nihil prohibet *a* quidem contingere nulli *b*,*b* autem alicui *a* ex necessitate non inesse,ut album quidem contingit omni homini non inesse,nam et inesse hominem autem non verum est dicere quoniam contingit nulli albo, pluribus enim ex necessitate non inest,necessarium autem non inerat contingens.Sed nec ex impossibili ostendet convertens,ut si quis putet quoniam falsum est *b* contingere nulli *a* inesse, verum non contingere nulli *a*,affirmatio enim et negatio, si autem hoc verum,ex necessitate alicui *a* inesse *b*,quare et *a* alicui *b* inesse,hoc autem impossibile.Non enim si *a* non contingit nulli *b*,necesse est *a* alicui *b* inesse.Nam non contingere nulli dicitur dupliciter,hoc quidem si ex necessitate alicui inest,illud vera si ex necessitate alicui non inest.Nam quod ex necessitate alicui eorum quæ sunt *a* non inest, non est verum dicere quoniam omni contingit non inesse,quemadmodum nec alicui inest ex necessitate, quoniam omni contingit inesse. Si ergo aliquis putet quoniam contingit *c* omni *d* inesse,ex necessitate alicui non inesse ipsum falsum sumet,omni enim inest,si contingat,sed quoniam quibusdam ex necessitate inest, propter hoc dicimus non omni contingere.

Quare ei quod est contingere omni inesse, et ea quæ est ex necessitate alicui non inesse,similiter autem et ei quæ est contingere nulli.Palam ergo quoniam ad sic continges,et non contingens,ut in principio definivimus,non solum ex necessitate alicui inesse,sed et ex necessitate alicui non inesse sumendum. Hoc autem sumpto,nihil accidit impossibile, quare non fit syllogismus. Manifestum ergo ex iis quæ dicta sunt quoniam non convertitur privativa.Hoc autem ostenso ponatur *a*,*b* quidem contingere nulli, *c* vero omni,per conversionem ergo non erit syllogismus.Dictum est enim quoniam non convertitur hujusmodi propositio.Sed nec per impossibile,nam posito *b* omni *c* contingere inesse, nihil accidit falsum,continget enim *a* et omni et nulli *c* inesse.Omnino autem si est syllogismus,palam quoniam contingens erit,eo quod neutra propositionum sumpta est in eo quod est inesse,et hic vel affirmativus,vel privativus: neutro autem modo possibile est, affirmativo enim posito ostendetur per terminos quoniam non contingit inesse; privativo autem,quoniam conclusio non est contingens, sed necessaria.Sit enim *a* quidem album, *b* autem homo, in quo autem, *c* equus,ergo album *a* contingit huic quidem omni,illi vero nulli inesse, sed *b* neque inesse contingit *c*,neque non inesse.Quoniam igitur inesse non possibile, est manifestum,nullus enim equus homo,sed neque contingere non inesse|necesse est enim nullum equum hominem esse,necessarium autem non erat contingens,non igitur fit syllogismus.Similiter autem ostendetur,et si e converso ponatur privativa,et si utræque affirmative ponantur,vel privative,nam per eosdem terminos erit demonstratio. Et quando hæc quidem universalis, illa vero particularis,vel utræque particulares, vel indefinitæ, aut quolibet modo aliter contingit permutari propositiones, semper enim erit per eosdem terminos demonstratio. Manifestum ergo quoniam utrisque propositionibus secundum contingere positis, nullus fit syllogismus.

CAPUT XVII.

Mixtio absoluti et contingentis in secunda figura.

Si autem altera quidem inesse,altera vero contingere significat, prædicativa quidem inesse posita, privativa vero contingere, nunquam erit syllogismus sive universaliter,sive particulariter sumantur termini,demonstratio autem eadem,et per eosdem terminos.Quando autem affirmativa quidem contingere privativa inesse, erit syllogismus. Sumatur enim *a* *b* quidem nulli inesse,*c* vero omnia contingere,conversa ergo privativa,*b* inest nulli *a*,*a* autem omni *c* contingebat,fit ergo syllogismus,quoniam *b* contingi nulli *c*, per primam figuram. Similiter autem et si ad *c* ponatur privativa. Si autem utræque sint privativæ,significet autem hæc quidem non inesse,illa vero contingere non inesse,per ea quidem quæ sumpta sunt nihil accidit necessarium,conversa autem secundum contingere propositione fit syllogismus, quoniam *b* contingit nulli *c* inesse, quemadmodum in prioribus,erit enim rursum prima figura.Si autem utræque ponantur prædicativæ,non erit syllogismus. Termini quidem inesse sanitas,equus,homo. Eodem autem modo se habebit et in particularibus syllogismis. Quando autem erit affirmativa inesse, sive

ersaliter,sive particulariter sumpta,nullus erit gismus;hoc autem similiter,et per eosdem ter- s demonstratur,quibus et prius.Quando autem ivativa,erit per conversionem, quemadmodum ioribus.Rursum si amboquidem intervalla pri- a sumantur,universaliter autem quod non in- ex ipsis quidem propositionibus non erit neces- m,conversa autem contingenti sicut in priori- erit syllogismus. Si autem inesse quidem si tiva, particulariter quidem sumpta, non eri gismus,neque prædicativa,neque privativa exi- altera propositione.Nec quando utræque po- ir indefinitiæ,vel affirmativæ,vel negativæ,aut ulares;demonstratio autem eadem et per eos- terminos.

CAPUT XVIII.

tio necessari et contingentis in secunda figura.

autem hæc quidem propositionum ex necesri- lla vero contingere significat,privativa quidem saria,erit syllogismus,non solum quoniam con- non inesse,sed et quoniam non inest,affirma- utem non erit.Ponatur autem *a b* quidem nulli ex necessitate, autem omni contingere, con- ergo privativa,et *b* nulli *a* inerit,*a* autem omni ingebat.Fit igitur rursum per primam figuram gismus,quoniam *b* contingit nulli *c* inesse.Simul manifestum quoniam neque inest *b* nulli *c*, ur enim inesse, ergo si *a* nulli *b* contingit, *b*, inest alicui *c*, *a* alicui *c* non contingit, sed ponebatur contingere. Eodem autem modo letur,et si ad *c* ponatur privativum. Rursum. edicativa quidem necessaria,altera autem pri- ,et contingens,et *a b* contingat nulli,*c* autem insit ex necessitate,sic ergo habentibus se ter- ,nullus erit syllogismus,accidit enim *b* ex ne- ate non inesse. Sit enim *a* quidem album, in utem *b*,homo, in quo vero *c*, cygnus, ergo cygno quidem ex necessitate inest, homini contingit nulli,et homo nulli cygno ex neces- .Quoniam igitur ejus quod est contingere non llogismus,manifestum est,nam ex necessitate rat contingens.Sed tamen non necessari,nam sarium aut ex utrisque necessariis, aut ex pri- . necessaria contingebat.Amplius et possibile positis *b* inesse *c*.Nihil enim prohibet *c* quidem esse, *a* autem *b* quidem omni contingere, *c* x necessitate inesse,ut si quidem *c* vigilia, *b* animal,in quo autem *a* motus. Nam vigilanti m ex necessitate inest motus, animali autem contingit,et omne vigilans animal.Manifestum uoniam non ejus quod est non inesse,siquidem habentibus terminis,necesse et inesse,neque oppositarum affirmationum,quare nullus erit ismus. Similiter autem ostendetur, et e con- posita affirmativa.Si autem similis figuræ sint sitiones,cum privativæ sint,semper fit sillo- s,conversa secundum contingere propositione admodum in prioribus. Si sumatur enim *a b* m ex necessitate non inesse,*c* autem contingere

A non inesse conversis autem propositionibus *b* quidem nulli inesse *a*, *a* autem omni *c* contingit, fit igitur prima figura,et si ad *c* ponatur privativum similiter. Si autem prædicativæ ponantur,non erit syllogismus. nam ejus quod est non inesse,aut ejus quod est ex necessita;e non inesse manifestum quoniam non erit, eo quod non sumpta sit privativa propositio,neque in eo quod est inesse,neque in eo quod est ex necessitate inesse,sed neque ejus quod est contingere non inesse,ex necessitate enim sic se habentibus,*b* non inerit *c*, ut si *a* ponatur album, in quo autem *b* cygnus,in quo autem *c* homo,neque oppositarum affirmationum quoniam ostensum est *b* ex necessitate non inesse *c*,non ergo fit syllogismus omnino.Similiter autem se habebit et in particularibus syllogismis.

B Quando autem fuerit privativa,et universalis,et necessaria, semper erit syllogismus, et ejus quod est contingere non ineese,et ejus quod est non inesse, demonstratio autem per conversionem.Quando autem affirmativa nunquam,eodem autem modo ostendetur quo et in universalibus,et per eosdem terminos.Nec quando utræque sumuntur affirmative,nam et hujus eadem demonstratio,quæ et prius.Quando utræque quidem privativæ,universalis autem et necessaris, quæ non inesse significat, per ea quidem quæ sumpta sunt, non erit necessarium, conversa autem secundum contingere propositione,erit syllogismus,quemadmodum in prioribus.Si autem utræquæ indefinitæ,vel particulares sumantur, non erit syllogismus,demonstratio autem eadem,et per eosdem terminos.Manifestum igitur ex prædictis quo-

C niam privativa quidem universalis posita necessaria, semper fit syllogismus, non solum ejus, quod est contingere non inesse,sed et non inesse,affirmativa autem nunquam.Et quoniam eodem modo se habentibus, et in necessariis, et in iis quæ insunt, fit et non fit syllogismus. Palam et quoniam imperfecti omnes sunt syllogismi,et quoniam omnes perficiuntur per prædictas figuras.

CAPUT XIX.

De syllogismis ex ambabus contingentibus in tertia figura.

In postrema autem figura,et utrisque contingentibus, et altera, erit syllogismus. Quando ergo contingere significant propositiones, et conclusio erit contingens.Et quando hæc quidem contingere, illa

D vero inesse,similiter erit syllogismo.Quando autem altera ponitur necessaria,si affirmativa quidem non erit conclusio, neque necessaria, neque inesse. Si autem privativa ejus quod est non inesse erit syllogismus, quemadmodum in prioribus. Sumendum autem et in his similiter, quod est in conclusionibus contingens.Sint ergo primum contingentes,et *a* et b contingant omni *c* inesse,quoniam ergo convertitur affirmativa particulariter,*b* autem omni *c* contingit, et alicui *b* contingit,quare si *a* quidem omni *c* contingit, *c* autem alicui *b*, et *a* alicui *b* contingit, fit enim prima figura.Et si *a* quidem contingit nulli *c* inesse, *b* autem omni *c* contingat, necesse et *a* ali-

cui *b* contingere non inesse,erit enim rursum prima figura per conversionem.Si autem utræque privativæ ponantur,ex his quidem quæ sumpta sunt non erit necessarium, conversis autem propositionibus erit syllogismus,quemadmodum in prioribus.Si enim *a* et *b* contingunt *c* non inesse,si transmutatur contingere non inesse,rursum erit prima figura per conversionem.Si autem hic quidem terminorum est universalis,ille vero particularis,eodem modo se habentibus terminis quo inesse,et erit,et non erit syllogismus.Contingat enim *a* quidem omni *c*,*b* autem alicui *c* inesse,erit ergo rursum prima figura particulari propositione conversa,nam si *a* omni *c*,*c* autem alicui,*b* et *a* alicui *b* contingit.Et si ad *b c* ponatur universale, similiter. Similiter autem et si *a c* quidem privativa sit,*b c* autem affirmativa, erit unum rursum prima figura per conversionem, si autem utræque privativæ ponantur,hæc quidem universaliter,illa vero particulariter,per ea quidem quæ sumpta sunt non erit syllogismus,conversis autem propositionibus erit quemodmodum in prioribus.Quando autem utræque indefinitæ vel particulares sumuntur,non erit syllogismus, etenim necesse est *a* omni *b*,et nulli inesse.Termini inesse,animal, homo album : non inesse, equus, homo, medium album.

CAPUT XX.

Mixtio contingentis et inesse in tertia figura.

Si autem hæc quidem propositionum inesse, illa autem contingere significet, conclusio quidem erit quoniam contingit,et non quoniam inest,syllogismus autem erit eodem modo se habentibus terminis,quo et in prioribus.Sint enim primum prædicativæ,et *a* quidem omni *c* insit,*b* autem omni *c* contingat,conversa ergo *b c* erit prima figura,et conclusio quoniam contingit *a* alicui *b* inesse,cum enim altera propositionum in prima figura significabit contingere et conclusio erit contingens.Similiter autem et si *b c* quidem inesse,*a c* autem contingit inesse.Et si *a c* quidem privativa,*b c* autem prædicativa, insit autem alterutra utrinque,contingens erit conclusio,fit enim rursum prima figura.Ostensum est autem quoniam si altera propositio significet contingere in prima figura et conclusio erit contingens. Si autem contingens privativa ponatur ad minorem extremitatem,vel si utraque ponatur privativa,per ea quidem quæ posita sunt non erit syllogismus conversis autem eritquemadmodum et in prioribus. Si autem hæc quidem propositionum sit universalis,illa vero particularis, utrisque quidem prædicativis,aut universali quidem privativa, particulari autem affirmativa, idem modus erit syllogismorum,omnes enim claudduntur per primam figuram. Quare manifestum quoniam ejus quod est contingere, et non ejus quod est inesse, erit syllogismus.Si autem affirmativa quidem universalis,privativa autem particularis, per impossibile erit demonstratio.Insit enim *b* quidem omni,*c a* autem contingat alicui *c* non inesse,necesse est ergo *a* alicui *b* contingere non inesse,nam si omni *b* inest *a* ex necessitate,*b* autem omni *c* positum est inesse, *a* omni *c* ex necessitate inerit.Hoc autem ostensum est prius, sed positum est alicui contingere non inesse. Quando autem indefinitæ, vel particulares sumuntur utræque non erit syllogismus demonstratio autem eadem quæ et in universis et per eosdem terminos.

CAPUT XXI.

Mixtio necessarii et contingentis in tertia figura.

Si autem est hæc quidem propositionum necessaria illa vero contingens,si prædicativi quidem sunt termini,semper ejus quod est contingere erit syllogismus.Quando autem fuerit hic quidem prædicativus, ille autem privativus,si sit affirmativus quidem necessarius,ejus erit quod est contingere non inesse,si autem privativus, et ejus quod est contingere non inesse,et ejus quod est non inesse; ejus autem quod est ex necessitate non inesse non erit syllogismus, quemadmodum etin aliis figuris.Sint ergo prædicativi termini primum,et *a c* quidem omni insit ex necessitate,*d* autem omni *c* contingat inesse,quoniam ergo *a* omni *c* necessario inest,*c* autem alicui *b* contingit,et *a* alicui *b* contingens erit,et non inerit,sic enim accidit in prima figura.Similiter autem ostendetur,et si *b c* quidem ponatur necessaria,*a c* autem contingens.Rursum sit hoc quidem prædicativum, illud vero privativum,necessarium autem prædicativum,et *a* quidem contingat nulli *c* inesse,*b* autem omni insit ex necessitate *c*,erit ergo rursum prima figura,et conclusio contingens,sed non inesse.Nam privativa propositio contingere significat Manifestum est igitur quoniam conclusio erit contingens; cum enim sic se habebant propositiones in prima figura et conclusio erat contingens.Si autem privativa sit propositio necessaria, et conclusio erit, quoniam contingit alicui non inesse,et quoniam non inesse — Ponatur enim *a* non inesse *c*,ex necessitate,*b* autem omni *c* contingere,conversa ergo *b c* affirmativa,prima erit figura, et necessaria privativa propositio — Cum autem sic se habebant propositiones accidebat et contingere alicui *c* non inesse,et non inesse,quare et *a* necesse est alicui *b* non inesse.Quando autem privativum ponitur ad minorem extremitatem si contingens quidem,erit syllogismus transsumpta propositione,quemadmodum est in prioribus.Si autem necessarium,non erit.Etenim necesse est omni et nulli contingat inesse. Termini omni inesse, somnus, equus,dormiens homo.Nulli inesse,somnus,equus, vigilans homo.Similiter autem se habebit,et si hic quidem terminorum sit universalis ille autem particularis ad medium,nam si utrique sint prædicativi, ejus quod est contingere,et non ejus quod est inesse erit syllogismus. Et quando hoc quidem privativum sumetur illud vero affirmativum necessarium autem affirmativum,hujus quod est contingere.Quando autem privativum necessarium,et conclusio erit quod est non inesse,nam idem modus erit demonstrationis,et cum universales et non universales sunt termini.Necesse est enim per primam figuram perfici syllogismus,quare ut in illis,ut in his necessarium

ro. Quando autem privativum universaliter um ponitur ad minorem extremitatem, si cons quidem, erit syllogismus per conversionem, m necessarium sit, non erit, ostendetur autem modo quo et in universalibus, et per eosdem os. Manifestum ergo et in hac figura quando modo erit syllogismus, et quando ejus quod tingere, et quando ejus quod est inesse. Palam et quoniam omnes imperfecti, et quoniam per ur per primam figuram.

CAPUT XXII.

De syllogismo ostensivo.

niam igitur qui in his figuris sunt syllogismi untur per eos qui in prima figura sunt univerllogismos, et in hos reducuntur, palam ex dicniam autem simpliciter omnis syllogismus sic bit, nunc erit manifestum, cum ostensus fuis qui fit, per aliquam harum figurarum fieri. est ergo omnem demonstrationem et omnem smum aut inesse quid, aut non inesse mon- Et hoc aut universaliter, aut particulariter, is aut ostensive, aut hypothesi. Ejus autem st ex hypothesi, pars est per impossibile. Prirgo dicemus de ostensivis, his enim ostensis, stum erit et de iis qui ad impossibile, et omnis qui ex hypothesi. Si ergo oporteat *a* de *b* syllovel inesse, vel non inesse, necesse est sumere l de aliquo. Si ergo *a* sumatur *b*, quod ex princit sumptum, si autem *a* de *c*, *c* autem de nullo c illud de illo *c*, neque de *a* alterum, neque de *a*, nullus erit syllogismus, nam in eo quod de uno sumitur, nihil accidit ex necessitate, ssumenda est altera propositio. Si igitur su*a* de alio, aut aliud de *a*, aut de *c* alterum, esse a syllogismum nihil prohibet, ad *b* autem non ea quæ sumpta sunt, nec quando *c* inest alteri, l alii, et hoc alteri, non copuletur autem ad *b* erit ad *b* syllogismus ipsius *a*. Omnino enim s quoniam nullus nunquam erit syllogismus e alio, non sumpto aliquo medio, quod ad que se habet quoquo modo prædicationibus. llogismus quidem simpliciter ex propositioest, ad hoc autem syllogismus ex proposis, quæ ad hoc, qui autem est hujus ad hoc, per itiones hujus ad hoc, impossibile est autem ad re propositionem, nihil neque prædicantes eque negantes, aut rursum ejus quod est *a* hil communes sumentes, sed utriusque proædam prædicantes, aut negantes, quare sum, utriusque quod copulet prædicationes, si us ad hoc syllogismus. Ergo si necesse est alisumere ad utrumque commune, hoc autem tripliciter, aut enim *a* de *c* et de *b* prædiaut *c* de utriusque, aut utraque de *c* hæ autem s dictæ figuræ. Manifestum quoniam omnem mum necesse est fieri per aliquam harum fim. Nam eadem ratio est, etsi per plura copu*b*, eadem enim erit figura et in pluribus.

A Quoniam igitur ostensivi terminantur per prædictas figuras, manifestum est.

CAPUT XXIII.

De syllogisma ex hypothesi.

Quoniam autem et qui ad impossibile, palam erit per hæc, omnes enim qui per impossibile concludunt, falsum quidem syllogizant. Quod autem ex principio erat, ex hypothesi demonstrant, quando aliquid accidit impossibile posita contradictione, ut quoniam diameter est asymeter, eoquod fiunt abundentia æqualia perfectis, posito symetro. Ergo æqualia quidem fieri abundantia perfectis syllogizant, asymetrum autem esse diametrum, ex hypothesi, monstrant, quoniam falsum accidit propter contradictionem. Hoc enim fuit per impossibile syllogizare B ostendere aliquid impossibile propter priorem hypothesin. Quare quoniam falsus fit syllogismus ostensivus in his quæ ad impossibile deducuntur, quod autem est ex principio, ex hypothesi monstratur, ostensivos autem diximus prius, quoniam per has terminantur figuras, manifestum quoniam et per impossibile syllogismi per has erunt figuras. Similiter autem et alii omnes qui sunt ex hypothesi, in omnibus his enim syllogismus quidem fit ad transsumptum, quod autem est ex principio, terminatur per confessionem aut per aliquam aliam hypothesin. Si autem hoc verum, necesse est omnem demonstrationem et omnem syllogismum fieri per tres prædictas figuras. Hoc autem ostensos, palam quoniam omnis syllogismus perficitur per primam figuram, et reducitur in hujus universales syllogismos.

CAPUT XXIV.

De qualitate et quantitate terminorum syllogismi.

C Amplius autem in omnibus oportet aliquem terminorum prædicativum esse et universalem, sine universali enim non erit syllogismus, aut non ad hoc quod positum est, aut quod ex principio est petet. Ponatur enim musicam voluptatem esse studiosam, si ergo poposcerit voluptatem esse studiosam, non addens omnem, non erit syllogismus, si autem aliquam voluptatem esse studiosam, si aliam quidem, nihil ad hoc quod positum est, si autem eamdem, quod ex principio erat, sumit. Magis autem fit manifestum in figuris, ut quoniam æquicruris æquales sunt anguli, qui sunt ad basim : sint enim in centrum ductæ *a b*, si ergo æqualem sumpserit *a c* an- D gulum ei qui est *b d*, non omnino petens æquales eos qui sunt semicirculorum, et rursum *c* ei qui est *d*, non omnem assumens eum qui est incisionis. Amplius, ab æqualibus existentibus totis angulis, æqualibus demptis, aquales esse reliquos, scilicet *e f*, quod ex principio est petet, nisi sumat ab omnibus æqualibus, æquis demptis, æqualia relinqui. Manifestum igitur quoniam in omni syllogismo oportet universale esse. Et quoniam universale quidem ex omnibus terminis universalibus monstratur, particulare autem et sic, et aliter. Quare si conclusio sit universalis, et terminos necesse est universales esse, si autem universales sint termini, contingit conclusio-

nem non universalem esse. Palam etiam quoniam in omni syllogismo aut utramque, aut alteram propositionem similem necesse est fieri conclusioni, dico autem non solum in eo quod affirmativa sit, vel negativa, sed in eo quod necessaria aut inesse, aut contingens : considerare autem oportet et alia prædicamenta. Manifestum autem et simpliciter quando erit, et quando non erit syllogismus, et quando perfectus, et quoniam si est syllogismus, necessarium est habere terminos secundum aliquem dictorum modorum.

CAPUT XXV.

De numero terminorum syllogismi.

Palam autem et quoniam omnis demonstratio erit per tres terminos, et non per plures, nisi per alia et alia eadem conclusio fiat, ut *e* per *a b*, et per *c d*, aut per *a b*, et *a c*, et *b c*, plura enim media eorumdem nihil esse prohibet, hæc autem cum sint, non unus, sed plures sunt syllogismi. Aut rursum, quanto utrumque *a b* sumitur per syllogismum, ut *a* per *d e*, et rursum *b* per *f g*, aut hoc quidem inductione, illud autem syllogismo, sed et si plures erunt syllogismi, plures enim conclusiones sunt. ut *a b* et *c*. Si igitur non plures, sed unus (sic autem contingit fieri per plura media eamdem conclusionem, ut *e* quidem per *a b c d*), impossibile. Sit enim *e* conclusio ex *a b c d*, ergo necesse est aliquid eorum, aliud ad aliud sumptum esse, hoc quidem ut totum, illud vero ut pars, hoc enim ostensum est prius, quoniam si est syllogismus, necesse est sic aliquos se habere terminorum. Habeat se ergo *a* sic ad *b*, itaque aliqua ex eis conclusio, aut ergo *e*, aut alterum eorum quæ sunt *c d*, aut alterum aliud quidem præter hæc. Et si *e* quidem, ex *a b* tantum, erit syllogismus, *c d* autem quidem se habeant sic, ut sit hoc quidem ut notum, illud vero ut pars, erit aliquid ex illis aut *e*, aut aliquid eorum quæ sunt *ab*, aut alterum aliud quidem præter hæc. Et si *e* quidem aut eorum quæ sunt *a b* alterum, aut plures erunt syllogismi, aut (ut contingebat) idem per plures terminos concludi accidit, si autem aliud quidem præter hæc, plures erunt et inconjuncti syllogismi ad invicem, si autem non sic se habeat *c* ad *p* ut faciat syllogismum vane erunt sumpta, nisi inductionis, aut celationis, aut alicujus alius talium gratia. Si autem ex *a b* non *e*, sed alia quædam fit conclusio, ex *c d* autem aut horum alterum, aut aliud præter hæc, et plures fiunt syllogismi, et non ejus quod positum est. Ponebatur enim ejus quod est *c* esse syllogismum. Si autem non fiat ex *c d* nulla conclusio, et vane sumpta esse ea accidit, et non ejus quod est ex principio esse syllogismum. Quare manifestum quoniam omnis demonstratio et omnis syllogismus erit per tres terminos solos.

CAPUT XXVI.

De numero propositionum et prosyllogismis.

Hoc autem manifesto, palam quoniam et ex duabus propositionibus, et non pluribus, nam tres termini, duæ sunt propositiones, nisi assumatur aliquid (quemadmodum in prioribus dictum est) ad perfectionem syllogismorum. Manifestum igitur quando, ut in oratione syllogistica, non pares sunt propositiones per quas fit conclusio principalis (quasdam enim superiorem conclusionem necessarium est esse propositiones), hæc oratio aut non syllogistica est, aut plura necessariis interrogavit ad positionem. Secundum igitur principales propositiones sumptis syllogismis, omnis syllogismus erit ex propositionibus quidem perfectis, ex terminis autem abundantibus, uno enim plures termini propositionibus, erunt autem et conclusiones dimidietas propositionum. Quando antem per prosyllogismos concluditur, aut per plura media non continua, ut *a b* per *c d*, multitudo quidem terminorum similiter uno superabit propositiones, aut enim extrinsecus, aut medium ponetur interoidens terminus, utrinque autem accidit uno minus esse intervallo quam terminos, propositiones autem æquales sunt intervallis. Non tamen hæ quidem semper perfectæ erunt, illi vero abundantes, sed permutatim, quia cum propositiones quidem sunt perfectæ, abundantes erunt termini, cum vero termini perfecti, abundantes erunt propositiones simul enim termino addito, una additur propositio, undecunque addatur terminus. Quare quoniam hæ propositiones quidem perfectæ, illi vero abundantes erant, necesse est transmutare eadem additione facta. Conclusiones autem non etiam eum habebunt ordinem neque ad terminos, neque ad propositiones, uno enim termino addito, conclusiones adjungentur uno, pauciores præexistentibus terminis, ad solum enim ultimum non facit conclusionem, ad alios autem omnes. Ut si eis quæ sunt *a b c*, adjacet *d*, statim et conclusiones duæ adjacent. quæ ad *a*, et ad *b*, similiter autem et in aliis. Si autem ad medium intercidat, eodem modo, ad unum enim solum non faciet syllogismum, quare *multo* plures conclusiones erunt et terminis et propositionibus.

CAPUT XXVII.

De problematis, hoc est propositis in unaquaque figura facile et difficile construendis et destruendis.

Quoniam autem habemus ex quibus syllogismi, et quale in unaquaque figura, et quot modis monstratur, manifestum nobis est, et quæ propositio facile, et quæ difficile argumentabilis est. Nam quæ in pluribus figuris et per plures casus concluditur, facilius; quæ autem in paucis et per pauciores, difficilius argumentabilis. Ergo affirmativa quidem universalis per primam tantum figuram monstratur, et per hanc simpliciter. Privativa vero et per primam, et per mediam. Per primam quidem simpliciter, per mediam autem dupliciter. Particularis autem affirmativa per primam et per postremam, simpliciter quidem per primam, tripliciter autem per postremam. Privativa vero particularis in omnibus figuris monstratur, verum in prima quidem semel, in media autem et postrema, in illa quidem dupliciter, in hac vero tripliciter. Manifestum ergo quoniam universa-

tivam construere quidem difficillimum, A
ıtem facillimum,omnino autem est inte-
dem,universalia quam particularia faci-
si nulli,et si alicui non insit interemptum
autem alicui quidem non in omnibus
stratur, nulli autem in duabus. Eodem
o et in privativis, etenim si omni, et si
emptum est quod ex principio. Hoc au-
duabus figuris. In particularibus autem
aut omni,aut nulli ostendentem inesse.
i autem,facilius est particularia,nam in
uris,et per plures modos.Omnino autem
latere quoniam destruere quidem per
est, et universalia per particularia, et
iversalia ; construere autem non est per
universalia,per illa vero hæc est. Nam B
alicui. Simul autem manifestum quo-
ıere quam construere facilius.Quomodo
nis syllogismus,et per quot terminos et
es, et quomodo habentes se ad invicem,
tem quæ propositio in unaquaque figura,
luribus,et quæ in paucioribus monstra-
ex his quæ dicta sunt.

CAPUT XXVIII.

De abundantia propositionum.

autem idonei erimus semper syllogi-
positum, et per quam viam sumemus
quodque principia,nunc dicendum.Non
fortasse oportet generationem conside-
smorum, sed et potestatem habere fa-
nium igitur quæ sunt,hæc qnidem sunt C
ıullo alio prædicentur vere universaliter,
Callias,et quod singulare,et sensibile,
m alia,nam et homo,et animal uterque
Illa vero et ipsa quidem de aliis prædi-
illis autem alia prius non prædicantur,
et ipsa de aliis,et de his alia,ut homo de
homine animal.Quoniam ergo quædam
sunt de nullo nata sunt dici, palam:
lium pene unumquodque est hujusmodi,
prædicetur,nisi,ut secundum accidens,
m quandoque album illud Socratem esse,
ns Calliam. Quoniam autem in sursum
statur quandoque, rursum dicemus.
sit hoc positum,de iis ergo pradicatum
est demonstrare nisi secundum opinio- D
c de aliis,neque singularia de aliis,sed
.Quæ autem in medio sunt,manifestum
rumque contingit,nam et hæc de aliis,et
licuntur, et pene rationes et considera-
maxime de his.Oportet ergo propositio-
ıumquoque horum sic snmere suppo-
ım primum et definitiones,et quæcunque
rei,deinde post hoc quæcunque sequun-
rursum quæ res sequitur,et quæcunque
t ipsi inesse,quibus autem ipsa non con-
ımendum,eo quod convertitur privativa,
autem est, et eorum quæ sequuntur,
in eo quod quid est,et quæcunque ut pro-

pria, et quæcunque ut accidentia prædicantur, et horum quæ secundum opinionem,et quæ secundum veritatem. Quanto enim plurium talium abundaverit quis,citius inveniet conclusionem,quanto autem veriorum,magis demonstrabit. Oportet autem eligere non quæ sequuntur aliquam, sed quæcunque totam rem sequuntur, ut non quod aliquem hominem, sed quod omnem hominem sequitur, per universales enim propositiones fit syllogismus. Cum autem est indefinitum,incertum si universalis est propositio, cum vero definitum, manifestum. Similiter autem eligendum et quæ ipsum sequitur tota, propter dictam causam. Ipsum autem quod sequitur, non est sumendum totum sequi,dico ut hominem omne animal, aut musicam, omnem disciplinam, sed simpliciter solum sequi quemadmodum et prætendimus, etenim inutile alterum et impossibile,ut omnem hominem esse omne animal, vel justitiam omne bonum, sed cui consequens est,in illo omni esse dicitur. Quando autem ab aliquo continetur subjectum, cujus consequentia oportet sumere, quæ universale quidem sequuntur, vel non sequuntur, non eligendum in his, sumpta enim sunt in illis quæcunque animal et hominem sequuntur, et quæcunque non animali insunt,similiter. Quæ autem in unoquoque sunt propria,sumendum: sunt enim quædam speciei propria præter genus,necesse est enim diversis speciebus propria quædam inesse.Neque autem universale eligendum iis quæ sequitur quod continetur, ut animal iis quæ sequitur homo, necesse est enim si hominem sequitur animal,et hæc omnia sequi,convenientiora autem hæc hominis electioni.Sumendum autem et quæ plerumque sequuntur ea quæ consequuntur, nam et problematibus quæ plerumque, et syllogismus ex propositionibus,quæ plerumque aut in omnibus, aut aliquibus, similis enim est uniuscujusque conclusio principiis.Amplius quæ omnibus sequentia sunt,non eligendum,non enim erit syllogismus ex ipsis,ob quam autem causam,in sequentibus erit manifestum.

CAPUT XXIX.

Medii syllogismorum inveniendi regulæ.

autem altera ponatur falsa, prima quidem tota falsa existente, ut *a b*, non erit conclusio vera, *b c* autem erit. Dico autem totam falsam quod contrariam veræ, ut si quod nulli inest, omni sumptum est; aut si quod omni, nulli inesse. Insit enim *a b* nulli, *b* autem omni *c*; si ergo *b c* quidem propositionem sumamus veram, *a b* autem falsam totam, et omni *b* inesse *a*, impossible est *a c* conclusionem veram esse, nulli enim inerat *a* eorum quæ sunt *c*, siquidem cui *b* nulli, *b* autem omni *c*. Similiter autem nec si *a* omni *b* inest, et *b* omni *c*, sumpta sit autem *b c* quidem vera propositio, *a b* autem falsa tota, et nulli cui *b* inest *a*, conclusio falsa erit, omni enim *c* inest *a*, siquidem cui *b* omni *c* et *a*, *b* autem omni *c*. Manifestum ergo quoniam prima tota sumpta falsa, sive affirmativa, sive privativa altera autem vera, non fit vera conclusio. Non tota autem sumpta falsa erit: nam si *a c* quidem omni inest, *b* autem alicui, *b* autem omni *c*, ut animal, cygno quidem omni, albo autem alicui, album autem omni cygno, si sumatur *a* omni *b*, et *b* omni *c*, *a* omni *c* inerit vere, omnis enim cygnus animal. Similiter autem et si privativa sit *a b*: possibile est enim *a b* quidem alicui inesse, *c* vero nulli, *b* autem omni *c*, ut animal alicui albo, nivi vero nulli, album vero omni nivi; si ergo sumatur *a* quidem nulli *b*, *b* autem omni *c*, *a* nulli *c* inerit. Si autem *a b* quidem propositio tota sumatur vera, *b c* autem tota falsa, erit syllogismus verus, nihil enim prohibet *a*, et *b* et *c* omni inesse, *b* autem nulli *c*, ut quæcunque ejusdem generis sunt species non subalternæ, nam animal et homini et equo inest, equus autem nulli homini inest; si ergo sumatur *a* omni *b*, et *b* omni *c*, conclusio vera eri, tota falsa *b c* propositione. Similiter autem cum universalis privativa est *a b* propositio, contingit enim *a* neque *b*, neque *c* nulli inesse, et *b* nulli *c*, ut ex alio genere speciebus diversum genus, nam animal nec musicæ, nec medicinæ inest, neque musica medicinæ. Sumpta ergo *a* quidem nulli *b*, *b* autem omni *c*, vera erit conclusio. Et si non tota falsa sit *b c*, sed in aliquo, etiam sic erit conclusio vera. Nihil enim prohibet *a*, et *b* et *c* toti inesse, *b* autem alicui *c*, ut genus speciei et differentiæ, nam animal homini omni et omni gressibili, homo autem alicui gressibili, et non omni; si ergo *a* omni *b*, et *b* omni *c* sumatur, *a* omni *c* inerit, quod quidem erat verum. Similiter autem cum privativa est *a*, *b* propositio, contingit enim *a* nec *b*, nec *c* nulli inesse, *b* vero alicui *c*, at genus ex alio genere speciei et differentiæ, nam animal nec sapientiæ nulli inest, nec contemplationi, sapientia vero alicui contemplationi; si ergo sumatur *a* nulli *b*, *b* autem omni *c*, nulli *c* inerit *a*, hoc autem erat verum. In particularibus autem syllogismis contingit, prima propositione tota falsa existente, altera autem vera, veram esse conclusionem, et *a b* in aliquo falsa existente, *b c* autem vera, et *a b* quidem vera, particulari autem falsa, et utrisque existentibus falsis. Nihil enim prohibet *a b* quidem nulli A inesse, *c* autem alicui, et *b* alicui *c* inesse, ut animal nulli nivi, albo autem alicui inest, et nix albo alicui. Si ergo ponatur medium nix primum autem animal, et sumatur *a* quidem toti *b* inesse, *b* autem alicui *c*, *a b* tota falsa, *b c* autem vera, et conclusio vera. Similiter autem et cum privativa est *a b* propositio, possibile est enim *a b* quidem toti inesse, *c* autem alicui non inesse, *b* vero alicui *c* inesse, ut animal homini quidem omni inest, album autem aliquod non sequitur, homo vero alicui albo inest; quare si medio posito homine sumatur *a* nulli inesse, et *b* alicui *c*, vera fit conclusio, cum sit tota falsa *a b* proposito. Et si in aliquo sit falsa *a b* propositio, *b c* vera existente, erit conclusio vera. Nihil enim prohibet *a*, et *b*, et *c*, alicui inesse, *b* autem alicui *c*, ut B animal alicui pulchro, et alicui magno, et pulchrum alicui magno inest; si ergo sumatur *a* omni *b*, et *b* alicui *c*, et *a b* quidem propositio in aliquo falsa erit, *b c* autem vera, et conclusio vera. Similiter autem et cum privativa est *a b* propositio, nam iidem erunt termini, et similiter positi ad demonstrationem. Rursum si *a b* quidem vera, *b c* autem falsa, vera erit, conclusio. Nihil enim prohibet *a* quidem toti inesse *b*, *c* autem alicui, et *b* nulli *c* inesse: ut animal cygnus quidem omni, nigro autem alicui, cygnus vero nulli nigro; quare si sumatur *a* omni *b*, et *b* alicui *c*, vera erit conclusio, cum sit falsa *b c*. Similiter autem et privativa sumpta *a b* propositione, possibile enim *a b* quidem nulli, *c* autem alicui non inesse, et *b* nulli *c*, ut genus ex alio genere speciei et C accidenti ejus speciebus, nam animal quidem numero nulli inest, alio vero non alicui, numerus autem nulli albo; si ergo medium ponatur numerus, et sumatur *a* quidem nulli *b*, *b* autem alicui *c*, *a* alicui *c* non inerit, quod fuit verum, cum *a b* quidem si propositio vera, *b c* autem falsa. Et si in aliquo sit falsa *a b*, falsa autem et *b c*, erit conclusio vera. Nihil enim prohibet *a* alicui *b* et alicui *c* inesse utrique, *b* autem nulli *c*, ut si *b* sit contrarium ipsis *c*, et ambo accidentia eidem generi, nam animal alicui albo et alicui nigro inest, album autem nulli nigro inest; si ergo sumatur *a* omni *b*, et *b* alicui *c*, vera erit conclusio. Et privativa quidem sumpta *a b*, similiter. Nam idem termini, et similiter ponentur ad demonstrationem. Et ex utrisque falsis erit conclusio D vera. Possibile est enim *a b* quidem nulli, *c* autem alicui inesse, *b* vero nulli *c*. Ut genus ex alio genere speciei, et accidenti speciebus ejus, animal enim numero quidem nulli, albo vero alicui inest, et numerus nulli albo. Si ergo sumatur *a* omni *b*, et *b* alicui *c*, conclusio quidem vera, propositiones vero ambæ falsæ. Similiter autem et cum privativa est *a b*. Nihil enim prohibet *a b* quidem toti inesse, *c* autem alicui non inesse, et neque *b* nulli *c*, ut animal cygno quidem omni, nigro autem alicui non inest, cygnus vero nulli nigro: quare si sumatur *a* nulli *b*, *b* autem alicui *c* a alicui *c* non inerit; ergo conclusio quidem vera, propositiones autem falsæ.

CAPUT III.

Quod colligatur verum ex falsis in secunda figura.

In media autem figura omnino contingit per falsa verum syllogizare, et utrisque propositionibus totis falsis sumptis, et hac quidem vera, illa tota falsa, utralibet falsa posita, et si utraque in aliquo falsæ, et si hæc quidem simpliciter vera, illa autem in aliquo falsa, et in universalibus, et in particularibus syllogismis. Si enim *a b* quidem nulli inest, *c* autem omni, ut lapidi animal quidem nulli, homini autem omni, si contrariæ ponantur propositiones, et si sumatur *a b* quidem omni, *c* vero nulli, ex falsis totis propositionibus erit vera conclusio. Similiter autem et si *a* inest *b* quidem omni, *c* vero nulli, nam idem erit syllogismus. Rursum si altera quidem tota falsa, altera autem tota vera. Nihil enim prohibet *a* et *b* et *c* omni inesse, *b* autem nulli *c*, ut genus non subalternis speciebus. Nam animal equo omni, et homini inest, et nullus homo equus; si ergo sumatur animal huic quidem omni, illi vero nulli inesse, hæc quidem erit falsa, illa vero tota vero, et conclusio vera, ad quodlibet posito privativo. Et si altera in aliquo falsa, altera autem tota vera, possibile est enim *a b* quidem alicui inesse, *c* autem omni, et *b* nulli *c*, animal albo quidem alicui, corvo autem omni, album vero nulli corvo. Si ergo sumatur *a b* quidem nulli, *c* autem toti inesse, *a b* quidem propositio in aliquo falsa est, *a c* autem tota vera, et conclusio vera, et transposita quidem privativa, similiter. Nam per eosdem terminos demonstratio. Et si affirmativa quidem propositio in aliquo falsa, privativa autem tota vera, nihil enim prohibet *a b* quidem alicui inesse, *c* autem toti non inesse, et *b* nulli *c*, ut animal albo quidem alicui, pici autem nulli, album vero nulli pici : quare si sumatur, *a* toti *b* inesse, *c* autem nulli, *a b* quidem in aliquo falsa, *a c* autem tota vera, et conclusio vera. Et si utræque propositiones in aliquo falsæ, erit conclusio vera, possibile est enim *a*, et *b*, et *c* alicui inesse, *b* autem nulli *c*, ut animal, et albo alicui, et nigro alicui, album vero nulli nigro. Si ergo sumatur *a b* quidem omni, *c* autem nulli, ambæ quidem propositiones in aliquo falsæ, conclusio autem vera; similiter autem transposita privativa per terminos. Manifestum autem et in particularibus syllogismis, nihil enim prohibet *a b* quidem omni, *c* autem alicui inesse, et *c* alicui *b* non inesse, ut animal omni homini, albo autem alicui, homo vero alicui albo non inerit. Si ergo ponatur *a b* quidem nulli inesse, *c* autem alicui inesse, universalis quidem propositio tota falsa, particularis autem vera, et conclusio vera. Similiter autem et affirmativa sumpta *a b*, possibile est enim *a b* quidem nulli, *c* autem alicui non inesse, et *b* alicui *c* non inesse, ut animal nulli inanimato, albo autem alicui, et inanimatum non inerit alicui albo. Si ergo ponatur *a b* quidem omni, *c* vero alicui non inesse, *a b* quidem propositio universalis tota falsa, *a c* autem vera, et conclusio vera. Et universali quidem vera posita, minori autem particulari falsa, nihil enim prohibet *a* nec *b* nec *c* nullum sequi, et *b* alicui *c* non inesse, ut animal nulli numero nec inanimato, et numerus aliquod inanimatum non sequitur. Si ergo ponatur *a b* quidem nulli, *c* autem alicui, et conclusio vera, et universalis proposito vera, particularis autem falsa. Affirmativa autem universali similiter posita, possibile est enim *a* et *b* et *c* toti inesse, *b* autem aliquod *c* non sequi, ut genus speciem et differentiam. Nam animal omnem hominem et totum gressibile sequitur, homo vero non omne gressibile : quare si sumatur *a b* quidem toti inesse, *c* autem alicui non inesse, universalis quidem propositio vera, particularis falsa, conclusio autem vera. Manifestum autem quoniam et utrisque falsis erit conclusio vera, siquidem contingit *a* et *b* et *c* huic quidem omni, illi vero nulli inesse, *b* vero aliquod *c* non sequi, nam sumpto *a b* quidem nulli, *a* autem alicui inesse, propositiones quidem ambæ falsæ, conclusio autem vera. Similiter autem et cum prædicativa fuerit universalis propositio, particularis autem privativa, possibile est enim *a b* quidem nullum, *c* autem omne sequi, et *b* alicui *c* non inesse, ut animal disciplinam quidem nullam, hominem autem omnem sequitur, disciplina vero non omnem hominem. Si ergo sumatur *a b* quidem toti inesse, *c* autem aliquod non sequi, propositiones quidem falsæ, conclusio autem vera.

CAPUT IV.

Quod ex falsis verum identidem colligatur in tertia figura.

Erit autem et in postrema figura per falsas totas, et in aliquo utraque, et altera quidem vera, altera autem falsa, et hæc quidem in aliquo falsa, illa autem tota vera, et e converso, et quotquot modis aliter possibile est transumere propositiones. Nihil enim prohibet nec *a* nec *b* nulli *c* inesse, *a* autem alicui *b* inesse, ut nec homo, nec gressibile, nullum inanimatum sequitur, homo autem alicui gressibili inest; si ergo sumatur *a* et *b* omni *c* inesse, propositiones quidem totæ falsæ, conclusio autem vera. Similiter autem ei cum hæc quidem est privativa, illa vero affirmativa, possibile est enim *b* quidem nulli *c* inesse, *a* autem omni, et *a* alicui *b* non inesse, ut nigrum nulli cygno, animal autem omni, et animal non omni nigro; quare si sumatur *b* quidem omni *c*, *a* vero nulli, *b* alicui *a* non inerit, et conclusio quidem vera, propositiones autem falsæ. Et si in aliquo fuerit utraque falsa, erit conclusio vera, nihil enim prohibet et *a* et *b* alicui *c* inesse, et *a* alicui *b*, ut album et pulchrum alicui animali inest, et album alicui pulchro ; si ergo ponatur *a* et *b* omni *c* inesse, propositiones quidem in aliquo falsæ, conclusio autem vera. Et privativa *a c* posita, similite. ; nihil enim prohibet *a* quidem alicui *c* non inesse, *b* vero alicui inesse, et *a* non omni *b* inesse, ut album alicui animali non inesse. Pulchrum autem alicui inest, et album non omni pulchro : quare si sumatur *a* quidem nulli, *c b* autem omni, utraque

propositiones quidem in aliquo falsæ, conclusio autem vera. Similiter autem et hæc quidem tota falsa, illa vero tota vera sumpta. Possibile est enim *a* et *b* omne *c* sequi, et *a* alicui *b* non inesse, ut animal et album omne cygnum sequitur, et animal non omni inest albo ; positis igitur his terminis, si sumatur *b* quidem toti *c* inesse, *a* vero toti non inesse, *b c* quidem tota erit vera, *a c* autem tota falsa, et conclusio vera. Similiter autem et si *b c* quidem falsa, *a c* autem vera, nam hi quidem termini ad demonstrationem, nigrum, animatum, cygnus. Sed et si utræque assumantur affirmare, nihil enim prohibet *b* quidem omne *c* sequi, *a* autem toti *c* non inesse, et *a* alicui *b* inesse, ut omni cygno animal, nigrum vero nulli cygno, et nigrum inest alicui animali : quare si sumatur *a* et *b* omni *c* inesse, *b c* quidem tota vera, *a c* autem tota falsa, et conclusio vera. Similiter autem et *a c* sumpta vera, nam per eosdem terminos demonstratio. Rursum hac quidem tota vera existente, illa vero in aliquo falsa, possibile est enim *b* quidem omni *c* inesse, *a* autem alicui *c* et alicui *b*, ut bipes quidem omni homini, pulchrum non omni, et pulchrum alicui bipedi inest. Si ergo sumatur *a* et *b* toti *c* inesse, *b c* quidem tota vera, *a c* autem in aliquo falsa, conclusio autem vera. Similiter autem et *a c* quidem vera, *b c* autem falsa in aliquo sumpta, transpositis enim eisdem terminis erit demonstratio. Et cum hæc quidem est privativa, illa vero affirmativa, quoniam possibile est *b* quidem toti *c* inesse, *a* autem alicui *c*, et quando sic se habeant, non omni *b* inesse *a*. Si ergo assumatur *b* quidem toti *c* inesse, *a* autem nulli, privativa quidem aliquo falsa, altera autem tota vera, et conclusio erit vera. Rursum quoniam ostensum est quod cum *a* quidem nulli *c* inest, et *b* alicui, evenit *a* alicui *b* non inesse, manifestum igitur quoniam et cum *a c* tota est vera, *b c* autem in aliquo falsa, contingit conclusionem esse veram : si enim sumatur *a* quidem nulli *c*, *b* autem omni, *a e* quidem tota vera, *b c* autem in aliquo falsa. Manifestum autem et in particularibus syllogismis quoniam omnino per falsa erit verum, non iidem termini sumendi, et quando universales fuerint propositiones, in prædicativis quidem prædicativi, in privativis autem privativi ; nihil enim differt, cum nulli inerat, universaliter sumere inesse, et si alicui inerat, universaliter sumere ad terminorum positionem ; similiter autem et in privativis. Manifestum igitur quod quando sit conclusio falsa, necesse est ea ex quibus est oratio falsa esse, aut omnia, aut aliqua ; quando autem vera, non necesse est verum esse nec aliquod quidem, nec omne.

Sed est cum nullum sit verum eorum quæ sunt in syllogismis, et conclusionem similiter esse veram, non tamen ex necessitate. Causa autem quoniam cum duo sic se habent ad invicem, ut cum alterum sit, ex necessitate esse alterum, hoc cum non sit quidem, nec alterum erit ; cum autem sit, non necesse est esse alterum ; idem autem cum sit, et non sit, impossibile ex necessitate esse idem. Dico autem, cum sit *a* album, *b* esse magnum ex necessitate, et cum non sit *a* album, *b* esse magnum ex necessitate ; quando enim cum hoc sit (ut *a*) album, illud necesse est (ut *b*) esse magnum, cum autem sit *b* magnum, *c* non esse album, necesse est, si *a* sit album, *c* non esse album. Et quando duobus existentibus, cum alterum sit, necesse est alterum esse, hoc autem cum non sit, necesse est *a* non esse, cum ergo *b* non sit magnum, *a* non potest album esse, cum vero *a* non sit album, necesse est *b* magnum esse, accidit ex necessitate cum *b* magnum non sit, idem *b* esse magnum : hoc autem impossibile, nam si *b* non est magnum, *a* non erit album ex necessitate; si ergo cum non sit *a* album, b erit magnum, accidit, si *b* non est magnum, *b* esse magnum, ut per tria.

CAPUT V.

De circulari ostensione in prima figura.

Circulo autem, et ex se invicem ostendere est per conclusionem, et e converso prædicationem alteram sumentem propositionem concludere reliquam, quam sumpserat in altero syllogismo, ut si oportuit ostendere quoniam *a* inest omni *c*, ostendat autem per *c*, rursus si monstret quoniam *a* inest *b*, sumens *a* quidem inesse *c*, *c* autem *b*, et *a* inerit *b*, prius autem e converso sumpsit *b* inesse *c*, aut si quoniam *b* inest *c*, oportert ostendere si sumat *a* de *c*, quæ fuit conclusio, *b* autem de *a* esse, prius autem sumptum est e converso *a* de *b*. Aliter vero non est ex se invicem ostendere, sive enim aliud medium sumetur, non circulo, nil enim sumitur eorumdem, sive horum quiddam, necesse est alterum solum, nam si ambo, eadem erit conclusio, at oportet diversam esse. In iis igitur quæ non convertuntur ex indemonstrata altera propositione fit syllogismus, non enim est demonstrare per hos terminos, quoniam medio inest tertium, aut primo medium. In iis autem quæ convertuntur, erit omnia monstrare per se invicem, ut si *a*, et *b*, et *c* convertuntur sibi invicem : ostendatur enim *a c* per medium *b*, et rursum *a b* per conclusionem, et per *b c* propositionem conversam; similiter autem et *b c*, et per conclusionem, et per *a b* propositionem conversam ; oportet autem et *c b*, et *b a* propositionem demonstrare, nam his demonstratis usi sumus solis. Si ergo sumatur *b* omni *c* inesse, et *c* omnia *a*, syllogismus erit ejus quod est *b* ad *a*. Rursus si sumatur *c* omni *a* inesse, et *a* omni *b*, necesse est *c* inesse omni *b*. In utrisque ergo syllogismis *c a* propositio sumpta est indemonstrata, nam aliæ probatæ erant : quare si hanc ostenderimus, omnes erunt approbatæ per se invicem ; si ergo sumatur *c* omni *b*, et *b* omni *a* inesse, utræque propositiones demonstratæ sumuntur, et *c* necesse est inesse *a*. Manifestum est ergo quoniam in solis iis quæ convertuntur, circulo et per se invicem contingit fieri demonstrationes, in aliis vero quemadmodum prius diximus. Accidit autem et in iis eodem quod monstratur uti ad demonstrationem, nam *c* de *b*, et *b* de *a* monstratur sumpto *c* de *a* dici, *c* autem de *a* per has ostenditur propositiones; quare conclu-

sione utimur ad demonstrationem. In privativis autem syllogismis hoc modo monstratur ex se invicem : sit *b* quidem omni *c* inesse, *a* autem nulli *b*, conclusio autem quoniam *a* nulli *c*. Si ergo rursum oporteat concludere quoniam *a* nulli *b*, quod prius sumptum erat, erit *a* quidem nulli *c*, *c* autem omni *b*, sic enim e converso propositio. Si autem quoniam *b* inest *c*, oporteat concludere, non jam similiter convertendum *a b*, nam eadem propositio est *b* nulli *a*, et *a* nulli *b* inesse, sed sumendum, cui *a* nulli inest, huic *b* omni inesse. Sit enim *a* nulli *c* inesse, quod quidem fuit conclusio, cui autem *a* nulli *b*, si sumatur omni inesse, necesse est ergo *b* omni *c* inesse : quare cum sint tria, unumquodque conclusio est facta, et circulo demonstrare, hoc est conclusionem sumentem et e converso alteram propositionem, reliquam syllogizare. In particularibus autem syllogismis universalem quidem propositionem non est demonstrare per alias, particularem autem est; quoniam autem non est demonstrare universalem, manifestum, nam universale monstratur per universalia, conclusio autem non est universalis, oportet autem ostendere ex conclusione et altera propositione. Amplius, omnino non fit syllogismus conversa propositione, nam particulares fiunt utræque propositiones. Particulare autem est ostendatur enim *a* de aliquo *c* per *b*, si ergo sumatur *b* omni *a*, et conclusio maneat, *b* alicui *c* inerit, fit enim prima figura, et est *a* medium. Si autem fit privativus syllogismus, universalem quidem propositionem non est ostendere, propter hoc quod prius dictum est, particularem (si simpliciter convertatur *a b* quemadmodum et in universalibus) non est, per assumptionem autem est, ut cui *a* alicui non insit, *b* alicui inesse ; nam aliter se habentibus non fit syllogismus, eo quod negativa est particularis propositio.

CAPUT VI.

De eadem cyclica ostensione in secunda figura.

In secunda autem figura affirmativam quidem non est ostendere per hunc modum, privativam autem est ; ergo prædicativa quidem non ostenditur, eo quod non sunt utræque propositiones affirmativæ, nam conclusio privativa, prædicativa autem ex utrisque ostendebatur affirmativis. Privativa autem sic ostenditur : insit enim *a* omni *b*, *c* autem nulli, conclusia quoniam *b* nulli *c*, si ergo sumatur *b* omni *a* inesse, et nulli *c*, necesse est *a* nulli *c* inesse, fit enim secunda figura, medium *b*. Si autem *a b* privativa sumpta sit, altera vero prædicativa, prima erit figura, nam *c* quidem omni *a*, *b* autem nulli c, quare *b* nulli *a*, ergo nec *a b*, medium *c* ; ergo per conclusionem quidem et unam propositionem non fit syllogismus, assumpta autem altera erit. Si autem non universalis sit syllogismus, quæ in toto quidem est propositio non ostenditur, propter eamdem causam quam quidem diximus et prius, quæ autem in parte, ostenditur quando universalis sit prædicativa. Insit enim *a* omni *b*, *c* autem non omni, conclusio *b c*; A si ergo sumatur *b* omni *a*, *c* autem non omni, conclusio *a* alicui *c* non inerit medium *b*. Si autem est universalis privativa, non ostenditur *a* propositio, conversa *a b*, accidit enim utrasque aut alteram propositionem fieri negativam : quare non erit syllogismus ; sed similiter ostendetur quemadmodum et universalibus, si sumatur, cui *b* alicui non inest *a* alicui inesse.

CAPUT VII.

De cyclica ratiocinatione in tertia figura.

In tertia autem figura, quando utræque propositiones universaliter sumentur, non contingit ostendere per se invicem propositionem. Nam universalis quidem ostenditur per universalia, in hac autem conclusio semper est particularis : quare manifestum quoniam omnino non contingit ostendere per hanc B figuram universalem propositionem. Si autem hæc quidem universalis sit, illa vero particularis, quandoque quidem erit, quandoque vero non inerit ; quando ergo utræque prædicativæ sumantur, et universalis sit ad minorem extremitatem, erit ; quando vero ad alteram, non erit. Insit enim *a* omni *c*, *b* autem alicui *c*, conclusio *a b*. Si ergo sumatur *c* omni *a* inesse conversa universali, et *a* inesse *b*, quod erat conclusio, *c* quidem ostensum est alicui *b* inesse, *b* autem alicui *c*, non est ostensum, quamvis necesse est si *c* alicui *b*, et *b* alicui *c* inesse ; sed non idem est hoc illi, et illud huic inesse, sed assumendum est, si hoc alicui illi, et alterum alicui huic, hoc autem sumpto jam non sit ex conclusione et altera propositione syllogismus. C Si autem *b* quidem omni *c*, *a* autem alicui *c*, erit ostendere *a c*, quando sumatur *c* quidem omni *b* inesse, *a* autem alicui ; nam sic omni *b* inest, *a* autem alicui *b*, necesse est *a* alicui *c* inesse, medium *b*. Et cum fuerit hæc prædicativa quidem, illa vero privativa, universalis autem prædicativa, ostendetur altera. Insit enim *b* omni *c*, *a* autem alicui non insit, conclusio quoniam *a* alicui *b* non inest. Si ergo assumatur *c b* omni inesse, inerat autem et *a* non omni *b*, necesse est *a* alicui *c* non inesse medium *b*. Cum autem privativa universalis sit, non ostenditur altera nisi sicut in prioribus, si sumatur cui hoc alicui non inest, alterum alicui inesse, ut si *a* nulli *c*, *b* autem alicui, conclusio quoniam *a* alicui *b* non inest. Si ergo sumatur cui *a* alicui non inest, eidem D *c* alicui inesse, necesse est *c* alicui *b* inesse, aliter autem non est convertentem universalem propositionem ostendere alteram, nullo enim modo erit syllogismus. Manifestum igitur quoniam in prima quidem figura per se invicem est ostensio, et per primam, et per tertiam figuram fit : nam cum prædicativa quidem est conclusio, per primam, cum autem privativa, per postremam, sumitur enim cui hoc nulli, alterum omni, inesse. In media autem, cum universalis est quidem syllogismus et per ipsam, et per primam figuram, et per postremam ; cum autem particularis, et per ipsam, et per postremam. In tertia vero per ipsam, omnes. Manifestum etiam

quoniam in media et in tertia qui non per ipsas A fiunt syllogismus, aut non sunt secundum eam quæ circulo est ostensionem, aut imperfecti sunt.

CAPUT VIII.

De syllogismo conversivo.

Convertere autem est transponentem conclusionem facere syllogismum, quoniam vel extremum medio non inerit, vel hoc postremo; necesse est enim conclusione conversa, et altera remanente propositione, interimi reliquam; nam si erit, et conclusio erit: differt autem opposite aut contrarie convertere conclusionem, non enim fit idem syllogismus utrolibet conversa; palam autem hoc erit per sequentia. Dico autem opponi quidem omni inesse non omni, et alicui nulli, contrarie autem omni nulli, et alicui non alicui inesse. Sit enim ostensum *a* de *c* per me B dium *b*; si igitur sumatur *a* nulli *c* inesse, omni autem *b*, nulli *c* inerit *b*, et si *a* quidem nulli *c*, *b* autem omni *c*, *a* non omni *b*, et non omnino nulli, non enim ostendebatur universale per tertiam figuram. Omnino autem eam quæ est ad majorem extremitatem propositionem non est detruere universaliter per conversionem, semper enim interimitur per tertiam figuram, necesse enim ad postremam extremitatem utrasque sumere propositiones. Et si privativus sit syllogismus similiter: ostendatur enim *a* nulli *c* inesse per *b*, ergo si sumatur *a* omni *c* inesse, nulli autem *b*, nulli *c* inerit *b*. Et si *a* et *b* omni *c*, *a* alicui *b*, sed nulli inerat. Si autem opposite convertatur conclusio, et alii syllogismi oppositi, et non universales erunt, fit enim altera propositio particularis, quare conclusio erit particularis. Sit enim C prædicativus syllogismus, et convertatur sic, ergo si *a* non omni *c*, *b* autem omni *b*, non omni *c*. Et si *a* quidem non omni *c*, *b* autem omni *a*, non omni *b*. Similiter autem et si privativus sit syllogismus, nam si *a* alicui *c* inest, *b* autem nulli, *b* alicui *c* non inerit, et non simpliciter nulli, et si *a* quidem alicui *c*, *b* autem omni, quemadmodum in principio sumptum est, *a* alicui *b* inerit. In particularibus autem syllogismis quando opposite convertitur conclusio, interimuntur utræque propositiones, quando vero contrariæ, neutra; non enim jam accidit quemadmodum in universalibus interimere deficiente conclusione secundum conversionem, sed nec omnino interimere. Ostendatur enim *a* de aliquo *c* per *b*; ergo si sumatur *a* nulli *c* inesse, *b* autem alicui *c*, *a* alicui *b* non D inerit, et si *a* nulli *c*, *b* autem omni, nulli *c* inerit *b*; quare interimentur utræque. Si autem contrarie convertantur, neutra; nam si *a* alicui *c* non inest, *b* autem omni, *b* alicui *c* non inerit, sed nondum interimitur quod ex principio, contingit enim alicui inesse, et alicui non inesse: universali autem sublato *a* b, omnino non fit syllogismus. Si enim a quidem alicui *c* non inest, *b* autem alicui inest, neutra propositionum universalis est. Similiter autem et si privativus sit syllogismus, si enim sumatur *a* omni *c* inesse, interimuntur utræque; si autem alicui, neutra; demonstratio autem eadem.

CAPUT IX.

De syllogismo conversivo in secunda figura.

In secunda autem figura, eam quidem quæ est ad majorem extremitatem propositionem, non est interimere contrarie, quolibet modo conversione facta, semper erit conclusio in tertia figura, universalis autem non fuit in hac syllogismus, alteram autem in hac interimemus, similiter conversione. Dico autem similiter: si contrarie quidem convertitur, contrarie; si opposite, opposite. Insit enim *a* omni *b*, *c* autem nulli, conclusio *b c*. Si erga sumatur *b* omni *c* inesse et *a b* maneat, *a* omni *c* inerit, fit enim prima figura. Si autem *b* omni *c*, *a* autem nulli *c*, *a* non omni *b*, figura postrema. Si autem opposite convertatur *b c*, *a b* quidem similiter ostendetur, *a c* autem opposite: nam si *b* alicui *c*, *a* autem nulli *c*, *a* alicui *b* non ineB rit; rursum si *b* alicui *c*, *a* autem omni *b*, *a* alicui *c*, quare oppositus fit syllogismus. Similiter autem ostendetur et si e converso se habeant propositiones. Si autem particularis est syllogismus, contrarie quidem conversa conclusione neutra propositionum interimitur, quemadmodum nec in prima figura, opposite autem, utræque. Ponatur enim *a b* quidem nulli inesse, *c* autem alicui, conclusio *b c*. Si igitur ponatur *b* alicui *c* inesse, et *a b* maneat conclusio erit quoniam *a* alicui *c* non inest, sed non interimitur quod ex principio, contingit enim alicui inesse et non inesse. Rursum si *b* alicui *c*, et *a* alicui *c*, non erit syllogismus, neutrum enim universale eorum quæ sumpta sunt, quare non interimitur *a b*. Si autem opposite convertatur, interimuntur utræque, non si C *b* omni *c*, *a* autem nulli *b*, nulli *c*, *a* erit autem alicui. Rursum si *b* omni *c*, *a* autem alicui *c*, alicui *b*, *a**. Eadem autem demonstratio et si universalis sit prædictiva.

CAPUT X.

De syllogismo conversivo in tertia figura.

In tertia vero figura quando contrarie quidem convertitur conclusio, neutra propositionem interimitur secundum nullum syllogismorum; quando autem opposite, utræque in omnibus. Si enim ostensum *a* alicui *b* inesse, medium autem sumptum *c*, et sint universales propositiones, si ergo sumatur *a* alicui *b* non inesse, *b* autem omni *c*, non fit syllogismus ejus quod est *a* de *c*. Neque si *a b* alicui non inest, *c* autem omni, non erit ejus quod est *b c* syllogismus. Similiter autem ostendetur et si non universales sint proD positiones, aut enim utrasque necesse est particulares esse per conversionem, aut universalem ad minorem extremitatem fieri, sic autem non fiet syllogismus, nec in prima figura, nec in media. Si autem opposite convertantur propositiones, interimuntur utræque, nam si *a* nulli *b*, *b* autem omni *c*, *a* nulli *c*. Rursum si *a b* quidem nulli, *c* autem omni, *b* nulli *c*. Et si altera non sit universalis, similiter: si enim *a* nulli *b*, *b* autem alicui *c*, *a* alicui *c* non inerit. Si autem *a* quidem nulli, *c* autem omni, nulli *c*, *b*. Similiter et si privativus sit syllogismus; ostendatur enim *a* alicui *b* non inesse; si autem prædicativa qui-

* Hic locus aliquo gravi mendo laborat.

dem *b c*, *a c* autem negativa, sic enim fiebat syllogismus. Quando igitur contrarium sumitur conclusioni non erit syllogismus, nam si *a* alicui *b*, *b* autem omni *c*, non fit syllogismus ejus quod est *a* et *c*. Neque si *a* alicui *b*, nulli autem *c*, non fuit ejus quod est *a b* et *c* syllogismus, quare non interimuntur propositiones. Quando vero oppositum, interimuntur ; nam si *a* omni, *b*, et omni *c*, *a* omni *c*, sed nulli inerat. Rursum si *a* omni *b*, nulli autem *c*, *b* nulli *c*, sed omni inerat. Similiter autem monstratur, et si non universales sint propositiones : sit enim *a c* universalis et privativa, altera autem particularis et in prædicativa ergo si *a* quidem omni *b*, *b* autem alicui *c*, *a* alicui *c* accidit, sed nulli inerat. Rursum si *a* omni *b* nulli autem *c* et *b* nulli *c*. Si autem *a* alicui *b*, et *b* alicui *c*, non fit syllogismus. Neque si *a* alicui *b*. et nulli *c*, nec sic. Quare illo quidem modo interimuntur, sic autem non interimuntur propositiones. Manifestum est ergo ex iis quæ dicta sunt quomodo conversa conclusione in unaquaque figura fit syllogismus, et quando contrarie propositioni, et quando opposite : et quoniam in prima quidem figura per mediam et postremam fiunt syllogismi, et quæ quidem ad minorem extremitatem semper per mediam interimitur, quæ vero ad majorem per postremam ; in secunda autem, per primam et postremam, quæ quidem ad minorem extremitatem semper per primam figuram quæ vero ad majorem, per postremam ; in tertia vero, per primam et per mediam, et quæ quidem ad majorem per primam semper, quæ vero ad minorem per mediam semper. Quid ergo est convertere, et quomodo in unaquaque figura, et quis fit syllogismus manifestum.

CAPUT XI.

De syllogismo per impossibile.

Per impossibile autem syllogismus ostenditur quidem, quando contradictio ponitur conclusionis, et assumitur altera propositio. Fit autem in omnibus figuris, simile enim est conversioni. Verumtamen differt in tantum quoniam convertitur quidem facto syllogismo, et sumptis utriusque propositionibus. Deducitur autem ad impossibile non confesso opposito prius, sed manifesto quoniam est verum. Termini vero similiter se habent in utriusque, et eadem sumptio utrorumque, ut si *a* inest omni *b*, medium autem *c*, si supponitur *a* non omni vel nulli *b* inesse, *c* vero omni, quod fuit verum, necese est *c b* aut nulli aut non omni inesse, hoc autem impossibile, quare falsum est quod suppositum est. Verum ergo oppositum; similiter autem in aliis figuris, quæcunque enim conversionem suscipiunt, et per impossibile syllogismum. Ergo alia quidem posita omnia ostenduntur per impossibile in omnibus figuris, universale autem prædicativum in media et in tertia monstratur, in prima autem non monstratur : supponatur enim *a* non omni *b* aut nulli inesse, et assumatur alia propositio, utrolibet modo, sive *a* omni inest *c*, sive *b* omni *d* (sic enim erat prima figura) ; si ergo supponatur *a* non omni *b* inesse, non fiet syllogismus quomodolibet sumpta propositiones. Si autem nulli *b d*, quidem assumatur, syllogismus quidem erit falsi, non ostenditur autem propositum ; nam si *a* nulli *b*, *b* autem omni *d*, *a* nulli *d*, hoc autem sit impossibile, falsum igitur est nulli *b* inesse *a*, sed non si nulli falsum, omni verum. Si autem *c a* assumatur, non fit syllogismus, nec quando supponitur non omni *b* inesse *a*; quare manifestum quoniam omni inesse non ostenditur in prima figura per impossibile. Alicui autem, et nulli, et non omni osienditur. Supponatur enim *a* nulli *b* inesse, *b* autem sumptum si omni aut alicui *c* ergo necesse est *a* nulli aut non omni *c* inesse, hoc autem impossibile. Sit enim verum et manifestum quoniam omni *c* inest *a*, quare si hoc falsum, necesse est *a* alicui *b* inesse. Si autem ad *a* sumatur altera propositio, non erit syllogismus, neque quando sub contrarium conclusioni supponitur ut alicui non inesse; manifestum ergo quoniam oppositum sumendum est. Rursum supponatur *a* alicui *b* inesse, sumptum autem sit *c* omni *a*, necesse est igitur *c* alicui *b* inesse, hoc autem sit impossibile, quare falsum quidem suppositum est; si autem sic, verum est nulli inesse Similiter autem et si privativa sumpta sit *c a*. Si autem ad *b* sumpta sit propositio, non erit syllogismus. Si autem contrarium supponatur, syllogismus erit et impossibile, non tamen ostenditur quod est propositum : supponatur enim *o* omni *b*, et *c* sumptum sit omni *a*, ergo necesse est *c* omni *b* inesse : hoc autem impossibile, quare falsum est omni *b* inesse *a*, sed nondum erit necessarium, si non omni, nulli inesse. Similiter autem et si *a d b* sumatur altera proposito : nam syllogismus quidem erit et impossibile, non interimitur autem hypothesis, quare oppositum supponendum. Ad ostendendum autem non omni *b* inesse *a*, supponendum omni inesse, nam si *a* omni *b*, et *c* omni *a*, omni *b* inerit *c* : si ergo hoc impossibile, falsum quod suppositum est ; similiter autem et si ad *b* sumpta sit altera propositio. Et si privativa sit *c a*, similiter, nam et sic fit syllogismus. Si autem ad *b* sumpta sit privativa, nihil ostenditur. Si autem non omni, sed alicui inesse supponatur, non ostenditur quoniam non omni, sed quoniam nulli : si enim *a* alicui *b*, *c* autem omni *a*, alicui *b* inerit *c* ; si ergo hoc impossibile, falsum est alicui *b* inesse *a*, quare verum nulli ; hoc autem ostenso, interimitur verum, nam *a* alicui quidem *b* inerat, alicui vero non inerat. Amplius autem non tam propter hypothesin accidit impossibile, falsa enim erit, siquidem ex veris non est falsum syllogizare: nunc autem est vera, inest enim *a* alicui *b*, quare non supponendum alicui inesse, sed omni. Similiter autem et si alicui *b* non inest *a*, ostenderemus : si enim idem est alicui non inesse, et non omni inesse, eadem in utrisque demonstratio. Manifestum ergo quoniam non contrarium, sed oppositum supponendum in omnibus syllogismis, sic enim necessarium erit et axioma probabile ; nam si de omni vel affirmatio vel negatio, ostenso quoniam non negatio, necesse est affirmationem veram esse; rursum si non ponant veram esse affirmationem, constat veram esse negationem ; contrariam vero

neutro modo contingit ratum facere. Neque enim necessarium, si nulli falsum, omni verum, neque probabile ut sit alterum falsum, quoniam alterum verum. Manifestum ergo quoniam in prima figura alia quidem proposita omnia ostenduntur per impossibile, universale autem affirmativum non ostenditur.

CAPUT XII.

De syllogismo per impossibile in secunda figura.

In media autem figura et postrema et hoc ostenditur. Ponatur enim *a* non omni *b* inesse, sumptum sit autem omni *c* inesse *a*; ergo si *b* quidem non omni inest *a*, *c* autem omni, non omni *b* inest *c*, hoc autem impossibile. Sit enim manifestum quoniam omni *b* inest *c*, quare falsum quod suppositum est, verum est ergo omni inesse. Si autem contrarium supponatur, syllogismus quidem erit ad impossibile, non tamen ostenditur quod propositum est. Si enim *a* nulli *b*, omni autem *c*, nulli *b*, *c*, hoc autem impossibile, quare falsum est, nulli inesse, sed non si hoc falsum, verum omni. Quando autem alicui *b* inest *a*, supponatur *a* nulli *b* inesse, *c* autem omni insit, necesse est ergo *c* nulli *b* inesse, quare si hoc impossibile, necesse est *a* alicui *b* inesse. Si autem supponatur alicui non esse, eadem erunt quæ in prima figura. Rursum supponatur *a* alicui *b* inesse, *c* autem nulli insit necesse est igitur *c* alicui *b* non inesse : sed omni inerat, quare falsum quod suppositum est, nulli ergo *b* inerat *a*. Quando autem non omni *b* inest *a*, supponatur omni inesse : *c* autem nulli, necesse est ergo *c* nulli *b* inesse, hoc autem impossibile, quare verum est non omni inesse. Manifestum ergo quoniam omnes syllogismi fiunt per mediam figuram.

CAPUT XIII.

De ostensione per impossibile in tertia figura.

Similiter autem et per ultimam. Ponatur enim *a* alicui *b* non inesse, *c* autem omni *b*, ergo *a* alicui *c* non inerit; si ergo hoc impossibile, falsum alicui non nesse, quare verum est omni. Si vero supponatur nulli inesse, syllogismus quidem erit, et impossibile, non ostendit autem quod propositum est; si enim contrarium supponatur, eadem erunt quæ in prioribus. Sed ad ostendendum alicui inesse, eadem sumenda est hypothesis, nam si *a* nulli *b*, *c* autem alicui *b*, *a* non omni *c*: si ergo hoc falsum, verum est *a* alicui *b* inesse. Quando autem nulli *b* inest *a*, supponatur alicui inesse, sumptum sit autem et *c* omni *b* inesse ergo, necesse est *a* alicui *c* inesse; sed nulli inerat, quare falsum est alicui *b* inesse *a*. Si autem supponatur omni *b* inesse *a*, non ostenditur propositum : sed ad ostendendum non omni inesse, eadem sumenda hypothesis, nam si *a* omni *b*, et *c* alicui *b*, *a* inest alicui *c* ; hoc autem non fuit, quare falsum est omni inesse, si autem sic, verum non omni. Si autem supponatur alicui inesse, eadem erunt quæ et in iis quæ prius dicta sunt. Manifestum ergo quoniam in omnibus per impossibile syllogismis oppositum supponendum. Palam autem et quoniam in media figura ostenditur quodammodo affirmativum, et in postrema universale.

CAPUT XIV.

Quo justa, et quæ ad impossibile ducit demonstratio, differant.

Differt autem quæ ad impossibile demonstratio ab ea quæ est ostensiva, eo quod ponat quod vult interimere, deducens ad confessum falsum, ostensiva autem incipit a confessis positionibus veris. Sumunt ergo utræque duas propositiones confessas, sed hæc quidem ex quibus est syllogismus, illa vero unam quidem harum, alteram vero contradictionem conclusionis. Et hinc quidem non necesse est notam esse conclusionem, neque prius opinari quoniam est, aut non est; illinc vero necesse est, quoniam non est. Differt autem nihil affirmativam, vel negativam esse conclusionem, sed similiter se habet in utrisque. Omnis enim quæ ostensive concluditur, et per impossibile monstrabitur, et quæ per impossibile ostensive, et per eosdem terminos, non autem in eisdem figuris. Nam quando per impossibile syllogismus fit in prima figura, quod verum est in media erit, aut in postrema, privativum quidem in media, prædicativum autem in postrema. Quando autem syllogismus in media fit, quod verum est erit in prima figura in omnibus propositionibus, quando autem in postrema syllogismus, quod verum est erit in prima et in media, affirmativa quidem in prima, privativa autem in media. Sit enim ostensum *a* nulli aut non omni *b* per primam figuram, ergo hypothesis quidem erat alicui *b* inesse *a*, *c* autem sumebatur *a* quidem omni inesse, *b* autem nulli sic enim fiebat syllogismus ad impossibile. Hoc autem media figura, si *c a* quidem omni, *b* autem nulli, inest, et manifestum ex his quoniam *b* nulli inest *a*. Similiter autem et si non omni ostensum sit inesse, nam hypothesis quidem est omni *b a* inesse, *c* autem sumebatur *a* quidem omni, *b* autem non omni, et si privativa sit sumpta *c a*. similiter etenim sic fit in media figura. Rursum sit ostensum alicui *b* inesse *a*, ergo hypothesis quidem est nulli inesse, *b* autem sumebatur omni *c* inesse, et *a* vel omni vel alicui *c*, sic enim erit impossibile. Hoc autem postrema figura, si *a* et *b* omni *c*, et manifestum ex his quia necesse est *a* alicui *b* inesse, similiter autem et si alicui *c* sumatur inesse *b* vel *a*. Rursum in media figura ostensum sit *a* omni *b* inesse, ergo hypothesis quidem fuit, non omni *b* inesse *a*, sumptum est autem *a* omni *c*, et *c* omni *b*, sic enim erit impossibile ; hoc autem prima figura, si *a* omni *c*, et *c* omni *b*. Similiter autem et si ostensum sit alicui inesse, nam hapothesis quidem fuit, nulli *b* inesse *a*, sumptum est autem *a* omni *c*, et *c* alicui *b*. Si autem privativus fit syllogismus, hypothesis quidem *a* alicui *b* inesse, sumptum est autem *a* nulli *c*, et *c* omni *b*, quare fit prima figura, Et si non universalis sit syllogismus, sed *a* alicui *b* ostensum sit nrn inesse, similiter : nam hypothesis quidem omni *b* inesse *a*, sumptum est autem *a* nulli *c*, et *c* alicui *b*, sic enim prima figura. Rursum in tertia figura ostensum sit *a* inesse omni *b*, ergo hypothesis quidem fuit non omni *b* inesse *a*, sumptum

est autem *c* omni, *b*, et *a* omni *c*, sic enim erit impossibila, hoc autem prima figura. Similiter autem et si in aliquo sit demonstratio, non hypothesis quidem erit nulli *b* inesse *a*, sumptum est autem *c* alicui *b* et *a* omni *c*. Si autem privativus sit syllogismus, hypothesis quidem *a* alicui *b* inesse, sumptum est autem *c* *a* quidem nulli, *b* autem omni, hoc autem media figura. Similiter autem et si non universalis sit demonstratio, nam hypothesis quidem erit omni *b* inesse *a*, sumptum est autem *c* *a* quidem nulli, *b* autem alicui, hoc autem media figura. Manifestum ergo quoniam per eosdem terminos et ostensive est demonstrare unumquodque propositum, et per impossibile. Similiter autem erit, et cum sint ostensivi syllogismi, ad impossibile deducere in terminis sumptis, quando opposita propositio conclusioni sumpta fuerit, nam fiunt iidem syllogismi. iis qui sunt per conversionem, quare statim habemus et figuras per quas unumquodque erit. Palam ergo quoniam omne propositum ostenditur per utrosque modos et per impossibile et ostensive, et non contingit separari alterum ab altero.

CAPUT XV.

De ratiocinatione ex oppositis.

In qua autem figura est ex oppositis propositionibus syllogizare, et in qua non est, sic erit manifestum. Dico autem oppositas esse propositiones, secundum locutionem quidem quatuor, ut omni et nulli et omni et non omni, et aliqui et nulli, et alicui et non alicui inesse; secundum veritatem autem tres, nam alicui et non alicui secundum locutionem opponuntur solum; harum autem contrarias quidem universales, omni nulli inesse, ut omnem disciplinam esse studiosam, nullam esse studiosam, alias vero oppositas. In prima igitur figura non est ex oppositis propositionibus syllogismus, neque affirmativus, neque negativus; affirmativus quidem, quoniam oportet utrasque affirmativas esse propositiones, oppositæ autem affirmatio et negatio; privativus autem, quoniam oppositæ quidem idem de eodem prædicant et negant, in prima autem medium non dicitur de utrisque, sed de illo quidem aliud negatur, idem autem de alio prædicatur, hæ vero non opponuntur.

CAPUT XVI.

De ratiocinatione ex oppositis in secunda figura.

In media autem figura, et ex oppositis, et ex contrariis contingit fieri syllogismum. Sit enim bonum quidem in quo *a*, disciplina autem in quo *b* et *c*; si ergo omnem disciplinam studiosam sumpsit, et nullam, *a* inest omni *b*, et nulli *c*, quare *b* nulli *c*, nulla ergo disciplina disciplina est. Similiter autem et si omnem sumens studiosam disciplinam, medicinam vero non studiosam sumpsit, nam *a* *b* quidem omni, autem nulli, quare aliqua disciplina non erit disciplina. Et si *a* *c* quidem omni, *b* autem nulli, est autem *b* quidem disciplina, *c* autem medicina, *a* vero opinio, nullam enim disciplinam opinionem sumens sumpsit aliquam disciplinam esse opinionem. Differt autem a priore in terminis converti, nam prius quidem ad *b*, nunc autem ad *c* affirmativum. Et si sit non universalis altera propositio, similiter, semper enim medium est, quod ab altero quidem negative dicitur, de altero vero affirmative. Quare contingit opposita quidem perfici, non autem semper, neque omnino, sed sic se habeant, quæ sunt sub medio, ut vel eadem sint, vel totum ad partem; aliter autem impossibile, non enim erunt propositiones ullo modo, neque contrariæ, neque oppositæ.

CAPUT XVII.

De syllogismo ex oppositis in tertia figura.

In tertia vero figura affirmativus quidem syllogismus nunquam erit ex oppositis propositionibus propter causam dictam et in prima figura. Negativus autem erit syllogismus, et universalibus, et non universalibus terminis. Sit enim disciplina in quo *b* et *c*, medicina autem in quo *a*; si ergo sumat omnem medicinam, disciplinam, et nullem medicinam disciplibam, *b* omni *a* sumpsit, et *c* nulli *a*, quare erit aliqua disciplina non disciplina. Similiter autem et si non universaliter sumpta sit *a* *b* propositio, nam si est aliqua medicina disciplina, et rursum nulla medicina disciplina, accidit disciplinam aliquam non esse disciplinam. Sunt autem universaliter quidem sumptis terminis contrariæ propositiones, si autem particularis altera sit, oppositæ. Oportet autem scire quoniam contingit opposita sic sumere quemadmodum diximus, omnem disciplinam studiosam esse, et rursum nullam aut aliquam non esse studiosam, quod non solet latere; erit autem per alias interrogationes syllogizare alteram, et quemadmodum in Topicis dictum est, sumere. Quoniam autem affirmationum propositiones sunt tres, sexies accidit opposita sumere, aut omni et nulli, aut omni et non omni, aut alicui et nulli, et hoc converti in terminis, ut *a* omni *b* et nulli *c*, aut omni *c* et nulli *b*, aut huic quidem omni, illi vero non omni, et rursum hoc converti secundum terminos: similiter autem et in tertia figura. Quare manifestum est de qnoties et in quibus figuris contingit per oppositas propositiones fieri syllogismum. Manifestum est quoniam ex falsis est verum syllogizare, quemadmodum dictum est prius; ex oppositis autem non est, semper enim contrarius syllogismus fit rei (ut si est bonum non esse bonum, aut si animal non animal) eo quod ex contradictione est syllogismus, et subjecti termini aut iidem sunt, aut hic quidem totum, ille autem pars. Palam autem quoniam in paralogismis nihil prohibet fieri hypotheseos contradictionem, ut si est impar non esse impar, nam ex oppositis propositionibus contrarius erit syllogismus; si ergo sumpserit hoc modo, hypotheseos erit contradictio. Oportet autem considerare quoniam sic quidem non est contraria concludere ex uno syllogismo (ut sit conclusio, quoniam non est bonum, bonum aut aliud quiddam tale), nisi statim hujusmodi propositio sumatur, ut omne animal esse album et non album, hominem autem animal, sed vel assumere oportet

contradictionem,ut quoniam omnis disciplina opinio et non opinio, deinde sumere quoniam medicina disciplina quidem est, nulla autem opinio, quemadmodum redargutiones fiunt, vel ex duobus syllogismis.Quare esse quidem contraria secundum veritatem quæ sumpta sunt,non est alio modo quam hoc quemadmodum dictum est prius.

CAPUT XVIII.

De petitione principii..

In principio autem petere et accipere et quidem, ut in genere,sumere in eo quod non est demonstrare propositum.Hoc autem accidit multipliciter, nam et si omnino non syllogizatur,et si per ignotiora aut similiter ignota, et si per posteriora quod prius est, demonstratio enim ex prioribus et notioribus est. Horum ergo nullum est petere quod ex principio est, sed quia hæc quidem nata sunt per se cognosci, illa vero per alia (nam principia quidem per se, quæ autem sub principiis, per alia), quando non per se notum est,per se aliquis conatur ostendere, tunc petit quod ex principio est.Hoc autem est sic facere quidem at statam postulet id quod propositum est: contingit autem et transgredientes et ad alia eorum quæ nata sunt per illa ostendi per hæc monstrare quod ex principio est,ut si *a* ostendatur per *b*, et *b* per *c*, *c* autem natum sit ostendi per *a*, accidit enim idem *a* per se demonstrare eos qui sic syllogizant, quod faciunt qui parallelas arbitrantur scribere,latent enim ipsi seipsos talia sumentes quæ non valent demonstrare,cum non sint parallelæ. Quare accidit sic syllogizantibus unumquodque esse dicere si est unumquodque, sic autem omne erit per se notum, quod est impossibile.Si ergo aliquis dubitat assumpto dubio quoniam *a* inest *c*,similiter et quoniam *b*, petat autem *i* inesse *b*,nondum manifestum si quod in principio est petat,sed quoniam non demonstravit manifestum,non enim est principum demonstrationis,quod similiter est incertum.Si autem *b* ad sic se habet ut idem sit,aut manifestum quod convertuntur, aut inest alterum alteri, quod in principio est petit,nam et quoniam *a* inest *b*,per illa monstrabit si convertantur, nunc autem hoc prohibet,sed non modus.Si autem hoc faciat,quod dictum est faciet, et convertet per tria, similiter autem et si *b* sumat inesse *c*, quod similiter incertum sit, ut et si *a* inest *c*,nondum quod ex principio petit, sed neque demonstrat.Si autem idem sit *a* et *b*, aut eo quod convertuntur,aut eo quod *a* sequitur ei quod est *b*, quod ex principio est petit propter eamdem causam, nam ex principio quod valet,prius dictum est a nobis, quoniam per se monstrabitur quod non est per se manifestum.Si ergo est in principio petere per se monstrare quod non per se est manifestum, hoc autem et non ostendere quando similiter dubitantur quod monstratur et per quod monstratur, vel eo quod eadem idem,vel eo quod idem eisdem inesse sumitur,in media quidem figura et tertia utrorumque continget similiter quod est in principio petere, in prædicativo quidem syllogismo et in tertia figura, et in prima, negative autem quando eadem ab eodem, et non similiter utræque propositiones,similiter autem et in media, eo quod non convertuntur termini secundum negativos syllogismus.Est autem in principio petere in demonstrationibus quidem quæ secundum veritatem sic se habent,in dialecticis autem, quæ secundum opinionem.

CAPUT XIX.

De non propter hoc accidere falsum.

Non propter hoc autem accidere falsum (quod sæpe in disputationibus solemus dicere) primum quidem est in iis qui ad impossibile syllogismis, quando ad contradictionem est hujus quod monstratum est ea quæ ad impossibile. Nam neque qui non contradicit dicit non propter hoc,sed quoniam falsum est aliquid positum priorum,neque in ostensiva,non enim ponit quod contradicit.Amplius autem quando interimitur aliquid ostensive per *a b c*, non est dicere quoniam non propter quod positum est factus est syllogismus,nam non propter hoc fieri tunc dicimus, quando interempto hoc nihilominus perficitur syllogismus,quod non est in ostensivis, interempta enim propositione, nec qui ad hanc est erit syllogismus. Manifestum igitur quoniam in iis qui ad impossibile sunt dicitur non propter hoc,et quando sic se habet ad impossibile quæ ex principio est hypothesis, ut cum sit,vel cum non sit hæc, nihilominus accidit impossibile Ergo manifestissimus quidem modus est non propter suppositionem esse falsum,quando ab hypothesi inconjunctus est a mediis syllogismus ad impossibile,quod dictum est in Topicis, quod enim non est causa, ut causam ponere hoc est; ut si volens ostendere quoniam asymeter est diameter,conetur Zenonis ratione quoniam non est moveri, et ad hoc inducat impossibile, nullo enim modo continuum est falsum, locutioni quæ est ex principio. Alius autem modus,si continuum quidem sit impossibile hypothesi, non tamen propter illam accidat, hoc autem possibile est fieri, et in hoc quod superius,et in hoc quod inferius sumenti continuum, ut si *a* ponatur inesse *b*, *b* autem *c*, *c* vero *d*, hoc autem sit falsum *b* inesse *d*, nam (si ablato *a*,nihilominus *b* inest *c*, et *c d*) non erit falsum propter eam quæ ex principio est hypothesin.Aut rursum si quis in superiori sumat continuum, ut si *a* quidem *b*, *e* autem *a*, *f* vero *e*, falsum autem sit *f* inesse *a*, nam et sic nihilominus erit impossibile,interempta quæ est ex principio hypothesi.Sed oportet ad eos qui ex principio terminos copulare impossibile, sic enim erit propter hypothesin, ut in inferiori quidem sumenti continuum ad prædicatum terminum; nam si impossibile est *a* inesse *d*,interempto *a*, non amplius erit falsum.In superiori autem de quo prædicatur; nam si *f* non possibile est inesse *b*, interempto *b* non amplius erit impossibile; similiter autem et cum privativi sint syllogismi. Manifestum ergo quoniam cum impossibile non ad priores terminos,non propter positionem accidit falsum; an nec si semper propter hypothesin erit falsum? nam

si non ei quod est *b*, sed ei quod est *k* positum est inesse *a*, *k* autem *c*, et hoc *d*, et sic manet impossibile; similiter autem et in sursum sumenti terminos, quare (quoniam cum est, et cum non est, hoc accidit impossibile) non erit propter positionem, aut cum non est hoc, nihilominus fieri falsum. Nec sic sumendum ut alio posito accidat impossibile, sed quando ablato hoc idem per reliquas propositiones concluditur impossibile, eo quod idem falsum accidere per plures hypotheses nihil fortasse inconveniens est, ut parallelas, contingere, et si major est qui interius est, eo qui exterius, et si triangulus habet plures rectos duobus.

CAPUT XX.

De falsa ratiocinatione, catasyllogismo, hoc est corratiocinatione, et elencho.

Falsa autem oratio fit propter primum falsum: aut enim ex duabus propositionibus aut ex pluribus omnis est syllogismus; ergo si ex duabus quidem, harum necesse est alteram, aut etiam utrasque esse falsas, nam ex veris non erat falsus syllogismus; si vero ex pluribus (ut sic quidem per *a b*, hoc autem per *d f g*), horum erit aliquid superiorum falsum, et propter hoc oratio, nam *a* et *b* per illa concluduntur quare propter illorum aliquid, accidit conclusio et falsum. Ut autem non catasyllogizetur, observandum quando sine conclusionibus interrogat orationem, ut non detur his idem in propositionibus, eo quod scimus quoniam sine medio syllogismus non fit, medium autem est quod plerumque dicitur. Quomodo autem oportet ad unamquamque conclusionem observare medium manifestum est, eo quod sciturquale in unaquaque figura ostenditur, hoc autem nos non latebit, eo quod videmus quomodo submittimus orationem. Oportet autem quod custodire præcipimus respondentes, ipsos argumentantes tentare latere, hoc autem erit primum quidem si conclusiones non prius syllogizent, sed sumptis necessariis non manifestæ sint. Amplius autem si non propinqua interrogant, sed quam maxime longe media, ut si sit opportunum concludere *a d e f*, media *b e d e*, oportet ergo inquirere si *a b*, et rursum non si *b e* sed si *d e*, deinde si *b c*, et sic reliqua, et si per unum medium sit syllogismus, a medio incipere, maxime enim sic latebit respondentem. Quoniam ergo habemus quando et quomodo se habentibus terminis fit syllogismus, manifestum et quando erit, et quando non erit elenchus, nam omnibus affirmativis, vel permutatim positis responsionibus (ut hæc quidem affirmativa, illa vero negativa), contingit fieri elenchum: erit enim syllogismus, et sic in illo modo se habentibus terminis; quare si id quod positum est contrarium sit conclusioni, necesse est fieri elenchum, nam elenchus syllogismus contradictionis est. Si vero nihil affirmetur, impossibile est fieri elenchum, non enim erat syllogismus, cum omnes termini erant privativi, quare nec elenchus: nam si elenchus, necesse est syllogismum esse; cum autem est syllogismus, non necesse est elenchum esse. Similiter autem si nihil positum sit secundum responsionem universaliter; nam eadem erit definitio syllogismi et elenchi.

CAPUT XXI.

De fallacia secundum opinionem.

Accidit autem quandoque (quemadmodum in positione terminorum fallebamur) et secundum opinionem fieri fallaciam, ut si contingat idem pluribus principaliter inesse, et hoc quidem latere aliquem, et putare nulli inesse, illud autem scire, ut insit *a b* et *c* per se, et hæc omni *d* similiter. Si igitur *b* quidem putet omni *a* inesse, et hoc *d*, *c* autem nulli *a*, et hoc omni *d*, ejusdem secundum idem habet disciplinam et ignorantiam. Rursum si quis fallatur circa ea quæ sunt ex eadem conjugatione, ut si *a* inest *b*, hoc autem *c*, et *c d*, opinetur autem *a* inesse omni *b*, et rursum nulli *c*. Simul enim sciet, et non opinabitur inesse; ergo nihil aliud existimat ex iis quam scit, hoc non opinari, scit enim aliquo modo quoniam *a* inest *c* per *b*, velut in universali hoc quod est particulare; quare quod aliquo modo scit, hoc omnino existimat non opinari, quod est impossibile. In eo autem quod prius dictum est, si non ex eadem conjugatione sit medium, secundum utrumque quidem mediorum ambas propositiones non possibile est opinari ut *a b* quidem omni, *c* autem nulli, hæc autem utraque omni *d*; accidit autem aut simpliciter aut in aliquo contrariam sumere primam propositionem. Si enim cui *b* inest omni *a* opiuatur inesse, *b* autem *d* novit, et quoniam *a d* novit, quare si rursum cui *c* nulli putat *a* inesse, cui *b* alicui inest, huic non putat *a* inesse, quod autem omni putat cui *b*, rursum alicui non putare cui *b*, aut simpliciter, aut in aliquo contrarium et; sic ergo non contingit opinari. Secundum utrumque autem unam, aut secundum alterum utrasque, nihil prohibet *a* omni *b*, et *b d*, et rursum *a* nulli *c*. Nam similis hujusmodi fallacia, veluti fallimur circa particularia, ut si *a* omni *b* inest, *b* autem omni *c*, *a* omni *c* inerit; si ergo aliquis novit quoniam *a* cui *b* inest omni, novit et quoniam ei quod est *c*; sed nihil prohibet ignorare *c* quoniam est, ut si *a* quidem duo recti, in quo autem *b* triangulus, in quo vero *c* sensibilis triangulus; opinabitur enim aliquis non esse *c*, siens quoniam omnis triangulus habet duos rectos: quare simul sciet et ignorabit idem, nam scire omnem triangulum quoniam duobus rectis non simplex est, sed hoc quidem universalem habet disciplinam, illud vero singularem. Sic ergo in universali novit *c*, quoniam duobus rectis in singulari autem non novit, quare non habebit contrarias. Similiter autem est quæ in Menone est oratio, quoniam disciplina est reminiscentio; nunquam enim accidit præscire quod singulare est, sed simul inductione sumere particularium disciplinam, velut recognoscentes. Nam quædam scientes, statim scimus, ut quoniam duobus rectis, si scimus quoniam triangulus, similiter autem et in aliis. Ergo universali quidem speculamur particularia, propria autem non scimus; quare contingit et falli circa ea, verum non contrarie, sed habere quidem universale, decipi autem particulari. Similiter autem in prædictis

non enim contraria quæ est secundum medium ei quæ est secundum syllogismum disciplinæ, nec quæ est secundum utrumque mediorum opinatio, nihil enim prohibet scientem, et quoniam a toti *b* inest, et rursum hoc toti *c*, putare non inesse, ut quoniam omnis mula sterilis, et hæc mula, putare hanc habere in utero; non enim scit quoniam *a*, *c* qui non conspicit, quod est secundum utrumque. Quare manifestum quoniam et si hoc quidem novit, illud vero non novit, falletur, quod habent universales ad particulares disciplinas; nullum enim sensibilium extra sensum fit scimus, nec si sentientes fuerimus scimus, nisi et in universali, et in eo quod habet propriam disciplinam, sed non in eo quod est in actum. Nam scire tripliciter dicitur, aut ut universali, aut ut propria, aut ut in actu, quare et decipi totidem modis, nihil ergo prohibet et scire, et deceptum esse circa idem, verumtamen non contrarie. Quod accidit et ei qui secundum utramque scit propositionum, et non pertractavit prius, nam opinans in utero habere mulam, non habet secundum actum disciplinam, neque propter opinionem fallaciam contrariam disciplinæ, syllogismus enim est contraria fallacia in universali. Qui autem opinatur quod bonum esse est malum esse, idem opinabitur bonum esse et malum. Sit enim bonum esse in quo *a*, malum autem esse in quo *b*, rursum bonum esse in quo *c*; quoniam igitur idem opinatur et *b* et *c* et esse *c b* opinabitur, et rursum *b* esse *a* similiter, quare et *c a*, nam quemadmodum si erat verum de quo *c b*, et de quo *b a*, et de quo *c a* verum erat, sic et in opinatione. Similiter autem et in eo quod est esse. Nam cum idem sit *c* et *b*, et rursum *b* et *a*, *c a* idem erit, quare et opinatione similiter; ergo hoc quidem necessarium si quis det primum. Sed fortasse illud falsum opinari aliquem quod malum esse est bonum esse, nisi secundum accidens; multipliciter enim possibile est hoc opinari, perspiciendum autem hoc melius.

CAPUT XXII.

De conversionibus terminorum.

Quando vero convertuntur extremitates, necesse est et medium converti ad utramque; si enim *a* de *c* per *b* est, si convertitur et inest cui *a* omni, *c* et *a* convertitur, et inest cui *a* omni, *b* per medium *c*, et *c b* convertitur per medium *a*. Et in non esse itidem, ut si *b* inest *c*, *a* vero non inest *b*, neque *a* inerit *c*. Si ergo *b* convertatur ad *a*, et ad *a* convertetur: sit enim *b* nulli *a* inexistens, ergo neque *c*, omni enim *c* inerat *b*, et si *b* convertitur ad *c*, et *a* convertetur ad *c*; nam de quocunque omnino *b*, et *c*. Et si *c* ad *a* convertitur, et *b* convertetur ad *a*: cui enim *b* inest, et *c*; cui autem *c*, *a* non inest; et solum hoc a conclusione incipit, alia autem non similiter, ut in prædicativo syllogismo. Rursum si *a* et *b* convertuntur, et *c* et *d* similiter, omni autem necesse est *a* aut *c* inesse, et *b* et *d* sic se habebunt, ut omni alterum insit; quoniam enim cui *a* *b*, et cui *c* *d*, omni autem *a* aut *c*, et non simul, manifestum quoniam et *b* aut *d* omni, et non simul, ut si ingenitum, incorruptibile, et incorruptibile ingenitum, necesse est quod factum est corruptibile corruptibile factum esse, duo enim syllogismi constituti sunt. Rursum si omni quidem, *a* vel *b*, et *c* vel *d*, simul autem non insunt, si convertitur *a* et *c*, et *b* et *d* convertetur. Nam si alicui non inest *b*, cui *d*, palam quoniam *a* inest; si autem *a*, et *c*, convertuntur enim; quare simul *c* et *d*, hoc autem impossibile. Quando autem *a* toti *b* et *c* inest, et de nullo alio prædicatur, inest autem et *b* omni *c*, necesse est *a* et *b* converti, quoniam enim de solis *b c* dicitur *a*, prædicatur autem *b* et idem de se et de *c*, manifestum quoniam de quibus *a*, et *b* dicetur omnibus, verum et de *a*. Rursum quando *a* et *b*, toti *c* insunt convertitur autem *c b*, necesse est *a* omni *b* inesse, quoniam enim omni *c a*, *c* autem *b*, eo quod convertuntur, et *a* omni *b* inerit. Quando autem duo fuerint opposita, ut *a* magis eligendum sit quam *b*, cum sint opposita, et *d* quam *c* similiter, si magis eligenda sunt *a c* quam *b d*, *a* magis eligendum quam *d*. Similiter enim sequendum *a*, et fugiendum *b*, opposita enim, et *c* ei quod est *d*, nam et hæc opponuntur; si ergo *a* ei quod est *d* similiter eligendum, et *b* ei quod est *c* fugiendum, utrumque enim utrique similiter fugiendum eligendo; quare et hæc ambo *a c* iis quæ sunt *b d*, quoniam autem magis, non possibile similiter, nam et *b d* similiter erunt. Si autem *d* magis eligendum quam *a*, et *b* quam *c* minus fugiendum; nam quod minus est minori opponitur; magis autem eligendum est majus bonum et minus malum quam minus bonum et majus malum. Universum igitur *b d* magis eligendum quam *a c*, nunc autem non est, ergo magis *a* eligendum quam *d*, et *c* ergo minus fugiendum quam *b*. Si ergo eligat omnis amans secundum amorem *a* sic se habere, ut concedere, et non concedere in quo *c*, aut concedere in quo *d*, et non tale esse ut concedere in quo *b*, manifestum quoniam *a* hujusmodi esse, magis eligendum est quam concedere; ergo diligi quam conventio magis eligendum secundum amorem; magis ergo amor est in amicitia quam convenire. Si autem maxime hujus, et finis hæc, ergo convenire aut non est omnino, aut diligendi gratia, nam et aliæ concupiscentiæ et artes sic fiunt. Quomodo ergo se habent termini secundum conversiones, et in eo quod magis fugiendum vel magis eligendum sit, manifestum est.

CAPUT XXIII.

De epagoge, id est inductione.

Quoniam autem non solum dialectici et demonstrativi syllogismi per prædialectici fiunt figuras, sed et rhetorici, sed et simplicitea quæcunque fides est, et secundum unamquamque artem, nunc erit dicendum Omnia enim credimus per syllogismum aut ex inductione; ergo si inductio quidem est, ex inductione syllogismus per alterum extremitatem medio syllogizare. Ut si eorum quæ sunt *a c* medium sit *b*, per *c* ostendere *a* inesse *b*, sic enim facimus inductiones. Ut si *a* longævum, in quo autem *b* choleram non habere, in quo vero *c* singulare longævum, ut homo equus, et mulus. Ergo toti *b* inest *a*, omne enim quod sibi cholera est, longævum, sed et *b* non habere choleram, omni inest *c*; si ergo convertatur *c* ei quod

est *b*, et non transcendat medium, necesse est *e* inesse *b*. Ostensum enim est prius quoniam, si duo aliqua eidem insunt, et ad alteram eorum convertatur extremum, converso et alterum inerit prædicatorum. Oportet autem intelligere *c* ex singularibus omnibus compositum, nam inductio per omnia. Syllogismus autem hujusmodi est primæ et immediatæ propositionis : quarum enim est medium, per medium est syllogismus ; quorum vero non est, per inductionem. Et quodam modo opponitur inductio syllogismo, nam hic quidem per medium extremum de tertio ostendit, illa autem per tertium extremum de medio. Ergo natura quidem prior et notior | per medium syllogismus, nobis autem manifestior qui est per inductionem.

CAPUT XXIV.

De paradigmate, hoc est exemplo.

Exemplum autem est, quando medio extremum inesse ostenditur per id quod est simile tertio. Oportet autem et medium tertio, et primum simili notius esse, inesse. Ut sit *a* malum, *b* autem contra confines inferre bellum, in quo autem *c* Athenienses contra Thebanos, in quo autem *d* Thebanos contra Phocenses. Si ergo volumus ostendere quoniam Thebanis pugnare malum est, sumendum quoniam contra confines pugnare est malum, hujus autem fides ex similibus, ut quoniam Thebanis contra Phocenses. Quoniam ergo contra confines malum, contra Thebanos autem contra confines est, manifestum quoniam contra Thebanos pugnare malum. Quoniam ergo *b c* et *d* inest, manifestum, utrumque enim est contra confines inferre bellum, et quoniam *a d*, Thebanis enim non fuit utile contra Phocenses bellum. Quoniam autem *a* inest *b*, per *d* ostendetur, eodem autem modo et si per plura similia fides fiat medii ad extremum. Manifestum ergo quoniam exemplum est neque ut totum ad partem, neque ut pars ad totum, sed ut pars ad partem, quando ambo quidem insunt sub eodem notum autem alterum. Et differt ab inductione, quoniam hæc quidem ex omnibus individuis ostendebat inesse extremum medio, et ad extremum non copulabat syllogismum, hoc autem et copulat, et non ex omnibus ostendit.

CAPUT XXV.

De apagoge deductioneque.

Deductio autem quando medio quidem primum palam est inesse, postremo autem medium dubium quidem similiter autem credibile aut magis conclusione. Amplius, si pauciora sunt media postremo et medio, omnino enim propinquius esse accidit scientiæ. Ut sit *a* docibile, in quo *b* disciplina, *c* justitia, ergo disciplina quoniam docibilis, manifestum ; justitia autem si disciplina, dubium. Si igitur similiter aut magis credibile sit *b c* quam *a c*, deductio est, propinquius enim scientiæ, per quod assumpserint *a c*, disciplinam prius non habentes. Aut rursum si pauciora media sint *b c*, nam et sic propinquius est scientiæ. Ut si *d* sit quadrangulare, in quo autem *e* rectilineum, in quo *f* circulus, si ergo ejus quod est *ef* unum solum sit medium, per lunares figuras æquale fieri rectilineo circulum propinquius erit scientiæ. Quando autem neque credibilius est *b c* quam *a c*, neque pauca media, non dico deductionem, neque quando immediata est *b c*, disciplina enim quod hujusmodi est.

CAPUT XXVI.

De instantia, quam enstasin dicunt.

Instantia autem est propositio propositioni contraria. Differt autem a propositione, quoniam contingit quidem instantiam esse in parte, propositionem vero aut omnino non contingit, aut non in universalibus syllogismus. Fertur autem instantia duobus modis et per duas figuras : duobus modis quidem, quoniam aut universalis aut particularis omnis instantia ; per duas autem figuras, quoniam oppositæ feruntur propositioni, opposita autem in prima et tertia figura perficiuntur solis. Nam quando postulatur omni inesse, instamus quoniam nulli, aut quoniam alicui non inest. Horum autem nulli quidem ex prima figura, alicui autem non ex postremat Ut sit *a* unam esse disciplinam, in quo *b* contraria ; proponit ergo unam esse contrariorum disciplinam, aut quoniam omnino non est eadem oppositorum instant. Contraria autem opposita, quare fit prima figura ; aut quoniam noti et ignoti non una, hæc autem tertia. Nam secundum tertiam notum et ignotum contraria quidem esse verum, unam autem esse eorum disciplinam, falsum. Rursum in privativa propositione similiter : cum postulat enim non esse contrariorum unam disciplinam, aut quoniam omnium oppositorum, aut quoniam contrariorum aliquorum est eadem disciplina, dicimus, ut sani et ægri, ergo omnium quidem ex prima, aliquorum vero ex tertia figura. Simpliciter autem in omnibus universaliter quidem instantibus, necesse est ad id quod universale est proposito contradictionem dicere (ut si non unam existimet contrariorum omnium, dicere oppositorum unam ; sic autem necesse est primam esse figuram, medium enim fit universale ad hoc quod ex principio) ; quod autem ad hoc in parte est universale, dicitur propositio, ut noti et ignoti non eadem, nam contraria universale ad hæc, et fit tertia figura, medium enim in parte sumptum, ut notum et ignotum. Nam ex quibus est syllogizare contrarium, ex iis et instantias conamus dicere, quare et ex his solis figuris ferimus, nam in his solis oppositi syllogismi, per mediam enim figuram non fuit affirmare. Amplius autem et si sit, oratione indiget plurima, quæ est per mediam figuram, ut si non concedant *a* inesse *b*, eo quod non sequitur hoc *c*, hoc enim per alias propositiones manifestum ; non oportet autem instantiam converti ad alia, sed statim manifestam habere alteram propositionem. Quapropter et signum ex sola hac figura non est. Perspiciendum autem et de aliis instantiis, ut de iis quæ sunt ex contrario, et simili, et secundum opinionem, et si particularem ex prima, vel privativam ex media possibile est sumere.

CAPUT XXVII.

De eicote, hoc est consentaneo signo, indicio, et enthymemate.

Eicos autem et signum non idem est, sed eicos quidem est propositio probabilis. Quod enim ut in pluribus sciunt sit factum ; vel non factum, aut esse vel non esse, hoc est eicos, ut odire invidentes, vel diligere amantes. Signum autem vult esse propositio demonstrativa, vel necessaria, vel probabilis ; nam quo existente est, vel quo facto prius vel posterius res, signum est vel fuisse vel esse. Enthymema ergo est syllogismus imperfectus ex eicotibus et signis. Accipitur autem signum tripliciter, quoties et medium in figuris, aut enim ut in prima, aut ut in media, aut ut in tertia : ut ostendere quidem parientem esse, eo quod lac habeat, ex prima figura, medium enim lac habere, in quo *a* parere *b*, lac habere mulier in quo *c*. Quoniam autem sapientes, studiosi, nam Pittacus est studiosus, per postremam, in quo *a* studiosum, in quo *b* sapientes, in quo *c* Pittacus. Verum igitur *a* et *b* de *c* prædicari ; sed hoc quidem non dicunt quia notum sit, illud vero sumunt. Peperisse autem quoniam pallida, per mediam figuram vult esse ; quoniam enim sequitur parientes pallor, sequitur autem et hanc, ostensum esse arbitrantur quoniam peperit. Pallor in quo *a*, parere in quo *b*. mulier in quo *c*. Ergo si una quidem dicatur propositio, signum fit solum, si autem et altera sumitur, syllogismus. Ut Pittacus liberalis, nam ambitiosi liberales, Pittacus autem ambitiosus. Aut rursus, quoniam sapientes boni, Pittacus autem bonus, sed et sapiens, sic ergo fiunt syllogismi. Verum quidem per primam figuram insolubilis, si verus sit, universalis enim est. Qui autem per postremam, est solubilis, et si vera sit conclusio, eo quod non universalis, est in tertia, nec ad rem syllogismus, non enim si Pittacus est studiosus, propter hoc et alios necesse est esse sapientes. Qui vero per mediam figuram est, semper et omnino solubilis nunquam enim syllogismus fit, sic se habentibus terminis. Non enim si quæ peperit pallida, pallida autem et hæc, necesse est parere hanc ; ergo verum est quidem in omnibus figuris, differentias autem habent jam dictas. An igitur sic dividendum signum? horum autem medium indicium sumendum, nam indicium dicunt esse quod scire facit, tale autem maxime medium, an vero quæ quidem ab extremitatibus signa dicenda, quæ autem ex medio indicium ? probabilissimum enim et maxime veram est quod est per primam figuram.

CAPUT XXVIII.

De syllogismo physiognomico.

Naturas autem cognoscere possibile est, si quis concedat simul transmutare corpus et animam, quæcunque sunt naturales passiones ; discens enim aliquis fortasse musicam, transmutavit secundum quid animam, sed non earum quæ natura nobis insunt, hæc est passio, sed ut iræ et concupiscentiæ, et naturalium motionum. Si igitur et hoc det, et unum unius signum esse, et possumus sumere proprium uniuscujusque generis passionem et signum, poterimus naturas cognoscere. Si enim est proprie alicui generi individuo existens passio, ut si leonibus fortitudo, necesse est et signum esse aliquod, compati enim sibi invicem positum est, et sit hoc magnas summitates habere, quod et aliis generibus, non totis contingit. Nam signum sic proprium est, quoniam totius generis propria passio est, et non solius proprium, sicut solemus dicere. Erit ergo et in alio genere hoc, et erit fortis homo, et aliquod aliud animal ; habebit ergo signum, unum enim unius erat. Si ergo hæc sunt, poterimus talia signa colligere in iis animalibus quæ solum unam passionem habent aliquam propriam, unaquæque autem habet signum, et quoniam unum habere necesse est, poterimus naturas cognoscere. Si vero duo habet propria totum genus, ut leo, forte et communicativum, quomodo cognoscemus utrum utrius sit signum, eorum signorum quæ proprie sequuntur? An si et alii alicui non toti ambo, et in quibus non totis utrumque, quando hoc quidem habet, illud autem non? nam si fortis quidem, liberalis autem non, habet autem duorum hoc, palam quoniam et in leone hoc signum fortitudinis. Est vero naturas cognoscere in prima quidem figura, eo quod medium priori extremitati convertitur, tertiam autem transcendit, et non convertitur, ut sit fortitudo *a*, summitates magnas habere in quo *b*, *c* autem leo ; ergo cui *c*, *b* omni, sed et aliis, cui autem *b*, *a* omni, et non pluribus, sed ; convertitur si autem non, non erit unum unius signum.

POSTERIORUM ANALYTICORUM ARISTOTELIS

LIBRI DUO,

AN. MANL. SEV. BOETIO INTERPRETE

LIBER PRIMUS.

CAPUT PRIMUM.

De præcognitis

Omnis doctrina et omnis disciplina intellectiva ex præexistente fit cognitione. Manifestum autem hoc speculantibus in omnibus, mathematicæ enim scientiæ per hunc modum fiunt, et aliarum unaquæque artium. Similiter autem et circa orationes, quæ per syllogismos et quæ per inductionem : utraque enim per prius nota faciunt doctrinam, hæ quidem accipientes tanquam a notis, illæ vero monstrantes uni-

versale, per id (quod manifestum est) singulare. Similiter autem et rhetoricæ persuadent aut enim per exemplа, quod est inductio, aut per enthymemata, quod quidem est syllogismus. Dupliciter autem est necessarium præcognoscere, alia namque quia sunt præopinari necesse est, alia vero quid est quod dicitur intelligere oportet, quædam autem utraque. Ut quoniam quidem omne aut affirmare, aut negare verum est, quia est, triangulum autem, quoniam hoc significat, sed unitatem utraque, et quid significat quidem, et quia est non enim similiter horum unumquodque manifestum est nobis. Est autem cognoscere aliaquidem prius cognoscentem, quorumdam autem simul accipere notitiam, ut quæcunque contingunt esse sub universalibus quorum habent cognitionem; quod enim omnis triangulus habeat tres angulos duobus rectis æquales, præscivit, quod vero hic qui est in semicirculo triangulus sit, simul inducens cognovit. Quorumdam enim hoc modo disciplina est, et non per medium ultimum cognoscitur, ut quæcunque jam singularium contingunt esse, et non de subjecto aliquo. Antequam autem sit inducere, aut accipere syllogismum, quodam quidem modo fortasse dicendum est scire, modo autem alio, non quod enim nescivit si est simpliciter hoc quodam nodo scivit quod duos habet rectos simpliciter, sed manifestum est quod sic quidem scit quoniam universaliter scivit, simpliciter autem non scit; si vero non, Menonis ambiguitas continget, aut enim nihil discet, aut quæ novit. Non enim, sicut quidam conantur solvere, dicendum est, nunquid scivisti omnem dualitatem quoniam par est, aut non? dicente autem, attulerat quamdam dualitatem, quam non opinatus est esse, quare neque parem. Solvunt enim dicentes non cognoscere omnem dualitatem parem esse, sed quam sciunt quod dualitas sit. Attamen sciunt quidem cujus vere demonstrationem habent, et cujus acceperunt: acceperunt autem non de omni cujus utique sciunt, quod triangulus aut quod numerus sit, sed simpliciter de omni numero et triangulo, neque enim una propositio accipitur hujus quod quem tu nosti numerum, aut quod tu nosti rectilineum, sed de omni. Sed nihil (ut opinor) prohibet quod dicit quis, sit ut scire, sit etiam ut ignorare, inconveniens enim non est, si scit quodam modo quod discit, sed si hoc modo, ut in quantum discit, et scit.

CAPUT II.

De modis sciendi, et demonstratione.

Scire autem opinamur unumquodque simpliciter, sed non sophistico modo, qui est secundum accidens, cum causam arbitramur cognoscere, propter quam res est, quoniam illius causa est, et non est contingere hoc aliter se habere. Manifestum igitur est quoniam hujusmodi aliquid scire sit, et namque non scientes, et scientes quidem opinantur ipsi sic se habere, scientes autem etiam, habent scientiam. Quare cujus simpliciter est scientia, hoc est impossibile aliter se habere. Si quidem igitur et alius est sciendi modus. Posterius dicemus. Dicimus autem scire, et per demonstrationem intelligere. Demonstrationem autem dico syllogismum epistemonicon, id est facientem, scire, sed epistemonicon dico, secundum quem (in habendo ipsum) scimus. Si igitur est scire ut posuimus necesse est et demonstrativam scientiam ex verisesse et primis, et immediatis, et notioribus, et prioribus, causisque conclusionis. Sic enim principia erunt propria ejus quod demonstratur, nam syllogismus quidem erit, et sine his, demonstratio autem non erit, non enim faciet scientiam. Vera quidem igitur oportet esse, quoniam quod non est, non est scire, ut quod diameter sit symeter. Ex primis autem et indemonstrabilibus est, quia non sciet, non habens demonstrationem ipsorum, scire enim quorum demonstratio est non secundum accidens, est habere demonstrationem. Causas quoque, et notiora oportet esse, et priora. Causas quidem, quoniam tunc scimus, cum causam cognoscimus, et priora, siquidem causæ sunt, et notiora, non solum altero modo intelligendo, sed in sciendo quoniam sunt. Priora autem et notiora dupliciter sunt, non enim idem est natura prius, et ad nos prius, neque notius natura, et nobis notius.

Dico autem ad nos priora, et notiora, propinquiora sensui. Simpliciter autem priora, et notiora, quæ longius sunt. Sunt autem longinquissima quidem, universalia maxime. Proxima autem, singularia, et opponuntur hæc ad se invicem. Ex primi autem est quod ex propriis principiis est, idem enim dico primum et principium. Est autem principium demonstrationis propositio immediata. Immediata autem est qua non est alia prior. Propositio autem est enuntiationis altera pars, unum de uno. Dialectica quidem est similiter accipiens quamlibet. Demonstrativa autem determinatæ alterum quoniam verum est. Enuntiatio autem contradictionis quælibet pars. Contradictio autem est oppositio cujus non est medium secundum se. Pars autem contradictionis, quæ quidem aliquid de aliquo est, affirmatio est. Quæ vero est aliquid ab aliquo, negatio est. Immediati autem principii syllogistici, positionem quidem dico quam non est monstrare, nec necesse est habere docendum aliquid. Quam vero necesse est habere quemlibet docendum, dignitatem. Sunt enim quædam hujusmodi, hoc enim maxime in hujuscemodi consuevimus nomen dicere. Positionis autem, quæ quidem est quamlibet partium enuntiationis accipiens, ut dico aliquid esse, aut non esse, suppositio est. Quæ vero sine hoc, definitio est, definitio enim positio quædam est. Ponit enim arithmeticus unitatem, indivisibile esse secundum quantitatem, suppositio autem non est, id enim quod quid est unitas, et esse unitatem, non idem est. Quoniam autem oportet credere, et scire rem, in hujusmodi habendo syllogismum quem vocamus demonstrationem. Est autem hic eo quod ea sunt, ex quibus est syllogismus, necesse est non solum præcognoscere prima, aut omnia, aut quamdam, sed et magis. Semper enim propter quod unumquodque est, illud magis est, ut

propter quod amamus, illud magis amicum est, quare siquidem scimus propter prima et credimus, et illa scimus et credimus magis,quoniam propter illa et posteriora. Non potest autem credere magis quæ scit, quæ non contingit neque sciens, neque melius dispositus quam si contigerit sciens,accidet autem hoc nisi aliquis præcognoverit propter demonstrationem credentium,magis enim necesse est credere principiis, aut omnibus, aut quibusdam, quam conclusioni.Debentem autem habere scientiam per demonstrationem, non solum oportet principia magis cognoscere et magis ipsis credere quam ei quod demonstratur,sed neque aliud ipsi credibilius esse, neque notius oppositis principiis, ex quibus erit syllogismus contrariæ deceptionis, si quidem oportet simpliciter scientem, immutabilem esse.

CAPUT III.

Quod non omnium sit demonstrativa scientia.

Quibusdam autem igitur propter id quod oportet prima scire, non videtur scientia esse. Quibusdam autem esse quidem,omnium tamen demonstrationes esse, quorum neutrum neque verum neque necessarium.

Ponentes autem non esse omnino scire,id ad infinitum volunt reduci,tanquam non sit utique scientes posteriora propter priora,quorum non sint prima, recte dicentes.Impossibile enim est infinita pertransire, et si stent et sint principia hæc, ignota esse, cum demonstratio non sit ipsorum, quod quidem dicunt esse scire solum.Si vero non est prima scire, neque quæ ex eis sunt, est scire, neque simpliciter neque proprie, sed ex conditione, si illa sint. Hi autem de eo quod quidem est scire,sic confitentur, per demonstrationem enim esse solum,sed omnium esse demonstrationem nihil prohibet,contingit enim circulo fieri demonstrationem, et ex iis quæ sunt ad invicem.Nos autem dicemus neque omnem scientiam demonstrativam esse,sed immediatorum esse indemonstrabilem, et quod hoc necessarium sit, manifestum est. Si enim necesse est quidem scire priora, ex quibus est demonstratio, stant autem aliquando immediata,hæc quidem indemonstrabilia necesse est esse, et hoc igitur sic dicimus, et non solum scientiam, sed et principium scientiæ esse quoddam dicimus,in quantum terminos cognoscimus.Circulo autem quod impossibile sit demonstrare simpliciter manifestum est, si quidem ex prioribus oportet demonstrationem esse,et notioribus,impossibile enim est eadem sibi invicem simul priora,et posteriora esse, nisi altero modo, ut hæc quidem ad nos, illa vero simpliciter, quo certe modo inductio facit notum. Si autem sic est, non utique erit simpliciter scire bene definitum, sed dupliciter. An non simpliciter altera demonstratio fix ex nobis nontioribus? Accidit vero dicentibus circulo demonstrationem esse, non solum quod nunc dictum est, sed nihil aliud dicere quam quoniam hoc est,si hoc est, sic autem facile est demonstrare omnia. Manifestum autem est quod hoc accidit tribus terminis positis,per multos enim, aut per paucos reflectere dicere nihil differt,per paucos autem,aut per duos. Cum enim sit *a*, sit ex necessitate *b*, hoc autem cum sit,et *c*, cum igitur *a* sit, erit et *c* ; si igitur cum sit *a*, necesse est *b* esse, hoc autem cum sit, *a* est. Hoc enim erit circulo :ponatur autem *a* in quo *c*,*b* igitur cum sit, *a* esse dicere, est et ipsum *c* dicere esse. Hoc autem dicere est,quoniam cum sit *a* est *c*,*c* autem ipsi *a* idem est,quare accidit dicere,circulo dicentes esse demonstrationem nihil aliud nisi cum sit *a* est *a*, sic autem omnia demonstrare leve est. At vero neque hoc possibile,nisi in iis quæ alternatim se consequuntur, sicut sunt propria. Uno quidem igitur posito ostensum est quod nequaquam necesse aliquid esse alterum.Dico autem uno,quoniam nec termino uno, nec positione una posita,ex duabus autem positionibus primis et minimis,siquidem contingit et syllogizare. Si igitur et *a b*, et *c* sequatur, et hæc ad invicem, et ipsi *a*,si quidem igitur contingit ex alternis monstrare omnia quæsita in prima figura,sicut ostensum est in iis qui de syllogismo sunt.Ostensum est autem quod in aliis figuris aut non fit syllogismus,aut non de acceptis quæ autem non mutuo prædicantur,nequaquam est demonstrare circulo,quare quoniam pauca quidem hujusmodi in demonstrationibus sunt, manifestum est quod vanum quidem et impossibile sit dicere ex iis quæ sunt ad invicem esse demonstrationem,et propter hoc contingere omnium esse demonstrationem.

CAPUT IV.

Quid de omni, quid per se, et per universale..

Quoniam autem impossibile est aliter se habere id cujus est scientia simpliciter, necessarium utique erit id esse scibile,quod est secundum demonstrativam scientiam. Demonstrativa autem est, quam habemus in habendo demonstrationem ex necessariis itaque syllogismis est demonstratio. Accipiendum igitur est ex quibus et qualibus demonstrationes sunt, primum quidem determinabimus quid dicimus de omni,et quid per se,et quid universale.De omni quidem,hoc dico,quod utique est non quodam quidem, in quodam autem non, neque quod aliquando quidem, aliquando vero non, ut si de omni homine animal, si verum est quidem dicere hominem, verum est et dicere animal, et si nunc alterum,et alterum, et si in omni linea punctum, similiter est, signum autem est, namque instantias sic ferimus, ut de omni etiam interrogati,aut si in quodam non, aut si aliquando non.Per se autem sunt quæcunque sunt in eo quod quid est,ut triangulo inest linea,et punctum lineæ,substantia enim ipsorum ex his est, et in ratione dicenti quid est,insunt.Et quibuscunque eorum quæ insunt ipsis, ipsa in ratione insunt quid est monstranti, ut rectum inest lineæ, et circulare, et par, et impar numero, et primum, et compositum,et isopleurum,et altera parte longius, et quæ omnibus his insunt, in ratione quid est dicente, illinc quidem linea, hinc vero numerus, similiter et in aliis hujusmodi, unicuique per se esse

uæcunque vero neutraliter insunt,accidentia
: musicum,aut album animal. Amplius,quod
subjecto alio quodam dicitur,ut ambulans,
um,cum et alterum quiddam sit ambulans et
Substantia autem et quæcunque hoc aliquid
ant, non alterum aliquid sunt quam quod
1 sunt; quæ quidem igitur non de subjecto
nt,per se dico, quæ vero de subjecto, acci-
.Item alio modo quod quidem propter ipsum
nicuique, per se dico, quod vero non pro-
psum, accidens est, ut si ambulans co-
it, accidens est, non enim propter id quod
ıvit, coruscavit, sed accidens dicimus hoc.
propter ipsum, per se, ut si aliquid in-
um interiit, secundum interfectionem, quo-
ropter id quod interfectum est interiit, sed
od accidat interfectum interire.Quæ ergo di-
in simpliciter scibilibus per se sic sunt,sicut
rædicatis,aut inesse, propter ipsaque sunt et
essitate, non enim contingat non inesse, aut
citer, aut opposita, ut lineæ aut rectum, aut
um, et numero aut par aut impar, est enim
riorum, aut privatio, aut contradictio in eo-
enere,ut par aut impar in numeris secundum
onsequitur; quare si necesse est affirmare,
gare, necesse est et quæ sunt per se,inesse.
ni quidem, et per se, sed determinatum sit
odo.Universale autem dico,quod cum de omni
ıer se est,et secundum quod ipsum est. Ma-
ım igitur est quod quæcunque sunt universalia
essitate insunt rebus.Per se autem et secun-
uod ipsum est,ut per se lineæ inest punctum,et
do,et namque[inest enim]secundum quod linea
riangulo secundum quod triangulus est,insunt
cti, etenim per se triangulus duobus rectis
s est.Universale autem est tunc,cum in quo-
et primo monstretur, ut duos rectos habere,
cuilibet figuræ inest universaliter, et tamen
onstrare de figura quod duos rectos habet,sed
e figura qualibet, nec utitur qualibet figura
rans,quadrangulus enim figura quidem est,
abet autem duobus rectis æquales,sed isosce-
bet quidem quodlibet duobus rectis æquales,
on primum,sed triangulus prius. Quodcunque
primum monstratur duos habere rectos,aut
unque aliud, huic primo inest universale, et
nstratio per se hujus universalis est,aliorum
1 quodammodo, et non per se,neque isoscelis
iversaliter, sed in plus.

CAPUT V.

Ut locontingat allucinatio circa universale primum.

rtet autem non latere quoniam multoties con-
peccare, et non esse quod demonstratur pri-
universale, secundum quod videtur demon-
universale primum; oberramus autem hac de-
ne,cum aut aliud nihil sit accipere a superiori
singulare, vel singularia, aut si sit quidem,
nominatum sit in differentibus specie re-
aut contingat esse sicut in parte, totum in

A quo monstratur: iis enim quæ sunt in parte,inest
quidem demonstratio, et erit de omni, sed tamen
non hujus erit primi universalis demonstratio,dico
autem hujus primi secundum quod hujus demonstra-
tionem, cum sit primi universalis. Si ergo aliquis
monstrabit quidem quod recte non intercidant,vide-
bitur utique hujus esse demonstratio, propter id
quod in omnibus est rectis.Non autem est, nisi qui-
dem (quoniam sic æquales sint) fiat hoc, sed secun-
dum quod quomodolibet æquales. Et si triangulus
non esset alius quam isosceles, secundum quod iso-
sceles videretur utique inesse. Et proportionale
quod communicabiliter est, secundum quod numeri
sunt, et secundum quod lineæ, et secundum quod so-
lida, et secundum quod tempora sunt, quemadmo-
B dum demonstratum est aliquando seorsum, contin-
gens autem de omnibus una demonstratione mon-
strari sed propter id quod non est nominatum
aliquid secundum quod hæc omnia unum sunt,
numeri, longitudines, tempora, solida, et specie dif-
ferentia, seorsum ab invicem accepta sunt, nunc au-
tem universale monstratur. Non enim secundum
quod lineæ sunt, aut secundum quod numeri, inerat,
sed secundum quod hoc est, quod universale suppo-
nunt esse. Propter hoc nec si aliquis monstret unum-
quemque triangulum demonstratione aut una, aut
altera, quod duos rectos habet unusquisque, iso-
pleuron seorsum, et scalenon, et isosceles, nondum
cognovit triangulum quod duos rectos habet, nisi
sophistico modo, neque universaliter triangulum, ne
quidem si nullus est præter hæc triangulus alter,
C non enim secundum quod triangulus est, cognovit,
neque omnem triangulum, sed secundum numerum,
secundum speciem autem non omnem, et si nullus
est quem non novit. Quando ergo non novit uni-
versaliter, et quando novit simpliciter, manifestum
est, quoniam si idem erit triangulo esse, et isopleuro,
aut unicuique, aut omnibus, si vero non idem, sed
alterum, est autem secundum quod est triangulus,
non novit. Utrum autem secundum quod est triangu-
lus, aut secundum quod est isosceles insit, et quando
de hoc est primum et universale, cujus est demon-
stratio,manifestum est,quando remotis insit primum
ut isosceli æneo triangulo insunt duo recti, sed æ-
neum esse remoto et isoscele,sed non figura aut
termino,sed non primis.Quo igitur primo? si itaque
D triangule est,et secundum hoc inest,et aliis,et hu-
jus universalis est demonstratio.

CAPUT VI.

Demonstrationem ex necessariis et propositionibus per se esse.

Si igitur est demonstrativa scientia, et ex neces-
sariis principiis,quod enim scitur non potest se ali-
ter habere.Quæ autem per se sunt necessario insunt
rebus,hæc enim insunt in eo quod quid est,quibus-
dam autem hæc insunt in eo quod quid est,prædi-
cantibus de ipsis,quorum alterum oppositorum ne-
cesse est inesse.Manifestum est igitur quod ex hu-
jusmodi quibusdam utique fit demonstrativus syllo-
gismus,omne enim aut sic inest,aut secundum ac-

cidens, accidentia autem necessaria non sunt. Aut igitur sic dicendum, aut principium ponentibus quod demonstratio necessaria sit, et si demonstretur non aliter habere posse, ex necessariis igitur oportet esse syllogismum, ex veris quidem est, et non demonstrantem syllogizare, ex necessariis autem non est, sed aut demonstrantem hoc enim proprium jam de nonstrationis est. Signum autem est quod demonstratio ex necessariis sit, quoniam et instantias sic ferimus ad opinantes demonstrare. Quoniam non sit necesse si opinamur, aut omnino contingere aliter, aut orationis causa. Manifestum autem ex iis est, et quoniam stulti qui opinati sunt accipere bene principia, si probabilis sit propositio, et vera, ut sophistæ quoniam scire, scientiam est habere, non enim quod probabile est aut non, principium est, sed primum in genere circa quod demonstratur, et verum non omne, proprium. Quod autem ex necesssriis oportet esse syllogismum, manifestum ex his est, si enim non est habens rationem propter quid existente demonstratione, non est sciens, sit autem utique ut quod *a*, de *c* ex necessitate esse, *b* autem medium per quod demonstratum est non ex necessitate, non scivit propter quod, non enim est hoc propter medium. hoc quidem contingit non inesse, conclusio autem necessaria. Amplius si aliquis nescit, nunc habens rationem, et salvatus est, et salva re, nec oblitus est neque prius scivit, corrumpetur autem utique medium nisi sit necessarium. Quare habebit quidem rationem salvus, salva re, nescit autem, nec ergo prius scivit, si vero non corruptum est, contingit autem corrumpi quod accidit, utique erit possibile, et contingens, sed est impossibile. sic se habentem scire. Cum igitur conclusio quidem ex necessitate est, nihil prohibet medium non esse necessarium, per quod monstrata est, est enim necessarium et ex non necessariis syllogizare, sit et verum ex non veris. Cum autem medium ex necessitate est, et conclusio est ex necessitate, sicut ex veris verum est semper. Sit enim *a* de *b* ex necessitate, et hoc de *c*, necesse est ergo et *a c* inesse, sed cum non ex necessitate sit conclusio, neque medium necessarium esse possibile est, sit enim *a* in *c* non ex necessitate inesse, in *b* autem *a*, et hoc in *c* ex necessitate erit, sed non esse supponebatur. Quoniam igitur si scit demonstrative, oportet ex necessitate inesse, manifestum quoniam et per medium necessarium oportet habere demonstrationem, aut non sciet, neque enim propter quid, neque quia, quare necesse est illud esse, sed aut opinabitur, nesciens, si opinabitur non necessariam tanquam necessarium, aut neque opinabitur similiter, sive quoniam sciat per media, sive propter quid, et per immediata. Accidentium autem non per se quo modo definitum est, per se quidem non est scientia demonstrativa, non enim est ex necessitate monstrare conclusionem, accidens enim contingit non esse, de tali autem dico accidente. Et tamen ambiget fortasse aliquis, cujus causa hæc oportet interrogare de his, si non necesse est conclusionem esse, nihil enim differt si aliquis interrogatus contingentia, postea dicat conclusionem oportet autem interrogare non tanquam necessarium esse propter interrogata, sed quod dicere necesse est illa dicenti, et vere dicere si veræ sunt quæ insunt.

CAPUT VII.

Demonstrationes ex iis quæ per se sunt et ex perpetuis esse.

Quoniam autem ex necessitate sunt circa unumquodque genus quæcunque per se sunt, et secundum quod unum quodque est manifestum est quoniam de iis quæ sunt per se, scientificæ demonstrationes, et ex talibus sunt. Accidentia enim non necessaria sunt. Quare non necessarium conclusionem scire propter quid sit, neque si semper sint, non per se autem, ut sunt per signa syllogismi, hoc enim per se, non per se sciet, neque propter quod. Propter quid autem scire et per causam scire. Propter hoc ipsum ergo oportet et tertio medium, et primum medio inesse. Non ergo est ex alio genere descendentem demonstrare, ut geometricum in arithmeticam. Tria enim sunt in demonstrationibus : unum quidem quæ demonstratur conclusio, hoc autem est quod inest alicui generi per se; unum autem dignitates, dignitates autem sunt ex quibus est demonstratio; tertium autem genus subjectum, cujus passiones, et per se accidentia ostendit demonstratio. Ex quibus igitur demonstratio fit, contingit eadem esse. Quorum autem genus alterum est, sicut arithmeticæ et geometriæ, non est arithmeticam demonstrationem convenire in magnitudinibus accidentia, nisi magnitudines numeri sint (hoc autem quo modo contingit in quibusdam posterius dicetur), sed arithmetica demonstratio semper habet genus circa quod fit demonstratio, et aliæ similiter. Quare aut simpliciter necesse est idem esse genus, aut aliquo modo, si debet demonstratio descendere, aliter autem quoniam impossibile, manifestum est, ex eodem enim genere necesse est ultima, et media esse, si namque non sunt per se, accidentia erunt. Propter hoc geometriæ non est demonstrare quod contrariorum una sit scientia, sed neque quod duo cubi sit unus cubus, neque alterius scientiæ, quod alterius est, sed aut quæcunque sic se habent ad invicem, ut quod alterum sit sub altero, ut perspectivo ad geometriam, et consonantia ad aritmethicam, neque si aliquid inest lineis non secundum quod lineæ sunt, et non in quantum ex propriis principiis, ut si pulcherrima linearum recta est, aut si contrario modo se habeat circularis, non enim secundum quod proprium ipsarum genus est, sed in quantum commune quoddam. Manifestum autem est, et si sint propositiones universales ex quibus est syllogismus, quod necesse est et conclusionem perpetuam esse hujusmodi demonstrationis, et simpliciter (ut est dicere demonstrationis. Non est ergo demonstratio corruptibilium, neque scientia simpliciter, sed sic est sicut secundum accidens, et non universalis ipsius est, sed aliquando et sic ; cum autem ita sit, necesse est alteram non universalem esse propositionem et corruptibilem ; corruptibilem quidem, quo-

ı et conclusio est ; non universalem autem, hoc quidem erit, hoc autem non erit ex qui- ɔst, quare non est syllogizare universaliter, sed ıiam nunc est. Similiter se habet de definitione, iam quidem est definitio aut principium demon- ionis, aut demonstratio positione differens, aut usio quædam demonstrationis. Eorum autem sæpe fiunt, sunt demonstrationes et scientiæ ınæ defectus), manifestum est quoniam secun- quod hujusmodi sunt, semper sunt, in quan- autem non semper secundum partem sunt. Si- utem defectus est, similiter et in aliis.

oniam autem manifestum est quod demonstrare ıquodque non est, sed aut ex unoquoque prin- rum si id quod demonstratur sit secundum quod ud, non autem est scire hoc quidem, si ex veris emonstralibus monstretur, et immediatis. Est sic monstrare sicut Bryson tetragonismon: se- um commune enim monstrant rationes hujus- quod et alteri inest, unde et in aliis conveniunt ıtiones non congeneis. Non itaque secundum scit, sed secundum accidens, non enim convenit ınstratio et in aliud genus. Unumquodque au- cimus non secundum accidens, cum secundum cognoscimus, secundum quod est ex principiis in quantum illud est, ut duobus rectis æquales e, cui inest per se quod dictum est, ex princi- llius. Quare si per se et illud inest cui inest, se est medium in eadem proximitate esse ; si ıon sit, sed sicut harmonica per arithmeticam ımodi autem demonstratur quidem similiter, se ınt. Nam ipsum quidem quia alterius quidem ;iæ est, subjectum enim genus alterum est, sed er quid, est superioris, cujus per se passiones Quare ex his manifestum est quod non sit de- trare unumquodque simpliciter, aliter quam ex iis uniuscujusque principiis, sed horum prin- habent commune. Si autem manifestum hoc, estum et quoniam non est uniuscujusque pro- rincipia demonstrare. Erunt enim illa omnium ipia, et scientia eorum domina omnium, et ue scit magis ex sperioribus causis sciens, ex bus enim scit, cum non ex causatis sciat causis ı si magis scit, et maxime et scientia illa erit gis, et maxime. Sed demonstratio non covenit ud genus aliter quam, ut dictum est, geome- in machinativas, aut perspectivas, et arithme- n harmonicas. Difficile autem est nosse si ex cujusque principiis scimus, aut non, quod m est scire, opinamur autem hoc, si habe- ıx veris aliquibus syllogismum et primis scire; oc non est, sed congenea oportet esse primis.

CAPUT VIII.

incipiis tum vagis communibusque, tum propriis ac addictis.

ıo autem principia in unoquoque genere, quæ quoniam sint non contingit demons- .Quid quidem igitur significent et prima et sunt ex primis, accipiendum ; quod [F. A quoad] autem principia, quidem [*an.* quædam ?] necesse est accipere, alia vero demonstrare : ut quid unitas, aut quid rectum, et quid triangulus, esse tem unitatem accipere, et magnitudinem, altera vero monstrare. Sunt autem quibus utuntur in demonstrativis scientiis, alia quidem propria uniuscujusque scientiæ, alia vero communis. Communia vero secundum analogiam, quoniam utile est quantumcunque est in eo (quod est sub scientia) genere. Propria principia quidem, ut lineam esse ejusmodi, et rectum. Communia autem, ut, æqualia ab æqualibus si auferas, quod æqualia reliqua sunt. Sufficientes autem unumquodque horum, quantumcunque in genere est. Idem enim faciet, etsi non de omnibus accipiat, sed in magnitudinibus solum, aritmeticæ autem in numeris. Sunt autem propria quidem, et quæ B accipiuntur esse, circa quæ scientia speculatur, quæ sunt per se, ut arithmetica unitates, geometria autem signa et lineas, hæc enim recipiunt, esse et hoc esse, horum autem passiones per se. Quid quidem unaquæque significet, accipiunt, ut arithmetica quidem, quid par, aut impar, aut quadratus, aut cubus, geometria vero quid irrationale, aut inflecti, aut concurrere, quod autem sint, demonstrant per communia, et ex iisque demonstrantur, et astrologia similiter. Omnis enim demonstrativa scientia circa tria est, quæcunque esse ponuntur. Hæc autem sunt genus, cujus per se passionum speculativa est, et quæ communes dicuntur dignitates, ex quibus primis demonstrant, et tertium passiones, quarum quid significet unaquaque accipit. Quasdam tamen scientias C nihil prohibet quædam eorum despicere : ut genus non supponere esse, si sit manifestum quoniam est, non enim similiter manifestum est quoniam numerus sit, et quod calidum; et frigidum, et passiones non est recipere quid significent, si sint manifestæ, sicut neque communia non recipit qui significent quod est æqualia ab æqualibus demere quoniam notum est. Sed nihil minus natura tria hæc sint, circa quod demonstrat, et quæ demonstrat, et ex quibus Non est suppositio, neque petitio, quod necesse et propter seipsum esse, et videri necesse est : non enim ad exterius orationem demonstratio, sed ad eam quæ est in anima, quoniam neque syllogismus. Semper enim est instare ad exterius orationem, sed ad interius orationem non smper. D Quæcunque ergo quidem demonstrabilia esse accipit ipse non demonstrans, hæc si quidem quæ videntur accipiat, dicenti suppositio, et non est simpliciter suppositio, sed illum solum, si vero neque unius opinionis, aut contraria est, accipiat, idem petit. Et in hoc differt suppositio, et petitio, est enim petitio in contrarium discentis opinioni, aut quodcunque aliquis demonstrabile cum sit, accipiat, et utatur non demonstrans. Termini igitur non sunt suppositiones, nihil enim esse aut nos esse dicunt, sed in propositionibus sunt suppositiones. Terminos solum intelligere oportet, hoc autem non est suppositio, nisi et audire aliquis suppositionem esse dicat, sed quibuscunque existentibus in eo quod illa sunt, fit conclusio. Neque

autem geometra falsa supponit, sicut quidam affirmant dicentes quod oportet non falso ut geometram, mentiri autem dicentem lineam esse unius pedis, quæ non est unius pedis aut rectam lineam, non rectam existentem, sed geometra nihil secundum hanc lineam concludit, quam ipse posuit, sed quæ per hanc ostenduntur. Amplius. Petitio et suppositio omnis, aut sicut torum est, aut in parte, termini autem neutrum horum. Species quidem igitur esse, aut unum aliquid extra multa non necesse est esse, si demonstratio erit, esse tamen unum de multis verum dicere, necesse est. Non enim erit universale nisi hoc sit. Si vero universale non sit, medium non erit, quare neque demonstratio, oportet itaque aliquid unum, et idem de pluribus esse non æquivocum. Non contingere autem idem simul affirmare, et negare, neque una recipit demonstratio, sed aut si indigeat monstrare conclusionem sic, ostenditur autem accipientibus primum de medio quod verum, negare autem non verum, medium autem nihil differt esse, et non est accipere, similiter autem et tertium, si enim assignetur de aliquo hominem, verum est dicere, et si non hominem, verum, sed si solum hominem animal esse, omne, non animal autem non. Erit enim verum dicere Calliam, sive non Calliam esse animal, non animal autem, non. Causa autem est quod primum non solum de medio dicitur, sed de alio, propter id quod de pluribus, quare neque si medium et idem est, et non idem, ad conclusionem nihil differt. Commune autem affirmare, aut negare, quæ est ad impossibile demonstratio, accipit, et hoc neque semper, universaliter, sed quantum sufficiens est sufficiens autem est in genere : dico autem in genere, ut circa quod genus demonstrationes fert, sicut dictum est prius. Communicant autem omnes scientiæ secundum communia. Communia autem dico, quibus utuntur tanquam ex eis demonstrantes, sed non ex quibus demonstrant, neque quod demonstrant. Et dialectica quidem de omnibus, et si aliqua universaliter tentet monstrare communia, ut quod est affirmare omne aut negare, aut quod est æqualia ab æqualibus demere, aut talium quælibet sed dialectica non est definitorum sic quorumdam neque generis alicujus unius, non enim interrogaret demonstrantem autem non est interrogare, propter id quod oppositorum esse non monstrat idem. Ostensum autem est hoc in iis quæ de syllogismo.

CAPUT IX.

Cujusque disciplinæ proprias, accommodatasque esse interrogationes.

Si autem idem est interrogatio syllogistica, et propositio contradictionis, propositiones autem sunt secundum unamquamque scientiam, ex quibus est syllogismus, secundum unaquamque erunt utique aliquæ interrogationes scientiales, ex quibus qui est secundum unamquamque proprius fit syllogismus. Manifestum itaque quod non omnis interrogatio geometrica erit, neque medicinalis, similiter autem et in aliis, sed ex quibus aut monstratur aliquid de quibus geometrica est, aut quod ex eisdem monstratur geometriæ, ut visibilia, similiter autem et in aliis. Et de iis quidem et rationem ponendam esse ex geometricis principiis et conclusionibus, sed principiorum rationem non ponendam esse geometræ secundum quod est geometria, similiter autem et in aliis scientiis. Neque omne est utique unumquemque scientem interrogandum, neque secundum omne interrogatum esse respondendum de unoquoque, sed quæ sunt secundum scientiam determinata. Si autem disputet cum geometra, secundum quod est geometra, sic manifestum est quod et bene, si ex iis aliquid demonstret, si vere non, non bene, manifestum autem est quod non arguit geometram, sed aut secundum accidens. Quare non utique erit non geometricis de geometria disputandum latebit enim prave disputans, similiter autem et in aliis se se habet scientiis. Quoniam sunt geometricæ interrogationes, nonne sunt et non geometricæ? Et quæ sunt secundum unamquamque scientiam, et quæ secundum ignorantiam qualis geometrica est? Et utrum qui secundum ignorantiam syllogismus, qui est ex oppositis syllogismus, an paralogismus? Secundum geometriam autem, aut ex alia arte ut musica, est interrogatio non geometrica, de geometrica autem, ut ad invicem parallelas concurrere opinari, geometrica quodammodo est, et non geometrica alio modo, dupliciter enim hoc est sicut arithmon, alterum quidem non geometricum est in non habendo, alterum vero in prave habendo, et ignorantia hæc quæ est ex ejus principiis, contraria est. In doctrinis autem non est similiter paralogismus, quia medium semper est dupliciter, etenim de hoc omni, et hoc iterum de alio dicitur, omni, quod autem prædicatur, non dicitur omne. Hæc autem sunt ut est videre in intellectu ; sed in orationibus latet, utrum omnis circulus figura sit, si scribatur autem, manifestum est. Quid autem, sintne carmina circulus? manifestum quoniam non sunt. Non oportet autem instantiam in ipsum ferre si sit propositio inductiva, sicut enim neque propositio est, quæ non est in pluribus, non enim erit in omnibus, ex universalibus autem syllogismus manifestum est quod neque instantia est, eædem enim sunt propositiones et instantiæ, quam enim fert instantiam, hæc fiet utique propositio demonstrativa, aut dialectica. Contingit autem quosdam non syllogistice dicere propter id quod accipiunt utriusque consequentia, ut et Cæneus facit quod ignis in multiplicata analogia fit, et namque ignis cito generatur, sicut dicit, et hæc est analogia. Sic autem non est syllogismus, sed si velocissima analogia sequitur multiplicata, et ignem velocissima in mutatione analogia. Aliquando quidem igitur syllogizare non contingit ex acceptis, aliquando vero contingit, sed non videtur. Si autem esset impossibile ex falsis vero monstrare, facile utique esset resolvere, converterentur enim ex necessitate. Sit enim *a* ens, hoc autem cum sit, ea utique sunt quæ novi quoniam sunt ut *b*, ex his igitur monstrabo quoniam illud est. Convertuntur autem magis quæ sunt in mathematicis, quoniam nullum

recipiunt accidens (et in hoc differunt ab iis quæ sunt in dialogis), sed definitiones. Augentur autem non per media, sed in assumendo, ut *a* de *b*, hoc autem de *c*. Item hoc de *d*, et hoc in infinitum, et in latus, ut *a* de *c*, et de *e*, ut est numerus quantus, vel infinitus. Hoc autem in quo sit *a* numerus impar quantus in quo *b*, numerus impar in quo *c*, est et itaque *a* de *c*, et est par quantus numerus in quo sit *d*, par numerus in quo es *e*, est ergo *a* de *e*.

CAPUT X.

De demonstratione propter quid, et quod est.

Sed quia differt, et propter quid scire, primum in eadem scientia, et in hac dupliciter. Uno quidem modo si non per immediata fiat syllogismus, non enim accipitur prima causa, sed quæ propter quid scientia, est secundum primam causam. Alio modo si per immediata quidem, sed non per causam, sed per convertentia, et per notius, prohibet enim nihil æque prædicantium, notius aliquando esse non causa, quare per hanc erit demonstratio. Ut quod prope sint planetæ, per illud quod non scintillare, sit in quo *c* planetæ, in quo *b* non scintillare, in quo *a* prope esse, verum igitur est de *c b* dicere, planetæ enim non scintillant, sed et *a* de *b*, non scintillans enim prope est. Hoc autem accipitur per inductionem, aut per sensum, necesse ergo *a* ipsi *c* inesse, quare demonstratum est quod planetæ prope sunt. Hic ergo sillogismus non est propter quid, sed quia, non enim ex eo quod non scintillant prope sunt, sed propter illud quod prope sunt, non scintillant. Possibile est autem et per alterum, alterum monstrare, et erit propter quid demonstratio, ut sit *c* planetæ, in quo *b* prope esse, *a* non scintillare est igitur *b* in *c*, quod est non scintillare, quare et in *c*, et erit propter quid syllogismus, accepta enim est prima causa. Iterum sic lunam demonstrant quod quidem circularis sit per incrementa, si enim quod augetur sic circulare quidem sit augetur autem sic luna manifestum quoniam circularis sic igitur ipsius, quia factus est sillogismus, e converso autem posito medio ipsius propter quod syllogismus fit. Non enim propter augmenta ipsius circularis est, sed quia circularis est, accipit augmenta hujusmodi. Luna sit in quo *c*, in quo *b* sit augmentum, sit in quo *a* circulare In quibus autem media non convertuntur, et est notius quod non est causa, quia monstratur, sed et propter quid, non amplius in quibus medius extra ponitur, etenim in his non propter quid, sed ipsius quia demontratio, non enim dicitur causa. Ut propter quid non respirat paries, quia non est animal, si enim non respirandi causa est hoc, oportet esse animal causa respirandi. Ut si negatio causa est ipsius non esse, affirmatio causa est ipsius esse, sicut si sine mensura esse calida et frigida, causa est non sanandi, et mensura hujus causa erit sanandi. Similiter autem et si affirmatio est causa ipsius esse, et negatio ipsius non esse. In his autem sic demonstratis non contingit quod dictum est, non enim omne animal respirat. Sillogismus autem hujus causæ est in media figura, ut sit *a* animal, in quo *b* respirare, in quo *c* paries, in quo *b* quidem igitur omni est *a* omne enim respirans est animal, in *c* autem nullo, quare neque *b* in *c* nullo est, non igitur respirat paries. Comparantur autem hujusmodi causæ secundum excellentiam dictis, hoc autem est plurimum distans medium dicere, sicut enim illud est quod Anacharsidis, quod in Scythis non sunt sibilatores, neque enim vites. Secundum igitur eamdem scientiam, et secundum mediorum positionem, hæ differentiæ sunt ipsius, quia ad eum qui propter quid est syllogismum. Alio autem modo differt propter quid ab ipso quia, quod est per aliam scientiam utrumque speculari. Hujusmodi autem sunt, quæcunque sic se habent ad invicem, quod alterum sub altero est, ut perspectiva ad geometriam, et machinativa ad stereometriam, et harmonica ad arithmeticam, et apparentia ad astrologiam. Fere quidem univocæ sunt harum quædam scientiarum, ut astrologia mathematica, et quæ navalis est, et harmonica mathematica, quæ est et secundum auditum. Hic enim ipsum, quia sensibilium est scire, sed propter quid, mathematicorum. Hi enim habent causarum demonstrationes, et frequenter nesciunt ipsum, quia sicut illi universale considerantes, sæpe quædam singularium nesciunt propter id quod non intendunt. Sunt autem hæc quæcumque alterum quiddam sunt secundum substantiam et utuntur speciebus. Mathematicæ enim circa species sunt, non enim de subjecto aliquo, si enim de aliquo subjecto geometrica sunt, sed non sunt secundum quod geometrica sunt. Habet autem se ad perspectivam sicut hæc ad geometriam, et alia ad istam, ut id quod est de iride ipsum quidem quia est scire physici, sed propter quid perspectivi, aut simpliciter, aut secundum disciplinam. Multæ autem, et non sub se invicem scientiarum, habent sic, ut medicina ad geometriam, quod enim vulnera cicularia tardius sanantur, medici est scire quia, propter quid autem geometræ.

CAPUT XI.

Primam figuram maxime scientiæ esse accomodatam.

Figurarum autem faciens scire maxime, prima est. Mathematicæ enim scientiarum per hanc demonstrationes ferunt, ut arithmetica, et geometria, et perspectiva, et fere est dicere quæcunque propter quid speculari faciunt considerationem, aut enim omnino, aut sicut frequentius, et in plurimis, per hanc figuram (qui est propter quid) fit syllogismus, quare et propter hoc erit maxime faciens scire, propriissimum enim scire, propter quid speculari. Postea ipsius quod quid est scientiam, per hanc solam venari possibile est. In media enim figura non fit prædicativus syllogismus, sed ipsius quod quid est scientia, affirmationis est, in ultima autem fit quidem, sed non universaliter, sed quod quid est, universalium est. non enim quodammodo est animal bipes homo. Amplius hæc quidem illis nihil indiget, illæ autem per hanc densantur, et augmentantur quousque utique ad immediata veniant, manifestum igitur est

quod maxime propria scientiæ est prima figura. Sicut autem *a* esse in *b* contingit indivisibiliter, sic et non esse possibile est; dico autem indivisibiliter esse, vel non esse eo quod non est aliquid eorum medium, sic enim non erit secundum aliud esse. Cum igitur aut *a* aut *b* in toto aliquo sit, aut etiam ambo, non contingit *a* in *b* primo non esse. Sit enim *a* in toto *c*, igitur si *b* non est in toto *c* (potest enim *a* quidem esse in quodam toto, sed *b* non esse in hoc), syllogismus erit quod non sit *a* in *b*; si enim in *a* quidem omni est *c*, in *b* autem nullo est, in nullo *b* est *a*. Similiter autem et si *b* in aliquo toto est, ut in *b*, *d* enim in omni *b* est, in *a* autem nullo, *d*, quare *a* in nullo *b* erit per syllogismum. Eodem autem modo monstrabitur et si utraque in toto aliquo sit. Quod autem contingit *b* non esse in quo toto est *a*, aut iterum *a* in quo est *b*, manifestum est ex coordinationibus, quæcunque non commutantur ad invicem, si enim nihil eorum quæ sint in *a c d* coordinatione, de nullo prædicatur eorum quæ sunt in *b e f*, *a* autem in toto *g*, sic coordinatione existente, manifestum est quod *b* non erit in *g*, commutarentur enim coordinationes similiter autem est et si *b* in toto aliquo est. Si vero neutrum sit in toto aliquo nullo, non sit autem *a* in *b*, necesse est indivisibiliter non esse; si enim erit aliquod medium, necesse est alterum horum in quodam toto esse, aut enim in prima figura, aut in media erit syllogismus, si quidem igitur in prima figura *b*, erit in toto aliquo, affirmativam enim ad hoc oportet fieri propositionem. Si vero in media, utrum contingit ad utrumque enim posito privativo erit syllogismus, cum autem utraque privativa sit, non erit, manifestum igitur est quod contingit et aliud in alio non esse indivibiliter, et quando contingit, et quo modo diximus.

CAPUT XII.

De ignorantia et syllogismo imperitiæ eorum quæ primo immediateque insunt.

Ignorantia autem non secundum negationem, sed secundum dispositionem dicta, est quidem per syllogismum facta deceptio. Hæc autem in iis, que insunt primo, aut non insunt, contingit dupliciter, aut enim est cum simpliciter accipiat esse, vel non esse, aut cum per syllogismum accipiat opinionem, simplicis quidem ergo opinionis simplex deceptio, sed quæ est per syllogismum plures sunt. Non sit enim *a* in nullo *b* indivisibiliter, ergo si syllogizet *a* esse in *b* medium accipiens *c*, deceptus erit per syllogismum, contingit igitur utrasque propositiones esse falsas, contingit autem alteram solum esse falsam, si enim neque *a* in nullo *c* erit, neque *c* in nullo *b* erit, accepta autem utraque e contrario, utraque enim erunt falsæ. Potes autem sic se habere *c* ad *a*, et ad *b*, quod neque *c* sub *a* sit, neque in *b* universaliter; *b* quidem impossibile est esse in aliquo toto, primum enim dictum est in ipso *a b* non esse, *a* autem non necesse, est omnibus inesse, quæ sunt *c* universaliter, quare utræque falsæ sunt. Sed alteram contingit veram accipere, non tamen quamlibet contingit, sed quæ est *a c*, nam *c b* propositio semper falsa erit, propter id quod *c* in nullo *b* est, sed quæ est *a c* potest, ut si *a* et in *c*, et in *b* indivisibiliter est, cum enim primum prædicetur idem de pluribus, neutrum in neutro erit. Differt autem nihil, neque si non indivisibiliter insit, ipsius quidem esse, igitur deceptio per ista, et sic fit solum, non enim erat in alia figura ipsius esse syllogismus, qui vero ipsius non esse, in prima figura, et in media est, primum igitur dicamus quot modis in prima fit, et quomodo se habentibus propositionibus. Contingit igitur utrisque falsis, ut si *a* et in *b* et in *c* indivisibiliter, sit, si enim accipiatur *a* in *c* nullo esse, *c* autem in omni *b*, falsæ sunt propositiones. Contingit autem et altera falsa, et hac quacunque contingente, potest enim quæ est *a c* vera esse, que vero *b c* falsa, sed que est *a c* vera, quoniam non in omnibus quæ sunt, inest *a*, sed quæ est *c b* falsa esse, quoniam impossibile est esse in *b c*, in quo nullo est *a* non enim etiam vera erit, quæ est *a c* propositio, simul autem et si sint utræque veræ, et conclusio vera erit, sed etiam quæ est *c b*. Contingit veram esse cum altera sit falsa, ut si *b* in *c* sit, et in *a*, necesse est enim alterum sub altero esse, quare si accipiatur *a* in nullo *c* esse, falsa erit propositio, palam igitur quoniam et cum altera si falsa, et in utrisque, falsus syllogismus erit. Sed in media quidem figura totas propositiones esse utrasque falsas non contingit, cum enim in omni *b a* sit, nihil erit accipere quod in altero erit omni, in altero vero nullo erit, oportet autem sic in media figura accipere propositiones, et quod in hoc quidem sit, et quod in hoc non sit, si quidem erit syllogismus, si igitur accipiantur sic falsæ, palam quod contrariæ e converso se habebunt, hoc autem impossibile est. In aliquo autem utramque propositionem nihil prohibet falsam esse, ut si *c* in *a*, et in *b* aliquo est; si enim *a* in omni *c* accipiatur esse, *b* autem in nullo, falsæ quidem utræque propositiones, non tamen totæ, sed in aliquo, e converso autem posito privativo similiter. Alteram autem falsam, et qualibet contingit, quod enim est in *a* omni, et in *b* est, si igitur acciapiatur in *a* quidem toto esse *c*, in *b* autem toto non esse, quæ quidem est *c a* erit vera, sed quæ est *c b* falsa. Iterum quod in *b* nullo est, neque in *a* omni erit, si enim in *a* est, et in *b*, sed non inerat, si igitur accipiatur *c* in toto quidem *a* esse, in *b* autem nullo quidem, quæ est *b c* propositio vera est, altera vero falsa. Similiter autem fit transposito privativo, quod enim in nullo est *a*, neque in *b* nullo erit si igitur accipiatur *c* in toto quidem *a* non esse, in *b* autem esse toto, quæ quidem est *a c* propositio vera est, altera autem falsa. Et iterum quod in omni *b* est, in nullo accipere *a* esse, falsum est, necesse enim est si in omni *b*, et in quodam *a* esse, si igitur accipiatur in omni quidem *b* esse *c*, in *a* autem nullo, quæ quidem est *c b*, vera erit, quæ autem est *a c*, falsa. Manifestum igitur quod utrisque falsis, et altera solum, erit syllogismus deceptivus indivisionibus.

CAPUT XIII.

ogismo imperitiæ eorum quæ insunt mediate.

i autem quæ non indivibiliter insunt, aut non ,cum quidem per proprium medium falsitatis logismus, non possibile est falsas utrasque opositiones,sed solum quæ ante majus extre- Dico autem proprium medium, per quod fit dictionis syllogismus : sit enim *a* in *b* per me- , quoniam igitur necesse est quæ est *c b* affir- m accipi syllogismo facto, manifestum quod · hæc est vera, non enim convertitur, sed quæ falsa, hac enim conversa, e contrario fiet syl- us. Similiter autem est, et si ex alia coordina- ccipiatur medium, ut *d*, si et in toto *a*, et de icatur omni, necesse est enim (quæ quidem propositionem manere, alteram autem con- B)uare hæc quidem semper vera, illa vero · falsa, et fere hujusmodi deceptio, eadem est fit per proprium medium. Si vero non per im medium fiat syllogismus,cum quidem sub ɔdium, in *b* autem nullo est,necesse est utras- as esse,sumendæ enim e contrario sunt quam abeant propositiones, si debeat syllogismus c autem acceptis,utræque fiunt falsæ, ut si *a* in toto *d* est, *d* autem in nullo *b*, conversis s, syllogismus erit, et propositiones utræque Cum vero non sit sub *a* medium ut *d*, quæ . est *a d* vera erit, quæ vero est *d b* falsa, quæ st *a d* vera est, quia non erit in *a*, *d*, quæ ve- *b* falsa, quia si esset vera, et conclusio esset ɔd falsa erat. Sed per mediam figuram facta one, utrasque quidem non contingit falsas C opositiones totas, cum enim sit *b* quidem sub contingit in hoc quidem omni, in illo autem ıse, sicut dictum est et prius. Altera vero po- e falsa, et quæcunque contingit. Si enim *c* et , in *a* est, si accipiatur in *a* quidem esse, in ıon esse, quæ quidem *a c* vera erit, altera au- ɔa. Item si in *b* accipiatur *c* esse, in *a* autem ɜt, quæ quidem est *c b* vera erit, altera autem iquidem igitur privativus sit deceptionis syl- us, dictum est quando et per quæ erit dece- vero sit affirmativus, tunc cum per proprium n, impossibile est utrasque esse falsas, ne- st enim quæ est *c b* manere, siquidem erit ımus sicut dictum est et prius, quare *c a* sem- falsa, hæc enim est conversa. Similiter au- D et si ex alia ordinatione accipiatur medium, ictum est et in privativa deceptione, necesse ɜt quæ quidem est *d b* manere, quæ vero est verti, et hæc deceptio eadem est priori. Cum ɔ non per proprium, si quidem sit *d* sub *a*, idem erit vera, altera vero falsa, potest enim ıribus esse, quæ non sunt sub se invicem. Si n sit *d* sub *a*, hæc quidem semper manife- ɜt quoniam est falsa, affirmativa enim acci- Quæ vero est *d b*, contingit et veram esse, m, nihil enim prohibet *d* quidem in nullo *d* autem in omni *b*, ut animal in scientia, scien- A tia autem ut in musica, neque utique *a* in nullo *d*, neque *d* in nullo *b* esse. Manifestum igitur est quoniam cum non sit medium proprium, et utræ possunt simul esse falsæ, et quæcunque contingit. Quot quidem igitur modis, et per quæ possunt fieri secundum syllogismum deceptiones, et in aliis quæ sunt sine medio, et in iis quæ sunt per demonstrationem manifestum est.

CAPUT XIV.

Si sensus a natura deficit, et scientiam propriorum sensibilium illius deficere.

Manifestum est autem, et si aliquis sensus defecerit, necesse est aliquam scientiam deficere, quam impossibile est accipere, si quidem discimus, aut per inductionem, aut per demonstrationem. Est autem demonstratio ex universalibus, inductio B autem ex iis quæ sunt particularia. Impossibile autem est universalia speculari, nisi per inductionem, quoniam et quæ ex abstractione dicuntur, est per inductionem nota facere, si quis vult nota facere, quia sunt in unoquoque genere quædam, et si non separabilia sint secundum quod hujusmodi unumquodque est. Inducere autem non habentes sensum, impossibile est, singularium enim sensus est, non enim contingit accipere ipsorum scientiam, neque enim est ex universalibus sine inductione, neque per inductionem sine sensu.

CAPUT XV.

Ex quot et qualibus constat syllogismus, et an sursum deorsumve fiat in infinitum abitio.

Est autem omnis syllogismus per tres terminos, C et quidem monstrare possibilis est quoniam *a* est in *c*, propter id quod est in *b*, et hoc in *c*. Sed privativus est quidem alteram propositionem habens quoniam est aliquid aliud in alio, alteram autem quoniam non est. Manifestum igitur est quod principia, et suppositiones dicta hæc sunt, accipientem enim hæc sic, necesse est monstrare ut quod *a* sit in *c* per *b*, iterum autem quod *a* sit in *b* per aliud medium, et quod *b* sit in *ç* similiter. Secundum igitur opinionem syllogizantibus, et solum dialectice, manifestum est quod hoc solum intendendum, si ex quibus contingit maxime probabilibus fiat syllogismus. Quare et si est aliquid in veritate eorum quæ sunt *a b* medium, videtur autem non esse per hoc syllogizans, syllogizat dialectice. Ad veritatem D autem, ex iis quæ sunt oportet intendere, habet autem se sic. Quoniam autem est quod ipsum quidem de alia prædicatur, non secundum accidens. Dico autem secundum accidens, ut album aliquando dicimus illud esse hominem, non similiter dicentes et hominem album, cum enim non sit alterum, aliquod album est, album autem est homo, quoniam accidit homini esse album, sunt igitur quædam hujusmodi, quæcunque secundum se prædicantur. Si igitur *c* hujusmodi quod ipsum quidem non in alio sit, in hoc autem *b* sit primo, et non per aliud medium, iterum *e* de *d* sit, et similiter et hoc in *b*, nunquid igitur hoc necesse est stare, au contingit in

infinitum ire? Et iterum si de *a* quidem nihil prædicatur per se, *a* autem in *f* est primo, medium autem in nullo priori, et *f* in *a*, et hoc in *b*, nunquid et hoc stare necesse est? an et hic contingit in infinitum abire? Differt autem hoc a priori intantum, quoniam hoc quidem est nunquid, contingit incepturum ad hujusmodi quod in nullo est altero, sed aliud in illo, in sursum in infinitum abire, alterum autem incœpturum ab hujusmodi quod ipsum quidem de alio, de illo autem nihil prædicatur, in deorsum intendentem, si contingit in infinitum ire. Amplius media nunquid contingit infinita esse determinatis terminis? Dico autem ut si *a* in *c* sit, medium ipsorum sit *b*, ab ipso autem *b*, et ab *a* altera, sed horum alia, nunquid et hæc in infinitum contingit abire? an impossible est? est autem hoc quidem intendere idem et si demonstrationes in infinitum veniunt, et si est demonstratio omnis rei, an ad invicem concludantur. Similiter autem dico et in privativis syllogismis et propositionibus, ut si *a* non inest *b* nulli aut primo, aut est aliquid medium, cui priori non inest *a*, ut si sit *g* quod omni *b* inest, et iterum hoc non etiam alii priori, ut si *h* est quod sit in omni *b*, et namque in his aut infinita sunt, in quibus non est in prioribus, aut statur. Sed inconvertibilibus non similiter se habet, non enim est in æque prædicabilibus de quo primo prædicatur, aut ultimo, omnia enim ad omnia sic similiter se habent, sive sunt infinita de ipso prædicata, sive utraque sunt dubitata infinita, nisi similiter converti contingat, sed hoc quidem sicut accidens, illud vero sicut prædicatum.

CAPUT XVI.

Determinatis extremis, summo imoque, media non esse infinita.

Quoniam igitur media non contingit infinita esse, si in sursum et deorsum stent prædicata, manifestum est. Dico autem sursum quidem, quod universale magis est, deorsum autem, quod particulare est. Si enim *a* prædicante de *c*, infinita sunt media, in quibus est *b*, manifestum est quod continget utrique, ut ab *a* in deorsum alterum de altero contingit prædicari in infinitum, antequam enim in *c* veniat, infinita sunt media, et ab *c* in sursum infinita, antequam in *a* veniat. Quare si hæc impossibilia sunt, et ipsius *a* et *c* impossibile esse media. Neque enim si aliquis dicat quod hæc quidem quæ *a b c* contingentia sunt ad invicem, ut et non sint media, illa vero non esse accipe, nihil differt. Quodcunque enim accipio eorum quæ sunt *b*, erunt ab *a*, aut *c* infinita media. An non a quo jam prima sint infinita sive statim, sive non statim, nihil differt? quæ enim sunt post hæc, infinita sunt.

CAPUT XVII.

Propositionis negativæ mediate media, quibus revocetur ad immediatam, non esse infinita.

Manifestum autem et in privata demonstratione quoniam statur, si quidem in prædicativa statur in utrisque. Sit enim non contingens neque in sursum ab ultimo in infinitum ire (dico autem in quo statur, A quod ipsum quidem in alio nullo est, sed in illo aliud ut *c*) neque a primo in ultimum. Dico autem primum quod ipsum quidem de alio, sed de illo nullum aliud dicitur: si igitur hæc erunt, manifestum quod et in negatione stabitur. Tripliciter autem monstratur non esse, aut enim in quo quidem est *c*, *b* inest omni, sed in quo est *b* nulli, inest *a*, ipsum igitur *b c*, et semper alterum spatium necesse est ire in immediata, prædicativum enim est hoc spatium. Sed alterum manifestum est, quod si in alio non est priori, ut in *d*, hoc indigebit in omni *b* esse, et si iterum *a* in alio priore quam *d* non fuerit, illud indigebit in omni *d* esse: quare quoniam in deorsum stat, via, et quæ in sursum stabit, et erit aliquid in quo primo non erit *a*. Item si *b* B quidem in omni *a*, in *c* autem nullo, *a* in *c* nullo erit. Iterum hoc si oportet monstrare, manifestum est, quod aut per superiorem modum sursum monstrabitur, aut per hunc, aut tertium. Primus quidem igitur dictus est, secundus autem demonstrabitur. Sic autem utique monstrabitur, ut quod *d* in *b* omni est, in *c* autem nullo, si necesse est aliquid esse in *b*, et iterum si hoc in *c* non erit, aliud vero in *d* est quod in *c* non est, igitur quoniam esse semper superiori stat, stabit et non esse. Tertius autem modus est, si *a b* omni insit, *c* vero in nullo *b* sit, non in omni *c*, in quo est *a*. Iterum autem hoc per superius dicta aut similiter demonstrabitur. Illis igitur modis statur. Si vero sic est, iterum accipietur *b* in *e* esse, in quo *c* non in omni *e*, et hoc C iterum similiter. Quoniam autem suppositum est stare et in deorsum, manifestum est quod stabit et quod in *c* non est. Manifestum autem est quoniam et si non una via monstretur, sed omnibus, aliquando quidem ex prima figura, aliquando vero ex secunda, aut ex tertia, quoniam et sic stabitur, finitæ enim sunt viæ. Finita autem finite sumpta pluries, necesse est finiri omnia. Quod quidem igitur in privatione si quidem et inesse statim, manifestum est.

CAPUT XVIII.

Propositionis affirmativæ mediatæ, media non esse infinita.

Sed quid in illis qui quidem logice speculantur, sic manifestum fit. In iis quidem igitur quæ quidem in eo quod quid est prædicantur, manifestum est; si est enim definire, aut si notum est quod qui erat esse, D infinita autem non est transire, necesse est finiri in eo quod quid est prædicata. Universaliter autem sic dicimus, est enim vere dicere album ambulare, et magnum illud lignum esse, et iterum lignum magnum esse, et hominem ambulare, sed alteram est sic dicere, aut illo modo, cum enim album quidem esse dico quod cui accidit album esse, lignum est, sed non quod subjectum signo, album sit, et namque neque quod album est, neque quod quidem album aliquod est, factum lignum est, quare non est aliter quam secundum accidens. Cum autem lignum album esse dico, non quod aliquod alterum sit album, illi autem accidit lignum esse, ut cum musicum album esse dico, tunc enim quoniam homo est albus, cui

accidit esse musicum, dico sed lignum est subjectum quod quidem et factum est, non cum alterum aliquid sit quam quod quidem lignum est, aut lignum aliquod. Si igitur oportet nomina ponere, sit sic dicere prædicari, sed illo modo, aut nullo modo prædicari, aut prædicari quidem non simpliciter, sed secundum accidens prædicatur, est autem tanquam album quidem quod prædicatur, sed sicut lignum est de quo prædicatur. Supponatur ergo prædicatum prædicari semper de quo prædicatur, simpliciter, sed non secundum accidens. Sic enim demonstrationes demonstrant. Quare in eo quod quid est, aut quoniam quale, aut quantum, aut ad aliquid, aut faciens, aut patiens, aut ubi, aut quando, cum unum de uno prædicabitur. Amplius, substantiam quidem significantia, quod quidem illud est, aut aliquod illud quidem significant de quo prædicantur. Quæcunque vero non substantiam significant, sed de aliquo subjecto dicuntur, quod non est, neque quod illud est, neque quod quidem illud aliquid est, accidentia sunt, ut de homine album. Neque enim est homo, neque quod quidem album est, neque quod quidem album est aliquid, sed animal forsan, quod quidem enim animal est, homo est. Quæcunque vero non substantiam significant, oportet de aliquo subjecto prædicari, et non esse quid album, quod non cum alterum aliquod sit, album est. Species enim valeant, et genera, monstra enim sunt, et si sint, nihil ad rationem sunt, demonstrationes enim de hujusmodi sunt. Amplius, si non est hoc hujus qualitas, et illud hujus, neque, qualitatis qualitas, impossibile est æque prædicari ad invicem sic, sed verum quidem contingit dicere sic, æque autem vere prædicari non contingit. An enim sicut substantia prædicabitur, aut ut genus, aut ut differentia prædicari? hæc autem ostensa sunt, quoniam non erunt infinita, neque in sursum, neque in deorsum, ut homo bipes, hoc animal. hoc autem alterum est, neque animal de homine, hoc autem de Callia, hoc autem de alio in eo quod quid est, substantiam enim omnem est definire hujusmodi, infinita autem non est transire intelligentem, quare neque in sursum, neque in deorsum infinita sunt, illam enim non est definire, de qua infinita prædicantur. Sic igitur genera ad invicem, non æqualiter prædicantur, erit enim ipsum, quod quidem ipsum aliquid est, neque tamen de qualitate, aut aliorum nullo, nisi secundum accidens prædicabitur, omnia enim hæc accidunt, et de substantiis prædicantur, sed quoniam neque in sursum, infinita sunt. De unoquoque enim prædicatur quod significat aut quantum aliquid, aut quale aliquid, aut hujusmodi quæ sunt in substantia, hæc autem finita sunt, et genera prædicamentorum finita, aut enim quale, aut quantum, aut ad aliquid, aut facere, aut pati, aut ubi, aut quando. Suppositum autem est unum de uno prædicari, ipsa autem de ipsis quæcunque non ad aliquid sunt, prædicari, non dicimus, accidentia enim sunt omnia, sed hæc quidem secundum seipsa, alia vero secundum alterum modum.

A Hæc autem omnia de subjecto quodam prædicari dicimus, accidens autem non esse subjectum aliquod, nihil enim talium ponimus esse, non quod alterum aliquod esse dicitur, sed ipsum de aliis. et alia quidem de alio, neque in sursum, ergo unum de uno, neque in deorsum esse dicetur. de quibus enim dicuntur accidentia, quæcunque in substantia uniuscujusque sunt, hæc autem non sunt infinita, sed sursum ipsa quoque et accidentia utraque non infinita sunt. Necesse est ergo esse aliquid, de quo primum prædicetur, et de hoc aliud, et hoc stare, et esse aliquid quod non amplius, neque de alio priori, neque de illo aliud prius prædicetur. Unus quidem igitur modus demonstrationis, dicitur hic. Adhuc autem alius, si de quibus priora quædam prædicantur, est
B horum demonstratio, quorum autem est demonstratio, neque potius habere possibile est ad ipsa, quam scire, neque scire est sine demonstratione, si autem hoc, per hæc sit notum. Hæc autem nescimus, neque melius habemus ad ipsa quam scire, neque per hæc notum sciemus. Si igitur est aliquid scire per demonstrationem simpliciter, et non ex aliquibus, neque ex suppositione, necessarium est stare prædicationes mediorum, si enim non steterint, sed est semper acceptio in superius, omnium erit demonstratio, quare si infinita non possibile est pertransire, quorum est demonstratio, hæc non sciemus per demonstrationem. Si igitur neque melius habemus ad ipsa quam scire, non erit scire per demonstrationem simpliciter, sed ex suppositione. Logice quidem igitur ex his utique aliquis credat, de eo
C quod dictum est. Analytice autem manifestum est per hæc velocius, neque in sursum, neque in deorsum infinita prædicata contingit esse in demonstrativi scientiis, de quibus intentio est; demonstratio enim est ex his quæcunque ipsa quidem insunt secundum seipsa rebus, secundum seipsa vero dupliciter; quæcunque enim in illis insunt in eo quod quid est, et in quibus ipsa in eo quod quid est insunt ipsis, ut in numero impar, quod inest quidem numero, est autem ipse numerus in ratione ipsius, et iterum multitudo, aut divisibile, in ratione numeri, horum autem neutra contingit infinita esse, neque ut impar numeri. Iterum enim si impar illud insit, cui inerat existenti hoc, si est primum numerus, erit iis quæ insunt ipsi. Si igitur non contingit infinita
D hujusmodi esse in uno, neque in sursum erunt infinita, at vero necesse est omnia inesse primo, ut numero, et in illis numerum, quare convertibilia erunt, sed non excedentia. Neque tamen quæcunque sunt in eo quod quid est, neque hæc infinita sunt, neque esset definire: quare si prædicata per se quidem omnia dicuntur, hæc autem non infinita sunt, stabunt utique in sursum, quare et in deorsum, si autem sic est, et quæ sunt in medio duorum terminorum semper sunt finita. Si vero hoc est, manifestum jam est, et demonstratio non quod necesse est principia esse, et non omnium esse demonstrationem, quod quidem diximus quosdam dicere juxta princi-

pium, si enim principia sunt. Non omnia sunt demonstrabilia, neque in infinitum possibile ire, esse enim horum quodlibet, nihil est aliud quam esse nullum spatium sine medio, et indivisibile, sed omnia divisibilia. Intus enim immittendo terminum, sed non assumendo demonstratur quod demonstratur, quare si hoc in infinitum contingit ire, contingit utique duorum terminorum infinita esse interius media, sed hoc impossibile est, si prædicationes steterint in superius, et in inferius : quod autem stent, monstratum est logice prius, analytice vero nunc.

CAPUT XIX.

Elementa monstrandarum mediatarum non infinita esse.

Monstratis autem his, manifestum est si aliquid idem insit duobus, ut *a* et in *c*, et in *d*, non prædicante altero de altero, aut nullo modo, aut non de omni, quod non semper secundum commune aliquid inerit, ut isosceli, et scaleno, æquales duobus rectis habere, secundum commune aliquid inest, secundum enim quod figura quædam sunt, et non secundum alterum. Hoc autem non semper sic se habet. Sit enim *b* secundum quod *a*, in *c* et *d*, erit manifestum igitur quod *b* in *c d* secundum aliud commune est, et illud secundum alterum, quare duorum terminorum medii infiniti utique inciderunt termini, sed hoc est impossibile, secundum igitur aliquid commune inesse, non necesse est semper idem pluribus, quoniam quidem erunt immediata spatia. In eodem tamen genere, et ex eisdem atomis necesse est terminos esse, siquidem iis quæ per sunt, erit commune, non enim erat ex alio genere in aliud genus descendere quæ demonstrantur. Manifestum est autem quoniam et cum *a* in *b* sit, siquidem est aliquid medium, est demonstrare quod *a* in *b* sit, et elementa hujus sunt hæc et tot quot media sunt, immediatæ enim propositiones sunt elementa, aut omnes, aut universales ; si vero non est medium, non amplius erit demonstratio, sed in principia via est hæc. Similiter autem erit et si *a* in *b* non sit, siquidem enim aut medium est, aut prius cui non inest, erit demonstratio. Si vero non sit medium, non est demonstratio, sed principia, et elementa sunt tot quot sunt termini, horum enim propositiones principia demonstrationis sunt, et sicut quædam principia sunt indemonstrabilia quod sit hoc illud, et quod sit hoc in illo, sic quod non erit hoc illud, neque quod sit hoc in illo. Quare hæc quidem esse aliquid, alio non esse aliquid, erunt principia. Cum ergo indigat monstrare aliquid, accipiendum quod de *b* primum prædicetur. Sit *c*, et de hoc similiter *a*, et sic semper eunti nunquam extra, erit propositio, deque si esse ipsius *a* accipiatur ut demonstretur, sed semper medium densetur quousque indivisibilia fiant, et unum, est autem unum, cum immediatum fiat, et una propositio simplex est immediata, et quemadmodum in aliis est principium simplex. Hoc autem non idem ubique est, sed in gravi quidem uncia in melodia autem diesis, aliud autem in alio, sic A est in syllogismo unum, propositio immediata, in demonstratione autem, et scientia, intellectus. In ostensivis igitur syllogismis ejus quod est, nihil cadit extra. Sed in privativis, ubi quidem quod oportet esse, nihil cadit extra hoc, ut si *a* in *b* per *c* non inest, si enim in *b* quidem omni *c*, est autem *a* in nullo *c*. Iterum si indigeat quod in *c*, *a* nullo sit, medium accipiendum est ipsius *a* et *c*, et sic semper procedet. Si vero indigeat monstrare quod *d* in *e* non sit, eo quod est *c* in *d* quidem omni, in *e* autem nullo, aut non in omni, *e* nunquam extra cadit, hoc autem est, cui non oportet inesse. In tertio autem modo, neque a quo oportet, neque quod oportet privari, nequaquam extra ibit.

CAPUT XX.

B *Quod demonstratio universalis præstantior sit particulari..*

Cum autem sit omnis demonstratio, alia quidem universalis, alia vero particularis, et hæc quidem cathegorica, illa vero privativa, dubitabitur qualis potior sit, similiter autem et de ea, quæ demonstrare dicitur, et deducenti ad impossibile demonstratione. Primum quidem igitur intendamus de universali et particulari. Ostendentes autem hoc, et de ea quæ demonstrare dicitur, et quæ est ad impossibile, dicemus. Videbitur igitur fortassis utique quibusdam sic intendentibus, quod particularis est potior, si enim secundum quam magis scimus demonstrationem, potior demonstratio est, hæc enim virtus demonstrationis. Magis autem scimus unumquodque cum ipsum cognoscimus secundum ipsum, quam secundum aliud, ut musicum Coriscum, quando cognoscemus quod Coriscus musicus est, quam quod homo musicus sit. Similiter autem et in aliis. Sed universalis quoniam aliud, non quoniam ipsum fortasse demonstrat, ut quoniam isosceles habet tres angulos æquales duobus rectis, non quoniam isosceles, sed quoniam triangulus, sed particularis quoniam ipsum est ; si igitur potior est quæ est secundum ipsum, hujusmodi autem est particularis, et universali magis et potior utique secundum partem demonstratio erit.

C

Ampliue, si universale quidem non est aliquid præter singularia, demonstratio autem opinionem conficit esse aliquid hoc de quo demonstrat, et quamdam naturam esse hanc in iis quæ sunt (ut trianguli præter quosdam, et figura præter quasdam, et numeri præter quosdam numeros), potior autem est quæ est de esse quam de non esse, et propter quam non errabitur, quam propter quam errabitur ; est autem universalis hujusmodi (procedentes enim demonstrant universale quemadmodum de eo quod est proportionale ut quod sit tale, erit proportionale quod neque linea, neque numerus, neque solidum, neque planum est, sed præter hæc aliquid), si igitur universalis magis hæc est, et de eo quidem quod est minus, universalis quam particularis, et fecit opinionem falsam, indignior utique erit universalis particulari. Et primum quidem nihil magis in universali quam in particulari altera ratio est,

D

si enim quod duobus rectis inest, non est secundum quod est isosceles, sed secundum quod triangulus est, cognoscens quoniam isosceles habet tres inquantum ipsum est, minus cognovit quam cognoscensa, quoniam triangulus est, et omnimo si non quidem secundum quod sit triangulus, et postea monstrat, non erit utique demonstratio ; si vero sit cognoscens unumquodque secundum quod unumquodque est, magis cognovit, si igitur triangulus in plus est, et eadem ratio, et non secundum æquivocationem triangulus est, et inest omni triangulo quod est duobus rectis æquales habens, non utique est triangulus inquantum isosceles, sed isosceles secundum quod triangulus hujusmodi habet tres angulos. Quare universaliter sciens magis cognovit secundum quod est, quam particulariter, potior est ergo universalis quam particularis. Amplius, siquidem sit quædam ratio una, et non æquivocatio, universale erit utique nil minus secundum partem quibusdam, sed magis est quanto incorruptibiliora sunt illis, quæ vero secundum partem sunt corruptibilia magis. Amplius, nec una necessitas est opinari abquid esse hoc præter hæc, quoniam ostendunt unum nihil magis quam in aliis quæcunque non aliquid significant, sed aut quale, aut ad aliquid, aut augere ; si ergo, non demonstratio causa est, sed audiens. Amplius, si demonstratio est syllogismus demonstrativus qui fit causæ et propter quod, universale magis causa ; cui enim per se inest aliquid, hoc idem ipsi causa est : universale autem primum, causa ergo universale est, quare et demonstratio dignior est, magis enim causæ est universale, et ejus quod propter quid est. Amplius, usque ad hoc quærimus propter quid, etenim tunc opinamur scire, cum non sit aliquid aliud quam hoc aut quod fiat, aut quod sit, finis enim et terminus ultimus jam sic est, ut cujus causa venit ? ut accipiat argentum. Hoc autem est quatenus reddat cui debuit. Hoc autem ut non injuste agat, et sic procedentes cum non sit amplius propter quid, nec alterius causa, propter hoc sicut propter finem dicimus venire, et esse, et fieri, et tunc est scire maxime propter quid venit; si igitur se habet similiter, et in omnibus causis, et quæ sunt propter quid, in iis autem quæcunque sic sunt causæ, sicut quæ est cujus causa sic scimus maxime, et in aliis igitur tunc maxime scimus, cum non amplius sit hoc quoniam aliud est: cum igitur cognoscimus quidem quod quatuor qui extra sunt æquales sunt, quoniam isosceles, adhuc deest propter quid isosceles ? quia triangulus, et hoc, quia est figura rectis lineis contenta. Si autem hoc non amplius propter quod aliud, tunc maxime scimus, universale est autem tunc, universalis igitur potior. Amplius quantocunque utique magis secundum partes est, in infinita cadit, universale autem in simplex, et in finem, sunt autem secundum quod infinita non scibilia, sed secundum quod finita scibilia sunt, secundum utique quod universalia, magis scibilia sunt, quam quæ sunt secundum partem demonstrabilia, ergo magis universalia. De magis demonstrabilibus autem magis est demonstratio, simul enim magis ad aliquid sunt, dignior igitur universalis est, quoniam quidem et magis demonstratio est.

Amplius, si magis eligenda est secundum quam hoc et aliud, quam secundum quam hoc solum cognovit, universale autem habens, cognovit particulare, hoc autem, universale non scivit, quare et sic utique magis eligenda erit universalis. Amplius autem et sic. Universale enim magis scire est eo quod est per medium demonstrare, cum propius sit principio, proxime autem immediatum est, hoc autem est principium. Si igitur quæ ex principio est ea quæ non ex principio, quæ magis ex principio ea quæ minus est, certior est demonstratio, est autem hujusmodi universalis magis, dignior utique erit universalis, ut si oportet monstrare *a* de *d*, media autem sint in quibus est *b c*, magis autem sursum sit *b* quam *c*, quare si per *b* magis est universalis, sed eorum quæ dicta sunt quædam logica sunt. Maxime autem manifestum est quod universalis magis præcipua sit, quoniam propositionum quidem hanc priorem habentes, scimus quodammodo, et posteriorem et habemus potentia, ut si aliquis cognoverit quod omnis triangulus habeat tres duobus rectis æquales, scivit quodam modo et quod isosceles duobus rectis potentia sit, et si non cognovit isosceles quod triangulus sit, hanc autem habens propositionem, nullo modo universale cognovit, neque potentia, neque actu. Et universalis quidem intelligibilis est, sed particularis in sensu perficitur. Quod igitur universalis dignior sit particulari, tot nobis dicta sint.

CAPUT XXI.

Quod demonstratio affirmativa præstantior evadat negativa.

Quod autem monstrativa sit dignior privativa, hinc manifestum est, sit enim hæc demonstratio dignior (aliis eisdem existentibus) aut ex minoribus quæstionibus, aut suppositionibus, aut propositionibus. Si enim notæ sunt similiter velocius cognoscere per hæc erit, hoc autem appetibilius est. Ratio autem propositionis quod melior sit ex minoribus, universaliter est sic, si enim contingit similiter cognita esse mediæ, priora autem notiora sunt. Si autem per media demonstratio eorum, quæ sunt *b c d* quod *a* in *e* sit, altera autem demonstratio quod *a* in *d* sit per *b c* similiter igitur se habet hoc quod *a* in *d* sit, et quod *a* in *e* sit, sed quod *a* in *d* sit prius est, et cognoscibilius quam quod *a* in *e*, per hoc enim illud demonstratur : credibilius autem est per quod. Et quæ per pauciora demonstratio, potior aliis eisdem existentibus. Utræque quidem per terminos tres et propositiones duas monstrant, sed hæc quidem esse aliquid accipit, illa vero et esse, et non esse aliquid. Per plura itaque, quare dignior est. Amplius, quoniam ostensum est impossibile per utramque privativarum propositionum fieri syllogismum, sed oportere quidem hujusmodi esse unam, aliam vero quoniam est. Amplius, præter hoc oportet et hoc accipere, prædicativas enim augmentata demonstratione

necesse est fieri plures, privativas autem impossibile plures una in omni syllogismo esse. Sit enim in nullo esse *a* in quibus est *b*, in *c* autem omni sit *b*, si igitur opus est rursus augere utrasque propositiones, medium injiciendum est, hujus quidem *a b* sit *d*, sed *b c* sit *e*, *e* igitur manifestum est prædicativum esse, sed *d* de *b* quidem prædicativum, *a* autem de *d* tanquam privativum ponitur: *d* enim de omni *b*, sed *a* oportet in nullo *d* esse, fit ergo una privativa propositio. Idem autem modus est et in aliis syllogismis. Semper enim medium prædicativorum terminorum, prædicativum in utraque est, sed privativi in altera privativum necesse est esse, quare hæc una hujusmodi fit propositio, aliæ vero prædicativæ. Si igitur notius est per quod demonstratur, et credibilius, demonstratur autem privativa quidem per prædicativam, hæc autem per illam non demonstratur, prior ergo, et notior, et credibilior cum sit, melior itaque erit. Amplius, si principium syllogismi propositio universalis sit immediata, est autem ut in monstrativa prædicativa, in privativa autem, negativa propositio universalis, affirmativa autem negativa prior, et notior (per affirmativam enim negativa nota) et prior affirmativa est, sicut esse prius est non esse. Quare potius est principium monstrativæ quam privativæ, dignioribus autem principiis utitur dignior. Adhuc principalior est, sine enim monstrativa non est privativa. Quod quidem prædicativa, privativa dignior sit, manifestum est.

CAPUT XXII.

Demonstrationem ostensivam potiorem esse ea quæ ducit ad incommodum.

Et ad impossibile ducente, oportet autem scire quæ differentia sit ipsarum. Si igitur *a* in nullo *b*, in *c* autem omni *b*, necesse est in nullo *c* esse *a*; sic igitur acceptis, ostensiva privativa erit demonstratio, quoniam *a* in *c* non erit. Quæ vero est ad impossibile sic se habet. si opus est demonstrare quod *a* in *b* non sit, accipiendum est *a* esse in *b*, et *b* in *c*, quare accidit *a* in *c* esse. Hoc autem si notum, et concessum quod ipsum est impossibile esse, non igitur possibile est *a* in *b* esse. Si ergo *b* in *c* concessum est inesse, *a* in *b* impossibile est esse, termini igitur similiter ordinantur. Differt autem quo, qualis sit notior privativa propositio, utrum igitur quia *a b* non inest, an quia *a c*, cum igitur est conclusio notior quoniam non est, quod est impossibile, fit demonstratio, cum autem in syllogismo sit, demonstrativa est. Natura autem prior est, quæ est quod *a* in *b* non sit, quam *a* in *c* non sit, priora enim conclusione sunt, ex quibus est conclusio, est autem quæ est *a* in *c* non esse, conclusio, *a* autem in *b* ex quibus est conclusio. Non enim si contingit removeri aliquid, hoc conclusio est, illa autem ex quibus sunt, sed hoc quidem ex quo syllogismus est, utique sic se habet, ut aut sicut totum ad partem, aut ut pars ad totum se habet, sed quæ sunt *a c*, et *a b* propositiones, non sic se habent ad invicem. Si igitur ex dignioribus et credibilioribus dignior est, sunt autem utræque ex non esse aliquid, credibiles, sed hæc quidem ex priori, illa vero ex posteriori, potior utique simpliciter erit ea quæ est ad impossibile, privativa demonstratio, quare et hac dignior prædicativa. Manifestum est ergo quod ea quæ est ad impossibile, potior est.

CAPUT XXIII.

Quæ scientia certior, quæ una, quæ altera, et ejusdem plures esse posse demonstrationes.

Certior autem est scientia, scientia et prior, quæ ipsius quia et propter quid eadem est quam non, extra eam quæ est propter quid. Et quæ non est de subjecto, ea quæ est de subjecto, ut arithmetica, harmonica. Et quæ est ex minoribus ea quæ ex appositione, ut arithmetica, geometria: dico autem ex additione, ut unitas substantia est sine positione, punctum autem substantia posita, hoc autem ex appositione. Una autem scientia est, quæ est unius generis, quæcunque ex primis componitur, et partes sunt aut passiones horum, quæ sunt per se. Altera autem scientia est ab altera, quarumcunque principia neque ex eisdem, neque ex alteris sunt. Hujus autem est signum, cum in demonstrabilia veniant, oportet enim in eodem genere esse cum iis quæ demonstrantur, signum autem est et hujus, cum demonstrabilia, per ipsa in eodem genere sunt, et proxima. Plures autem demonstrationes ejusdem possibile est esse, non solum ex eodem ordine accipiendi non continuum medium (ut eorum quæ sunt *a b*, *c* et *d* et *e*), sed et ex altero, ut sit *a* transmutari, in quo autem *d* moveri, sed lætari sit in quo *b*, et iterum *e* quiescere, verum igitur est et *d* de *b*, et de *d* prædicari, lætans enim movetur, et quod movetur transmutatur, iterum *a* de *e*, et *e* de *b*, verum prædicari, omnis enim lætans quiescit, et quiescens transmutatur, quare per altera media, et non ex eodem ordine syllogismus est, non tamen est neutrum de neutro dici mediorum. Necesse est enim idem *e* alicui utraque inesse, intendere autem est per alias figuras, quot modis contingit ejusdem fieri syllogismum.

CAPUT XXIV.

Non esse scientiam fortuitorum, neque in sensuum functione.

Sed ejus quod est a fortuna non est scientia per demonstrationem. Neque enim sicut necessarium, neque sicut frequenter quod est a fortuna, sed extra hoc fit, sed demonstratio alterius horum. Omnis enim syllogismus aut per necessarias, aut per eas quæ sunt tanquam frequenter propositiones, et siquidem propositiones necessariæ sunt, et conclusio erit necessaria, si vero sint sicut frequenter, et conclusio hujusmodi. Quare si id quod est a fortuna neque est sicut frequenter, neque necessarium, neque utique erit ipsius demonstratio. Neque per sensum est scire, si enim est sensus talis hujus, et non hujus alicujus, sed sentire hoc aliquid est necesse et ubi et nunc. Universale autem quod est in omnibus, impossibile est sentire, neque enim hoc aliquid est, neque nunc, neque ubi, neque enim utique esset universale,

enim semper est, et ubique, universales dicimus ; quoniam igitur demonstrationes universales hæc autem non est sentire, manifestum est neque scire per sensum est. Sed manifestum iam si esset sentire triangulum, quod duobus s haberet æquales angulos, quæreremus utique nstrationem, et non, sicut quidam fatentur, sci- is. Sentire enim necesse est singulariter, scien- item est in cognoscendo universale. Unde et si lunam essemus, et videremus objectam terram, itique sciremus causam defectus, sentiremus quoniam deficeret, sed non propter quid omni- on enim universalis, sensus. Sed ex considerare nultoties accidere universale venantes, demon- ionem habemus, ex singularibus enim pluribus ersale manifestum est. Uuiversale autem hono- s, quoniam ostendit causam : quare de hujus- universalis honorabilior est sensibus et cogni- quorumcunque altera causa est, sed de primis atio est. Manifestum igitur est quod impossibile ntiendo scire aliud demonstratorum, nisi ali- dicat sentire, scientiam habere per demonstra- m. Sunt tamen quædam reducta ad sensus de- m in propositis, quædam enim si videremus, tique quæreremus Sed non tanquam scientes in ido, sed tanquam habentes universale ex eo videmus, ut si vitrum foratum videremus, et n pertransiens, manifestum utique erit et pro- quid illuminat, propter id quod videremus qui- seorsum in unoquoque, intelligere autem simul quoniam in omnibus sic est.

CAPUT XXV.

mnium syllogismorum eadem principia esse posse

lem autem esse principia omnium syllogismo- impossibile est, primum quidem logice specu- ous, hi enim veri sunt syllogismi, alii autem Et si enim sit verum ex falsis syllogizare, sed l hoc fit, ut si *a* de *c* verum sit, medium autem ium; neque enim *a* in *b*, neque *b* in *c* ; sed si n media accipiantur propositionum, falsæ erunt, quod omnis conclusio falsa ex falsis est, vera n ex veris, altera autem sunt vera et falsa. Po- neque falsa ex eidem sunt, est enim falsa ad em, et contraria, et impossibilia simul esse, ut iam esse injustitiam, aut timorem audaciam, ominem equum aut bovem, aut æquale, majus nus. Ex oppositis autem sic est, neque enim um eadem principia omnium sunt, altera enim rum genere principia sunt, et neque conve- , ut unitates punctis non conveniunt, hæ enim abent positionem. Illa autem habent. Necesse 1 est aut in media convenire, aut in sursum, aut um, aut hos interius habere, illos autem exte- rminorum. Sed neque communium principio- possunt ex aliqua ex quibus omnia demon- ntur, dico autem communia, ut omne affirmare egare, genera enim eorum quæ sunt, altera et alia quidem in quantitatibus, alia vero in tatibus sunt solum cum quibus demonstrantur per communia. Amplius, principia non multo mi- nora sunt conclusionibus, principia enim proposition- nes sunt, propositiones autem assumpti termini, aut immissi termini sunt. Adhuc conclusiones sunt infi- nitæ, termini autem finiti. Amplius, principia hæc quidem ex necessitate, illa contingentia. Sic igitur considerantibus impossibile est eadem principia esse, aut finita, cum infinitæ sunt conclusiones. Si vero aliter quodammodo dicat quis, quod hæc quidem geometriæ, illa vero numerorum, illa autem medi- cinæ, quid utique erit aliud quod dicitur, nisi quod sunt principia scientiarum diversa? sed eadem dicere derisio est, quoniam eadem eisdem eadem erunt, omni namque sic fiunt eadem. At vero neque quod est ex omnibus demonstrare quodlibet, est quærere omnium esse eadem principia, multum enim insi- piens est. Neque enim in manifestis doctrinis hoc fit, neque in resolutione hoc est possibile, immediatæ enim propositiones sunt principia, altere autem con- clusio fit accepta propositione immediata. Si autem dicat aliquis primas immediatas propositiones eadem esse principia, una in unoquoque genere est. Si vero neque ex omnibus ut opus est demonstrari contingit quodlibet, neque sic ex altero tanquam erunt unius- cujusque scientiæ altera, relinquitur quod proxima sint principia omnium, et ex his quidem hæc, ex illis autem illa. Manifestum autem et hoc est, quo- niam non contingit, monstratum est enim quod altera principia genere sunt differentium genere. Principia enim duplicia sunt, ex quibus et circa quod, ex qui- bus quidem igitur, communia sunt, quæ autem sunt circa quod, propria sunt, ut numerus, magnitudo.

CAPUT XXVI.

Quod scientia et scibile ab opinatione et opinabili discrepent.

Scibile autem et scientia differunt ab opinabili et opinione, quoniam scientia universalis et perneces- saria est, necessarium autem non contingit aliter se habere. Sunt autem quædam vera, quæ contingit aliter se habere, manifestum est igitur quod circa hæc scientia non est, essent enim utique impossi- bilia aliter se habere. At vero neque intellectus, dico enim intellectum principium esse scientiæ, ne- que scientia indemonstrabilis, hæc autem est acce- ptio immediatæ propositionis, verus enim est intel- lectus, et scientia, et opinio, et quid per hæc dicitur. Quare relinquitur opinionem esse circa verum qui- dem, aut falsum, contingens autem est et aliter se habere. Hoc autem est acceptio immediatæ proposi- tionis, et non necessariæ. Certum autem est sic ap- parentibus, opinio ei incertum est, et natura hujus- modi est. Adhuc autem nullus arbitratur opinari, cum opinetur impossibile aliter se habere, sed scire, sed quando esse quidem sic, sed tamen aliter, nihil prohibet et tunc opinari, tanquam hujusmodi qui- dem opinionem esse, necessariam autem scientiam. Quomodo est igitur non idem opinari, et scire? et quare non erit opinio scientia, si quis posuerit omne quod scit contingere opinari ? consequitur enim hic

quidem sciens, ille vero opinans per media, quousque ad immediata veniat, quare si ille quidem scivit, et opinans scivit, sicut enim et quia opinari, et propter quid, hoc autem medium est. An si quis sic arbitrabitur non contigentia aliter se habere, sicut se habent definitiones per quas sunt demonstrationes, non opinabitur sed sciet? Si autem vera quidem esse, non tamen hæc ipsis inesse secundum substantiam, et secundum speciem opinabitur, et non sciet vere, et quia et propter quid, si quidem per immediata opinabitur, si vero non per immediata opinabitur, solum ipsum quia opinabitur. Ejusdem autem opinio, et scientia non penitus est, sed sicut vera, et falsa ejusdem quodam modo est, sic et scientia et opinio ejusdem, et opinionem ei veram, et falsam (sicut dicunt quidam) ejusdem esse, inconvenientia accidunt appetere aliaque, et non opinari quæ opinantur falsæ. Quoniam autem idem multipliciter dicitur, est autem sicut contingit, est autem ut non, commensuratam enim diametrum esse vere, opinari inconveniens est, sed quod diameter (circa quam sunt opiniones) idem sic ejusdem est, sed quod quid erat esse, unicuique secundum rationem non est idem. Similiter autem et scientia, et opinio ejusdem est, hæc enim si animalis est quod non est contingere non esse animal, sed illa quidem quæ est contingere, ut si hæc quidem quod hominis quidem est, illa vero hominis quidem, non autem quod quidem hominis est, idem enim est, quia homo, hoc autem sicut non idem. Manifestum autem ex his est quod neque opinari simul idem, et scire contingit, simul enim haberet utique opinionem aliter habendi, et non aliter idem, quod quidem non contingit, in alio enim unumquodque esse contingit ejusdem, sicut dictum est, sed in eodem nihil sic potest esse, haberet enim opinionem simul. Ut quod homo esset secundum quod est animal, hoc enim fuerit non contingere esse non animal, et non secundum quod animal, hoc enim sicut contingere. Reliqua autem quomodo oportet distribuere in rationem, et intellectum, et scientiam, et artem, et prudentiam, et sapientiam, hæc quidem physicæ est, illa vero ethicæ speculationis magis.

CAPUT XXVII.

De solertia.

Solertia autem est subtilitas quædam in non perspecto tempore medii. Ut si aliquis videns quod luna splendorem semper habet ad solem, statim intellexerit propter quid hoc sit, quia propter id quod illustratur a sole, aut disputantem cum divite, cognovit quoniam commodatum est, aut propter id quod amici sunt, quia inimici ejusdem sunt. Omnes enim causas medias videns, cognovit et ultima. Splendidum esse ad solem sit, in quo *a* lucere a sole, *b*: luna, *c*, inest igitur lunæ quidem ipsi *c b*, quod quidem est lucere a sole, ipsi autem *b a*, quod est ad hoc esse splendidum, a quo splendet, quare et ipsi *c*, inest *a* per *b*.

LIBER SECUNDUS.

CAPUT PRIMUM.

Quot quæri solent disciplinis.

Quæstiones æquales sunt numero iis quæcunque vere scimus. Quærimus autem quatuor, quia propter quid, si est, et quid est. Cum enim utrum hoc insit, aut hoc quærimus, in numerum ponentes ut utrum sol deficiat aut non, ipsum quia quærimus. Signum autem hujus, invenientes enim quia deficit, pausamus, et si in principio sciremus quia deficeret, non quæreremus utrum. Cum autem sciamus ipsum, quia ipsum propter quid quærimus, ut scientes quia deficit sol, et quia movetur terra, et propter quid deficit, et propter quid terra movetur, quærimus hæc quidem sic. Quædam autem alio modo quærimus, ut si est, aut non est centaurus, aut Deus, hoc autem si est aut non, simplicite, dico, sed non si albus est, aut non. Cognoscentes autem quoniam est, quid est quærimus, ut quid igitur est Deus, aut quid est homo. Quæ quidem igitur quærimus, et quæ invenientes scimus, hæc et tot sunt.

CAPUT II.

Omnem quæstionem medii esse.

Quærimus autem, cum quærimus quia est, aut si est simpliciter, utrum sit medium ipsius, aut non; cum autem cognoscentes aut quia est, aut si est, aut in parte, aut simpliciter, iterum propter quid quærimus, aut quid est, et tunc quærimus quid sit medium. Dico autem quia est, aut si est, aut in parte, aut simpliciter. In parte quidem, ut utrum deficit luna, aut augetur, si enim est aliquid, aut non est aliquid, in hujusmodi quærimus; simpliciter autem, si est, aut non est luna, aut nox. Contingit itaque in omnibus quæstionibus quærere, aut si est medium, aut quid est medium. Causa enim est medium, in omnibus autem hæc quæritur, ut utrum deficit luna, utrum est aliqua causa, aut non, post hæc scientes quia est aliqua, quid igitur hæc sit, quærimus. Causa enim ipsius esse non hoc, aut hoc, sed simpliciter substantiam, aut non simpliciter, sed aliquid eorum quæ sunt per se, aut secundum accidens, medium est. Dico autem simpliciter quidem subjectum ut lunam, aut terram, aut solem, aut triangulum, quid autem esse defectum, æqualitatem aut inæqualitatem, si in medio sit, aut non. In omnibus enim his manifestum est quod idem sit quod quid est, et propter quid est. Ut quid est defectus? privatio luminis a luna terræ objectu. Propter quid est defectus, aut propter quid deficit luna? propter defectum luminis objecta terra. Quid est consonantia? ratio numerorum in acuto et gravi. et propter quid consonat acutum gravi? propter id quod rationem habet numerorum et grave et acutum.

est consonare acutum est grave? Utrum sit in
is ratio eorum ? Accipientes autem quia est,
gitur est ratio quærimus. Quod autem sit me-
estio, ostenditur quandocunque medium est
ile. Quærimus enim non sentientes ut de defec-
t, aut non. Si vero essemus super lunam, non
quæreremus neque si fit, neque propter quid
simul manifestum utique esset utrumque, ex
m quod sentimus et universale factum est no-
um. Sensus enim quod nunc objicitur, et ma-
m est quod nunc deficit, ex his autem univer-
iqne factum est. Sicut igitur duximus quod
st scire idem est et propter quid est, hoc au-
t est simpliciter, et non eorum quæ insunt
l est, aut quæ insunt, ut quoniam duo recti
ut quoniam majus aut minus est. Quod igi-
nia quæ quæruntur medii quæstio sint, ma-
m est.

CAPUT III.

ratio quod demonstratio et definitio non ejusdem sint.

nodo autem quod quid est demonstratur, et
iodus introductionis, et quid est definitio, et
m, dicemus, primum opponentes de ipsis.
pium autem sit futurorum, quod quidem sit
ie proprium habitis rationibus. Dubitabit au-
iquis utrum sit idem, et secundum idem defi-
scire et demonstratione scire, aut sit im-
ile. Definitio enim ipsius quod quid est esse
r ; quod autem quid est omne universale et
ativum est ; syllogismi autem sunt, alii qui-
rivativi, alii vero non universales, sicut in
la figura privativi omnes sunt, in tertia vero
niversales. Post ea neque eorum quæ in prima
prædicativorum omnium est definitio, ut quo-
mnis triangulus duobus rectis habet æquales.
autem ratio est, quoniam scire demonstra-
t demonstrationem habere, quare si in talibus
monstratio, est manifestum quod non utique
rum definitio. Sciet enim utique aliquis et se-
m definitionem, non habens demonstrationem,
nim prohibet non simul habere. Sufficit autem
t ex inductione, nihil enim definientes ali-
o cognoscemus, neque eorum quæ per se sunt,
quæ secundum accidens. Amplius, si definitio
ntiæ quædam cognitio est, hujusmodi manife-
st quod non sint substantiæ, quoniam quidem
non est definitio omnis cujus est demonstratio,
stum est. Quid autem cujus est definitio, nun-
mnis demonstratio est, aut non ? una quidem
itio et de hoc eadem est, unius enim inquan-
num est una scientia, quare si utique scire
strabile est demonstrationem habere, accidit
am impossibile, definitionem enim habens
monstratione sciet. Amplius, principia demon-
num sunt definitiones, quorum non esse de-
rationes monstratum est prius: aut enim erunt
pia demonstrabilia, et principiorum principia,
in infinitum abibit ; aut primæ definitiones
erunt indemonstrabiles. Sed utrum si non omnis
ejusdem, sed alicujus ejusdem sit definitio et de-
monstratio, an impossibile sit ; non enim ejusdem
demonstratio cujus est definitio, definitio quidem
ipsius quid est, et substantiæ est, sed demonstratio-
nes omnes videntur supponere, et accipientes quod
quid est, ut mathematicæ quid unitas, et quid impar,
et similiter aliæ. Amplius, omnis demonstratio ali-
quid de aliquo monstrat, ut quia est, aut non est; in
definitione autem nihil alterum de altero prædicatur,
ut neque quod animal de bipede, neque hoc de ani-
mali, neque de plano figura, neque enim est planum
figura, neque figura planum. Amplius, alterum quod
quid est, et quia monstrare, definitio enim quid est
ostendit, sed demonstratio quia est hoc de hoc, aut
non est. Alterius autem altera demonstratio est, nisi
sit tanquam pars quædam totius (hoc autem dico
quod ostensum est duobus rectis æquales habere de
isoscele, si omnis ostensus est triangulus, pars enim
hoc est, illud totum) ; hæc autem ad invicem non
sese habent sic, et quia est, et quid est, non enim al-
terum est alterius pars. Manifestum itaque quoniam
neque cujus definitio, omnis hujus demonstratio, ne-
que cujus omnis sit demonstratio, et hujus omnis
sit definitio. Quare omnino ejusdem nullius contin
git utraque habere. Manifestum est itaque quod ne-
que definitio et demonstratio neque idem erunt,
neque alterum in altero, et namque subjecta simi-
liter se haberent. Hæc ergo usque huc addubitata
sunt.

CAPUT IV.

Syllogismo duplante non demonstrari quid est de eo cujus est.

Ipsius autem quid est utrum syllogismus sit, et
demonstratio aut non, sicut nunc ratio supposuit.
Syllogismus enim aliquid de aliquo monstrat per
medium, sed quid est, proprium quidem est, et in eo
quod quid est prædicatur, hoc autem necesse est
converti. Si enim ipsi *c* proprium est *a*, manifestum
quoque et ipsi *b*, et hoc ipsi *c*, quare omnia sunt ad
invicem ; at vero et si *a* in eo quod quid est omni *b*
inest, et universaliter *b* de omni *c* in eo quod quid
est dicitur, necesse est *a* in eo quod quid est de *c*
dici ; si vero non sic accipit aliquis duplicans, non
necesse erit *a* in eo quod quid est prædicari de *c*,
sed si *a* de *b* in eo quod quid est, non autem *b* de
quocunque in eo quod quid est, ipsum autem quid
est utraque habebunt, de hoc erit utique et *b* de *c*
in eo quod quid est. Si igitur quod quid est et quid
erat esse utraque habent, in medio termino erit prius
quod quid erat esse, et omnino si est monstrare
quid est homo, sit *c* homo, *a* vero quod quid est,
sive animal bipes, sive aliquid aliud. Si ergo syllo-
gizatur *a* de *c*, necesse est *a* de omni *b* prædicari ;
hujus autem erit alia media ratio, quare et hoc eri-
quod quid est homo, accipit igitur quod oportet
ostendere, etenim *b* est quod quid est hominis. Opor-
tet autem in duabus propositionibus, et primis, et
immediatis considerare maxime enim manifestum

quod dicitur,fit. Per conversionem quidem igitur monstrantes quid est anima, aut quid est homo,aut aliud quodlibet eorum quæ sunt,quod est ex principio petunt,ut si quis putet animam esse eamdem sibi ipsi causam vivendi,hoc autem numerum eumdem seipsum moventem, necesse est enim petere animam hoc esse quod numerum esse se ipsum moventem sic sicut idem. Non enim si consequitur *a b*, et hoc *c*, erit in ipso *c a* quod erat esse, sed verum erit dicere *c* solum. Neque si est *a* quod quid est,et de *b* prædicatur omni, et namque animalis esse prædicatur de hominis esse, verum enim est de omni hominis esse animalis esse, sicut et de omni homine animal,sed non sic sicut unum esse. Si quidem igitur non sic accipiat,non syllogizatur quod *a* sit in *c* quod quid erat esse et substantia; si vero sit accipiat, prius erit accipiens in *c*, quoniam est quod quid erat esse *b*,quare non demonstratum est, quod enim erat in principio accepit.

CAPUT V.

Neque idem effici posse per divisionem syllogismo.

At vero neque per divisionem via est syllogizare sicut in resolutione circa figuras dictum est. Nequaquam enim necesse fit rem illam esse, cum hæc sint,sed sicut neque inducens demonstrat. Non enim oportet conclusionem interrogare, neque in concedendo esse,sed necesse est esse cum sint illa, et si non dicat respondens,utrum homo animal est, aut inanimatum ? postea accipit animal,non syllogizat; iterum omne animal,aut gressibile,aut aquaticum, accepit gressibile, et hominem esse totum animal gressibile, non necesse erit ex dictis, sed accipit et hoc. Differt autem nihil in multis, aut in paucis sic dicere, idem enim est. Non syllogisticus quidem igitur et usus fit sic procedentibus et de contingentibus syllogizari. Quid enim prohibet et hoc verum quidem omne esse de homine, non tamen quid est, neque quod quid erat esse ostendens. Amplius, quid prohibet aut apponere aliquid, aut auferre, aut excellere substantias, hæc quidem igitur dimittuntur. Contingit autem solvere in accipiendo in eo quod quid est omnia,et quod est consequenter divisionem facere quæsitum prius,et nihil relinquere ; hoc autem necessarium est, si omne in divisione cadit, et nihil relinquit,individuum enim specie oportet esse. Sed syllogismus tamen non inest,sed si quidem alio modo cognoscere facit,hoc quidem non fuit inconveniens,neque enim inducens forte demonstrat, sed tamen ostendit aliquid. Syllogismum autem non dicit,ex divisione eligens definitionem, sicut enim in conclusionibus,quæ sine mediis sunt, si aliquis dicat quoniam his existentibus necesse est hoc esse, contingit interrogare propter quid sit, sic et in divisis terminis ? ut, quid est homo ? animal mortale, pedes habens,bipes,sine pennis. Propter quid scit unamquamque appositionem,et dicit enim, et monstrabit divisione, sicut opinatur quod omne animal aut mortale,aut immortale sit; hujusmodi autem oratio omnis non est definitio ; quare quavis divisione monstravit,sed tamen definitio,non syllogismus fit.

CAPUT VI.

Non monstrari definitionem sumendo definitionem definitionibus; neque definitione contrarii.

Sed utrum sit demonstrare quod quid est secundum substantiam ex conditione accipientem quod quid erat esse, quod est ex iis quæ sunt in eo quod quid est propriis. Hæc autem in eo quod quid est sola, et proprium est omne, hoc enim est esse illi. An iterum accepit quod quid erat esse et in hoc ? necesse est enim per medium monstrare. Amplius, sicut neque in syllogismo accipitur quod quid est syllogizare, semper enim tota aut pars est propositio,ex quibus est syllogismus,sic neque quod quid est esse oportet esse in syllogismo, sed seorsum hoc a positis esse. Et ad dubitantem an syllogizatum est,an non est hoc ? obviandum,quoniam,hoc enim erat syllogismus, et adhuc quod nec quod quid erat syllogizatum est, quoniam utique, hoc enim positum est nobis quod quid erat esse. quare necesse et sine eo quod quid est, sit syllogismus, aut quod quid erat esse syllogizare aliquid. Et si ex conditione monstret, ut si malo inest divisibile esse, in contrario est contrarium esse, in quibuscunque est aliquid contrarium,bonum autem malo contrarium est, et indivisibile divisibili ; est itaque boni et indivisibile esse. Etenim hic accipiens quod erat esse, monstrat. Accipitur autem ad monstrandum quod quid erat esse, alterum tamen sit. Etenim in demonstrationibus est hoc quidem de hoc, sed non ipsum, neque cujus est eadem ratio, et convertitur. Ad utrosque autem,et secundum divisionem demonstrantem,et ad sic syllogismum,est eadem dubitatio propter quid est homo animal gressibile bipes, sed non animal et bipes, ex acceptis enim neque una necessitas est unum fieri quod prædicatur,sed utique sicut idem homo erit et musicus et grammaticus.

CAPUT VII.

Contendit quid est non posse monstrari.

Qualiter igitur definiens demonstrabit substantiam,aut quod quid est ? neque enim sicut demonstrans ex certis manifestum esse faciet quod necesse est cum sint illa alterum aliquid esse. Demonstratio enim hoc est,neque sicut inducens per singularia,cum manifesta sint, quoniam omne sic est, eo quod nihil aliter est. Non enim quid est demonstrat, sed quoniam est, aut non est. Quis igitur est alius modus reliquus ? non enim demonstrabit sensu, aut digito. Amplius, quomodo monstrabit quod quid est homo ? necesse est enim scientem quid est homo, aut aliud quodcunque, scire quia est. Quod enim non est,nullus scit quod quid est, sed quid significat : oratio quidem,aut nomen cum dico tragelaphus,quid autem est tragelaphus, impossibile est scire. At vero si demonstrabit quid est,et quia est, et qualiter eadem ratione demonstrabit,definito enim unum aliquid, et demonstratio, id autem quod est quid est homo, et esse

n, aliud est. Postea per demonstrationem necessarium esse demonstrare omne quia substantia sit, esse autem non substantia non enim est genus, quod est, demonstrae erit quia est, quod quidem et nunc faciunt ; quid enim significat triangulus, accipit a, quia autem est, demonstrat. Quid igitur bit definiens, quid est triangulus? sciens liquis difinitione quid est, si est non sciet, ssibile. Manifestum est et secundum nunc rminorum, quod non monstrant definientes Si enim et est ex medio aliquod æquale, ter quid est quod definitur, et propter quid lus quæritur, esset enim utique et montis ere ipsum, neque enim quia possibile sit d dicitur assignant termini, neque quod il- ujus dicunt esse definitionem, sed semper re et propter quid. Si ergo definiens monut quid est, aut quid significat nomen, sed llo modo ejus quod quid est, erit utique ratio nominis, idem significans, sed non ns est. Primum quidem quia et non subm esset definitio, et eorum quæ non sunt, e enim est et quæ non sunt. Amplius, omnes difinitiones erunt ; esset enim utique nere cuilibet orationi, quare terminis utitabimus omnes, et Ilias definitio erit. Amuc una scientia demontrat utique quia hoc us quod quid est esse ostendit, neque igitur es hoc asssignant. Ex his igitur neque defi- llogismus idem videtur esse, neque ejus- gismus et definitio. Adhuc autem quod initio nihil demonstrat, neque monstrat, od quid est, neque definitione, neque deione cognoscere est.

CAPUT VIII.

id est, monstrari per aliud quid est.

autem speculandum est quid eorum dicitur uid non bene, et quid est definitio, et ejus est, nunquid quodam modo est demonstraefinitio, aut nullo modo. Quoniam (sicut idem est scire quod quid est, et scire caus si est, ratio autem hujus est quoniam est usa, et hæc, aut eadem aut alia est, et si est, aut demonstrabilis est, aut indemon- Si igitur est alia, et contingit demonstrari, st mediam causam esse, et in figura prima ; universale enim et prædicativum est quod atur. Unus quidem modus nunc exquisitus ud quod quid est est monstrare horum enim l est necesse est medium esse quid est, et m proprium. Quare hoc quidem monstra- vero non eorum quod quid erat esse ejus- Hic quidem igitur modus quod non sit deo dictum est prius, sed est syllogismus lous quid est.

CAPUT IX.

De quid est, et quod est.

tem modo contingat dicemus, iterum di- centes ex principio. Sicut enim propter quid quærimus, habentes quia est, aliquando autem et simul manifesta fiunt, sed neque prius propter quid possibile est cognocere, quam quia, manifestum est quod similiter et quod quid erat esse non sine quia est ; impossibile est enim scire quid est, ignorantes si est. Hoc autem si est aliquando quidem, sed secundum accidens habemus, aliquando vero habentes quid ipsius rei, ut tonitruum, quoniam sonus quidam est nebularum, et defectum, quoniam privatio quædam luminis, et hominem, quoniam animal quoddam est, et animam, idem seipsum movens. Sed quæcunque quidem secundum accidens scimus quia sunt necesse est illa nullo modo se habere ad quid est, neque enim quia sunt scimus, quærere aut quid est, non habentes quia est, nihil quærere est, secundum quæcunque autem habemus quid facile est : quare quemadmodum habemus quia est, sic habemus et ad quid est. Quorum igitur habemus aliquid, quod quid est, primum quidem sit defectus in quo *a*, luna in quo *c*, oppositio terræ in quo *b*. Utrum quidem deficit, an non, *b* quærere est, nunquid est, an non. Hoc autem nihil differt quærere, quam si est ratio ipsius, et si sit hoc, et illud dicimus esse, aut utrius contradictionis est ratio, utrum habendi duos rectos, aut non habendi ? Cum autem inveniamus simul ipsum quia, et propter quid scimus, si per media sit, si vero non, quia scimus, propter quid autem non. Sit ergo luna *e*, defectus *a*, lunam plenam, umbram non posse facere, nullo nostrum in medio existente manifesto, in quo *b*, si ergo in *c* est *b*, quod est non posse facere umbram, cum nullus nostrum in medio sit, in hoc quidem *a*, quod est deficere, quia deficit manifestum est, sed propter quid, nondum, sed quia defectus quidem est scimus, quid autem est, nescimus. Cum autem manifestum est quia *a* in *c* fit, sed propter quid est ? quærere *b* quidem est, utrum objectio, aut conversio lunæ aut aut exstinctio luminis ; hoc autem ratio alterius termini, ut in his, ipsius *a*, est enim defectus, objectio terræ. Quid autem est tonitruus ? ignis exstinctio in nube. Propter quid tonat ? propter exstingui ignem in nube. Sit nubes *c*, tonitruum *a*, exstinctio ignis *b*, in *c* igitur nube est *b*, exstinguitur enim in ipsa ignis, huic autem inest *a*, et est ratio *b*, ipsius *a* primi termini ; si autem iterum hujus aliud medium sit, ex reliquis erit rationibus. Ut igitur accipitur quid est, et fit notum, dictum est. Quare syllogismus quidem ipsius quod quid est non fit, neque demonstratio manifestum tamen est per syllogismum demonstrationem, quare neque sine demonstratione est cognocere quid est, cujus est causa alia, neque est demonstratio ipsius, sicut et in dubitationibus diximus.

CAPUT X.

De definitione quid est, et propter quid.

Est autem quorumdam quædam causa altera, quorumdam autem non est : quare manifestum quoniam eorum quæ sunt quid est, alia quidem sine media, ut principia sunt, quæ quia sunt et quæ quid sunt,

supponere oportet. aut alio modo facere manifesta, quod quidem arithmeticus facit. Et namque quid est, unitatem supponit, et quia est, sed habentium medium et quorum est quædam altera causa substantiæ, et ipsius esse, est per demonstrationem (sicut diximus) ostendere, non demonstrare. Definitio autem quoniam quidem dicitur ratio ipsius quod quid est, manifestum et quoniam aliqua erit ratio ipsius quod quidem significat nomen, aut ratio altera, nomina ponens: ut quid significat quod quid est secundum quod triangulus est, quod quidem habentes qui est, quærimus propter quid est. Difficile autem sic est accipere quæ nescimus quia sunt, causa autem dicta est prius difficultatis, quia neque si est, neque si non est scimus, sed aut hoc secundum accidens. Oratio autem una est dupliciter: hæc quidem conjunctione, ut Ilias; alia vero unum de uno ostendens non secundum accidens, una quidem igitur terminus est termini, quæ dicta est. Alius vero terminus est oratio demonstrans propter quid est, quare prior significat quidem, demonstrat autem non. Quæ vero posterior est, manifestum et quoniam erit ut demonstratio ejus quod quid est, positione differens a demonstratione. Differt enim dicere propter quid tonat, et quid est tonitruus, dicet enim sic quidem propter id quod exstinguitur ignis in nubibus: Quid est tonitruus? sonus exstinctionis ignis in nube. Quare eadem oratio alio modo, et alio dicitur, et sic quidem demonstratio continua, sic autem definitio. Amplius, est terminus tonitrui, sonus in nubibus, hæc autem est quæ est ipsius quid est, demonstrationis conclusio, quæ autem est immediatorum definitio, positio est ipsius quid est, et indemonstrabilis; est ergo definitio una quidem oratio ejus quod quid est, indemonstrabilis; una vero syllogismus ipsius quid est, casu differens a demonstratione; tertia vero est quæ est ipsius quid est, demonstrationis conclusio. Manifestum igitur ex dictis est, et dualiter est ipsius quod quid est demonstratio, et quomodo non est, et quorum est, et quorum non est. Amplius autem, definitio quot modis dicitur, et qualiter quod quid est monstrat, et quomodo non, et quorum est, et quorum non, adhuc autem et ad demontrationem quomodo se habet, et quomodo contingit ejusdem esse, et qualiter non contingit.

CAPUT XI.

Per quodlibet genus causæ demonstrari posse.

Quoniam autem scire opinamur cum sciamus causam causæ autem quatuor sunt: una quidem quod quid erat esse; una vero cum hoc sit, necesse est hoc esse; altera autem quæ aliquid primo movit; quarta vero cujus gratia omnes hæ per medium monstrant. Et hoc enim quod cum sit hoc, necesse est esse, una quidem accepta propositione non est, duabus autem ad minus, hoc autem est, cum unum medium habeant, hoc ergo uno accepto, conclusionem necesse est esse. Manifestum est autem et sic, propter quid est rectus in semicirculo? aut quo existente rectus est? Sit ergo rectus in quo *a*, A dia duorum rectorum in quo *b*, qui est in semicirculo in quo *c*, ipsius *a* igitur rectum esse in *c*, qui est in semicirculo, causa est *b*, hoc enim ipsi *a* æquale est, qui vero est *c*, ipsi *b*. Duorum enim rectorum dimidium est, existente igitur dimidio duorum rectorum, *a* in *c* est, hoc autem erat in semicirculo rectum esse. Hoc autem idem est ei quod quid erat esse, cum hoc significaret oratione, at vero et ipsius quod quid erat esse causa monstrata est media. Hoc autem propter quid Medorum bellum factum est Atheniensibus? quæ causa est præliari Athenienses? quoniam in Sardes cum Erethriis commiserunt, propter hoc enim motum est. Primum si bellum in quo *a*, priores committentes in alios *b*, Athenienses *c*, est igitur *b* in *c*, B prius enim est committerre, Atheniensibus, *a* autem in *b*, debellaverunt enim prius injustos, est itaque in *b a*, debellari prius incipientes, *b* autem in *c*, sive in Atheniensibus, priores enim inceperunt, medium itaque hic causa primum movens. Quorumcunque vero causa est cujus gratia, ut propter quid ambulat? ut sanus fiat. Propter quid domus est? ut salventur vasa. Hoc quidem gratia hujus quod est sanari, illud vero gratia hujus quod est salvari, et propter quid oportet post cœnam ambulare, et cujus gratia oportet, nihil differt. Sit ambulare post cœnam, in quo *c*, non eminere cibos, in quo *b*, sanari in quo *a*. Sit igitur in eo quod est post cœnam ambulat, esse facere non supereminere cibos juxta os ventris, et hoc esse sanum, videtur enim inesse ipsi ambulare quod est *c*, *b* non eminere cibos. In *b* autem *a*, hoc quod C est sanativum, quæ igitur causa est, in *c* quod *a* sit, quod est gratia cujus? *b* non eminere, hoc autem est sicut illius ratio, *a* enim sic reddetur, propter quid *b* inest *c*? quoniam hoc est sanari, hoc sic habere. Oportet autem commutare rationes, et sic singula magis apparebunt. Generationes autem econtrario hic et in causis secundum motum: ibi enim medium oportet primum fieri, hic autem ipsum *c* extremum, ultimum autem gratia cujus. Contingit autem idem et gratia cujus esse et ex necessitate, ut per lucernæ pellem lumen egredi; etenim ex necessitate disgreditur, quod in parva est partibilius, et per majores poros, si quidem lumen fit disgrediendo, et gratia cujus, aut non offendamus. Nonne igitur si esse contingit, et fieri contigit? sicut si tonat exstincto igne, D necesse est sizire et sonare, et (quemadmodum Pythagorici dicunt) minarum causa iis qui sunt in tartaro, quatenus timeant. Plurima autem hujusmodi sunt, et maxime in iis quæ natura subsistunt, et in constantibus hæc quidem propter hoc natura facit, illa vero ex necessitate. Necessitas autem est duplex, hæc quidem secundum naturam et aptitudinem, hæc vero violenta et contra aptitudinem, sicut lapis ex necessitate et sursum et deorsum fertur, sed non propter eamdem necessitatem. Sed in iis quæ sunt ab intelligentia, alia quidem nequaquam sunt ab eo quod per se frustra est, ut domus aut effigies neque ex necessitate sunt, sed propter hoc. Alia vero a

na sunt,ut sanitas,et salus,maxime in quibus- A posterius autem *c* factum,*a* autem prius.Principium
ue contingit,et sic et aliter.cum non a fortuna igitur est *c*,propter id quod proximum est ipsi nunc,
ratio sit. Quare finis bonus alicujus gratia fit, quod est principium temporis,sed *c* factum est,si *d*
atura,aut arte;a fortuna autem nihil propter factum est,cum igitur *d* factum est,necesse est et *a*
id fit. Eadem autem causa est et et in iis quæ factum esse: causa autem est *c*, *d* enim facto, ne-
et in factis, et futuris, quæ vere est iis quæ cesse est *c* factum esse,*c* autem facto, necesse est a
medium enim causa est; verumtamen in iis prius fuisse. Si autem accipiens aliquod medium
sunt quæ est, in iis autem quæ fiunt quæ fit, stabit alicui immediatum, an semper extra cadet
autem facta,et futuris futura.Ut propter quid propter infinitum?non enim continuum factum cum
s est defectus,propter id quod in medio facta est facto,quemadmodum dictum est,sed incipere tamen
fit enim propter id quod fit, erit autem et est necesse a medio,et ab ipso nunc primo Similiter
er id quod erit in medio,et est autem propter autem est et in eo quod erit;si enim verum est di-
od est. Ut quid est crystallus,accipiatur quo- cere quoniam erit *d*,necesse est prius verum dicere
aqua congelata est. Aqua in quo *c*, congelata quoniam *a* erit,hujus autem causa est *c*, siquidem
o *a*,causa media in quo *b*,defectus caloris pe- enim *d* erit, prius *c* erit, si vero *c* erit,prius *a* erit.
,est igitur in *c* quidem *b*,in hoc autem conge- B Similiter autem et infinita est decisio et in his;non
i esse,quod est in quo est *a*,fit autem crystal- enim erunt quæ erunt continua ad invicem,princi-
:um fiat *b*, factus est autem facto, erit autem pium autem et in his sine medio accipiendum est.
o *b*.Sic quidem igitur causa,et cujus causa est, Habent autem sic se in operibus.Si facta est domus,
l fit cum fit, et est cum est, et in eo quod fa- necesse est decisos esse lapides,et factum esse hoc
est, et futuro eodem modo. propter quid est,quoniam necesse est fundamentum
factum esse, si quidem et domus facta est, si vero
CAPUT XII. fundamentum est,prius lapides esse factos necesse
De fieri et facto esse. est; iterum si erit domus, similiter prius erunt pa-
iis autem quæ non simul sunt, nunquid sit in rietes (demonstratur autem per medium similiter),
uo tempore? sicut videtur nobis alia eorum erit enim fundamentum prius.
i esse,ut facti esse altera facta,et futuri futura,
is quod fit,si aliquid antea factum est.Est igi- CAPUT XIII.
posterius facto syllogismus,principium autem *In iis quæ circulo gignuntur demonstrationem esse*
rum quæ facta sunt,unde et in iis quæ fiunt si- *circularem.*
er, a priori autem non est,ut quoniam hoc fa- Quoniam autem videmus in iis quæ fiunt,circulo
est,quod hoc posterius factum est,et in futuro C quamdam generationem esse,et contingit hoc esse,
iter est,neque enim infinito aut finito erit tem- si quidem consequantur ad invicem medium et ter-
quare quoniam hoc verum est dicere factum mini, in his enim converti est,ostensum autem est
oc verum est dicere factum esse posterius.In hoc imprimis quod convertuntur conclusiones circulo
o autem falsum esset dicere hoc jam altero autem hoc est.In operibus autem videtur sic,depluta
, eadem autem ratio est et in futuro. Neque terra, necesse est vaporem fieri, hoc autem facto,
iam hoc factum est,hoc erit; medium enim si- nubem, hac autem facta,aquam, hac vero facta,ne-
genitum oportet esse,factorum factum,futuro- cesse est terram deplutam esse. Hoc autem erat ex
futurum, cum iis quæ fiunt fieri, cum iis quæ principio, quare circulo circuivit, cum enim unum
esse, sed futurum esse,et esse, non contingit horum quodlibet est alterum est,et cum illud alterum
esse genitum.Amplius,neque infinitum con- et cum hoc primum.Sunt autem quædam quæ fiunt
esse tempus medium,neque finitum; falsum universaliter,semper enim et in omni aut sic se ha-
erit dicere in medio. Speculandum ergo quid bent, aut fiunt; alia vero quidem semper non, sed
ntinens? ut post id quod factum est, sit fieri sicut frequenter sunt,ut non omnis homo masculus
us? an manifestum est quod non continuum habet barbam,sed est sicut frequenter.Talium igitur
acto esse, quod fit? neque factum cum post necesse est et medium sicut frequenter esse.Si enim
esse?Termini enim sunt atomi,sicut igitur ne- D *a* de *b* prædicatur universaliter,et hoc de *c* universa-
unt puncta ad invicem copulata, neque quæ liter necesse est, et *a* de *c* semper,et de omni præ-
sunt, utraque enim indivisibilia sunt. Neque dicari,hoc enim est universaliter,et de omni,et sem-
quod fit cum eo quod factum est propter idem per,sed supposition est sicut frequenter esse;necesse
enim fit, divisibile est; quod autem factum est ergo medium sicut frequenter esse quod est in
divisibile est.Sicut igitur linea ad punctum se quo *b*. Erunt ergo et eorum principia frequenter
, sic quod fit ad quod factum est, sunt enim sine medio, quæcunque ut plurimum sic sunt, aut
ta facta in eo quod fit,manifestum autem magis fiunt.
universalibus.De motu oportet dicere de his.
igitur quomodo cum eo quod consequenter fit CAPUT XIV.
atione se habeat media causa,intantum acce- *Quo pacto definitio vestiganda sit.*
sit,necesse enim et in his mediam,et primam Quomodo quidem sit quod quid est in terminos
diata esse,ut *a* factum,quoniam *c* factum est assignandum,et qualiter demonstratio,aut definitio
sit ipsius, aut non, dictum est prius.Quomodo au-

tem oportet venari in eo quod quid est prædicantia, nunc dicemus. Eorum igitur quæ insunt semper unicuique, quædam se extendunt in plus, non tamen extra genus. Dico autem in plus esse quæcunque insunt quidem unicuique universaliter, at non vero et alii, ut est aliquid quod omni trinitati inest, sed et non trinitati; sicut quod est, inest trinitati, sed et non numero, sed impar inest omni trinitati, et in plus est, et namque ipsi quinario inest, sed non extra genus, quinarius quidem numerus est, nullum autem extra numerum, impar est. Hujusmodi igitur accipienda sunt usque ad hoc, quousque tot accipiantur primum quorum unumquodque in plus sit, omnia autem non in plus, hanc enim necesse est substantiam rei esse. Ut trinitati inest omni, numerus impar primus utrobique, et sicut quod est non mensurari numero, et sicut non componi ex numeris. Hoc itaque jam trinitas est, numerus impar primus, et sic primus. Horum enim unumquodque illa quidem imparibus omnibus insunt, ultimum autem et dualitati, omnia autem nulli. Quoniam autem ostensum a nobis in superioribus, quod necessaria quidem sunt in eo quod quid est prædicantia, universalia autem necessaria sunt, trinitati autem, et cuilibet alii sic accipiuntur in eo quod quid est accepta, sic ex necessitate quidem erit trinitas hæc. Quod autem substantia sit, ex his manifestum est, necesse est enim nisi hoc sit trinitatis esse, ut genus aliquod esse; hoc autem nominatum est, aut non nominatum erit igitur in plus quam trinitati inexistens. Concessum enim hujusmodi sit esse genus, ut quod insit quidem secundum potentiam in plus, si igitur nulli inest alii quam atomis trinitatibus, hac utique erit trinitatis esse; supponatur enim hoc substantia unius cujusque esse, quæ in atomis ultimum prædicatum, quare similiter et alii cuilibet, sic demonstratorum quidem, illi esse erit. Congruum autem est cum totum aliquod negotietur aliquis departiri genus in atoma specie prima, ut numerum in trinitatem, et dualitatem, postea sic illorum definitiones accipere tentare, ut rectæ lineæ, et circuli, et recti anguli. Post hæc autem accipientem quod genus sit, ut utrum quantitatum, aut qualitatum, proprias passiones speculari per communia prima, compositis enim ex atomis convenientia, ex definitionibus erunt manifesta, propterea quod principium est omnium definitio, et quod simplex est, et simplicibus per se inesse convenientia solis, aliis autem secundum illa. Sed divisiones quæ sunt secundum differentias, utiles sunt ad hoc adeundum, ut tamen monstrant, dictum est prius. Utiles autem erunt sic utique solum ad colligendum quod quid est, et videbitur utique nihil monstrare, sed mox decipere omnia, tanquam si ex principio acceperit aliquis sine divisione. Differt autem aliquid primum et posterius prædicamentorum prædicari, ut est dicere animal mansuetum bipes, vel bipes animal mansuetum ; si enim omne ex duobus est, et unum quid sit animal mansuetum, iterum ex hoc et differentia homo aut quodlibet unum sit, necesse est dividentem petere. Amplius, nihil relinquendum in eo quod quid est, sic solummodo contingit, cum enim primum accipiatur genus, si quidem alicujus inferiorum aliquam divisionum accipiat, non incidet omne in hoc, ut non omne animal, aut totum pennatum est, aut divisum pennis, sed pennatum, animal omne. Hujus enim differentia hæc est. Prima autem differentia est animalis, in quam omne animal incidit. Similiter autem et in unoquoque aliorum, et in iis quæ extra genera, et quæ sub ipsis sunt, ut in nave, in qua est omnis avis, et in pisce, in quo omnis est piscis. Sic igitur vadenti promptum est scire quoniam nihil relictum est, aliter autem relinquere necesse est, et non scire. Nihil autem oportet definientem et dividentem omnia scire quæ sunt, et tamen impossibile dicunt esse quidam, differentias cognoscere, quæ sunt ad unumquodque non cognoscentem unumquodque, sine autem differentiis non esse unumquodque scire, a quo enim non differt, idem esse huic, a quo autem differt, alterum ab hoc. Primum quidem hoc falsum est, non enim secundum omnem differentiam alterum est; multæ enim sunt differentiæ in eisdem specie, sed nonn secundum substantiam, neque per se. Postea cum accipiantur opposita et differentia, et quod omne incidit hinc aut inde, et accipiat in altero quod quæritur esse, et hoc cognoscat, nihil differt scire aut non scire de quibuscunque prædicantur aliis differentiæ. Manifestum enim est quod si sic vadens veniat in hæc quorum non est amplius differentia, habebit rationem substantiæ, omne autem incidere in divisionem, si sint opposita quibus nihil interest, non est petitio; necesse est enim omne in altero ipsorum esse, si quidem illius differentia est. Ad probandum autem terminum per divisiones, tria oportet conjecturare, ut accipiantur prædicata in eo quod quid est, et hæc ordinate quid primum est, aut secundum, et quoniam hæc omnia sint. Est autem unum horum et primum per id quod possumus sicut ad accidens syllogizare, quoniam est et per genus probare. Ordinare autem sicut oportet, erit, si primum accipiat, hoc autem erit si accipiatur quod omnibus sequitur, illi autem non omnia, necesse est enim aliquod esse hujusmodi, accepto autem hoc, jam idem inferioribus modus, secundum enim, aliorum primum erit, et tertium continuorum remoto enim quod est sursum, continuum aliorum primum erit, similiter autem et in aliis. Quod autem omnia hæc sint, manifestum ex hoc quod recipimus, primum quidem secundum divisionem, quoniam omne aut hoc, aut illud est, est autem hoc, et iterum hujus totius differentiam, extremi autem non amplius esse differentiam, vel etiam statim cum ultima differentia a toto non differre specie. Hoc manifestum enim est, quoniam neque plus hoc opponitur. Omnia enim in eo quod quid est accipiuntur horum, neque deficit nihil, aut enim genus, aut differentia utique erit, genus quidem igitur est primum, et cum differentiis hoc acceptum est, differentiæ autem omnes habentur, non enim amplius est posterior. Specie enim utique differret, et ultimum, hoc autem di-

ctum est non differre. Quærere autem oportet intendentem in similia, et indifferentia, primum quid omnia idem habeant, postea iterum in altera, quæ in eodem quidem genere sunt cum illis, sunt autem ipsis quidem idem specie, ab illis autem altera, cum autem in his accipiatur quid omnino idem, et in aliis similiter, in acceptis iterum intendendum est si idem sit, quousque in unam conveniant rationem. Hæc enim erit definitio. Si vero non vadit in unam, sed in duas, aut plures, manifestum est quod utique non est unum aliquod quod prædicatur, sed plura. Ut dico, si quid est magnanimitas quærimus, intendendum est in quosdam magnanimos, quos scimus quid habeant unum omnes inquantum sunt hujusmodi. Ut si Alcibiades magnanimus, aut Achilles, et Ajax, quid unum omnes habent? non tolerare injuriati. Hic enim dimicavit, ille insanivit, hic autem interfecit seipsum. Iterum idem est in alteris ut Lysandro, et Socrate, si jam indifferentes esse, et fortunati, et infortunati; hæc duo accipiens intendas quid idem habent, aut impassibilitas quæ est circa fortunas, aut non tolerantia cum injuriantur; si vero nullum sit commune, duæ species erunt utique magnanimitatis. Semper enim est omnis definitio universalis, non enim in quodam oculo dicit sanabile medicus, sed aut in omni, aut in specie determinans.

CAPUT XV.

Species facilius quam genera definiri.

Facile autem est magis singulare definire, quam universale, unde oportet a singularibus in universalia ascendere. Et namque æquivocationes magis latent in universalibus quam in indifferentibus. Sicut autem in demonstrationibus oportet syllogizari inesse sic et in terminis clarum : hoc autem erit, si per ea quæ secundum unumquodque dicuntur, sit in unoquoque genere definiri separatim, ut simile non omne, sed in coloribus et figuris, et acutum, quod est in voce, et sic in commune erit ire, timentem ne æquivocatio contingat. Si autem non oportet disputare in methaphoris, manifestum est neque definire metaphoris, neque quæcunque dicuntur in metaphoris, disputare enim erit necesse in metaphoris.

CAPUT XVI.

Anatomen et analogiam terminandis problematis momentum habere.

Ut habeamus proposita, eligere oportet decisiones et divisiones, sic autem eligere secundum subjectum genus commune omnium. Ut si animalia sint quæ considerantur, qualia omni animali insunt. Acceptis autem his, reliquorum primo qualia omni sequantur, ut si hoc est avis, qualia omni sequantur avi et sic semper illi proxima. Manifestum enim est quoniam habebimus jam dicere propter quid insunt sequentia iis quæ sunt sub communi, ut propter quid homini aut equo insunt. Sit autem animal in quo *a*, *b* autem sequentia omni animali, in quibus autem sunt *c d e*, sicut quædam animalia, manifestum igitur est propter quod est *b* in *d*, propter *a* enim, similiter autem et in aliis, et semper in aliis eadem est ratio. Nunc quidem secundum ea quæ assignantur communia nomina, dicimus. Oportet autem non solum in his considerare, sed et si aliud aliquid videtur commune existens accipientem, postea quibus hoc inhæreat, et qualia huic sequantur, ut cornua habentibus habere ventres, et non utrobique dentes esse, item habere cornua quibus sequitur, manifestum enim propter quid in illis est quod dicitur, propter id enim quod cornua habent, inest. Amplius, alius modus est secundum analogum eligere, unum enim accipere non est idem, quod oportet vocare seipsum, et spinam, et os, sunt autem quæ sequuntur, et his, tanquam natura una hujusmodi existente. Eadem autem proposita sunt, quæ quidem idem medium habent, ut quoniam omnia contrarii status, horum autem quædam genere eadem sunt, quæcunque habent differentias, ex quo aliorum aut aliter sunt, ut propter quid resonat, aut propter quid apparet, et propter quod iris ; omnia enim hæc quidem unum propositum sunt genere, omnia enim repercussio sunt, sed specie altera. Alia autem ex eo quod medium quidem subalternum medium est, differunt propositorum, ut propter quid Nilus finiente mense magis fluit? propter id quod hibernior est finiens mensis. Propter quid autem hibernior est finiens mensis? propter id quod luna deficit. Hæc enim sic se habent ad invicem.

CAPUT XVII.

De causis et effectis, et an unius plures sint causæ.

De causa autem, et cujus causa est dubitabit aliquis, nunquid cum causatum est, et causa est, ut si folia fluunt, aut deficit luna, et causa deficiendi, vel folia cadendi erit, ut si hujus est lata habere folia, deficiendi autem terram in medio esse. Si enim non, aliqua alia erit causa ipsorum, si vero causa sit, et causatum simul, ut si in medio est terra, deficit, aut, si latum est folium, folia fluunt ; si autem sic est, simul utique erunt, et demonstrabuntur per invicem. Sit enim folium fluere in quo *a*, latum autem folium in quo *b*, vitis vero in quo *c*, si igitur in *b* est *a*, omne enim latum folium habens folio fluit, *c* autem inest *b*, omnis enim vitis habet lata folia, et *a* in *c* est, omnis vitis folio fluit : causa est *b* medium. Sed et quoniam latis foliis vitis sit, est propter id quod folio fluit demonstrare. Sit enim *d* latum quidem folium, *e* autem folio fluere, vitis vero in quo *f*. In *f* igitur est *e*, etenim folio fluit omnis vitis, in *e* autem *d* est, omne enim fluens folio, latum est folium habens ; omnis itaque vitis latum est folium habens, causa autem est folio fluere. Si autem non contingit casus esse ad invicem, causa enim prius est eo cujus est causa, et deficiendi quidem est causa, terram esse in medio, ejus autem quod est in medio terram esse, non est causa deficere. Si igitur per causam demonstratio est, propter quid est, si vero non per causam ipsius, quia, quoniam quidem terra in medio est cognovit, propter quid autem non. Quod autem non, deficere causa sit in medio esse, sed hoc, deficiendi manifestum est; in ratione enim deficiendi, inest quod est in medio, quare manifestum est quod

per hoc illud cognoscetur, sed, non hoc per illud. An contingit unius plures esse causas? et namque si est idem de pluribus primis prædicari primo, sit *a* in *b* primo existens, et in *c* alio primo, et hoc sit in *d*, hoc vero sit in *e*, erit itaque *a* in *d* et in *e*, causa autem quod *a* sit in *d* quidem *b*, in *e* autem *c*; quare cum causa sit, necesse est rem omnem esse, sed res cum sit, non necesse est esse omne quodcunque sit causa, sed causam quidem necesse est esse, non tamen omnem. An si semper universale propositum, et causa totum quiddam est, et cujus est causa universale? ut folio fluere in toto quodam determinatum est, et species ipsius sint. Universaliter igitur aut plantis, aut hujusmodi plantis, quare et medium æquale oportet esse in his et cujus est causa, et converti, ut propter quid arbores folio fluunt, si ergo propter densitatem humidi, sive folio fluit arbor, oportet esse densitatem, sive densitas est non in qualibet, sed in arbore, est folio fluere. Utrum autem contingat non eamdem esse causam ejusdem in omnibus, sed alteram, an non? an siquidem per se demonstretur, aut non secundum signum aut accidens? non potest esse. Ratio enim extremi, medium; si vero non sic contingit, est autem et cujus causa et cui, considerare secundum accidens, non tamen videntur proposita esse. Si autem non, similiter se habebit medium, siquidem sunt æquivoca, æquivocum medium est, si vero sicut in genere, similiter se habebit, ut propter quid commutabiliter, analogum, alia enim est causa in numeris, et in lineis, et eadem quidem inquantum lineæ, alia, inquantum autem habens augmentum hujusmodi, eadem, sic in omnibus. Similem autem esse colorem colori, et figuram figuræ, aliam esse causam alii, æquivocum enim est simile in his, hic quidem est fortassis secundum analogiam habere latera et æquales angulos, in coloribus autem unum sensum esse, aut aliquid aliud hujusmodi, quæ autem secundum analogiam sunt eadem, et medium habent secundum analogiam. Habet autem sic consequi causa ad invicem, et cujus est causa, et cui est causa unumquodque quidem accipienti, et cujus est causa in plus est, ut quatuor æquales qui sunt extra, in plus sunt quam triangulus, aut quadrangulus, in omnibus autem ut in æqualibus est, quæcunque enim, quator æquales qui sunt extra, et medium similiter est. Est autem medium ratio primi extremi, ex quo omnes scientiæ per definitionem fiunt ut folio fluere similiter sequitur viti, et excellit, et ficui et excellit, sed non omnia, sed æqualia sunt; si vero accipias primum medium, ratio fluendi foliis est, erit enim primum quidem in altera, medium, quoniam hujusmodi sunt omnia. deinde hujus medium, quoniam succus densatur, aut quiddam aliud hujusmodi. Quid autem est folio fluere? densari in contactu seminis succum. In figuris autem sic assignabit quærentibus consecutionem causæ, et cujus est causa, sit *a* quidem in *b* omni, *b* autem in unoquoque eorum quæ sunt *d*, in plus autem, *b* igitur universale utique ipsis inerit *d*; hoc autem dico universale, quod non convertitur, primum autem universale, cui unumquodque quidem non convertitur, omnia autem convertuntur, et non excedunt, ipsis *d* igitur causa ipsius *a* est *b*. Oportet itaque *a* in plus quam *b* extendi; si vero non, quid magis causa erit hoc illius? Si igitur in omnibus *e* est *a*, erunt aliquid illa unum omnia aliud quam *b*. Si enim non, quomodo erit dicere quoniam in quo est *e* sit *a*, omni? in quo autem *a* non omni sit? *e*? propter quid enim non erit causa aliqua ut *a* sit in omnibus *d*? sed nunquid et quæ sunt *e* erunt aliquod unum? considerare oportet hoc, et sit *e*, contingit igitur ejusdem plures causas esse, sed non eisdem specie. Ut longæ vitæ quadrupedia, non habere choleram causa est, volatilia autem, sicca esse aut altera aliqua, si autem in atomum non statim veniunt, et non solum unum medium, sed plura, et causæ plures sunt. Utrum autem causa mediorum, quod ad universale primum est, aut quod ad singulare singularibus? Manifestum igitur est ea esse, quæ proxima unicuique cui causa est, primum enim sub universali esse, hæc est causa, ut in *d*, sit quod est *a*, causa est *c*, in *d* quidem igitur esse *a*, causa est *c*, in *c* autem *b*, in hoc autem, eadem est. De syllogismo igitur, et de demonstratione, quidque unumquoque est, et quomodo fit, manifestum est, simul autem et de scientia demonstrativa, idem enim est.

CAPUT XVIII.

Quomodo principia cognoscantur, et quis principiorum sit habitus.

De principiis autem qualiter fiunt cognita, et quis est cognoscens habitus, hinc est manifestum, dubitantibus primum. Quod quidem igitur non contingit scire per demonstrationem, non cognoscentem prima principia immediata, dictum est prius, immediatorum autem cognitionem utrum eadem est, an non eadem, dubitabit utique aliquis. Et utrum scientia in utroque est, an non, an hujus quidem scientia, illius autem alterum aliquod genus sit. Et utrum cum non insint habitus, fiant, an cum insint, lateant. Siquidem igitur habemus ipsos, inconveniens est, contingit enim certiores habere cognitiones demonstratione, et latere, si autem accipiamus non habentes prius, qualiter utique cognoscamus, et addiscamus ex non præexistenti cognitione? impossibile enim est, sicut in demonstratione diximus. Manifestum igitur est quoniam neque habere possibile est (neque ignorantibus) et neque non habentibus habitum fieri. Necesse est itaque habere quamdam quidem potentiam, non hujusmodi autem habere quæ est his honorabilior secundum certitudinem. Videtur autem hæc omnibus inesse animalibus, habent enim connaturalem potentiam judicativam, quam vocant sensum. Cum insit autem sensus, in his quidem animalium fit mansio sensibilis, in aliis autem non fit, in quibuscunque igitur non fit, aut omnino, aut circa quæ non fit, nec est in his cognitio extra quod sentiunt; in quibus autem inest sentientibus habere unum quiddam in anima multis quidem factis hujusmodi jam differentia

quædam fit, ut in his quamdam sit fieri rationem ex talium memoria, in aliis vero non. Ex sensu igitur fit memoria, sicut dicimus. Ex memoria autem multoties ejusdem facta, experimentum. Multæ enim memoriæ numero experimentum est unum, ex experimento aut ex omni quiescente universali in anima, uno præter multa (quod cum in omnibus unum sit illud idem) artis principium, et scientiæ, si quidem igitur circa generationem artis est, si vero circa ens, scientiæ. Neque igitur insunt determinati habitus, neque ab aliis habitibus fiunt notioribus, sed a sensu. Ut in pugna eversione facta, uno stante, alter stetit, postea alter, quousque in principium veniant, anima autem hujusmodi, cum sit qualis possit pati hoc. Quod autem dictum est, ante, sed non clare dictum est, iterum dicamus; stante enim uno indifferentium, primum quidem in anima universale est, et namque sentire quidem singulare, sensus autem universalis est, ut hominis non Calliæ hominis. Iterum in his statur, quousque uti impartibilia stent et universalia, ut hujusmodi animal, quousque animal, et in hoc similiter. Manifestum igitur est quoniam nobis prima inductione cognoscere necessarium est, et namque et sensus sic universale facit Quoniam autem circa intelligentiam habituum quibus verum dicimus, alii quidem semper veri sunt, alii recipiunt falsitatem, ut opinio: et ratio, vera autem semper sunt scientia et intellectus, et nihil est scientia certius aliud genus quam intellectus, principia autem demonstrationibus notiora sunt, scientia autem omnis cum ratione est, principiorum scientia quidem non utique erit. Quoniam autem nihil verius contingit esse scientia quam intellectum, intellectus utique erit principiorum. Ex his considerantibus et quoniam demonstrationis principium non demonstratio, quare neque scientiæ scientia, si igitur nullum aliud præter scientiam habemus genus verum, intellectus utique erit scientiæ principium, et principium quidem principii erit utique: omne autem similiter se habet ad rem omnem.

AN. MANL. SEV. BOETII

INTRODUCTIO AD SYLLOGISMOS CATEGORICOS.

Multa veteres philosophiæ duces posteriorum studiis contulerunt, in quibus priusquam ad res profunda mersas caligine pervenirent quadam quasi intelligentiæ luctatione præluderent: hinc institutionum brevior compendii facilitate doctrina, hinc per ea quæ illi προλεγόμενα vocant, ad intelligentiam promptior via munitur. Hujus igitur æmulus providentiæ statui obscurarum aditus doctrinarum præmiseæ institutionis luce reserare, et præsentem operam syllogismis quorum connexionibus omnis ratio continetur, addicere, modumque eum custodire dicendi, ut facilitati atque intelligentiæ servientes, astringamus a veteribus dicta latius, enuntiata brevius porrigamus, obscurata improprii novitate sermonis consueti vocabuli proprietate pandamus. Sed qui ad hoc opus lector accedit, ab eo primitus petitum velimus ne in his quæ nunquam alias attigerit statim audeat judicare, neve si quid in ludo puerilium disciplinarum rudis adhuc et nondum firmus acceperit, id amplexandum atque etiam colendum putet; alia enim teneris atque imbuendis adhuc auribus accomodata, alia firmis ac robustioribus doctrina mentibus, reservatur. Quare si quid est quod discrepet, ne statim obstrepat, sed ratione consulta, quid ipse sentiat quid nos afferamus, veriore mentis acumine et subtiliore consideratione dijudicet. Idem namque eveniet, ut quæ in primo statim studendi aditu didicerunt, perspecta penitus ac potius deprehensa contemnant. At si jam quisque suæ scientiæ defensor esse cupidus malit (habent hoc quoque vitii homines quos comprehendit discendi vetus ac longa segnities, ut at arreptis semel opinionibus non recedant, ne in senectute discendo, nihil usque in senectutem didicisse videantur), si, inquam, malunt vindicare quam vertere quæ vulgatis semel studiis imbiberunt, nemo expetit ut priora condemnent, sed ut majora quædam construant atque altiora conjungant. Non enim una atque eadem diversarum ratio disciplinarum, cum sit diversissimis disciplinis una atque eadem substantia materies. Aliter enim de qualibet orationis parte grammatico, aliter dialectico disserendum est, nec eodem modo lineam vel superficiem mathematicus ac physicus tractant. Quo fit ut altera alteram non impediat disciplina, sed multorum consideratione conjuncta fiat vera naturæ atque ex omnibus explicata cognitio. Sed de his hactenus; nunc de propositis ordinamur. Quoniam igitur nobis hoc opus est in categoricos syllogismos, syllogismorum vero compago propositionibus texitur, propositionum vero partes sunt nomen et verbum, pars autem ab eo cujus pars est, prior est; de nomine et verbo, quæ prima sunt, disputatio prima ponatur, dehinc de propositione ad ultimum de syllogismorum connexione tractabitur. Nomen est vox significativa secundum placitum sine tempore, cujus nulla pars significativa est separata; quæ diffinitio paulo enodatius explicanda est. Nomen enim vocem esse dicimus, quoniam vox nominum genus est; omne autem genus de sua specie prædicatur, omnisque diffinitio a genere sumitur, ut si diffinias hominem

prius animal dicas,quod est genus. Post vero differentias jungas quæ sunt rationale et mortale. Ita igitur nos quoque in nominis difinitione vocem quidem ut genus sumimus,cætera autem voci quasi differentias aggregamus,velut quod nomen designativa vox dicitur. Sunt enim voces quæ nihil designant, ut syllabæ,nomen vero designativa vox est,quoniam nomen designat id semper cujus nomen est.Secundum placitum vero adjunctum est,quoniam nullum nomen natura significat, sed secundum placitumponentis constituentisque voluntatem. Illud enim unaquæque res dicitur quod ei placuit qui primus rei nomen impressit.Aliæ enim sunt voces naturaliter significantes, ut canum latratus, iras canum significat, et alia ejus quædam vox blandimenta; gemitus etiam designant dolorem,sed non sunt nomina,quia non designant secundum placitum, sed secundum naturam. Sine tempore vero,quod et verba voces sunt significativæ et secundum placitum,sed distant a nominibus,quia nomina quidem sine tempore sunt, verba vero cum tempore.Cujus nulla para significativa est separata, nomina ab oratione disjungit.Oratio namque vox est significativa secundum placitum et aliquoties sine tempore,ut hic versus: Nerine Galathea thymo mihi dulcior Hyblæ.Sed orationis partes, separatæ a tota oratione,designant :nominum vero nihil extra designat,atque in illis quidem nominibus quæ figuræ sunt simplicis nihil pars omnino significare manifestum est, ut in eo quod est Cicero,nulla pars separata designat neque *ci*, neque *ce*, neque ro. At si nomen compositum fiat,significare aliquid separatæ partes videntur;sed in eodem nomine quod ex utrisque compositum est,separatæ nihil designant, ut si dicam magister,partes ejus nominis sunt magis atque ter, quæ sumpta extrinsecus et a nominis parte separatæ significatione non carent,utraque enim ad verbialiter significat quantitatem;sed cum magister quod est compositum nomen alicujus artis peritum doctoremque significet, *magis* neque partem doctoris,neque totum doctorem poterit designare.Eodem quoque modo *ter*,neque in toto significat, neque in parte doctorem,id est,rem illam quæ magistri vocabulo subjecta est nulla ratione designat.Compositorum ergo nominum partes nihil ejus rei quam in unum convenientes vocabulum designabant disjunctæ distractæque significant; alia vero significare possunt,sed tunc non partes nominis,sedipsa sunt nomina Quod enim conjuncta significant,id divisa atque seposita non designant. Juncta autem *magis* et *ter* doctoris significationem tenebant, separata igitur omnem significationem doctoris amitunt. Sed ne quis superius posito calumnietur exemplo, nec magister compositum nomen esse concedat, virfortis esse compositum nomen,si uno proferatur accentu nullus negabit, cujus partes vir atque fortis quod in eo quod est vir fortis significare dicantur, non jam nominis partes,sed ipsa sunt nomina,nec vir fortis unius erit nomen, sed potius oratio, quæ duorum nominum collata significatione convincitur, quod vir fortis cum unius accentus intentione prolatum non est oratio, sed nomen, cujus partes nomina esse non poterunt,ac si nomina non sunt, cum neque naturales affectus neque actus,ut verba significent, omnino non nihil designant. Quare concludendum est,cum quælibet voces propriam significationem tenent, non partes nominum, sed ipsa esse nomina,cum vero unius formam nominis copulavevint,eo considerantur ut partes vim propriæ significationis amittere.Sed de his in commentario libri Περὶ ἑρμηνίας Aristotelis satis dictum est, et major ejus rei tractatus est quam ut nunc totus valeat expediri.Sed quoniam sunt quædam voces quæ et designativæ sunt et secundum placitum,et sine tempore,quarumque partes nihil extra significant, neque tamen proprietates nominis naturamque observent,discernendæ prius sunt,additisque differentiis a nomine segregandæ,ut quæ sit vis nominis evidenter appareat.Adjecta enim semper negatio nomini, vocem dubiam facit, quæ neque verbo neque orationi,etsi interius consideratum sit,neque nomini possit annecti,ut si quis dicat,non homo,vox est significativa. Designat enim quidquid homo non fuerit,secundum placitum. Eas enim omnino partes habet quas ad significationem vel negationis vel hominis placitum vocabula ponentis assumpsit. Sine tempore,quæ res eam vocem quæ dicit non homo separat ac sejungit a verbo,cujus partes nihil extra significant, ne oratio esse videatur.Non homo enim vox sejuncta est ex negativa particula et homine, quæ in eodem nomine separata nihil designant,significat enim non homo, vel equum,vel canem,vel quidquid (ut dictum est) non homo non fuerit.Sed quæ est negativa,neque hominis,neque equi,neque ulius substantiæ significationem tenet. Item homo neque canem, neque quidquid homo non fuerit,significare potest; quocirca in ea voce quæ est non homo partes nihil separatæ significant ejus rei quam tota vocis compositio designabat.Atque ideo nec in oratione quidem poni potest.Si quis enim eam vocem quæ est non homo orationem concedat, nihil aliud eam esse fatebitur quam negationem. Negatio autem omnis vera vel falsa est.Qui autem dicit non homo,neque veritatem nuntiat, neque mendacium. Præterea ab omni negatione si quis negativum sejungat adverbium, affirmatio relinquetur; ab ea autem voce quæ est non homo, si quis aufert id quod est negativum adverbium,homo relinquetur,quod nondum est affirmatio.Quocirca si non homo hæc vox negatio esse non potest,nihil autem aliud esse videretur si esset oratio,concludendum est negationem junctam cum nomine orationem esse non posse.Nomen enim omne certum aliquid definitumque significat, ut homo, equus, canis et cætera ; non homo autem vox aufert quidem quod significatur a nomine, nec præscribit quid ipse significet.Quocirca quoniam significat quidem aliquid, sed non finitum negatio juncta cum homine,infinitum nomen vocetur. Addenda est ergo diffinitioni nominis differentia, scili-

; nomen sit quod cum cæteris quæ dicta sunt finitæ significationis. Jam vero casus nominum tius intuentibus nomina videantur. Quid enim is, et Catoni, atque hujusmodi voces quæ rectis ibus inflectuntur, nomina esse non existi- Sed hæ quoque voces a nomine quadam diffe- discrepabunt. Omne enim nomen junctum st verbo, enuntiationem reddit ac suscipit men- veritatisque naturam, ut Cato est, vel dies est, st verbum casibus adjungatur, neque enuntia- , neque plena sententia orationis absolvitur, onis est, nec sententiam habet absolutam, nec liquid potest notare nec falsi, atque idcirco)mina, sed casus nominum nuncupantur. Nam d a quo quidquam flectitur primum sit, illud uod ab inflexione primi nascitur sit secundum, idem primum ac secundum esse possit, mani- i est casus nominum non idem esse quod nomi- circo cæteros quidem genitivum, dativum, ac- vum, casus appellant grammatici, primum ve- um ac nominativum quod hic locum principem ıificatione possederit. Facienda est igitur no- plena neque ullo diminuta diffinitio sic: No- st vox significativa secundum placitum sine re, cujus nulla pars significativa est separata, d finitum designans, cum est verbo conjuncta s enuntiationem. Separat igitur nomen vox n ab articulis atque inanimatis sonis; designa- ıro a vocibus quæ nihil significant, secundum am a vocibus aliquid natura significantibus, ımpore a verbo quod a temporis significatione ıcedit, cujus nulla pars separata significat, ab ne, cujus quemadmodum partes extra signifi-)aulo posterius disseram; aliquid definitum ıans, ab his vocibus quæ nomen negationem-)njungunt et nomina faciunt infinita, cum est faciens enuntiationem, a casibus qui cum est .ti non possunt plenam perficere atque expli- ıntentiam. In verbo quoque eadem fere cun- nveniunt, nisi quod in significatione temporis ine separatur. Omne enim verbum actionem nemve designat, quæ fieri sine temporis nota- ıon potest. Est itaque verbi diffinitio hæc: n est vox significativa secundum placitum ımpore, cujus nulla pars significativa est sepa- t currit, vincit; sed si verbis negativa copu- adverbia, fiunt infinita verba, sicut fieri no- liximus infinita, ut cum currit, aut vincit, ı aliquid finitum ve designet, addita negatione, lem quod a verbo designatur intercipit, quid iud fieri dicat tali significatione non terminat; ea negatio juncta cum verbo sive in eo quod ve in eo quod non est, recte dici potest, ut non currit. Non esse autem orationem aut ationem negativam illa prorsus argumenta rabunt, quæ infinitum nomen ab oratione aut one dividebant. Sed quoniam principaliter ıtia quæque sentimus, his autem rebus quas ıti sensu concipimus indita esse a mortalibus

A vocabula manifestum est, recte dicis verbum semper significationis temporis habere præsentis, ut currit aut vincit. Curret autem aut vincet, et cucurrerit aut vicerit, non sunt verba, sed verborum casus, scilicet quia a præsentis temporis significatione flectuntur; est ergo verbi plena diffinitio sic: Verbum est vox significativa secundum placitum cum significatione temporis, cujus nulla pars significativa est separata, aliquid finitum designans et præsens. Restat igitur ut de oratione dicamus, sed prius videtur esse monstrandum utrumne nomen et verbum sola in partibus orationis ponantur, an ut grammatici volunt et reliquæ orationis partibus debeant aggregari. Grammatici enim considerantes vocum figuras, octo orationis partes annumerant. Philosophi vero, quorum omnis de
B nomine verboque tractatus in significatione est constituta, duas tantum orationis partes esse docuerunt, quidquid plenam significationem tenet, siquidem sine tempore significat, nomen vocantes, verbum vero si cum tempore: atque ideo adverbia quidem atque pronomina nominibus jungunt, sine tempore enim quiddam constitutum definitumque significant, nec interest quod flecti casibus nequeunt, non est hoc nominum proprium ut casibus inflectantur. Sunt enim nomina quæ a grammaticis monoptota nominantur, participium vero quia temporis significationem trahit, etsi casibus effertur, verbo tamen recte conjungitur. Interjectiones autem siquidem, naturaliter significent, nec verbo, nec nomini copulandæ sunt; verbi enim ac nominis diffinitiones non habent esse naturalia, sed ad ponentis placitum constituta, atque
C ideo nec in orationis partibus numerabuntur. Oratio enim positione significat, nam si naturaliter significaret oratio, non diversæ gentes orationes loquerentur. Si quæ vero interjectionem positione significant, quoniam finitam sine tempore affectionem designant, recte nominibus annumerantur. Quæ vero ipsæ quidem nulla propria significatione nituntur, cum aliis vero junctæ designant, ut conjunctiones atque præpositiones, illæ ne partes quidem orationis esse dicendæ sunt; oratio enim ex significativis partibus juncta est. Quocirca recte nomen ac verbum solæ orationis partes esse dicuntur. Oratio est vox significativa secundum placitum, cujus partes aliquid extra significant ut dictio, non ut affirmatio. Oratio igitur habet simul cum verbo et nomine commune, quod
D vox est, quod significativa est, quod secundum placitum est. Separatim vero cum nomine illi commune, est quod aliquando sine tempore est, ut Virgilianus quem supra diximus versus: Nerine Galathea thymo mihi dulcior Hyblæ, et qui seguitur: Candidior cygnis, hedera formosior alba. Cum verbo autem quod interdum cum temporis significatione profertur, ut: Si qua tui Coridonis habet te cura, venito. Differt autem ab utroque quod partes orationis a tota separatæ oratione significant. Sunt enim partes orationis nomen et verbum quæ significativa esse dum deo diffiniremus ostendimus. Significant igitur partes orationis ut dictio, non ut affirmatio, quanquam aliquo-

ties quidem ut affirmatio, sed non semper tamen, semper autem ut dictio Est enim dictio simplex verbi ac nominis nuncupatio. Nam cum dicimus, si dies est, lux est, hanc totam orationem si dividere in partes velimus, scilicet dies est, lux est, utraque pars ut affirmatio significabit,dies est,lux est,affirmationes esse manifestum est. At si minutatim tota orationis membra carpamus, usque in nomina ac verba postrema fiet resolutio.Dicemus enim partes esse superius positæ orationis, dies et lux et est,quæ per se prolata non sunt affirmationes, sed tantum dictiones.Omnis vero oratio,quoniam ex verbis nominibusque consistit,in nomina et verba solvi potest. Non enim omnem orationem in affirmationem cedi possibile est, veluti si quis dicat lux est, hujus partes sunt,lux atque est, quas non esse affirmationes, sed simplices dictiones nullus ignorat. Cum igitur oratio quidem non semper in affirmationem solvi queat semper autem in simplices dictiones, jure dictum est orationis partes extra aliquid designare non ut affirmationes, sed potius ut dictiones. Orationis autem species(ut arctissime dividamus) sunt quinque, interrogativa, ut Quo te, Meri, pedes ? an quo via ducit in urbem ? Imperativa, ut Suggere tela mihi. Invocativa, ut Dii maris et terræ, tempestatumque potentes.Deprecativa,Ferte viam, venti, facilem,et spirate secundi.Enuntiativa, Est, mihi disparibus septem compacta cicutis Fistula. Quarum quidem præter enuntiationem nulla vel esse aliquid, vel non esse designat. Cæteræ namque vel interrogant, vel invocant, vel imperant, vel precantur. Enuntiatio vero semper esse aliquid aut non esse significat.Atque ideo sola enuntiatio est,in qua veritas vel falsitas inveniri queant.Unde etiam enuntiationis nascitur diffinitio,est enim enuntiatio quæ verum falsumve denuntiat.Hanc etiam proloquium vel propositionem Tullius vocat, quæ quidem partim simplex, partim composita. Simplex est quæ conditione seposita esse aliquid vel non esse proponit,ut Plato philosopbus est.Composita vero quæ ex duabus simplicibus copulante conditione consistit ut Plato si doctus est,philosophus est.Simplicium vero enuntiationum alias in qualitate sitas,alias in quantitate differentias invenimus. In qualitate quidem quod alia affirmativa.alia negativa est.Enuntiatio affirmativa est enuntiatio aliquid de aliquo significans,ut Plato philosophus est,philosophum de Platone prædicamus. Negativa vero est enuntiatio aliquid ab aliquo prædicatione sejungens, ut Plato philosophus non est, philosophum enim a Platone tali prædicatione sejunximus Secundum quantitatem vero differentiæ enuntiationum sunt,quod aliæ quidem universales aliæ particulares aliæ indefinitæ, alio singulares. Universales sunt quæ sive affirment,sive negent,universaliter tamen enuntiant universale subjectum,ut: omnis homo sapiens est,nullius homo sapiens est, homo universale quiddam est. Multos enim sub se individuos coercet et continet,qui universaliter enuntiantur,dum ei omnis vel nullus adjungitur.Particulares vero quæ vel affirmando vel negando ambitum subjecti universalis in partem redigunt,ut quidam homo sapiens est,quidam homo sapiens non est, hic enim universalitas hominis,adjecta particulari determinatione minuta est,atque in partem redacta. Indefinitæ vero sunt quæ absque universalitatis et particularitatis determinatione dicuntur,ut est homo sapiens,non est homo sapiens.Singulares vero sunt quæ de singulari aliquid et de individuo affirmando negandove proponunt,ut Socrates sapiens est, Socrates sapiens non est. Differt autem particularis propositio a singulari,quod particularis quidem unum aliquem subjicit,nec quis sit iste designat, ut quidam homo sapiens est,quis iste homo sit,propositio non declarat.Singularis vero unum aliquem sumit, et quis iste sit significat, ut Socrates sapiens est, unum enim et hunc Socratem sapientem esse proposuit.Amplius particularis omnis universalem quidem terminum ponit,sed ei detrahit universalitatem,dum qualitatem particularitas adjungit,ut in propositione, quidam homo sapiens est.Homo universalis est terminus, multos enim propria prædicatione concludit.Sed quia dicitur quidam,ad unum homo redigitur, qui universale persisteret, nisi particularitas fuisset adjuncta;in singularibus vero propositionibus prædicato termino semper individuum supponitur, ut Socrates sapiens est.Socrates enim singularis est, atque individuus; idcirco igitur illa particularis propositio quæ partem ex universalitatem detrahit,hæc singularis quæ in singularis atque individui prædicatione consistit. Simplicium vero enuntiationum partes sunt subjectum atque prædicatum.Subjectum est quod prædicati suscipit dictionem,ut in ea propositione quæ est,Plato philosophus est,Plato subjectum est, de ipso enim philosophus prædicatur, et in eo philosophi suscipit dictionem.Prædicatum vero est quod dicitur de subjecto,ut in eadem propositione, philosophus dicitur de Platone subjecto, semper enim quod subjectum est vel minus est,vel æquale prædicato: minus quidem ut in ea propositione de qua paulo ante tractavimus.Plato enim philosophi nomen non potest æquare neque solus Plato philosophus est;æqualis vero est subjectus terminus prædicato, ut si quis dicat, homo risibilis est, homo enim qui subjectus est terminus prædicato risibili coæquatur.Unde fit ut possit reddi reciproca prædicatio, scilicet, ut vices subjectum prædicatumque permutent,subjectumque fiat quod erat antea prædicatum,versoque ordine prædicetur quod fuerat ante subjectum,ut si dicatur quod risibile est homo est; omnia enim quæ sunt æqualia de se invicem prædicantur.Ut vero id quod subjectum est majus possit esse prædicato,nulla prorsus enuntiatione contingit, ipsa enim prædicata natura minora esse non patitur. Sed quod æquale vel majus est,id semper de æquali vel minore prædicatur. Has vero enuntiationum partes, id est prædicatum atque subjectum terminos appellamus. Termini vero dicuntur quod in eos postrema sit resolutio : itaque in singu-

laribus vel indefinitis propositionibus duos terminos semper invenimus, et verbum quod propositionis determinet qualitatem, ut in propositione qua dicimus. Socrates sapiens est, Socrates quidem ac sapiens terminos esse manifestum est. Est vero verbum non est terminus, sed designatio qualitatis, et qualis propositio sit negativa an affirmatio significat, et nunc quidem solo est verbo propositioni accommodato facta est affirmatio. At si non, quod est abverbium negativum esset adjunctum ita diceretur: Socrates sapiens non est, atque hoc modo mutata qualitate fierit de affirmatione negatio. Est igitur et non est, non sunt termini, sed, ut dictum est, significatio qualitatis. Eadem omnia etiam in indefinita propositione conveniunt; quod si sint tales orationes, Socrates est, dies est, est vi gemina fungitur, scilicet B prædicati, est enim verbum de Socrate et die prædicatum, et signi qualitatis, idem namque est solum positum affirmationem efficit, cum negativo adverbio negationem. At si sint propositiones quæ differentias secum habeant quantitatum, ut sunt universales ac particulares, eadem vis permanet terminorum; omnis enim ac nullus, et quidam, terminis non annumerantur, sed enuntiationem significant qualitatem. Atque ideo recte quod subjicitur ac prædicatur termini nuncupati sunt, quoniam in eos tantum resolvitur propositio. Cætera enim quæ simplicibus enuntiationibus adjunguntur, aut qualitatem propositionum retinent, aut quantitatem significant. Propositionum vero simplicium aliæ sunt quæ in nulla parte conveniunt, ut Plato philosophus est, et virtus bona est; utraque enim aliud quidam de alio prædicatur, nec habent aliquid in proponendi ratione commune. Illa enim Platonem philosophum dicit, illa virtutem bonam esse pronuntiat. Aliæ vero sunt quæ aliqua terminorum participatione junguntur. Id autem duobus fieri modis potest, aut enim ordine eodem, aut per ordinis commutationem. Eodem vero ordine duplici modo, si vel simplices terminos in utriusque constituas vel si per oppositionem fiat participatio terminorum: quod tribus neque amplius continget modis, nam vel prædicato, vel subjecto, vel utriusque terminis negatio copulatur. Ordinis etiam commutatione conveniunt duobus modis, aut enim per simplicem terminorum prædicationem, aut per eorumdem terminorum oppositionem. Hæc quoque oppositio terminorum triplicem recipit modum, D cum negatio vel prædicato, vel subjecto, vel utrisque conjungitur; illæ vero quæ altero termino participant et tribus modis, vel cum in una propositione quod prædicatur in altera subjectum est, vel cum idem in utriusque prædicatur, vel cum idem in utrisque subjectus est. Et quoniam omnium sibimet convenientium propositionum ordinatissimam fecimus divisionem, nunc de singulis quibusque tractemus, ac primum de ea propositionum convenientia, quæ cum utrisque participet terminis, participandi tamen ordinem servent, ea est hujusmodi, omnis homo sapiens est, nullus homo sapiens est. Utraque A enim propositio hominem subjicit, et prædicat sapientiam, et cum utroque termino congruant, sunt tamen diversæ, quoniam hæc affirmatio est, illa negatio. Et hoc quidem exempli gratia dictum sit, plenius vero fiet de tali participatione tractatus hoc modo. Cunctarum simplicium propositionum differentias, vel in qualitate, vel in quantitate sitas esse ostendimus; in quantitate cum universaliter pronuntiat [F. pronuntiantur] vel particulariter vel indefinite, vel singulariter proferuntur, in qualitate vero cum hæ quidem affirmativæ sunt, illæ vero negativæ. Si igitur duas affirmativas aggregamus fiunt mixtæ cum utrisque octo differentiæ, quæ simul qualitatem quantitatemque continent. Sunt autem mixtæ hæ, affirmatio universalis, negatio universalis, affimatio particularis, negatio particularis, affirmatio indefinita, negatio indefinita, affirmatio singularis, negatio singularis. Quarum quidem indefinitas singularesque segregemus, et de universalibus ac particularibus disseramus. Describatur ergo universalis primum affirmatio, omnis homo justus est, cujus adversum tenet locum negativa propositio universalis, nullus homo justus est, item sub universali affirmatione ponatur particalaris affirmatio, quidam homo justus est, hanc adversa fronte respiciat, sitque universali negativæ supposita particularis negatio, quidam homo justus non est.

Universalis affirmatio: Universalis negatio:
Omnis homo justus est. Nullus homo justus est.
Quidam homo justus est, Quidam homo justus non est,
particularis affimatio. particularis negatio.

C Harum igitur affirmatio atque negatio universalis qualitate quidem discrepant, sed quantitate concordant; nam quod hæc quidem affirmatio est, illa vero negativa est, sunt in qualitate diversæ, quia vero utraque universalis est quantitate conveniunt. Harum igitur vel utrasque falsas, vel unam veram, alteram falsam recipere possibile est, utræque autem simul veræ nequeunt inveniri, nam in posita descriptione affirmatio quæ est, omnis homo justus est, et negatio quæ est, nullus homo justus est, cum utræque sint universales, neutra tamen est vera. At si sit affirmatio, omnis homo animal est, atque universaliter denegetur ita, nullus homo animal est, vel ita, omnis homo lapis est, nullus homo lapis est, unam veram, alteram falsam esse necesse est. Atque ideo D quoties ea prædicantur quæ et convenire subjecto et abeo valeant segregari et universaliter illa confirmat hæc denegat, utrasque falsas contingit, et superius positis declaratur exemplis. Justitia enim cum esse in hominibus possit, non tamen ita hominibus inhæsit, ut ab eis separari nullo modo queat, atque ideo neque omnis homo justus est, neque omnis homo justus non est, contingit utrasque mentiri; at si tale sit quod a subjecto abstrahi separarique non possit, vel quod nunquam possit evenire subjecto, et quæ vniversaliter affirmativa est universaliter abnuatur, evenit uni veritatem, altari semper adesse mendacium, sed ita ut si a subjecto quod prædicatur non

potest segregari, vera sit semper affirmatio, falsa negatio; at si quod evenire non potest prædicatur, affirmatio quidem falsa sit, sed vera sit negatio. Nam quoniam animal non ab homine potest segregari, quæ hominem animal esse confirmat vera est, falsa vero illæ quæ denegat; item si quod non potest fieri prædicetur, fiatque affirmatio, omnem hominem esse lapidem, idque adversa propositio neget, nullumque hominem lapidem esse concedat, negatio quidem veritati, affirmatio autem juncta est mendacio : simul autem veras esse affirmationem universalem universalemque negationem nulla poterunt exempla monstrare. Atque ideo universalis quidem affirmatio, universalisque negatio contraria dicuntur, nam ut in contrariis aliquid medium continentibus potest neutrum inesse subjecto, ut corpus neque nigrum sit neque album, quoniam est quod præter ea esse possit, ut rubrum, itemque in contrariis medietate carentibus necesse est alterum semper inesse subjecto ut omne animal aut dormit aut vigilat, quoniam inter dormire ac vigilare nihil medium est ; autem simul atque in eodem utraque contraria reperiantur fieri nequit. Ita etiam in universalibus affirmatione ac negatione: ut utræque falsæ sint, exemplo contrariorum aliquid medium claudiunt; vel altera vera, falsa vero altera, sicut in contrariis quæ medio carent fieri posse manifestum est sed impossibile est ut utriusque sententia in veritate conveniat, sicut nulla contraria simul esse patiuntur. Atque ideo universalis affirmatio universalisque negatio contrariæ nominantur. Hæ igitur non eam vim ipsa semper adversitate conservant, ut eis sit perpetua atque inconciliata discordia, nec se semper invicem perimunt, quæ cum sententia dissideant communi tamen falsitate concordant. Si igitur earum una submota sit, non necesse est ut esse altera consequatur: fieri enim potest ut neutra sit, velut si omnem justum esse hominem destruat, non est consequens ut nullus homo sit justus. Quæ autem sub his propositionibus collocantur, id est particularis affirmativa atque negatio, subcontrariæ nomen habent, idcirco quod universalitati particulare commune subjectum est; cum igitur universales intelliguntur esse contrariæ, subcontrarias esse necesse et quæ sub universalibus contrariis collocantur. Horum quoque quantitas est eadam, quoniam utræque sunt particulares ; diversa qualitas intelligitur, quoniam affirmatio hæc est, illa vero negatio ; sed quanquam contrariis videantur esse subjectæ, converso tamen modo particulares in veritate sibimet, non in falsitate consentiunt. Nam ut hæc verum, falsum illa pronuntiet, atque utræque sint veræ facile propositis declaratur exemplis ; ut vero utræque falsæ sint, non potest inveniri. Nam si quod neque separari, neque possit adesse subjecto, alterutra enuntiet propositio, una est veritati, altera cognata mendacio. Et siquidem quod a subjecto separari non potest prædicetur, affirmatio sola veritatis calculum tenet ; at si quod subjecto impossibile adesse dicatur, sola obtinet negatio veritatem, ut si quis pronuntiet, quidam homo animal est, et alius neget, quidam homo animal non est, vel ita, quidam homo lapis est, quidam homo lapis non erat, utraque affirmationum negationumque oppositio verum inter falsumque partitur. Sed in prioribus quidem affirmatio, in posterioribus autem vera negatio est. At si quad evenire quadem possit, sed a subjecto tamen aliquando valeat segregari, affirmatio particularis, negaticque pronuntietur, utrasque veras esse necesse est, ut quidam homo justus est, quidam homo justus non est ; ut vero utræque falsæ sint, nulla potuerunt exempla congruere. Quocirca ne ista quidem quas subcontrarias appellamus semper sese invicem perimunt, quandoquidem aliquoties in veritate concordant. At si omnibus differentiis dissidentes ac invicem destruentes invenire conemur, respiciendæ sunt angulares; hæ vero sunt universalis affirmatio et negatio particularis, vel universalis negatio et affirmatio particularis ; his enim tanta inter se discordia manifesta est, ut neque in falsitate unquam, neque in veritate conveniant, semperque necesse est cum affirmatio sit vera, negationem esse mendacem, cum negationi adsit veritas, affirmationi esse propriam falsitatem. At primum cum geminas esse propositionum differentias dixerimus in qualitate scilicet et quantitate, harum et qualitas divisa esse probatur et quantitas: nam quod hæc affirmatio est, illa negatio, in qualitate dissentiunt; quod vero hæc universalis, in particularis quantitate discordant. Item neque in falsitate, neque in veritate unquam poterunt convenire. Sive enim de his quæ a subjecto abesse non possunt unam semper veram esse necesse est, alteram falsam, nam si talis terminus prædicatur, ut cum vel adesse subjecto vel non adesse contingat, universales semper falsæ sunt, particulares veræ sunt, si quis enim ita proponat, omnis homo justus est, atque alius neget, quidam homo justus non est, universalis affirmatio falsa est, particularis est vero negatio, similiter autem si quis ita pronuntiet, nullus homo justus est, universalis negationis falsa, particularis affirmationis vera sententia est ; ita in his quæ vel adesse subjecto, vel abesse contingant, universales falsitati conjunctæ sunt, particulares obtinent veritatem. At si tales termini sint, qui separari atque a subjecto dividi nequeant, sive illa sit universalis, sive particularis, hærebit semper affirmationi veritas, negationi mendacium, ut si quis universaliter enuntiet omnem hominem esse animal, aliusque particulariter neget, quemdam hominem non esse animal affirmatio universalis verum loquitur, particularis negativæ falsa sententia est. Item si quis universaliter negando proponat nullum hominem esse animal, particularem affirmationem veritas sequitur, hæret universalis negatio falsitati ; quod si sint quæ prædicantur ut nunquam possint adesse subjecto, seu illæ universaliter seu particulariter proponantur, negationes ornat veritas, affirmationes falsitas decolorat. Si quis enim confirmat dicens omnem hominem lapidem esse, aliusque

quemdam hominem non esse lapidem respondeat, universalem affirmationem falsitas, particularem negationem veritas tenet; quod si ita quis universaliter neget, nullus homo lapis est, et particulariter affirmet, quidam homo lapis est, universali constat negatione veritas, particularis affirmatio non caret falsitate. Quoquo igitur modo prædicata vel subjecta mutaveris, si tamen universalem affirmativam particulari negativæ, vel universalem negativam particulari affirmativæ consertam a singulari consideratione committas, si hæc falsa illam veram esse contingit, et si hæc vera est illam falsam necesse est inveniri, atque idcirco has inter se oppositas et contradictorias nuncupamus. Et hactenus quidem affirmationes et negationes aversis intentionibus conferentes, quid in eis discordiæ ac diversitatis esset ostendimus; nunc universalem affirmationem particulari affirmativæ, et universalem negationem particulari negativæ ad veritatis falsitatisque convenientiam comparemus. Harum namque inter se nulla discordia est, atque ideo non de earum dissensu, sed de consensu potius videtur esse quærendum. Primum igitur universalis affirmatio et particularis affirmatio subalternæ dicuntur, quoniam altera subjacet alteri, id est particularis affirmatio universali affirmationi supposita est atque subjecta, veluti pars intra totius semper ambitum latet; idemque de universali et particulari negativa dicendum est, subalternæ enim vocantur, quod superior atque amplior universalis negatio intra se particularem negationem claudit et continet. Hæc igitur tali ratione consentiunt, si enim universales in veritate præcedant, particulares veras esse necesse est, ut si quis universaliter affirmando proponat, omnem hominem animal, ea cum sit, vera, particularis sibi affirmationis veritatem comitem trahit, ea vero est, quidam homo animal est. Nam si verum est omnem hominem esse animal, verum est esse aliquem; item si quis universaliter enuntiet nullum hominem esse lapidem, et verum dixerit, subjecta ei particularis negatio idem retinet, nec mentitur qui dixerit quemdam hominem lapidem non esse; ita igitur universalibus affirmatione ac negatione vera dicentibus, particularis affirmatio et negatio veram universalium sententiam consequuntur. At si universales falsæ sint, non necesse est particulares universalium consensu præbere mendacium, velut in his universalibus quæ proponunt omnem hominem esse justum, vel nullum hominem esse justum, quæ cum una sit affirmatio, altera negatio, utræque sunt falsæ; sed eas particularium falsitas non ex necessitate consequitur, nam et quemdam hominem esse justum, quæ particularis est affimatio, vere quis dixerit, atque ideo falsis universalibus, particulares veras esse non necesse est. Quod enim universalis affirmatio falsa dicatur omnem hominem esse lapidem, errat particularis affirmatio quæ proponit quemdam hominem esse lapidem. At si universalis negatio falsa proponatur, nullum hominem esse animal non idcirco particularis erit vera negatio, si pronuntiet quemdam hominem non esse animal, atque ideo universalibus quidem in veritate manentibus, particulares necesse est universalium consentire veritati, at si universalibus falsitas inhærebit, particulares tum veras, tum etiam falsas esse possibile est, veras quidem si quid tale prædicetur quod adesse subjecto possit, et a subjecto valeat separari, falsas esse utrasque, affirmationem quidem particularem, si in eo sit universalis falsa affirmatio quod subjecto non potest convenire, negationem particularem, si in eo universalis negatio mentiatur quod a subjecto non potest segregari, ut posita superius exempla declarant. Quod si ad veritatis et falsitatis consequentiam particulares propositiones locum principem sortiantur, contraria eis universalis propositionis ratione conveniunt. Nam si sint falsæ, particulares falsas esse necesse est; sin vero particulares veræ sint, tum universales veræ sunt, tum etiam falsæ. Nam si particularis affirmatio est falsa, quæ dicit aliquem hominem esse lapidem, universalis quoque affirmatio falsa est quæ proponit omnem hominem esse lapidem. Item si particularis est falsa negatio quæ decernit quemdam hominem non esse animal, falsa erit universalis negatio quæ nullum hominem animal esse contendit. At si particularis affirmatio vel negatio veræ sunt, idque prædicatur quod a subjecto dividi ac segregari queat, affirmationem negationemque universales non est dubium posse mentiri, ut quoniam veræ sint particulares quæ proponunt quemdam hominem esse justum, et quemdam hominem non esse justum, his suppositas universales falsas esse manifestum est, ut ea quæ dicit, omnis homo justus est, et nullus homo justus est. At si quid tale affirmatio particularis pronuntiet quo subjectum carere non possit, vera erit superposita affirmatio universalis, ut cum aliquis enuntiat quemdam hominem esse animal, huic universalis affirmatio in veritate consentit, quæ est omnis homo animal est. At si quid particularis negatio tale proponat, quod subjecto nequeat inhærere, veritatem particularis negationis universalis negativæ veritas necesse est consequatur, ut cum aliquis dicit quemdam hominem lapidem non esse, consonat universalis veritas propositionis quæ nullum hominem lapidem esse pronuntiat: quo fit ut præcedentibus quidem universalibus veris, particulares veras esse necesse sit; præcedentibus vero in falsitate particularibus, universalium veritas non subsequatur; manentibus vero universalibus falsis, particulares mendacium dicere non sit necesse, sicut ne vera quidem particularibus proponentibus, veram universalium necesse est esse sententiam. Et hoc quidem exempla docuerunt: ut autem firma demonstratione clarescat, utilis ad evidentiam rerum descriptio proponatur.

dicati, quod subjecto semper inhæreat, hoc est, omnis homo animal est,homo animal non est,nullus homo animal est,homo animal est.Hic indefinitæ vi eadem funguntur qua et particularis,hujus vero quod nunquam inhæret,hoc est, omnis homo lapis est,homo lapis non est.Nullus homo lapis est,homo lapis est, in his quoque indefinitæ universalibus oppositæ per unamquamque oppositionem unam veram,falsam alteram reddiderunt, item quod suscipere subjecti naturam valeat et possit amittere. Omnis homo justus est,homo justus non est. Nullus homo justus est,homo justus est,in his etiam indefinitæ particularibus immutatæ sunt,quæ universalibus objecta per unamquamque propositionum adversitatem,uni semper verum,alteri divisere mendacium.Præterea quoque modo terminorum exempla ponantur, si affirmationes, affirmationibus, negationes negationibus comparemus,universalibus veris indefinitarum veritas provenit, ut cum veræ sunt, omnem hominem esse animal,et nullum hominem esse lapidem,constat veritas indefinitis quæ proponunt,et hominem animal esse,et hominem lapidem non esse.At si universalium falsitas antecedat,indefinitarum vel veritas, vel mendacium variabit, hoc modo. Falsa enim est universalis enuntiatio quæ proponit omnem hominem esse justum ; sed ea quæ dicit hominem esse justum, tenet in humanæ naturæ parte veritatem.Nam si non habet omnis homo justitiam,cum tamen aliquis habeat,vere dici potest hominem esse justum.Item,cum proponitur universaliter, nullus homo justus est, falsum est, at si id indefinitæ denegetur,a veritate non discrepat.Nam cum sit aliquis homo non justus, non mentietur qui pronuntiaverit hominem esse non justum.Item cum sit falsa quæ universaliter affirmat dicens omnem hominem esse lapidem,falsa est quæ idem indefinita enuntiatione confirmat dicens hominem esse lapidem. Rursus cum sit falsa negatio per quam proponitur nullum hominem esse animal,falsa est indefinita negatio quæ pronuntiat hominem non esse animal.Hic quoque particularium similitudo servata est.Nam in subalternis vera universalitas veritatem particularitatis trahebat. Falsa vero universalitas nec veritatis,nec mendacii necessitatem particularibus afferebat. Eadem omnia universalium atque indefinitorum collatione proveniunt.Rursus indefinitas primum falsas constet,universales quoque necesse est esse mendaces,ut si falsum sit esse hominem justum,falsum erit omnem hominem esse justum,quandoquidem non capit veritatem, si justus vel unus homo non fuerit.Item,si indefinita negatio mentiatur, verum universalis negatio non habebit, veluti si falsa sit ea quæ dicit hominem non esse justum, quandoquidem non potest universaliter ab homine denegari, si vel uni hominum probabitur adesse justitia.At si indefinitæ sententiam veritatis obtineant,universales tum veras, tum eveniet esse mendaces: velut cum dicimus hominem esse justum verum est, est enim homo qui justitia non careat.

A Hujus universalis negatio mentietur,cum quis dixerit nullum hominem esse justum. At si id affirmabitur indefinite quod a subjecto divelli secernique non possit, vera nihilominus erit affirmativa quæ proponit omnem hominem esse animal. At si id quod subjecti naturam non recipit proponit indefinita negatio,veluti si dicat hominem lapidem non esse, nihil ab ejus veritate universalis negativa dissentiet, ut ea quæ nullum animal esse proponit. Nihil igitur dubium est indefinitas particularibus esse consimiles, eamdemque vim veritatis ac falsatis significationibus obtinere : de quibus sufficienter dictum est.Nunc de singularibus explicemus,quæ nihil superioribus similes exstant.Illæ namque quoniam constituebant universale subjectum,de quo prædicatum terminum B dicerent, idcirco suscipiebant etiam differentias quantitatis.Nam quod universale est et universaliter et particulariter et indefinite poterit pronuntiari.At hæ quæ unum aliquid ponunt,singulariter atque individue differentias quantitatis habere non possunt, atque ideo sola in eis relinquitur discrepantia qualitatis,quod hæc quidem affirmatio,illa vero negatio. Semper igitur inter se affirmatio et negatio singularis verum falsumque distribuent, si non cætera impediant quæ sensum in alias atque in alias significationes solent deflectere ac detorquere.Cum vero unum atque idem prædicatum atque subjectum in affirmatione et negatione constiterit, uno eodemque sumptum tempore,uno eodemque prolatum modo, ad unum atque idem relatum,de una atque eadem parte propositum,necesse est ex his unam semper C esse veram,alteram semper esse falsam. Nam sive æquivocos terminos sumant,sive non ad idem tempus procedant,sive alius utrisque insit modus,sive ad alias partes vel ad aliquid aliud referantur,veras utrasque esse contingit.Age enim æquivocum terminum sumat affirmatio, dicatque, Cato Uticæ se peremit, negetque negatio, Cato se Uticæ non peremit. Hic igitur utræque sunt veræ, quoniam Cato æquivocum est. Namque Cato prætorius Uticæ sibi manus intulit, Cato vero censorius minime. Item proponatur affirmativa hoc modo,Nocte lucet,negatio respondeat, Nocte non lucet. Hic igitur lucere æquivocum est.Atque ideo nihil impedit quominus utræque in veritate permaneant.Affirmatio namque cum dicit lucere nocte,lunæ loquitur lucem.Illa vero D cum negat,de solis luce significat.Hic igitur æquivocum prædicatum utrasque verum conservare permisit. Item si quis de Socrate proponat dicens,Socrates sedet,atque alius neget, Socrates non sedet, utræque veræ esse queunt, si ad diversa tempora referantur. Potest enim nunc quidem Socrates sedere, alio vero tempore non sedere. Rursus si quis humani oculi colorem nigrum esse confirmet,aliusque nigrum non esse contendat,utrique verum loquentur,si ad singulas oculi partes affirmatio negatioque referantur. Nam quod circa orbem est qui medius populam tenet, album est. Ipse vero orbis niger visitur.Rursus si de Socrate inter duos locato

quis dixerit: Socrates dexter est,aliusque respondeat, Socrates dexter non est, utrisque constare veritas potest. Ad eum qui cum sinistra Socratis est, dexter est. Ad eum vero cujus lævo lateris pars Socratis dextra conjungitur, dexter non est. Item, si qnis ovum animal esse constituat, aliusque ovum animal esse neget, utræque a veritate non dissonant: namque ovum potestate animal est, actu animal non est. Ita igitur inter se singulariam subjectorum propositiones verum falsumque distribuent, ut unam veritatem necesse sit habere, alteram mendacium,si neque quod subjectum est, neque quod prædicatum,aliqua sit æquivocatione confusum ad idem tempus,ad easdem partes,ad eumdem modum, eademque rem ad quam affirmatio retulit ea quæ proponuntur in negatione afferatur, ut si quis de Socrate pronuntiet,Socrates calvus est, Socrates calvus non est. Si igitur de Socrate eodem affirmatio negatioque proponant,si eamdem calvitii significationem affirmatio sumpserit et negatio, si eamdem utræque capitis partem loquantur, si vel actum utræque potestatemve significent, si nulla diversitate temporis erretur,si non ad alium affirmatio, A ad alium negatio referatur,una semper veritati conjuncta est, retinet semper altera falsitatem. Quoniam de ea convenientia propositionum quæ utrisque simplicibus terminis eodemque ordine captaretur explicui, nunc de ea participatione dicendum est quæ et utrosque terminos et eumdem ordinem servat; hoc autem (ut dictum est) tribus contingere modis potest, aut enim prædicatus tantum, aut subjectus terminus,aut uterque cum negatione proponitur. At tum enuntiatio vel ab infinito subjecto,vel ab infinito prædicato, vel ab infinitis utrisque consistit. Quoties enim nomini negatio subjungitur, nomen redditur infinitum. Atque ideo per oppositionem participatio fieri dicitur. Nomini enim simplici semper infinitum nomen opponitur,ut homo,non homo, B animal,non animal,et cætera: quæ cum ita sint,disponantur simplices,atque ex earum natura cæteras colligamus. Primo igitur propositionum series describatur, ea scilicet quæ utrisque jungitur finitis, propositisque simplicibus ita ex infinitis omnibus copulatarum propositionum ordo jungatur,ut affirmationes affirmationibus,negationes negationibus,adversis frontibus collocentur.

Omnis homo rationalis est.	Omnis non homo non rationalis est.
Nullus homo rationalis est.	Nullus non homo non rationalis est.
Quidam homo rationalis est.	Quidam non homo non rationalis est.
Quidam homo rationalis non est.	Quidam non homo non rationalis non est.
Omnis homo grammaticus est.	Omnis non homo non grammaticus est.
Nullus homo grammaticus est.	Nullus non homo non grammaticus est.
Quidam homo grammaticus est,	Quidam non homo non grammaticus est.
Quidam homo grammaticus non est. C	Quidam non homo non grammaticus non est.
Omnis homo lapis est.	Omnis non homo non lapis est.
Nullus homo lapis est.	Nullus non homo non lapis est.
Quidam homo lapis est.	Quidam non homo non lapis est.
Quidam homo lapis non est.	Quidam non homo non lapis non est.
Omnis homo justus est.	Omnis non homo non justus est.
Nullus homo justus est.	Nullus non homo non justus est.
Quidam homo justus est.	Quidam non homo non justus est·
Quidam homo justus non est.	Quidam non homo non justus non est.
Omnis homo risibilis est.	Omnis non homo non risibilis est.
Nullus homo risibilis est.	Nullus non homo non risibilis est.
Quidam homo risibilis est.	Quidam non homo non risibilis est.
Quidam homo risibilis non est.	Quidam non homo non risibilis non est.

Harum igitur talis est consocianda falsitate vel veritate proprietas, ut affirmationes quidem inter se D universales particularesque negationes vel in veritate vel in mendacio consentire queant, vel verum inter se falsumque dividere. Si quid enim de subjecto tale prædicetur quod vel de subjecto nequeat segregari,ut ab homine rationabilitas,vel a subjecto quidem recedere queat, sed subjecti naturam non possit æquare,ut hominis grammaticus, unam veram,alteram falsam esse proveniet. Nam qui dicit, omnis homo rationalis est, verum loquitur, et qui dixerit,omnis non homo non rationalis est mentietur. Divinæ namque substantiæ rationis quidem compotes sunt,sed homines non sunt. Item si quis pronuntiet, omnis homo grammaticus, est falsum dixerit. At qui proponit,omnis non homo non grammaticus est,verum dixerit. Nam qui homo non est, grammaticus esse non potest. At si id de subjecto prædicetur quod vel nunquam subjecto valeat convenire,ut lapis homini,vel conveniens ab eo possit abscedere, cum sit majus atque universalius subjecto,ut justitia homini,simul utrisque falsitas provenit. Nam si quis dicit, omnis homo lapis est, falsam fecerit propositionem. Eodem quoque modo qui dixerit, omnis non homo non lapis est, cum silex homo non sit, sed lapis. Item propositio, omnis homo justus est, falsa est, cujus sequitur falsitatem, omnis non homo non justus est. Nam

ssubstantiis adest semper justitia,cum non sit nitas. At si quid tale de subjecto prædicetur et semper ei copuletur, neque tamen subje- possit excedere, ut risibile homini, utrinque ıtia in significandi veritate concurrit, omnis risibilis est, vera est, omnis non homo non is est, hæc retinet veritatem. Nam quia risi- ominis proprium est, recte dicitur non esse e quidquid homo non fuerit. Eadem omnia in ulari negatione redduntur. Nam sive quæ sunt a subjecto atque ab eo discedere nequeunt,ut abilitas ab homine,vel quæ discedunt quidem, ınt majora subjecto, ut grammaticus homine, ɔjecto prædicentur,unam veram, alteram fal- ıciunt. Nam qui dicit, quidam homo rationalis st,falsum proposuit ; qui vero respondet,qui- ıon homo non rationalis non est, verum lo- '. Divina quippe substantia non est quidam , sed carere non potest humanæ ratione na- Item, quidam homo grammaticus non est, ıst, sed falsa est si dicam, quidam non homo rammaticus non est. Cum illud sit verius, am qui homo non fuerit,non potest esse gram- ıs. At si quæ vel nunquam de subjecto possunt rædicari, ut lapis de homine, vel prædican- ıidem et sunt majora subjecto, sed ab eo dis- ; separarique patiuntur, ut justitia ab ho- veras protinus utrasque conservant. Nam qui quidam homo lapis non est, verum dixe- ; si quis respondeat, quidam non homo non ıon est, is quoque verum dixerit : si quidem ce vel de hujusmodi cæteris velit intelligi, um non sint homines, non lapides non sunt. ıuidam homo justus non est,propositio veri- tenet. Sed ne illa quidem falsa est quæ pro- quemdam non hominem non justum non esse; ıim, ut dictum est,divinis substantiis inveni- justitiam teneant, quamvis ab hominis diffi- e sejunctæ sunt. Item, si id quod abesse non , et sit æquale subjecto, de eodem subjecto cetur, ut risibile homini, incurrit utrisque acium. Nam quidem homo risibilis non est, est, cujus falsitati sese æmulam præstat quæ nit, quidam non homo non risibile non est, qui homo non sit possit esse risibilis. Ita

A igitur quidem in affirmationibus universalibus et particularibus negativis veritas falsitasque et simul aliquoties invenitur, et inter utrasque dividitur. Negationes vero universales et particulares affirmationes non simili respondent modo. Sed negationes quidem universales, unam verum dicere, alteram falsam,simul utrasque falsas esse possibile est. Simul autem veras nunquam esse contingit. Nam si id quod adesse subjecto non potest, prædicetur, ut lapis homini, unam veram faciunt,alteram falsam, ut est,nullus homo lapis est, vera est,falsa est quæ proponit, nullus non homo non lapis est, omnia quippe animalia præter hominem ita non sunt lapides,sicut ab hominum natura sejuncta sunt. Quidquid vero aliud de subjecto prædicetur,neutri con-
B stare veritas potest : ut si quis proponat, nullus homo rationalis est, falsum dixerit ; aliusque respondeat, nullus non homo non rationalis est, hanc quoque convincit ratio mentiri, equus quippe non homo est, nec eum quis dixerit rationis esse participem ; ut autem simul veræ sint,nullus poterit terminus approbare. Particulares autem affirmativæ in differentiam veritatis falsitatisque discedunt, quoties aliquid tale de subjecto dicitur,quod nunquam possit adesse subjecto,ut lapis : nam si quis enuntiet, quidam homo lapis est, falsa propositio est : at si quis respondeat,quidam non homo non lapis est, tenet contrariam veritatem, equus quippe non homo est, nec lapis esse dicetur. Quidquid vero aliud de subjecto prædicabitur, est eas in veritatis
C significationem convenire,ut,quidam homo rationalis est, vera est, quidam non homo non rationalis est,huic quoque veritas constat, equus quippe non homo est,nec ratione subsistit ; ut vero simul falsæ sint, nullis reperietur exemplis. Ad hunc igitur modum ei de cæteris quæ vel subjectum vel prædicatum retinent infinitum,ad veritatis falsitatisque consensum enuntiationum proprietas consideranda est, de quibus modo breviter quid eveniat tetigisse sufficiat,singula vero lectoris exploranda diligentiæ, et per convenientes terminos rimanda permittimus. Disponantur igitur propositiones quæ ex utrisque simplicibus terminis constant,easque quarum subjectum tantum abnuatur ex adversa parte respiciant.

Simplices.	D Ex subjectis finitis.
Omnis homo rationalis est.	Omnis non homo rationalis est.
Nullus homo rationalis est.	Nullus non homo rationalis est.
Quidam homo rationalis est.	Quidam non homo rationalis est.
Quidam homo rationalis non est.	Quidam non homo rationalis non est.
Omnis homo risibilis est.	Omnis non homo risibilis est.
Nullus homo risibilis est.	Nullus non homo risibilis est.
Quidam homo risibilis est.	Quidam non homo risibilis est.
Quidam homo risibilis non est.	Quidam non homo risibilis non est.
Omnis homo justus est.	Omnis non homo justus est.
Nullus homo justus est.	Nullus non homo justus est.
Quidam homo justus est.	Quidam non homo justus est.
Quidam homo justus non est.	Quidam non homo justus non est.

Omnis homo grammaticus est.
Nullus homo grammaticus est.
Quidam homo grammaticus est.
Quidam homo grammaticus non est.

Omnis homo lapis est.
Nullus homo lapis est.
Quidam homo lapis est.
Quidam homo lapis non est.

In harum igitur affirmationibus quidem unaversalibus veritas et falsitas distribuitur, si quis tale de subjecto prædicetur quod abesse non possit, sive illud majus sit, ut animal homine, sive æquale, ut risibile homini. In his enim unam veram, alteram falsam esse necesse est, quidquid vero præter ea fuerit prædicatum, unam semper veritas, alteram semper falsitas non sequitur. ut autem simul veræ sint nequit ostendi. Particularium vero in affirmationibus quidem, siquidem eo prædicentur quæ valeant transire subjectum, sive ab eo separari nequeunt, ut animal ab homine, seu possint, ut justitia ab homine,

Simplices.

Omnis homo lapis est.
Nullus homo lapis est.
Quidam homo lapis est.
Quidem homo lapis non est.

Omnis homo animal est.
Nullus homo animal est.
Quidam homo animal est.
Quidam homo animal non est.

Omnis homo risibilis est.
Nullus homo risibilis est.
Quidam homo risibilis est.
Quidam homo risibilis non est.

Omnis homo justus est.
Nullus homo justus est.
Quidam homo justus est.
Quidam homo justus non est.

Omnis homo grammaticus est.
Nullus homo grammaticus est.
Quidam homo grammaticus est.
Quidam homo grammaticus non est.

Harum igitur affirmationes universales, siquidem prædicent quod subjecto nequeat convenire, ut lapis homini, vel a subjecto, cum sit æquale vel sit majus, non possit abscedere, ut animal vel risibile ab homine, unam semper necesse est veritatem, alteram proferre mendacium: quidquid vero præter ea fuerit prædicatum, utrisque falsitas invenitur, ut ad veritatem convenire non possint. Negationes vero universales siquidem id de subjecto prædicent quod subjecto adesse possit et abesse, ita ut excedat, ut virtus hominem, vel id quod adesse quidem queat, sed non possit adæquare subjectum, ut grammaticus hominem, utræque in falsitate communicant. Quidquid vero aliud fuerit prædicatum, unam, veritas, alteram falsitas consequetur; ut autem simul veræ sint, nequit ostendi. Particularium vero affirmationes quidem simul veræ sunt, si id quod vel adesse possit

A Omnis non homo grammaticus est.
Nullus non homo grammaticus est.
Quidam non homo grammaticus est.
Quidam non homo grammaticus non est.

Omnis non homo lapis est.
Nullus non homo lapis est.
Quidam non homo lapis est.
Quidam non homo lapis non est.

loquitur utraque vera sententia. Quidquid vero præter ea fuerit prædicatum, unam veritas, alteram falsitas tenet; falsæ vero simul nequeunt inveniri. Negationes vero particulares siquidem id prædicent quod a subjecto non possit abscedere, sive illud majus sit, ut rationale homine, seu æquale, ut risibile homini, uni constabit veritas, altera mentietur. Si B quid vero præter ei fuerit prædicatum, veras semper utrasque constat, ut in eas communis falsitas nunquam possit incidere. Item disponantur in ordinem primum quidem simplices, has e regione respiciant quæ subjecto simplici denegantur prædicato.

Ex infinito prædicato.

Omnis homo non lapis est.
Nullus homo non lapis est.
Quidam homo non lapis est.
Quidam homo non lapis non est.

Omnis homo non animal est.
Nullus homo non animal est.
Quidam homo non animal est.
Quidam homo non animal non est.

Omnis homo non risibilis est.
C Nullus homo non risibilis est.
Quidam homo non risibilis est.
Quidam homo non risibilis non est.

Omnis homo non justus est.
Nullus homo non justus est.
Quidam homo non justus est.
Quidam homo non justus non est.

Omnis homo non grammaticus est.
Nullus homo non grammaticus est.
Quidam homo non grammaticus est.
Quidam homo non grammaticus non est.

vel abesse prædicetur, sive illud majus sit, ut justitia homine, seu minus, ut grammaticus ab homine. Si quid vero aliud fuerit prædicatum, veritas in eas ac falsitas distribuitur, ita ut nunquam communem D consonent falsitatem. Particulares quoque negativæ in similibus terminis veritate concordant. Nam si quod adesse vel abesse potest, sive illud majus sit ut justus ab homine, sive minus, ut grammaticus ab homine, de subjecto prædicetur, veritas utrisque constabit. In aliis vero cunctis prædicationibus uni veritas, alteri falsitas cedit. Nunquam tamen utræque in prodenda falsitate consentient. Præter hanc autem inter se convenientiam propositionum, habent aliquid hæ proprium quæ prædicatum adjecta negatione pronuntiant, quod cæteris inesse non possit. Affirmationes namque negationibus, negationesque affirmationibus, quarum universalis est propositio,

ue particulares affirmationes negationibus, ne- A venientium autem ordinem seriemque describimus
nes affirmationibus ita conveniunt, ut nunquam quas si quis in superius posita respexerit; videbit
in falsitate, neque in veritate discordent. Con- angulariter conversas.

Omnis homo rationalis est	Conveniunt	Nullus homo non rationalis est.
Omnis homo non rationalis est	Conveniunt	Nullus homo rationalis est,
Quidam homo non rationalis est	Conveniunt	Quidam homo rationalis non est.
Quidam homo rationalis est	Conveniunt	Quidam homo non rationalis non est.

idcirco in his tantum videtur evenire, quod ponat quemdam hominem esse lapidem, eamque
dem subjecto uterque intelligitur ordo opposi- convertat dicens quemdam lapidem esse hominem,
. Nam quæ dicit, omnis homo rationalis est, mansit in utrisque mendacium. Hoc igitur modo
mine rationale prædicavit; item quæ proponit, affirmatio particularis sui recipit conversionem.
homo non rationalis est, de eodem homine Item negatio universalis converti potest, ut si
ale sejunxit, ut merito simplices affirmationes quis enuntiet nullum hominem esse lapidem, eam-
ioni consentiant. At non in aliis intelligitur idem demque conversis terminis dicat nullum lapidem
subjectum. Nam et illa quæ proponit omnem esse hominem, simul veritatem tuentur. At si quis
ominem esse rationalem, et illa quæ enuntiat B dicat nullum hominem esse animal, atque eamdem
m non hominem esse non risibilem, de homine subterminorum conversione proponat dicens nullum
oquuntur, sed quolibet alio quod hominis ne- animal esse hominem; neutra suam perdidit falsita-
ne relinquitur. Atque ideo velut extraneæ atque tem. Hoc igitur modo universalis quoque negatio
et alienæ, nec in veritate possidet aliquam sibi ipsa convertitur, universalis vero affirmatio non
falsitate concordiam. Indefinitas autem pro- tenet perpetuam conversionem: quamvis enim quo-
ones, quoniam particularibus similes esse ties de speciebus propria prædicentur converti uni-
travimus, adjungendas superioribus non puta- versales affirmationes queant, ut si quis dicat omnis
enim indefinitis necesse est evenire, quod parti- homo risibilis est, poterit terminorum ordinem per-
ibus solet incurrere. Expeditis igitur his pro- mutare, omne risibile esse hominem, tamen non
onibus quæ ex utrisque communicant terminis est hæc æqualis atque in omnibus terminis fida con-
eodem ordine collocatis, nunc eam propositio- versio. Quid enim cum quis ita proponit, omnis
convenientiam vel participationem loquamur, homo animal est? nunquid convertere vere potest,
n utrisque quidem terminis convenientia, sed ut omne animal hominem esse pronuntiet? Quare
is commutatione consistunt, cujus disceptatio- cum aliquoties universalis affirmatio conversa pro-
ic finis est, de propositionum conversione do- priam non teneat veritatem, dicitur conversionis
, quid enim est aliud propositiones mutato C naturam non posse suscipere. Negatio quoque par-
e convenire utrisque terminis, nisi propositio- ticularis interdum videtur posse converti, veluti si
onverti? Converti autem vel sibi vel aliis pro- quis enuntiet quemdam hominem lapidem non esse,
ones dicuntur, quoties, mutato ordine termi- verum loquetur, cum dixerit quemdam lapidem ho-
n, id est quod subjectum fuerat prædicato et minem non esse; sed est instabilis et incerta con-
prædicabatur ante subjecto, veritatem simul versio: nam cum quidam homo grammaticus non
ent vel falsitatem. De quibus plenissime hic sit, falsum est dicere quemdam grammaticum homi-
tandi sumemus exordium. Quatuor propositio- nem non esse. Ita igitur hæc quoque conversio pro-
se prædiximus, quæ habeant differentias quan- tinus a sua veritate deficit. Superius igitur propo-
m et utrisque terminis absque ordinis permu- sitarum quatuor enuntiationem duæ quidem oppositæ,
e participant. Hæ vero sunt affirmatio uni- id est particularis affirmatio et universalis negatio,
lis, negatio universalis, affirmatio particu- conversionem sui firmam perpetuamque suscipiunt;
negatio particularis. Harum igitur particularis duæ vero oppositæ, id est affirmatio universalis et
atio particulariter quidem sibi ipsa conver- negatio particularis, conversionis non tenent firmi-
universali autem affirmationi per accidens, et tatem, sed quia universalis affirmatio, quæ in sui
s universalis negatio, loco principe sui recipit D conversione videtur instabilis, si vera est, particu-
rsionem, ad particularem vero negationem per larem quoque affirmationem veram esse necesse
ens converti potest. Affirmationis vero univer- est. Si autem particularis affirmatio conversa non
ad se ipsam perpetua non potest esse conver- amittit propriam veritatem, universalis quoque af-
d particularem vero affirmationem per accidens firmatio conversa particulari affirmationi eamdem
t. Nec vero negationis particularis ad se ipsam veritatem sonabit, velut his exemplis probabitur. Si
ipaliter stabilis ac firma conversio est, sed quis enim proponat omnem hominem esse animal,
ioni universali secundo loco atque accidenta- verum dixerit, hujus subalterna particularis affirma-
Quæ omnia facilius declarantur exemplis. tio quemdam hominem esse animal, ea quoque vera
atio enim particularis, ut ea quæ proponit, est, quoniam universalis affirmationis veritas ante-
m homo albus est, facile sibi ipsa converti- cessit. Sed eamdem converti sibi verissime potest,
i dicamus, quoddam album homo est, atque dicitur enim quoddam animal esse hominem. Quo-
risque simul veritas constat. At si quis pro- circa affirmatio universalis quæ proponit omnem

hominem esse animal, et conversa particularis affirmatio quæ pronuntiat quoddam animal esse hominem, utræque simul a veritatis significatione non deficiunt. Ita igitur universalis affirmatio, quæ sui conversionem perpetuam ferre non poterat, per accidens particulari affirmationi conversa est. Per accidens autem idem quoniam particularis affirmatio principe sibi ipsa loco convertitur, conversæ autem particulari affirmationi universalis affirmatio eamdem retinet in veritate sententiam. Eadem ideo est etiam universalis negationis, quæ quoniam ipsa principaliter converti potest, conversæque negationi universali illa quæ subalterna est eamdem veritatis refert sententiam. Particularis negatio conversa ad veritatis significationem poterit convenire, ut si quis nullum hominem esse lapidem confirmet, et hujus conversio est, nullum lapidem esse hominem, quæ cum vera præcedat, subalternæ particularis negativæ perficit veritatem: ea vero est, quidam lapis homo non est, quæ comparata universali negationi quæ dicit nullum hominem esse lapidem, quamvis terminis discrepans, tamen similis veritate proponitur. Igitur particularis negatio, quæ sibi ipsi converti non poterit, universali negationi per accidens converti potest. Per accidens autem idcirco quoniam universalis negatio in se ipsam priore loco converti potest. Per conversionem autem sui cum particulari negatione similem veritatis videtur obtinere sententiam. Itaque concludendum est particularem quoque affirmationem universalemque negationem conversionem sui firmam ac stabilem custodire. Affirmationem autem universalem particularemque negationem in convertendo firmas esse non posse, sed hanc affirmationi particulari, illam universali negationi per accidens, posse converti. Restat nunc de ea propositionum convenientia vel participatione disserere, in qua utrinque terminorum ordine permutato, uni vel utrique eorum negativum copulatur adverbium.

Simplices.

Omnis homo animal est.
Nullus homo animal est.
Quidam homo animal est.
Quidam homo animal non est.

Sed quanquam hujusmodi participationis plures esse differentias noverimus, ad instructionem tamen Categoricorum Syllogismorum de hac tantum propositione sufficiat, quarum quidem propositionum pars ex simplicibus nominibus constat, pars vero ex infinitis. Nam propositio universalis, quæ est omnis homo animal est, ex utrisque nominibus finitis constat. Namque et homo et animal finita nomina esse manifestum est. Ea vero affirmatio quæ proponit omne non animal non hominem esse infinitorum terminorum positione conjuncta est. Non animal enim et non homo nomina esse infinita, in nominis diffinitione prædiximus, quæ quidem sese ad veritatis falsitatisve rationem sic habent, ut enim negationibus adjunctis infinita nomina simplicibus opponuntur, ita etiam conversio propositionum contrario contingit quam paulo ante in simplicibus habebatur. Atque in his enuntiationibus converti termini per appositionem dicuntur, unusque enim terminorum negatione præposita terminis simpliciter pronuntiatis videtur oppositus. Hujus vero participationis est triplex modus: aut enim prædicato tantum termino, negatio jungitur, aut subjecto, aut utrique termini denegantur. Primum igitur supposita descriptione pandantur exempla. Post autem quemadmodum se habent ad veritatis falsitatisve consensum consequentis ordine disputetur. Ac primum quidem de hac disserimus cujus subjectum prædicatumque negatur. Post vero cujus subjectum solum, postremo cujus qui prædicatur terminus cum negatione profertur. Atque earum quidem naturam atque ordinem ex simplicibus informabimus. Simplices autem, in quantitatum differentiis constitutas, quatuor esse monstravimus. Sit igitur prima quidem affirmatio universalis, quæ proponat omnem hominem esse animal; adversum hanc collocetur affirmatio universalis, quæ non solum conversis terminis enuntietur, verum in uno quoque termino negativum adverbium habeat adjunctum hoc modo, omne non animal non homo est. Rursus proponatur universalis negatio, ea quæ est, nullus homo animal est; huic adversum teneat locum universalis negatio terminis cum negatione conversis, id nullum non animal non homo est. Item sit particularis affirmatio simplex, quidam homo animal est; huic terminus atque ex adverso referatur particularis affirmatio, quæ, commutatis in ordinem terminis, negationes utrisque gestet oppositas, ut est quaddam non animal non homo est. Item sit particularis simplex negatio quæ proponat quemdam hominem animal non esse; hanc ex adverso respiciat particularis negatio, quæ, permutatis ad ordinem terminis, adverbium negationis adjecerit, ut est, quoddam non animal non homo non est.

Conversæ utrisque infinitis.

Omne non animal non homo est.
Nullum non animal non homo est.
Quoddam non animal non homo est
Quoddam animal non homo non est.

In illis enim affirmatio universalis particularisque negatio conversionem stabilem non tenebant. Affirmatio autem particularis atque universalis negatio conversæ certissime tuebantur vel in veritate, vel in falsitate consensum. Hic omne diversum est. Universalis namque affirmatio et particularis negatio per oppositionem sibi ipsa convertitur, universalis autem negationis et particularis affirmationis non est ad veritatis falsitatisve consensum fida conversio. Ac primum de universali affirmatio tractemus, quæ cum in simplicibus vera sit, veritatem quoque per oppositionem conversa custodit, ut ea quæ dicit omnem hominem esse animal, vera est, atque illi per oppositionem convertitur, id est, omne non animal non homo est, eam quoque veram esse necesse est. Propositionis autem hujus ista sententia est, quoniam non est homo, quidquid animal non est, quod verum

llus ignorat. Item si sit falsa universalis affir- A minum natura sejuncta sunt, ut equus, arbor atque
n simplicibus terminis constituta, falsa quo- alia plurima. Si igitur negatio universalis per op-
is per oppositionem probabitur esse conver- positionem propriæ conversioni in falsitate quidem
m cum dicimus, omnis lapis animal est, fal- convenit, nec tamen in veritate consentit, recte pro-
atque illi per oppositionem convertitur, id nuntiatur conversionem perpetuam atque æquabi-
ne non animal non lapis est, eam quoque fal- lem non habere. Eadem quoque ratio est in affir-
se necesse est. Id enim ex tali enuntiatione matione simplici particulari. Nam in hoc quoque
:, quoniam quidquid animal non fuerit, id sæpe error deprehenditur, ut certæ propositionum
on est, quod apertissime falsum est, cum la- conversiones putentur, si quis non ad falsitatis
animal non sit: quod si universalis affir- quoque, sed ad solam convenientiam veritatis aspi-
terminorum oppositionem conserva sibi- ciat. Nam cum affirmatio simplex particularis vera
veritate convenit et in falsitate, non est du- sit, ut est quidam homo animal est, si hujus ter-
in universalis simplex affirmatio stabili per mini cum oppositione convertantur, fiatque propo-
ionem conversione monstretur. Idem de sim- sitio, quoddam non animal non homo est, a veritate
am particulari negatione dicemus. Nam cum non discrepat. Quid enim aliud enuntiatio ista de-
a est, ut ea quæ dicit, quidam homo animal signat quam esse rem aliquam quæ cum animal non
illa quoque falsitatem tenebit, quæ huic ter- B sit, ne homo quidem sit, ut lapis simul et animalis
m oppositione convertitur, ut ea quæ propo- et hominis natura deficiat. Sed hic in veritate consen-
ddam non animal non homo non est. Id sus ad falsitatem usque non tendit. Quid enim si sit
t hac enuntiatione colligitur, quod res quæ falsa simplex affirmatio particularis, ut est, quidam
nimal, sit homo. Etenim hoc esse hominem, homo lapis est? non erit ejus per oppositionem falsa
on esse non hominem. At si vera sit negatio conversio, quidam non lapis non homo est? Atqui
aris ex simplicibus terminis juncta, ut est hæc firma veritate consistit, id enim ex hac propositione
lapis animal non est, non deerit veritas datur intelligi quod sit quidam quod cum la-
minorum oppositione conversæ quæ propo- pis non sit, ne homo quidem sit, ut equus atque ar-
ddam non animal non lapidem non esse. bor, quæ neque hominis, neque lapidis diffinitione
i conversio ita significat, quod res quædam clauduntur. Quod si particularis affirmatio, dum per
imal non sit lapis sit, hoc est enim esse oppositionem convertitur, in veritate quidem tenet
i quod non esse non lapidem; quod si par- secum ipsam concordiam, in falsitate autem sibimet
s simplex negatio per oppositiones propriæ ipsa dissentit, rectum est pronuntiare quod termini
ioni et in veritatis et in falsitatis significa- negatione conjuncta conversionem firmam stabilem-
oncordat, non est dubium particularem C que non teneant. Quare cum in simplicibus, ac præ-
em negationem certo sibi ac stabili modo ter oppositionem conversionibus, universalis qui-
ositionem terminorum posse converti. In dem negatio particularisque affirmatio perpetua fi-
ne vero universali non est perpetua neque daque terminorum permutatione vertantur, affirma-
versio. Quod quidem fallere poterit, si quis matio vero universalis particularisque negatio mi-
n respiciat convenientiam falsitatis. Nam nime, dum per terminorum oppositionem simplex
falsa simplex universalis negatio quæ pro- propositio sibi ipsa convertitur, omnia, ut dictum
illum hominem esse animal, falsa est quæ est, adversa ratione contingunt, universalia nam-
positionem convertitur, ut est, nullum non que affirmatio et particularis negatio firmam negata-
non homo est. Id enim ex hæc propositione rum partium retinent conversionem. Universalis au-
tur, quoniam omne quod animal non est, tem negatio in falsitate quidem recte sibi ipsa con-
est, hominem esse significat, quidquid vertitur. In veritate autem sibi ipsa discordat. Par-
non sit, quæ proponit, nullum esse non ho- ticularis autem affirmatio in veritate quidem sibi
qui animal non sit. Sed hic in falsitate con- convenit, sed in falsitate dissentit. Similis autem
id veritatem usque non pervenit. Age enim contemplatio est in his quæ, converso ordine ter-
simplex universalis negatio, nullus homo D minorum, prædicato tantum vel subjecto sibi copu-
, non vera potest esse, nullus non lapis non lant negationem: in quibus, ut in superioribus quo-
. Id namque designat ista conversio, quoniam que fecimus, propositionum tantum ordinem des-
i lapis non fuerit, id homo est; hominem cribemus, et quid eveniat sub brevitate monstra-
esse designat quod lapis non sit, qui pro- bimus, perquirenda atque examinanda singula lecto-
nullum esse non hominem quod lapis non ris diligentiæ derelinquentes. Descriptis ergo sim-
l apertissime falsum est; quamvis enim mul- plicibus ex adversa parte, quæ, converso ordine præ-
am quæ cum lapides non sint, tamen ab ho- dicatum cum negatione pronuntiant, conferantur.

Simplices.	Conversæ de prædicato infinito
nnis homo animal est,	Omne animal non homo est.
illus homo animal est.	Nullum animal non homo est.
iidam homo animal est.	Quoddam animal non homo est.
iidam homo animal non est.	Quoddam animal non homo non est.

Omnis homo justus est.	A	Omnis justus non homo est.
Nullus homo justus est.		Nullus justus non homo est.
Quidam homo justus est.		Quidam justus non homo est.
Quidam homo justus non est.		Quidam justus non homo non est.
Omnis homo grammaticus est.		Omnis grammaticus non homo est.
Nullus homo grammaticus est.		Nullus grammaticus non homo est.
Quidam homo grammaticus est.		Quidam grammaticus non homo est.
Quidam homo grammaticus non est.		Quidam grammaticus non homo non est.
Omnis homo lapis est.		Omnis lapis non homo est.
Nullus homo lapis est.		Nullus lapis non homo est.
Quidam homo lapis est.		Quidam lapis non homo est.
Quidam homo lapis non est.		Quidam lapis non homos non est.
Omnis homo risibilis est.		Omne risibile non homo est.
Nullus homo risibillis est.		Nullum risible non homo est.
Quidam homo risibilis est.	B	Quoddam risibile non homo est.
Quidam homo risibilis non est.		Quoddam risibile non homo non est.

Harum igitur in affirmationibus quidem universalibus si ea de subjecto prædicentur quæ et adesse et abesse contingant, sive illud subjecto majus sit, ut justitia homine, sive minus, ut grammaticus homine, vel si ea quæ omnino adesse non possunt, ut lapis homini, simul semper falsas esse necesse est. Si quid vero præter hæc fuerit prædicatum, unam veram, falsam alteram esse proveniet, nunquam vero utrique veritas consonabit. In negationibus vero universalibus siquidem ea de subjecto prædicentur quæ a subjecto valeant segregari, sive illa majora sint, ut justitia homine, sive minora ut eodem homine grammaticus, utrisque aderit falsa sententia. Quidquid vero reliquorum fuerit prædicatum uni verum, alteri faciet adesse mendacium. Nunquam vero in his concors veritas invenitur. In particularibus vero affirmationibus siquidem ea prædicentur, quæ cum separari possint, tum vel majora sunt, ut justus homine, vel minora, ut grammaticus homine, communis affirmationes veritates obtinebit. Alia vero quælibet prædicatio unam veram, alteram semper faciet esse mendacem, sed nunquam communiter mentientur. In negationibus vero particularibus hic modus est, ut sive ea quæ adesse non possunt, ut lapis homini, sive quæ possunt ac poterunt segregari, cum tamen eorum aliud majus sit, ut justitia homine, aliud minus, ut grammaticus homine, prædicentur, veritas utrisque constabit. Quidquid vero absque hic prædicabitur, veritatem uni, alteri dividet falsitatem, simul tamen falsas esse non evenit. Item C descriptio supponatur quæ priore parte simplicibus collocatis, eas quæ converso ordine subjectum cum negatione proponunt contraria fronte constituat.

Simplices.		Conversæ de subjecto infinito.
Omnis homo animal est.		Omne non animal homo est.
Nullus homo animal est.		Nullum non animal homo est.
Quidam homo animal est.		Quoddam non aminal homo est.
Quidam homo animal non est.		Quoddam non animal homo non est.
Omnis homo risibilis est.		Omne non risibile homo est.
Nullus homo risibilis est.		Nullum non risibile homo est.
Quidam homo risibilis.		Quoddam non risibile homo est.
Quidam homo risibilis non est.		Quoddam non risibile homo non est.
Omnis homo lapis est.	D	Omnis non lapis homo est.
Nullus homo lapis est.		Nullus non lapis homo est.
Quidam homo lapis est.		Quidam non lapis homo est.
Quidam homo lapis non est.		Quidam non lapis homo non est.
Omnis homo justus est.		Omnis non justus homo est.
Nullus homo justus est.		Nullus non justus homo est.
Quidam homo justus est.		Quidam non justus homo est.
Quidam homo justus non est.		Quidam non justus homo non est.
Omnis homo grammaticus est.		Omnis non grammaticus homo est.
Nullus homo grammaticus est.		Nullus non grammaticus homo est.
Quidam homo grammaticus est.		Quidam non grammaticus est.
Quidam homo grammaticus non est.		Quidam non grammaticus homo non est.

iusigitur descriptarum enuntiationum affirma- A prædicationes veritatem propositionibus falsitatemve
quidem universales, si ea de subjecto prædi- distribuunt in commune participantibus falsitatem.
quæab eo nunquam valeant amoveri, sive illud Particulares vero negationes, siquidem ea prædicent
sit, ut animal homine, seu æquale, ut risibile quæ possint a subjecto separari, sive illud majus sit,
i, seu tale quod subjecto nullo modo possit ut justitia homine, seu minus ut grammaticus ho-
ere, ut lapis homini, uni veritatem dispar- mine, veras utrasque esse necesse est. Si quid vero
lteri falsitatem. At si quod absque his prædi- extra prædicabitur, uni oportet verum, alteri adesse
r, utrasque falsitas obtinebit, communi autem mendacium, ut simul falsæ nequeant inveniri. Atque
sitionum veritati locus esse non poterit. At in hæc quidem de his propositionibus quæ cum deter-
onibus quidem universalia et majora prædi- minatione proferuntur dicta sunt. Quæ vero inde-
', seu ea quæ relinquere subjectum nequeant, finitæ sunt, quoniam particularium proprietatibus
nal hominem, seu quæ possint, ut justitia ho- adæquantur, eadem omnia comparatæ universalibus
), utrisque falsitas inhæredit. Aliæ quælibet obtinebunt quæ in superiore descriptione particu-
:amenta unam veram faciunt, alteram falsam, larium propositionum ordo servavit. Restarent sub-
communis utræque veritatis non possint esse jectorum singularium propositiones, de quibus, quo-
pes. At in particularibus affirmationibus qui- B niam et longum est dicere, et nihil ad operis pro-
iquidem majora de subjecto prædicentur, quæ positi affert utilitatem, et sibi ipse exemplo earum
ıquam subjecti conjunctione discedant, ut quas superius proposuimus easdem lector inveniet,
homine, vel etiam segregentur, ut justitia ab prætereundum videtur.
), respondebit utraque veritatem; cæteræ vero

AN. MANL. SEV. BOETII
DE SYLLOGISMO CATEGORICO
LIBRI DUO.

LIBER PRIMUS.

a Græci veteres posteris suis in consultissimis C subtiliore pertractata ratione dijudicent. Et hi qui-
re tractatibus, in quibus priusquam ad res dem sic. Nos enim, ut arbitror, suffecimus eos
aligantes obscuritate venirent, quasi quadam commentarios, de quibus hæc nos protulimus,
entiæ luctatiome præludunt: hinc per intro- degustent blando fortasse sapore subtilitatis elici-
ıen est facilior discibiliorque doctrina, hinc ti, quamvis infrenis et indomiti creatores sint, ta-
quæ illi προλεγόμενα vocant, nos prædicta men veterum virorum inexpugnabilibus auctorita-
ıdicenda possumus dicere, ad intelligentiam tibus acquiescent;* si quis vero Græcæ orationis
tior via munitur. Hanc igitur providentiam expers est, in his, vel si qua aliorum sunt simi-
osus, statui ego quoque in res obscuris- lia, desudabit. Itaque hæc hujus procemii lex erit, ut
liquem quodam modo pontem ponere, medio- forum nostrum nemo non intellecturus, et ob id
uidque delibans, ita ut si quid brevius dictum culpaturus inspiciat. Sed ne procemiis nihil afferen-
nos dilatione ad intelligentiam porrigamus; tibus tempus teratur, inchoandum nobis est illo
suo more Aristoteles nominum verborumque prius depulso periculo, ne a quoquam sterilis cul-
ɔne turbavit, nos intelligentiæ servientes ad petur oratio. Non enim eloquentiæ compositiones,
tum vocabulum reducamus; si quid vero ut sed planitiem consectamur: qua in re si hoc effici-
ɔscribens summa tantum tangens designa- D mus, quamlibet incompte loquentes, intentio quoque
ɔonstravit, nos id introductionis modo aliqua nostra nobis perfecta est. Sed quoniam syllogismo-
es tractatione disposita perquiramus. Sed rum structura nobis est hoc opere explicanda,
ıd hoc opus legendum ac cesserint, ab his syllogismis autem prior est propositio, de proposi-
ı sit ne in his quæ nunquam attigerint tionibus hoc libello tractatus habebitur. Et quoniam
ıudeant judicare; neve si quid in puerilibus propositionis partes sunt nomen et verbum, pars
nis acceperint, id sacrosanctum judicent, autem ab eo cujus pars est prior est, de nomine
quidem res teneris auribus accommodatas et verbo, quæ prima sunt, disputatio prima ponatur.
hilosophiæ severior tractatus eliminat. Si Nomen est vox designativa ad placitum sine tem-
ro in his non videbitur, ne statim obstre- pore, cujus nulla pars extra designativa est: vox
ɔd, ratiome consulta, quid ipsi opinentur, autem dictum est, quia vox nominum genus est.
nos ponimus, veriore mentis acumine et Omnis autem diffinitio a genere trahitur, ut si diffi-

.... *acquiescent.* Phrasis turbata, vel etiam manca videtur.

nias hominem, animal dicis, id est genus; post vero rationale, id est differentia. Designativa vero dicta est, quia sunt voces quædam quæ nihil significant, ut sunt syllabæ. Nomen vero, designat id cujus est nomen. Ad placitum vero, quia nullum nomen aliquid per se significat, sed ad ponentis placitum. Illud enim unaquæque res dicitur quod ei placuit qui primus rei nomen illud impressit. Sunt enim voces naturaliter significantes, ut canum latratus iras canum significat, et alia ejus quædam vox blandimenta; sed non sunt nomina non sunt ad placitum significantes, sed natura. Sine tempore vero, quod verba quidem voces sunt designativæ et secundum placitum, sed distant, quod nomina sine tempore sunt, verba cum tempore. Cujus nulla pars extra designativa est: nomen ab oratione disjungit, quod oratio et ipsa vox est, et designativa, et secundum placitum, aliquoties sine tempore est, sed orationis partes significant, nominum vero minime. In Ciceronis enim nomine nulla extra pars designativa est, neque *ci* neque *ce* neque *ro*. Neque si ex duobus integris nomina sint. Quod enim in uno consignificat, id extra non significat. In nomine enim magister, *magis* et *ter* consignificant, quia est magister. Sublatum vero *ter* et *magis* non erit alicujus significatio, nisi tibi hoc alii nomen dare placuerit. Omnia enim nomina non naturaliter sunt, sed ad placitum ponuntur. Sed de hoc in commentario libri περὶ Ἑρμηνείας Aristotelis dictum est et major ejus rei tractatus est, quam ut nunc queat expediri. Revertamur igitur ad nomen. Sed quoniam sunt quædam voces quæ et designativæ sunt, et secundum placitum et sine tempore, quarum dubia sit natura, ut est non homo [leg. non-homo], hoc enim significat quiddam et secundum placitum, impositum est enim sed dubium est cui subdi possit, nomini enim non potest, omne enim nomen significat aliquid definitum, non homo autem quod definitum est perimit, oratio vero dici non potest, omnis enim oratio ex nominibus et verbis constat, non homo autem, neque ex nominibus constat, neque ex verbis, sed multo magis esse non potest verbum, omne enim verbum cum tempore est, non homo vero sine tempore est: quid sit ergo ita videndum est; et quoniam non homo vox significat quiddam, quid autem significet in homine ipso non continetur (potest enim non homo et equus esse et lapis et domus, et quidquid homo non fuerit, quoniam ea quæ significare potest infinita sunt, infinitum nomen vocatur); et quoniam sunt quædam voces et designativæ et ad placitum, et definitæ, et quarum partes extra nihil significant, ut sunt casus nominum, ut Ciceronis et Cicerone et cætera, hæc nomina non erunt. Omne enim nomen junctum cum est verbo, aut verum aut falsum demonstrat. Ut si dicas, dies est, hoc vero aut verum aut falsum est. Si vero casum jungas, neque verum neque falsum efficis. Si enim dicas, diei est, nihil quod sit, aut non sit, demonstrasti. Itaque nihil ex hoc neque A verum neque falsum efficies. Et merito dictum videtur. Quod enim primo vocabulum nomina rebus imponentes dixerunt, id solum nomen vocabitur merito. Qui enim primus circo circum nomen imposuit, ita dixisse videtur, Dicatur hoc circus. Atque ideo primus hic casus nominativus vocatur, quod nomen sit. Aliis vero nominibus non nominis cæteros casus appellavere. Ergo a capite revolvendum est, vocem dictum quod vox nominum genus sit; designativam vero, quod sunt quædam voces quæ nihil designant, ut ad his vocibus separetur quæ nihil significant; ad placitum, ut ab his vocibus separetur quæ naturaliter significant, ut sunt pecudum. Sine tempore vero dictum est, ad divisionem verbi quod cum tempore est; cujus nulla B pars extra significat, ut divideretur ab oratione, cujus partes nomina sunt et verba, quæ significant; finita vero, ut ab infinitis separetur; recta, ut a casibus distingueretur. Et in verbo eadem omnia fere conveniunt. Est enim verbum vox significativa ad placitum cum tempore, cujus nulla pars extra significativa est; et quia est quædam vox significativa et ad placitum cum tempore, cujus pars nihil significat, ut non albet (Albet enim, quod cum non junctum consignificat, solum non significat), et quia nihil definitum monstrat (quod enim non albet, potest et rubere, potest et nigrescere, potest et pallere, et quidquid non albet(, ideo infinitum verbum vocatum est. Faciebat autem et facturus, ut superius in nomine, non verba, sed casus verborum sunt. Repetendum est igitur ab initio verbum esse C vocem dictum, a genere; significativam, ut a non significativis vocibus dividatur; ad placitum, ut ab illis quæ natura sunt significativæ vocibus separetur: cum tempore, ut a nomine divideretur; præsens aliquid significare, ut a verbi casibus disjungeretur; finita, ut ab infinitis disterminaretur. Restat ergo nunc quid sit oratio dicere. Hæc enim ex nomine et verbo componi videtur: sed prius utrum nomen et verbum solæ partes orationis sint consideremus, an etiam aliæ sex, ut grammaticorum opinio fert, an aliquæ ex his in verbi etnominis jura vertantur; quod nisi prius constitutum sit, tota propositionum ac deinceps ea ipsa quæ ex propositionibus componitur syllogismorum ratio titubabit. Nam si ex quo sint genere termini nesciatur, totum ignorabitur. D Nomen et verbum duæ solæ partes sunt putandæ, cæteræ enim non partes, sed orationis supplementa sunt: ut enim quadrigarum frena vel lora non partes, sed quædam quodammodo ligaturæ sunt et, ut dictum est, supplementa non etiam partes, sic conjunctiones et præpositiones et alia hujusmodi non partes orationis sunt, sed quædam colligamenta. Participium vero quod vocatur, verbi loco ponetur, quoniam temporis demonstrativum est. Adverbium vero nomen est, cujusdam enim definitæ significationis est sine tempore, quod si per casus non flectitur, nihil impedit. Non enim est proprium nominis flecti per casus. Sunt enim quædam nomina, quæ flecti

ɔssunt,quæ a grammaticis monoptota nomi- A
r, sed hoc grammaticæ magis quam hujus
lerationis est. Oratio est vox designativa ad
ɑm, cujus partes aliquid extra significant,ut
,non ut affirmatio. Et est orationi commune
ıomine et verbo quod vox est,et designativa,
ɔlacitum.Cujus enim partes ad placitum sunt,
ıoque ipsa ad placitum est. Orationis autem
sunt nomen et verbum.Sed hæc ad placitum,
igitur ad placitum est.Termini vero orationis
ɔcticis nominantur nomina et verba.Termini
licti sunt, quod usque ad verbum et nomen
tio partium orationis fiat, ne quis orationem
ad syllabas nominum vel verborum tentet
ere, quæ jam designativæ non sunt. Distat
ı a nomine vel verbo oratio quod illis partes B
significant,verbi et nominis partes nihil extra
nant Est autem dictio unius simplex vocabuli
ɔatio, vel simplex affirmatio. Atque ideo
n est orationis partes significare ut dictionem
ut simplicis vocabuli nuncupationem.In ora-
ɔnim,Socrates ambulat, utraque extra signi-
ıntum quantum simplex vocabuli nuncupatio
ıare queat.Quomodo autem ut affirmatio sim-
on significet, in commentario Peribermenias
ui.Quid autem sit affirmatio et negatio paulo
explicabimus. Sunt vero species orationis in
tissima divisione quinque. Interrogativa, ut
ıe anima immortalis est?Imperativa,ut accipe
m. Optativa vel deprecativa, ut faciat Deus.
iva, ut adesto Deus. Enuntiativa, ut Socrates
at:sed in illis quatuor nulla neque veritas est, C
falsitas Enuntiativa vero sola aut verum aut
ı continet.Atque hinc propositiones oriuntur.
ıatio autem in duas partes secabitur,in affir-
nem et negationem.Affirmatio est enuntiatio
us ad aliquid.Negatio est enuntiatio alicujus
quo.Et est affirmatio, ut puta Plato philoso-
est.Negatio, Plato philosophus non est.Affir-
enim ad Platonem philosophiam enuntiat
ım,id est Platonem esse philosophum.Negatio
b aliquo Platone aliquam philosophiam enun-
ı tollit, id est enuntiat Platonem non esse
ophum.Enuntiativarum igitur orationum aliæ
implices, aliæ non simplices.Simplices sunt,
licas, dies est, lux est. Non simplices, ut, si
st lux est.Affirmationes vero simplices et ne- D
es,aliæ sunt universales,aliæ sunt particula-
æ indefinitæ.Universales sunt quæ aut omne
ant,ut omnis homo animal est,aut omne ne-
ıtnullus homo animal est;particulares vero quæ
m affirmant vel aliquem negant,ut aliquis hom o
l est,aliquis homo animal non est; indefinitæ
uæ neque universaliter affirmant aut negant,
particulariter,ut homo animal est,homo ani-
ɔn est.Dividitur autem simplex propositio in
ɔartes : in subiectum et prædicatum,ut homo
l est, homo subjectum est, animal vero de
ıe prædicatur;hæ autem partes termini nomi-

nantur. Quos diffinimus sic : Termini sunt partes
simplicis propositionis in quibus dividitur principa-
liter propositio. Est enim simplicis propositionis
universalis secunda divisio, ut sit in propositione,
omnis homo animal est,omnis homc unus terminus,
alius vero, animal est. Sed hoc secundo loco, illud
vero principaliter.Nam primi termini sunt subjectum
et prædicatum.Est enim et non est, non magis ter-
mini sunt quam affirmationis vel negationis designa-
tiva sunt,et omnis vel nullus vel aliquis non magis
sunt termini quam diffinitionum,utrum particulari-
ter an universaliter dictum sit,designativa sunt.Divi-
ditur ergo,ut dictum est,propositio in id quod sub-
jectum est,et in id quod prædicatur. Dico autem
subjectum,ut in omnis homo animal est propositione
hominem, id vero quod prædicatur dico animal, et
semper quod prædicatur, aut abundat et superest
subjecto, aut æquatur. Minus autem prædicatum a
subjecto nunquam reperietur.Sed id quod diximus
diversis demonstremus exemplis.Subjecto prædica-
tum abundat quoties genus aliquod de aliquo præ-
dicatur, ut si dicas, omnis homo animal est. Non
enim potes convertere,ut dicas,omne animal homo
est, quia animal ab homine plus est et abundat.
Æquatur autem prædicatum subjecto quoties pro-
prium quoddam cuipiam prædicatur,ut omnis homo
risibile est,potes convertere,omne risibile homo est;
ut autem minus sit id quod prædicatur,fieri nequit.
Dicitur etiam præcedere prædicatum, sequi quod
subjectum est. Idonior est enim prædicatio constitu-
ere propositionem,quam id quod subjectum est.
Simplicium autem propositionum aliæ sunt in nullo
sibi participantes ut sunt, omnis homo animal est,
et,virtus bona est,et aliæ hujusmodi propositiones,
aliæ vero quæ participant.Participantium aliæ sunt
quæ in utroque termino participant, aliæ quæ in
altero,et quæ altero termino participant tribus mo-
dis,utroque vero duobus.Ostendamus ergo exemplis
quomodo altero tribus modis participant.Communis
enim terminus est,cum in una subjectus sit,in altera
prædicatus, ut est omnis homo animal est.et omne
animal animatum.In priore enim propositione ani-
mal prædicatur ad hominem, in posteriore prædi-
catur ad animal animatum,et fit animal subjectum.
Et est hic primus modus de eis quæ altero termino
participant. Secundus vero modus est in quo in
utrisque communis terminus prædicatur,ut si quis
dicat.omnis nix candida,et omnis margarita can-
dida.Etenim in prima et secunda propositione can-
dida prædicatur,in prima ad nivem, in secunda ad
margaritam. Et est hic secundus modus altero ter-
mino participantium.Tertius vero modus est,quoties
in utrisque propositionibus communis terminus sub-
jectus est,ut si dicas, virtus bonum est,virtus jus-
tum est.In utrisque enim ad justum et ad bonum
virtus subjectum est.Sunt igitur participantes alte-
rum terminum his tribus modis, aut cum in una
communis terminus prædicatur,in illa subjectus est;
aut cum in utrisque prædicatur;aut cum in utrisque

subjectus est.Earum vero quæ ad utrosque partici- A
pant terminos duo sunt modi.Aliæ enim ad eumdem ordinem,aliæ ad ordinis commutationem.Ad eumdem sunt quæ de eodem idem demonstrant,vel affirmative vel negative, vel aliter,vel particulariter, omnis voluptas bonum est, nulla voluptas bonum est;et rursus particulariter, quædam voluptas bonum est, quædam voluptas bonum non est.Ad ordinis vero commutationem suntquoties qui in altera subjectus est terminus,in alia prædicatur,ut omne bonum justum est,et omne justum bonum.Nam in priore bonum subjectum est,justum prædicatum,in secunda justum subjectum est,bonum prædicatum. Nunc ergo quoniam aliæ ad eumdem ordinem,aliæ ad ordinis commutationem sunt, prius dicemus de his quæ ad eumdem ordinem utroque termino parti- B
cipant,et quoniam sunt propositiones,aliæ affirmativæ,aliæ negativæ,aliæ universales,aliæ particulares,aliæ indefinitæ, duæ sunt ex his quæ qualitate differunt,tres quæ quantitate.Et sunt quæ qualitate differunt affirmativa et negativa; ad quantitatem quæ vero differunt, sunt universalis, particularis et indefinita.In affirmativis enim et negativis quale quid sit aut non sit ostenditur. In universali particulari et indefinita de omnium vel nullorum vel nonnullorum quantitate monstratur. Ex his ergo quinque differentiis,id est universali, particulari, indefinita, affirmativa,negativa,sex conjunctiones fiunt,ita ut tribus quæ ad quantitatem dicuntur duæ quæ ad qualitatem dicuntur aptentur,et fit universalis affirmativa, et universalis negativa, ut omnis homo justus est,nullus homo justus est;et particularis affir- C
mativa, et particularis negativa, ut quidam homo justus est,quidam homo justus non est;et indefinita affirmativa et negativa, ut homo justus est, homo justus non est : fiunt ergo ex duabus quæ sunt ad qualitatem tribus quæ sunt ad quantitatem junctis, sex conjunctiones,de quibus indefinitas,affirmativas et negativas separemus,et de solis universalibus et particularibus tractatus habeatur. Subscribantur etiam earum participantium quæ ad eumdem ordinem utroque termino participant, duæ universales propositiones,una affirmativa,et altera negativa,et sit affirmativa universalis,omnis homo justus est et contra ipsam universalis negativa.nullus homo justus est.Item sub his ponantur particularis affirmatio et
particularis negatio,ita ut sub universali affirmativa D
ponatur particularis affirmativa, et sub universali negativa ponatur particularis negativa,et sit particularis affirmativa,quidam homo justus est,et contra ipsam particularis negativa, quidam homo justus non est,quod demonstrat sequens descriptio.



In superiori igitur descriptione universalis affirmativa et universalis negativa contrariæ sunt,subcontrariæ vero particularis affirmativa et particularis negativa, subalternæ vero dicuntur universalis affirmativa et particularis affirmativa,et item universalis negativa et particularis negativa.Contrajacentes sunt angulares,id est universalis affirmativa et particularis negativa.Et item universalis negativa et particularis affirmativa, ut,omnis homo justus est, quidam homo justus non est,nullus homo justus est, quidam homo justus est,et sunt ut hoc modo diffiniri possint.Contrariæ sunt quæ universaliter eidem idem hæc affirmat, hæc negat. Subcontrariæ sunt quæ particulariter eidem idem hæc affirmat, hæc negat.Subalternæ sunt quæ eidem idem affirmant vel negant,hæc particulariter,illa universaliter.Contrajacentes sunt quando eidem eamdem rem hæc affirmat, hæc negat, vel hæc negat, hæc affirmat, illa generaliter,hæc particulariter,et vocantur contrariæ, quia quod affirmatio universaliter ponit, negatio universaliter tollit. Subalternæ vero, quoniam quod illa universaliter ponit, etiam hæc particulariter ponit. Subcontrariæ vero dictæ sunt,vel quod naturaliter sub ipsis contrariis positæ sunt,ut descriptio docet, vel quod a contrariis diversæ sunt, et ipsis contrariis quodammodo contrariæ. Nam contrariæ ut utræque simul sint fieri non potest, ut utræque omnino non sint fieri potest, contrariam vim obtinebunt subcontrariæ. Nam ut utræque omnino non sint fieri non potest,ut utræque simul sint fieri potest,quod in sequentibus melius explicabitur. Contrajacentes dicuntur,quoniam universalis affirmatio vel negatio, particularem affirmationem vel negationem angulariter respiciunt. Cum autem singulæ propositiones habeant duas differentias, unam ad qualitatem,alteram ad quantitatem,ut quæ universalis,affirmativa est,habeat differentiam ad quantitatem quod universalis est,et aliam ad qualitatem quod affirmativa est;eodem modo cæteræ propositiones binas habeant differentias, unam secundum qualitatem,alteram secundum quantitatem. Subalternæ quæ sunt, una tantum differentia distant quantitatis, quod hæc particularis,illa universalis

am qualitatis differentiam nullam retinent. A
ue enim affirmativæ sunt. Illæ vero aliæ, id
ntrariæ et subcontrariæ ad qualitatem, quod
firmativa, illa negativa est, nam ad quantita-
ihil differunt. Utræque enim contrariæ univer-
utræque subcontrariæ particulares sunt, illæ
quæ contrajacentes dicuntur utrisque diffe-
s differunt. Nan et illa universalis affirmatio
ec particularis negatio, et illa universalis ne-
est, hæc particularis affimatio. Nunc quoniam
ecundum qualitatem vel secundum quantitatem
modo differant dictum est, earum proprietates,
ecundum verum falsumque sunt, explicemus.
earum quæ subalternæ sunt, si fuerit vera uni-
lis affirmatio vera erit particularis affirmatio.
im omnis homo justus est, vera est, vera erit B
quæ dicit, Aliquis homo justus est. Nam si omnis
justus est, et quidam. Eodem modo negativæ
ternæ nam si universalis negativa vera fue-
it etiam vera negativa particularis, ut si nullus
justus est vera fuerit, etiam erit vera, quidam
justus non est. Nam si nullus homo justus
c quidam. Converti autem non potest, nam
ticularis vera fuerit, non necesse erit veram
tiam universalem. Ut si quidam homo justus
era fuerit, non necesse erit veram esse, omnis
justus est. Possunt enim esse non omnes Et
n modo de negativa. Nam si particularis nega-
era fuerit, ut est, quidam homo non est justus,
ecesse erit universalem, nullus homo justus
eram esse. Potest enim fieri ut quidam justi
Ergo dicamus in subalternis propositionibus si C
rsales veræ sint, veras esse necesse est particu-
sed non convertitur. Nam si particulares veræ
t non necesse est veras etiam universales esse.
ulares vero ad universales contrariam conver-
m habent. Nam ut superius si universales veræ
t, etiam particulares veræ essent; et si particu-
veræ essent, non omnino veræ essent etiam
rsales in particularibus; si particulares falsæ
t, falsæ erunt etiam universales. Nam si parti-
is quidam homo justus est falsa fuerit, univer-
etiam omnis homo justus est falsa erit. Nam
dam homo justus est falsa est, vera est nul-
mo justus est. Si vera est nullus homo justus
lsa est omnis homo justus est. Falsa igitur
ulari, falsa erit universalis. Item si negativa D
ularis falsa fuerit, quæ est, quidem homo ju-
on est, falsa erit etiam, nullus homo justus est.
si falsum est quia quidam homo justus non est,
st quia omnis homo justus est. Si vera est
alsa est nullus homo justus est; falsa igitur
ulari, falsa erit etiam universalis. Sed non
rtitur, ut si universales falsæ sint, falsas ne-
sit esse particulares: nam si universalis, omnis
justus est falsa fuerit, non necesse est parti-
m, quidam homo justus est, falsam esse. Po-
nim fieri ut si omnis homo justus non fuerit, sit
m justus, et item si universalis negativa, nullus
homo justus est, falsa fuerit, non necesse erit qui-
dam homo non est justus falsam esse. Nam si falsa
est nullus homo justus est, verum est esse aliquos
justos, vera est etiam quæ dicit quidam homo justus
non est, quod sint quidam etiam non justi. Repe-
tens igitur a capite dicat quod in subalternis. Si
universales veræ fuerint, veræ erunt etiam particu-
lares. Sed non convertitur. Item si particulares falsæ
fuerint, falsæ erunt etiam universales, sed non con-
vertitur, contrariæ vero simul esse veræ nunquam
possunt. Potest autem fieri ut alias utræque falsæ
sint, alias una vera, altera falsa. Utræque falsæ sunt,
ut si quis dicat, omnis homo grammaticus est, falsa
est, nam non omnis; et nullus homo grammaticus est,
falsa est, nam non nullus; est autem una vera, altera
falsa, ut si quis dicat, omnis homo bipes est, hæc
affirmativa vera est; nullus homo bipes est, hæc ne-
gativa falsa est. Et item omnis homo quadrupes, est,
hæc affirmativa falsa est. Nullus homo quadrupes est,
hæc negativa vera est Sunt ergo contrariæ aliquoties
utræque falsæ, aliquoties inter se verum falsumque
dividentes; ut utræque autem veræ sint fieri nun-
quam potest, subcontrariæ vero contraria patiuntur.
Nam falsæ nunquam reperiri queunt. Sed alias veræ
utræque sunt, ut est quidam homo grammaticus est,
vera est, et quiddam homo grammaticus non est,
etiam hæc vera est. Potest enim alius esse gramma-
ticus et alius non esse. Alias una vera est, altera
falsa. Vera est enim affirmatio, quidam homo bipes
est, falsa est autem negatio, quidam homo bipes non
est. Item falsa est affirmatio, quidam homo quadru-
pes est; vera est negatio, quidam homo quadrupes
non est: ut vero utræque falsæ sint fieri nunquam
potest. Restat igitur ut de contrajacentibus dicamus,
quæ neque falsæ simul aliquando esse possunt ne-
que veræ, sed semper una vera est, altera falsa,
quod facilius liquet, si quis sibi quæcunque fingat
exempla. Res admonet ut quædam de indefinitis
propositionibus consideremus. Indefinitæ etenim pro-
positiones æquam vim retinent particularibus pro-
positionibus. Dictum est enim quod si universales
vel affimativæ vel negativæ in subalternis proposi-
tionibus essent veræ, essent quoque veræ particu-
lares. Nunc vero dicimus quod si universalis propo-
sitiones veræ fuerint, veræ erunt etiam indefinitæ.
Nam si vera est omnis homo bipes est, vera est
etiam quidam homo bipes est, vera erit etiam in-
definita quæ dicit homo bipes est. Item dictum est
quod si particulares falsæ essent, falsæ essent etiam
universales, nunc vero dicendum est quod si indo-
finita falsa fuerit, falsa erit etiam universalis. Nam
si falsa est quæ dicit homo quadrupes est, falsa erit
etiam quæ dicit quidam homo quadrupes est et om-
nis homo quadrupes est. Atque idem hoc etiam in
negativis convenire videtur. Unde constat quod om-
nes indefinitæ particularibus propositionibus æquam
vim continent. Rursus dictum est quod subcontrariæ,
quæ particulares affirmativæ et negativæ sunt, simul
veræ esse possunt, dividere etiam verum falsumque

valent, simul vero falsæ esse non posse. Hoc idem in indefinitis propositionibus exspectandum est. Nam dividunt inter se verum falsumque, ut si quis dicat homo bipes est, vera est, homo bipes non est, falsa est, et item homo quadrupes est, falsa est, homo quadrupes non est, vera est; veræ autem simul inveniri possunt, ut si quis dicat homo grammaticus est, si quis hoc dicat de Donato, verum est. Item homo grammaticus non est, si quis hoc dicat de Catone, verum est, ut simul falsæ sint nunquam reperiendus. Hinc quoque ostenditur indefinitas cum particularibus æquali esse potentia. Amplius quod dictum est, contrajacentes, id est universalem affirmativam et particularem negativam, et item universalem negativam et particularem affirmativam neque veras simul esse neque falsas, sed inter se dividere verum falsumque, hoc idem evenit in indefinitis. Nam universalis affirmativa et indefinita negativa, vel universalis negativa et indefinita affirmativa, neque veræ simul esse possunt, neque simul falsæ. Dividuntur autem inter se verum falsumque: nam si dixeris, omnis homo bipes est, vera est, et si dicas homo bipes non est, falsa est. Item si dixeris homo quadrupes est, falsa est, si dixeris, nullus homo quadrupes est, vera est: unde hinc quoque colligere licet omnes indefinitas potestate et vi æquales esse particularibus Sunt etiam quædam propositiones quæ dividunt quidem et ipsæ verum et falsum. ut Deus fulminat, Deus non fulminat. Sed istæ tunc dividunt inter se verum et falsum, cum idem tempus, idem subjectum, idem prædicatum sit. Quod autem dico tale est, si æquivocum subjectum fuerit, non dividunt verum et falsum. Si quis enim dicat, Cato se Uticæ occidit, et respondeatur, Cato se Uticæ non occidit, utræque veræ sunt. Nam et Cato Minor se peremit, et Cato Censorius se Uticæ non occidit. Sed hoc idcirco evenit, quod Catonis nomen æquivoce dicitur, dicitur enim et Major Cato Censorius, et Minor Uticensis. Item si æquivoca fuerit in propositione prædicatio, verum inter se affirmatio negatioque non dividunt. Si quis enim sic dicat, in nocte lucet, et respondeatur, in nocte non lucet, fieri potest ut utræque veræ sint. Nam in nocte lucerna lucere potest, et sol lucere non potest: hoc ideo evenit quia lucere æquivoce et ad lucernæ lumen et ad solis dicitur. Amplius si aliud est aliud in subjectis et prædicatis tempus fuerit, verum falsumque inter se affirmatio negatioque non dividunt. Nam si quis dicat. Socrates ambulat, et respondeatur, Socrates non ambulat, possunt utræque veræ esse, potest enim fieri ut Socrates alio tempore ambulet, alio tempore non ambulet; sed aut stet aut sedeat, aut quodlibet aliud: in talibus ergo propositionibus qua es sunt. Socrates ambulat. Socrates non ambulat, illæ inter se verum falsumque dividunt quæ ad idem subjectum, ad idem prædicatum, ad idem tempus dicuntur. Sunt etiam aliæ quæ contradictoriæ vocantur, que sunt hujusmodi, quoties affirmationem universalem tollit negatio particularis, A omnis homo justus est, non omnis homo justus est, et rursus nullus homo justus est, et quidam homo justus est, in his enim universalis determinatio tollitur, sed de his alias. Et quoniam dictum est de his quæ eodem ordine participant, dicamus nunc de his quæ ordinis commutatione participant. Harum quoque propositionum quæ ad commutationem ordinis participant duplex modus est. Est enim per contrapositionem conversio, ut si dicas, omnis homo animal est, omne non animal non homo est; simplex conversio est, ut si dicas, omnis homo risibile, et convertas, omne risibile homo: sed in illis terminorum tantum commutatio conversionem facit, in quibus neque prædictum subjecto, neque subjectum prædicato abundat. In hac enim propositione quæ dicit, omnis homo risibile, homo subjectum, risibile B prædicatum, æquam vim habet, et ideo converti potest ut si risibile subjectum et homo prædicatum, et dicatur omne risibile homo. In quibus vero unus terminus alio abundaverit, converti propositio non potest. Nam si dicas, omnis homo animal est, vera est; non tamen potest fieri ut conversa hæc propositio terminis commutatis vera sit: falsum est enim dicere, omne animal homo est. Sed hoc cur evenit? quia homine animal abundat. Illa vero conversio, quæ per contrapositionem fit hoc modo fit quoties in affirmativa subjectum fuerit, idem mutatum et factum prædicatum ad negativam particulam ponitur, ut est omnis homo animal est. Hic homo subjectum est et ad hoc animal prædicatur. Si vero quis per contrapositionem convertat, et faciat animal subC jectum hominem prædicatum, et ad hominem particulam negativam ponat, hoc modo faciet: omne non animal non homo est, et erit ista conversio, omnis homo animal est, omne non animal non homo est; sed de his posterius tractabimus, nunc ad simplices revertamur. Cum sint igitur quatuor propositiones quarum quæ universales sunt, id est affirmativa et negativa, duæ vero particulares, id est affirmativa et negativa, particularis affirmativa, et universalis negativa commutatis terminis sibi ipsa convertitur. Convertuntur autem illæ (ut dictum est) quoties, commutatis terminis, vel simul veræ sunt, vel simul falsæ. Nam si quis dicat, quidam homo animal est, vera est. Conversio vero ejus quoddam animal homo est, vera est. Item quidam homo lapis D est, falsa est, quemadmodum et ejus conversio, quidam lapis homo est, nam et ista falsa est. Est igitur particularis affirmativa quæ commutatis terminis sibi ipsa convertitur. Idem vero patitur universalis negatio. Si quis enim dicat, nullus homo lapis est, vera est, et potest converti nullus lapis homo est, nam et ista vera est. Item nullus homo rhetor est, falsa est, et ejus conversio, nullus rhetor homo est, falsa est. In quatuor igitur his propositionibus quæ tantum contrajacentes sibi ipsæ convertuntur, id est particularis, affirmatio et universalis negatio. Aliæ vero duæ sibi ipsis non convertuntur. Nam neque universalis affirmatio, neque particularis negatio sibi ipsa

ertitur. Si quis enim dicat omnis homo animal est est. Si quis vero convertat, omne animal homo lsum est. Non igitur sibi ipsi converti potest, quo- conversa prioris veritatem non recipit. Neque particularis negatio sibi convertitur. Nam si dicat, quidam homo grammaticus non est, vera si vero convertat, quidam grammaticus homo est, falsa est: omnis enim grammaticus homo iepetendum est igitur a capite quod cum qua- propositiones sint, affirmatio universalis, nega- niversalis, affirmatio particularis, negatio parti- is, particularis affirmatio et universalis, negatio contrajacentes, sunt, sibi ipsis converti possunt. ersalis vero affirmatio et particularis negatio, psæ contrajacentes sunt, nunquam possunt sibi converti. Nec hoc nos turbet quod quædam nationes universales et quædam particulares tiones converti possunt. Potest enim dici omnis risibilis est, omne risibile homo est, et utræque sunt. Et item omnis homo hinnibilis est, falsa t omne hinnibile homo est, et hæc quoque falsa em in particulari negatione, quidam homo non ipis, vera est, et quidam lapis non est homo, est, Item quidam homo non est risibile, falsa uoddam risibile homo non est, et hæc quoque est. Ergo videntur posse universales affirmatio- t particulares negationes converti, et conver- r quidem , sed non universaliter. Generaliter a dico propositiones posse converti, quoties rsaliter, id est in omnibus convertuntur. Istæ a in duabus solis materiebus converti possunt. is enim proprium cujuslibet speciei ad ipsam iem cujus est proprium velut ad subjectum præ- ,potest convertere. Nam quia risibile proprium omini, si prædices risibile, et subjicias homi- , ut est omnis homo risibile est, potes iterum cere risibile et hominem prædicare, ut si dicas risibile est homo. In illis vero simul falsæ generalium affirmationum conversiones, in qui- d quod prædicatur ad subjectum nullo tempore dici potest, ut si quis dicat, omnis homo lapis alsa est. Et iterum, omnis lapis homo est, est hæc, quoniam nullo tempore neque homo est, neque lapis homo vere prædicabitur. In cularibus negativis contrarium est; nam aut falsæ cum proprium subjectum est aut prædicatum, quis dicat, quidam homo risibile non est, fal- est. Item quoddam risibile homo non est, et uoque falsa est. In illis veræ sunt, quando id affirmando nullo tempore vere prædicari potest bjectum prædicant, ut si dicas, quidam homo non est, vera est. Iterum quidam lapis homo st, vera est. Ergo universales affirmationes tum envertuntur ut veræ sint cum proprium præ- t, tum sibi convertuntur ut falsæ sint cum id nullo tempore ad subjectum vere dici poterit catur. Item in particularibus negativis, tum sunt, cum proprium prædicant, tum veræ, cum od nullo tempore vere dici poterit prædicant.

A In his ergo solæ converti possunt. In aliis vero converti non possunt. Atque ideo universaliter non convertuntur; remanet ergo ut in aliis rebus omnibus, ut superius dictum est, non convertantur. Hoc vero perpiciendum est, quod particularis affirmatio quæ sibi ipsi convertitur, universali affirmationi, quæ sibi non convertitur, per accidens converti potest. Et item contrajacens universali affirmationi particularis negatio, quæ sibi ipsi non convertitur, converti potest per accidens negationi universali, quæ sibi ipsi convertitur. Sed quomodo particularis affirmatio et universalis negatio sibi ipsis convertantur ostendimus. Nunc vero quomodo particularis affirmatio universali affirmationi per accidens, vel quomodo particularis negatio universali negationi per accidens

B covertantur, demonstrandum est. Dictum est superius quod si vera est universalis affirmatio, vera est etiam particularis, et sequeretur particularis universalem. Nam si vera est omnis homo animal est, vera est etiam quidam homo animal est. Si enim omnis, et quidam; sed particularis affirmatio sibi ipsi convertitur, convertitur etiam universali affirmationi. Nam si omnis homo animal est, et quidam homo animal est. Sed ista sibi convertitur hoc modo, si dicas, quidam homo animal est. Potest igitur converti ad omnis homo animal est universalem affirmationem particularis affirmatio, quæ est quidam homo animal est, et convertitur, ut si dicas quoddam animal homo est; utræque enim veræ sunt, et quæ dicit, omnis homo animal est, et quæ dicit quoddam animal homo est: per accidens autem converti dicitur particularis affirmatio

C universali affirmationi, qui particularis affirmatio sibi ipsi principaliter convertitur, secundo vero loco universali affirmationi convertitur. Restat igitur ut hoc monstremus, quomodo particularis negatio quæ sibi non convertitur universali negationi quæ sibi convertitur per accidens convertatur, et hic eadem ratio est. Nam quoniam universalis negatio si vera est, vera est etiam particularis, universalis vero negatio sibi ipsa convertitur potest universali negationi conversæ particularis converti negatio. Age enim universalem negationem, id est nullus homo hinnibilis est, convertamus, ut sit nullum hinnibile homo est. Sed istam propositionem, id est universalem negativam quæ est, nullus homo hinnibilis est, sequitur particularis negatio quæ est, quidam homo non est

D hinnibilis. Converte igitur universalem quæ est, nullus homo hinnibilis est, et fac, nullum hinnibile homo est, converte huic particularem negationem quæ est, quidam homo non est hinnibilis, et fac, quoddam hinnibile non est homo, utræque veræ sunt. Nam et nullum hinnibile homo est, quæ est universalis conversio negationis, vera est, et quoddam hinnibile non est homo, quæ conversio particularis negationis est. Cur autem per accidens converti dicatur, superius dictum est. Liquet ergo talis per accidens conversio: quod igitur habet universalis affirmatio, hoc habet etiam contrajacens particularis negatio, utræque enim sibi converti non possunt; quod autem habet uni-

versalis negatio, hoc habet et ei contrajacens affirmatio particularis, utræque enim sibi converti possunt. Junctæ ergo quæ sibi converti possunt,et quæ sibi converti non possunt,ut quæ sibi converti potest jungatur ei quæ sibi converti non potest,et quæ sibi converti non potest jungatur ei quæ sibi converti potest, faciunt per accidens conversiones quæ superius demonstratæ sunt. Restat ut de his conversionibus dicamus quæ per contrapositionem fiunt,et primum earum sit dispositio in descriptione subjecta,generalis enim affirmationis quæ dicit,om-

Omnis homo animal est
Nullus homo animal est
Quidam homo animal est
Quidam homo animal non est

His ergo ita positis,quomodo dictum est superius in simplici terminorum conversione,quod particularis affirmatio et generalis negatio sibi ipsis converterentur, generalis vero affirmatio et particularis negatio sibi ipsis non converterentur,hic in per contrapositionem conversionibus contra est Nam generalis affirmatio per contrapositionem sibi ipsa convertitur,et particularis negatio sibi ipsi convertitur. Generalis vero negatio et particularis affirmatio per contrapositionem sibi non convertuntur. Quod ita esse his exemplis probabimus. Si enim vera sit affirmatio generalis quæ dicit,omnis homo animal est, vera erit ejus per contrapositionem conversio quæ dicit, Omne non animal non homo est. Quod enim animal non fuerit,id homo non erit.Et si falsa fuerit generalis affirmatio quæ dicit,omne animal homo est,falsa erit etiam ejus per contrapositionem conversio quæ dicit,omnis non homo non animal est, potest enim fieri ut quod homo non est,animal sit. Illa enim negat esse animal quod homo non fuerit. Quod si cum vera est generalis affirmativa,vera est ejus per contrapositionem conversio,et si cum falsa est generalis affirmatio,falsa est ejus per contrapositionem conversio,non est dubium quin generalis affirmatio possit ibi ipsa converti.Item nunc ostendendum est quomodo particularis negatio sibi ipsi per contrapositionem convertitur.Nam si falsa est quæ dicit, quidam homo animal non est, falsa ejus erit etiam per contrapositionem conversio quæ dicit, quoddam non animal non homo est.Hoc enim videtur hæc propositio dicere,ac si diceres quædam res quæ animal non est homo est, qui enim dicit, non homo non est,hominem esse significat quod animal non sit.Hoc vero aperte falsum est,omnis enim homo animal est,et si vera fuerit particularis negatio quæ dicit, quoddam animal homo non est, vera erit et ejus per contrapositionem conversio quæ dicit,quidam non homo non animal non est.Æquale est enim ac si diceret, res quæ homo non est non est non animal,sed est animal.ut equus et bos homo non est, et non est non animal.Ergo si cum particularis negatio falsa est,falsa est etiam ejus per compositionem conversio,et si cum particularis negatio vera est, vera est ejus per contrapositionem conversio, non

A nis homo animal est conversio per contrapositionem est quæ dicit,omne non animal non homo est.Item generalis negationis quæ dicit,nullus homo animal est,conversio per contrapositionem est,nullum non animal non homo est.Item particularis affirmationis quæ dicit, quidam homo animal est, conversio per contrapositionem est quæ dicit,quoddam non animal non homo est.Item particularis negationis quæ dicit, quidam homo animal non est,conversio per contrapositionem est quæ dicit, quoddam non animal non homo est, quod demonstrat subjecta descriptio:

Omne non animal non homo est
Nullum non animal non homo est
Quoddam non animal non homo est
Quoddam non animal non homo non est

B est dubium quin particularis negatio possit per contrapositionem sibi ipsa converti. Nunc quoniam ostensum generalem affirmativam et particularem negativam per contrapositionem sibi posse converti, ostendamus generalem negativam et particularem affirmativam per contrapositionem sibi non posse converti. Et prius de generali negatione dicendum est. Nam si generalis negatio vera est, non necesse erit per contrapositionem sibi conversam veram esse. Sed si falsa fuerit et per contrapositionem sibi conversam falsam esse necesse est. Nam si falsa est quæ dicit,nullus homo animal est, falsa erit fortasse ejus per contrapositionem conversio, quæ dicit, nullum non animal non homo est. Æquale est enim ac si dicat, nulla res est quæ non sit animal et sit non homo,quod est omnis res quæ

C animam non habet homo est,quod aperte falsum est. Item si vera fuerit generalis negatio,falsa erit ejus per contrapositionem conversio.Nam si vera est quæ dicit, nullus homo est lapis,falsa erit ejus per contrapositionem conversio quæ dicit,nullus non lapis non homo est.Æquale est enim ac si dicat,nulla res est quæ cum non sit lapis non homo sit, quod est omnis res quæcunque lapis non fuerit homo est,quod falsum est. Innumerabilia enim invenies, quæ non sunt lapides,et non homines non sunt;ergo quoniam si generalis negatio falsa fuerit,falsa est ejus per contrapositionem conversio, vel si eadem vera fuerit, falsa erit ejus per contrapositionem conversio,non est dubium generalem negationem sibi non posse converti,quod enim in aliquo fallit,generaliter colligi

D non potest.Restat igitur ut id quod reliquum est monstremus,particularem affirmationem per contrapositionem sibi non posse converti. Cum enim fuerit particularis affirmatio vera,vera erit ejus etiam per contrapositionem conversio. Nam si vera est quæ dicit, quidam homo animal est, vera est ejus per contrapositionem conversio, quoddam non animal non homo est.Æquale est enim ac si dicat quædam res quæ animam non habet homo non est,quod verum est. Lapis enim animam non habet,et tamen homo non est. Item si particularis affirmatio quæ dicit,quidam lapis homo est,falsa est,vera erit ejus per contrapositionem conversio quæ dicit, quidam

homo non lapis est. Æquale est enim ac si di- A
:, quædam res quæ homo non fuerit lapis non
quod verum est. Equus enim homo non est, et
on lapis non est. Ergo si cum in quibusdam par-
aris affirmatio vera fuerit, vera erit ejus per
apositionem conversio, et si cum in quibusdam
fuerit particularis affirmatio, vera erit ejus per
apositionem conversio, non est dubium parti-
affirmationes per contrapositionem sibi non
converti. Generalis enim negatio et particularis
natio, quæ contrajacentes sunt, in per contra-
ionem conversionibus contraria patiuntur. Nam
neralibus negativis sive generales negativæ veræ
nt sive falsæ per contrapositionem conversio-
emper falsæ sunt; in particularibus autem affir-
vis, sive particularis affirmatio vera fuerit sive
ejus per contrapositionem conversio vera est. B

Repetendum est igitur a superioribus et confirman-
dum quod in simplicibus terminorum conversionibus
particularis affirmatio et generalis negatio sibi con-
verti possunt. Generales vero affimatio et particula-
ris negatio sibi converti non possunt. In his vero
conversionibus quæ per contrapositionem fiunt, con-
tra est; nam generalis affirmatio et particularis nega-
tio per contrapositionem sibi ipsis converti possunt,
generalis vero negatio, et particularis affirmatio per
contrapositionem sibi ipsis converti non possunt, et
generalis negatio et particularis affirmatio quæ sunt
contrajacentes in veri falsique distantia (ut demon-
stratum est), sibi ipsis invicem contraria patiuntur.
Hæc de Categoricorum Syllogismorum categoricis
propositionibus dicta sufficiant. Si qua vero in his
prætermissa sunt, in Perihermenias Aristotelis com-
mentario diligentius subtiliusque tractata sunt.

LIBER SECUNDUS.

perioris series voluminis quod ad Categorico-
yllogismorum propositiones attinebat explicuit.
autem, quantum introductionis patitur tempe-
ntum, de ipsa Categoricorum Syllogismorum
ae tractabitur; et quoniam omnium composito-
firmitudo vel vitium, aut in his maxime repe-
ex quibus est compositum, aut penes bonam
mve compositionem ejus laus vituperatioque
ur: namque domus si fortibus lapidibus de-
isve constructa, ipsa quoque est fortis aut de-
porro autem si artificis compositionem æqua-
solertemque fuerit nacta, ipsa quoque construc-
nerito stabilitatis erit laudabile fundamentum; C
o insolertior compositio fiat, tota quoque quam-
bonis ordinata lapidibus, nulla sese gerens
a stabilitate nutabit; nos quoque hanc eamdem
inem secuti, prius de his quibus ipse syllogis-
constat, id est propositionibus explicuimus.
: vero de ipsa inter se syllogismorum conjun-
e compositione que tractabimus. Illud vero me-
sse debebis, introducendis hic me præstitisse
adis, non introductis. Et prius quid sit esse in
vel non esse, paucis ostendam. Si qua enim
lterius generis fuerit, omnem intra se speciem
nebit, et in toto species genere illa esse di-
. Sit enim genus animal, homo vero species.
ergo quoniam minus est quam animal, in toto
ali esse dicetur. Omnis enim homo animal est. D
is ergo sic dicat aliquam rem de omni alia re
icari, conversa vice nihil interest. Nam sicut
to animali homo est, sic etiam animal de omni
ne prædicatur. In toto vero non esse est, quoties
es ab alia re omni disjuncta est: ut si dicas, ani-
in nullo lapide est, nullum enim animal lapis
et si dicas, animal de ullo lapide prædicatur,
ullo enim lapide animal dicitur. Diffinimus ergo
to esse, vel in toto non esse sic: in toto esse,
e omni prædicari dicitur, quoties non potest
inveniri aliquid subjecti ad quod illud quod prædi-
catur dici non possit. Namque nihil hominis invenitur
ad quod animal dici non possit. In toto vero non
esse, vel de nullo prædicari dicitur, quoties nihil
subjecti poterit inveniri ad quod illud quod prædi-
catur dici possit. Nihil enim lapidis inveniri potest
de quo possit animal prædicari. Illud sane notandum
est, quod esse in toto versa vice dicitur. Nam si ali-
quid de omni aliquo prædicatur, illud de quo illud
prædicatur in toto illo esse dicitur quod prædicatur,
ut animal de omni homine dicitur. Homo vero in
toto est, id est velut quædam pars intra totum ani-
mal latet. Et si quid in alio omni fuerit, in eo toto
res illa de quo superius dicebatur esse dicitur, ut
idem animal cum in omni sit homine, et de eo omni
prædicetur, homo in toto est animali. His igitur ita
positis, quotiescunque ita dicimus, ut litteras pro
terminis disponamus, pro brevitate hoc et compen-
dio facimus, id quod per litteras demonstrare volu-
mus universaliter demonstramus. Nam fortasse in
terminis aliquibus falsum ingerendum necesse sit.
In litteris vero nunquam fallimur, quoniam ad hoc
utimur litteris quasi terminos poneremus. In litteris
vero ipsis, nisi terminorum conjunctio per se firma
valensque fuerit, ulla neque veritas, neque falsitas
reperietur. Quoties igitur aliud de alio omni præ-
dicari volumus ostendere, sic ponimus. Sit primus
terminus *a*, secundus *b*, et prædicetur *a* de omni
b. Hoc autem ita accipito tanquam si posuerimus *a*
animal, *b* hominem. Eodem modo et de negativis.
Nam si dicamus, *a* de nullo *b* prædicatur, tale est
ac si dicamus, *a*, quod est animal, de nullo lapide
prædicatur, quod est *b*, et alia quacunque eis fuerint
consimilia. Omnis autem syllogismus simplex tribus
terminis demonstratur atque concluditur. Sed prius
ipsorum syllogismorum figuras aspiciamus, post
vero de modis ordinibusque eorum tractabimus.
Tribus igitur terminis ita positis, ut prope se et sib

connexi sint, tres non ultra fieri complexiones necesse est hoc modo: sit enim *a*, sit *b*, sit *c*; aut enim *a* de *b* prædicatur, et *b* de *c*, aut certe a et de *b* prædicabitur et de *c*, vel iisdem ipsis *a* et *b e* terminus videbitur esse subjectus. Sit enim *a* bonum, sit *b* justum, sit *c* virtus, aut enim *a*, id est bonum erit in omni *b*, id est justo, et dicetur, omne justum bonum est, item *b* justum in omni *c*, id est virtute, et dicetur, omnis virtus justa est. Et erunt hujusmodi propositiones: omne justum bonum est, et omnis virtus justa est, aut *a*, id est bonum, de *b*, quod justum est, et de *c*, quod virtus est, prædicabitur, ut si omne justum bonum est, omnis virtus bona est, aut certe *a* bonum, *b* justo, et *c* virtuti subjacebit, ut dicatur, omne bonum justum est, et omne bonum virtus est. In hac enim complexione *b* et *c* de sola *a* termino prædicatur. Ubi vero *a* de omni *b* termino, et *b* item prædicatur de omni *c*. Hanc figuram voco primam quæ diffinitur sic: Prima figura est in qua is qui subjectus est de alio prædicatur. Namque *b*, quod *a* termino subjectum est, ad *c* item terminum prædicatur. Extremitates vero dico hujus figuræ quod prædicatur et quod subjectum est, id est *a c*. Namque *a* prædicatur de *b* termino, *c* vero terminus *b* termino subjacet. Medium autem illud voco quod alii subjacet, et de alio prædicatur, id est *b*. Nam *b* terminus *a* termino subjacet, de *c* vero termino prædicatur. Major vero extremitas est, quæ prima prædicatur, id est *a*. Namque idem *a* de *b* termino prædicatur. Minor vero quæ medio termino subjicitur, id est *c*, namque *c* terminus medio termino, id est *b*, subjectus est; de eo enim *b* medius terminus dicitur. Major vero terminus *a* vocatus est, id est qui prædicatur, quoniam omne prædicatum ab eo de quo prædicatur majus est. Et in conclusione, sicut in prima propositione, semper *a* terminus prædicatur, *a* enim bonum prædicatur de *b* justo, et dicitur, omne justum bonum est, *b* vero medius terminus prædicatur de *c*, et dicitur, omnis virtus justa est. Ex his igitur concluditur in syllogismo, omnis virtus bonum est, et *a* bonum nominabitur de *c* virtute, atque ideo major *a* nobis extremitas appellatur. Id vero meminisse debemus, quod ea quæ paria sunt retorqueri possunt, et ad se invicem prædicari, et sicut id quod prædicatur in eo quod subjectum est, omni est, ita rursus conversum quod fuerit subjectum, in eo quod antea prædicabatur omni erit. Nam si *f* et *g* duo termini ita sibi sint æquales, ut neuter neutro major sit, cum prædicaveris *f* de omni *g*, erit *f* terminus in omni *g* termino. Si vero convertas et prædices *g* terminum de *f* termino, erit iterum *g* terminus in omni *f* termino. Sit enim *f* risibile, *g* homo. Ergo si prædices *f* risibile, et *g* hominem subjicias, *f* risibile in omni *g* invenitur. Omnis enim homo risibilis est Si vero prædices *g* hominem ad *f* risibile, *g* homo in omni *f* risibile reperitur. Omne enim risibile homo est. Quid autem termini sint, vel quid prædicatio, aut subjectio, priori de propositionibus libro satis dictum est. Sed ne forte erremus quod videtur universalis affirmatio conversa. Nam de hoc quoque superius dictum est. Modo vero hoc solum monstrare volumus, quod quæ sunt in toto paria sola convertantur. Hoc tamen prodest ad ostensionem syllogismorum quæ fit in circulo, quam in Analyticis diximus. Ac de prima Syllogismorum Categoricorum figura expeditum est. Secunda vero figura est quoties *a* terminus de utrisque *b* et *c* terminis prædicatur hoc modo: Si enim dicas *a* bonum de omni *b* justo, ut sit hoc modo propositio, omne justum bonum est, et inde *a* bonum de omni *c* virtute, ut dicas, omnis virtus bonum est, solum *a* de utrisque *b* et *c* terminis prædicasti, et erit hæc secunda figura. Medius autem terminus in hac figura erit qui de utrisque prædicatur, id est *a*. Extremitates vero ea quæ subjecta sunt, id est *b* et *c*. Major vero extremitas est de qua primo *a* terminus appellatur, id est *b* justum; vel si ad *c* primo prædicabitur, *c* terminus major extremitas invenitur. Idcirco quod ea extremitas de qua medius terminus primo prædicatur, in conclusione ipsa quoque prædicabitur, ut posterius demonstrandum est. Minor vero extremitas erit, ad quod modius terminus posterius prædicabitur. Tertia vero figura est, quoties *a* et *b* termini de uno *c* prædicantur. Si quis enim prædicet *a*, id est bonum, de *c*, id est virtute, ut sit hujusmodi propositio, omnis virtus bonum est; item *b* prædicetur de *c*, ut sit, omnis virtus justum est, tertiam figuram facit. In hac vero figura medius terminus erit qui utrisque subjectus est, id est *c*. Namque de *c* termino *a* et *b* termini prædicantur. Major vero extremitas est quæ primo prædicatur, id est *a*; minor vero quæ postea, id est *b*; vel si quem libuerit *b* prius, *a* posterius prædicare secundum priorem posterioremque prædicationem, major minorve extremitas invenietur, et hic quoque major extremitas in conlusionibus, sicut in superioribus aliis figuris, de minor prædicatur. Expeditis igitur tribus syllogismorum figuris, dicendum est quia perfectus syllogismus est cui ad integram probatamque conclusionem ex superius sumptis et propositis nihil deest. Sed modo atque ordine facta conclusio nihil debabens, per ea quæ antea proposuit terminatur. Imperfectus vero syllogismus est cui nihil æque ad perfectionem deest, verumtamen in his quæ in propositionibus sumpta sunt aliqua desunt, curita esse videtur. Sed et hæ diffinitiones omnes posterius liquebunt. Nunc autem unde hæ figuræ nascantur breviter explicandum est. Quoniam unde nascuntur, in eadem iterum resolvuntur. Sed secunda et tertia figura de prima figura nasci et procreari videntur. Sit enim *a* terminus in omni *b* termino, et de omni eo prædicetur, *b* vero terminus de omni *c* termino prædicatur. Hæc, ut dictum est, prima syllogismorum figura est. Si quis igitur majorem extremitatem propositionemque convertat, et quod fuerat antea prædicatum faciat esse subjectum, secundam faciet figuram. Nam quemadmodum *a* terminus prædicatur de *b* termino, ita *b* de *c*. Si ergo convertatur, et fiat

rminus de *a* termino prædicetur, invenitur *b* A
ius qui antea medium fuerat,et *a* termino sub-
,de *c* vero termino prædicatur ad utrosque ter-
prædicavimus .Age enim quoniam *a* bonum
sto prædicabatur, *b* vero justum de *c* virtute
abatur,erat propositio : omne justum bonum
nnis virtus justa est, manente propositione
st, omnis virtus justa est, prima propositio,
omne justum bonum est, contravertatur, et
ne bonum justum est.Inveniuntur igitur pro-
nes sic,omne bonum justum est,omnis virtus
st, et justum, id est *b* de *a* et *c* terminis præ-
ur.Conversa igitur majore prioris figura ex-
ate,secunda syllogismorum figura procreatur.
vero figura nascitur,minori propositione con-
Nam si *a* bonum prædicatur de *b* justo, ut
r, omne justum bonum est, *b* vero justum B
atur de *c* virtute, ut dicatur, omnis virtus
st, si, priore propositione manente, id est,
justum bonum est, secunda quæ est, omnis
justa est,convertatur, et fiat, omne justum
est,invenietur omnes propositiones sic: omne
bonum est,omne justum virtus est, et de
a et *c* termini prædicantur,et fit tertiæ figuræ
tio. Conversis igitur primis posterisque ex-
atibus primæ figuræ,tertia vel secunda figura
itur.At vero unaquæque horum trium figura-
abet sub se plures syllogismorum modos, ut
ub figuris ita sint ut sunt species sub suis
bus. Habet enim prima figura sub se,Aristo-
uctore, modos quatuor ; sed Theophrastus
demus super hos quatuor quinque alios mo- C
dunt,Aristotele dante principium in secundo
m Analyticorum volumine,quod melius post-
n explicabitur.Secunda vero figura habet sub
tuor modos ; tertia vero, auctore Aristotele,
dunt etiam alii unum,sicut ipse Porphyrius,
ores scilicet sequens. Et quoniam (ut superio-
o dictum est) aliæ propositiones affirmativæ
liæ negativæ, et earum aliæ universales, aliæ
rticulares,secundum eas ipsas,propositiones
smorum conclusionesque junguntur.Namque
figuræ primus modus est qui fit ex duabus
alibus affirmativis,universalem colligens af-
vam.Si enim *a* terminus fuerit in omni *b* ter-
t si *b* terminus de omni *c* termino fuerit præ-
,*a* terminus de omni *c* termino prædicabitur. D
e *a* bonum si prædicetur de omni *b* justo,ut
e justum bonum est, *b* vero justum, si de *c*
etur virtute, ut sit,omnis virtus justum est,
ario concluditur extremitatibus ad se invicem
atis, id est *a* et *c*,ut sit omnis virtus bonum
t igitur hujusmodi propositiones atque con-
? Si *a* in omni *b* fuerit,et *b* in omni *c* fuerit *a*
us de omni *c* prædicabitur, id est, omne ju-
onum est,omnis virtus justa est ; et conclusio,
igitur virtus bonum est,et hic primæ figuræ
s modus est.Secundus vero modus primæ fi-
st, quoties ex prima universali negativa et

secunda universali affirmativa conclusio universali negatione colligitur.Si enim sit *a* malum,*b* bonum, *c* justum,*a* terminus de nullo *b* termino prædicabitur.Nullum enim bonum malum est, *b* vero terminus de omni *c* termino prædicabitur ; omne enim justum bonum est. Quare colligitur,nullum justum malum est,ut est hoc modo : Si *a* terminus de nullo *b* termino prædicatur, *b* vero terminus de omni *c* fuerit prædicatur,*a* terminus de nullo *c* prædicabitur,ut est,nullum bonum malum est,omne justum bonum est; nullum igitur justum malum est.Tertius vero modus primæ figuræ est, quoties ex universali affirmativa, et particulari affirmativa, particularis affirmativa colligitur.Nam si *a* virtus de omni *b*,id est bono, prædicetur,et *b* bonum de quodam *c*, id est justo,fuerit prædicatum particulariter,erit quoque conclusio particularis,hoc modo,ut *a* virtus de quodam *c* justo particulariter prædicetur.Si igitur fuerit *a* terminus in omni *b*,et *b* terminus in aliquo *c* particulariter,erit *a* terminus in aliquo *c* particulariter,ut sit :

Omne bonum virtus est.
Quoddam justum bonum est.
Quoddam igitur justum virtus est.

Quartus modus primæ figuræ est talis, quoties ex universali negatione et particulari affirmatione particularis negativa colligitur. Nam si *a* terminus de nullo *b* termino prædicetur,*b* vero terminus de quodam *c* termino prædicetur, *a* terminus de quodam *c* termino non prædicabitur, quod monstrat subjecta descriptio. Nam sunt hujusmodi propositiones :

Nullum bonum malum est.
Quoddam justum bonum est.
Quoddam igitur justum malum non est.

Hos ergo quatuor in prima figura modos in Analyticis suis Aristoteles posuit. Cæteros vero quinque modos Theophrastus et Eudemus addiderunt, quibus Porphyrius,gravissimæ virauctoritatis,visus est consensisse,qui sunt hujusmodi.Nam quoniam particularis affirmativa sibi ipsi convertitur, quisquis ostenderit in conclusione *a* terminus de quodam *c* termino particulariter prædicari,in eadem ipsa conclusione monstravit quod *c* terminus de *a* termino rursus particulariter prædicetur.Nam si sibi particularis propositio in conclusione convertitur, si a terminus in quodam *a* termino fuerit,*c* terminus de quodam *a* termino prædicabitur.Item quisquis universalem negativam in conclusione probaverit, necesse est eum ipsius quoque conversionem in eadem conclusione probasse. Universalis enim negatio semper sibi convertitur. Nam si quis probavit quod *a* terminus de nullo *c* termino prædicetur,non est dubium quin in hac conclusione illud quoque probatum sit,quod *c* terminus de nullo *a* termino prædicetur. Semper enim, ut dictum est, universalis negativa sibi ipsi convertitur.Universalis quoque affirmativa duplici conclusione continetur ; nam quisquis ostendit *a* terminum de omni *c* termino prædicari,illud

quoque ostendit quod *c* terminus de quodam *a* termino particulariter prædicetur. Si quis enim probaverit animal de omni homine prædicari, ita dicens, omnis homo animal est, illud quoque necessario monstravit particulariter, quoniam quoddam animal homo est. Ita semper universalis negatio, et universalis affirmatio, vel particularis affirmativa dupliciter concluduntur. Aliæ enim sibi ipsis convertuntur, quæ particularis est particulariter, quæ universalis universaliter. Alia vero, cum ipsa universalis affirmativa sit, particulariter sibi ipsi convertitur. Particularis autem negatio nunquam sibi ipsi convertitur, atque ideo simplicem in se retinet conclusionem. Hoc autem quod nuper diximus, in secundo priorum Analyticorum libro ab Aristotele monstratur, quod scilicet Theophrastus et Eudemus principium capientes ad alios in prima figura syllogismos adjiciendos animum adjecere, qui sunt hujusmodi qui κατὰ ἀνάκλασιν vocantur, id est per refractionem quamdam conversionemque propositionis. Et est quintus modus ex duabus universalibus affirmationibus, particularem colligens affirmativam hoc modo : Si *a* fuerit in omni *b*, et *b* fuerit in omni *c*, posset equidem concludi quod *a* terminum esset in omni c termino. Sed quoniam ista universalis propositio, ut dictum est, particulariter convertitur, prætermisso eo quod *a* terminus de omni *c* termino prædicatur, conclusio esse dicitur quod *c* terminus de quodam *a* termino prædicatur, quod hoc exemplo monstrandum est. Si enim sint propositiones sic, omne justum bonum est, omnis virtus justa est, posset concludi equidem quoniam omnis virtus bonum est. Sed quoniam ita propositio sibi convertitur, ut sit, quoddam bonum virtus est particulariter, particularis syllogismus conclusioque colligitur ex duabus universalibus affirmativis. Ejus vero forma talis est, *a* terminus in omni *b*, *b* terminus in omni *c* igitur *c* terminus in quodam *a*, ut est :

Omne justum bonum est.
Omnis virtus justa est.
Quoddam bonum justus est.

Per conversionem refractionemque dicitur, quoniam quod universaliter colligebatur conversum, particulariter collectum est. Sextus modus est primæ figuræ qui fit ex universali negativa et universali affirmativa universalem conclusionem per conversionem colligens. Nam si *a* terminus in nullo *b* fuerit, *b* vero terminus in omni *c* termino fuerit, posset equidem colligi quoniam *a* terminus in nullo *c* termino est : se quoniam universalis negativa convertitur, dicimus quoniam *c* terminus in nullo *a* termino est, ut sic hoc modo :

Nullum bonum malum est.
Omne justum bonum est, posset colligi ;
Nullum justum malum est ; sed ex his per conversionem colligimus :
Nullum malum justum est.

Septimus modus primæ figuræ est, qui ex universali affirmativa et particulari affirmativa per conversionem particularem colligit affirmativam. Si enim fuerit *a* terminus in omni *b*, et *b* terminus de quodam *c* termino prædicetur, potest *a* terminus de quodam *c* termino prædicari. Sed quoniam particularis affirmatio sibi ipsi convertitur, per conversionem fit conclusio, et dicitur *c* terminus de quodam *a* termino prædicari, ut sit sic : omne bonum virtus est, quoddam justum bonum est. Posset equidem concludi, quoniam quoddam justum virtus est, sed quia particularis affirmatio convertitur, dicimus quoniam quædam virtus justa est. Octavus modus primæ figuræ est, quoties ex universali affirmatione et universali negatione particulariter colligitur. Si enim *a* terminus de omni *b* termino prædicatus fuerit, *b* vero terminus de nullo *c* termino prædicetur, non posset colligi quoniam *a* terminus de nullo *c* termino prædicatur. Cur autem non possit, in resolutoriis dictum est. Sed quoniam universalis negativa sibi ipsa convertitur, potest dici et converti, quoniam *c* terminus de nullo *b* termino prædicatur, *b* vero terminus de quodam *a* termino dicitur, quoniam universalis affirmativa particulariter sibi ipsa convertitur : quare *c* terminus de quodam *a* termino non prædicabitur, ut sit sic : omne bonum justum est, nullum malum bonum est, non posset colligi, quoniam nullum malum justum est, sed convertitur sic :

Nullum bonum malum est.
Quoddam justum bonum est.
Quoddam igitur justum malum non est.

Nonus modus primæ figuræ est, qui ex particulari affirmativa et universali negativa particularem colligit negativam per conversionem. Si enim *a* terminus de quodam *b* termino, *b* vero terminus de nullo *c* termino prædicetur, non potest quidem dici quoniam *a* terminus de quodam *c* termino non prædicabitur. Cur autem non possit, hoc quoque in resolutoriis diximus ; sed quoniam universalis negatio converti potest, dicitur quoniam *c* terminus de nullo *b* termino prædicatur, et *b* terminus de quodam *a* prædicatur ; *c* igitur terminus de quodam *a* non prædicabitur, ut sit sic :

Quoddam bonum justum est.
Nullum malum bonum est.
Quoddam igitur justum malum non est.

Expeditis igitur novem primæ figuræ modis, ad secundæ figuræ quatuor modos veniamus. Illud tantum constet, quod quemadmodum in prima figura per novem supradictos modos et affirmatio universalis, et negatio universalis, et affirmatio particularis, et negatio particularis, in conclusione colligitur, in secunda figura affirmativam neque generalem neque particularem posse colligi, sed tantum vel particulariter, vel universaliter solas colligi negativas. Est autem secundæ figuræ primus modus hic, quoties ex universali negatione, et universali affirmatione, universalis negativa colligitur. Si enim *a* terminus de nullo *b* termino et de omni *c* termino prædicetur, *b* terminus de nullo *c* termino prædicabitur. Sit enim *a* bonum, sit *b* malum, *c* justum. Si quis igitur sic dicat:

Nullum malum bonum est.
Omne justum bonum est, concludit:
Nullum justum malum est.

Liquet igitur majorem extremitatem de minore in conclusione prædicari. Sed omnes secundæ figuræ syllogismis quamvis veri sint, verum tamen ex seipsis non probatur, sed ex primæ figuræ modis implentur. Namque si *a* terminos de nullo *b* termino prædicetur, et in omni *c* termino sit, nondum probatum est quoniam omnino *b* terminus de nullo *c* termino prædicetur. Sed si quis ex isto secundæ figuræ primo modo primæ figuræ secundum modum faciat, per conversionem totus syllogismus conclusioque probata est. Si quis enim in hoc syllogismo qui est *a* terminus in nullo *b*, et idem *a* terminus de omni *c* prædicetur, et *a b* propositionem convertat, ut faciat esse *b a*, nam omnis universalis negativa convertitur; si quis igitur dicat quoniam *a* terminus de nullo *b* termino prædicatur, et *b* igitur de nullo *a* termino prædicabitur, sed *a* terminus de omni *c* termino prædicabitur. Fit igitur primæ figuræ secundus modus ex universali negativa et universali affirmativa universalem colligens negativam, ut sit conclusio. De nullo igitur *c* termino *b* prædicabitur. His igitur conversionibus omnis secundæ et tertiæ figuræ syllogismus conclusioque colligitur et probatur. Atque ideo quoniam ex seipsis non sunt probati nisi ex superioribus comprobentur, id est, primæ figuræ modis, quicunque in secunda vel tertia figura inventus fuerit, imperfectus vocatur syllogismus. Secundus vero modus secundæ figuræ est quoties ex universali affirmativa et universali negativa commutatis ordinibus universalibus rursus negativa concluditur, Si enim *a* terminus in omni *b* termino fuerit, et de nullo *c* termino prædicetur, *b* terminus de nullo *c* termino prædicabitur. Sit enim *a* bonum, *b* justum, *c* malum. Si quis igitur sic dicat:

Omne justum bonum est,
Nullum malum bonum est, concludit:
Nullum igitur malum justum est.

Sed hæc complexio conjunctioque propositionum duplicem conversionem habet. Ostenditur enim de secundo primæ figuræ modo sic. Nam si *a* terminus in omni *b* termino est, et de nullo *c* termino prædicatur, hic universalis negativa convertitur. Erit igitur ut *c* terminus de nullo *a* termino prædicetur. Quod si ita est, erit hujusmodi syllogismus: *c* terminus de nullo *a* termino prædicatur, *a* terminus in omni *b* termino est, *c* igitur terminus de nullo *b* termino prædicabitur. Ecce una conversio facta est propositionis negativæ. Sed quoniam diximus concludi non *c* in nullo *b*, sed *b* in nullo *c* termino, hic universalis conclusio negativa convertitur: et sicut conclusum est *c* terminum de nullo *b* termino prædicari, ita concluditur de nullo *c* termino *b* terminum prædicari. Tertius modus secundæ figuræ est, quoties ex universali negativa et particulari affirmativa particularis negativa colligitur. Si enim *a* terminus de nullo *b* termino prædicetur, et in quodam *c* termino fuerit, *b* terminus de quodam *c* termino non prædicabitur. Sit enim *a* bonum, *b* malum, *c* justum. Si quis igitur sic dicat:

Nullum malum bonum est.
Quoddam justum bonum est, concludat necesse est:
Quoddam justum malum est,

Hic quoque syllogismus per conversionem hoc modo probatur. Nam si *a* terminus de nullo *b* termino prædicatur, et *b* terminus de nullo *a* termino prædicabitur. Sed *a* terminus de quodam *c* termino prædicatur. Redit igitur primæ figuræ modus quartus, qui est ex universali negatione est particulari affirmatione, particularem scilicet colligens negativam, ut in hoc quoque syllogismo. Nam hic quoque particularem negativam colligit, id est *b* terminum de quodam *c* termino non prædicari. Quartus modus secundæ figuræ est, qui ex universali affirmatione et particulari negatione particularem colligit negativam, Nam si *a* terminus in omni *b* termino sit, et de quodam *c* termino non prædicetur, *b* terminus de quodam c termino non prædicabitur. Sit enim *a* bonum, *b* justum, *c* malum. Si quis igitur dicat:

Omne justum bonum est.
Quoddam malum bonum non est, concludit:
Quoddam igitur malum justum non est.

Hæc vero complexio atque ordo propositionum per conversionem non potest approbari. Generalis enim affirmativa sibi ipsa converti non potest. Monstratur igitur iste syllogismus ex prima figura non per conversionem, sed per impossibilitatem, quoniam si particularis conclusio negativa in hoc syllogismo non concluditur, aliquod inconveniens impossibileque contingit. Sed hæc impossibilitas per primam figuram demonstrabitur. Dico enim quoniam si *a* terminus de omni *b* termino prædicetur, et in aliquo *c* termino non sit, talem colligi conclusionem, ut *b* terminus de aliquo *c* termino non prædicetur. Nam si hoc falsum est, huic contrajacens propositio vera erit. Particularibus autem negativis universales affirmativæ contrajacentes sunt, ut in superiore libro docuimus. Si igitur hic particularis negatio non est conclusio, erit generalis affirmatio. Sit enim affirmatio generalis, et *b* terminus de omni *c* termino prædicetur; sed *a* terminus de omni *b* termino prædicatur, *b* vero terminus de omni *c* termino prædicari dicitur; *a* igitur terminus de omni *c* termino prædicatur, quod fieri non potest. Ita enim *a c* propositionem posuimus prius, ut diceremus *a* terminum de quodam *c* termino non prædicari. Hoc igitur ostensum est per primum modum primæ figuræ. Quare in secunda figura omnis syllogismus imperfectus est, et ejus probatio aut per conversionem in primam figuram reducitur, aut ex hypothetica dispositione per impossibilitatem, et primam figuram aliter fieri non posse monstratur, et alii quidem omnes per impossibile probantur, quod paulo post demonstrabitur. Restat ut tertiæ figuræ modos atque ordines explicemus. Sed antea quam id faciamus, illud prius videndum est, quod in tertiæ figuræ modis

nunquam conclusio colligitur universalis. Sed si vel negativæ vel affirmativæ fuerint collectiones, particulares semper erunt, nunquam etiam generales. Est autem tertiæ figuræ primus modus hic, qui ex duabus universalibus affirmationibus particularem colligit affirmationem. Nam si *a* et *b* termini de omni *c* termino prædicentur, *a* terminus de quodam *b* termino prædicabitur per conversionem. Nam si *b* terminus de omni *c* termino prædicatur, et universalis affirmatio particulariter sibi convertitur, *c* terminus de quodam *b* termino prædicatur. Quod si ita est, fit tertius primæ figuræ modus, qui est ex universali et particulari affirmativa, et colligit *a* terminum de quodam *b* termino prædicari. Sit enim *a* justum, *b* virtus, *c* bonum. Si quis enim sic dicat:

Omne bonum justum est.
Omne bonum virtus est, fit conclusio:
Quædam virtus justa est.

Mutant alii terminos, et volunt facere secundum modum, ut sit *a* virtus, *b* justum, *c* bonum, ut si talis syllogismus:

Omne bonum virtus est.
Omne bonum justum est, et concludatur:
Quoddam justum virtus est.

Sed hunc Aristoteles a superiore non dividit. et hos duos unum modum putat, et idcirco nos septen tertiæ figuræ esse diximus modos dubitantes; sed magis Aristoteles sequendus est, atque ideo alium modum dicamus esse qui possit integre videri secundus. Secundus vero modus tertiæ figuræ est, quoties ex universali negatione et universali affirmatione negatio colligitur particularis. Si enim *a* terminus de nullo *c* termino, *b* terminus vero de omni *c* termino prædicetur, *a* terminus de quodam *b* termino non prædicabitur. Nam si *a* terminus de nullo *c* termino prædicatur, *b* vero de omni *c*, et *c* terminus de quodam *b* termino prædicabitur. Particulariter enim sibi universalis affirmativa convertitur. Concluditur igitur in quarto primæ figuræ modo, *a* terminum de quodam *b* termino non prædicari. Sit enim *a* malum *b* justum, *c* bonum. Si quis sic dicat:

Nullum bonum malum est,
Omne bonum justum est, concludat necesse est:
Quoddam igitur justum malum non est.

Ex quo considerandum est majorem extremitatem in conclusione prædicari. Tertius modus tertiæ figuræ est, quoties ex particulari et universali affirmativa particularis affirmatio concluditur. Si enim a terminus de quodam *c*, et *b* terminus de omni *c* termino prædicetur, concluditur *a* terminum de quadam *b* termino prædicari per duplicem conversionem. Quoniam enim *b* terminus de omni *c* termino prædicatur, et *a* terminus de quodam *c* termino prædicatur, et particularis affirmativa semper sibi ipsi convertitur, *c* terminus de quodam *a* termino prædicabitur. Sunt igitur propositiones sic: *b* terminus de omni *c* termino, *c* vero terminus de quodam *a* termino prædicatur, quod si ita est, colligitur in primæ figuræ modo tertio *b* terminum de quodam *a* A termino prædicari. Atque ita particularis affirmativa convertitur, et *a* terminus de quodam *b* termino prædicabitur, eruntque duplices conversiones, una propositionis, alia conclusionis. Sit enim *a* justum, *b* virtus, *c* bonum. Si quis igitur sic dicat:

Quoddam bonum justum est.
Omne bonum virtus est, concludat necesse est:
Quædam virtus justa est.

Quartus modus tertiæ figuræ est quoties ex universali affirmatione et particulari affirmatione affirmatio particularis colligitur. Nam si *a* terminus de omni *c* termino prædicetur, *b* vero terminus in quodam *c* termino sit, concluditur *a* terminum de quodam *b* termino prædicari per conversionem. Si enim *b* terminus de quodam *c* termino prædicetur, et *c* terminus de quodam *b* termino prædicatur, quoniam particularis affirmativa sibi ipsi convertitur, et fit B syllogismæ in primæ figuræ tertio modo, qui fit ex universali affirmativa et particulari affirmativa, particularem colligens affirmativam, ut sit syllogismus hoc modo: *a* terminus in omni *c*, et *c* terminus in quodam *b*. Igitur *b* terminus in quodam *b*. Sit *a* virtus, *b* justum, *c* bonum. Si quis igitur sic dicat:

Omne bonum virtus est,
Quoddam bonum justum est, concludet quoniam:
Quoddam justum virtus est.

Quintus modus tertiæ figuræ est quoties ex particulari negatione et universali affirmatione particularis colligitur negativa. Sed hic modus per conversionem probari non potest, sed per impossibilitatem, sicut quartus secundæ figuræ probatus est modus. Si C enim *a* terminus de quodam *c* termino non prædicetur, *b* vero terminus de omni *c* termino prædicetur, *a* terminus de quodam *b* termino non prædicabitur; nam si non ita est, erit illud verum, *a* terminum de omni *b* termino prædicari; sed *b* terminus de omni *c* termino prædicatur, *a* igitur terminus de omni *c* termino prædicabitur, quod fieri non potest. Prius enim ita positus est *a* terminus, ut de quodam *c* termino non prædicaretur. Quod si generalis affirmatio in conclusione syllogismi non est, ut sit *a* terminus in omni *b* termino, erit huic contrajacens particularis negatio, ut *a* terminos de quodam *b* termino non prædicetur. Sit enim *a* malum, *b* justum, *c* bonum. Si quis igitur sic dicat:

Quoddam bonum malum non est,
Omne bonum justum est, concludat necesse est: D
Quoddam igitur malum non est.

Sextus modus tertiæ figuræ est quoties ex universali negativa et particulari affirmativa particularis negatio colligitur per conversionem. Nam si *a* terminus in nullo *c* termino sit, *b* vero terminus de quodam *c* termino prædicetur, fit conclusio *a* terminus de quodam *b* termino non prædicari. Nam si *a* terminus de nullo *c* termino prædicatur, *b* vero terminus de quodam *c* termino prædicabitur, et *c* terminus de quodam *b* termino prædicabitur, quoniam particularis affirmativa potest converti. Fit igitur talis syllogismus, ut *a* terminus de nullo *c* termino prædicetur, *c* ter-

minus de quodam *b* termino prædicetur, et *a* terminus de quodam *b* termino non prædicetur. Sit *a* malum, *b* justum, *c* bonum. Si quis igitur dicat :

Nullum bonum malum est,
Quoddam bonum justum est, concludit :
Quoddam justum malum non est.

His igitur expeditis, quid ipse syllogismus sit diffiniendum est. Diffinitur autem sic : syllogismus est oratio in qua positis quibusdam atque concessis, aliud quiddam quam sint ea quæ posita et concessa sunt, necessaria contingit per ipsa quæ concessa sunt. Orationem diximus esse syllogismum idcirco quoniam omnis diffinitio a generali trahitur, genus autem syllogismi est oratio. Quod autem dictum, in qua positis quibusdam et concessis, ita intelligendum est, quasi sic dictum esset, secundum quam positis et concessis ; ut enim syllogismus fiat, ante aliquid a proponente dicitur, quod audiens concedat, quod si ille concesserit, concludit et perficit syllogismum, idcirco, quia dubiæ res per quædam concessa et probata monstrantur. conceditur autem æqualiter et negatio vera. Cætera vero in syllogismi diffinitione talia sunt quæ non integre dispositos syllogismos a syllogismorum diffinitione verorum discernant. Nam quod dictum est, in qua positis quibusdam, sumptorum scilicet et propositionum multitudo monstratur. Sunt enim qui putantur esse hujusmodi syllogismi, in quibus tantum una propositio est et una conclusio. Qualis est hic, vides, vivis igitur ; homo es, animal igitur es, et alia hujusmodi, quos scilicet veteres in syllogismis non acceperunt, syllogismus enim est aliquorum collectio. At vero collectio non nisi plurimorum est, et quicunque unam posuit propositionem, ille non colligit. Nullum igitur faciet syllogismum. Debet enim syllogismus, ut angustissimus sit, duabus propositionibus comprobari. Quod autem dictum est, aliud quiddam necessario evenire quam sint ipsa quæ concessa sunt, quoniam frequenter tales ab aliquibus fiunt syllogismi, ut ea quæ proposuerunt, ipsa etiam in conclusione concludant, ut est hic : Si homo es, homo es ; homo autem es, homo igitur es. Idem enim conclusit quo dante proposuit. Atque ideo, ad istorum discretionem, aliud quiddam contingere debere dictum est quam sint ea quæ concessa sunt, ut

A in superioribus omnibus syllogismis quos in trium figurarum modis et demonstratione posuimus. Tales vero syllogismi quales nunc dicti sunt perridiculi sunt, quod id quod ante concessum est quasi dubium quiddam in conclusione colligitur. Nam quod positum est, necessario contingere, ad hoc pertinet, quoniam frequenter ad inductionem veræ quædam propositiones sunt quarum conclusio nullo modo vera est, ut si quis sic dicat : Qui musicam novit musicus est, et concedatur ; et qui arithmeticam arithmeticus est, et qui medicinam medicus est, et qui bonum bonus est. Cum igitur hæc omnia concessa sunt, dicat, et qui malum, malus est, quod quasi superioribus simile videtur, sed omni modo falsum est : boni enim homines non aliter
B cavent, nisi mala noverint. Atque ideo propter eas conclusiones quæ sunt per eas propositiones quæ per inductionem dicuntur, additum est conclusiones in syllogismis necessarias contingere, id est ex necessitate contingere. Est etiam alia expositio, sed in Analyticis nostris jam dicta est. Illud vero quod dictum est, per ipsa quæ posita sunt, hoc propter eos dictum est qui tales faciunt syllogismos, in quibus aut minus aliquid, aut plus, aut aliud propositum est quam proponi debuerat. Fiunt enim hujusmodi syllogismi. Si quis enim ita dicat : Socrates homo est, omnis homo animal est, et concludat, Socrates igitur animatus est, minus proposuit, quod non dixit omne animal esse animatum. Nunc si sic proposuisset, recte Socrates animatum esse concluderet, ita dicendo : Socrates
C homo est, omnis homo animal est, et omne animal animatum est, Socrates igitur animatus est. Plus autem proponere hoc est, ut si quis sic dicat : Omnis homo animal est, omne animal animatum est, sed et sol in Ariete est, omnis igitur homo animatus est ; hic vero superfluum est quod solem in Ariete esse interposuit. Aliud autem quam necesse est quidam proponunt hoc modo, ut si quis sic dicat : Omne homo animal est, virtus autem bonum est, omnis igitur homo animatum est. Nulla igitur harum propositionum ad rem pertinet quod concludere cupiebat. Expedita igitur syllogismi diffinitione, ad priorum modorum naturam resolutionemque veniamus, et prius omnes in ordinem disponatur.

Primæ figuræ modi.

Primus	Omne justum bonum est. Omnis virtus justa est. Omnis igitur virtus bona est.
Secundus	Nullum bonum malum est. Omne justum bonum est. Nullum igitur justum malum est.
Tertius	Omne bonum virtus est. Quoddam justum bonum est. Quoddam igitur justum virtus est.
Quartus	Nullum bonum malum est. Quoddam justum bonum est. Quoddam igitur justum malum non est.
Quintus	Omne justum bonum est. Omnis virtus justa est. Quoddam igitur bonum virtus est.
Sextus	Nullum bonum malum est. Omne justum bonum est. Nullum igitur malum justum est.
Septimus	Omne bonum virtus est. Quoddam justum bonum est. Quædam igitur virtus justa est.

Octavus — Omne bonum justum est. Nullum malum bonum est.
Quoddam igitur justum malum non est.

Nonus — Quoddam bonum justum est. Nullum malum bonum est.
Quoddam igitur justum malum non est.

Secundæ figuræ modi.

Primus — Nullum malum bonum est. Omne justum bonum est.
Nullum igitur justum malum est.

Secundus — Omne justum bonum est. Nullum malum bonum est.
Nullum igitur malum justum est.

Tertius — Nullum malum bonum est. Quoddam justum bonum est.
Quoddam igitur justum malum non est.

Quartus — Omne justum bonum est. Quoddam malum bonum non est.
Quoddam igitur malum Justum non est.

Tertiæ figuræ modi.

Primus — Omne bonum justum est. Omne bonum virtus est.
Quædam igitur virtus justa est.

Secundus — Omne bonum virtus est. Omne bonum justum est.
Quoddam igitur justum virtus est.

Tertius — Nullum bonum malum est. Omne bonum justum est.
Quoddam igitur justum malum non est.

Quartus — Quoddam bonum justum est. Omne bonum virtus est.
Quædam igitur virtus justa est.

Quintus — Omne bonum virtus est. Quoddam bonum justum est.
Quoddam igitur justum virtus est.

Sextus — Quoddam bonum malum non est. Omne bonum justum est.
Quoddam igitur justum malum non est.

Septimus — Nullum bonum malum est. Quoddam bonum justum est.
Quoddam igitur justum malum non est.

Hi sunt igitur omnes trium figurarum modi quorum primæ figuræ quatuor primæ indemonstrabiles nominantur et directi, id est sine aliqua conversione monstrati; indemonstrabiles autem quoniam non per alios demonstrantur, et perfecti dicuntur, quoniam per seipsos comprobantur. Et primi quoniam positione et natura primi sunt, et in eos omnes cæteri resolvuntur. Illi quoque quinque primæ figuræ modi imperfecti et per conversionem sunt. Secundæ vero figuræ, vel tertiæ, omnes imperfecti sunt, quoniam per primos primæ figuræ modos quatuor comprobantur, namque in ipsos resolvuntur: ut eos per conversionem resolvamus, et per impossibilitatem, ut duo illi superius demonstrati sunt, considerabimus igitur eorum principia, quoniam unde nascuntur in idipsum resolvuntur. Quintus igitur primæ figuræ modus de primæ primo figuræ modo procreatur. Binis enim propositionibus prioribus manentibus, conclusio primi modi particulariter conversa quintum efficit syllogismum, quod in subjecta declaratur descriptione:

Omne justum bonum est	eadem	Omne justum bonum est.
Omnis virtus justa est	eadem	Omnis virtus justa est.
Omnis virtus bona est	versa	Quoddam bonum virtus est.

Sextus vero primæ figuræ modus de secundo primæ figuræ modo capit principium. Manentibus enim duabus prioribus propositionibus secundi modi, universali conclusione universaliter conversa, sextus nascitur syllogismus, ut subjecta docet descriptio:

Nullum bonum malum est	eadem	Nullum bonum malum est.
Omne justum bonum est	eadem	Omne justum bonum est.
Nullum justum malum est	versa	Nullum malum justum est.

Septimus modus primæ figuræ de tertio primæ figuræ nascitur modo. Manentibus enim binis propositionibus prioribus, particulari affirmativa in conclusione conversa, septimi modi collocatio procreatur.

Omne bonum virtus est	eadem	Omne bonum virtus est.
Quoddam justum bonum est	eadem	Quoddam justum bonum est.
Quoddam justum virtus est	vertitur	Quædam virtus justa est.

Octavus vero et nonus primæ figuræ modus in quartum primæ figuræ modum resolvuntur, non etiam initium sumunt. Octavus resolvitur in quartum hoc modo: prima enim quarti in secundam octavi universaliter conversa, et prima propositione octavi modi particulariter in secundum quarti modi conversa, eadem conclusio colligitur, id est negatio particularis.

Nullum bonum malum est, negatio universalis.
Quoddam justum bonum est, particularis affirmatio·
Universaliter conversa, Omne bonum justum est.
Universaliter conversa, Nullum malum bonum est.
Quoddam justum malum non est, eadem conclusio,
Quodam justum malum non est.

Nonus vero modus in quartum modum resolvitur sic, prima quarti in secundam noni propositionem universaliter convertatur, et secunda quarti particula- A riter in primam noni, et eadem conclusio maneat negatio particularis.

Nullum bonum malum est, universalis negativa.
Quoddam justum bonum est, particularis affirmativa.
Particulariter conversa. Quoddam bonum justum est.
Universaliter conversa, Nullum malum bonum est.
Quoddam justum malum non est, eadem conclusio :
Quoddam justum malum non est.

Resolutis igitur quinque primæ figuræ modis in quatuor superioribus, secundæ figuræ quatuor modos in prioris figuræ modos quatuor resolvamus, quorum tres per conversionem probantur. Quartus vero per solam impossibilitatem. At vero primus et secun- B dæ figuræ secundus modus in secundum prioris figuræ modum resolvuntur, et resolvitur primus sic. Conversa enim prima universali negatione universaliter, et manente secunda universali affirmatione, eadem conclusio utrorumque nascitur.

Primus secundæ.

Nullum bonum malum est	conversa	Nullum malum bonum est.
Omne justum bonum est	eadem	Omne justum bonum est.
Nullum justum malum est	eadem	Nullum justum malum est.

Secundæ figuræ secundus modus in primæ figuræ secundum modum resolvitur sic : conversa secunda propositione, et secunda prima manente, universaliter fit conversa conclusio.

Nulllum bonum malum est	X net	Omne justum bonum est.
Omne justum bonum est ma-	conversa	Nullum malum bonum est.
Nullum justum malum est	conversa	Nullum malum justum est.

Tertius vero secundæ figuræ modus, de quarto primæ figuræ procreatur. Ut enim universaliter negatio in primam propositionem universaliter convertatur, et secundæ propositiones maneant idem syllogismi terminus propositioque colligitur hoc modo :

Nullum bonum malum est	conversa	Nullum malum bonum est.
Quoddam justum bonum est	similis	Quoddam justum bonum est.
Quoddam justum malum non est	eadem	Quoddam justum malum non est.

Quartus modus secundæ figuræ quoniam jam primo, cum factus est per conversionem, in superioris primæ figuræ modum retorqueri non poterat, sed per impossibile demonstratum est, hic quoque per impossibile ad superiores reducitur modos, et quoniam omnes secundæ figuræ modi per impossibile monstrantur, idcirco nos quoque inchoantes a quarto omnes per impossibile resolvamus. Nam quartus secundæ figuræ modus in primum primæ figuræ resolvitur per impossibilitatem, tertius in secundum, secundus in tertium, primus in quartum, quod hoc modo liquebit. Si quis ergo duas istas concesserit propositiones, id est, omne bonum virtus est, et quoddam justum virtus non est, necesse est quoque conclusionem concedat quæ est, quoddam igitur justum bonum non est. Nam si hæc falsa est, erit ei contrajacens vera quæ est, omne justum bonum est, sed illam concessit quæ est prima quarti modi, id est, C omne bonum virtus est. Ex his igitur concludat, omne igitur justum virtus est. Sed prius concessit quarti modi secundum propositionem, quæ est, quoddam justum virtus non est. Nunc vero concedit omne justum virtus est, duas sibi contrajacentes simul conclusurus est, quod fieri non potest. Hoc autem idcirco evenit, quia conclusio quarti modi in primi modi secundam propositionem conversa est : quod si secunda propositio primi modi in quarti conclusione non colligitur, quarti conclusio, id est particularis negatio, permanebit. Sed ne forte nos conturbet quod alios terminos in resolvendo modo posuimus, quam superius in disponendo ; non enim modo in terminis laboramus, sed in figuris et modis et complexionibus construendis atque resolvendis operam consumimus. Eodem modo et cæteri secundæ figu- D in primos quatuor resolvuntur.

Omne bonum virtus est
Quoddam justum virtus non est
Quoddam igitur justum bonum non est

eadem	Omne bonum virtus est.
	Omne justum bonum est.
	Omne igitur justum virtus est.

Tertus secundæ figuræ modus secundo primæ figuræ modo sic resolvitur : si quis duas primas tertii modi concesserit, particularem quoque negationem concludet, quæ est, quoddam igitur justum bonum

non est. Nam si hæc falsa est vera erit contrajacens. A nunc vero nullum justum malum est, duas sibi quæ est, omne justum bonum est. Sed etiam illa concessa est, quæ est, nullum bonum malum est. Ex his ergo colligitur, nullum igitur justum malum est. Sed prius concessa erat, quoddam justum malum est, contrajacentes, uno tempore concedit, quod fieri non potest. Sublata igitur universali conclusione, quæ est, omne justum bonum est, remanebit particularis negatio, quæ est, quoddam justum bonum non est.

Nullum bonum malum est	concessæ	Nullum bonum malum est.
Quoddam justum malum est	contrajac.	Omne justum bonum est.
Quoddam igitur justum bonum non est,	permut. contrajac.	Nullum ergo justum malum est.

Secundus secundæ figuræ in tertio primæ figuræ modo sic resolvitur : si quis duas secundæ figuræ propositiones concesserit, conclusionem quoque concedit, quæ est, igitur justum bonum est. Nam si hæc falsa est, erit vera contrajacens ei particularis affirmatio, quoddam justum bonum est. Sed idem concessit illam quæ est, omne bonum virtus est, concludat necesse est, quoddam justum virtus est, qui jam ante concesserat secundam secundi modi quæ est, nullum justum virtus est, duas contrajacentes uno tempore concedit, quod fieri non potest.

Omne bonum virtus est	concessæ	Omne bonum virtus est
Nullum justum virtus est, contra-	X	contrajacen. Quoddam justum bonum est.
Nullum justum bonum est, permut.		jacen. Quoddam justum virtus est.

Primus item secundæ figuræ in quartum primæ figuræ sic resolvitur : qui concedit duas primi modi propositiones, concedat necesse est et conclusionem. Nam si illa falsa est, erit vera contrajacens ei particularis affirmativa quæ est, quiddam justum bonum est. Sed idem concessit illam quæ est, nullum bonum malum est, concludat necesse est, quoddam justum malum non est, qui ante concesserat illam quæ est, omne justum malum est. Uno tempore duas contrajacentes concedit, quod fieri non potest. Sublata igitur particulari affirmatione quæ est, quoddam justum bonum est, remanet illa quæ est, nullum justum bonum est.

Nullum bonum malum est	similes	Nullum bonum malum est.
Omne justum malum est, contra,	X	contrajacen. Quoddam justum bonum est.
Nullum justum bonum est, permut.		jacen. Quoddam igitur just. malum non est

Sequitur ut tertiæ figuræ modos ad primos quatuor reducamus, quorum quinque per conversionem et per impossibilitatem ad primos quatuor resolvuntur unus vero solus, id est quintus, per solam impossibilitatem in priora resolvitur. Primus tertiæ modus figuræ in tertium primæ figuræ hoc modo resolvitur : Si enim prima propositio tertii modi primæ figuræ maneat, et secunda propositio particularis tertii modi primæ figuræ universaliter convertatur, et sit secunda propositio primi modi tertiæ figuræ, eadem conclusio colligitur, id est affirmatio particularis.

Omne bonum justum est	manet	Omne bonum justum est.
Quædam virtus bona est	conversa	Omne bonum virtus est.
Quædam virtus justa est	manet	Quædam virtus justa est.

Vel certe sic, quia superius talem syllogismum dixi- C lem non putat.
mus terminis commutatis, quem Aristoteles dissimi

Omne bonum virtus est	similes	Omne bonum virtus est.
Quoddam justum bonum est	conversa	Omne bonum justum est.
Quoddam justum virtus est	manet	Quoddam justum virtus est.

Secundus modus tertiæ figuræ in quartum modum primæ figuræ hoc modo resolvitur. Si enim primæ propositiones secundi tertiæ figuræ modi, et quarti modi primæ figuræ maneant, quarti vero modi primæ figuræ secunda propositio universaliter convertatur, et secunda sit propositio secundi modi tertiæ figuræ, eadem conclusio procreatur.

Nullum bonum malum est	manet	Nullum bonum malum est.
Quoddam justum bonum est	versa universaliter	Omne bonum justum est.
Quoddam justum malum non est	manet	Quidam justum malum non est.

Tertius modus tertiæ figuræ in tertium modum pri- D tertii modi primæ figuræ particularis particulariter
mæ figuræ resolvitur. Si enim propositio prima tertii primæ figuræ modi, et secunda propositio tertii modi tertiæ figuræ maneat, et secunda propositio convertatur, et sit prima tertii modi tertiæ figuræ, conversa particulariter conclusio nascitur.

Omne bonum virtus est		Quoddam bonum justum est.
Quoddam justum bonum est	X	Omne bonum virtus est.
Quoddam justum virtus est, versa partic.		Quædam virtus justa est.

Quartus modus tertiæ figuræ in tertium modum primæ figuræ resolvitur : si enim utrorumque primæ maneant propositiones, et secundæ particulares particulariter convertantur, eædem conclusiones nascuntur.

Omne bonum virtus est manet
Quoddam justum bonum est vertitur
Quoddam justum virtus est manet

Reliquus sextus syllogismus tertiæ figuræ de primæ figuræ quarto modo procreatur; manentibus enim pri-

Nullum bonum malum est eadem
Quoddam justum bonum est mutata
Quoddam justum malum non est manet

Quintus autem qui restat, sicut ante per impossibile probatur, ita etiam nunc per impossibilitatem resolvitur. Sed quemadmodum unus fuerit resolutus, eodem ordine omnes resolvendi sunt. Resolvitur autem sextus tertiæ figuræ modus in tertium primæ figuræ modum. Quintus autem tertiæ figuræ modus resolvitur in primum primæ figuræ. Quartus tertiæ figuræ modus resolvitur in quartum primæ figuræ modum. Tertius tertiæ figuræ modus resolvitur in secundum primæ figuræ modum. Secundus tertiæ figuræ modus resolvitur in primum primæ figuræ modum. Primæ tertiæ figuræ modi resolvuntur in secundos primæ figuræ modos. Resolvitur autem per impossibilitatem sextus tertiæ

Nullum bonum malum est contra-
Quoddam bonum justum est concessæ X
Quoddam justum malum est permut.

Hoc modo omnes cæteri modi tertiæ figuræ in primos modos primæ figuræ referuntur, quod subjecta descriptio declarat, in quia prior quintus, qui per

Quoddam bonum malum non est, contra-
Omne bonum justum est concessæ X
Quoddam justum malum non est permut.
Omne bonum virtus est contra-
Quoddam bonum justum est concessæ X
Quoddam justum virtus est permut.
Quoddam bonum justum est contra-
Omne bonum virtus est concessæ X
Quædam virtus just. est permut.

In resolutione modi secundi tertiæ figuræ in primum modum primæ figuræ, hæc impossibilitas evenit, quod duas contrarias uno tempore concedit, quod

Nullum bonum malum est contra-
Omne bonum justum est concessæ
Quoddam justum malum non est permut.

Et in sequenti quoque syllogismo duas concedit, quod impossibile est.

Omne bonum justum est contra-
Omne bonum virtus est concessæ X
Quædam virtus justa est permut.

Nec nos illud turbet, quod in quibusdam contraria propositio et conclusio invenitur, in quibusdam vero contrajacens. Namque æqualiter peccavit tam qui utrasque contrarias concesserit, quam si utrasque

Omne bonum virtus est contra-
Omne bonum justum est concessæ
Quoddam justum virtus est permut.

Hæc de Categoricorum Syllogismorum introductione, Aristotelem plurimum sequens, et aliqua de Theophrasto et Porphyrio mutuatus, quantum parcitas introducendi permisit, expressi. Si qua vero desint

A

Omne bonum virtus est.
Quoddam bonum justum est.
Quoddam justum virtus est.

mis eorum propositionibus atque secundis particulariter immutatis particulis in utroque manebit concluso.

Nullum bonum malum est.
Quoddam bonum justum est.
Quoddam bonum justum est.

figuræ modus in primæ figuræ modum tertium hoc modo: si quis igitur duas proportiones sexti modi tertiæ figuræ concesserit, concedat etiam necesse est conclusionem quæ est, quoddam justum malum non est. Nam si hæc falsa est, erit vera contrajacens ei primæ figuræ tertii modi prima propositio quæ est, omne justum malum est. Sed etiam concessit

B

propositionem secundam, quæ est, quoddam bonum justum est. Ex his igitur concedat necesse est, quoddam bonum malum est, qui ante concesserat primam propositionem sexti modi tertiæ figuræ quæ est, nullum bonum malum est. Uno tempore duas sibi contrajacentes concedit, quod fieri non posse descriptio declarat.

contrajac. Omne justum malum est.
Quoddam bonum justum est.
jacen. Quoddam bonum malum est.

conversionem resolvi non potuit, per impossibilitatem resolutus est.

contrajac. Omne justum malum est.
in utrisque Omne bonum justum est.
C jacen. Omne bonum malum est.
contrajac. Nullum justum virtus est.
in utrisque. Quoddam bonum justum est.
jacen Nullum bonum virtus est.
contrajac. Nulla virtus justa est.
in utrisque. Omne bonum virtus est.
jacen. Nullum bonum justum est.

fieri nequit. Numquam enim duæ contrariæ uno tempore simul veræ inveniuntur.

contrajac. Omne justum malum est.
in utrisque. Omne bonum justum est.
riæ. Nullum bonum justum est.

D

contrajac. Nulla virtus justus est.
in utrisque. Omne bonum virtus est.
riæ. Nullum bonum justum est.

contrajacentes. Nam quo modo contrajacentes uno tempore veræ esse non possunt unquam, sic etiam contrariæ.

contrajac. Nullum justum virtus est.
in utrisque. Omne bonum justum est.
riæ. Nullum bonum virtus est.

in Analyticis nostris calcatius exprimemus. Nunc vero quantum ad solam Categoricorum Syllogismorum formam spectabat, perfectum hic nobis est, et ad cumulum introductionis elaboratum. Nec hoc nos per-

turbet, si quæ hic propositiones et conclusiones falsæ sunt, quandoquidem non veritates rerum, sed connexiones syllogismorum figuras et modos suscepimus disserendos. Nam his cognitis, si quos ad perfectum A studium logicæ disciplinæ disputationis subtibilitas traxerit, prius de ambiguis disputationibus discant, post ab his veritas in rebus mendaciumque meditabitur.

AN. MANL. SEV. BOETII
DE SYLLOGISMO HYPOTHETICO
LIBRI DUO.

LIBER PRIMUS.

Cum in omnibus philosophiæ disciplinis ediscendis atque tractandis summum vitæ positum solamen existimem, tum jocundius, et veluti cum quodam fructu etiam laboris arripio quæ tecum communicanda compono. Nam et si ipsa speculatio veritatis sua quidam specie sectanda est, fit tamen amabilior cum in commune deducitur. Nullum enim bonum est quod non pulchrius elucescat, si plurimorum notitia B comprobetur. Nam quod alias taciturnitate compressum, jam jamque silentio periturum, latius efflorescit, et oblivionis interitu scientium participatione defenditur, fit quoque jocundior disciplina, cum inter ejusdem sapientiæ conscios jubet esse sapientem : quod si accedat (ut tecum mihi nunc res est) ea quæ sponte jocunda sunt in amicitiæ participationem deduci, necesse est studii suavitatem quodam veluti dulcissimo caritatis sapore condiri. Nam cum id in se obtinet amicitia proprium munus, ut nolit habere solitarias cogitationes, tunc quod honeste quisque cogitat, nulli promptius, nisi quem diligit, confitetur. Quo factum est ut etiam si immensus labor cœpto operi viam negabat, animus tamen ad efficiendum quod aggressus fuerat tui contemplatione C sufficeret. Quid enim magnum studiosus tui amor efficeret, si intra facilitatis terminos constitisset ? Quod igitur apud scriptores quidem Græcos perquam rarissimos strictim atque confuse, apud Latinos vero nullos reperi, id tuæ scientiæ dedicatum, noster etsi diuturnus, cœpti tamen efficax labor excoluit. Nam cum categoricorum syllogismorum amplissime notitiam percepisses, de hypotheticis syllogismis sæpe quærebas, in quibus ab Aristotele nihil est conscriptum. Teophrastus vero, vir omnis doctrinæ capax, rerum tantum summas exsequitur. Eudemus latiorem docendi graditur viam, sed ita ut veluti quædam seminaria sparsisse, nullum tamen frugis videatur extulisse proventum. Vos igitur, quantum ingenii viribus et amicitiæ tuæ studio suffecimus, quæ ab illis vel dicta breviter, vel funditus omissa sunt, D elucidanda diligenter et subtiliter persequenda suscepimus, in qua re superatæ difficultatis præmium vero, si tibi munus implesse videar amicitiæ, etsi non videar satisfecisse doctrinæ. Omnis syllogismus certis et convenienter positis propositionibus continetur. Propositio vero omnis aut categorica est quæ prædicativa dicitur, aut hypothetica quæ conditionalis vocatur ; prædicativa est in qua aliud prædicatur de alio, hoc modo : homo animal est, hic enim animal de homine prædicatum est ; hypothetica est quæ cum quadam conditione denuntiat esse aliquid si fuerit aliud, veluti cum ita dicimus : si dies est, lux est. Hypotheticæ autem propositiones ex categoricis constant, ut paulo posterius apperebit, quo fit ut syllogismus qui ex categoricis propositionibus junctus est categoricus appelletur, id est prædicativus quidem, qui vero ex hypotheticis propositionibus constat, dicatur hypotheticus, id est conditionalis. Ut ergo horum syllogismorum differentia pervideatur, spectanda prius est eorum in propositionum natura discretio ; videtur enim in aliquibus propositionibus nihil differre prædicativa propositio a conditionali, nisi tantum quodam orationis modo ; velut si quis ita proponat, homo animal est, id ita si rursus enuntiet, si homo est, animal est : hæc propositiones orationis quodammodo diversæ sunt, rem vero non videntur significasse diversam. Primum igitur dicendum est quod prædicativa propositio vim suam non in conditione, sed in sola prædicatione constituit, in conditionali vero consequentiæ ratio ex conditione suscipitur. Rursus prædicativa simplex est propositio, conditionalis vero esse non poterit, nisi ex prædicativis propositionibus conjungatur, ut cum dicimus : si dies est, lux est ; dies est, atque lux est, duæ sunt propositiones prædicativæ, id est simplices ; ad hoc illud est, quo maxime declaratur utrorumque proprietas, quod prædicativa quidem propositio habet unum subjectum terminum, alterum prædicatum. Et id quod in prædicativa propositione subjicitur, illius suscipere videtur nomen quod in eadem propositione prædicatur hoc modo, ut cum dicimus, homo animal est, homo subjectum est, animal prædicatum, et homo animalis suscipit nomen, cum ipse homo animal esse proponitur. At in his propositionibus quæ conditionales dicuntur non idem prædicationis est modus. Neque enim omnino alterum de altero prædicatur, sed id tantum dicitur esse alterum, si alterum

fuerit,veluti cum dicimus:si peperit,cum viro concubuit, non enim tunc dicitur ipsum peperisse id esse quod est cum viro concumbere,sed id tantum proponitur quod partus nunquam esse potuisset nisi fuisset cum viro concubitus;quod si quando in una eademque propositionum proprietas incurrerit,tunc secundum modum enuntiatæ propositionis intelligendi ratio variabitur hoc modo.Nam cum dicimus, homo animal est,propositionem facimus prædicativam ; ac si ita proponamus,si homo est,anima est, in conditionalem vertitur enuntiationem. In prædicativo igitur id spectabimus quod ipse homo animal sit, id est nomen animalis in se suscipiat. In conditionali vero illud intelligimus,quod si fuerit aliqua res quæ homo esse dicatur,necesse sit aliquam rem esse quæ animal nuncupetur.Itaque propositio prædicativa rem quam subjicit prædicatæ rei suscipere nomen declarat. Conditionalis vero propositionis hæc sententia,est,ut ita demum sit aliquid,si fuerit alterum,etiamsi neutrum alterius nomen suscipiat. Ita igitur propositionibus disgregatis ex enuntiationum proprietate syllogismi quoque vocabulum perceperunt,ut alii dicantur prædicativi alii conditionales. Nam in quibus propositiones prædicativæ sunt,eos prædicativos syllogismos vocamus. In quibus vero hypothetica propositio prima est (potest namque et assumptio et conclusio esse prædicativa),hi tantum per unius hypotheticæ propotionis naturam hypothetici et conditionales dicuntur.Ac de simplicibus quidem, id est de prædicativis syllogismis duobus libellis explicuimus, quos de eorum constitutione confecimus. Post vero simplicium, syllogismorum disputationem ordo est ut de non simplicibus disseramus.Non simplices vero syllogismi sunt qui hypothetici dicuntur, quos Latino nomine conditionales vocamus. Non simplices autem dicuntur, quoniam ex simplicibus constant, atque in eosdem ultimos resolvuntur, cum præsertim primæ eorum propositiones vim propriæ consequentiæ ex categoricis,id est ex simplicibus,capiant syllogismis,namque prima propositio hypothetici syllogismi,si dubitetur an vera sit, prædicativa conclusione demonstrabitur. Assumptio vero in pluribus modis talium syllogismorum prædicativa esse perspicitur, itemque conclusio,veluti cum dicimus,si dies est, lucet;Atqui dies est, hæc assumptio prædicativa est, si quæratur, prædicativo probabitur syllogismo, lucet; igitur consecuta est rursus prædicativa conclusio: super hæc omnis conditionalis propositio ex prædicativis (ut dictum est) jungitur. Quod si ex his et fidem capiunt,et ordinem partium sortiuntur,necesse est categoricos syllogismos hypotheticis vim conclusionis ministrare. Sed quoniam de hypotheticis loquimur, quid significet hypothesis prædicendum est: hypothesis namque,unde hypothetici syllogismi accepere vocabulum,duobus (ut Eudemo placet) modis dicitur:aut enim tale acquiritur aliquid per quamdam inter se consentiendum conditionem,quod fieri nullo modo possit ut ad suum terminum ratio perducatur: aut in conditione posita consequentia vi conjunctionis vel disjunctionis ostenditur.Ac prioris quidem propositionis exemplum est,veluti cum res omnes corporales materiæ formæque concursu subsistere demonstraremus.Tunc enim,quod per rerum naturam fieri non potest,ponimus id omnem formæ naturam a subjecta materia, si non re,saltem cogitatione separamus;et quoniam nihil ex rebus corporeis reliquum fit, demonstratum atque ostensum putamus eisdem convenientibus corporalium rerum substantiam confici,quibus a se disjunctis ac discedentibus interimatur. In hoc igitur exemplo posita consentiendi conditione, ut id paulisper fieri intelligatur quod fieri non potest, ut formæ a materia separentur, quid consequatur intendimus, perire scilicet corpora, ut eadem ex iisdem consistere comprobemus. Nam quoniam interitus corporalium rerum sequitur, jure dicimus res omnes corporeas forma materiaque consistere.Sed hujusmodi propositiones quæ ex consentientum conditione proveniunt,nihil his differunt quas simplices categoricæ institutionis primi libri tractatus ostendit;quæ vero a simplicibus differunt illæ sunt, quando aliquid dicitur esse vel non esse, si quid fuerit vel non fuerit. Hæ semper cum conjunctionibus proponuntur,ut cum dicimus, si homo est, animal est,si ternarius est, impar est, vel cætera hujusmodi ; hæc enim ita proponuntur, ut si quodlibet illud fuerit, aliud consequatur ; vel cum dicimus, si homo est, equus non est, rursus hic eodem modo proponitur in negatione,quo superius in affirmatione proponebatur;hic enim dicitur, si hoc est,illud non est;et ad hunc modum cæteræ. Possunt autem aliquando etiam hoc enuntiari modo, cum hoc sit,illud est,veluti cum dicimus,cum homo est, animal est, vel cum homo est, equus non est; quæ enuntiatio propositionis ejusdem potestatis est cujus ea quæ hoc modo proponitur,si homo est,animal est,si homo est,equus non est. Fiunt vero propositiones hypotheticæ etiam per disjunctionem ita, aut hoc est, aut illud est. Nec eadem videri debet hæc propositio quæ superius sic enuntiatur,si hoc est,illud non est.Hæc enim non est per disjunctionem,sed per negationem.Negatio vero omnis indefinita est,atque ideo et in contrariis,et in contrariorum medietatibus,et in disperatis fieri potest.Disperata autem ea voco quæ tantum a se diversa sunt, nulla contrarietate pugnantia, veluti terra, vestis, ignis,et cætera.Nam si album est,nigrum non est; si album est,rubrum non est;si disciplina est,homo non est.At in ea quæ per disjunctionem fit,alteram semper poni necesse est hoc modo,aut dies,aut nox; quod si ea cuncta quæ per negationem dici convenit ad disjunctionem transferamus,ratio non procedit. Quid enim si quis dicat,aut album est,aut nigrum, aut album est, aut rubrum, aut disciplina est, aut homo? fieri enim potest ut nihil sit horum.Igitur quoniam per disjunctionem propositio in certis tantum rebus in quibus alterum eorum evenire necesse est ponitur,hoc autem per negationem separatio in

omnibus etiam his quæ suam etiam invicem naturam non perimunt poni potest, aperta ratione discreta est. Omnis igitur hypothetica propositio vel per connexionem fit (per connexionem vero illum quoque modum qui per negationem fit esse pronuntio), vel per disjunctionem; uterque enim modus ex simplicibus propositionibus comparatur. Simplices autem propositiones sunt quas prædicativas primo institutionis Categoricæ libro diximus. Hæc vero sunt cum aliquid de aliquo prædicatur, vel affirmando, vel negando, ut dies est, lux est. At si his media conditio interveniat, fiet, si dies est, lux est, fitque una hypothetica propositio ex duabus categoricis juncta. Sed quoniam omnis simplex propositio vel affirmativa, vel negativa est, quatuor modis per connexionem fieri hypotheticæ propositiones possunt, aut enim ex duabus affirmativis, aut ex duabus negativis, aut ex affirmativa et negativa, aut ex negativa et affirmativa. Harum omnium exempla subdenda sunt, quod id quod dicimus clarius innotescat. Ex duabus affirmativis, si dies est, lux est; ex duabus negativis, si non est animal, non est homo; ex affirmativa et negativa, si dies est, nox non est. Ex negativa et affirmativa, si dies non est, nox est. Sed quoniam dictum est idem significari si conjunctione et cum, quando in hypotheticis propositionibus ponitur, duobus modis conditionales fieri possunt: uno secundum accidens, altero ut habeant aliquam naturæ consequentiam. Secundum accidens hoc modo, ut cum dicimus, cum ignis calidus sit, cœlum rotundum est. Non enim quia ignis calidus est, cœlum rotundum est, sed id hæc propositio designat, quia quo tempore ignis calidus est, eodem tempore cœlum quoque rotundum est. Sunt autem aliæ quæ habent ad se consequentiam naturæ; harum quoque duplex modus est, unus cum necesse est consequi, ea tamen ipsa consequentia non per terminorum positionem fit; alius vero cum fit consequentia per terminorum positionem. Ac prioris quidem modi exemplum est, ut ita dicamus, cum homo sit, animal est, hæc enim consequentia inconcussa veritate est subnixa. Sed non idcirco animal est quia homo est, non enim idcirco genus est quia species est, sed fortasse a genere principium ducitur, magisque essentiæ causa ex universalibus trahi potest, ut idcirco sit homo quia animal est. Causa enim speciei genus est, at qui dicit: cum homo sit, animal est, rectam ac necessariam consequentiam facit; per terminorum vero positionem talis consequentia non procedit. Sunt autem aliæ hypotheticæ propositiones in quibus et consequentia necessaria reperietur, et ipsius consequentiæ causam terminorum positio facit hoc modo: si terræ fuerit objectus, defectio lunæ consequitur; hæc enim consequentia rara est, et idcirco defectio lunæ consequitur, quia terræ intervenit objectus. Istæ igitur sunt propositiones certæ atque utiles ad demonstrationem. Partimur autem propositiones hypotheticas in duas ac simplices propositiones, et primam quidem cui conjunctio proponitur præcedentem dicimus, secundam vero consequentem, ut in hac, si dies est, lux est, præcedentem dicimus eam quæ dicit, si dies est, consequentem vero partem, lux est. In disjunctivis vero propositionibus ordo enuntiandi præcedentem vel consequentem facit, ut aut dies est, aut nox est. Nam quæ prima proponitur præcedens, quæ posterior consequens appellatur. Ac de partibus quidem hypotheticarum propositionum ista sufficiunt. Illud nunc expediendum videtur, quod etiam ab Aristotele dicitur. Idem cum sit et non sit, non necesse est idem esse, veluti cum *a*, si idcirco necesse est esse *b*; idem *a* si non sit, non necesse est esse *b*, idcirco quoniam non est *a*. Ad hujusmodi vero rei demonstrationem impossibilitatis diffinitio præmittenda est, quæ est hujusmodi. Impossibile est quo posito aliquid falsum atque impossibile committatur eo nomine quod impossibile primitus propositum fuit. Sit igitur positum cum sit *a* esse *b*, id est hanc inter *a* et *b* esse consequentiam, ut si concessum fuerit esse *a*, necesse sit concedere esse *b*. Itaque proponatur si *a* est, *b* est, dico quia si *a* non fuerit, non necesse est esse *b*. Ac primum quæ sit propositionum consequentia consideremus. Si enim fuerit tale conjunctum, ut si sit *a*, etiam *b* esse necesse sit; si *b* non fuerit, etiam *a* non esse necesse est; quod ex tali demonstratione cognoscitur, si sit *a*, necesse sit esse *b*, dico quia si *b* non sit, *a* non erit. Ponitur enim non esse *b*, et sit si fieri potest *a*. Sed dictum est, si sit *a*, necessario concedi esse *b*. Cum sit igitur, *b*, non erit *b*. Nam quia ponimus non esse *b*, non erit *b*, quia vero ponimus esse *a*, erit *b*; erit igitur *b* ac non erit, quod fieri non potest. Impossibile est igitur non esse *b* et esse *a*. Et demonstratione quidem firma sic utimur. Exemplo vero id clarius innotescet: nam si est homo, est animal; si non est animal, non est homo. Non vero si homo non fuerit, animal non est, multa enim sunt animalia quæ homines non sunt. Itaque in consequentia propositionis conjunctæ, si est primum, secundum esse necesse est, si secundum non fuerit, non erit primum; at vero si primum non fuerit, non necesse est ut non sit secundum, nec vero necesse est ut sit, id enim demonstrandum esse dudum nobis propositum fuit. Sit enim *a*, idque cum fit necesse sit esse *b*, dico quia si non fuerit *a*, non necesse est esse *b*, nec id dico quoniam si non fuerit *a*, necesse est non esse *b*, sed tantum non necesse est esse *b*; nam quia paulo ante demonstratum est, si *b* non fuerit, necessario non esse *a*, si eumdem, *b*, terminum non esse contingerit, non erit *a*. Sed si cum non sit *a*, necesse est esse *b*, idem *b* ex necessitate erit, ac non erit. Nam quia *b* terminum non esse contingit, non erit. Quia vero si *a* non fuerit, *b* esse necesse erit, idem igitur *b* terminus erit ac non erit, quod est impossibile. Ex his igitur demonstratum esse arbitror, in consequentia hypothetica propositione, si sit primum consequi ut sit secundum; si non sit secundum, consequi ut non sit primum; si vero non sit primum, non consequi ut si vel non sit secundum. Nam et illud apparet, si sit secundum

non consequi ut sit vel non sit primum, ut in ea propositione quæ est, si homo est, animal est, si animal sit, non consequitur ut si homo vel non sit: quod si primum non sit, non consequitur ut necessario sit vel non sit secundum; velut in eadem propositione, si homo non fuerit, non necesse est ut aut sit animal, aut non sit. Ex omnibus igitur solæ duæ consequentiæ stabiles sunt et immutabiliter constant: si sit primum, ut consequatur ut sit secundum; si secundum non fuerit, necessario consequi ut non sit primum. His itaque determinatis, illud adjungam, quoniam cum omnis hypothetica propositio simplex non sit, atque ex aliis propositionibus conjungatur, sunt tamen hypothoticæ quædam quæ, si reliquis conditionalibus comparentur simplices existimentur. Omnis enim conditionalis propositio aut connexa est aut disjuncta; hæc vero quoniam ex prædicativis copulantur, in connexis propositionibus quatuor fieri necesse est hujus copulationis modos. Namque hypothetica propositio aut ex duabus simplicibus conjuncta est, et vocatur simplex hypothetica, ut hæc; si *a* est, *b* est, veluti cum dicimus, si homo est, animal est, homo enim est, et animal est, duæ sunt simplices propositiones; aut ex duabus hypotheticis copulatur, et dicitur composita, veluti cum dicimus, si cum *a* est, *b* est, cum sit *c*, est *d*, veluti cum tali propositione enuntiamus, si cum homo est, animal est, cum sit corpus erit substantia. Etenim si cum homo est, animal est, una est hypothetica; alia vero, cum sit corpus substantia est, ex quibus conjungitur una propositio quæ composita nuncupatur. Aut ex una simplici et ex una hypothetica copulatur, velut hæc: si *a* est cum sit *b*, est *c*, veluti cum dicimus, si homo est cum sit animal, est substantia. Namque homo est simplex propositio, cum sit animal esse substantiam, hypothetica ex ipsa consequentia conditionis ostenditur. Aut ex priore hypothetica et simplici posteriore committitur, ut cum dicimus: si cum sit *a*, est *b*, erit et *c*, veluti hoc modo, si cum sit homo, animal est et corpus, hypothetica namque est ea quæ proponit, si cum sit homo, animal est; simplex posterior quæ hanc hypotheticam propositionem sequitur, id est corpus esse: hæc quoque quoniam non ex simplicibus copulatæ sunt, compositæ dicuntur. Sed priores quidem quæ ex simplicibus propositionibus constant, et simplices hypotheticæ nuncupantur, in duobus terminis constitutæ sunt. Terminos autem nunc partes propositionis simplices quibus junguntur appello. Quæ vero compositæ hypotheticæ sunt, illæ quidem quæ ex duabus hypotheticis constant, quatuor terminis copulatæ sunt; illæ vero quæ ex hypothetica et simplici, vel ex simplici atque hypothetica conjunctæ sunt hæ tribus terminis conjunctæ sunt. Harum igitur quæ sunt hypotheticæ simplices vel compositæ differentiæ similitudinesque dicendæ sunt. Nam quæ ex simplicibus copulantur, si ad eas quæ ex hypotheticis duabus junctæ sunt comparentur, consequentia quidem eadem est, et proportio manet, tantum termini duplicantur. Nam quem locum in his propositionibus hypotheticis quæ ex simplicibus constant ipsæ simplices propositiones tenent, eumdem in his propositionibus quæ sunt hypotheticæ ex hypotheticis constantes, illæ conditiones tenent quibus illæ propositiones inter se junctæ et copulatæ esse dicuntur. Nam in hac propositione quæ dicit, si est *a*, est *b*, et in ea quæ dicit, si cum sit *a*, est *b*, cum sit *c*, est *d*, quem locum in ea propositione quæ ex duabus simplicibus continetur tenet, ea quæ prior est, si est *a*, eumdem locum tenet in ea propositione quæ ex duabus hypotheticis propositionibus copulatur, ea quæ prior est, si cum est *a*, est *b*. Hic namque duarum inter se propositionum conjunctionis conditione facta est consequentia. Itemque quam vim obtinet ex utrisque propositionibus copulatæ hypotheticæ sequens portio quæ infertur, id est esse *b*, eamdem vim obtinet propositione est hypotheticis juncta ea quæ sequitur, id est cum sit *c*, esse *d*; atque id tantum differt, quia cum in prima propositione ex simplicibus juncta propositio propositionem sequatur, in secunda propositione ex hypotheticis juncta conditio consequentiæ conditionis consequentiam comitatur. Nihil enim est aliud dicere si *a* est, *b* est, quam ei propositioni per quam dicimus esse *a* illam esse comite per quam *b* esse; prædicamus; et in ea propositione quæ ex hypotheticis inducta est cum dicimus, si cum sit *a*, est *b*, cum sit *c* esse *d*, illud dicitur, ei consequentiæ quæ inter *a* et *b* est, eam esse consequentiam comitem quæ est inter *c* et *d*, ita ut si sequetur, posito *a* esse *b*, consequatur sine dubio *c* posito esse *d*. At in his propositionibus quæ ex simplici et hypothetica consistunt, illa ratio est ut vel propositionem conditio consequentiæ sequatur, vel conditionem consequentiæ proposito comitetur. Nam cum dicimus, si est *a*, cum sit *b*, esse *c*, id intelligi volumus, ei propositioni per quam dicimus, si est *a*, consequi eam conditionem per quam dicimus, cum sit *b*, esse *c*, id est ut si est *a*, necesse sit *b* termino comitem esse *c* terminum: cum vero dicimus, si cum est *a*, *b* est, *c* esse, nihil aliud intelligi volumus, nisi duarum inter se consequentiam propositionum alterius propositionis consequi veritatem, ut si habeant inter se consequentiam *a* atque *b*, necesse sit hanc conditionem consequentiæ propositionis ejus per quam dicimus esse *c* consequi veritatem, id est, si necesse est *a* posito esse *b*, necesse sit etiam *c* esse. Similes igitur syllogismi fient earum propositionum quæ ex simplicibus et earum quæ non ex simplicibus utrisque junguntur. Earum vero quæ ex una simplici et ex altera hypothetica copulantur, diversi quidem a superioribus, ipsi tamen inter se similes fiunt; nec interest utrum prima hypothetica, secunda sit simplex, ante converso prima simplex secunda hypothetica ad syllogismorum modos, nisi forsitan ad ipsius tantum ordinis commutationem cum igitur demonstrata fuerit earum propositionum quæ ex simplicibus constat, ratio syllogismorum demonstrata videtur esse earum quoque propositionum quæ hypotheticis committun-

tur;et cum quarumlibet earum propositionum quæ ex simplici et hypothetica constant syllogismorum natura perspecta sit,etiam conversi ordinis propositionum natura quales faciat syllogismos ostenditur. Est etiam alia species propositionum in connexione positarum,quæ media quodammodo sit earum propositionum quæ ex hypotheticis simplicibusque junguntur,et earum quæ ex duabus hypotheticis copulantur.Nam si ad numerum respicias terminorum, quasi ex tribus terminis constant;et si ad conditionales animum referas,quasi ex duabus conditionalibus videntur esse compositæ:quæ medietas evenit idcirco quoniam unus in his terminis communis utrisque conditionalibus invenitur.Proponuntur vero hæ vel per primam figuram,vel per secundam,vel per tertiam. Per primam hoc modo : si est *a*, est *b*, et si est *b*,est *c*,igitur *b* in utrisque numeratur,et sunt quidem tres termini hi, *a* est, *b* est, *c* est, duæ vero conditionales hoc modo : si est *a*, est *b*, si est *b*,est *c*,namque *b* utrisque communis est: atque ideo inter propositiones quæ ex tribus terminis, et eas quæ ex quatuor componuntur mediæ sunt hujusmodi propositiones.Per secundam vero figuram proponitur hoc modo : si est *a*, est *b*, si non est *a*, est *c*. Per tertiam vero figuram sic : est *b*, est *a*, si est *c*,non est *a*.Ac de connexis quidem ista sufficiant. Disjunctivæ propositiones semper ex contrariis constant, ut hoc:aut est *a*, aut *b* est, altero enim posito alterum tollitur,et interempto altero ponitur alterum. Nam si est *a*, non est *b*.Si non est *a*, est *b* Eodem modo etiam si sit *b*,non erit *a*, si non est *b*,erit *a*.His igitur expeditis,ad connexas revertamur, in illis enim vel propositio propositionem, vel conditio conditionem,vel propositio conditionem, vel conditio propositionem sequitur. Dicendum est igitur quæ propositiones quarum propositionum consequentes esse videantur, quæ contrarietatis modo quam longissime a se differant,quæ vero oppositionis contradictione dissentiant.Simplicium namque, id est prædicativarum propositionum, aliæ præter modum proponuntur, aliæ cum modo ; præter modum sunt quæcunque purum esse significant hoc modo, dies est, Socrates philosophus est, et quæ similiter proponuntur.Quæ vero cum modo sunt,ita proponuntur : Socrates vere philosophus est. Hic enim vere modus est propositionis : sed maximas syllogismorum faciunt differentias hæc propositiones cum modo enuntiatæ, quibus necessitatis aut possibilitatis nomen adjungitur necessitatis hoc modo,cum dicimus ignem necesse est calere; possibilitatis,ut cum ita proponimus,possibile est a Græcis superari Trojanos. Quo fit ut omnis propositio aut inesse significet,aut inesse necessario,aut cum non sit aliquid, tamen enuntiet posse contingere; quarum quidem ea quæ inesse significat simplex est, neque in nullas partes alias deduci potest. Ea vero quæ ex necessitate aliquid inesse designat, tribus dicitur modis:uno quidem quo ei similis est propositioni quæ inesse significat, ut cum dicimus, necesse est Socratem sedere, dum sedet. Hæc enim eamdem vim obtinet ei qui dicit, Socrates sedet. Alia vero necessitatis significatio est,cum hoc modo proponimus, hominem necesse est cor habere dum est atque vivit:hoc enim significare videtur hæc dictio, quoniam tandiu necesse sit habere quandiu habet,sed quoniam eum necesse est tandiu habere quandiu fuerit ille qui habet.Alia vero necessitatis significatio est universalis et propria, quo absolute prædicat necessitatem, ut cum dicimus, necesse est Deum esse immortalem,nulla conditione determinationis opposita. Possibile autem idem tribus dicitur modis : aut enim quod est possibile esse dicitur,ut possibile est Socratem sedere, dum sedet; aut quod omni tempore contingere potest, dum ea res permanet cui aliquid contingere posse proponitur,ut possibile est Socratem legere,quandiu enim Socrates est,potest legere; item possibiie est quod absolute omni tempere contingere potest, ut avem volare.Ex bis igitur apparet alias propositiones esse inesse significantes, alias necessarias, alias contingentes atque possibiles, quarum necessariarum contingentiumque cum sit trina partitio,singulæ ex iisdem partitionibus ad eas quæ inesse significant referuntur. Restant igitur duæ necessariæ et duæ contingentes,quæ cum ea quæ inesse significat enumeratæ,quinque omnes propositionum faciunt differentias.Omnium vero harum propositionum aliæ sunt affirmativæ, aliæ negativæ. Affirmativa inesse significans est quæ dicit,Socrates est.Negativa quæ proponit, Socrates non est. Necessarium vero propositionum affirmativarum duæ videntur esse negationes, una contraria, altera vero opposita. Ejus namque,quæ dicit necesse esse *a*,quolibet modo ex utrisque qui dicit, sunt, aut ea est negotio quæ dicit, necesse est non esse *a*, aut ea quæ dicit, non necesse est esse *a*. Quarum quidem ea quæ dicit, necesse est non esse *a*, contraria est ei quæ dicit, necesse est esse *a*.Utræque enim falsæ poterunt inveniri, veluti cum dicimus, necesse est Socratem legere, necesse est Socratem non legere, utraque mentitur.Nam et cum legit,non ex necessitate legit, et cum non legit, nulla ne legat necessitate constringitur, sed est utrumque possibile. At vero ea quæ dicit, non necesse esse *a*,opposita est ei quæ proponit,necesse est esse *a*;una enim semper vera est,semper falsa altera reperitur.In contingentibus vero atque possibilibus eadem ratio est.huic enim quæ dicit,contingit esse *a*, tum ea videtur objecta quæ dicit,contingit non esse *a*, tum ea quæ proponit,non contingit esse *a*. Atque ea quidem quæ dicit, contingit non esse *a*, contingens negatio, nuncupatur, veraque esse potest cum ea affirmatione quæ dicit, contingit esse *a*, veluti cum dicimus, contingit sedere Socratem,contingit non sedere Socratem.Et hæc quidem non dicuntur esse contrariæ, quoniam simul veræ esse possunt.At vero oppositæ sunt quoties ipsum contingens negatur,ut si adversus eam quæ dicit, contingit esse *a*, ea opponatur

quæ dicit, non contingit esse *a*; id enim ista significat omnino non posse contingere. Quæ cum ita sint, cumque inesse significantes propositiones præter ullum dicuntur modum, his ad esse, juncto adverbio negativo, negatio plena perficitur. Quæ vero cum modo proponuntur si necessariæ sint et ad esse negatio jungatur, ut ea quæ dicit, necesse est non esse, fit necessaria negatio. Si vero ipsi necessario negatio præponatur, fit necessarii negatio affirmationi vehementer opposita, ut ea quæ dicit non necesse esse. Item in contingentibus si ad esse negatio præponatur, fit contingens negatio, ut ea quæ dicit, contingit non esse *a*. Si vero ipsi contingenti negatio jungatur fit contingentis negatio contingenti affirmationi vehementer opposita, ut ea quæ dicit, non contingit esse. Sed quoniam omnis propositio, aut universalis aut particularis aut indefinita aut singularis proponitur universalis hoc modo: Omnis homo legit, particularis sic: Quidam homo legit, singularis sic: Socrates legit, indefinita sic: Homo legit, necesse est ut sicut in Categoricorum Syllogismorum institutione monstratum est, illæ sibi maxime videantur oppositæ quæcunque vel universale affirmant, si particulariter denegatur, vel universale denegant, si particulariter affirmatur, et quæ singulares sunt, si illa quidem in affirmatione posita, illa vero in negatione. Quæ cum ita sint, si hæc eadem ratio ad contingentes et necessarias referatur, idem in necessariis et contingentibus invenitur, ut si quis dicat, omnem *a* terminum esse necesse est, aliusque negat dicens, non necesse est omnem *a* terminum esse, fecit oppositam negationem. Et si dicat aliquis, contingit omnem *a* terminum esse, idque aliquis neget, non contingit omnem *a* terminum esse, fecit oppositam negationem; in utrisque enim negatio et modum removet, et significationem universalitatis exstinguit. Atque hoc quidem in simplicibus et categoricis propositionibus evenire necesse est, de quarum natura diligentius persecuti sumus in his voluminibus, quæ in secundæ editionis expositione Περὶ ἑρμηνείας inscripsimus. Si quis igitur propositionum omnium conditionalium numerum inquirat, quæ erat ex categoricis poterit invenire; ac primum in connexis ex duabus simplicibus inquirendus est hoc modo. Nam quoniam propositio simplex hypothetica ex categoricis duabus jungitur, una earum vel inesse significabit, vel contingere esse simpliciter, vel necesse esse dupliciter; quod si sunt affirmativæ, quinquies, affirmativa enuntiatione proponuntur. Sed quoniam omnis affirmatio habet oppositam negationem, rursus quinquies negativa enuntiatio poterit pronuntiari. Erunt igitur in prima propositione, quæ una pars est hypotheticæ propositionis, in negatione et affirmatione constitutæ modorum propositiones decem. Secunda etiam propositio, quæ pars est hypotheticæ, totidem affirmationibus et negationibus proponi potest; erunt igitur ejus quoque enuntationes decem. Sed cum prima propositio secundæ propositioni quadam consequentia copuletur, ut una hypothetica fiat, omnes decem affirmativæ ac negativæ propositiones omnibus decem affirmativis negativisque propositionibus applicabuntur. Itaque complexæ centum omnes efficiunt propositiones, hæ quæ connexæ ex simplicibus conjunguntur. Secundum hunc vero modum potest propositionum numerus inveniri etiam in his propositionibus quæ ex categorica et hypothetica copulantur, vel quæ ex duabus conditionalibus fiunt. Nam quæ ex conditionali et categorica constant, vel quæ e diverso ex tribus categoricis junctæ sunt, quod si duarum inter se prædicativarum affirmatione vel negatione complexio vel esse, vel necessario vel contingenter esse, quinque modos centum efficit complexiones, quoniam tertia propositio affirmativa erit vel negativa, et si affirmativa quinque modis, vel inesse significans, vel necessario inesse dupliciter, vel contingenter inesse dupliciter. Itemque totidem negabitur modis simul non amplius quam decies proponetur. Quo fit ut tertia propositio cum duabus superioribus, centum inter se modis copulatis atque complexis, juncta atque commissa mille omnes faciat complexiones. Centum namque duarum propositionum modi cum decem modis tertiæ propositionis complicati mille perficiunt. Decies enim centum mille sunt. Rursus quoniam ex duabus hypotheticis juncta conditionalis quatuor categoricis copulatur, et duæ inter se primæ categoricæ centum complexionibus jungebantur, necesse est ut posteriores quoque duæ centum complexionibus connectantur; quod si centum superiorum propositionum categoricarum modi, centum posteriorum categoricarum modis complicentur, fient decem milia complexiones. In illis autem propositionibus quæ tribus variantur figuris, siquidem medius terminus similiter et in prima et in secunda hypothetica proponatur, mille erunt complexiones, ad earum similitudinem quæ ex tribus categoricis connectantur; tunc enim unus atque idem terminus in utrisque tres neque amplius faciet enuntiationes. Similiter vero in utrisque proponitur hoc modo: si est *a*, est *b*, si est *b*, est *c*, hic enim *b* terminus, et ad *a* terminum, et ad *c* positus est, inesse significans. Idem in necessariis et contingentibus intelligendum. At si ita proponatur: si est *a*, est *b*, et si necesse est esse *b*, est vel non est *c*, duæ propositiones conditionales, id est quatuor prædicativæ fiunt. Quo fit ut secundum eas quæ ex prædicativis quatuor connectuntur, decem millia faciant complexiones, atque hi numeri tam in prima quam in secunda vel tertia figura sunt inspiciendi. Et nos quidem quantus esse propositionum numerus posset, ascripsimus, nunquam tamen dissimiliter terminus medius enuntiatur; namque ut fiat extremorum conclusio, medius terminus intercedit, cujus communitas extrema conjungit. Quod si medius diversis modis in utraque propositione dicatur, nec connectuntur extrema, atque ideo ne syllogismus quidem fieri ullus potest, cum præsertim ne una quidem propositio dici possit in qua medius terminus dissimiliter enuntiatur. Longe autem multiplex

numerus propositionum existeret,si inesse significantes et necessarias et contingentes affirmativas negativasque propositiones per universales et particulares,vel oppositas,vel subalternas variaremus ; sed id non convenit, quia conditionalium termini propositionum infinito maxime enuntiantur modo. Atque ideo supervacuum judicavi determinatarum secundum quantitatem propositionum quærere multitudinem, cum determinate conditionales proponi non soleant; fere autem hypotheticæ propositiones nec per necessitatem quidem vel per contingens enuntiantur,sed illæ maxime in usum colloculionis ducuntur,quæ inesse significant.Omnes vero necessariam consequentiam tenere volunt,et quæ inesse significant, et quibus necessitas additur,et quibus prædicatio possibilitatis aptatur, etenim terminus applicatur.Necessitas vero hypotheticæ propositionis et ratio earum propositionum ex quibus junguntur inter se connexiones,consequentiam quærit, ut cum dico:Si Socrates sedet et vivit,neque sedere eum,neque vivere necesse est;sed si sedet, necesse est vivere. Item cum dicimus, sol movetur, necessario venit ad occasum,tantumdem significat quantum, si sol movetur, venit ad occasum. Necessitas enim propositionis in consequentiæ immutabilitate consistit.Item cum dicimus, si possibile est legi librum, possibile est ad tertium versum pervenire, rursus necessitas consequentiæ servata est;nam si possibile est legi librum,necesse est id possibile esse, ut ad tertium versum perveniatur.Opponuntur autem hypotheticis propositionibus, illæ solæ quæ earum substantiam perimunt.Substantia vero propositionum hypotheticarum in eo est,ut earum consequentiæ necessitas valeat permanere.Si quis ergo recte conditionali propositioni repugnabit,id efficiet ut earum destruat consequentiam, veluti cum ita dicimus,si est *a*,est *b*,non in ea repugnabit si monstret,aut non esse *a*,aut non esse *b*,sed posito quidem *a*, ostendit non statim consequi esse *b*, sed posse *a*, etiamsi *b* terminus non sit ; sed si negatio sit, conditionalis eodem destruetur modo, ut cum dicimus,si est *a*,*b* non est. Non ostendendum est,aut non esse *a*,aut *b* esse; sed cum sit *a*, posse esse *b* terminum.Sunt autem hypotheticæ propositiones,aliæ quidem affirmativæ,aliæ negativæ ; sed de his nunc loquor quæ in consequentia positæ in connexione esse dicuntur : affirmativa quidem, ut cum dicimus,si est *a*,est *b*, si *a* non est,non est *b* ; negativa, si est *a*, non est *b* ; si non est *a*, non est *b*.Ad consequentem enim propositionem respiciendum est,ut an affirmativa an negativa sit propositio judicetur.Idem de compositis propositionibus conditionalibus intelligi oportebit.De his autem propositionibus quæ in disjunctione sunt positæ,cum de earum syllogismis tractavero commodius atque uberius dicam. Hypotheticos syllogismos, quos Latine conditionales vocamus, alii quinque, alii quatuor, alii tribus constare partibus arbitrantur, quorum mox controversiam dijudicabo,si prius quibus nomi- A nibus talium partes syllogismorum appellentur ostendero.Quoniam enim omnis syllogismus ex propositionibus texitur, prima vel propositio, vel sumptum vocatur; secunda vero dicitur assumptio ; ex his quæ infertur, conclusio nuncupatur. Cum enim ita dicimus, si homo est, animal est, homo autem est, animal igitur est, ea quidem enuntiatio per quam dicimus, si homo est, animal est, propositio vel sumptum vocatur, ea vero quam huic adjunximus,est autem homo,assumptio dicitur,tertia conclusio nominatur,per quam ostendimus esse animal qui fuerit homo. Sed quoniam sæpe evenit ut propositiones enuntiatæ consequentia non sit verisimilis, propositioni sæpe adjungitur approbatio, per quam id quod est propositum verum esse monstretur.Assumptio quoque sæpe ad fidem per se non B videtur idonea,huic quoque juvamen probationis adjungitur, ut vera esse videatur. Quo fit ut sæpe quinque partes,sæpe quatuor, interdum tres hypotheticos syllogismos habere contingat.Nam quinque constabit partibus si et propositio et assumptio probationibus indigebunt;quod si sive propositio,sive assumptio probatione indigebit, quadripartitus est syllogismus,quod si neutra est approbanda,tripartitus esse relinquitur.In hac vero sententia etiam M. Tullius esse deprehenditur. In Rhetoricis enim syllogismos quosdam quinquepartitos esse, quadripartitos alios confirmat. Quibus vero talium syllogismorum non placet partes utra ternarium numerum propagari,hi propositionum probationes atque assumptionum non putant in syllogismi partibus esse C ponendas. Neque enim propositionem esse, de qua syllogismus potest existere,cui non sentit auditor. Quod si per se dubia est ea probatio quæ propositioni dubiæ adjungitur,faciens fidem eidem cui adjungitur propositioni,facit ut sit idonea syllogismo, ac per hoc tunc incipit esse syllogismi propositio, cum talis per probationem redditur,ut ex ea aliquid colligi possit;tunc vero aliquid ex ea colligi potest, cum probationis auxilio poterit ab auditore concedi. Quocirca membrum quoddam,et quasi fulcimentum dubiæ propositionis vel assumptionis probatio esse videtur,non pars etiam syllogismi; sed nostra sententia his potius accedit qui tribus partibus cum constare pronuntiant. Etenim quælibet probatio quæ vel probationi vel assumptioni copulatur, propositionis esse vel assumptionis probationis dicitur.Cum D igitur non ad syllogismum,sed ad propositionem vel assumptionem referatur, cujus est probatio, non oportet eam syllogismi proprie partem videri.Nam illud quod objici potest,nullus ignorat quin partium partes etiam totius esse partes dicantur.Sed plurimum refert utrum ipsæ sint primitus partes totius, aut in secundarum partium postremitate ponantur. Amplius,si sit per se nota probabilis propositio,totus syllogismus probatione non indiget.Quod si per se propositionis nulla fides est,necesse est ut ea propositio quoddam velut testimonio probationis indigeat.Non igitur syllogismus probatione in eo quod

ɜmus est indigebit,sed propositio,si fide pro- A ex conditione propositionis evenit, id enim fuerat
erit destituta. Idem etiam de assumptione propositum, ut si non esset *a* esset *b*; quod si con-
test.Quare manifestum est eorum esse sen- vertas et sumas esse *b*,id est quod consequitur,non
ı præponendam, quæ asserit syllogismum tri- necesse erit esse vel non esse id quod præcedit.Sed
·tibus tantum jungi.Præterea si quæ propo- hujus exemplum non potest inveniri eo quod si ita
·obationis indigeat,ut eam vera fides sequa- proponatur, ut cum non sit *a*, sit *b*,nihil esse me-
ɹuo demonstrabitur syllogismo.Quocirca qui dium videatur *a* atque *b*.Sed in his si alterum non
ıtest ut recte syllogismus pars syllogismi sim- fuerit,statim necesse est esse alterum,et si alterum
ɜse dicatur?Ipsam enim probationem propo- fuerit,statim necesse est alterum non esse; videtur
ı syllogismum vel ex syllogismo esse necesse· ergo quodammodo ex consequenti posito in his fieri
ita determinatis,de his protinus syllogismis syllogismos. Sed quantum ad rei naturam ita est,
ɑ propositiones in connexione positæ duobus quantum vero ad propositionis ipsius pertinet con-
ıs constant,explicandum videtur.Horum au- ditionem,minime consequitur.Quod quidem ex his
plex forma est,quatuor enim sunt per præ- patet quæ superius dicta sunt;in utrisque enim su-
s propositionis affirmationem,qui sunt primi perioribus modis,consequenti posito nihil ex neces-
etici atque perfecti,quatuor vero per sequen- B sitate collectum est,hic vero tertius modus,quantum
ationem,qui cum demonstratione indigeant, ad complexionem propositionum pertinet, in quo si
ɩentur esse perfecti. Prioris vero negatione id ponendo quod sequebatur assumitur,nullum effi-
entis positione nullus omnino syllogismus ef- cit syllogismum.Quantum vero ad rerum naturam,
Omnium igitur talium propositionum primum in quibus solis hæ propositiones enuntiari possunt,
ɑs explicetur, ut qui fiant ex his syllogismi, videtur esse necessaria consequentia hoc modo,ut si
ɑcquiratur agnitio. Sunt autem quatuor: si dies non est, nox sit,si nox sit, dies non sit ex ne-
ɜst *b*; si est *a*, non est *b*; si non est *a*, est *b*; cessitate consequitur,similesque sunt hi syllogismi
est *a*,non est *b*.Ac de prioribus quidem syl- his qui in disjunctione sunt constituti, de quibus
ɜ atque perfectis primo loco dicendum est. paulo posterius commemorabo,quorumque ad illos
enim primus modus est hic a prima veniens et differentias et similitudines dabo.Quartus modus
itione, si est *a*,est *b*. Atqui est *a*,est igitur *b;* est ex quarta propositione,cum ita proponitur,si *a*
ɪm prima propositio tantum conditionem pro- non est,*b* non est,atqui non est *a*,non est igitur *b*.
ut si sit *a*, necesse sit consequi essentiam *b* Rursus enim id quoque consequi ex propositione
ɯm, id assumptio quod præcedit assumit ac monstratur, quæ proposuit non fore *b*, si *a* prior
ɩicitque: Atqui est *a*, consequitur igitur ut C terminus non fuisset.At si id quod sequitur assuma-
enim ex consequentia primæ propositionis mus,nulla videtur fieri posse necessitas,veluti si ita
ɯ est.At si id quod sequitur assumendo po- dicamus,non est autem *b*,non necesse erit esse vel
, nullus efficitur syllogismus. Age enim sit non esse *a*.Age enim proponatur,si animal non est,
ıodi consequentia,ut si sit *a*,sit *b*,assumatur- non esse hominem,assumaturque,at non est homo,
od sequitur hoc modo: at est *b*, non conse- non necesse est ut vel sit, vel non sit animal. De-
ut si vel non sit *a*.Id vero clarius fiet exem- monstratum igitur est in hujusmodi syllogismis si id
. enim propositio, si homo est, animal est, quod præcedit ponendo assumitur,perfectos atque
ɑturque esse animal, scilicet quod sequitur, ex ipsis propositionibus probabiles, et necessarios
ɜcesse erit hominem vel esse vel non esse, fieri syllogismos;si vero id quod sequitur ponendo
enim cum sit alias hoc vel esse vel non esse. assumatur,nullam fieri necessitatem præter in ter-
lus vero modus est eorum in quibus prior pro- tio modo qui cum sit similis his syllogismis qui per
nis pars in assumptione repetitur,qui venit disjunctionen propositis enuntiationibus fiunt,videtur
ɳda propositione superius digesta,hoc modo, in rebus de quibus proponi potest servare ne-
ɪ, non est *b*; atqui est *a*, non est igitur *b*; id cessitatem,cum in complexione non servet,quod ex
ıropositum fuerat,si esset *a*,non esse *b*.Sum- cæteris tribus modis arguitur primo,secundo atque
tur præcedente, consequentis est facta con- D quarto,in quibus sumpta sequente ponendæ propo-
quod si consequens sumas, nullus videtur sitionis parte, nihil ex necessitate conficitur.Ac de
ɾllogismus,quia nec consequitur ulla necessi- his quidem syllogismis,qui duobus terminis jungun-
ɔ modo, si est *a*, non est *b*; atqui non est *b*, tur,quorum prima pars propositionis ponendo assu-
ɜcesse est esse *a*, vel non esse. Age enim ita mitur quantum ad institutionis pertinet modum,suf-
positio, si est nigrum, non est album, et id ficienter expressimus. Nunc vero dicendum est de
ɜequitur assumatur,atqui non est album,non his quorum consequens propositionis ita sumitur,ut
ɜ erit esse nigrum vel non esse,quia cum non perimatur. Ex his quoque quatuor fiunt modi,cum
ɯm,poterit aliquod esse medium. Tertius vero prior propositionis pars in assumptione non possit
ı est talium syllogismorum qui venit ex tertia interimi ut,ulla syllogismi necessitas consequatur.
ɜitione, quorum in assumptione ponitur id Est igitur primus modus talium syllogismorum a
præcedit hoc modo,si non est *a*, est *b*; atqui prima propositione veniens sic, si est *a*, est *b*, at
ɜt *a*, est igitur *b*; igitur hæc conclusio rursus non est *b*,non est igitur *a*;hic igitur *b* terminus,qui

in prima propositione consequens fuerat,in assumptione est interemptus,ut *a* terminus qui propositionis prima pars fuerat interimetur,eaque necessitas tali ratione probabitur,propositum namque est,si *a* sit, *b* esse; et assumptio facta est ut consequens pars propositionis interimeretur,id est non esse *b*. Dico quia consequitur non esse *a*,nam si potest esse *a*,cum non sit *b*,frustra erit prima propositio quæ ait, si *a* sit, *b* esse. Atqui ea propositio valet, cum igitur sit *a*, est *b*.Quod si cum non sit *b*,sit *a*,quod scilicet ex assumptione proponitur, idem *b* erit et non erit: non erit,quia *b* non esse proponit assumptio; erit autem, quia si est *a*,erit *b*,quod fieri non potest;non igitur si *b* non fuerit,erit *a*.Hic est ergo primus modus talium syllogismorum,qui ex interempta parte consequenti propositionis fiunt,qui non sunt perfecti neque ex se cogniti, sed indigent vel ejus quam superius proposui,vel alterius cujuslibet probationis,ut veri esse monstrentur.Quod si prima [pars]propositionis interimatur,non erit syllogismus; age enim ita dicamus, si est *a*, est *b*; atqui non est *a*,non sequitur ut sit vel non sit *b*; ut etiam demonstratur exemplo. Sit enim propositio, si homo est,animal est; sed homo non est, non necesse erit vel esse animal,vel non esse. Secundus modus per contradictionem assumptionis,qui a secunda propositione descendit,ille est cum ita proponimus,si est *a*,non est *b*;atqui *b* est,igitur *a* non est.Hic enim rursus secunda pars propositionis interempta,nam cum secunda pars propositionis *b* non esse diceret, si *a* fuisset assumptio,*b* esse pronuntiat. Affirmatio autem perimit negationem,quam per assumptionem consequitur, ut *a* non sit hoc modo.Sit enim propositio, si *a* est, *b* non est, et sit *b*. Dico quia non erit *a*, nam si erit *a*, cum sit *b*,idem *b* erit et non erit; non erit quidem ex prima propositione quæ dicit,si est *a*, non est *b*; erit autem per assumptionem,qua dicimus esse *b*. At si præcedens pars propositionis auferatur,non fiet ulla necessitas, Age enim in hujusmodi propositione, si *a* est, *b* non est, ita dicamus: atqui non est *a*,non consequitur ut sit vel non sit *b*.Id vero tali arguitur exemplo.Dicamus enim si nigrum est,album non est,assumamusque non esse nigrum, non statim consequitur ut vel album sit, vel non sit,potest enim esse aliquod mediorum.Tertius modus ille est ex tertia propositione deductus, cum ita proponimus, si *a* non est, *b* est, *b* autem, non est, *a* igitur est. Hic quoque consequens pars propositionis assumpta est, et cum in propositione affirmaretur,in assumptione negata est, et est rata consequentia,et perficiens syllogismum hoc modo: nam si verum est, cum non sit *a*, esse *b*, dico quia si *b* non sit, est *a*: nam si poterit, cum *b* non sit, non esse *a*, frustra est prima propositio,quæ dicit, cum non sit *a* esse *b*, eritque *b* ac non erit : non erit quidem ex ea assumptione quæ proponit non esse *b*; erit autem, quia, si *a* terminus esse negabitur,posito non esse *b* termino,cum non sit *a*,erit *b*, quod est impossibile. Non igitur potest fieri ut A cum non sit *b*,non sit *a*.Consequitur igitur,ut cum non sit *b*,sit *a*:quod si prior pars propositionis quæ præcedens est auferatur,nullus est syllogismus,hoc modo: cum enim dicemus, si *a* non est, esse *b*, si assumamus: atqui est *a*, nihil evenit necessarium ut vel sit *b*, non sit secundum ipsius complexionis naturam.Nam hic quoque,ut in his in quibus in assumptione secundus terminus ponebatur,dicendum est,secundum ipsius quidem complexionis naturam,nullum fieri syllogismum;secundum terminos vero in quibus solis dici potest, necesse est si *a* fuerit, *b* non esse, in contrariis enim tantum et in his immediatis,id est medium non habentibus,hæc sola propositio vere poterit prædicari, velut cum dicimus, si dies non est, nox est, sive non fuerit dies, nox erit, sive non fuerit nox, dies erit, sive B dies fuerit, nox non erit, sive nox fuerit, dies non erit. Quartus modus est horum syllogismorum ex quarta propositione descendens, cujus hæc prima propositio est, si non est *a*, non est *b*, est autem *b*, erit igitur *a*;hic quoque secunda pars propositionis assumpta est, et quoniam eadem negatione fuerat posita,affirmatione est interempta;affirmatio enim vim negationis interimit. Hic quoque eodem modo syllogismi necessitas continetur,nam si posito,cum non sit *a*, non esse *b*, sumatur esse *b*, dico quia consequens est etiam *a* esse.Nam si potest,cum sit *b*,non esse *a*,frustra est prima propositio, quæ,cum *a* non sit,*b* non esse pronuntiat;fiet igitur rursus ut idem *b* sit ac non sit.Ex assumptione namque erit *b*, ita enim dicitur, atqui *b* est. Si vero hoc posito C possit non esse *a*,rursus *b* non erit,quia prima propositio ait, si non sit *a*,non est *b*, quod est impossibile; quod si ea portio propositionis quæ præcedens est auferatur, nihil evenit necessarium. Age enim ita dicamus, si non est *a*,non est *b*, assumamusque, atqui est *a*, non consequitur ut *b* vel esse vel non esse necesario concludatur,ut in hoc syllogismo: si non est animal, non est homo, atqui est animal, non necesse est vel esse hominem vel non esse.Hi igitur quatuor syllogismi imperfecti dicuntur,idcirco quoniam per se non habent apertam atque perspicuam consequentiæ necessitatem, eaque illis ex probatione conficitur.Ut igitur breviter concludendum sit,in hypotheticis simplicibus syllogismis connexas habentibus propositiones, quoquo D modo factis,si quidem prima pars propositionis assumitur,si ea ponatur, fient quatuor syllogismi per se noti atque perfecti; si vero id quod consequitur assumatur, nulli est syllogismo necessitas, nisi in tertio tantummodo,qui non propter complexionis naturam, sed propter terminorum contrarietatem, in quibus solis dici potest,videtur conclusionis necessitatem tenere.Itaque si quid in assumptione ex his quæ in propositione sunt pronuntiata ponantur, quatuor vel quinque fieri necesse est syllogismos perfectos: quatuor, ubi prima pars propositionis, quinque vero, ubi secunda pars propositionis ponendo assumitur,si non ad complexionis naturam,

sed ad terminos aspiciamus. Si quid vero ex his in assumptione quæ prima propositio enuntiat, auferatur, si quæ est consequens pars propositionis auferatur, fient imperfecti et probatione indigentes quatuor syllogismi ; vero prior propositionis pars auferatur, nulla erit necessitas syllogismi, in tertio tantum modo ubi non facit necessitatem complexio, sed terminorum natura. Quocirca hic quoque quatuor vel quinque sunt syllogismi : quatuor quidem, si secunda pars propositionis fuerit interempta ; quintus vero, si eum non complexionis natura, sed terminorum proprietas metiatur. Quocirca si ex duobus terminis propositio prima constat, octo sunt vel decem, nec amplius syllogismi. Ac de his quidem conditionalibus syllogismis, quorum propositiones connexæ sunt, et ex duabus prædicativis simplicibus constant, sufficienter expeditum est, nunc de his syllogismis dicendum est, qui ex prædicativa et hypothetica, vel ex hypothetica prædicativaque connectuntur. Horum autem facile complexiones omnium syllogismorum apparebunt, si prius earum numerus exponatur. Sunt igitur priores quidem quæ ex prædicativa atque hypothetica connectuntur hæ :

Si sit *a*, cum sit *b*, est *c*.
Si sit *a*, cum sit *b*, non est *c*.
Si sit *a*, cum non sit *b*, est *c*.
Si sit *a*, cum non sit *b*, non est *c*.
Si non sit *a*, cum sit *b*, est *c*.
Si non sit *a*, cum sit *b*, non est *c*.
Si non sit *a*, cum non sit *b*, est *c*.
Si non sit *a*, cum non sit *b*, non est *c*.

Ac primum quæ sit earum natura, videtur esse tractandum. Neque enim quoque modo conditio ponatur, conditionalis propositio fiet, sed si illa consequentia propter positam evenit conditionem ; nam si quis ita dicat, si homo est, cum sit animal, animatum est, non videtur facere apposita conditio consequentiæ necessitatem ; nam etiam si non sit homo, nihilominus tamen, cum sit amimal, animatum est : at si ita ponatur, si sit homo, cum sit animatum, est animal, videtur consequentiæ ratio in conditione consistere. Neque enim necesse est, cum animatum sit, animal esse, nisi homo vel aliquid tale fuerit, quod animatum esse proponitur, tunc enim quod animatum est, animal esse necesse est, homo namque vel quodlibet aliud tale animatum est. Per singulas igitur propositiones eundum est, et spectanda est earum singularum natura hoc modo : Prima propositio per quam enuntiatur, si est *a* cum sit *b*, est *c*, talis esse debet, ut *b* quidem possit esse etiam præter *a*, si tamen *a* fuerit, *b* non esse non possit. Rursus idem *b* terminus possit esse etiam cum non est *c*, nec sit necesse ut *b* posito sit etiam *c*, sed tunc tantum necesse sit esse *c*, quando *b* terminus *a* terminum sequitur, ut si sit *a* homo, *b* animatum, *c* animal : animatum enim et præter hominem et præter animal esse potest. Si vero sit homo, animatum esse necesse est, et cum animatum hominis essentiam consequatur, consequitur in ipsum animatum sit animal. Item secundam propositionem, quæ ait, si est *a* cum sit *b*, non est *c*, hujusmodi esse oportebit, ut *b* quidem præter *a* esse possit, sed cum fuerit *a*, necesse sit esse etiam *b*. At vero *c* tale sit ut simul quidem cum *a* esse non possit, cum *b* vero esse possit, et non esse, sed tunc tantum cum *b* esse non possit, quando *b* terminus *a* terminum sequitur, ut sit *a* homo, *b* animatum, *c* insensibile. Namque animatum præter hominem esse potest ; at si homo sit, ut sit animatum necesse est, insensibile vero potest esse animatum et non esse. Sed tunc insensibile et animatum non conveniunt, cum idcirco est animatum, quia homo esse prædictus est. Tertia vero propositio *a* quidem terminum debet habere, qui nunquam simul esse possit cum *b* termino, *c* vero terminum talem esse oportebit, ut possit esse quidem et non esse, si non fuerit *b*, sed tunc tantum necesse sit esse *c* terminum, si *b* terminus non sit, si idcirco non est *b*, quoniam *a* terminus esse prædictus est, ut si sit *a* homo, *b* inanimatum, *c* sensibile. Nam si est homo, non est inanimatum, sensibile vero esse potest simul et non esse, cum inanimatum non sit. Possunt enim esse quædam quæ nec inanimata sunt, nec sensibilia, ut arbores. Idem tamen sensibile necesse est esse, cum non sit inanimatum, si idcirco inanimatum non est, quia homo esse prædictus est. Rursus quarta propositio hujus esse debet proprietatis, ut *b* quidem terminus nullo modo esse possit, si fuerit *a*, at vero *c* possit esse et non esse, si non fuerit *b*. Sed tunc tantum *c* cum non fuerit *b*, non esse necesse sit, si *b* terminus non sit, quia *a* terminus prius esse propositus est, ut si sit *a* homo, *b* inanimatum, *c* insensibile ; animatum enim non erit si fuerit homo ; insensibile vero potest esse et non esse, si non sit inanimatum. Tunc tantum insibile non esse necesse est, cum inanimatum non sit, cum idcirco inanimatum non est, quia homo esse prædictus est. Quinta quoque propositio tales habere terminos debet, ut *a* quidem si non sit, necesse sit esse *b*, si *b* terminus sit, possit et esse et non esse *c*. Tunc tantum *c* esse necesse sit, cum fuerit *b*, cum idcirco est *q*, quia *a* terminus esse negatus est, ut si sit *a* quidem animatum, *b* vero insensibile, *c* invitale. Igitur si non sit animatum, statim consequitur ut sit insensibile, invitale autem potest esse, si sit insensibile, ut lapis, potest vero non esse invitale, si sit insensile, ut sunt arbores. Sed tunc tantum, posito insensibili, consequitur ut invitale esse necesse sit, cum idcirco est insensibile, quia non est animatum. Sexta vero propositio tales habere terminos desiderat, ut *b* quidem esse necesse sit, si non fuerit *a*, at vero *c* terminus si sit *b*, vel esse vel non esse possit ; tunc tamen *c* non esse necesse sit, cum sit *b*, quando idcirco est *b*, quia *a* terminus non esse propositus est, veluti si sit *a* animatum, *b* insensibile, *c* vitale. Nam necesse est esse insensibile, si non fuerit animatum, cum vero sit insensibile, fieri quidem potest ut non vivat, veluti lapis, fieri autem potest ut vivat,

veluti arbor ; tunc tamen necesse est non vivere, cum sit insensibile,quando idcirco est insensibile, quia animatum non esse propositum est. Septimus modus talibus terminis debet esse contextus, ut *b* quidem sine *a* esse non possit, *c* autem si non sit, *b* esse et non esse possit; tunc tamen necesse sit *c* terminum esse, si non sit *b* cum idcirco *b* non esse positum sit, quoniam *a* fuerat denegatum. Si enim *a* quidem animatum, *b* vero sensibile, *c* invitale ; sensibile igitur esse non potest nisi fuerit animatum. Si igitur non sit animatum, non erit sensibile, si vero non sit sensibile, potest esse invitale, velut in lapidibus ;idem potest non esse, velut in arboribus ; tunc tamen sensibili denegatio invitale necesse est esse, cum idcirco non sit sensibile, quia animatum non esse positum est. Octava propositio his terminis connectenda est, ut *b* terminus esse non possit, si non fuerit *a*, cum vero non sit *b*, terminus *e* et non esse et esse possit. Sed tunc necesse sit *c* terminum non esse, cum non fuerit *b*, cum idcirco non sit *b*, quia *a* terminus prius esse negatus est, ut si sit *a* quidem animatum, *b* vero sensibile, *c* vitale, sensibile igitur esse non potest nisi fuerit animatum ; idem tamen sensibile si non sit, et esse et non esse vitale potest, non esse, ut lapides, esse vitale, ut arbores ; tunc tamen necesse est vitale non esse, si non sit sensibile, cum idcirco sensibile non est, quia prius animatum esse negatum est. Ex his igitur constat *c* terminum, quoquo modo fuerit *b*, in conditionalibus propositionibus, quæ in tota enuntiatione post prædicativas locantur, posse tam loco affirmationis quam negationis assumi, ex quibus assumptionibus fiunt complexiones variæ syllogismorum. His igitur ita expeditis, de omnibus in commune præcipiendum videtur;nam cum sint octo propositiones quæ ex prædicativa hypotheticaque nectuntur, quæ superius ascriptæ sunt, earum quatuor ita faciunt consequentiam, si *a* terminus sit ; quatuor vero ita conditionem proponunt, ut *a* terminus non sit. Fiunt vero ex his syllogismi hoc modo. Ex prima propositione, si est *a*, cum sit *b*, est *c* ; atqui est *a*, cum igitur sit *b*, est *c*, vel sic : atqui cum sit *b*, non est *c*, non est igitur *a*. Posse autem hujusmodi esse assumptionem ex superius descripta propositionum natura cognoscitur. Ex secunda propositione, si est *a* cum si *b*, non est *c* ; atqui est *a* cum igitur sit *b*, non est *c* ; vel ita : atqui cum sit *b*, est *c*, non est igitur *a*. Ex tertia, si est *a*, cum non sit *b*, est *c* ; atqui est *a*, cum igitur non sit *b*, non est *c* ; vel ita : atqui cum non sit *b*, non est *c*, non est igitur *a*. Ex quarta, si est *a*, cum non sit *b*, non est *c* ; atqui est *a*, cum igitur non sit *b*, est *c* ; vel ita : atqui cum non sit *b*, est *c*, non est igitur *a*. In his igitur quatuor propositionibus, in quibus *a* terminus esse proponitur, si assumptum fuerit eumdem *a* terminum esse *c* terminus vel esse vel non esse monstratur. Idem vero si *c* terminus assumatur, siquidem cum est non esse, vel cum non est esse assumatur, *a* terminus non esse monstrabitur. Ex quinta etiam propositione ita syllogismi fiunt, si non est *a* cum si *b*, est *c* ; atqui non est *a*, cum igitur sit *b*, est *c*; vel ita atqui est *a*, cum igitur sit *b*, non est *c*;vel ita : atqui cum sit *b*, non est *c*, est igitur *a* · vel sic : atqui cum sit *b*, est *c*, non igitur *a*. Quod idcirco evenit ut hujusmodi propositio quatuor colligat syllogismos, quia in his tantum si non sit aliquid, esse aliud proponi potest, in quibus contraria medietatibus carent; in his enim vel interempto altero alterum ponitur, vel posito altero, alterum necesse est perimatur. Ex sexta si non sit *a*, cum sit *b*, non est *c* ; atqui non est *a*, cum igitur sit *b*, non est *c*;vel ita:atqui cum sit *b*, est *c*, igitur est *a*. Ex septima, si non est *a*, cum non sit *b*, est *c* ; atqui non est *a*, cum igitur non sit *b*, est *c*;vel ita:atqui est *a*, cum igitur non sit *b*, non est *c* ; vel ita : atqui cum non sit *b*, non est *c*, est igitur *a*;vel ita:atqui cum non sit *b*, est *c*, non est igitur *a*. In hac quoque complexione propter eamdem causam quatuor collectiones fiunt. Ex octava, si non est *a*, cum sit *b*, non est *c* ; atqui non est *a*, cum igitur non sit, *b*, non est *c*;vel ita : atqui cum non sit *b*, est *c*, est igitur *a*. In his quatuor quoque propositionibus, si quidem *a* non est esse assumatur, *c* terminus vel esse vel non esse concluditur. Si vero *c* cum est non esse, vel cum non est esse assumatur, *a* terminus semper esse concluditur, nisi in quinto et septimo tantum modis, ubi cum *c* esse assumatur, *a* non esse monstratur. Omnium vero communis est ratio, præter quintum ac septimum modum, ut si *a* terminus ita assumatur, quomodo in prima enuntiatione propositus est, conditio quæ sequitur, in conclusione firmetur. Si vero conditio quæ sequitur contrario modo atque in enuntiatione proposita est, assumatur, categorica propositio, quæ prima est, interimatur. In septimo vero vel quinto modo quaque ratione assumptum alterum, in utrisque partibus faciet conclusionem. Itaque fiunt sedecim vel viginti potius syllogismi:octo quidem, si *a* terminus, ut est propositus, assumatur; octo vero, si *c* terminus, converso modo atque in propositione est positus, assumatur. Quatuor vero ex septimo et quinto modis utrobique facientibus conclusionem. Reliquis vero complexionibus nulla est consequentia necessitatis. Ut autem planior intellectus fieret, ipsas propositiones cum suis terminis positas annotavi, ut secundum prædictos assumptionum modos non ratione solum demonstratio fieret, verum etiam per exemplum currentibus doctrina clarior elucesceret.

Si est *a* homo, cum sit *b* animatum, est *c* animal

Si est *a* homo, cum sit *b* animatum, non est *c* insensibile.

Si est *a* homo, cum non sit *b* animatum, est *c* sensibile.

Si est *a* homo, cum non sit *b* animatum, non est *c* insensibile.

Si non est *a* animatum, cum sit *b* insensibile, est *c* invitale.

Si non est *a* animatum, cum sit *b* insensibile, non est *c* vivens.

Si non est *a* animatum, cum non sit *b* sensibile, est *c* invitale.

Si non est *a* animatum, cum non sit *b* sensibile, non est *c* vitale.

Expeditis igitur his syllogismis qui ex talibus propositionibus fiunt, quæ prima prædicativa, secunda hypothetica copulantur, nunc ad eos transitum faciamus, qui ex prima conditionali, secunda vero prædicativa nectuntur, quarum omnium numerus ponendus est, ut de quibus loquamur lector agnoscat.

Si cum sit *a*, est *b*, est *c*.
Si cum sit *a*, est *b*, non est *c*.
Si cum sit *a*, non est *b*, est *c*.
Si cum sit *a*, non est *b*, non est *c*.
Si cum non sit *a*, est *b*, est *c*.
Si cum non sit *a*, est *b*, non est *c*.
Si cum non sit *a*, non est *b*, est *c*.
Si cum non sit *a*, non est *b*, non *c*.

Prima igitur propositio tales habere terminos debet, ut *a* quidem possit esse præter *b* et *c*; sed tunc si *a* fuerit, *c* esse necesse sit, cum *a* terminum *b* terminus subsequatur, ut si sit *a* quidem animatum, *b* homo, *c* animal animatum namque et præter hominem et præter animal esse potest. Tunc vero id quod animatum est, esse animal necesse est, si id quod est animatum, homo est. Secunda propositio talibus terminis contexenda est, ut *a* quidem præter *b* atque *c*, et cum eisdem esse possit; tunc tamen necesse sit non esse *c* cum est *a*, si *a* posito *b* subsequatur, ut si *a* sit animatum, *b* homo, *c* equus. Animatum quippe, ut et homo, vel equus sit fieri potest. Tunc vero necesse est id quod animatum est, non esse equum, si id ipsum quod animatum est, homo fuerit. Tertia propositio his terminis copulatur, ut *a* quidem cum *b* et *c* vel esse vel non esse possit, tunc tamen necesse sit simul esse cum *c*, si posito *a* termino, *b* terminus abnuatur, ut si sit *a* animal, *b* animal, *c* insensibile. Nam quod animatum est, vel animal vel non animal, vel insensibile, vel non insensibile esse potest, sed tunc necesse est id quod animatum est esse insensibile, si animato posito animal abnuatur. Quartæ propositionis hi termini sunt, ut *a* quidem cum *b* et cum *c* esse et non esse possit, tunc vero ab eo *c* modis omnibus separetur, si posito *a* termino, *b* terminus abnuatur, ut si *a* quidem animatum, *b* animal, *c* homo. Nam quod animatum est et animal esse et non esse, itemque homo esse et non esse potest, tunc tamen necesse est ut, cum sit animatum, non sit homo, cum posito animato esse animal denegetur. Quinta vero propositio his terminis connectitur, ut si non sit *a*, possit et esse et non esse *b* atque *c*; tunc tamen cum non sit *a*, terminum *c* esse necesse sit, si posito non esse *a*, esse *b* terminum consequatur, ut si sit *a* quidem invitale, *b* homo, *c* animal. Nam si non sit invitale, tunc possunt homo atque animal esse vel non esse at tunc necesse esse est animal negato invitali, si cum invitale denegabitur, esse hominem subsequatur.

A Sextam vero propositionem talia debent membra conjungere, ut si non sit *a* terminus, *b* atque *c* vel esse vel non esse possint; tunc vero denegato *a* termino, *c* non esse necesse sit, cum negationem *a* termini, *b* termini affirmatio comitabitur, ut si sit *a* invitale, *b* homo, *c* equus. Nam quod non est invitale, potest vel homo vel equus esse vel non esse, sed necesse est non esse equum invitali denegato, si negationem invitalis hominis positio subsequatur. Septimæ propositionis hos esse terminos oportebit, ut si non sit *a*, termini *b* atque *c* et esse et non esse possint; sed tunc necesse sit esse *c* terminum si negationem *a* termini, *b* termini negatio subsequatur, ut si sit *a* animal, *b* animatum, *c* invitale, animal quidem si non sit, animatum et invitale esse

B et non esse possit. Tunc vero necesse est, si animal non sit, invitale esse, quando, si animal non sit, non erit animatum. Octava propositio est cum, negato *a* termino, possunt et esse et non esse *b* atque *c* termini. Sed tunc necesse est si *a* terminus abnuatur, non esse *c* terminum, cum negationem *a* termini negatio *b* termini subsequetur, ut sit *a* invitale, *b* animal, *c* homo. Si igitur non sit invitale, potest et esse et non esse animal et homo. His igitur ita expeditis, illud in commune dicendum est, quod superiores quatuor propositiones ita faciunt conditionem, si fuerit *a*, posteriores vero si non fuerit, ex quibus omnibus syllogismi tali ratione nascuntur. Ex prima propositione, si cum sit *a*, est *b* est *c*; atqui cum sit *a*, est *b*, est igitur *c*, vel ita: atqui non est *c*, cum igitur

C sit *a*, non est *b*. Posse vero fieri tales conclusiones, ex superius descriptarum propositionum natura cognoscimus poterat enim *a* terminus esse; et non esse cum *b*. Item ex secunda, si cum sit *a*, est *b* non est *c*; atqui cum sit *a*, est *b*, non est igitur *c*; vel ita; atqui est *c*, cum igitur sit *a*, non est *b*. Ex tertia vero utrobique assumptis terminis collectiones fiunt, ut si cum est *a*, non est *b*, est *c*: atqui cum sit *a*, non est *b*, est igitur *c*; vel ita: atqui cum sit *a*, est, *b*, non est igitur *c*; vel ita: atqui non est *c*, cum igitur sit *a*, est *b*; vel sic: atqui est *c*, cum igitur sit *a*, non est *b*. Quæ idcirco facta est utrobique collectio, quoniam in his terminis hæ propositiones poterant poni, in quibus immediata contraria repriebantur. In illis enim alterius positio alterutrum perimebat, et alterius interemptio ponebat alterum. Ex

D quarta, si cum sit *a*, non est *b*, non est *c*; atqui cum sit *a*, non est *b*, non est igitur *c*; vel ita: atqui est *c*, cum igitur sit *a*, est *b*. Ex quinta, si cum non sit *a*, est *b*, est *c*: atqui cum non sit *a*, est *b*, est igitur *c*; vel sic: atqui non est *c*, cum igitur non sit *a*, non est *b*. Ex sexta, si cum non sit *a*, est *b*, non est *c*; atqui cum non sit *a*, est *b*, non est igitur *c*; vel sic: atqui est *c*, cum igitur non sit *a*, non est *b*. Ex septima utrobique colligitur hoc modo, si cum non sit *a*, non est *b*, est *c*; atqui cum non sit *a*, non est *b*, est igitur *c*; vel ita: atqui cum non sit *a*. est *b*, non est igitur *c*; vel ita: atqui non est *c*, cum igitur non sit *a*, est *b*: vel sic: atqui *c* est, cum igitur non sit *a*, non est b. Hic quoque propter eamdem causam in

alterutra assumptione syllogismus fiet; nam esse aliquid cum aliud non sit in immediatis tantum contrariis dicebatur. Ex octava, si cum non sit *a*, non est *b*, non est *c*; atqui cum non sit *a*, non est *b*, non est igitur *c*; vel ita: atqui est *c*, cum igitur non sit *a*, est *b*. In omnibus igitur superius descriptis syllogismis, hæc ratio est, ut si *b* terminus assumatur, ita ut in propositione est positus, ita *c* terminum concludat, ut in eadem propositione fuerat collocatus. At si *c* terminus contrario modo assumatur quam in propositione fuerit positus, contrario modo *b* terminus in conclusione monstrabitur, præter tertium et septimum modum, in quibus etiamsi *b* terminus contrario modo atque in propositione est positus assumatur, *c* terminum contrario modo atque positus est colligit, vel si *c* terminus, ita aut in propositione est positus assumatur, simili modo *b* terminum concludit, ut in eadem propositione fuerat collocatus. Quare sedecim quidem vel viginti fiunt syllogismi; assumptis namque primis hypotheticis propositionibus, fiunt octo; octo vero si secundæ prædicativæ assumantur; quatuor autem his adjunguntur ex tertio atque septimo modo utrobique colligentibus, ut omnes etiam in his propositionum complexionibus fiant sedecim vel viginti syllogismi. Quoquo autem alio modo assumptiones verteris, nihil evenit necessarium. Ut autem omnis propositionum et syllogismorum ratio collucescat, exempla subjecimus, quibus faciliusid quod superius docuimus colliquescat: si cum sit *a*, animatum est, *b* homo est, *c* animal; si cum est *a*, animatum est, *b* homo, non est *c* equus; si cum sit *a*, animatum non est, *b* animal, est, *c* insensibile; si cum sit *a*, animatum non est, *b* animal non est, *c* homo; si cum non sit *a* invitale est *b* homo, est *c* animal; si cum non sit *a*, invitale est, *b* homo, non est *c* equus : si cum non sit *a*, animal non est, *b* animatum, est *c* invitale; si cum non sit *a* invitale, non est *b*, animal non est, *c* homo. Ac de his quidem syllogismis qui talibus propositionibus connectuntur, quæ ex hypotheca prædicativaque consistunt, sufficienter dictum est. Nunc de his dicendum est syllogismis, quorum propositiones ita tribus terminis continentur, ut mediæ sint earum quæ ex hypothetica prædicativaque texuntur, et earum quæ ex duabus hypotheticis connectuntur, quas idcirco hoc loco proponimus, quia ut superiores, ita hæc quoque tribus terminis continentur, et a similibus ad similia facilior tractatus fiet. Harum vero sunt multiplices syllogismi, quorum nullus poterit esse perfectus, cum nec per se perspicui sint et ut his fides debeat accommodari, adjumento extrinsecus positæ probationis indigeant. Est autem probatio talium syllogismorum alio constitutus ordine syllogismus; fiunt autem, ut dictum est, tum per primam, tum per secundam, tum vero per tertiam figuram. Sunt autem primæ figuræ propositiones hæ:

Si est *a*, est *b*, et si est *b*, est *c*.
Si est *a*, est *b*, et si est *b*, non est *c*.
Si est *a*, non est *b*, et si est *b*, est *c*.
Si est *a*, non est *b*, et si est *b*, non est *c*.
Si non est *a*, est *b*, et si est *b*, est *c*.
Si non est *a*, est *b*, et si est *b*, non est *c*.
Si non est *a*, non est *b*, et si non est *b*, est *c*.
Si est *a*, non est *b*, et si non est *b*, non est *c*.
Si non est *a*, est *b*, et si est *b*, est *c*.
Si non est *a*, est *b*, et si est *b*, non est *c*.
Si non est *a*, non est *b*, et si non est *b*, est *c*.
Si non est *a*, non est *b*, et si non est *b*, non est *c*.

Si non est *a*, non est *b*, et si non est *b*, non est *c*. Ergo si ratio colligentiæ talis sit, ut constituat et confirmet asumptio quod enuntiatio prima pronuntiat, sexdecim necesse est fieri complexiones, ex quibus octo tantum servant consequentiæ necessitatem, reliquæ vero octo nihil idoneum videntur habere ad fidem. Rursus si id quod prima propositio constituit, evertat assumptio, sic quoque sexdecim necesse est fieri complexiones, quarum octo firma necessitas tenet, octo vero reliquas infida sæpius varietas tenet. Fiunt vero syllogismi, tum in prima figura, tum in secunda, tum vero in tertia. Omnes igitur trium figurarum modos a prima ordientes, ut nihil subterfugiat explicemus. Est enim primæ figuræ primus modus a prima veniens propositione, cum ita proponimus, si est *a*, est *b*, et si est *b*, necesse est esse *c*. Tunc enim si est *a*, etiam *c* esse necesse est, cujus hæc demonstratio est: nam si est *a*, consequitur ut sit *b*, idem enim quod proponit prima propositio, si sit *a*, esse *b*, at si *b* fuerit est *c*, id est enim quod secunda pars propositionis pronuntiat, si sit *b*, consequi necessario ut *c*. Quibus ita concessis, evenit ut cum sit *a*, etiam *c* esse necesse sit; imperfectum vero hunc dicimus syllogismum, quia testimonio probationis indiguit. Probatio vero ea fuit per syllogismum demonstratio, ita namque firmamus talis consequentiæ necessitatem. Cum enim ita proponeretur : si est *a*, est *b*, et si est *b*, necesse est ut sit *c*, ponereturque assumptio id quod affirmatio constituerat esse *a*, eamque sequi assumptionem talis conclusio diceretur, quod necessario esset *c*, neque id esset ex ipsius syllogismi natura et proprietate perspicuum, addita est probatio per syllogismum hoc modo : si est *a*, est *b*; at si est *b*, est *c* : si igitur est *a*, necesse est ut sit *c*. Et in reliquis quidem eamdem rationem exspectari oportere manifestum est. Et hæc quidem complexio ea est, quæ id quod primo in propositione positum fuerat, assumit atque constituit, quod si id ponendo quis quod sequebatur assumat, nulla est necessitas syllogismi, veluti cum dicimus : si est *a*, est *b*, et si est *b*, necesse est esse *c*; atqui est *c*, non necesse est esse *b* vel non esse; sed cum non sit necesse *b* esse vel non esse, non erit necesse *a* esse vel non esse ; idem quoque tale firmabit exemplum, si est homo, animal est, et si est animal, erit corpus animatum ; atqui est corpus animatum, non necesse erit animal esse, quocirca ne hominem quidem. Secundus quoque modus est hic primæ figuræ, cum ita proponimus, si est *a*, est *b*, et si est *b*, necesse est non esse *c*, at vero est *a*, non est igitur *c*. Hujus demonstratio talis est, nam si est *a*, est *b*, id enim prima conditio monstrabat, quæ est, si sit *a* esse *b*, cum vero sit *b*, necesse est non esse *c*. Id enim consequentia præ-

ferebat,in qua pronuntiabatur,si esset *b*, consequi ex necessitate ut non esset etiam *c*, si igitur sit *a*, non erit, quod si id quod propositio ultimum constituit ponat assumptio,id est non esse *c*,nullus est syllogismus.Nam si de aliqua re ita proponatur,si homo sit, est animal, et si est animal, non est lapis, at non est lapis, non necesse erit aut esse aut non esse animal; eodem modo nec hominem,potest enim si lapsis non sit esse lignum,vel cætera quæ nec animalia sunt,nec inter homines numerantur. Tertius vero modus est primæ figuræ, cum id assumptio constituit,quod propositio prima ponebat, cujus ex tertia propositione principium est cum ita proponimus : si est *a*, non est *b*, et si non est *b*, necesse est esse *c*. Hic enim rursus, si *a* terminus assumatur,ita ut in prima est enuntiatione positus, ita dicetur, atqui est igitur *a*,est igitur *c*. Probatio vero similis est superioribus, nam quia est *a*, non est *b*, et quia non est *b*, est *c*, quia igitur est *a*, est *c*. Quod si *c* terminus assumatur, nihil necessarium fiet, ut si ita proponamus : si homo est, non est insensibile, si non est insensibile, animal est, est autem animal, non est necesse esse hominem.Quartus modus est qui ex quarta propositione principium capit,qui ex tali propositione formatur: si est *a*,non est *b*, et si non est *b*, non est etiam *c* ; hic enim si *a* est, necesse est non esse *c*. Demonstratio vero eadem est quæ in prioribus modis.Quod si non esse *c* assumatur,nulla erit necessitas complexionis hoc modo. Age enim proponatur, si est homo,non est irrationale, et si irrationale non est, non est inanimatum : atqui non est inanimatum, non necesse est esse hominem.Quintus modus est ex quinta enuntiatione descendens,cujus prima talis est propositio, si non est *a*, est *b*, si est *b*, etiam *c* necesse est esse: atqui non est *a*, *c* igitur necesse est esse.Hic quoque prius dicta conditio facit consequentiam necessitatis,at si id quod est *c* assumatur, nulla necessitas eveniet.Sit enim propositio : si non est irrationale rationale est,et si rationale est, animal est, et si assumamus, sed est animal, non necesse erit vel esse, vel non esse irrationale. Sextus modus est quem sexta propositio facit ; si non est *a*, est *b*, et si est *b*, non est *c*, atqui non est *a*, non est igitur *c*. Similis vero superioribus est demonstratio : at si *c* assumatur, eodem modo nullus est syllogismus, nam si sit propositio, si animatum non est, inanimatum est,et si inanimatum est,sensibile non est ; si assumamus, atqui non est sensibile,non necesse erit vel esse vel non esse animatum.Septimus modus est,qui ex septima propositione est, si *a* non est, *b* non est, et si *b* non est, necesse est esse *c*, atqui non est *a*,necesse est igitur esse *c* ; quod si *c* assumatur, nihil fit necessarium,nam si proponamus,si non est animatum,non est animal,et si animal non est,insensibile est ; assumamusque,atqui est insensibile, non necesse est vel esse vel non esse animatum.Octavus modus est qui ita proponitur : si non est *a*, non est *b*, et si non est *b*, necesse est non esse *c* ; atqui non est *a*, non est igitur *c* ; quod si *c* assumatur,nulla erit necessitas.Age enim ita proponamus : si non est animatum,non est animal,et si non est animal,necesse est non esse sensibile ; at non est sensibile,non necesse erit non esse animatum,ut arbores,herbas, et quidquid vitali tantum anima,non etiam sensibili vegetatur.In prima igitur figura ex tribus terminis fiant hypotheticæ sex decim complexiones,ita ut id quod positum est in propositione,id in assumptione quoque ponatur: octo,si *a* terminus in assumptione ponatur; octo vero,si *c*. Quod si *a* terminus ponendo assumatur,erunt octo necessarii syllogismi ; si vero *c* terminus ponendo assumatur,nullus efficitur syllogismus. Eodem quoque modo syllogismorum complexionumque ordo constabit, si id in assumptione, quod in propositione positum fuerat,auferatur.Fient quippe sexdecim complexiones, quarum octo quidem ubi id quod sequitur aufertur, integra necessitate perdurant, octo vero in quibus id quod præcedit aufertur, necessitatem in eadem ratione conservant.Horum vero omnium subdantur exempla.Primus igitur modus hic est : si est *a*,est *b*, et si est *b*, etiam *c* esse necesse est : at non est *c*, igitur *a* non est ; quod si assumamus, at non est *a*, nihil eveniet necessarium.Sit enim propositio hæc ; si homo est,animal est,et si animal est,animatum esse necesse est : atqui non est homo, non igitur necesse erit ut si vel non sit animatum. Secundus modus est : si est *a*, est *b*, et si est *b*, non esse *c* necesse est : atqui est *c*, igitur *a* non erit ; quod si assumamus ita : atqui non est *a*,non necesse erit *c* esse vel non esse,nam si sit propositio talis,si homo est, animal est, et si animal est, lapis non est, si assumamus, atqui non est homo, non necesse erit lapidem esse vel non esse. Tertius modus est : si est *a*, non est *b*, et si non est *b*,necesse est esse *c* ; atqui non est *c*, necesse est igitur non esse *a* ; quod si *a* terminum tollat assumptio,nihil evenit necessarium. Age enim sit propositio : si homo est, non est inanimatus, et si inanimatus non est, animatum esse necesse est ; atqui non est homo, non necesse est esse vel non esse animatum. Quartus modus : si est *a*, non est *b*, et si non est *b*,necesse est non esse *c* ; at est *c*, igitur *a* non erit ; quod si assumamus non esse *a*,nulla complexionis necessitas invenitur, nam si sit propositio, si homo est, non est irrationale,si irrationale non est,inanimatum eum non esse necesse est ; atqui non est homo,non necesse est eum esse vel non esse inanimatum. Quintus,si *a* non est, *b* est,et si *b* est, etiam *c* esse necesse est ; atqui non est *c*, igitur *a* esse necesse est ; quod si *a* terminus assumatur,nullus fiet syllogismus : sit enim propositio,si irrationale non est, rationale est, et si rationale est, animal est ; atqui irrationale est, non necesse erit esse vel non esse animal. Sextus, si non est *a*, est *b*, et si est *b*, necesse est *c* non esse ; atqui est *c*, igitur *a* esse necesse est; quod si *a* terminum sumam,nulla necessi-

tas invenitur: sit enim propositio talis, si animatum non sit, inanimatum est, et si inanimatum est, sensibile non est; atqui animatum est, non erit necesse vel esse vel non esse sensibile. Septimus, si non est *a*, non est *b*, et si non est *b*, necesse est esse *c*; atqui *c* non est, igitur *a* esse necesse est; quod si *a* terminum sumpserimus, complexio nullam faciet necessitatem: sit enim propositio talis, si animal non sit, non est rationale, si rationale non est, irrationale est, et assumamus, atqui animal est, non necesse est vel esse irrationale, vel non esse. Octavus modus est qui hac propositione formatur, si non est *a*, non est *b*, et si *b* non est, *c* non esse necesse est; atqui est *c*, igitur *a* esse necesse est. Quod si *a* terminum sumpseris, non fiet ulla necessitas: sit enim propositio, si non est animal, non est homo, et si non est homo, necesse est non esse risibile; atqui est animal, non necesse erit esse vel non esse risibile. Ac de prima quidem figura satis dictus est, sequenti vero volumine de secunda tractabitur.

LIBER SECUNDUS.

Conditionalium propositionum, quæ tribus terminis constant, secunda figura est quoties cum aliquid dicitur, vel esse vel non esse consequitur, ut duo quædam vel esse vel non esse dicantur. Variantur autem in ipsis propositionibus vel etiam in conclusionibus secundum assumptionis ordinem multis modis; quod ut facilius innotescat, primum cunctæ propositiones in ordine digerantur, in quibus illud est prædicendum, quod sæpe æquimodæ propositiones ponuntur, sæpe vero non. Ac de æquimodis quidem nullus est syllogismus; æquimoda enim propositio est si ita dicamus, si *a* est, *b* est, et si est *a*, non est *c*; at si sint inæquimodæ, faciunt syllogismum. In æquimoda vero secundæ figuræ propositio est in his syllogismis hypotheticis quorum enuntiationes tribus terminis componuntur, veluti cum ita proponimus: si est *a*, est *b*, si autem non est *a*, est *c*. Hujus propositionis tale intelligatur exemplum, si animal est, animatum est, si animal non est, insensibile est, hic igitur animal quod est, *a* non est; uno modo propositum in utrisque, sed ad *b* quidem affirmative, ad *c* vero negative conjungitur, et id vocatur non æquimode prædicari. Quod si in utrisque *a* esse vel non esse poneretur, æquimoda prædicatio diceretur. Disponantur igitur (ut dictum est) omnes non æquimodæ propositiones hoc modo, si est *a*, est *b*, si non est *a*, est *c*, si est *a*, est *b*, si non est *a*, non est *c*, si est *a*, non est *b*, si non est *a*, est *c*, si est *a*, non est *b*, si non est *a*, non est *c*. Nunc igitur *a* quidem esse positum est cum *b*, non esse vero cum *c*. Rursus *a* non esse ponamus cum *b*, esse vero cum *c*; si non est *a*, est *b*, si est *a*, est *c*, si non est *a*, est *b*, si est *a*, non est *c*, si non est *a*, non est *b*, *b*, si est *a*, est *c*, si non est *a*, non est *b*, si est *b*, non est *c*. Si igitur non sit æquimoda propositio, assumpto quidem *b* fiunt sexdecim complexiones, quarum tantum octo sunt syllogismi. Rursus si assumatur *c*, sic quoque sexdecim complexiones fiunt, sed in octo tantum syllogismorum deprehenditur firma necessitas. Sit igitur primus modus secundæ figuræ hic ex prima veniens propositione, si est *a*, est *b*, si autem non est *a*, est *c*; dico quoniam si non est, *b*, est *c*, quoniam enim si est *a* est *b*, secundum ordinem consequentiæ si non est *b*, non erit *a*; atqui si non esset *a*, esset *c*, si igitur non sit *b*; erit *c*; quod si idem *b* esse ponatur, nihil evenit necessarium. Age enim sit *b*, non necesse est esse vel non esse *a*. Nihil igitur sequitur necessarium, ut sit vel non sit *c*, ut si sit *a* animal, *b* animatum, *c* insensibile: nam si est animal, est animatum; si vero non est animal, insensibile est; atqui si sit animatum, non necesse est esse animal, vel non esse, non est igitur necesse esse insensibile vel non esse; quod si *c* terminus assumatur, siquidem non esse ponatur, erit necessario *b*; si vero esse, nullus erit syllogismus, nam si non est *c*, est *a*, at si est *a*, est *b*, si igitur non est *c*, est *b*, quod si est *c*, non necesse est esse *a*, aut fortasse necesse sit non esse. Hæc enim propositio, idem si non est *a*, est *c*, in talibus tantum evenit, in quibus alterum eorum esse necesse sit; quod si est *c*, non erit *a*, si non est *a*, nihil ad *b*, veluti si est insensibile, non erit animal, at si non sit animal, nihil animatum vel esse vel non esse necesse erit. Ex secunda rursus propositione fit syllogismus cum ita proponimus: si est *a*, est *b*, si non est *a*, non est *c*; dico quia si non est *b*, non est *c*, propositum quippe est, si est *a*, est *b*; ordo vero consequentiæ est, si non est *b*, non est *a*, quod si non est *a*, non est *c*, si igitur non est *b*, non est *c*; quod si fuerit *b*, non necesse est esse *c*, sit enim *a* animal, *b* animatum, *c* rationale, et proponatur, si animal est, animatum est, si animal non est, rationale non est: atqui est, animatum non necesse est esse animal, quo fit ut ne rationale quidem; quod si *c* terminum dicat assumptio, si quidem *c* terminus affirmatus fuerit, erit *b*; quod si idem *c* terminus abnuatur, nullus est syllogismus: nam quoniam si est *a*, erit *b*, si non est *a*, erit *c*, si est *c*, erit *a*; at cum est *a*, est *b*, si igitur *c*, erit *b*, quod si non sit *c*, nihil sit necessarium, nam in hac propositione quæ dicit, si animal est, animatum est, si animal non est, rationale non est, assumamus, atqui non est rationale, non necesse erit vel esse vel non esse animal, quocirca ne animatum quidem. Item ex tertia propositione talis est syllogismus si est *a*, non est *b*, et si non est *a*, est *c*; dico quia si *b* est, est *c*, nam quoniam ita propositum est, si est *a*, non est *b*, necesse est consequi, ut si sit *b*, non sit *a*; at si non sit *a*, erit *c*; si igitur *b* sit, erit *c*; quod si non sit *b*, nihil est necessarium; sit enim *a* animal, *b* inanimatum, *c* insensibile: in hac

propositione quæ dicit, si est animal, non est inanimatum, si non est animal,est insensibile,si assumamus, non est inanimatum, non necesse erit animal esse vel non esse, quare ne insensibile quidem. Si vero a *c* termino fiat assumptio, si quidem non sit *c*, non erit *b* ; si vero *c* sit, nulla necessitas erit conclusionis, nam quoniam ita propositum est, ut si sit *a*, non sit *b*, si vero non sit *a*, *c*, ea rerum est consequentia, ut si non sit *c*, sit *a* ; in his enim tantum terminis dici potest,quia medietate privati sunt ; at si sit *a*, non est *b*. Si igitur non sit *c*, non erit *b* ; quod si sit *c*, nullus est syllogismus ; nam in hac propositione quæ dicit, si est animal, non est inanimatum, si vero non est animal, insensibile est,assumat aliquis esse insensibile,sequitur quidem ut non sit animal,sed non sequitur ut vel sit vel non sit animatum. Ex quarta propositione est syllogismus ita : si est *a*,non est *b*,si non est *a*,non est *c* ; dico quoniam si est *b*, non est *c*, nam quoniam ita propositum est, si est *a*, non est *b*,eo rerum consequentia est, ut si sit *b*, non sit *a* ; atqui cum non sit *a*, positum fuerat non esse *c*. Si igitur sit *b*,non est *c*;quod si *b* non esse assumatur, nullus erit syllogismus. Age enim sit *a* quidem animal, *b* inanimatum, *c* rationale, et sit hæc propositio, si est animal, non est inanimatum, si non est animal, non est rationale;assumamus igitur non esse inanimatum, non necesse erit esse animal,quocirca nec rationale.Rursus si *c* terminus assumatur, si quidem esse ponatur,necesse erit non esse *b*.At si non est *c*, nullus est syllogismus,nam quoniam propositum est, si *a* sit,non esse *b*, si *a* non sit, non esse *c*, necesse est ut, cum sit *c*, sit etiam *a*, at si sit *a*, non sit *b*, si igitur sit *c*, non erit *b* ; quod si *c* non esse ponatur, nullus est syllogismus,veluti in hac propositione, si est animal non est inanimatum, si non est animal, non est rationale. Si quis igitur assumat non esse rationale, non necesse erit esse vel non esse animal, quocirca ne inanimatum quidem esse vel non esse. Atque in his quidem quatuor propositionibus,ita *a* terminus positus est, ut ad *b* quidem esse diceretur, ad *c* vero non esse ; quod si ordo mutetur,rursus quatuor erunt alii syllogismi,si *b* terminus assumatur,quatuor etiam alii, si *c*;ex utraque autem parte quaternæ complexiones erunt, quæ nullos faciunt syllogismos. Si enim quinta propositio, si non est, *a*, est *b*,si est *a*, est *c* ; dico quia si non est *b*, erit *c* ; assumantur enim, atqui non est *b*,erit igitur *a*,hic enim consequentiæ ratus esse constabat. Sed cum est *a*, est *c*,si igitur non est *b*, erit *c*, quod si *b* esse ponatur, nihil sit necessarium, si enim est *b*, non erit *a*, quod si *a* non est,nihil ad *c*,quocirca nullus est syllogismus. Non esse autem *a*, si *b* sit, ea propositio demonstrat,per quam dicimus,si non est *a*,est *b*.Hoc enim in immediatis tantum contrariis evenit.Age enim sit *a* quidem animal,*b* vero insensibile,*c* vero animatum, et proponatur, si animal non est, insensibile est, si animal est,animatum est,et ponatur esse insensibile, necesse est non esse animal. Sed non animatum quidem vel esse vel non esse necesse est, quod si *c* terminus assumatur, si quidem negative, faciet syllogismum, affirmative vero, nullo modo, nam si non est *c*, non est *a*. Quod si non est *a*, est *b*, si igitur *c*, non est *b*, quod si sit *c*, non necesse est esse vel non esse *a*, quo fit ut ne *b* quidem esse vel non esse necesse sit,nam si est animatum, non necesse est esse vel non esse animal,cum vero animal non sit,non necesse est insensibile vel esse vel non esse. Propositio vero eadem est quæ superioribus. Rursus ex sexta propositione fit syllogismus hoc modo : si non est *a*, est *b*, et si est *a*, non est *c* ; dico quia si non est *b*, non erit *c*, si enim non est *b*, est *a*, at si est *a*,non est *c*, si igitur non est *b*, non erit *c*,quod si *b* terminum ponat assumptio,nulla est necessitas conclusionis,si enim est *b*, non est *a*,id enim ex superioribus manifestum est, at si non est *a*, nihil ad *c*, tunc enim *c* non erat, si esset *a* ; exemplum vero hoc est, ut si sit *a* animal, *b* insensibile,*c* inanimatum.Si igitur sit propositio talis, si non est animal, est insensibile, si est animal,non est inanimatum. Atqui est insensibile,non est igitur animal, sed non consequitur ut sit vel non sit inanimatum, quod si *c* terminum sumpserimus,si quidem affirmes,facies syllogismum, nam si est *c*,non erit *a*, quod si *a* non sit,erit *b*.Si igitur *c* fuerit, erit *b*. At si negaveris *c*, nihil est necessarium. Si enim assumamus, atqui non est *c*, non necesse erit esse vel non esse *a*, quocirca ne *b* quidem.Nam si inanimatum negaveris,non necesse est esse vel non esse animal, quocirca ne insensibile quidem esse vel non esse. Ex septima propositione conclusio est cum ita proponimus, si non est *a*, non est *b*, sit est *a*, est *c* ; dico quia si est *b*, erit *c*,nam quoniam ita propositum est,si non esset *a*, non esse *b*, erit *a*, si sit *b*. Atqui si sit *a*,erit *c*. Si igitur sit *b*, erit *c*, quod si *b* terminum neget assumptio, nulla erit in conclusione necessitas : nam si non sit *b*,nihil erit necessarium esse vel non esse *a*, quocirca ne *c* quidem velut in his terminis, si enim sit *a* animatum, *b* animal, *c* vivere, si sic enuntiemus,si non est animatum, non est animal, si est animatum vivit, si igitur assumamus, atqui non est animal, non necesse est esse vel non esse animatum,quocirca nec vivere,quod si assumamus *c* terminum,si quidem negemus,erit syllogismi perfecta necessitas; si vero affirmemus,nulla est conclusio. Nam si non est *c*, erit *a*, si non est *a*, non erit *b*, si igitur non sit *c*, non erit *b*, quod si affirmetur *c*, nihil est necessarium, sive enim necesse est esse, sive non necesse est esse *a*, nihil ad *b*, ut in superioribus terminis poterit ostendi : si enim vivit, et si necesse est esse animatum, non necesse est tantum esse animal vel non esse ; quod si non est necesse esse animatum, non necesse est esse vel non esse animal, ut vero necesse sit non esse animatum, fieri non potest. Ex octava propositione conclusio talis est, cum ita proponitur : si

non est *a*, non est *b*, et si *a*, non est *c*: dico quoniam si est *b*, non est *c*, nam si est *b*, est *a*, quod si est *a*, non est *c*, si igitur est *b*, non erit *c*; quod si *b* terminum neget assumptio, nihil est necessarium, si enim non sit *b*, non necesse erit *a* esse vel non esse, quo fit ut ne *c* quidem, velut in his terminis, si sit *a* animatum, *b* animal, *c* inanimatum. Si igitur proponamus, si non est animatum, non est animal, si est animatum, non est inanimatum, et assumamus, sed non est animal, non necesse et esse vel non esse animatum, quocirca ne inanimatum quidem, at si *c* terminus assumatur, si quidem cum affirmatione ponatur, erit necessitas syllogismi, nam si est *c*, non est *a*, quod si non est *a*, non est *b*, si igitur est *c*, non est *b*; at si *c* termimun neget assumptio, nihil est necessarium, nam si non est *c*, non necesse erit esse vel non esse *a*. Quo fit ut ne *b* quidem, nam si non est inanimatum, fortasse quidem sit necesse esse animatum, sed non necesse est animal esse. Invenientur autem termini in quibus non necesse sit esse *a*, veluti si ponamus *c* nigrum, *a* album, negatio nigro non consequitur ut affirmetur album. Et secundæ quidem figuræ in æquimodas complexiones omnes (ut arbitror) explicuimus, si vero æquimodæ sint, nullus omnino fit syllogismus. Æquimodæ vero fiunt hoc modo: quotiescunque enim *a* terminus ad *b* et ad *c* simul esse vel non esse ponitur, quoquomodo *b* atque *c* termini varientur. Harum igitur quæ æquimodæ esse dicuntur complexiones, nulla est complectibilis. Sunt autem omnes æquimodæ complexiones hæ:

Si est *a*, est *b*, si est *a*, est *c*, si est *a*, est *b*, si est *a*, non est *c*.

Si est *a*, non est *b*, si est *a*, est *c*, si est *a*, non est *b*, si est *a*, non est *c*.

Si non est *a*, est *b*, si non est *a*, est *c*, si non est *a*, est *b*.

Si non est *a*, non est, *c*, si non est *a*, non est *b*, si non est *a*, est *c*.

Si non est *a*, non est *b*, si non est *a*, non est *c*.

Quarum imtecillam conclusionem atque omni carentem necessitate, ex assumptionibus quoquo modo factis inveniamus, nec non secundum superius descriptos modos etiam terminos facillime reperire poterimus, per quos demonstretur nullam. in talibus complexionibus inveniri posse constantiam. Ac de secunda quidem figura, quanti sint et quot modis fiant syllogismi diligenter ostendimus. Fiunt autem, si inæquimodæ quidem complexiones fuerint, *b* termino assumpto, syllogismi octo, totidemque *c* si terminus assumatur; sunt igitur secundæ figuræ sedecim syllogismi, totidem vero *b* atque *c* termino, non ita ut oportet assumptis complexiones fiunt, quibus nihil admodum colligatur. Nunc igitur de tertia figura dicendum est. In qua quidem totidem complexiones fiunt et totidem syllogismi, sed ita ut non æquimodæ propositiones ponantur; quod si æquimodæ fuerint, nullus omnino (ut in secunda figura dictum est) fiet A syllogismus. Exponamus igitur omnes figuræ tertiæ in æquimodas propositiones: si est *b*, est *a*, si est *c*, non est *a*, si est *b*, est *a*, si non est *c*, non est *a*, si non est *b*, est *a*, si est *c*, non est *a*, si non est *b*, est *a*, si non est *c*, non est *a*. Et nunc quidem *a*, cum *b*, esse, cum *c*, vero non esse propositum est. Rursus vero *a* quidem *b* non esse, cum *c* vero esse proponatur, si est *b*, non est *a*, si est *c*, est *a*, si est *b*, non est *a*, si non est *c*, est *a*, si non est *b*, non est *a*, si est *c*, est *a*, si non est *b*, non est *a*, si non est *c*, non est *a*. Tertiæ igitur figuræ primus modus est hujusmodi, si est *b*, est *a* si est *c*, non est *a*, qui quidem diversus est a secundæ figuræ primo modo. Illic enim si *c* esset vel non esset, *b* et *c* esse dicebantur. Nunc vero si *b* vel *c* fuerint, *a* vel B esse vel non esse proponitur. Æquimodæ autem propositiones non sunt, quæ in alia parte *a* esse, in alia non esse constituunt, velut in superius comprehensa propositione. Nam si est *b*, est *a*, si est *c*, non est *a*. Quibus ita positis, dico quoniam si est *b*, non esse *c* necesse est. Si enim est *b*, est *a*, quod si est *a*, non est *c*, si igitur est *b*, non est *c*; quod si *b* terminus abnuatur, nullus est syllogismus, est enim, si *b* non sit, non necesse erit esse vel non esse *a*. Nec *c* igitur necesse erit vel esse vel non esse, velut in hoc exemplo, si sit *b* animal, *a* animatum, *c* mortuum, et proponatur, si animal est, animatum est, si mortuum est, animatum non est. Atqui non est animal, non necesse est esse, vel non esse animatum. Quæ enim non sunt animalia, possunt esse animata, ut arbores; possunt esse non animata, ut lapides. Quo- C circa si animal non fuerit, ne mortuum quidem esse vel non esse necesse est. Plura enim non sunt animalia, quæ mortua non sunt, ut lapides, illa enim mortua dicuntur quæ aliquando vixerunt. Ab assumptione vero *c* termini affirmatio faciet syllogismum. Nam si *c* est, *b* non erit, si enim *c* est, non est *a*. At si non sit *a*, non erit *b*, si igitur *c* est, *b* non erit. Negatio vero *c* nihil explicat necessitatis. Nam si non est *c*, non necesse est esse vel non esse *a*. Quo fit ut ne *b* quidem, nam si non sit mortuum, non est necesse esse animatum vel non esse. Quædam enim quæ non sunt mortua, animata sunt, ut arbores. Quædam vero cum mortua non sint, non sunt animata, ut lapides, quo fit mortuum destruatur. Ex secunda propositione hic modus est colligendi, si D est *b*, est *a* si non est *c*, non est *a*; dico quidem si est *b*, erit *c*. Nam si est *b*, est *a*, quod si est *a*, est *c*. Ita enim convertitur talis propositio, quæ ait, si non est *c*, non est *a*, si igitur est, est *c*. Quod si *b* terminus negetur, nulla fit neccitas syllogismi. Nam si non est *b*, non necesse est esse vel non esse *a*. Quocirca ne ad *c* quidem ulla necessitas perveniet, ut in his terminis patet, nam si sit *b* animal, *a* animatum, *c* corporeum, et proponatur si est animal, est animatum, si non est corporeum, non est animatum, et assumatur, atqui non est animal, non necesse est esse vel non esse corporeum, *c* vero terminus, si negetur, erit necessitas syllogismi. Nam

si non est *c*,non est *a*. Quod si non est *a*, non est *b*. Ita enim converti potest. Si igitur non est *c*, non erit *b*. Si affirmetur, *c* nulla est necessitas, nam si est corporeum, non necesse est animatum esse vel non esse.Quocirca nec animal quidem esse vel non esse necesse est.Tertia propositio talem recipit conclusionem, si non est *b*, est *a*, si est *c*, non est *a* ; dico quia si non est *b*,non erit *c*, si enim non sit, est *b*, est *a*. Quod si sit *a*, non erit *c*, ita enim poterat converti ea pars propositionis, quæ, si esse *c* terminus,*a* terminum non esse dicebat.Fit igitur ut si non sit *b*,non sit *c*, quod si affirment esse *b* terminum, nulla est necessitas conclusionis. Nam si sit *b*, necesse est quidem non esse *a*, sed non necesse est esse *c*,ut in his terminis,si sit *b* animatum, *a* animatum, *c* animal. Si quis igitur sic proponat, si non est animatum,inaminatum est,si est animal, non est inaminatum.Si igitur ponamus esse animatum,sequitur quidem ut non sit inaminatum,sed non necesse est ut sit animal. Si *c* vero terminus affirmetur,fiet necessaria conclusio hoc modo.Nam si est *c*, non est *a*, si non est *a*, est *b*. Id enim sequebatur eam propositionem, quæ ; si non esset *b* terminus, *a* terminum esse dicebat. Si igitur sit *c*,est *b* ; quod si idem *c* terminus abnuatur,nullus est syllogismus. Nam si non sit *c*,non necesse est esse vel non esse *a*. Quo fit ut ne *b* quidem.Nam si non est animal,non necesse est esse vel non esse inaminatum.Quocirca ne animatum quidem. Ex quarta propositione talis est syllogismus, si non est *b*, est *a*, si non est *c*, non est *a* ; dico quia si non est *b*,est *c*. Nam si non est *b*, est *a*, si vero *a* fuerit, neeesse est esse *c*. Id enim consequitur eam propositionis partem quæait, si non est *c*, non est *a*. Si igitur non sit *b*,est *c*. At si *b* terminus affirmetur,nullus est syllogismus. Sequitur enim ut non sit *a*,sed non sequitur ut sit vel non sit *c*, velut in his terminis.Nam si sit *b* quidem insensibile, *a* animal, *c* animatum, et proponatur, si non est insensibile,est animal,si non est animatum, non est animal, si sit insensibile, non est animal, sed non necesse est esse vel non esse animatum,*c* vero terminus si negetur,fiet protinus syllogismus. Nam si non est *c*, non est *a*, si non est *a*, erit *b*. Id enim consequitur eam propositionis partem quæ dicit, si non est *b* est *a*. Si igitur non sit *c*, erit *b*. quod si sit *c*, non necesse est esse vel non esse *a*.Quo fit ut ne *b* quidem. Nam si est animatum, non necesse est esse animal vel non esse. Quo fit ut ne insensibile quidem esse vel non esse necesse sit.Et hactenus quidem quatuor modos ita disposuimus,ut ad *b* terminum,quoquo se modo habet,*a* terminus esse poneretur, ad *c* vero non esse. Nunc ita statuamus, ut *a* terminus ad *b* terminum non esse dicatur, ad *c* vero esse, ordine scilicet commutato. Omnes vero esse non æquimodas propositiones illud ostendit quod *a* quidem affirmative ad *b* est, ad *c* negative proponitur, aut si negative ad *b*,affirmativam ad *c* retinet enuntiationem.Quinta igitur propositio talem facit syllogismum,cum talis

A

B

C

D

est propositio, si est *b*, non est a, si est *c*, est *a* ; dico quia, sit est *b*, non est *c*, nam si est *b*, non est *a*. Si vero non sit *a*, non est *c*, Id igitur talem propositionem consequebatur, quæ si esset *c* terminus *a* quoque esse dicebat, si est igitur *b*, non est *c*. At si negetur *b*, nullus est syllogismus, si enim non sit *b*, non necesse est esse *a*. Quo fit ut nec ad *c* quidem necessitas ulla perveniat,et id terminis idem patet, nam si sit *b* quidem mortuum, *a* animatum, *c* animal, et sit ita propositio, si est mortuum,non est animatum,si animal est,animatum est,et assumamus non esse mortuum,non necesse est esse vel non esse animatum,nam et quæ adhuc animata sunt,et suæ nunquam fuerunt, non sunt mortua, quocirca non sequitur ut sit vel non sit animal.Quod enim mortuum non est, potest esse animal, ut canis vivens, et non esse ut lapis. At si *c* terminus affirmetur,erit perfecta conclusio non esse *b* ; nam si sit *c*, est *a*, si vero sit *a*, non erit *b*. Id enim consequitur superius positum propositionis modum ; si igitur sit *c*, non erit *b*, at si negetur *c*, neque ad *a* neque ad *b* necessitas ulla perducitur, velut in his terminis,nam si non est animal, neque animatum, neque mortuum vel esse vel non esse necesse est. Sextæ propositionis hæc conclusio est, si est *b*, non est *a*, si non est *c*, est *a* ; dico quia si est *b*, erit *c*, nam si est *b*, non est *a*, si non sit *a*, erit *c*. Talis enim in hac parte propositionis est consequentia. Si igitur sit *b*, erit *c*, quod si *b* terminus abnuatur,nihil necessarium fiet, nam si non sit *b*,nec *a* nec *c* terminos vel adesse vel non adesse sequitur ulla necessitas, ut in terminis patet, nam si sit *b* mortuum, *a* animatum,*c* inanimatum, et proponatur, si mortum est, non est animatum,si inanimatum non est,esse animatum, si non sit mortuum,non necesse est esse vel non esse animatum.Quocirca ne inanimatum quidem ; at si *c* terminus assumatur,si quidem in negatione sit positus, fiet rata conclusio non esse *b* terminum, nam quoniam non est *c*, est *a*, at si sit *a*, non est *b*, si igitur non sit *c*,non erit *b*. Quod si affirmetur *c* terminus, nihil est necessarium, neque enim si sit *c*, quamvis *a* non esse necesse sit, ad *b* terminum necessitas nulla perveniet,ut etiam in terminis patet, nam si sit inanimatum,necesse est non esse animatum, sed non necesse est esse mortuum. Septimæ propositionis talis est syllogismus. Enuntietur enim si non est *b*, non est *a*, si est *c*, est *a* ; dico quia si non est *b*, non est *c*, si enim non sit *b*, non erit *a*, quod si *a* non fuerit,non erit *c*.Idem enim sequebatur eam propositionem qua dicebatur, si esset *c* terminus,*a* quoque consequi ut esset ; si igitur nod sit *b*,non erit *c* ; quod si affirmetur *b*,nihil est necessarium, neque enim si sit *b*, vel *a*, vel *c*, esse aut non esse necesee est, ut in terminis patet, nam si sit *b* animatum,*a* animal,*c* sensibile, et sit propositio, si animatum non est, non est animal,si sensibile est, animal est,si assumatur esse animatum, neque animal necesse est esse, neque sensibile. At si per *c*

terminum fiat assumptio, si quidem affirmabitur, erit firma conclusio : si negetur, nullus est syllogismus, nam si est *c*, est *a*, si sit *a*, erit *b*. Id enim consequebatur eam propositionem quæ ait, si non sit *b*, non esse *a* ; si igitur sit *c*, erit *b*. At si idem *c* terminus abnuatur, nihil est necessarium, nam si non sit *c*, neque ad *a* neque ad *b* terminum necessitas ulla constringit, velut si non sit sensibile, non sit forsitan animal, sed non necesse est esse animatum. Reperientur vero termini in quibus ne *a* quidem non esse necesse est. Octavus modus est in quo ita proponitur, si non est *b*, non est *a*, et si non est *c*, est *a* ; dico quia si non est *b*, non est *c*, si enim non sit *b*, non erit *a*. Quod si non sit *a*, erit *c*, id enim consequebatur eam partem propositionis, quæ dicebat, si non est *c*, est *a*. Si igitur non sit *b*, erit *c* ; quod si *b* terminus affirmetur, nihil est necessarium, nam si sit *b*, neque esse neque non esse necesse est *a* terminum, quo fit ut ne *c* quidem. Id vero tali liquet exemplo, si sit *b* animatum, *a* animal, *c* insensibile, et proponatur, si non sit animatum, non est animal, si non sit insensibile, est animal. Si igitur affirmemus in assumptione *b* terminum, et dicamus, atqui est animatum, non necesse est esse vel non esse animal vel insensibile. Quocirca nullus est syllogismus, at si *c* terminus abnuatur, fiet protinus syllogismus, nam si non est *c*, est *a*, si vero est *a*, erit *b*, si igitur non sit *c*, erit *b* ; quod si *c* terminus affirmetur, nihil est necessarium, nam et si *a* terminum non esse necesse est, quantum ad *b* terminum nihil necessarium cadit ; id vero tali demonstratur exemplo : si sit insensibile, non est animal, quod si non est animal, non necesse est esse vel non esse animatum. In non æquimodis igitur propositionibus sive *b* sive *c* terminus assumatur, octo necesse est ex utraque parte fieri syllogismos. Reliquæ vero ex utraque parte octenæ complexiones necessitate privatæ sunt. At si sint æquimodæ, nullos omnino est syllogismus. Æquimodæ vero dicuntur quoties *a* terminus ad utrosque vel esse vel non esse proponitur. Omnes autem æquimodæ propositiones sunt hujusmodi :

Si est *b*, est *a*, si est *c*, est *a*.
Si est *b*, est *a*, si non est *c*, est *a*.
Si non est *b*, est *a*, si est *c*, est *a*.
Si non est *b*, est *a*, si non est *c*, est *a*.
Si est *b*, non est *a*, si est *c*, non est *a*.
Si est *b*, non est *a*, si non est *c*, non est *a*.
Si non est *b*, non est *a*, si est *c*, non est *a*.
Si non est *b*, non est *a*, si non est *c*, non est *a*.

In quibus et per consequentiam propositionum superius designatam, et per exempla currentes possumus lucide et constanter agnoscere, nullum omnino in syllogismis fieri necessitatem. Quocirca cum tribus terminis texitur propositio, et ex prima quidem figura fiunt syllogismi sedecim, ex secunda syllogismi sedecim, ex tertia etiam totidem colliguntur, omnes ex tribus terminis syllogismi quadraginta octo sunt. Restat vero ut de his syllogismis nunc dicamus qui duabus hypotheticis connectuntur, quorum quidem A consequentiæ similis modus est, ut in his propositionibus quæ ex duabus categericis ac simplicibus efficiebantur. In omnibus enim si quidem velimus astruere, primam totius propositionis assumemus partem, si vero in conclusione aliquid est destruendum, secunda negabitur. Sive autem prima denegetur, sive posterior affirmetur, nulla fit omnino necessitas, nisi in quinta, septima tertia decima et quinta decima propositiones. In quibus non complexionis natura, sed terminorum proprietas consequentiam facit, sicut in his syllogismis fieri docuimus qui in his propositionibus constant, quæ duabus simplicibus continentur : horum autem omnium qui ex duabus hypotheticis constant, propositiones apposui, quarum differentias cum lector agnoverit, ad B earum exempla necesse est revertatur, quæ ex simplicibus et categoricis junctæ sunt. Sunt autem omnes propositionum differentiæ, quæ ex duabus hypotheticis copulantur hujusmodi :

Si cum est *a*, est *b*, cum sit *c*, est *d*.
Si cum est *a*, est *b*, cum sit *c*, non est *d*.
Si cum est *a*, est *b*, cum non sit *c*, est *d*.
Si cum est *a*, est *b*, cum non sit *c*, non est *d*.
Si cum sit *a*, est non *b*, cum sit *c*, est *d*.
Si cum sit *a*, non est *b*, cum sit *c*, non est *d*.
Si cum sit *a*, non est *b*, cum non sit *c*, est *d*.
Si cum sit *a*, non est *b*, cum non sit *c*, non est *d*.
Si cum non sit *a*, est *b*, cum sit *c*, est *d*.
Si cum non sit *a*, est *b*, cum sit *c*, non est *d*.
Si cum non sit *a*, est *b*, cum non sit *c*, est *d*.
C Si cum non sit *a*, non est *b*, cum sit *c*, est *d*.
Si cum non sit *a*, non est *b*, cum sit *c*, non est *d*.
Si cum non sit *a*, non est *b*, cum non sit *c*, est *d*,
Si cum non sit *a*, non est *b*, cum non sit *c*, non est *d*.

In his quoque propositionibus illud inspiciendum est quod cum sedecim sint, octo quidem ita variantur, ut tamen in omnibus a terminus esse ponatur, octo vero ita, ut idem *a* terminus non esse dicatur. Non vero quoquo modo positæ fuerint habebunt vim conditionalium propositionum ex duabus hypotheticis constantium. Nam si quis sic dicat, si cum homo est, animal est, cum sit animatum, corpus est, non fecit eam propositionem quæ ex duabus conditionalibus constat. Neque enim idcirco quod animatum est, animal est, quia qui homo est, animal est, nec conditio D sequitur conditionem ; sed si eas separes, per seque pronunties, utraque habet in terminorum consequentia necessitatem. Nam et qui homo est animal est, et quod animatum est corpus est, et per se istæ propositiones veræ sunt, nec conditione junguntur. Ut igitur singularium natura clarescat, de unaquaque est disserendum. Prima igitur propositio talis esse debet, ut si sit *a* positum, *b* terminus non continuo subsequatur, itemque si *c* ponatur, non necesse sit *d* terminum consequi, sed posito quidem *a* termino, terminum *c*, posito vero *b*, terminum *d* esse necesse sit. Tunc enim eveniet ut si, posito *a*, fuerit *b*, necesse sit *c* posito subsequi *d*, ut si sint termini *a* homo, *b* medicus, *c* ani-

matum, *d* artifex. Posito enim homine non necesse, A est ut medicus sit, et cum sit animatum, non necesse est ut artifex sit. At si homo sit, necesse est ut sit animatum, et si medicus est, necesse est ut artifex sit. Hoc itaque posito, eveniet ut si cum homo sit, medicus est, cum sit animatum, sit artifex. Secunda propositio ita esse debet, ut *a* atque *b*, item *c* atque *d* præter se esse possint, sed *a* præter *c* esse non possit, *b* autem atque *d* simul esse non possint. Tunc enim eveniet ut si posito *a* termino, *b* fuerit consecutum, posito *c* non esse *d* necesse sit, ut si sit *a* homo, *b* niger, *c* animatum, *d* album ; homo namque præter nigrum, et animatum præter album et esse et non esse potest, homo vero præter animatum nigrum aut cum albo esse non possit, evenitque ut si cum sit homo, niger est, cum sit animatum non B sit albus. Item tertiæ propositionis tales terminos esse oportebit, ut *a* præter *b* esse possit, *c* vero vel eum *a* vel cum *d* esse non possit, quocirca evenit ut si posito *a* termino fuerit *b*, negato *c* termino *d* esse necesse sit, ut sit *a* quidem animatum, *b* medicus, *c* inanimatum, *d* artifex, animatum enim præter medicum esse potest, inanimatum vero neque cum animato neque cum artifici jungi potest ; itaque si cum animatum est, medicus est, cum inanimatum non sit, artifex est. Quarta propositio his terminis contexenda est, ut *a* quidem cum *b* termino, *c* autem cum *d* vel esse vel non esse possit. Neque vero *a* cum *c*, neque *b* cum *d*, ullo modo esse possibile sit, Tunc enim evenit ut si *a* posito, *b* subsequatur, *c* negato, negetur etiam *d*, ut si sit *a* homo, *b*, niger *c* C inanimatum, *d* album, homo quidem præter nigrum, inanimatum vero præter album et esse et non esse potest; neque tamen homo cum inanimato, neque nigrum cum albo esse possibile est ; si tamen cum homo sit, niger est, sequitur ut cum non sit inanimatum, non sit album. Quintæ propositionis hæc membra sunt, ut *a* præter *b*, et *c* præter *d* esse et non esse possint, sed *a* præter *c* esse non possit, *b* atque *d* nunquam simul esse possint, ita ut si alterum non sit, alterum esse necesse sit, tunc enim eveniet ut si *a* posito *b* negetur, *c* posito *d* subsequatur, ut si sit *a* quidem homo, *b* æger, *c* animatum, *d* sanus, homo quidem præter ægritudinem, animatum vero præter sanitatem et esse et non esse potest ; sed si homo sit, animatum esse necesse est, et si non sit æger, sanum esse necesse est : itaque fiet ut si cum D homo sit, non sit æger, cum sit animatum, sit sanus sexta propositio hos terminos habere desiderat, ut *a* præter *b*, et *c* præter *d* et esse et non esse possit. Idem vero *a* præter *c*, et *d* præter *b*, esse non possit. Tunc enim eveniet ut si *a* posito non est *b*, posito *c* non sit *d*, ut si sit a homo, *b* artifex, *c* animatum, *d* medicus, homo quidem præter artificium, et animatum vero præter medicinam esse et non esse potest, neque vero homo præter animatum, neque medicus præter artificium esse potest. Quo fit ut si cum homo est, artifex non est, cum sit animatum, non sit medicus. Septimæ propositionis hi termini sunt, ut *a* quidem præter *b* esse possit, *c* vero neque cum *d* neque cum *a* esse possit, *b* etiam cum *c* simul esse non possit, ita namque evenit ut si, posito *a* esse, *b* denegetur, negato *c* termino, *d* sequatur, ut si *a* quidem sit animatum, *b* sanum, *c* inanimatum, *d* ægrum. Animatum quidem præter sanitatem et esse et non esse potest. Inanimatum vero neque cum animato neque cum ægro convenire potest. Quo fit ut si cum animatum est, sanum non est, cum non sit inanimatum, ægrum sit. Item octava propositio his terminis copulanda est, ut *a* quidem præter *b* terminum et esse et non esse possit, *c* vero neque cum *a* neque cum *d* esse possit, sed *d* præter *b* esse non possit. Hoc enim pacto eveniet ut si *a* posito, *b* denegetur, denegato *c* termino, *d* terminus non sit, ut si sit animatum, *b* artifex, *c* inanimatum, *d* medicus. Animatum enim præter artificium et esse et non esse potest. Inanimatum vero neque cum animato, neque cum medico convenit. Medicus vero præter artificium esse non potest, unde evenit ut si cum animatum est, non sit artifex, cum non sit inanimatum, non sit medicus. Nona propositio fiet, si *a* quidem atque *b* simul esse non possint, *c* vero possit esse præter *d*, cum *a* vero esse non possit. Tunc enim eveniet ut si *a* denegato, *b* esse consequitur, *c* posito, *d* sequatur, ut si sit *a* quidem inanimatum, *b* medicus, *c* animatum, *d* artifex. Inanimatum quippe medicus esse non potest, animatum vero potest non esse artifex, inaminatum vero atque animatum simul esse non potest. Quo fit ut si cum non est inanimatum, medicus sit, cum sit animatum sit artifex. Decimam propositionem tales termini copulabunt, ut *a* quidem præter *b*, at vero *c* præter *d* esse possit, sed *a* cum *c*, et *b* cum *d* esse non possit, ita enim proveniet ut si negato *a* esse, *b* consequatur, posito *c* termino, *d* non esse necesse sit, ut si *a* inaminatum, *b* nigrum, *c* animatum, *d* album. Inanimatum quippe præter nigrum, et animatum præter album et esse et non esse possunt. Sed inanimatum cum animato, et nigrum cum albo simul esse non possunt. Sed si negatum fuerit inanimatum et consecutum sit nigrum, posito animato album esse negabitur. Item undecima propositio ea sit, ut neque *a* cum *b*, neque *c* cum *d*, simul esse possit, *a* vero sine *c*, et *b* sine *b* esse non possit, ita enim si cum *a* sit negatum, *b* sequatur, cum *a* negabitur, *d* esse necesse est, ut si sit *a* inanimatum, *b* medicus, *c* invitale, *d* artifex, inanimatum quidem medicus esse non potest, quocirca ne invitale quidem artifex : sed quod inanimatum est, non potest non esse invitale, itemque qui medicus est non potest non esse artifex. Si igitur inanimatum negetur et medicum esse consequatur, cum negabitur esse invitale, artifex esse consequitur. Duodecima propositio est quam talibus terminis constare oportebit, ut *a* quidem præter, *b*, at vero *c* præter *d* vel esse vel non esse possit; *a* vero sine *c*, et b cum *d* esse non possint, ita enim cadet ut si *a* negato, *b* sequatur, *c* negato, *d* etiam negetur, ut si fuerit *a* inanimatum, *b* album, *c* invitale, *a* nigrum, inanimatum quidem

præter album, invitale autem præter nigrum vel esse vel non esse potest. Si tamen inanimatum homo sit, et sit album, cum invitale non sit, non erit nigrum. Tertia decima propositio his terminis connectenda est, ut *a* quidem præter *b*, at vero *c* præter *d* esse possit, *a* vero atque *c*, et *b* atque, *d*, ita simul esse non possint, ut si alterum eorum non fuerit alterum esse necesse sit, ita namque fiet ut si cum *a* negatum sit, *b* negetur, cum *c* affirmatum fuerit, *d* affirmetur, ut si sit *a* irrationabile, *b* ægrum, *c* rationabile, *d* sanum. Irrationabile namque præter ægrum, et rationabile præter sanitatem esse potest, irrationabile vero atque rationabile, et ægrum atque sanum simul esse non possunt; si tamen alterum eorum non fuerit, alterum esse necesse est, itaque fit ut si irrationabili denegato ægrum denegetur, rationali posito sanum ponatur. Quarta decima propositio his texenda membris est, ut *a* quidem præter *b*, et *c* præter *d* esse possint, sed *a* atque *c* simul esse non possint, ita ut cum alterum non fuerit, alterum esse necesse sit, *d* vero præter *b* esse non possit. Fit igitur ut si cum sit *a* denegatum, *b* denegetur, cum sit *c*, non sit *d*, ut si sit *a* inanimatum, *b* artifex, *c* animatum, *d* medicus. Inanimatum quidem præter artificem animatum vero præter medicum esse potest, inanimatum vero cum animato non convenit, et medicus ab artifice nullo modo separatur. Fit igitur ut si cum non est inanimatum, non sit artifex, cum sit animatum non sit medicus. Quinta decima propositio hos terminos habere debet, ut *a* quidem si non sit, *c* non esse necesse sit, *b* vero atque *d* talia sint, ut altero eorum negato, alterum eorum esse necesse sit. Ita namque fiet ut si cum sit *a* denegatum *b* negetur, cum negabitur *c*, affirmetur *d*, ut si sit *a* quidem irrationale, *b* sanum, *c* inanimatum, *d* ægrum, irrationale quidem si non sit, non est inanimatum, sanum etiam atque ægrum simul esse non possunt, et qui sanum negaverit ægrum necesse est affirmet, itemque e diverso; est igitur ut si negato irrationabili negetur sanum, negato inanimato ægrum ponatur. Sexta decima propositio est quæ his terminis constat, ut *a* quidem præter *c*, at vero *d* præter *b* esse non possit, *a* vero cum *b*, et *c* cum *d*, esse nullo modo queant. Evenit igitur ut si *a* quidem negato, negabitur *b*, denegato *c* terminus *d* abnuatur, ut si sit *a* ananimatum, *b* artifex, *c* invitale, *d* medicus; inanimatum igitur præter invitale et medicus præter artificem esse non potest, inanimatum vero cum artifice et invitale cum medico esse non poterit. Si igitur, negato inanimato negetur artifex, negato invitali negetur medicus. Atque hæc quidem ratio propositionum, quarum superius exempla descripsimus, idcirco intelligatur assumpta, ut earum natura claresceret, non quo aliter inesse termini esse non possint. Nam, ut superius dictum est, non sufficit quolibet modo jungere terminos, ut fiant hypotheticæ propositiones ex duabus conditionalibus conjugatæ. Non enim si quis dicat, si cum homo est, animal est, cum dies est, lucet, talem fecerit propositionem quæ duabus conditionibus constet, idcirco quia prior conditio non est secundæ causa conditionis, hoc igitur superius positarum propositionum ratio demonstrat, quemadmodum fit, ut conditionem conditio consequatur. Quæ cum ita sint de earum dicendum est syllogismis. Fit igitur ex prima propositione syllogismus hoc modo: si cum est *a*, est *b*, cum sit *c*, est *d*. Atqui cum sit *a*, est *b*, cum igitur sit *c*, erit *d*; vel ita, atqui cum sit *c*, non est *d*, cum igitur sit *a*, non est *b*. Posse vero hanc esse assumptionem superius descripta propositionum natura demonstrat. Item ex secunda propositione, si cum est *a*, est *b*, cum sit *c*, non est *d*. Atqui cum sit *a*, est *b*, cum igitur sit *c*, non est *d*; vel ita, atqui cum sit *c*, est *d*, cum igitur sit *a*, non est *b*. Ex tota, si cum sit *a*, est *b*, cum non sit *c*, est *d*. Atqui cum sit *a* est *b*, cum igitur non sit *c*, est *d*; vel ita, atqui cum non sit *c*, non est *d*, cum igitur sit *a*, non est *b*. Item ex quarta, si cum sit *a*, est *b*, cum non sit *c*, non est *d*. Sed cum sit *a*, est *b*, cum igitur non sit *c*, non *d*; vel ita, atqui cum non sit *c*, est *d*, cum igitur sit *a*, non est *b*. Ex quinta propositione fiunt quatuor collectiones, ita namque termini proponuntur, ut utrobique fiat rata conclusio hoc modo: si cum est *a*, non est *b*, cum sit *c*, est *d*. Atqui cum sit *a*, non est *b*, cum igitur, sit *c*, est *d*; vel ita, atqui cum sit *a*, est *b*, cum igitur sit *c*, non est *d*; vel ita, atqui cum sit *c*, non est *d*, cum igitur sit *a*, est *b*; vel ita, atqui eum sit *c*, est *d*, cum igitur sit *a*, non est *b*. Ex sexta, si cum est *a*, non est *b*, cum sit *c*, non est *d*. Atqui cum sit *a*, non est *b*, cum igitur sit *c*, non est *d*; vel ita, atqui cum sit *c*, non est *d*. Cum igitur sit *a*, est *b*. Ex septima item fiunt quatuor syllogismi hoc modo, si cum est *a*, non est *b*, cum non sit *c*, est *d*. Atqui cum est *a*, non est *b*, cum igitur non sit *c*, est *d*; vel ita, atqui cum sit *a*, est *b*, cum igitur non sit *c*, non est *d*, vel ita, atqui cum non sit *c*, non est *d*, cum igitur sit *a*, est *b*; vel ita, atqui cum non sit *c*, est *d*, cum igitur *a* sit, non est *b*. Ex octava propositione, si cum est *a*, non est *b*, cum non sit *c*, non est *d*. Atqui cum sit *a*, non est *b*, cum igitur non sit *c*, est *d*; vel ita, atqui cum non sit *c*, est *d*, cum igitur sit *c*, est *b*. Hactenus quidem ex hujusmodi propositionibus, quæ *a* esse proponebant, atque ita cæteros terminos affirmando negandoque variabant, ostendimus qui fierent syllogismi. Nunc ex his propositionibus quinam syllogismi fiant dicendum est, quæ ita cæteros terminos variant, ut *a* quidem non esse proponant. Ex nona enim propositione fit syllogismus ita, si cum non est *a*, est *b*, cum sit *c*, est *d*. Atqui cum non sit *a*, est *b*, cum igitur sit, *c*, est *d*; vel ita, atqui cum sit *c*, non est *d*, cum igitur non sit *a*, non est *b*. Item ex decima, si cum non est *a*, est *b*, cum sit *c*, non est *d*. Atqui cum non est *a*, est *b*, cum igitur *c*, non est *d*; vel ita, atqui cum sit *c*, est *d*, cum igitur non sit *a*, non est *b*. Ex undecima, si cum non est *a*, est *b*, cum non sit *c*, est *d*. Atqui cum non sit *a*, est *b*, cum igitur non sit *c*, est *d*; vel ita, at cum non sit *c*, non est *d*, cum igitur non sit *a*, non est *b*. Ex

duodecima, si cum non sit *a*, est *b*, cum non sit *c*, non est *d*,atqui cum non sit *a*,est *b*, cum igitur non sit *c*, non est *d*;vel ita, atqui cum non sit *c*, est *d*, cum igitur non sit *a*, non est *b*. Ex tertia decima, quæ quatuor colligit syllogismos hoc modo : si cum non est *a*, non est *b*,cum sit *c*, est *d*. Atqui cum non sit *a*, non est *b*, cum sit *c*, est *d*; vel ita, atqui cum non sit *a*,est *b*, cum igitur *c*, non est *d* ; vel ita,atqui cum sit *c*, est *d*,cum igitur non sit *a*, non est *b*; vel ita,atqui cum sit *c*, non est *d*, cum igitur non sit *a*,est *b*.Item ex quarta decima, si cum non est *a*, non est *b*, cum sit *c*, non est *d*. Atqui cum non est *a*,non est *b*,cum igitur sit *c*, non est *d*; vel ita,atqui cum sit *c*,est *d*,cum igitur non sit *a*, est *b*. Quinta decima rursus quatuor colligit syllogismos, hoc modo: si cum non est *a*,non est *b*, cum non sit *c*, est *d*.Atqui cum non sit *a*,non est *b*, cum igitur non sit *e*, est *d*; vel ita, atqui cum non sit *a*, est *b*, cum igitur non sit *c*,est d;vel ita, atqui cum non sit *c*, non est *d*, cum igitur non sit, *a*, est *c* ; vel ita, atqui cum non sit *c*,est *d*,cum igitur non sit *a*, non est *b*. Ex sexta decima propositione;si cum non sit *a*,non est *b*, cum non *c*, non est *d*. Atqui cum non sit *a*, non est *b*, cum igitur non sit *c*, non est *d*; vel ita atqui cum non sit *c*, est *d*. Cum igitur non sit *a*, est *b*.Ex quibus omnibus quadraginta conclusiones fiunt.Sedecim quidem assumpta prima conditione, ita ut in prima propositione est posita.Sedecim vero assumpta secunda conditione contrario modo atque in propositione est collocata. Octo vero ex quinta, septima,tertia decima et quinta decima propositionibus fiunt assumptis primis quidem conditionibus contrario modo,atque in propositione proferebantur secundis vero conditionibus eodem modo assumptis, ut in propositione fuerant collocatæ.Ut igitur omnium propositionum conclusionumque ratio clarescat,omnes hujusmodi enuntiationes cum propriis proposuimus exemplis.

Si cum sit *a* homo, est *b* medicus, cum sit *c* animatum, est *d* artifex.
Si cum sit *a* homo, est *b* niger, cum sit *c* animatus, non est *d* albus.
Si cum sit *a* animatum, est *b* medicus, cum non sit *c* inanimatum, est *d* artifex.
Si cum sit *a* homo, est *b* niger, cum non sit *c* inanimatus, non est *d* albus.
Si cum sit *a* homo, non est *b* æger, cum sit *c* animatus, est *d* sanus.
Si cum sit *a* homo, non est *b* artifex, cum sit *c* animatus,non est *d* medicus.
Si cum sit *a* animal, non est *b* sanus, cum non sit *c* inanimatum, est *d* ægrum.
Si cum sit *a* animatum, non est *b* artifex, cum non sit *c* inanimatum, non est *d* medicus.
Si cum non sit *a* inanimatum, est *b* medicus, cum sit *c* animatum, est *d* artifex.
Si cum non sit *a* inanimatum, est *b* niger, cum sit *c* inanimatum, non est *d* album.
Si cum non sit *a* inanimatum, est *b* medicus, cum non sit *c* invitale, est *d* artifex.
Si cum non sit *a* inanimatum, est *b* album, cum sit *c* invitale, non est *d* nigrum.
Si cum non sit *a* irrationale, non est *b* ægrum, cum sit *c* rationale, est *d* sanum.
Si cum non sit *a* inanimatum, non est *b* artifex, cum sit *c* animatum, non est *d* medicus.
Si cum non sit *a* irrationale, non est *b* sanum, cum non sit *c* inanimatum, est *d* ægrum.
Si cum non sit *a* inanimatum, non est *b* artifex, cum non sit *c* invitale, non est *d* modicus.

Ac de his quidem qui per connexionem fiunt hæc dicta sint. Hi vero qui in disjunctione sunt positi illis videntur adjuncti,eorumque modos formasque suscipiunt,quos superius in connexione positos ex his propositionibus fieri diximus quæ duabus simplicibus jungerentur.Si igitur in disjunctione propositarum propositionum ad causarum similitudinem monstravero quæ in connexione positæ ex simplicibus copulatæ sunt, quot modi,qualescunque conclusiones sunt in unaquaque illarum, quæ per connexionem fiunt propositionum, totetiam in his esse necesse est quæ per disjunctionem pronuntiatæ eamdem vim connexionis habere monstratur. Quatuor igitur superius differentias per connexionem enuntiatarum propositionum esse diximus, si ex simplicibus propositionibus copularentur,hoc modo si est *a*, est *b*; si non est *a*, non est *b*; si est *a* non est *b*; si non est *a*,est *b*. Per disjunctionem quoque propositiones quatuor tenent differentias hoc modo : aut est *a*, aut est *b*: aut non est *a*, aut non est *b*;aut est *a*, aut non est *b*; aut non est *a*,aut est *b*. Quarum quidem ea quæ prima est et proponit,aut est *a*,aut est *b*.In his tantum dici potest in quibus alterum eorum esse necesse est, velut in contrariis medietate carentibus, similisque est ei propositioni quæ dicit : si non est *a*, est *b*. Quæ enim proponit aut est *a*, aut est *b*, id intelligit, neque simul utrœque esse posse,et si unum non fuerit,consequi ut sit alterum. Itaque si non sit *a*, erit *b*,sed hæc una est earum propositionum quas in his quæ per connexionem fiunt superius numeravimus. Quicunque igitur syllogismi in ea propositione fiunt, quæ est,si non est *a*, est *b*, hi etiam in ea faciendi sunt quæ per disjunctionem proponetur, ut cum dicimus,aut est *a*, aut est *b*. Fiunt igitur in superiore quatuor modis.Quamlibet enim partem propositionis assumpseris, sive præcedentem, sive etiam consequentem,sive negativo modo, sive affirmativo, faciet syllogismum.Nam si hæc propositio sit,si non est *a*, est *b*, sive non sit *a*, erit *b*; sive sit *a*,non erit *b*; sive non sit *b*, erit *a*; sive sit *b*, non erit *a*. In propositione quoque disjunctiva idem est. Nam cum dicitur,aut est *a*,aut est *b*,siquidem *a* fuerit, *b* non erit;quod si *a* non fuerit, erit *b*; et si *b* non sit, erit *a*;si *b* non fuerit,non erit *a*.Id quoque tali declaratur exemplo;nam si sit propositio,aut æger est, aut sanus,quidquid horum in assumptione assumptum fuerit,vel negatum,altera pars vel affirmabitur, vel

negabitur hoc modo: Nam si sanus est, non est æger: si non est sanus, est æger; si æger est, non est sanus; si non æger est, est sanus. Item ea propositio disjunctiva quæ proponit, aut *a* non est, aut *b* non est, fit quidem de his quæ quolibet modo simul esse non possunt, etiamsi non alterum eorum esse necesse sit, similisque est si propositioni connexæ per quam ita proponitur, si est *a*, non est *b*. Quæ enim sic enuntiat, aut non est *a*, aut non est *b*, id nimirum sentit, quod si *a* sit, *b* esse non possit, id ita probabitur. Cum enim proponitur hoc modo, aut non est *a*, aut non est *b*, cum si assumatur esse *a*, non erit *b*. Quocirca ei propositioni connexæ similis est quæ ita enuntiat, si sit *a*, non esse *b*. In hac vero propositione, duæ tantum complexiones syllogismos procreabant. Nam si esset *a*, non erat *b* et si esset *b*, non erat *a*. Si cum non esset *a*, non necesse erat esse vel non esse *b*. Sive autem non esset *b*, non necesse erat esse vel non esse *a*. Quocirca et in disjunctiva propositiones totidem syllogismos esse necesse est, totidem vero in collectibiles complexiones; nam cum ita proponitur, aut non est *a*, aut non est *b*, ita dicitur, si sit *a*, non erit *b*: et si sit *a*, non erit *b*. Sive autem non sit *a*, non necesse erit esse vel non esse *b*. Sive non sit *b*, non necesse erit esse vel non esse *a*, velut in his apparet exemplis. Si enim quis dicat, aut non est album, aut non est nigrum, sed assumat, atqui est album, non erit nigrum; vel rursus, atqui est nigrum, non erit album. Sive album non esse assumpserit, non necesse erit esse vel non esse nigrum; sive nigrum non esse assumpserit, ut si vel non sit album, nullam faciet necessitatem. Item ea propositio per quam ita proponitur, aut est *a*, aut non est *b*, dicitur quidem de sibimet adhærentibus proponiturque in his propositionibus quæ de majoribus ad minora tendunt, similisque est ei propositioni connexæ quæ enuntiat, si non est *a*, non est *b*. Nam si quis dicit, aut est *a*, aut non *b*, si assumat, atqui non est *a*, modis omnibus non erit *b*. Si igitur non sit *a*, non erit *b*. Id enim hæc disjunctio præmittebat, in hac vero siquidem *a* negaretur, vel affirmaretur *b*, fiebat aliquis syllogismus. Sive autem *a* affirmaretur, sive *b* negaretur, nulla erat in conclusione necessitas: idem provenit in disjunctiva. Nam cum proponitur, aut est *a*, aut non est *b*, siquidem non sit *a*, non erit *b*. Si vero sit *b*, erit *a*: quod si sit *a*, vel non sit *b*, A nihil est necessarium. Id vero in his terminis approbabimur, si quis ita proponat, aut animal est, aut non homo, si igitur animal non sit, non erit homo; si homo sit, animal est; sive autem animal sit, non necesse est esse hominem, sive homo non sit, non necesse est animal interire. Ea vero propositio quæ dicit, aut non est *a*, aut est *b*, in his quæ adhærent proponi potest, et *a* minoribus ad majora contendi, et est similis ei propositioni connexæ quæ dicit: si est *a*, est *b*. Nam cum ita quis enuntiet, siquidem assumatur esse *a*, statim consequitur ut sit *b*. Sed in hac propositione siquidem affirmaretur esse *a*, sequebatur ut esset *b*. Quod si negaretur *b*, sequebatur ut non esset *a*. Sive autem negaretur *a*, sive affirmaretur *b*, nihil necessarium videbitur accidere. Et in ea igitur propositione disjuncta, quæ dicit, aut B non est *a*, aut est *b*, siquidem fuerit *a*, erit *b*; si non fuerit *b*, non erit *a*. Sive autem non sit *a*, sive sit *b*, nulla est necessitas syllogismi, ut in hoc declaratur exemplo, aut non est homo, aut animal est. Si igitur assumamus, atqui est homo, erit animal. Si negemus esse animal, non erit homo; si autem hominem negemus, vel animal affirmemus, nihil necessarium cadet. Quocirca ex his quæ superius dicta sunt declaratur quot disjunctarum propositionum syllogismi sint, vel quibus ab his quæ connexæ sunt differentiis segregentur. Quæ enim connexæ sunt quamdam in eo quod est esse vel non esse consequentiam monstrant; quæ vero per disjunctionem proponuntur ita sunt, ut sibimet consentire non possint. Invenias quoque per connexionem propositiones, quæ C id intelligi volunt, ut a se nequeant separari, ut cum ita proponimus, si est *a*, est *b*. Id nimirum hæc propositio intelligit, quod si esse potuerit *a*, statim consequitur ut sit etiam *b*. Nulla vero earum quæ in disjunctione sunt ita proponitur, ut simul esse videantur. Cum enim dicimus, aut est *a*, aut *b* est, aut easdem propositiones quolibet alio modo variamus, id aut conjuncto quæ disjunctiva ponitur, sentit simul eas esse non posse. Et cum late earum pateat differentia, idcirco nunc de eisdem pauca subjunximus, quoniam totidem syllogismos fieri dicebamus in his propositionibus quæ per disjunctionem fierent quot etiam fuerunt in connexis. Et quoniam de omnibus qui quoquo modo possint fieri hypotheticis syllogismis sufficienter dictum est. Hic operis longitudinem terminemus.

AN. MANL. SEV. BOETII

LIBER DE DIVISIONE.

Quam magnos studiosis afferat fructus scientia D probatus, et in libri Platonis, qui Sophistes inscribividendi, quamque apud peripateticam disciplinam, tur, commentariis a Porphyrio repetitus, et ab eosemper hæc fuerit in honore notitia, docet et Andro- dem per hanc, introductionis laudata in Categorias nici, diligentissimi senis, de divisione liber editus, utilitas. Dicit enim fore necessarium generis, speciei et hic idem a Plotino gravissimo philosopho com- differentiæ proprii, accidentisque peritiam, cum

ia multa,tum propter utilitatem quæ est
artiendi.Quare quoniam maximus usus est
ue doctrina,ego quoque id,sicut pleraque
manis auribus tradens, introductionis mo-
que in eamdem rem,et competenti subtili-
tione,et moderata brevitate,perscripsi,ut
as decisæ orationis, et non perfectæ sen-
entium mentibus ingeratur;nec putet su-
a loquacitatem harum rerum inexperiens,
olensque novi, audientium mentes ha-
ullus livor,id quod et arduum est natura,
a nostris ; nobis autem magno et labore,et
utilitate digestum,obliquis morsibus ob-
s obfuscet ;denique potius viam studiis,
scendo, nunc etiam comprobando,quam
s artibus stringant,dum quidquid novum
nti obstinatione repudiant.Quis enim non
imum ad bonarum artium valere defectum
entes hominum nunquam sit desperatio
i? Sed hæc hactenus. Nunc divisionis
nen dividendum est,et secundum unum-
ocabulum uniuscujusque propositi pro-
rtesque tradendæ sunt. Divisio namque
dis dicitur. Est enim divisio generis in
t rursus divisio cum totum in proprias di-
rtes. Est alia, cum vox multa significans
ationes proprias recipit sectionem. Præter
st alia divisio quæ secundum accidens fieri
ujus autem est triplex modus, unus cum
in accidentia separamus,alius cum acci-
bjecta dividimus,tertius cum accidens in
secamus : hoc ita fit, si utraque eidem
esse videantur.Sed harum omnium exem-
da sunt,quatenus totius hujus divisionis
scat.Genus dividimus in species cum di-
malium alia rationalia, alia irrationalia;
m alia mortalia, immortalia. Vel cum
olorum alia alba, alia nigra, alia media.
tem omnem divisionem generis in spe-
n duas fieri partes, aut in plures.Sed ne-
tæ species esse generis possunt,nec minus
loc autem cur eveniat, posterius demon-
st. Totum in partes divididur quoties in
us est compositum unumquodque resol-
cum dico, domus aliud esse tectum,
es,aliud fundamentum,et hominem con-
na et corpore.Cumque hominis dicimus
e Catonem, Virgilium, Ciceronem et sin-
cum particulares sint, vim tamen totius
ngunt atque componunt.Neque enim ho-
, nec singuli homines species, sed partes
us homo conjungitur. Vocis autem in si-
es proprias divisio fit, quoties una vox
ificans aperitur,et ejus pluralitas signifi-
tenditur,ut cum dico canis quod est no-
nc quadrupedem latrabilemque designat,
n quid ad Orionis pedem morbidum micat.
e alius marinus canis,qui in immoderatam
agnitudinem crescens,cæruleus appella-
A tur.Sed hujus divisionis duplex modus est.Aut enim
unum nomen multa significat,aut oratio jam nomi-
nibus verbisque composita;et nomen quidem multa
significat, ut id quod supra proposui. Oratio vero
multa designat,ut aio te, Æacida,Romanos vincere
posse. Et nominis quidem per significationes pro-
prias divisio æquivocationis partitio nuncupatur,
orationis vero in significationes proprias distributio
ambiguitatis discretio est quam Græci ἀμφιβολίαν
vocant,ita ut nomen multa significans æquivocum:
oratio vero multa designans amphibola atque am-
bigua prædicetur.Eorum autem quæ secundum ac-
cidens dividuntur,subjecti in accidentia divisio est,
ut cum dicimus omnium hominum alii sunt nigri,
alii candidi,alii medii coloris.Hæc enim accidentia
B sunt hominibus,non hominum species,et homo his
subjectum, non horum genus est. Accidentis vero
in subjecta sectio evenit,ut est omnium quæ expe-
tuntur, alia in anima, alia in corporibus sita sunt.
Animæ namque atque corpori id quod expetitur
accidens,non genus,est,et boni quod in anima et in
corpore est situm non sunt hæc species, sed subje-
cta. Accidentis vero in accidentia divisio est, ut
omnium candidorum, alia sunt dura,ut margarita,
alia liquentia,ut lac.Liquor namque et albedo atque
durities hic sunt accidentia.Sed album in dura atque
liquida separatum est. Cum ergo sic dicimus,acci-
dens, in alia accidentia separamus, sed hujusmodi
divisio vicissim semper in alterutra permutatur.Pos-
sumus enim dicere eorum quæ dura sunt,alia sunt
C nigra, alia alba, et rursus eorum quæ liquida,alia
sunt alba,alia nigra.Sed hæc rursus conversa divi-
dimus eorum quæ sunt nigra, alia sunt liquentia,
alia vero dura. Differt autem hujusmodi divisio ab
omnibus quæ supra dictæ sunt.Nam neque signifi-
cationem partiri possumus in voces, cum vox in
proprias significationes discernatur. Nec partes in
totum dividuntur,quamvis totum separetur in par-
tes, nec species secantur in genera, licet genus in
species dividatur. Quod vero superius dictum est
hanc divisionem ita fieri, si utraque contingerent
eidem inesse subjecto,si attentius perspicitur liquet.
Nam cum dicimus eorum quæ dura sunt alia esse
alba, alia nigra,ut lapis atque ebenus,manifestum
est ebeno utraque inesse et duritiem et nigredinem.
D In cæteris quoque id diligens lector inveniet.Quibus
autem summa operatio veritatis inquiritur,his prius
intelligendum est quæ sit horum omnium simul
proprietas,quibusque inter se sigillatim differentiis
segregentur. Omnis enim vocis et generis et totius
divisio, secundum se divisio nuncupatur. Reliquæ
vero tres in accidentis distributione ponuntur. Se-
cundum se autem divisionis hujusmodi differentia
est. Differt enim divisio generis a vocis divisione,
quod vox quidem in proprias significationes separa-
tur. Genus vero non in significationes,sed in quas-
dam a se quodammodo procreationes disjungitur,et
genus semper speciei propriæ totum est,ut univer-

salius in natura. Æquivocatio vero universalior significata re dicitur totum in voce,non etiam totum in natura. Illo quoque modo a vocis distributione dividitur,quod nihil habent commune præter solum nomen quæ sub ea voce sunt.Quæ vero sub genere collocantur,et nomen generis et diffinitionem suscipiunt.Amplius quoque non eadem apud omnes vocis est distributio. Quod enim apud nos dicitur canis, cum ejus multæ significationes in lingua Romana sint,simpliciter fortasse prædicatur in barbara;cum ea quæ apud nos uno nomine nuncupantur, illi pluribus fortasse significent nominibus.Generis apud omnes eadem divisio distributioque permanet.Unde fit ut vocis quidem divisio ad positionem consuetudinemque pertineat,generis vero ad naturam.Nam quod apud omnes idem est, naturæ est.Consuetudinis vero est, quod apud aliquos permutatur.Et hæ quidem sunt differentiæ generis,distributionis et vocis. Generis quoque sectio a totius distributione sejungitur,quod totius divisio secundum quantitatem fit.Partes enim totam substantiam conjungentes actu, aut ratione animi et cogitatione separantur. Generis vero distributio qualitate perficitur. Nam cum hominem sub animali locavero,tunc qualitate divisio facta est. Quale namque animal est homo, idcirco quoniam qualitate formatur.Unde quale sit animal homo respondens,aut rationale respondebit, aut certe mortale.Amplius genus omne naturaliter prius est propriis speciebus,totum autem propriis partibus posterius est. Partes quæ totum jungunt compositi sui perfectionem alias natura tantum,alias ratione quoque temporis antecedunt.Unde fit ut genus in posteriora, totum vero in priora solvamus. Hinc quoque illud vere dicitur,si genus interimatur, statim species deperire. Si species interempta sit, non peremptum genus in natura consistere.Contra evenit in toto. Nam si pars totius perit, totum non erit, cujus pars una sit interempta. Sed si totum pereat,partes remanent distributæ,ut si de integra domo quis abstulerit tectum, totum quod ante fuit interrupit. Sed perempto tecto, parietes et fundamenta constabunt. Amplius quoque genus speciebus materia est.Nam sicut æs accepta forma transit in statuam,ita genus accepta differentia transit in speciem. Totius vero partium multitudo materia est, forma vero earumdem partium compositio. Nam sicut species ex genere constat et differentia,ita totum constat ex partibus,unde fit ut totum ab unaquaque parte sua,partium ipsa compositione differat, species vero a genere,differentiæ conjunctione.Amplius quoque species idem semper quod genus est, ut homo idem est quod animal, et virtus idem est quod habitus.Pars vero non semper idem est quod totum.Neque enim idem est manus quod homo,nec idem paries quod domus.Et in his quidem quæ dissimiles partes habent,hoc clarum est. Sed non eodem modo in his quæ similes, ut in æris virgula, cujus partes quia sunt continuæ, et ejusdem sunt æris,videntur idem esse partes quod totum est, sed

A falso, fortasse enim idem sunt partes hujusmodi substantia, non etiam quantitate. Restat autem vocis et totius distributionis differentias dare.Differunt autem quod totum quidem constat partibus, vox vero non constat ex his quæ significat;et fit totius divisio quidem in partes,vocis autem non fit in partes, sed in eas res quas ipsa vox significat:unde fit ut sublata parte una totum pereat, sublata una re quam vox significat multa designans,vox illa permaneat.Nunc ergo quoniam secundum se divisionis differentiæ dictæ sunt, generis distributio pertractetur.Primum quid genus sit diffiniendum est. Genus est quod prædicatur de pluribus specie differentibus in eo quod est,species vero est quam sub genere collocamus. Differentia, quia aliud ab alio

B distare proponimus.Et est quidem genus quod interroganti quid quæque res sit convenit responderi, differentia quæ ad qualis percunctationem rectissime respondetur. Nam cum quis interrogat,quid est homo ?recte animal.Qualis est homo ? convenienter rationalia respondetur.Dividitur autem genus alias in species, alias in differentias, si species quibus oportet genus dividi nominibus carent,ut cum dico animalium alia rationalia sunt,alia irrationalia.Rationale et irrationale differentiæ sunt.Sed quoniam speciei hujus quæ est animal rationale nomen unum non est,idcirco pro specie differentiam ponimus,eamque superiori generi copulamus,omnis enim differentia in proprium genus veniens speciem facit.Unde fit ut quædam materia genus sit,forma differentia. Cum autem propriis nominibus species appellatur,

C non in differentias, sed in species fit recta generis divisio, unde est ut ex pluribus terminis diffinitio colligatur. Si enim omnes species suis nominibus appellarentur,ex duobus solis terminis omnis fieret diffinitio, ut cum dico, Quid est homo ? quid mihi necesse esset dicere animal rationale mortale, si animal rationale esset proprio nomine nuncupatum, cum reliqua quoque differentia,id est mortali,junctum diffinitionem hominis verissima ratione et integra conclusione perficeret?Nunc autem ad diffinitiones integras specierum divisio necessaria est,et forte in eodem divisionis diffinitionisque ratio versatur.Nam divisionibus junctis una componitur diffinitio.Sed quoniam alia sunt æquivoca,alia univoca, et quæ sunt univoca, ipsa in generum suscipimus

D sectiones, quæ vero sunt æquivoca, in his divisio sola significationis est,videndum prius est quid sit æquivocum,quid univocum,ne cum ista fefellerint, æquivocum nomen quasi in species,ita in significativas resolvamus,unde fit ut rursus ad divisionem necessaria sit diffinitio.Quid enim sit æquivocum, quid univocum diffinitione colligimus.Sunt autem differentiæ aliæ per se,aliæ vero per accidens;et harum aliæ sunt consequentes statim,aliæ relinquentes statim. Relinquentes hujusmodi sunt, ut dormire, sedere, stare, vigilare ; consequentes vero,ut capilli crispi, si non admissi sunt calamistro, et glauci oculi, si non sint quadam extrinsecus debili-

tate turbati.Sed hæc ad generis divisionem sumenda non sunt. Neque ad diffinitiones sunt commoda, omne enim quod ad divisionem generis aptum est, idem ad diffinitiones rectissime congregamus.Illa vero quæ per se sunt sola ad divisionem generis apta sunt.Hæc enim informant et perficiunt uniuscujusque substantiam, ut hominis rationabilitas et mortalitas. Sed has quemadmodum probare possimus,utrum ex eo sint genere statim relinquentium, an consequentium,an in substantia permanentium, hoc modo est videndum. Neque enim sufficit scire quas in divisione sumamus,nisi illud quoque cognitum sit,quemadmodum easdem ipsas quæ sumendæ sunt et quæ rejiciendæ rectissime cognoscamus.Videndum ergo primum est utrum proposita differentia omni possit et semper inesse subjecto;quod si ipsa vel actu vel ratione sejungitur, hæc a divisione generis separanda est. Si enim sæpe et actu et ratione sejunguntur, ex eo sunt genere quæ statim relinquunt,ut sedere quod frequentius quidem separatur,et actu ipso a subjecto dividitur. Quæ vero ratione sola a subjecto dividuntur, ea sunt consequentium differentiarum, ut glaucis oculis esse a subjecto ratione sejungimus, ut cum dico,est animal luminibus glaucis,ut quilibet homo;quod si hic non esset hujusmodi,non eum res aliqua esse hominem prohiberet.Aliud rursus est quod ratione separari non possit quod si separatum sit,species interimatur, ut cum dicimus inesse homini ut solus numerare possit, vel geometriam discere ; quod si hæc possibilitas ab homine sejungitur, homo ipse non permanet.Sed hæ non statim earum differentiarum sunt quæ in substantia insunt. Nam non idcirco homo est, quoniam hæc facere potest, sed quoniam rationalis est, atque mortalis. Hæ igitur differentiæ per quas species consistit, ipsæ et in diffinitione speciei, ut hominis, et in generis ejus divisione, quod continet speciem, ut ipsum hominem,collocantur;et universaliter dicendum est,quæcunque differentiæ hujusmodi sunt, ut non modo præter has species esse non possit,sed per eas solas sit, hæ vel in divisione generis,vel in speciei diffinitione sumendæ sunt.Quoniam vero quædam sunt quæ differunt, quæ contra se in divisionibus poni non debent,ut in animali rationale et bipes, nullus enim dicit animalium alia sunt rationalia, alia duos pedes habentia,idcirco quod rationale et bipes licet differant,nulla tamen a se oppositione sejunguntur. Constat quæcunque a se aliqua oppositione differunt, eas solas differentias sub genere positas genus ipsum posse disjungere. Sunt autem oppositiones quatuor, aut ut contraria, ut bonum malo ;aut ut habitus et privatio,ut visus et cæcitas.Quanquam sint et quædam res in quibus discernere difficultas sit utrum in contrariis an in privatione et habitu eas oporteat collocari, ut sunt motus, quies, sanitas, ægritudo, vigilatio,somnus, lux,tenebræ. Sed hæc alias,nunc de reliquis oppositionibus dicendum est.Tertia oppositio est quæ est secundum affirmationem et negationem, ut Socrates vivit, Socrates non vivit. Quarta secundum relationem,ut pater,filius,dominus,servus.Secundum quas igitur harum oppositionum quatuor divisio generis sit,rectissima ratione monstrandum est.Manifestum est enim et oppositiones esse quatuor,et genera et species per opposita separari.Nunc ergo dicendum est secundum quam oppositionem harum quatuor vel quemadmodum species a genere disjungi conveniat,et prima quidem sit contradictionis oppositio.Voco autem contradictionis oppositionem quæ affirmatione et negatione proponitur.In hac igitur negatio per se nullam speciem facit. Nam cum dico,homo,vel equus, vel aliquid hujusmodi,species sunt.Quidquid autem quis negatione protulerit speciem non declarat. Non enim esse hominem, species est ; omnis enim species constituit esse.Negatio vero quidquid proponit ab eo quod est esse disjungit, ut cum dico, homo, quasi sit quiddam locutus sum.Cum vero non homo, substantiam hominis negatione destruxi.Sic igitur per se caret divisio generis in species negatione. Necesse est autem sæpe speciem negatione componere,cum ea quam simplici nomine speciem volumus assignare nullo vocabulo nuncupatur,ut cum dico, imparium numerorum alii primi,ut tres, quinque, septem ; alii non primi, ut novem :et rursus figurarum aliæ sunt rectissimæ,et colorum alii sunt albi, alii nigri, alii nec albi, nec nigri. Ergo quando nomen unum speciebus positum non est,eas negatione proferre necesse est.Hoc igitur cogit interdum necessitas,non natura.Ideoque quoties negatione facimus sectionem, prius aut affirmatio, aut simplex dicendum est nonem, ut est numerorum, alii sunt primi,alii non primi.Nam si prius negatio dicta sit, tardior fit ejus rei quam proponimus, intellectus. Nam cum primum dicis esse aliquos primos numeros,cum quales sint primi exemplo vel diffinitione docueris, quales nen sint primi,mox auditor intelligit. Sin vero econtrario feceris, aut neutrum subito, aut tardius utrumque cognosces. Divisio vero quæ propter apertissimam generis naturam reperta est, debet potius ad intelligibiliora deducere.Amplius quoque prior est affirmatio, posterior vero negatio.Quod autem primum est, in divisione quoque primitus oportet ordinari. Necesse est quoque semper finita infinitis esse priora, ut æquale inæquali,virtutem vitiis,certum incerto,stabile et fixum instabili et mutabili. Sed omnia quæ aut definita parte orationis aut affirmatione proferuntur, plus finita sunt quam aut nomen cum particula negativa, aut tota negatio. Quare finito potius quam infinito est facienda divisio.Sed si cui per hæc quædam paretur anxietas aut obscuriora sint fortasse quam ipse desiderat,nihil ad me cognitionem facilem pollicentem. Neque enim rudibus hæc totius artis,sed imbutis et ulteriore pene loco progressis legenda et discenda proponimus. Qui vero hujus operis,id est dialectici ordo sit,cum de ordine peripatetice disciplinæ mihi dicendum esset,diligenter exposui. Hæc

quidem dicta sunt de oppositione quam affirmatio et negatio constituit. Illa vero quæ secundum habitum privationemque fit, ipsa quoque superiori videtur esse consimilis. Negat enim quodammodo privatio habitum, sed differt, quod semper quidem potest esse negatio, privatio vero non semper, sed tunc quando habere habitum possibile est; hoc vero nos jam prædicamenta docuere. Quare forma quædam intelligitur esse privatio. Non enim tantum privat, sed etiam circa seipsam privatum quemque disponit. Neque enim cæcitas oculum solum privat lumine, sed ipsa quoque secundum se privatum luce disponit; cæcus enim dicitur ad privationem quodammodo quasi dispositus et affectus, hoc quoque Aristoletes testatur in Physicis. Unde fit ut privationis differentia ad generis divisionem frequenter utamur. Sed hic quoque eodem modo sicut in contradictione faciendum est. Prius enim ponendus est habitus qui est affirmationi consimilis, post vero privatio quæ negationi. Aliquoties tamen privationes quædam habitus vocabulo proferuntur, ut orbus, cæcus, viduus. Aliquoties cum particula privationis, ut cum dicimus finitum infinitum, æquale inæquale. Sed in his æquale et finitum in divisione ponenda sunt prima, privationes vero secundæ. Ac de oppositione quidem privationis et habitus hæc dicta sufficiant. Contrariorum vero oppositio dubitatur fortasse an secundum privationem et habitum esse videatur, ut album et nigrum, an album quidem privatio nigri sit, nigrum vero albi. Sed hæc alias. Nunc autem ita tractandum est tanquam si sit aliud oppositionis genus, sicut est in prædicamentis ab ipso quoque Aristotele dispositum. In contrariis autem generum multa divisio est. Fere enim cunctas differentias in contraria deducimus. Sed quoniam contrariorum alia sunt medio carentia, alia mediata, ita quoque divisio facienda est, ut colorum, alia sunt nigra, alia sunt alba, alia neutra. Fieret autem omnis diffinitio, omnisque divisio duabus terminis, nisi (ut supra dictum est) indigentia quæ sæpe existit in nomine prohiberet. Quo autem modo utræque duobus terminis fierent, erit manifestum hoc modo: cum enim dicimus animalium alia rationalia sunt, alia irrationalia, animal rationale ad hominis diffinitionem tendit. Sed quoniam animalis rationalis unum nomen non est, ponamus ei nomen *a* litteram. Rursus *a* litteræ quod est animal rationale, alia mortalia sunt, alia immortalia. Volentes igitur diffinitionem hominis reddere dicemus, homo est *a* littera mortalis. Nam si hominis diffinitio est animal, rationale mortale, animal vero rationale per *a* litteram significatur, idem sentit *a* mortale tanquam si diceretur animal rationale mortale, *a* enim (ut dictum est) animal rationale significat. Sic ergo *a* littera et mortali duobus terminis facta est hominis diffinitio. Quod si reperirentur in omnibus quoque nomina, duobus terminis semper tota fieret diffinitio. Divisio quoque, nominibus positis, quoniam semper in duos terminos secatur, manifestum est, si quis generi et differentiæ cum deest nomen imponat, ut cum dicimus: Figurarum quædam sunt trilateræ, aliæ sunt æquilateræ, aliæ duo latera habentes æqualia, aliæ totæ inæquales sunt. Trina igitur divisio ista si proferretur, fieret duplex. Figurarum quæ sunt trilateræ, aliæ sunt æquales, aliæ inæquales. Inæqualium aliæ sunt duo latera tantum æqua habentes, aliæ tria inæqualia, id est omnia, et cum dicimus rerum omnium, alia sunt bona, alia sunt mala, alia indifferentia, quæ scilicet neque bona neque mala sunt, et si ita diceretur gemina divisio proveniret. Rerum omnium alia sunt differentia, alia indifferentia. Differentium alia sunt bona, alia mala. Ita ergo divisio omnis in gemina secaretur, si speciebus et differentiis vocabula non deessent. Quartam vero oppositionem diximus, quæ est secundum ad aliquid, ut pater, filius, dominus, servus, duplex, medium, sensibile, sensus. Hæc igitur nullam habent substantialem differentiam, qua a se discrepent, imo potius habent hujusmodi cognationem qua ad se invicem referuntur, ac sine se esse non possint. Non est ergo generis in relativas partes facienda divisio, sed tota hujusmodi sectio a genere separanda est. Neque enim hominis est species servus aut dominus, nec numeri medium aut duplum. Cum igitur quatuor sunt differentiæ oppositionum affirmationis et negationis, si non necesse est, semper tamen relationis rejicienda est divisio, privationis et habitus, et contrariorum sumendæ. Maxime autem contrarietas in differentiis ponenda est, nec non etiam privatio, idcirco quoniam quiddam contra habitum contrarium videtur opponi, ut est finitum et infinitum. Quanquam enim privatio sit infinitum, tamen contrarii imaginatione formatur. Est quædam namque (ut dictum est) forma. Dignum vero inquisitu est utrum in species an in differentias recte genera dividantur. Diffinitio namque divisionis est generis in species proximas distributio. Oportet igitur secundum naturam divisionis et secundum diffinitionem. Sed hoc interdum fieri nequit propter eam quam supra reddimus causam. Multi enim speciebus non sunt nomina. Atque ideo quoniam quædam sunt prima genera, quædam ultima, quædam media, primum quidem ut substantia, ultimum ut animal, medium ut corpus, corpus namque animalis genus est, substantia corporis. Sed quemadmodum neque super substantiam quidquam inveniri potest, quod generis loce valeat collocari, sic neque sub animali, homo namque species, non genus est. Quare antiquior videbitur speciei divisio, si indigentia nominum non sit, quod si his omnibus non abundamus, prima genera usque ad ultima convenit in differentias separare. Hoc autem fit hoc modo, ut primum genus in suas differentias disgregemus, non in posterioris; et rursus posterius in suas, sed non in posterioris. Neque enim eædem sunt differentiæ corporis quæ animalis. Si quis enim dicat: substantiæ aliud est corporale, aliud incorporale, recte divisionem fecerit, hæ nam-

que differentiæ propriæ substantiæ sunt. Si quis vero sic dicat, substantiarum alia sunt animata, alia inanimata, hic non recte substantias differentias segregavit. Corporis namque differentiæ hæ sunt, non substantiæ, id est secundi generis, non primi. Quare manifestum est secundum proprias differentias, non secundum posterioris generis, priorum generum divisionem esse faciendam. Quoties autem genus aut in differentias, aut in species solvitur, post divisionem factam mox diffinitiones, aut exempla subdenda sunt. Sed si quis diffinitionibus non abundat, satis est exempla subjicere, ut cum dicimus, corporum alia sunt animata, subjiciamus, ut homines vel feræ; alia inanimata, ut lapides. Oportet autem divisionem quoque, sicut terminum, neque diminutam esse, neque superfluam. Nam neque plures species quam quæ sub genere sunt oportet apponi, neque pauciores, ut in seipsam divisio, sicut terminus, convertatur. Convertitur enim terminus sic : virtus est mentis habitus optimus; rursus, mentis habitus optimus virtus est. Sic etiam divisio, omnes genus aliquid eorum erit quæ sunt, species proprium genus est; rursus, quælibet species proprium genus est. Fit autem generis ejusdem divisio multipliciter, ut omnium corporum, et quæcunque sunt alicujus magnitudinis. Sicut enim circulum in semicirculos, et in eos quos Græci vocant τομεῖς, nos divisiones possumus dicere, distribuimus, et tetragonum alias ducta per angulum, diametro in triangula, alias in parallelogrammata, alias in tetragona separamus. Ita quoque genus, ut cum dicimus, numerorum alii sunt pares, alii impares, et rursus alii primi, alii non primi : et triangulorum alia sunt æquilatera, alia duo sola latera æqualia habentia, alia totis inæqualia lateribus, et rursus triangulorum alia sunt recti angula, alia acutos habentia tres angulos, alia obtusi unius. Sic igitur generis unius sit divisio multiplex. Illud autem scire perutile est, quoniam genus una quodammodo multarum specierum similitudo est, quæ earum omnium convenientiam substantialem monstret, atque ideo collectivum plurimarum specierum genus est. Disjunctivæ vero unius generis species sunt quæ, quoniam differentiis informantur (ut dictum est), idcirco sub uno genere minus duabus speciebus esse non possunt, omnis enim differentia in differentium pluralitate consistit. Sed de divisione generis et speciei perplura dicta sunt. Hanc igitur insistentibus viam promptior per divisionem generis ad speciei diffinitionem facultas aderitur. Oportet autem non solum quas ad diffinitionem sumamus differentias addiscere, sed ipsius diffinitionis artem diligentissima cognitione complecti. Et illud quidem, an ulla possit diffinitio demonstrari, et quemadmodum per demonstrationem valeat inveniri, et quæcunque de ea subtilius in postremis Analyticis ab Aristotele tractata sunt prætermittam. Solam tantum exsequar diffiniendi regulam. Rerum enim aliæ sunt superiores, aliæ inferi res, aliæ mediæ. Superiores quidem diffinitio nulla complectitur, idcirco quod earum superiora genera inveniri non possunt. Porro autem inferiores ut sunt individua, ipsa quoque specificis differentiis carent. Quocirca ipsa quoque a diffinitione seclusa sunt. Mediæ igitur quæ et habent genera, et de aliis, vel generibus, vel de speciebus, vel de individuis prædicantur sub diffinitionem cadere possunt. Data igitur hujusmodi specie quæ et genus habeat, et de posterioribus prædicetur, primo ejus sumo genus, et illius generis differentias divido, et adjungo differentiam generi, et video num illa differentia juncta cum genere æqualis possit esse cum ea specie quam circumscribendam diffinitione suscepi; quod si minor fuerit species, illam rursus differentiam quam dudum cum genere posueramus quasi genus ponimus, eamque in alias suas differentias, separamus, et rursus has duas differentias superiori generi conjungimus; et si æquavit speciem, diffinitio speciei esse dicetur; sin minus fuerit secundam differentiam rursus in alia separamus. Quas omnes conjungimus cum genere, et rursus speculamur si omnes differentiæ cum genere illi æquales sint speciei quæ diffinitur, et postremo toties differentias differentiis distribuimus usque dum omnes junctæ generi speciem æquali diffinitione describant. Hujus autem rei clariorem facient exempla notitiam hoc modo : Si est nobis propositum diffinire nomen, vocabulum nominis de pluribus nominibus prædicatur, et quodam modo species continens sub se individua. Diffinio ergo nomen sic : sumo ejus genus quod est vox, et divido : vocum aliæ sunt significativæ, aliæ vero minime; vox non significativa nihil ad nomen, etenim nomen significat. Sumo ergo differentiam quæ est significativa, et jungo cum genere, id est cum voce, et dico vox significativa, et tunc respicio utrum genus hoc et differentia nomini sint æqualia. Sed nondum sunt æqualia, potest enim vox significativa esse, et non esse nomen. Sunt enim quædam voces quæ dolorem designant, aliæ quæ animi passiones naturaliter, quæ nomina non sunt, ut interjectiones. Rursus ipsam vocem significativam in alias differentias divido : vocum significativarum aliæ sunt secundum positionem hominum, aliæ naturaliter, et vox quidem significans naturaliter nihil ad nomen, vox vero significans secundum positionem hominum nomini congruit. Quocirca has duas differentias significativam et secundum positionem jungo cum voce, id est cum genere, et dico : nomen est vox significativa secundum placitum. Sed rursus mihi non æquatur ad nomen. Sunt namque et verba voces significativæ et secundum positionem. Non igitur solius nominis diffinitio est. Distribuo iterum differentiam quæ est secundum positionem, et dico : secundum positionem vocum significativarum aliæ cum tempore, aliæ sine tempore, et differentia quidem cum tempore nomini non conjungitur, idcirco quod verborum est consignificare tempora, nominum vero minime. Restat ergo ut congruat illa differentia quæ est sine tempore. Jungo

igitur has tres differentias generi, et dico : nomen est vox significativa ad placitum sine tempore. Sed rursus mihi non plena conclusio diffinitionis occurrit, potest enim vox et significativa, et secundum positionem et sine tempore esse, et nomen non esse unum, sed nomina juncta quæ est oratio, ut Socrates cum Platone et discipulis, sed quanquam imperfecta quidem sit hæc oratio, tamen est oratio. Quocirca ultima differentia quæ est sine tempore aliis item differentiis dividenda est, et dicemus, vocum significativarum secundum positionem sine tempore aliæ sunt quarum pars extra aliquid significat, hoc pertinet ad orationem, aliæ quarum pars extra nihil significat, hoc pertinet ad nomen. Nominis enim pars nihil extra designat. Fit ergo diffinitio sic : Nomen est vox significativa secundum placitum sine tempore, cujus nulla pars extra significat separata. Videsne igitur quam recta diffinitio constituta sit? Nam quod dixi vocem, a cæteris sonis nomen disjunxi : quod significativam apposui, nomen ab non significativis vocibus separavi ; quod secundum placitum et sine tempore, ab naturaliter significativis vocibus et a verbis proprietas nominis disjuncta est ; quod ejus partes extra nihil significare proposui, ab oratione disjunxi, cujus partes aliquid separatæ extra significant : unde fit ut quodcunque nomen fuerit, illa diffinitione claudatur, et ubicunque hæc oratio diffinitionis aptabitur, illud esse nomen non dubites. Illud quoque dicendum est, quod genus in divisione totum est in diffinitione pars, et sic est diffinitio quasi partes totum quoddam conjungant, et sic est divisio quasi totum solvatur in partes, et est similis divisio generis totius divisioni, diffinitio totius compositioni. Namque in divisione generis animal totum est hominis. Intra se enim complectitur hominem. In diffinitione vero pars est, specie namque genus cum aliis differentiis junctum componit, ut cum dico animalium alia sunt rationalia, alia irrationalia, et rursus rationalium alia sunt mortalia, alia immortalia, animal rationalis totum est, et rursus rationale mortale, et hæc tria sunt hominis. Si vero in diffinitione dicam, homo est animal rationale mortale, tria hæc unum hominem conjungunt. Quocirca pars ipsius hominis, et genus, et differentia reperitur. Sic ergo in divisione genus est totum, species pars. Eodem quoque modo differentiæ totum sunt, species in quas illæ dividuntur partes sunt. In diffinitione vero et genus et differentiæ partes sunt. Diffinita vero species totum ; sed hæc hactenus. Nunc de ea divisione dicamus, quæ est totius in partes. Hæc enim erat secunda divisio post generis divisionem. Quod enim dicimus totum, multipliciter significamus. Totum namque est quod continuum est, ut corpus vel linea, vel aliquid hujusmodi. Dicimus quoque totum quod continuum non est, ut totum gregem, vel totum populum, vel totum exercitum. Dicimus quoque totum quod universale est, ut hominem vel equum. Hi enim sunt toti suarum partium, id est hominum vel equorum, unde et particularem unumquemque hominem dicimus. Dicitur quoque totum quod ex quibusdam virtutibus constat, ut animæ alia est potentia sapiendi, alia sentiendi, alia vegetandi : partes sunt, sed non species. Tot igitur modis cum totum dicatur, faciendа est totius divisio, primo quidem si continuum fuerit in eas partes ex quibus ipsum totum constare perspicitur. Aliter enim divisio non fit. Hominis enim corpus ita in partes suas divides, in caput, manus, thoracem et pedes, et si quo alio modo secundum proprias partes fit recta divisio. Quorum autem multiplex est compositio, multiplex etiam est divisio, ut animal separatur quidem in partes eas quæ sibi similes habent partes, in carnes, et ossa, rursus in eas quæ similes sibi non habent partes, in manus et pedes. Eodem quoque modo et navis et domus. Librum quoque in versus, atque hos in sermones, hos autem in syllabas, syllabas in litteras solvimus. Ita fit ut syllabæ et litteræ, et nomina, et versus, partes quædam totius libri esse videantur, alio tamen modo acceptæ non partes totius, sed partes partium sunt. Oportet autem non omnia speculari quasi actu dividant, sed quasi animo et ratione, ut vinum aqua mistum dividimus in vina aquæ mista, hæc actu ; dividimus etiam in vinum et aquam, ex quibus mistum est, hæc ratione, hæc enim jam mista actu separari non possunt. Fit autem totius divisio in materiam atque formam. Aliter enim constat statua ex partibus suis, aliter ex materia et forma, id est ex ære et specie. Similiter autem etiam illa tota dividenda sunt, quæ continua non sunt, eodem quoque modo et ea quæ sunt universalia, ut hominum alii sunt in Europa, alii in Africa, alii in Asia. Ejus quoque totius quod ex virtutibus constat, hoc modo facienda est divisio. Animæ alia pars est in virgultis, alia in animalibus, et rursus ejus quæ est in animalibus, alia est rationalis, alia sensibilis est. Et rursus hæc aliis sub divisionibus dissipantur. Sed non est anima horum genus, sed totum, partes enim hæ animæ sunt, sed non ut in quantitate, sed ut in aliqua potestate et virtute. Ex his enim potentiis substantia animæ jungitur ; unde fit, ut quiddam simile habeat hujusmodi divisio, et generis, et totius divisionis. Nam quod quælibet pars cujus fuerit ejus animæ prædicatio eam sequitur, ad generis divisionem refertur, cujus ubicunque species fuerit, ipsum mox consequitur genus ; quod autem non omnis anima omnibus partibus jungitur, sed aliis alia, hoc ad totius naturam referri necesse est. Restat igitur ut de vocis in significationes divisiones tractemus. Fit autem vocis divisio tribus modis. Dividitur enim in significationes plures, ut æquivoca vel ambigua. Plures enim res unum nomen significat, ut canis. Plures rursus una oratio, ut cum dico Græcos vicisse Trojanos. Alio autem modo secundum modum, hæc enim plura non significant, sed multis modis, ut cum dicimus infinitum, unam rem quidem significat, cujus terminus inveniri non possit. Sed hoc dicimus aut secundum mensuram, aut secundum multitudinem, aut secundum speciem : secundum mensuram, ut est infini-

tum esse mundum,magnitudine enim dicimus infinitum;secundum multitudinem,ut est infinitam esse corporum divisionem,infinitam namque divisionum multitudinem significamus.Rursus secundum speciem,ut infinitas dicimus figuras,infinitæ enim sunt species figurarum.Dicimus etiam infinitum aliquid secundum tempus,ut infinitum dicimus mundum, cujus terminus secundum tempus inveniri non possit.Eodem quoque modo infinitum dicimus Deum, cujus supernæ vitæ terminus inveniri secundum tempus non possit. Sic igitur hæc vox non plura significat secundum se, sed multimode de singulis prædicatur,unum tamen ipsa significans,alius vero modus secundum determinationem. Quoties enim sine determinatione dicitur vox ulla, facit in intellectu dubitationem, ut est homo, hæc enim vox multa significat.Nulla enim diffinitione conclusa audientis intelligentia multis raptatur fluctibus,erroribusque traducitur.Quod enim quisque auditor intelligat,ubi id quod dicens loquitur nulla determinatione concludit ? Nisi enim quis ita diffiniat dicens : Omnis homo ambubat,aut certe quidam homo ambulat,et hoc nomine si ita contingit designet, intellectus audientis quod rationabiliter intelligat non habet.Sunt etiam aliæ determinationes, ut si quis dicat,det mihi,quod dare debet nullus intelligit nisi intellectus et certa ratio determinationis addatur, vel si quis dicat,ad me veni,quo veniat vel quando veniat nisi determinatione non cognoscitur.Est autem omne quidem ambiguum dubitabile,non omne tamen dubitabile est ambiguum.Hæc enim quæ dicta sunt dubitabilia quidem sunt,non tamen ambigua. In ambiguis enim utraque auditor rationabiliter seipsum intellexisse arbitratur, ut cum quis dicit, audio Græcos vicisse Trojanos,unus putat quod Græci Trojanos vicerint,alius quod Trojani Græcos, et hæc uterque dicentis ipsius sermonibus rationabiliter intelligit.Cum autem dico, da mihi, quod dare debeas nullus ex ipsis sermonibus rationabiliter auditor intelligit. Quod enim ego non dixi,ille potius suspicabitur quam aliqua ratione id quod ante prolatum non est perspicaciter videat.Tot igitur modis cum vocis divisio fiat,aut per significantias,aut per modum significationum, aut per determinationes, in his quæ secundum significantiam dividuntur,non solum dividendæ sunt significationes,sed etiam diversas res esse quæ significantur, diffinitione demonstrandum est. Aristoteles enim hæc in Topicis diligenter præcepit, ut in his quæ dicuntur bona, alia sunt bona,ut ea quæ boni retinent qualitatem, alia quæ ipsa quidem nulla qualitate dicuntur,sed quod bonam rem faciunt, idcirco bona dicuntur. Oportet autem maxime exercere hanc artem,ut ipse Aristoteles ait,contra sophisticas importunitates.Si enim nulla subjecta sit res quam significat vox,designativa esse non dicitur ; sin vero una res sit quam significat vox,dicitur simplex ; quod si plures,multiplex,id est multa significans. Dividenda igitur hæc recte sunt, ne in aliquo syllogismo capiamur. Sin vero amphibola oratio est,id est ambigua evenit,ut aliquoties utroque modo possibilia sint quæ significantur,ut id quod superius dixi, potuit enim fieri ut Græci vincerent Trojanos,et Trojani Græcos superarent : sunt vero alia quæ impossibilia sunt, ut cum dico hominem comedere panem,significat quidem quod homo comedat panem,rursus quod panis hominem, sed hoc impossibile est ; ergo quoties ad contentionem venitur,dividenda possibilia et impossibilia sunt.Quoties ad veritatem,sola possibilia dicenda,impossibilia relinquenda sunt.Quoniam plures sunt species plura significantium vocum, ergo dicendum est quod aliæ in particula multiplicitatis significationem habent, aliæ in tota oratione. Et earum quæ in particula habent,pars ipsa æquivoca dicitur.Tota vero ipsa oratio secundum æquivocationem multiplex est.Illa vero quæ in oratione tota significationis multiplicitatem retinet (ut supra dictum est) ambigua nuncupatur. Dividitur autem significationes æquivocorum vel secundum æquivocationem orationum aut diffinitione,ut cum dico,homo vivit,intelligitur et verus et pictus.Dividitur autem hoc modo,animal rationale mortale vivit, quod verum est;animalis,rationalis,mortalis,simulatio vivit, quod falsum est.Dividitur etiam qualibet adjectione quæ determinet,vel generis, vel casus, vel alicujus articuli,ut cum dico : Canna Romanorum sanguine sorduit,et calamum demonstrat et fluvium ; sed dividimus sic,articulo quidem,ut dicamus,hic Canna Romanorum sanguine sorduit ; vel genere,ut Canna Romanorum plenus sanguine fuit ; vel casu,vel numero.In illo enim singularis tantum est,in illo pluralis,et de aliis quidem eodem modo. Sunt autem alia secundum accentum,alia secundum orthographiam.Secundum accentum quidem ut pone,pone. Secundum orthographiam,ut queror et quæror, ab inquisitione et querela. Et rursus hæc secundum orthographiam ipsam dividuntur,vel secundum actionem et passionem: quod quæror ab inquisitione passivum est,queror autem a querela agentis est.Ambiguarum vero orationum facienda est divisio,aut per adjectionem, ut audio Trojanos vinci, Græcos vicisse; aut per diminutionem,ut audio Græcos vicisse; aut per divisionem,ut Græci vicerunt, Trojani victi sunt; aut per aliquam transmutationem,ut cum dicitur, Audio Trojanos vicisse Græcos, ita dicamus, Audio quod Græci vicerint Trojanos. Hæc enim ambiguitas quolibet eorum modo solvitur. Non tamen ita dividenda est omnis vocum significatio tanquam generis. In genere enim omnes species enumerantur. In ambiguitate vero tantæ sufficiunt, quantæ ad eum sermonem possunt esse utiles quem alterutra nectit oratio.Ac de vocis quidem divisione sufficienter dictum est.Est autem et de generis totiusque divisione propositum atque expeditum. Quare de omnibus secundum se partitionibus diligentissime pertractatum est.Nunc de his divisionibus dicemus quæ per accidens fiunt. Harum autem commune præceptum est,quidquid ipsorum dividitur

in opposita disgregari, ut cum subjectum in accidentia dividimus,non dicimus corporum alia sunt alba,alia dulcia,quæ opposita non sunt,sed corporum alia sunt alba, alia nigra, alia neutra. Eodem quoque modo in aliis secundum accidens divisionibus dividendum est,atque illud maxime perspiciendum est,ne quid ultra dicatur,aut minus, sicut fit in generis divisione. Non enim oportet relinqui aliquod accidens ex eadem oppositione quod subjecto illi inest quod non in divisione dicatur, neque vero addi aliquid quod subjecto inesse non possit. Posterior quidem peripateticæ secta prudentiæ differentias divisionum diligentissima ratione perspexit,et per se divisionem ab ea quæ est secundum accidens ipsasque inter se disjunxit ac distribuit.Antiquiores autem indifferenter, et accidente pro genere, et accidentibus pro speciebus aut differentiis utebantur. Unde nobis peropportuna utilitas visa est, et communiones harum divisionum prodere, et eas propriis differentiis disgregare.Ac de divisione quidem omni quantum introductionis brevitas patiebatur, diligenter expressimus.

AN. MANL. SEV. BOETII

LIBER DE DIFFINITIONE.

Dicendi ac disputandi prima semper oratio est, et jam dialecticis auctoribus et ipso M.Tullio sæpius admonente,quæ dicitur diffinitio.Quippe cum in certamen contentionemque nihil possit (quod tamen in dictione consistat) aliquando deduci, nisi de quo futura pugna est prius fuerit in diffinitione ita defixum,ut possit inter utrumque qui inituri sunt eam litem esse manifestum quid sit illud de quo in futura quæstione tractabitur: unde non solum commoditatis genere perspicienda est virtus definiendi, quia per hanc orationem res semper evolvitur, et quod illa sit quæ illud de quo quæritur explicat, verum etiam quod principalis semper adhibita maximum lumen et manifestum parit rei quæ in contrarium deducta habet quæstionem.Etenim si verba aut nota omnibus exstitissent,aut unam significantiam sui semper tenerent,et non ambiguo vel obscuro dicto audientes fallerent,et loquentes sub diversa interpretatione deciperent,omnino definitio necessaria minime crederetur.At cum nomina rebus imposita vocesque singulæ per existimationem ejus qui ita res appellandas esse censuit ita sint institutæ, et ita arte compositæ,ut nota quadam in rerum significatione,non aperta declaratione,ducerent audientes, necessarium admodum arbitror nosse quid sit definitio, quibusque speciebus ac partibus compleatur,ut facillime et eam rem quam declarat possit ostendere,et tollat cognitis modis in dicendo sua varietate fastidium.Ac prius ejusdem ipsius,ut ordinem per præcepta servare videamur,definitionis adhibenda est definitio.Definitio est (ut M.Tullius in Topicis ait) oratio quæ id quod definit explicat quid sit; hoc ita patet et ita intelligi necesse est, ut et in quo genere sit definitio declarandum esse videatur,et quid comprehendat, et quemadmodum perfectæ eadem definitio definita est. Nomina vel voces interdum res significant,interdum facta,interdum singula dicta,interdum orationes,et quanquam his omnibus factis ac dictis et orationibus genus videatur esse quod dicimus, res tamen proprio nomine et certa significatione aliud esse videtur quam factum est,aliud quam dictum, singulare atque unicum aliud quam oratio. Ergo definitio non facti vox est,non rei alicujus aut corporalis, aut incorporalis, sed est oratio. Etenim talis dictio quæ exprimit quid sit id de quo quæritur,sine dubio appellatur oratio, ut oratio est exordium, et narratio,et cætera quæ partes orationis esse dicimus. Ita ergo et definitio oratio est.Sed quoniam hoc generale nomen est quod, uti diximus, convenit etiam expositioni, narrationi, invocationi, precationi, cæterisque singulis quæ utique orationes esse dicuntur, ut id quod generaliter appositum est, possit ad id deduci de quo quæritur,adjecta est species.Quærebamus enim quid esset definitio,ad quam rem declarandam M.Tullius adjecit, quæ id quod definit explicat quid sit,talis oratio non nisi definitio est.Nam narratio oratio quidem est quæ non explicat quod definit, sed quod gestum est, et item aliæ singulæ orationes in suis officiis actionibusque constitutæ aliud sunt quam ista oratio quæ id quod definit explicat quid sit,ita adjecta est species,ut cum genus supra sit oratio, species sit quæ id quod definit. Postremo tamen adjunctum sit quo certius id et quo magis proprium declaret quod dictum est,explicat quid sit. Sunt enim aliæ orationes quæ explicant magis quale quid sit,aut quantum sit. At vero hæc nihil horum, sed tantum quid sit explicat, diversa est enim in ista partitione cognitio, quippe cum aliud est scire quale sit, et quid sit explicare, hoc enim in percipienda rei substantia continetur,illud in qualitate noscenda, et hæc quidem Ciceronis sit adhibita definitio. Nos tamen apertius idipsum quid sit definitio nostra explanatione faciamus. Omne quod demonstratur oratione, aut an sit, aut quid sit,aut quale sit ostenditur,quod cum adhibetur,oratio ad declarationem rei alicujus an sit non est definitio. Item cum quale sit aliquid oratione monstratur,pari modo definitio non erit.Cum vero quid sit ostenditur,quod medium est inter an sit, et quale sit,ita scilicet medium ut an sit nulla jam sit dubitatio, item quale sit,non ejus qui requirit, sed qui definit sit in scientia collocatum: medium,in-

quam,hoc genus quod ostendit idipsum de quo quæritur quid sit, definitio nuncupatur. Omnis definitio In quæstione rem habet incertam. Omnis res,si certa est, definitione non eget ; si incerta est, neque res est, et quærit definitione monstrari. Omnie enim res si modo jam res est, quemadmodum diximus,certa est. Cum vero jam certa est, et qualitates suas habeat quibus cum facile comprehenditur, facile quid sit agnoscitur. Nunquam enim quid sit intelligi potest, nisi quale sit fuerit comprehensum. Omnis diffinitio aut probandæ rei causa, aut,si res in quæstione versatur, augendæ, aut si vel apud adversarium vel apud auditorem quælibet jam nota res est, confirmandæ assumitur. Nihilominus tamen diffinitio,ut res eadem quæ nota est, et certa et fixa, teneatur, adhibetur.Omnis diffinitio, aut rhetorica est oratio, aut dialectica. Si est rhetorica, originem ex contentione suscipiens per rei de qua quæritur partes in suas se dividet,nec in unius tractatu a suis rebus tota consistet, ut cum uniuscujusque rei plena et certa perfectio nota sit, cunctas per partes sibi eamdem distribuant dicta certantium.Sepulturæ violationem rem etiam certam plenamque et perfectam retinemus cum in eruto sepulcro est etiam animus et factum violantis, ut studio eruendi et profanandi manes hoc quispiam videatur aggressus.Ergo, uti diximus,violatio sepulturæ constat et animo et facto, plenaque ipso res est violati sepulcri ex his duobus, aperuit sepulcrum quidam ut auferret ornamenta. Idem sepulcri violati reus in judicium devocatur, sine dubio diffinitivam orationem et contentionem exprimentem quid sit violatio sepulturæ necessario causa desiderat; sed singulis partibus totius facti ac pleni utuntur oratores, ut sepulturæ violationem ponat unus quod apertum sit sepulcrum, contra alius sepulturæ violationem dicat in animo contineri: ita existit diffinitivæ orationis iste tractatus, ut cum totum quod agnoscitur in sepulturæ violatione, per partes suas fuerit distributum, easque partes oratores singuli tenuerint,contendendi genere diffinitione uti videntur.Sed non recte dicitur hujusmodi diffinitio, cum non sit certa, non plena, non integra, nisi cum totum quidquid ipsius rei est de qua quæritur exprimens quid sit oratio declararit, verum hæc captiosa et falsa est, non certa rhetorum diffinitio. Est alia etiam quæ rhetoribus accommodata cognoscitur, quæ longe a virtute diffiniendi plenissime separatur,quæ per collationem non quid sit ostendit, sed hæc esse a simili, cum aliud sit, oratione concludit, ut cum quæritur quid sit accipere utique re propria, vera, certa,nihil aliud est nisi propria manu aliquid ab aliquo oblatum sumere. Per collationem M. Tullius definit pecunias accepisse Verrem, cum comites, socii ministrique pecunias acceperint. Comites illi, inquit, tui manus erant tuæ.Item in alio exemplo cum quæritur quid sit inimicus,dicimus inimicum esse eum qui aliquid mali molitus sit ; ac Cicero collatione utens dicit : Inimicus est qui facit contra omnium rem,voluntatem,honorem,dignitatem.Ex quibus colligimus hujusmodi diffinitiones contentioni oratorum maxime convenire, longe tamen a virtute diffinitionis esse discretas; sed hæ diffinitiones quæ oratoribus aptæ sunt et poetis sui explicatione in oratione certum ordinem continent. De qua re præcepta in Rhetoricis sunt a M. Tullio constituta, ita ut omnis diffinitio, hoc est oratio, quæ explicat de quo quæritur quid sit, his membris partibusque tenetur: primum uti breviter id de quo quæritur quid sit oratio nostra contineat, et hæc appellatur diffinitio ; deinde ejus diffinitionis supponatur approbatio,qua illud ostendimus ut idipsum quod breviter in diffinitione posuimus id ita esse argumentorum rationibus approbemus; deinde, tertio loco, inducimus deductionem ejusdem diffinitionis in eam speciem de qua quæstio est, et de qua judicium est constitutum, ut cum generaliter rem diffinierimus,et ita esse de quo quæritur dixerimus, et postea per approbationem constituerimus verum esse quod diffinimus, tertio loco ostenderimus hoc esse quod gestum est, vel id esse de quo quæritur, quæ orationis pars appellatur deductio generis ad speciem ;* quarto loco in oratione nostra ponemus destructionem diffinitionis adversæ partis, hoc est, uti quemadmodum adversarii diffinierint idipsum de quo supra diffinitionem constituimus proponamus,eamque adversariorum diffinitionem vitiosam esse doceamus, quemadmodum vitiosa sit postea declarabimus. Habet enim partes suas certas, integras, de quibus nunc dicere supersedemus. Est diffinitio inimicitiarum apud M. Tullium brevis, ita collocata. An tu majores inimicitias putas esse quam contrarias hominum voluntates,et dissimilia studia? hæc, ut diximus, diffinitio rhetorica est, et breviter oratio conclusa quid sint inimicitiæ. Post quam diffinitionem adhibetur approbatio. Fidem ac religionem sanctissimam in vita qui putat, potestne ei non inimicus esse qui fana spoliaverit omnia? Deinceps reliqua quæ sequuntur, in quo quidem animadvertere illud licet,posse conjungi et approbationem diffinitionis,et deductionem diffinitionis in speciem.Namque hic Marcus Tullius inimicitias esse contraria studia et dissimiles voluntates approbat ita ut speciem ipsam de qua quærebatur factam verbis includat: potuit enim approbatio fieri, illas esse inimicitias quæ contrarias continent voluntates, et in rationibus supponendis talis dictio componi,cum fidem alius servet,infidelis sit alius. Nulla dubitatio est quin tali animo prout inter se affecti inimici esse credantur. Item religioso viro irreligiosus inimicus est. Alia ergo si ex diversis studiis et voluntatibus supposita dicerentur, sola esset approbatio, non etiam deductio generis in speciem; at cum nunc ita nectitur dictio, fidem sanctissimam in vita qui putat, religionem colendam esse existimatis, sine dubio inimicus est ei qui fana spoliavit, omnia templa violavit, delubra polluit. Hic etiam Verris idem factum de quo quæritur ita specialiter continetur et includitur, ut simul cum approbatione et deductione generis in speciem clausum teneatur; post adjungi-

tur, ut diximus, destructio diffinitionis adversæ partis, sed per concessionem, id est similium, an si contra rem meam fecisset injuriam aliquis, jure ei me inimicum esse profiterer? Ponamus igitur adversæ partis diffinitionem talem: Inimicitiæ sunt, cum contra rem meam aut fecit aliquis, aut dixit injuriam. Hanc diffinitionem sic destruit M. Tullius, ut concesso eo quod ita est diffinitum, nihilominus et alio modo sint inimicitiæ, cum aliquis faciat contra omnium rem, honorem et dignitatem. Talis igitur semper circa rhetoricam diffinitionem per membra quatuor testetur oratio: ut sit diffinitio, approbatio diffinitionis, deductio definitionis ad speciem, deinde postrema destructio diffinitionis partis adversæ; sed hæc apta rhetoricis, non etiam philosophis esse videtur. Illa autem quæ philosophorum propria est, etiam oratoribus convenit eamque sibi, et ad materiam suam, et ad propriæ ornamentum dictionis, adjungit orator. Omnia enim recte orator exprimit quæ sunt in dicendo philosophorum. Nam et vero utitur argumento, quod est philosophorum proprium, utitur etiam necessario. At contra philosophus in disputationibus propriis rhetorum cuncta condemnat, neque enim adjungit aliquando signum, neque quod credibile dicitur, et omne probabile penitus a virtute sui sermonis excludit. Ergo diffinitio quæ est philosophorum propria in rebus exprimendis quæ explicat quid sit, quale sit, quemadmodum membris suis constare debeat, exponemus. Diffinitiones esse principia disputandi et supra diximus, et M. Tullius probat, tum in dialogis omnibus, tum etiam in eo libro qui Topica inscribitur, in quo docet primum argumentorum locum esse diffinitionem, hoc est, a toto, cui loco qui appellatur a toto necessario adhibenda est diffinitio, ut ita argumenti locus a toto sit diffinitio. Porro, ut supra diximus, explicandi argumenti quod a toto est dicitur diffinitio. Ergo præceptis et dialecticorum philosophorumque omnium illud tenere debemus, non esse diffinitionem, nisi solam quæ in ea re quam definire volumus, prius quam ejus rei esse intelligimus, declaret atque ostendat substantiam. Hoc ut apertius fiat, docebimus nullam esse diffinitionem certam, integram, approbandam, nisi eam quam dicunt philosophi substantialem, Græce οὐσιώδης appellatur. Quid autem substantiale sit, alibi explicandum. Ad cognitionem interim illud accedat, quoties de aliquo quæritur quid sit, tunc posse esse certam ac substantialem diffinitionem, quoties ejus rei de qua quæritur, ut diximus, genus ponimus, et inde cætera per differentias in oratione subjungimus. Non alienum videtur exemplum ponere, et sic ad reliqua quæ sunt obscura transire. Quæritur homo quid sit, huic utique genus est animal. Cum igitur in diffinitione quæ explicabo quid sit homo, animal dixero, ac deinde reliqua connectam, erit substantialis diffinitio. Substantiam enim hominis declaravi cum dixi animal. Item cum quæro quid sit album aut nigrum, si dixero album est color, quia color genus est ad hoc de quo quæro, album vel nigrum, jam substantialis erit diffinitio quæ incipit a genere, et sic cætera connectit. Hæc substantialis esse dicetur, et hæc propria, et hæc integra. Hæc a philosophis probata, ita ut alio modo facta diffinitio nunquam esse dicatur; verum a quibusdam hoc nomen etiam ad alia quæ alio modo diffiniuntur, sæpe transfertur. Ergo hæc substantialis diffinitio a M. Tullio sic explicatur. Oportere nos posito genere ejus rei de qua quæritur, subjungere species, ut alia quæ vicina esse possint discretis communionibus separemus, et tandiu interponamus differentias, quandiu ad proprium ejus de quo quæritur signata ejus expressione veniamus. Ipse in Topicis exempla subjecit. Nos vero ne fiat in exemplis lectori ex jure confusio, hoc proponamus exemplum: homo est animal rationale, mortale, terrenum, bipes, risus capax. Animal cum dictum est substantia hominis declarata est. Est enim, ut supra diximus, ad hominem genus animal, omne autem genus speciei suæ substantialis est declaratio; sed hic animal quia late patebat, abjecta species est terrenum, jam exclusum est, quod aut aereum est, aut humidum. Bipes vero propter alia animalia positum est quæ plurimis pedibus innituntur. Item rationale propter illa quæ ratione egent. Mortale autem propter id quod Deus est. Quibus omnibus animalibus quæ convenire poterant ad superiora in oratione posita discretis atque seclusis, adjectum est proprium in parte postrema, est enim solum hominis quod ridet. Sic perfecta omni ex parte diffinitio est ad hominem declarandum, cum, posito genere, exclusis omnibus per differentias quæ poterant convenire, ad proprietatem ejus de quo quærebatur pervenit oratio. Atque hoc præceptum Tullianum est, eousque eum qui diffiniat oratione interponere et adjicere differentias oportere, quousque ad proprietatem quæ jam communis esse non possit sermo perveniat. Verum Aristoteles diffinitionem perfectam et plenam ait consistere ex genere et differentiis. Ex genere etiam et differentiis hoc idem nos supra docuimus, cum interposita species differentia sua alia quæ possunt esse consimilia separaret. Quidam tamen cautiores plenioresque in docendo diffinitionis ipsius quasi quædam membra constituunt, dicuntque eam perfectam diffinitionem istam quam appello substantialem ex quinque partibus, id est, genere, specie, differentia, accidenti, proprio, debere consistere. Sed accidens in diffinitione minimum, proprium plurimum valet. Et recte quidem ac vere ista commemorant, nec aliena, aut a principe harum artium Aristotele, aut a M. Tullio qui de istis præcepta tradiderunt judicanda sunt. Constat enim his quinque partibus veluti membris suis integra diffinitio; verum et Aristoteles, in libris quos Topica appellavit, docuit quid genus sit, quid species, quid differentia, quid proprium, et quid accidens. Et plurimi præterea philosophi libris suis complexi harum vim rerum et potentiam declararunt. Nos

quia jam uno libro et de his quinque rebus plenissime disputavimus,ne res rei interposita obcuritatem pariat,aut dicta repetamus,lectorem ad librum qui jam scriptus est, si adest ei indigentia, ire volumus, nunc sibi non esse impedimento quod hic prætermissum est, animadvertat. Id enim etiam illis omnibus cognitis ex præceptorum neccessitate retinebit.In oratione ista substantiali tandiu interponere debemus species et differentias quandiu seclusis omnibus quæ hoc idem esse possunt,eo perveniatur,ut proprietas jam certa teneatur. M. Tullius in Topicis jus civile voluit diffinire, et, ut oportuit, cœpit a genere: dixit enim in principio, Jus civile est æquitas,hoc juris genus est.Sed quoniam eadem æquitas nunc constituta est,nunc naturalis, jus autem civile æquitas est ab hominibus instituta, ideo adjecit, Jus civile est æquitas constituta.Posito genere,adjecta specie speciem aliam separavit, scilicet naturalem. Sed quoniam etiam jus gentium æquitas constituta est,et non est tamen civile,adjectum id quod separare potuisset jus gentium: his, inquit M. Tullius, qui ejusdem civitatis sunt. Qua specie interposita, jus civile descripsit. Est etiamnum quod cum altero possit esse commune, hoc ipsum quod supra dictum est universum. Etenim religionum juri et sacrorum omnium convenit.Namque jus religionum æquitas est,et constituta æquitas,et his omnibus qui ejusdem sunt civitatis.Sed illud jus non appellamus esse civile,quod est pontificum, hoc igitur ut posset excludere, et jus civile usque ad proprium diffinire,adjecit:ad res suas obtinendas.Demus aliud exemplum in orationibus positum,quo facilius res et manifestius explicetur.Diffinit M. Tullius quid sit gloria,his ut opinor verbis: Gloria, inquit, est illustris et pervagata recte factorum et præmagnorum,vel in suos cives, vel in rempublicam, vel in omne genus hominum, fama meritorum.Gloria igitur substantialiter diffinita est,cum dictum est fama.Est enim gloriæ genus fama,quæ quia nunc rerum malarum est, nunc bonarum,idcirco genus est,cui species addita est,illustris,quod laus est:fama enim quæ bonarum rerum est, laus est, et illustris. Hac igitur re exclusa est fama deterior:et quoniam hæc fama laudatrix potest nunc pro merito,nunc ultra meritum esse,frequenter enim aliter quam res gesta est,opinio de aliquo emanavit, idcirco inquit fama meritorum, ea sunt enim merito quæ cum præstamus mereri nos gloriam faciunt.Ergo Cicero,qui volebat tunc gloriam Cæsari dare cum reipublicæ præfuisset,idcirco ista facta vel merita generaliter posita divisit in species, et adjunxit,cum in suos cives,tum in rempublicam vel in omne genus hominum,quæ scilicet factorum recte species subjectæ usque ad proprietatem gloriæ convenire. Habet enim nunc certam et veram proprietatem in partibus gloria.Nam omne quod præstamus,aut quasi debitum damus,aut quasi non debitum, cum recte faciamus, si sola facta sunt quæ quasi debita sunt, dicitur illustris fama factorum.

A Cum autem ultra quod debitum est facimus, præstandi benevolentia et benignitate tribuendi, hæc merita nuncupantur. Conclusit igitur utrumque genus præstandi cum dixit, illustris et pervagata fama factorum et præmagnorum,cum in rempublicam,tum in omnes cives fama meritorum.Ex his omnibus arbitror apertam esse eam diffinitionem, quæ substantialis esse debet,sic esse dicendam,ut proposito ejus rei de qua quæritur genere, et adjunctis speciebus cum differentia usque ad ejus proprium, disclusa omnino communione,veniamus.Ac si velimus judicium veri philosophis auctoribus sequi, nulla dicetur alia definitio.Etenim reliquæ intellectum potius rei tribuunt,non plenissime quid sit ea res adhibita oratione declarant; verumtamen quoniam translata nomine etiam cæteræ orationes hoc B idem imaginaria dictione retinentes pari nomine nuncupatur,ut diffinitiones dicantur, ponendas arbitror reliquas species, quo facilius et quod cæteri dicant nosse possimus, et diffinitionis cognito multiplici modo facile, uti supra dictum est, diffiniendi veritas reseretur. M. Tullius in Topicis de tribus locis primis tractans a toto,a partibus a nota, cum a toto argumentum est, ut supra docuimus, diffinitionem esse adhibendam dicit,illic enim ponitur genus quo quid res ipsa sit de qua quæritur explicetur.At a partibus cum argumentum est,etiam ipsa quidem dicitur diffinitio,verum translato nomine cum e numeratis omnibus totus partibus,sic quod totum est recognoscitur,hac pene re nihil interest utrum diffinitione quæ esse a toto cunctas C partes totius ex diffinitione noscamus, an collectis omnibus partibus quod totum est ex partium enumeratione capiamus. Cicero talem diffinitionem partium enumerationem appellat, sed eam diffinitioni tribuens, quoniam et enumeratio partium idipsum de quo quæritur quid sit ostendit,et hoc idem agit supra posita diffinitio,cum oratio quæ quid sit ostendit dicitur diffinitio,unde nulli dubium est quin etiam ista diffinitio, esse dicatur : posuit igitur M. Tullius explicans quid sit liber,vel in contrario quid sit non liber.Quoniam libertas censu datur,datur vindicta,datur testamento,et hæ partes dandæ libertatis sunt; si neque, inquit,censu,neque vindicta,neque testamento liber est,non est igitur liber.Sic positis partibus quibus liber efficitur,sequitur negatio liber- D tatis,si nulla harum partium in danda libertate præcessit. Nec vos moveat quod quid non sit liber indiffinitione est constitutum, non quid sit. Par enim ratio est et eadem diffiniendi vis, et cum quid non sit ostenditur,et cum quid sit adhibita diffinitione nudatur. Quanquam M.Tullius aliter in eodem libro Topicorum ait esse duo genera diffinitionum: primum enim cum id quod est diffinitur, secundum cum id quod sui substantiam non habet diffinitur, hoc est quod non est,et hoc partitionis genus in his quæ supra dixi clausit et extenuavit. Sed alia esse voluit quæ esse dicebat, alia quæ non esse. Esse enim dicit ea quorum subjacet corpus,ut cum diffi-

nimus quid sit aqua, quid ignis. Non autem esse illa intelligi voluit quibus nulla corporalis videtur esse substantia, ut sunt pietas, virtus, libertas. Sed nos omnia ista vel quæ sunt cum corpore, vel quæ sunt scilicet in corpore, si in eo accipiunt, ut aut per se esse, aut in aliquo esse videantur, in uno genere numeranda ducimus, ut ista omnia esse intelligantur quibus omnibus sua potest esse substantia, sive illæ corporales, sive, ut certissimum est et recto nomine appellari possunt, qualitates. Verum præter hæc diffinitio est, cum aliquid quod non sit ostenditur. Diffinitione enim opus est ut possimus docere quid non sit. Ergo si partitione, enumeratis partibus, quid libertas sit dicimus, quid non sit libertas eadem partitione monstrabimus. Fiet igitur etiam a partibus diffinitio, ut si dicam, si nec masculus est, nec femina, homo non est. Item si nec servus est, nec liber, homo non est. Sane hic admonendum puto partes sæpe ab ipso de quo quæritur toto accipi ad ejus diffinitionem, sæpe non ab eodem ipso, sed ab eo quod ei accidit, ut accidentis enumeratio partium possit diffinire quod totum est. Namque cum totum sit homo de quo quæritur quid sit, non ejus partes sunt servus ac liber, sed accidentia homini. Quorum enumeratio cum fuerit constituta, homo quid sit ostenditur. Sane etiam illud admonendum hic arbitror, cum a partibus fit diffinitio, posse contingere ut modo totum ab omnibus partibus colligatur, ut supra ostendimus, modo ita partes enumerentur in definitione, ut in singulis totum sit, sicut illud in controversiis est, auxilium ferre est decernere, mittendo proficisci, venire etiam si non pugnaveris, hostes ne dimicent terrere. Sic M. Tullius multis in locis, et ipse pro Cornelio, ubi quæritur quid sit majestatem minuere, tractat, quod malam legem tulit : quod legendo codicem intercessionem sustulit, quod seditionem fecit. In quibus omnibus diffinitur læsa majestas. Sed ita singula sunt, ut in ipsis singulis totum, id est læsa majestas possit ostendi. Hoc etiam pro M. Cœlio tenet, ubi per enumerationem malorum per quos fit dolus malus definitio ita fit, ut singulis speciebus dolus malus possit agnosci. Hoc cum aperte positum intelligamus, tum illud quoque manifestum est, notionem quamdam in ista diffinitione, non rem plenissimam, contineri, et longe illam præstare diffinitionem quam supra posuimus, cum genere collocato ad declarationem reiquæ diffinitur substantiam ejus indicans affertur oratio. Sane adjiciendum arbitror non esse quamdam necessitatem in ista partium enumeratione, ubi est quodammodo diffinitio, si infinitæ partes fuerint, vel plurimæ species, quarum partitione faciendæ enumeratio est ; non inquam, arbitror in ista enumeratione universa quæ infinita sunt non debere concludere. Sufficit enim vel plurimorum effici enumerationem, cum in infinitis non sit aliquid prætermittere vitiosum : hoc Cicero in Topicis collocavit, non nos jus civile enumeratione diffinire. Quod in legibus more æquitate consistit, non autem totum jus enumera-

A tum est, quippe cum sit, et in senatusconsultis, et plebiscitis, sit in edictis, et principum jussis sit, fortasse adhuc et in aliis. Sed cum enumeratis ex infinitis aliquibus partibus notio data fuerit juris, quid jus civile sit in similibus existimabimus. Ergo divisione vel partitione efficitur ista de qua loquimur diffinitio, sic enim etiam ipsa diffinitione eademque partitione, enumeratis vel omnibus, si paucæ sunt, vel multis, si infinitæ, aut speciebus, aut partibus, ad cognitionem rei de qua quæritur notionemque deducimur. Sciamus autem definitionem a genere esse, cum species enumerantur, partitionem cum partes. Quapropter animal diffiniamus, huic cum sint species numero infinitæ, ut homo, bos, equus, leo piscis, item cætera, paucis enumeratis speciebus possu-
B mus quid sit animal, declarare. At si illas species tetigero quæ differentiæ magis sunt, quæ ipsæ tres esse possunt, humidum, terrenum, cœleste, enumeratione harum rerum omnium animal diffinitum sit. Hoc idem et in partium enumeratione servabis, ut si dicamus, mundus est, mare, terra, cœlum, enumeratione partium, sed non tamen omnium, quid mundus sit, explicatum est. Ac si hoc idem per partes alias infinitas, voluerimus adhibita enumeratione quid mundus sit definire, quoniam, ut M. Tullius ait, enumeratio partium sæpe est infinitior, præceptum nobis illud est ne aliquod vitium in enumeratione, credamus, cum aliquid præterimus, ea duntaxat in re, ubi partes sunt infinitæ, ergo poterimus dicere: Mundus est sol, luna, astra, aer, et cuncta quæ in eo sunt, id est terra et
C cætera, quæ etsi non enumeratis partibus enuntiata proferimus, ex dictis partium similitudine comprehensa omnibus quid sit mundus ostendimus. Hoc igitur modo diffinitio etiam partium enumeratione tractabitur, partes pro speciebus poni rationalis licentia est, ut totum pro genere, nunquam tamen genus pro toto, aut pro parte species nominatur. Omne cujusque genus suas ad species est quasi totum, unde totum pro genere jure dicimus. Eodemque modo partes pro specie nominabimus. Nam si ad id genus et vocabulum quod dicitur totum jure sociatur, par ratio est pro speciebus partes quasi sub toti appellatione enumerare. Illud tamen probe admonitum volo, cum duo genera rerum sint, corporalia et incorporalia, in utroque et genus
D et totum accipi, ac pari modo partes et species nominari, sed separata rationis propriæ sectione. ut cum genus qualitatis modo fuerit nominatum, ei species supposita intelligere debeamus. Cum vero totum, non quo qualitas ejus animadvertatur quæ significatur semper in genere, sed quasi quoddam substantiale corpus, ut id sectum in partes suas atque distributum quasi cujusdam quantitatis receperit sectionem. Sive illud corpus sit, sive (ut diximus) incorporale, animadversione utriusque cognationis, quæ aut in qualitate aut in quantitate est. Si qualitate rem appellatam velimus, genus esse dicamus, et huic species esse supposita. Si quantitatem quamdam in eo quod totum est comprehendimus, merito

ac jure partes in sectione esse dicimus. Concesso illo ad usum et licenter accepto, ut species partium nomine nuncupemus, genusque ipsum quod circa qualitatem diximus totius appellatione sine vitio proferamus, nunquam tamen quod qualitatis est ubi totum dicendum est, genus proferamus, nec sub toto aliquando species, sed semper partes nominabimus. Tertia diffinitio et quæ a nota dicitur, cum vis verbi vel nominis, quæ in compositione sita est, rem suam facta quadam separatione designat. Fides est, inquit M. Tullius, cum fit quod dicitur. Hic itaque prospici licet, veluti simplex nomen sit fictum atque compositum, ut in res suas obscura licet compositione resonet, pene enim ex iisdem syllabis rem suam dicentibus verbum compositum ad id quod significat ex discretione cognoscimus, sed sæpe verbum simplex et purum nulla compositione connexum in diffinitione a nota ducetur, ubi est vis ejus quam Græci appellant ἐτυμολογίαν, at Cicero veriloquium. Sed non potest ex discretione, quæ nulla est, compositionis ostendi, sed adhibita declaratione ac denominatione quodammodo quid sit id de quo quæritur explicari, ut a bonitate bonus, et a malitia malus, et a sapientia sapiens. Etenim cum in alio nomine res cognita est, facile hoc quod ab eo est derivatum et quodammodo denominatum ad cognitionem deducit, ut quid sit ostendat, ut in Pisonem Cicero consulem a consulendo ait dictum, maximeque, inquit, quod vis ejus nominis ipsa præscribit reipublicæ consulendo, et hoc diffinitionis genus esse dicendum est. Quanquam M. Tullius in Topicis argumenti locum fecerit quem nominavit conjugatum, qui est finitimus loco qui a nota est, nos tamen non aliter neque contra, sed cum pari præceptione definitionem jure dicemus, servantes præceptum uti cum compositum nomen divisione in res suas quas sonat accepta id quod significat intelligamus, fit diffinitio a nota. Cum autem simplex verbum unde sit denominatum accipere cœpimus, argumentum a conjugato accepimus ut M. Tullius posuit, diffinitionem tamen esse dicamus, quia quid sit ostendit, quod proprium est diffinitionis. Hæ sunt tres nunc a me positæ principales diffinitiones substantiales, quæ a toto est, a partium enumeratione, et nota, ita ut illa quæ prior est, sola vere diffinitio nuncupetur, istæ autem duæ nominis honore et honestate, quia id de quo quæritur quid sit ostendunt, non vere, sed tamen diffinitiones esse dicentur. Nunc ad illam quæ a toto est diffinitionem revertamur, quia ipsa in se recipere formas potest plurimas. Sed ex his eas quas colligere potuimus, partiemur (sunt enim et aliæ fortasse), deinde rationes ac differentias et exempla dicemus. Est igitur prima quæ Græce οὐσιώδης, Latine substantialis appellari potest. Secunda est ἐννοηματική, quæ solam notionem subjicit. Tertia ποιότης, quæ a qualitate nomen accipit. Quarta ὑπογραφική, quæ a M. Tullio descriptio nominatur. Quinta κατὰ ἀντίλεξιν, Latine ad verbum possumus dicere. Sexta κατὰ διαφοράν, Latini de eodem et de altero nominant, quæ differentia dici potest. Septima est κατὰ μεταφοράν, id est per translationem. Octava est κατὰ ἀφαίρεσιν τοῦ ἐναντίου, id est per privantiam contrarii ejus. Nona κατὰ ὑποτύπωσιν, id est per quamdam imaginationem. Decima est ὡς τύπος, Latine veluti. Undecima est κατὰ ἔνδειαν πλήρους ἐκ τοῦ αὐτοῦ γένους, id est per indigentiam pleni ex eodem genere. Duodecima est κατὰ ἔπαινον, id est per laudem. Tertia decima est κατὰ ἀναλογίαν, id est juxta rationem, quæ proportio dicitur. Quarta decima est κατὰ τὸ πρός τι, hoc est per id quod ad aliquid est. Quinta decima est αἰτιώδης, causam tribuens. De prima diffinitione plenus in superioribus sermo confectus est, cum substantialis quæ sit diffinitio quibusque partibus compleatur ostendimus. Secunda dicitur ἐννοηματική, quam notionem non proprio nomine sed communi possumus dicere. In omnibus enim reliquis diffinitionibus notio rei profertur, non substantialis explicatio declaratur, verum hæc quæ secunda est, hoc modo semper efficitur, cum propositio eo quod diffiniendum est, neque dicto ejus genere, verbis in rei sensum ducentibus audientem, quid illud sit de quo quæritur explicatur. Estque huic pene familiare res propositas per superjecta nomina diffinire, ut si dicam, homo est quod rationali conceptione et exercitio præest animalibus cunctis, hic non quidem ipsum quod sit dixi, sed dicendo quid agat, quasi quodam signo in notitiam devocavi. Alia sunt apud M. Tullium in Rhetoricis multa, ut honestum causæ genus est, cui statim sine oratione nostra favet auditoris animus, et item admirabile, a quo alienatus est animus eorum qui audituri sunt. Sic reliquas cum in secundo libro adhibet diffinitiones in virtutibus declarandis. Primum cum dicit quid sit ipsa virtus, ponitque ejus diffinitionem habitus naturæ modo atque rationi consentaneus; hic quoniam genus posuit ut habitum diceret, substantialis diffinitio est. At cum dicit, memoria est per quam animus repetit illa quæ fuerant, et item intelligentia est per quam illa respicit quæ sunt, ac par modo providentia est per quam futurum aliquid videtur, satis clarum est non substantialem istam diffinitionem, sed, quemadmodum diximus, ea quæ ἐννοηματική Græce dicitur, cum rei notio non substantiali ratione percepta, sed actu res cognita proferatur. Tertia diffinitionis species est quæ ποιότης dicitur, hæc dicendo quod quale sit ostendit, et ut supra nostrum proponemus exemplum, ut facile appareat de eodem uno plures diffinitiones confici posse, hominem primum substantialiter diffinivimus. Deinde secundæ diffinitionis modo notionem ejus expressimus. Nunc per tertiam diffinitionem quid homo sit explicabimus. Homo est ubi pietas, ubi justitia, ubi æquitas, ubi continentia, ubi rursus malitia, versutia, cæteraque vitia versantur, qui ingenio valet, artibus pollet, et cognitione rerum aut quod agere debeat diligit, aut animadversione quod inutile sit contemnit, repudiat, rejicit. His qualitatibus expressus est homo, non enim ullum aliud animal his motibus mentis qualitatem designantibus exigit vi-

tam,sed solum hoc animal,quod est homo,qualitatibus in mente positis et constitutis,quasi quidam vel naturalis artifex vel vitæ gubernator, impletur. Hæc quidem tertia et secunda illa possunt videri quibusdam esse communes:nam sæpe sufficit in qualibet harum ad diffinitionem ejus rei de qua quæritur solum ejus proprium nominari, ut si dicam, homo est quod ridet, hoc enim proprium hominis neque ullius animalis est;quo dicto tacitisque aliis omnibus quibus homo possit ostendi, solo tamen sui proprio declaratus est.Et hoc Cicero de proprietate dixit genus esse diffinitionis quod notioni applicari potest, ut quibusdam videtur,potest etiam huic diffinitioni quæ qualitatis sortita est nomen.Unde quidam has duas inter se nullo fine discretas unam esse potius censent,cum satis appareat illam nullis positis qualitatibus notionem,ut supra docuimus,posse compleri, hanc positis qualitatibus quæ res sit, tacito etiam ejus proprio posse, ostendere. Quartam nos diffinitionem ὑπογραφικὴν diximus, non numerum quasi proprium collocantes,sed instituto ordine ad faciliorem cognitionem vocabulum exhibitæ nunc rationi sociantes:non enim quarta,'quæ est ὑπογραφή, quæ a nobis descriptio dicta est,quarta dicenda est. Sed quia ordo propositionis exegerat, ideo nomen numeri collocavimus hoc loco.Namque qui quartus est,Cicero de eodem et altero diffinitionem posuit,et sic ὑπογραφικὴν quintam constituit;sed nos, omissa numerositate,quid ὑπογραφικὴ sit,quæ a M.Tullio descriptio nominatur,proposita ratione docebimus, et per exemplum,quæ oratio non quid sit potius dicit, sed adhibita circuitione dictorum factorumque id quæque res sit descriptione declarat. Descriptiva ista dicitur esse diffinitio,ut cum quæritur quid avarus sit,quid crudelis, quid luxuriosus. et universa avari, luxuriosi, crudelis, natura describitur. Quæ diffinitionis species dicitur exhortationis genere descriptio,ut luxuriosus est victus non necessarii,sed sumptuosi et onerosi appetens,in delicias affluens, in libidinem pronus.Hæc et alia diffiniunt luxuriosum, et descriptione diffiniunt, hæc diffinitio apta semper est oratori. Huic enim laus dicendi per circuitum tribuitur propter honestatem,non ille aptior et determinatus sermo qui veluti familiaris est diffinitioni quam supra substantialem esse præcepimus. Idcirco multis in locis M.Tullius,cum diffiniendum aliquid dicit,non substantialiter præcepit esse diffiniendum,sed potius describendum, et hoc nomine utitur,ut cum quæritur,inquit, quid sit fur,et quid sit sacrilegus, sua descriptione monstrandum est. Quinta species diffinitionis est quam κατ' ἀντίλεξιν diximus, Latine ad verbum possumus dicere. Hæc vocem illam de cujus re quæritur alio sermone designat uno ac singulari,et quodammodo quid illud sit uno verbo positum uno verbo alio declarat, ut conticescere tacere est, item latus haurit apertum, id est percutit,item cum terminum dicimus finem, aut populatas interpretamur esse vastatas, et omnino cum unius verbi rem verbo manifestiore alio declaramus,hæc erit quinta de qua loquimur diffinitio. M. Tullius hac usus est in Topicis, cum, locum argumenti diffiniens, dixit esse sedem, ita locum nomine uno cujus rem quærebat alia appellatione ad verbum posita per diffinitionem quid esset, ostendit, sedem dicendo, hanc Græci κατ' ἀντίλεξιν appellant,ut ἀνὴρ ἐστὶν ὁ ἄνθρωπος.Sexta κατὰ διαφοράν, species diffinitionis est,hanc nos per differentiam dicimus. Scriptores vero artium de eodem et altero nominant,ut cum quæritur quid inter regem sit et tyrannum adjecta differentia,quid uterque sit diffinitur,et omnis quidem diffinitio, sicuti docuimus supra, non nisi appositis differentiis comprehensoque suo proprio quid sit de quo quæritur exprimit ; non tamen hoc idem videbitur esse modus iste de quo nunc loquimur,siquidem sola differentia cum posita fuerit inter duos, de quibus quæritur quid sit,utrumque cognoscitur : etenim in superioribus sola quæque definitur, hic duo quasi cognita, sed quadam inter se communione confusa, adjecta differentia secernuntur, per quam quid sit utrumque cognoscitur,ut rex est modestus et temperatus,tyrannus vero crudelis.Ex hoc illud est Terentii, pudore ac liberalitate liberos retinere satius esse puto quam metu, hoc pater ac dominus interest.Item M. Tullius pro Sexto Roscio : Atque inter hanc vitam perpolitam humanitate et illam immanem nihil interest quam jus atque vis. Septima est κατὰ μεταφοράν, id est per translationem, ut Cicero in Topicis,Littus est quod fluctus eluit.Item adolescentia est flos ætatis,senectus occasus ætatis; hæc varie tractari potest. Modo enim ut moneat, modo ut designet, modo ut vituperet,aut laudet :ut moneat,nobilitas est virtus majorum apud posteros sarcina ; ut designet,caput est arx corporis ; ut vituperet,divitiæ sunt brevis vitæ longum viaticum; ut laudet,adolescentia est flos ætatis.His itaque et aliis modis proferri potest ista diffinitio,in quo genere tamen illud cavendum est, ne aut longe sit petita translatio, aut turpis. Longe petita translatio est,ut tuaba reipublicæ, chaos legum, quod Tullius pro Sexto Roscio temperavit.Quasi sempiterna nox esset, inquit, in quo etiam si sit quasi ut per similitudinem sit,diffinitio accipi potest, temperamentum accipiens ex particula similitudinis.Turpis translatio fit duobus modis,cum honesta turpibus diffinimus,aut turpia honestis, ut si quis patrationem diffiniens, lacrymas dicat veneris fatigatæ quem sudorem mellus nominaret.Aut contra aliquis dicat,lacrymæ sunt doloris patratio,huic vitio nec superior particula temperamentum tribuit. Ergo magnopere istud vitare debemus. Octava species diffinitionis κατ' ἀφαίρεσιν τοῦ ἐναντίου, id est per privantiam contrarii ejus quod diffinitur,ut bonum est quod malum non est; hoc genere diffinitionis uti debemus cum contrarium notum est.Nam hæc duo cum ita intelligentur ut alterum sine altero esse non possit, alterius cognitio quomodo fiet, nisi fuerit utrumque comprehensum?Cum igitur alterum quæ-

ritur quid sit,utique hæc diffinitione comprehendi non potest,cum utrumque nescitur,quod se ita naturaliter ligat, ut necessariam cognitionem sibi unius comprehensione connectat. Periclitatur ergo talis diffinitio,unde an contrarium ejus notum sit,scire debemus,ut hoc sublato fiat ejus cognitio quod diffinitur. Quare melius sæpe fit si quærentes aliquid quod diffiniendum sit,contrarium ejus diffiniamus, quo sublato illud quod quæritur declarabimus,ut si bonum est quod prodest cum honestate,id quod tale non est malum est. Cicero in Rhetoricis : Necessarie demonstrantur ea quæ aliter ac debentur nec fieri nec probari possunt. Ponamus enim necessarium et non necessarium contraria, ut omnia contraria hic nos ponere intelligas quorum sublatione id quod quæritur diffiniatur.Ergo quod non est necessarium ita diffiniri potest,quod aliter ac dicitur et fieri et probari potest : hoc cum tollo,necessarii diffinitionem constituo. Ergo recte fieri potest hujusmodi diffinitio,sed hoc modo quemadmodum docui. Et hoc est quod M. Tullius in Partitionibus præcepit,sæpe ex contrariis esse diffiniendum. Sub hanc diffinitionem cadunt etiam notiones,cum accidentia tolluntur,et alia omnia quæ diversa sunt, et cum contrarium accidentis vel consequentis accidentis tollitur, ut si quis esse substantiam dicat, quod neque qualitas,neque quantitas,neque reliqua accidentia sit,cum alia quæ diversa sunt tolluntur; talis est diffinitio, ut si quis hominem diffiniens tollat omnia animalia,vel generaliter, vel specialiter. Quo genere diffinitionis Deus diffiniri potest. Etenim cum quid sit Deus nullo modo scire possimus, sublatione omnium existentium quæ Græci ὄντα appellant,cognitionem Dei,nobis circumscripta et ablata notarum rerum cognitione, supponit.Deus est neque corpus, neque ullum elementum, neque anima, neque mens, neque sensus, neque intellectus,neque aliquid quod ex his capi potest.His talibus sublatis, quid sit Deus poterit diffiniri,magis si addas quod etiam diffiniri non potest id Deum esse. Contrarium accidentis vel consequentis cum tollitur talis est diffinitio:Vigilare est uti sensibus, dormire est non uti sensibus; naturaliter possunt videri hujusmodi diffinitiones convenire illi diffinitioni quam supra ἐννοηματικήν diximus. Verum illa ex accidentibus ejus rei quam diffinivimus constat, vel consequentibus ;hæc ex contrariis,itaque ex illa quæ ἐννοηματική est ex accidentibus fit, ut docet M. Tullius Pisonem non fuisse consulem ita: An vero reliquo tempore consulem te quisquam duxit? quisquam tibi venienti in curiam assurrexit, quisquam consulenti respondendum putavit ? Atque hujus loci superior oratio et consequens in hac diffinitione consistit,qua variis modis explicat eum non fuisse consulem,docens etiam per ea quæ repugnant consuli a dictis,factis,cogitatis;a consequentibus sic diffinit consulem :animo esse oportet consilio,fide, gravitate, vigilantia, cura, toto denique munere consulatus,hucusque a consequentibus.Omnia enim consequentia sunt ex hoc quod dixi munere consulatus, unde ἐννοηματική, hæc erit diffinitio ; hoc apertius ut fiat, dabo aliud exemplum. M. Tullius in eadem : Quid est aliud furere quam non cognoscere homines,non cognoscere leges,non senatum, non civitatem, cruentare corpus suum ? Ergo consequentia accidentia colligere diffinitionis est ἐννοηματικῆς,ejus vero quod diffinies contrarium tollere, hæc est illa quam octavam supra diximus diffinitio. Nona species diffinitionis est κατὰ ὑποτύπωσιν,id est per quamdam imaginationem, ut Æneas est filius Veneris et Anchisæ;hæc semper in individuis versatur, quæ Græci ἄτομα vocant. Desideratur autem ista diffinitio circa nomina quæ omonyma sunt, individua duntaxat, ut Ajax et Oileus et Thelamonius. Item subvenit in eo genere dictionis, ubi aliquem pudor aut metus est nominare:Me videlicet, inquit M. Tullius, sicarii illi describebant;de domo sua sic. At pro Fundanio ita, descripsisti ne ejus necessarium nostrum competitorem istum ipsum ; ejus nunc studio, et gratia, tota accusatio ista munita est. In metu fuerat nominare, idco ergo descriptus est. Item pro Cornelio : Majestatis ipsa sunt,legite ut legebatis,hinc intelligetis nulla tenuissima suspicione describi aut significari Cornelium. Hæc tantum de propriis nominibus : alia illa sit quam ὑπογραφικήν diximus superior diffinitio. Ergo a genere, patria, corpore, factis, dictis, sive casibus,atque ab animo unum illum quem nolumus diffinitionis genere declaramus.Decima species est ὡς τύπος, hanc veluti diximus,ut si quæratur quid sit animal, respondeatur ut homo. Sic Aristoteles dicit οὐσία ἐστὶ ὡς ἄνθρωπος, rem enim quæsitam subjunctum declarat exemplum,et hoc est proprium diffinitionis,quid sit illud quod quæritur declarare. Undecima species diffinitionis est κατ' ἔνδειαν τοῦ πλήρους ἐξ αὐτοῦ γένους, id est per indigentiam pleni ex eodem genere,ut si quæratur quid sit quadrans, respondeatur cui dodrans deest,ut sit assis.Duodecima species diffinitionis est κατ' ἔπαινον,id est per laudem,ut M. Tullius pro Cluentio : Lex est mens, et animus, et consilium, et scientia civitatis ;et nos quidem, ut diffinitionem ostenderemus, ita posuimus exemplum. Nam hoc idem M. Tullius dicens non adhibita oratione diffinitionis,simpliciter collocavit:Mens,inquit,et animus civitatis et consilium, et scientia posita est in legibus ; et, ut nos supra docuimus,diffinitionem nihil aliud voluit quam orationem esse.Ergo diverso modo M. Tullius protulit quod a novis conversim oratione sua forma diffinitionis accepit, et hoc longe ab illo modo distat qui fit per metaphoram, non enim translatio est, cum lex mens dicitur civitatis, nec tamen genus est ut substantialis habeatur οὐσιώδης consequens enim est ut et per vituperationem, sed sine translatione ponatur :sic videri potest a Tullio diffinitum:Servitus est postremum malorum,non modo bello,sed morte etiam repellendum.Quanquam enim ita sit exorsus, pax est tranquilla libertas,sed inter pacem et servi-

tutem plurimum interest, ut per differentiam diffinitio esse videatur; tamen quia non articulum illum breviter quo distaret ostendit, sed unamquamque rem suo genere diffinivit, collatione magis quo distarent ostendit, non genere diffinitionis per differentiam. Erit igitur prior pacis diffinitio ἐννοηματική a consequentibus ejus rei quam diffiniebat : Pax est tranquilla libertas. Hæc secunda magis per vituperationem : non enim aut consequens ejus est, aut aliquid horum quæ ἐννοηματική diffinitioni dedimus sed sola vituperatio est quæ servitutem malorum omnium dicitur esse postremum. Nec accipitur rursus malum quasi genus ad servitutem, nam malum qualitas est, servitus ad aliquid ; unde cum diversæ sint res, malum genus esse non potest ad servitutem. Jure igitur per vituperationem facta dicitur servitutis supraposita diffinitio. Tertia decima species diffinitionis est κατὰ ἀναλογίαν, id est juxta rationem, quæ proportio dicitur, cum aliquid quod disputari licet cum altero id esse dicitur quod illud est alterum propter rationem similitudinis; sed hoc contingit cum majoris rei nomine diffinitur inferior, et quod hoc additur quid sit inferior. Græci sic diffiniunt: Ἄνθρωπός ἐστι μικρόκοσμός τις, id est homo est minor mundus. Cicero hoc usus est sic : Qui plurimum tribuunt edicto, præter edictum legem animam dicunt esse. Quarta decima species est diffinitionis κατὰ πρός τι, id est ad aliquid, ut Pater est, cui est filius. Cicero in Rhetoricis : Sic genus est quod plures partes amplectitur. Item pars est quæ subest generi. Quinta decima species est αἰτιώδης. Latini secundum rei rationem vocant, ut dies est sol super terras ; nox, sol sub terris : ut enim aut dies aut nox sit, causa est aut supra terras sol aut sub terris. Sunt et aliæ fortasse species diffinitionis, verum si quis invenerit, adjiciat ad numerum, modo illud diligenter attendat, ne forte harum alicui specierum illud quod invenerit possit adjungi. Nec nos rursus frustra aliquis existimet tot species separasse, quod possunt sibi aliquæ convenire. Consideratione enim plenius commodata, omnes inter se magno cernet discrimine separatas; teneat modo quod supra sæpe præcepi, solam vero illam appellari diffinitionem, quæ a genere exordium sumens ad proprium rei quæ diffinitur, separando per differentias quæ communia poterant esse, descendit. Nunc jam de vitiis diffinitionis, ut promissum est, explicemus. Diffinitio substantialis quam primam docuimus, quam solam diximus diffinitionem, duo vitia recipit principalia. Si ea oratio quæ diffinit, aut amplius complexa fuerit, aut minus quam res plena sit declaravit. Oportet enim ut oratio diffinitiva ita componatur ad nomen cujus rem definit, ut parem potentiam exprimendæ atque ipsum vocabulum præstet, conversimque nomen et diffinitio se invicem collata declarent. Ut si quæras quid homo est, recte respondeatur animal terrenum, rationale, mortale, bipes, risus capax. Hoc rursus si convertas, homo sit optima declaratio. Quærenti enim quid est animal terrenum, rationale, mortale, bipes, risus capax, fiat recta responsio, homo est. At si ita diffinias, homo est substantia animata sensibilis, est quidem declaratio hominis, nam hæc omnia homo est; verum si convertas, non valebit. Non enim substantia animata sensibilis, homo tantum est; peccat igitur diffinitio per abundantiam, quia amplius continet quam quærebatur. Et omnino peccat diffinitio quæ genus ponit quod ultra se est; dicimus enim, quod supra est genus magis declarat. Item peccat minus continens quam necesse est, ut cupiditas est aliena appetendi desiderium, quod similiter conversum non manet, quia minus comprehensivum diffinitione quam res nominis postulabat. Late enim cupiditas patet, nec sola avaritia est ; ergo vitiosa est diffinitio minus complexa quam quærabatur, ac si diceret, cupiditas est avaritia : quæ si exemplum daret et auditorem transmitteret in totum quod cupiditas est similitudinis propositione, ut avaritiæ, essetque illa diffiniendi species quam decimam collocavimus ὡς τύπος. Nunc non ad totum transmisit exemplum, sed quasi totum continens multa a toto prætereundo peccavit, unde non poterat fieri ad nomen ex diffinitione conversio. Hæc duo vitia si vitentur, integra diffinitio est, neque hæc sola quæ substantialis est, sed etiam reliquæ species. Nunc hæc de vitiis. Cicero cum in Rhetoricis tria esse vitia docuit, mala, inquit, diffinitio fit cum aut communia describit hoc modo : Seditiosus est is qui malus est, atque inutilis civis. Nam hoc non magis seditiosi, quam ambitiosi, quam calumniatoris, quam alicujus hominis improbi vim describit : hanc diffinitionem diximus abundantia esse vitiosam. Aliud vitium adjungit, ita ut falsum quiddam dicat hoc pacto, sapientia est pecuniæ quærendæ intelligentia : hoc vitium Cicero adjecit præter illa duo quæ dixi. Tertium enim ipse posuit quod a nobis secundum est constitutum. Ita enim ait ut aliquid non grave nec magnum continens sit : Stultitia est immensæ cupiditas gloriæ. Hoc ideo peccat, quia minus comprehendit quod sic exprimit M. Tullius. Est hæc quidem stultitia, sed ex parte quadam, non ex omni genere diffinita. Præter hæc idem M. Tullius in secundo Rhetoricorum adjecit duo vitia, si aut turpis sit aut inutilis diffinitio, id autem (ut ipse ait) ex honestatis et utilitatis partibus approbatur. Ac de turpi diffinitione nos in superioribus diximus cum diffinitionem per translationem tractaremus, sed illud vitium in verbo est ; fieri autem potest ut omnis oratio inhonesta ista contineat vel inutilia comprehendat. In Philippicis M. Tullius in oratione prima docebat ab Antonio Cæsaris acta subverti, et id denegabat. Antonius. Attulit uterque diffinitionem, ut ostenderet quid sit actum ejus qui togatus cum potestate in civitate versetur. Docui in superioribus asserendæ diffinitionis partes esse quatuor : primam esse diffinitionem, secundam approbationem diffinitionis, tertiam deductionem diffinitionis ad speciem, quartam destructionem diffinitionis adversæ partis. Cicero actum

ejus qui sit in republica cum potestate degentis diffinit leges esse ; Antonius, chirographa. Ergo sua oratione Cicero et diffinit,et approbat,ei deducit ad speciem, et destruit diffinitionem adversæ partis. Diffinitio Ciceronis est hæc : Et quid est quod tam proprie dici possit actum ejus qui togatus in rempublicam cum potestate et imperio versatus sit, quam lex ? deinde subjungitur ejus diffinitionis approbatio hoc modo: Quære acta Gracchi,leges Sempronie proferentur. Quare Syllæ, Corneliæ, quid Ch.Pompeii tertius consulatus,in quibus actis consistit ? nempe in legibus; hæc approbatio est.Deinde adjungitur deductio diffinitionis ad speciem. A Cæsare ipso si quæres quodnam egisset in Urbe et in toga,leges multas respondet se et præclaras tulisse. Sequitur reprehenso diffinitionis adversæ partis, eaque fit bipartito : aut enim ex illis omnibus vitiis aliquid in ea reprehensione concluditur, aut concesso eo quod adversarii dicunt per comparationem, magis hoc esse quod nos dicimus approbamus. Hic utrumque M. Tullius facit.Nam et de vitiis illa ponit ut falsam diffinitionem doceat, et turpem, et inutilem. Ac deinde concedens magis suam confirmet diffinitionem, dicatque potiorem.Falsam diffinitionem sic Cicero probat excutiendo quod consequens sit; his enim probatur falsa diffinitio,si suum proprium non habeat, si magis contrarium habeat, si consequens suum non teneat, si aliter dicta sit atque in vulgi est opinione. Hic ergo quoniam quæritur quid sit actum togati civis in rempublicam cum potestate degentis, dictumque est nihil aliud esse quam leges, advertendum quod Antonius dixerat chirographa esse,consequentia diligenter advertens falsam docet diffinitionem sic: Is qui est in potestate, est in republica ; cum egerit aliquid,actum mutare non potest, hoc competit legi,ut cum lata sit nunquam a latore mutetur. At vero chirographa, quia domesticus actus est,hanc consequentiam habent,et ut mutentur,et sæpe non proferantur. Ergo M. Tullius ita reprehendit chirographa actum non esse,quia consequenter non habent actus, dicens : Chirographa vero aut mutaret,aut non daret ; aut si dedisset,non istas res in actis suis diceret : sed quia per concessionem reprehensi, sed ea ipsa concedo, ac quibusdam etiam in rebus conniveo ; in maximis vero rebus, id est in legibus, acta Cæsaris dissolvi ferendum non puto. Adjungit post hæc reprehensionem similiter duplicem,unam ex vitiis ut et turpem diffinitionem, dicat, et inutilem. Deinde concedat conclusurus ex comparatione suam potiorem,dicens esse turpem et inutilem in hujusmodi dicto quod est, nisi sorte,si quid memoriæ causa retulit in libellum, id numerabitur in actis. Et quamvis iniquum et inutile sit,defenditur: Æquitas virtus est; virtus autem ipsa honestum,ergo iniquitas turpis est,quia turpitudo contraria est honestati. Si igitur turpem et inutilem ipsis verbis reprehendit diffinitionem. Deinde adjecit postremum illud per concessionem hoc modo: quod ad populum centuriatis comitiis tulit, id in actis Cæsaris non habebitur. Hæc acuto quoque satis esse duxi.

TOPICORUM ARISTOTELIS

LIBRI OCTO,

AN. MANL. SEV. BOETIO INTERPRETE

LIBER PRIMUS.

CAPUT PRIMUM.

Primi Topicorum libri Aristotelis quæ intentio, et quæ ratiocinandi species.

Propositum quidem negotii et methodum invenire per quam poterimus syllogizare de omni proposito problemate ex probabilibus, et ipsi disputationem sustinentes nihil dicemus repugnans Primum igitur dicendum quid est syllogismus, et quæ ejus differentiæ, quomodo sumatur dialecticus syllogismus ; hunc enim quærimus secundum propositum negotium. Est itaque syllogismus oratio in qua positis quibusdam aliquid aliud a positis ex necessitate accidit per ea quæ posita sunt. Demonstratio vero est quando ex veris et primis syllogismus erit, aut ex talibus quæ per aliqua prima et vera ejus quæ circa ipsa est cognitionis principium sumpserunt. Dialecticus autem sylogismus est qui ex probabilibu est collectus. Sunt autem vera et prima quæ non per alia,sed per se ipsa fidem habent. Non enim oportet in disciplinaribus principiis inquirere propter quod, sed secundum unumquodque principiorum ipsam per se esse fidem. Probabilia autem sunt quæ videntur omnibus, aut plurimis, aut sapientibus, et his vel omnibus, vel plurimis, vel maxime familiaribus et probatis. Litigiosus autem est syllogismus ex iis quæ videntur probabilia, non sunt autem. Et qui ex probabilibus quidem, aut ex iis quæ videntur probabilia, est apparens. Non enim omne quod videtur probabile etiam est probabile, nihil enim eorum quæ dicuntur probabilia in superficie habet omnino phantasiam, velut circa litigiosarum disputationum principia accidit se habere ;

statim enim sæpius etiam eis qui parva videre possunt manifesta est in his falsitatis natura. Ergo prior quidem eorum (qui dicti sunt litigiosi syllogismi) etiam syllogismus dicatur, reliquus vero litigiosus quidem syllogismus, syllogismus autem non, eo quod videtur quidem ratiocinari, ratiocinatur autem minime. Amplius autem præter omnes (qui dicti sunt) syllogismus, ex iis quæ sunt circa aliquas disciplinas pecularia fiunt paralogismi, quemadmodum in geometria et huic cognatis accidit se habere. Videtur autem hic modus differre a dictis syllogismis, nam neque ex veris et primis colligit pseudographus, neque ex probabilibus, nam sub definitione non cadit, neque enim quæ omnibus videntur sumit, neque quæ pluribus, neque sapientibus, et his, neque omnibus, neque plurimis, neque probatissimis; sed ex peculiaribus quidem disciplinæ sumptis, non veris autem, syllogismum facit, nam eo quod aut semicirculos describit non ut oportet, aut lineas aliquas ducit non ut ducendæ sunt, paralogismum facit. Species igitur syllogismorum, ut figuraliter sit complecti, dictæ sint. Summatim autem dicendo de omnibus prædictis et de his quæ postea sunt dicenda, in tantum nobis determinatum sit, eo quod de nullo eorum exactam rationem assignare deligimus, sed aliquantulum figuraliter de his volumus pertransire, omnino sufficiens arbitrantes esse secundum propositam methodum posse cognoscere quoquomodo unumquodque illorum.

CAPUT II.

Ad quot utilis dialectica disserendique disciplina.

Consequens autem erit ex iis quæ dicta sunt dicere ad quot et quæ utile sit hoc negotium. Est autem ad tria, ad exercitationes, ad colloquia, ad eas quæ secundum philosophiam sunt disciplinas. Quod igitur ad exercitationem sit utile, ex his perspicuum est, methodum enim habentes, facile de propositio argumentari poterimus. Ad colloquia vero eo quod multorum annumerantes opiniones, non ex extraneis sed ex propriis doctrinis sermocinabimur ad eos, transmutantes quidquid non bene videntur modis dicere. Ad secundum philosophiam autem disciplinas, quod potentes ad utraque dubitare, facile in singulis intuebimur verum et falsum, præterea autem ad prima eorum quæ in unaquaque disciplina sunt principia. Nam ex propriis secundum propositam disciplinam principiis impossibile est dicere aliquid de ipsis, eo quod prima principia sunt omnium, per ea vero (quæ sunt circa singula) probabilia necesse est de illis transigere. Id autem proprium, maximeve peculiare dialecticæ est, nam cum sit inquisitiva, ad omnium methodorum principia viam habet. Habebimus autem perfecte methodum, quando perinde habebimus ac in rhetorica, et medicina, et hujusmodi facultatibus, hoc autem ex iis quæ contingunt facere quæ eligimus. Nam neque rhetor omni ex modo persuadebit, neque medicus sanabit; sed si ex iis quæ contingunt nihil omiserit, sufficienter eum disciplinam habere dixerimus.

CAPUT III.

Ex quibus e quot disceptatio dialectica constet.

Primum igitur considerandum ex quibus est methodus, siquidem sumpserimus ad quot, et quæ ex quibus orationes et de quibus syllogismi, et quomodo his abundemus, habebimus sufficienter propositum. Sunt autem numero æqualia, et eadem ea ex quibus orationes et de quibus syllogismi: fiunt enim orationes ex propositionibus; de quibus autem syllogismi fiunt, problemata sunt. Omnis autem propositio, et omne problema, aut proprium aut genus, aut accidens indicat; etenim differentia cum est generalis, cum genere ordinanda est. Quoniam autem proprium hoc quidem quid est esse significat, illud autem non significat, dividatur proprium in utrasque prædictas partes, et vocetur illud quod quid erat esse significat, terminus; reliquum vero, secundum communem de ipsis assignatam nominationem, nuncupetur proprium. Manifestum igitur ex iis quæ dicta sunt quod secundum præsentem divisionem quatuor omnia accidit fieri, aut proprium, aut terminum, aut genus, aut accidens. Nemo autem nos opinetur dicere quod unumquodque horum secundum se dictum propositio vel problema est, sed quod ab his et problemata et propositiones fiunt. Differunt autem problema et propositio modo, nam cum sic dicitur: putasne animal gressibile bipes? diffinitio est homini et putasne animal genus est hominis? propositio fit. Si autem utrum animal gressibile bipes definitio est hominis, an non, problema fit. Similiter autem et in aliis. Quare merito æqualia numero problemata et propositiones sunt, nam ab omni propositione problema efficies, mutans modum.

CAPUT IV.

De termino, proprio, genere, et accidente.

Dicendum autem quid terminus, quid proprium, quid genus, quid accidens. Est autem terminus quidem oratio quid erat esse significans. Assignatur autem aut oratio pro nomine, aut oratio pro oratione; possibile est enim et eorum quæ sub ratione significantur quædam definiri. Quicunque autem quolibet modo nomine assignationem faciunt, manifestum quoniam non assignant ii rei definitionem, eo quod omnis definitio oratio quædam est, accommodatum tamen termino, et hujusmodi ponendum est, ut quod honestum est, decens. Similiter autem et utrum idem sensus, et disciplina vel diversum; etenim circa diffinitiones, utrum idem, vel diversum, plurima fit immoratio. Simpliciter autem accomodato termino omnia dicantur quæ sub eadem disciplina cum definitionibus continentur. Quod autem omnia quæ nunc dicta sunt hujusmodi sunt, manifestum ex his. Potentes enim quod idem et quod diversum disputare, eodem modo et ad definitiones argumentari facile poterimus; nam ostendentes quod non idem est, interimentes erimus definitionem: non tamen convertitur quod nunc dictum est, non enim sufficiens est ad astruendum definitionem ostendere idem esse, attamen ad destruendum sufficiens est ostendere

quod non idem est. Proprium autem est quod non indicat quid est esse, soli autem inest, et conversim prædicatur de re ut proprium est hominis grammatices esse susceptivum. Nam si homo est, et grammatices susceptibilis est, si grammatices susceptivum est, et homo est. Nemo enim proprium dicit quod contingit alii inesse, ut homini dormire, ne quidem si forsitan per aliquod tempus inest soli. Si autem forte dicatur aliquid talium proprium, non simpliciter, aliquando, vel ad aliquid dicetur, nam ex dextris quidem esse, aliquando proprium est. Bipes autem ad aliquid proprium est dictum, ut homini ad equum et canem. Quod autem eorum quæ contingunt alii inesse nullum conversim prædicatur, manifestum est; non enim necessarium est si quid dormit, hominem esse. Genus autem est, quod de pluribus et differentibus specie in eo quod quid est prædicatur. In eo quod quid est prædicari ea dicuntur, quæcunque convenit eum qui interrogatus est reddere quid est quod propositum est, quemadmodum de homine, convenit eum qui interrogatus est quid id est quod propositum est, dicere quod animal. Generi autem accommodatum est utrum in eodem genere aliud alii, an in ultero sit. Nam et hujusmodi sub eadem methodo cadit cum genere; disputantes enim quod animal genus hominis similiter et bonus, disputantes erimus quoniam hæc in eodem sunt genere, sit autem alterius quidem ostendamus quod genus est, alterius autem quod non est, disputantes erimus quoniam non in eodem genere hæc sunt. Accidens autem est quod nihil horum est, neque definitio, neque proprium, neque genus, inest autem rei; et quod contingit inesse cuivis uni et eidem, et non inesse, ut sedere contingit inesse alicui eidem, et non inesse. Similiter autem et album, nam et eidem nihil prohibet quandoque album, quandoque non album esse. Est autem accidentis definitionum secunda melior: nam cum dicitur prima, necessarium est si debet quis intelligere, præscire quid est terminus, et genus, et proprium; secunda autem perfecta est ad cognoscendum (quid est quod dicitur) per se. Annectantur autem accidenti et quæ ad se invicem sunt comparationes quolibet modo ab accidente dictæ, ut utrum honestum, an quod confert, expetibilius, et utrum quæ est secundum virtutem, an quæ secundum voluptatem suavior vita, et si quid aliud similiter his est dictum, in omnibus enim talibus utri magis prædicatum accidit, quæstio fit. Manifestum est autem ex his quoniam accidens nihil prohibet, et quando, et ad aliquid proprium fieri, ut sedere cum sit accidens, quando quis solus sedet, tunc aliquando proprium erit; solo vero sedente, ad non sedentes proprium: quare et ad aliquid, et aliquando nihil prohibet accidens proprium fieri, simpliciter autem proprium non erit.

CAPUT V.

Quod cætera prædicata aliquid claudant eorum quæ definitio continet.

Non lateat autem nos quoniam quæ ad proprium, et genus, et accidens omnia dicuntur, et ad definitiones conveniet dici. Ostendentes enim quoniam non ei soli inest quod est sub definitione (quemadmodum et in proprio), aut quoniam non genus quod assignatum est in definitione, aut quoniam non inest, aliquid eorum quæ in definitione dicta sunt (quod quidem et in accidente dici potest), interimentes erimus definitionem. Quare secundum prius assignatam rationem, omnia erunt quodammodo definitioni accommodanda quæ numerata sunt. Sed non propter hoc unam in omnibus universalem methodum quærendum, neque enim facile invenire hanc est, et si inveniatur, omnino obscura et insuavis plane fuerit ad propositum negotium. Propria vero in unoquoque determinatorum generum assignata methodo, facile ex iis quæ circa unumquodque propria sunt decursus propositi fieri possit. Quare universaliter figura quidem (quemadmodum dictum est prius) dividendum est, reliquorum autem ea quæ maxime sunt singulis peculiaria, annectendum; definitioni et generi accomodata ea nuncupantes, pene autem adjuncta sunt quæ dicta sunt ad singula.

CAPUT VI.

De eodem.

Primum autem omnium de eodem determinandum quoties dicitur. Videbitur autem idem ut figuraliter sit sumere, tripliciter dividi. Numero enim, aut specie, aut genere, idem solemus appellare. Numero quidem, quorum nomina plura, res autem una, ut indumentum et vestis. Specie autem quæ cum sint plura, indifferentia sunt secundum speciem, ut homo homini, equus equo; nam hujusmodi specie dicuntur, quæcunque sub eadem specie sunt. Similiter autem et genere eadem, quæcunque sub eodem genere sunt, ut equus homini. Videbitur autem ab eodem fonte aqua, quæ eadem dicitur, habere aliquam differentiam præter dictos modos. Non tamen, sed et hujusmodi in eodem ordinetur iis quæ secundum unam speciem quoquo modo dicta sunt: omnia enim talia cognata et affinia sibi invicem videntur esse: nam omnis aqua omni aquæ eadem specie dicitur, eo quod habeat quamdam similitudinem; ab eodem autem fonte aqua quæ eadem dicitur nullo alio differt, quam eo quod vehementior sit similitudo: quare non separamus idem ab iis quæ secundum unam speciem quoquo modo dicuntur. Maxime autem indubitanter quod unum est numero, idem ab omnibus videtur dici. Solet autem et hoc assignari multipliciter, propriissime autem et primo, quando nomine vel termino idem assignatum fuerit, ut vestis indumento, et animal gressibile bipes homini. Secundum autem, quando proprio, ut disciplinæ susceptibilis homini, et quod natura sursum fertur igni. Tertium vero, quando ab accidente, ut sedens, vel musicum Socrati, omnia enim hæc unum numero volunt significare. Quod autem verum sit quod nunc dictum est, ex transsumentibus nuncupationes maxime quis discat; sæpe enim præcipientes nomine vocare aliquem sedentium, transsumimus, quando forte is non

problemata et de quibus contrarii sunt syllogismi: A dubitationem enim habent utrum sic se habent an non sic, eo quod utrisque sunt rationes suasibiles. Et de quibus rationem non habemus, cum sint magna, difficile arbitrantes esse propter quod assignare; ut utrum mundus sit æternus, an non, nam hujusmodi quæret aliquis. Problemata ergo et propositiones (ut dictum est) derminata sint. Positio est opinio admirabilis alicujus familiarium secundum philosophiam, ut quod non est contradicere, quemadmodum dixit Antisthenes, et quod omnia moventur, secundum Heraclitum, aut quod unum est ens, quemadmodum Melissus dixit (nam de quovis contraria opinionibus proferente curam habere stultum est), aut de quibus orationem habemus contrariam opinionibus, ut quoniam non omne quod est, vel fa- B ctum est, vel æternum, quemadmodum sophistæ dicunt. Nam musicum, grammaticum esse, neque factum, neque esse æternum. Hoc enim et si alicui non videatur, videbitur utique eo quod rationem habeat suasibilem. Est igitur et positio quidem problema, non autem omne problema positio, eo quod quædam problematum talia sunt, de quibus neutro modo opinamur. Quod autem est positio problema manifestum est : necesse est enim ex iis quæ dicta sunt, aut plures sapientibus circa positionem dubitare, aut utroslibet sibimet, eo quod opinio quædam admiranda positio est. Pene autem nunc omnia dialectica problemata positiones vacantur. Differat autem nihil quomodolibet dictum : non enim nomen effingere volentes divisimus sic ea, sed ut non lateant nos, cum quædam eorum sunt differentiæ. Non oportet autem omne problema, nec omnem positionem considerare, sed quam dubitabit aliquis eorum, qui ratione egent, et non pœna vel sensu. Nam qui dubitant utrum oporteat deos honorare, et parentes diligere, an non, pœna indigent ; qui vero utrum nix alba an non, sensu. Neque vero quorum propinqua est demonstratio, neque quorum valde longe : nam illa quidem non habent dubitationem, hæc autem magis quam secundum falcultatem exercitativam.

C

CAPUT X.

De speciebus disserendi , dialecticæque disputationis.

Determinatis autem his, oportet dividere quot D dialecticarum disputationum sunt species. Est autem inductio quidem hæc, illa autem syllogismus. Et syllogismus quidem quid est, dictum est prius. Inductio vero est a singularibus ad universalia accessio, ut si est gubernator eruditus, optimus, et auriga, et omnis qui est eruditus in unoquoque, optimus. Est autem inductio verisimilior, et clarior et secundum sensum notior, et pluribus communis syllogismus autem valentior, et ad contradicentes efficacior. Ergo genera de quibus disputationes, et ex quibus, quemadmodum ante dictum est, determinata sint.

CAPUT XI.

De instrumentis quibus syllogismorum copiam nobis ad disserendum suppeditamus.

Instrumenta autem per quæ abundemus syllogismis sunt quatuor. Unum quidem, propositiones sumere. Secundum autem, quotupliciter unumquodque dicitur posse distinguere. Tertium, differentias invenire. Quartum autem, similitudinis consideratio. Sunt autem et modo quodam etiam tria horum propositiones. Est enim unumquodque eorum propositionem facere, ut quod eligendum est honestum, vel delectabile, vel utile, et quod differt sensus a disciplina, eo quod amittenti eam possibile est rursum sumere, illum autem impossibile. Et quoniam similiter se habet salubre ad sanitatem, et habile ad bonam habitudinem. Est autem prima propositio ab iis quæ multipliciter dicuntur, secunda a differentiis, tertia vero a similibus.

CAPUT XII.

De sumptione propositionum.

Ergo propositiones quidem eligendum quotquot modis determinatum est in propositione, aut omnium opiniones proponenti, aut plurium aut sapientum, et horum vel omnium, vel plurimorum, vel notissimorum. Aut etiam contrarias apparentibus, et quæcunque opiniones secundum artem sunt ; at oportet protendere contrarias apparentibus probabilibus, secundum contradictionem, quemadmodum dictum est prius. Utile autem et facere eas in eligendo non solum quæ sunt probabiles, sed et similes eis, ut quod contrariorum idem est sensus, nam et scientia contrariorum est eadem. Et quod videmus suscipientes aliquid, non emittentes, nam et in aliis sensibus sic est, nam et audimus suscipientes aliquid, non emittentes, et olfacimus eodem modo, similiter autem et in aliis. Amplius : quæcunque in omnibus vel plurimis videntur, sumendum ut principium et apparentem positionem, nam ponunt qui non conspiciunt, in aliquo non sic habet. Eligere autem oportet et ex scriptis disceptationibus. Descriptiones autem facere in unoquoque genere supponentes seorsum (ut de bono, aut de animali, et de bono omni) incipientem a quid est. Adnotare autem et singulorum opiniones, ut quod Empedocles quatuor dixit elementa corporum esse. Ponet enim aliquis quod ab aliquo probato dictum est. Sunt autem (ut figuraliter sit complecti) propositionum et problematum partes tres ; nam aliæ sunt morales propositiones, aliæ naturales, aliæ rationales. Morales quidem hujusmodi, ut utrum oporteat parentibus magis an legibus obedire, si dissentiant. Rationales vero, ut utrum contrariorum eadem disciplina, an non. Naturales autem, ut utrum mundus sit æternus, necne. Similiter autem et problemata. At vero quales sint singulæ earum quæ dictæ sunt, definitione quidem non facile assignare est de ipsis. Est autem ea (quæ per inductionem est) assuetudine tentandum cognoscere unamquamque earum, secundum prædicta exempla consideranti. Ad philosophiam igitur, se-

cundum veritatem de his negotiandum, dialectico autem modo ad opinionem. Sumendæ autem quam maxime universales propositiones omnes, et una facienda multæ, ut quod oppositorum eadem disciplina, deinde quod contrariorum et quod et aliquid. Eodem modo et ipsæ rursum dividendæ, quousque contingere potest divisio, ut quod boni, et mali, et albi, et nigri, et frigidi, et calidi ; similiter autem et in aliis. De propositionibus igitur sufficiant prædicta.

CAPUT XIII.

De multiplicis distinctione.

Ipsum autem quotupliciter negotiandum est, non solum quæcunque dicuntur secundum alium modum, sed et rationes eorum tentandum assignare, ut non solum quod bonum alio quidem modo dicitur justitia et fortitudo, habile autem et salubre, sed quod et illa quidem eo quod ipsa qualia quædam sunt, hæc autem eo quod effectiva alicujus, et non eo quod qualia quædam sunt ; similiter autem et in aliis. Utrum autem multipliciter, aut uno modo specie dicitur, per hæc considerandum. Primum quidem in contrario perspiciendum si multipliciter dicitur, sive specie, sive nomine dissonet. Quædam enim statim et nominibus alia sunt, ut acuto in voce contrarium est grave, in magnitudine autem obtusum ; patet igitur quod contrarium acuto multipliciter dicitur, si autem hoc, et acutum. Nam secundum utrumque horum aliud erat contrarium, non enim idem acutum erit obtuso et gravi contrarium ; utrique autem acutum contrarium. Rursum gravi in voce quidem contrarium acutum, magnitudine autem leve ; quare multipliciter grave dicitur, eo quod et contrarium. Similiter autem et pulchro, ei quidem quod in animali turpe, ei vero quod est in domo, perniciosum ; quare æquivocum pulchrum. In quibusdan autem nominibus quidem nullo modo dissonat, specie autem manifesta in eis statim differentia est, ut in claro et obscuro ; vox enim clara et obscura dicitur. Similiter autem et color. Ergo nominibus quidem nihil dissonant, specie autem manifesta in eis statim differentia est ; non enim similiter et color clarus dicitur, et vox clara. Manifestum autem id est et per sensum, nam eorum quæ eadem sunt specie, idem sensus ; at clarum quod in voce et in colore non eodem sensu judicamus, sed hoc quidem visu, illud autem auditu. Similiter autem et acutum et obtusum in humoribus et ir magnitudinibus, sed hoc quidem tactu, illud autem gustu. Nam neque hæc dissonant nominibus, neque in seipsis, neque in contrariis, obtusum enim est contrarium utrique. Amplius si huic quidem est aliquid contrarium, illi autem simpliciter nihil, ut ei quæ est a potu delectationi, ea quæ est a siti tristitia, contrarium ; ei autem quæ est ab eo quod est considerare quod diameter est costæ incommensurabilis, nihil. Quare multipliciter delectatio dicitur. Et ei quidem quæ est secundum mentem amare, odire contrarium est ; ei autem quæ est secundum corporalem actum, nihil ; manifestum ergo quoniam amare æquivocum. Præterea in mediis, Si huic quidem est aliquid medium, illi autem nihil, aut si utrisque quidem est, non idem autem, ut clari et obscuri, in coloribus quidem aliquid est medium, fuscum, in voce autem nihil, aut si forte raucum, quemadmodum quidam dicunt raucam vocem medium esse, quare æquivocum clarum, similiter et obscurum. Insuper si horum quidem plura media, illorum autem unum, ut in claro et obscuro. Nam in coloribus plura media, in voce autem unum, raucum. Rursum in eo quod secundum contradictionem opponitur, considerandum si multipliciter dicitur. Nam si hoc multipliciter dicitur, et quod huic opponitur multipliciter dicetur. Ut non videre multipliciter dicitur, unum quidem non habere visum, alterum autem non operari visu. Si autem hoc multipliciter dicitur, necessarium est et videre multipliciter dici : utrique enim non videre opponitur, ut ei quidem quod est non habere visum, habere ; illi autem quod non est operari visu, operari. Amplius in his quæ secundum privationem et habitum dicuntur perspiciendum. Si enim alterum multipliciter dicitur, et reliquum ut si sensibile multipliciter dicitur : et secundum animam et corpus, et insensibile multipliciter dicetur et secundum animam et corpus. Quod autem secundum privationem et habitum opponuntur quæ dicta sunt, manifestum, eo quod nata sint utrumque sensum habere animalia, et secundum animum et secundum corpus. Amplius autem in casibus considerandum. Nam si juste multipliciter dicitur, et justum multipliciter dicetur, secundum utrumque enim justorum est justum, ut si juste dicitur et secundum sui cognitionem judicare et ut oportet, similiter et justum. Eodem autem modo et si salubre multipliciter dicitur, et salubriter multipliciter dicetur, ut si salubre dicitur hoc quidem sanitatis effectivum, illud autem conservativum, quoddam vero significativum, et salubriter vel effective, vel conservative, vel significative dicetur. Similiter autem et in aliis quando ipsum multipliciter dictum fuerit, et casus ab eo multipliciter dicetur ; et si casus, et ipsum. Consideranda autem et genera secundum nomen prædicationum, si eædem sint nominibus. Nam si non eædem, manifestum est quoniam æquivocum est quod dicitur, ut bonum in cibis quidem effectivum est voluptatis, in medicina autem effectivum sanitatis, in anima vero qualem esse, ut castam, vel fortem, vel justam. Similiter autem et in homine ; aliquoties autem et quando ut in tempore bonum (bonum enim dicitur in tempore), plerumque autem quantum in mediocri (dicitur enim et mediocre bonum) ; quare æquivocum bonum. Similiter autem et candidum, in corpore quidem color, in voce autem bene audile. Similiter. autem et acutum, non enim similiter idem in omnibus dicitur. Nam vox acuta quidem velox (sicut dicunt, qui secundum numeros harmonici sunt), angulus autem acutus, qui minor est recto, gladius vero qui est anguli acuti.

deranda etiam et genera eorum quæ sunt sub
n nomine, si diversa et non subalterna sunt, ut
, hoc autem animal, et hoc vas. Diversa enim
ecundum nomen est horum ratio, nam hoc
m animal, quid significat, illud vero vas, quale
Si autem subalterna sint genera, non necessa-
diversas esse rationes, ut corvi animal, et avis
est; quando autem corvum, dicimus autem esse
mal, quid dicimus eumdem esse; quare utraque
a de eodem prædicatur. Similiter autem et
lo animal volatile bipes corvum dicimus, avem
us eumdem esse, et sic ergo utraque genera de
prædicantur, et ratio eorum. In non subalter-
neribus non accidit hoc; neque enim quando vas
us, animal dicimus, neque quando animal vas.
derandum autem non solum si in proposito di-
sunt genera, et non subalterna, sed et in con-
. Si enim contrarium multipliciter dicitur, ma-
um quoniam et propositum. Utile autem ad
tionem inspicere quæ de composito fit, ut can-
rporis et candidæ vocis, nam sublato proprio,
m rationem oportet relinqui. Hoc autem non
t in æquivocis, ut in iis quæ nunc dicta sunt,
oc quidem erit corpus habens talem colorem,
autem vox bene audibilis. Sublato igitur cor-
et voce, non idem in utraque relinquitur, at
t si univocum esset candidum, quod in utraque
r esse idem. Sæpe autem et in ipsis definitioni-
itet assequens æquivocum, quapropter et in
tione considerandum. Ut si quis significativum
ectivum sanitatis quod moderate se habet ad
tem dicat esse, non refutandum; sed inspi-
um quid moderate quidem secundum utrumque
ut si hoc quidem tale significat ut facere sani-
, illud autem tale ut significare qualis quidem
bitus. Adhuc si non comparabilia sunt secun-
magis, et minus, vel similiter, ut clara vox,
vestis, et acutus humor, et acuta vox: hæc
neque similiter dicuntur clara vel acuta, neque
alterum: quare æquivocum clarum et acutum,
nivocum omne comparabile, aut enim simi-
licetur aut magis alterum. Quoniam autem di-
um generum, et non subalternatim positorum
æ species sunt et differentiæ, ut animalis et
iæ (diversæ enim horum differentiæ), con-
ndum si quæ sub eodem sunt nomine di-
um generum, et non subalternorum diver-
fferentiæ sint, ut acutum vocis et magnitu-
; differt enim vox a voce eo quod acuta sit,
ter et magnitudo a magnitudine: quare æqui-
acutum, diversorum enim generum, et non
ernorum diversæ differentiæ sunt. Rursum si
idem quæ sunt sub eodem nomine diversæ
ntiæ sunt, ut coloris qui est in corporibus et
lodiis. Nam ejus qui est in corporibus congre-
m et disgregativum visus, ejus vero qui in
iis non eædem differentiæ; quare æquivocum
nam eorumdem eædem differentiæ. Amplius,
m species nulius est differentia inspicere opor-
tet si eorum quæ sub eodem sunt nomine, hoc qui-
dem species est, illud autem differentia, ut clarum,
quod in corpore quidem, species coloris; quod autem
in voce, differentia. Differt enim vox a voce eo quod
clara sit. De eo igitur quod multipliciter dicitur, per
hæc et hujusmodi perspiciendum.

CAPUT XIV.

De differentiarum inventione, similium consideratione, et utilitatibus instrumentorum.

Differentias autem in ipsis generibus ad se invicem perspiciendum, ut quo differt justitia a fortitudine, et prudentia a temperantia: hæc enim omnia ex eodem genere sunt ex virtute. Et ex alio ad aliud, ut in iis quæ non nimium differunt, ut in quo differt sensus a scientia; nam in iis quæ multum differunt, manifestæ sunt omnino differentiæ. Similitudinem autem considerandum in iis quæ sunt in diversis generibus, ut sicut alterum ad alterum quidem, sic aliud ad aliud, ut sicut scientia ad scibile, sic sensus ad sensibile; et ut alterum in altero aliquo, sic aliud in alio, ut quemadmodum visus in oculo, mens in anima, et ut tranquillitas in mari, serenitas in aere, utrumque enim quies. Maxime autem in iis quæ multum distant exerceri oportet, facile enim in reliquis poterimus similia inspicere. Considerandum autem et ea quæ sub eodem sunt genere, si quid inest omnibus idem, ut homini, et equo, et cani: nam si inest aliquid eis idem in eo sunt similia. Utile autem ipsum quidem, quod quotupliciter, dicitur, considerasse ad diluciditatem; maxime autem quis sciet quid ponatur, manifesto facto quotupliciter dicitur. Et ad fieri secundum rem eamdem, et non ad nomen syllogismos: si enim in manifestum sit quotupliciter dicitur, contingit non ad idem etiam qui respondet et qui interrogat ferre intellectum; manifestato autem quotupliciter dicitur, et ad quid ferens ponat, ridiculus videbitur interrogans esse, si non ad hoc sermonem faciat. Utile etiam, et ut non falsa ratione decipiamur, sed decipiamus potius: nam scientes quotupliciter dicitur, non allucinabimur, sed sciemus si non ad idem sermonem faciat is qui interrogat, et ipsi interrogantes poterimus apparenti ratiocinatione fallere, nisi is qui respondet agnoscat quotupliciter dicitur. Hoc non in omnibus semper possibile, sed quando fuerint eorum quæ multipliciter dicuntur, alia quidem vera, alia autem falsa. Est autem proprie non conveniens modus hic dialecticæ, quare omnino vitanda dialecticis hujusmodi ad nomen disputatio, nisi quis aliter non possit de proposito disserere. Differentias autem invenire utile, et ad syllogismos de eodem, et diverso, et ad cognoscendum quid est unumquodque. Quod autem ad syllogismos de eodem et diverso utile, manifestum: invenientes enim differentiam propositorum quamlibet, ostendentes erimus quoniam non idem. Ad cognoscendum autem quid est unumquodque, eo quod propriam substantiæ cujusque rationem, iis quæ (circa unumquodque sunt) accommodatis differentiis separare solemus. Simili-

tudinis autem consideratio utilis est ad inductivas rationes, et ad syllogismos ex suppositione, et ad assignationem definitionum. Ad inductivas quidem rationes, eo quod circa singula in similibus inductione universale existimamus inducere, non enim facile est inducere ignorantes similia. Ad syllagismos ex suppositione, eo quod probabile est quemadmodum in uno similium se habet, sic et in reliquis. Quare ad quodcunque eorum facultatem habebimus disputandi, profitebimur quemadmodum in his se habet, sic et in proposito habere. Id enim ostendentes, et propositum ex suppositione ostendentes erimus : supponentes enim quomodo in his se habet, sic et in proposito se habere demonstrationem faciemus. Ad definitionem autem assignationem, eo quod potentes conspicere quid in unoquoque idem, non dubitabimus ad quid oporteat genus (cum definiemus propositum) collocare, nam communium quod maxime in eo quod quid prædicatur genus erit. Similiter autem et in multum distantibus utilis ad definitiones similitudinis consideratio, ut quod idem tranquillitas in mari, et serenitas in aere, utrumque enim quies, et quoniam punctum in linea, et unitas in numero, utrumque enim principium. Quare commune in omnibus genus assignantes, arbitrabitur non extranee definire. Pene autem et definientes sic solent assignare, nam et unitatem principium numeri dicunt esse ; et punctum principium lineæ. Manifestum igitur quoniam ad commune utrorumque genus collocant. Instrumenta itaque per quæ sunt syllogismi, hæc sunt ; loci autem ad quos utilia sunt prædicta, ii sunt qui dicendi sunt.

LIBER SECUNDUS.

CAPUT PRIMUM.

De problematis uuiversalibus et in quibus prædicatis inesse et esse convertuntur.

Sunt autem problematum hæc quidem universalia, illa vero particularia : universalia quidem, ut omnis voluptas bonum est, et nulla voluptas bonum ; particularia vero, ut aliqua voluptas bonum, et aliqua voluptas non bonum. Sunt autem ad utraque genera problematum communia universalia, et constructiva, et destructiva. Ostendentes enim quod omni inest, et quod alicui inest ostendentes erimus ; similiter autem et si quod nulli inest ostenderimus, et quod non omni inest ostendentes erimus. Primum ergo de universalibus destructivis dicendum, eo quod communia sint hujusmodi ad universalia et particularia, et quia magis positiones afferant in eo quod inest, quam non, disputantes autem destruant. Est autem difficillimum converti ab accidente propriam nomitationem. Nam aliquo modo et non universaliter in solis contingit accidentibus, a definitione enim, et proprio, et genere necessarium est converti, ut si inest alicui animal gressibile bipes esse, convertentem verum erit dicere, quoniam illud animal gressibile bipes est. Similiter autem a genere, nam si animal inest alicui, animal est. Eodem autem modo et proprio est ; si enim alicui inest grammatices susceptivum esse, grammatices susceptivum erit. Nam nihil horum contingit secundum quid inesse, vel non esse, sed simpliciter vel inesse, vel non inesse. In accidentibus autem nihil prohibet secundum quid inesse, ut albedinem, vel justitiam. Quare non sufficit ostendere quoniam inest albedo, vel justitia, ad ostendendum quod albus, vel justus est, nam habet dubitationem, quoniam secundum quid albus, vel justus est : quapropter non necessarium est in accidentibus converti. Determinare autem oportet et peccata quæ sunt in problematibus, nam sunt duo, vel in eo quod falsum dicunt, vel in eo quod transgrediuntur positam locutionem. Falsum etenim dicentes, et qui quod non inest inesse alicui dicunt, peccant, et qui extraneis nominibus res appellant (ut Platanum hominem), transgrediuntur positam nominationem.

CAPUT II.

Loci problematum quod quidquam insit vel non insit.

Unus autem locus est inspicere si quid secundum aliquem alium modum inest, ut accidens assignavit. Peccatur autem maxime id circa genera, ut si quis albo dicat accidere colorem esse, non enim albo colorem esse accidit, sed genus ejus color est. Contingit autem et secundum nominationem determinare eum qui ponit, ut quod accidit justitiæ virtutem esse. Sæpe autem et cum non determinet, manifestum quod genus ut accidens assignavit, ut si quis albedinem colorari dixerit, vel ambulationem moveri. A nullo enim genere denominative prædicatio de specie dicitur, sed omnia univoce genera de speciebus prædicantur, nam et nomen et rationem generum suscipiunt species ; qui igitur coloratum dixit album, neque genus assignavit, quoniam denominative dixit, neque ut proprium vel ut definitionem, nam definitio et proprium nulli alii inest : sunt autem colorata et pleraque aliorum, ut lignum, lapis, homo, equus. Manifestum igitur quoniam ut accidens assignavit. Alius locus est inspicere ea quibus inesse aut omnibus aut nulli dictum est, et considerare secundum species, et non in infinitis. Nam transitu magis et in paucioribus consideratio, oportet autem considerare et incipere a primis, deinde consequenter usque ad individua, ut si oppositorum eamdem disciplinam quis dixerit esse, perspiciendum si eorum quæ sunt ad aliquid, et contrariorum, et quæ secundum privationem et habitum et quæ secundum contradictionem dicuntur, eadem fit disciplina et si in his nondum manifestum est, rursum ea dividendum usque ad individua, ut

vel injusti, vel dupli vel dimidii, vel cœci- A inest quodcunque id sit, interimentes erimus omni
il visus, vel esse vel non esse. Nam si in inesse;similiter autem et si uni ostenderimus inesse,
stendatur quod non eadem,interimentes eri- interimemus nulli inesse.Construentibus autem præ-
oblema,similiter autem et si nulli inest.Iste confitendum quod cuivis inest omni inest, si veri-
ocus convertitur ad construendum et destruen- simile sit postulatum.Non sufficit enim, ad osten-
i enim in omnibus videatur cum divisionem dendum quod omni inest, in uno disputasse, ut si
nus,nihil in pluribus, postulandum est au- hominis anima immortalis est, propter hoc anima
iversaliter ponere,aut instantiam ferre in ali- omnis immortalis; quare præconfitendum quod si
a sic esse;nam si neutrum horum faciat,ab- quæcunque anima immortalis, omnis immortalis.
apparebit, qui non ponet. Alius est, defini- Hoc autem non semper faciendum,sed quando non
acere accidentis, et ejus cui accidit, aut facile possumus communem in omnibus unam ratio-
ne de utroque, aut alterius,deinde consid- nem dicere, quemadmodum geometer, quod trian-
quid non verum in definitionibus perinde ac gulus duobus rectis æquos habet tres angulos. Si
sumptum sit. Ut si est Deum injustitiam autem non lateat quod multipliciter dicitur divisum,
quid injustitiam facere. Si enim nocere quotupliciter dicitur et interimendum et construen-
manifestum quoniam non est Deum injusti- B dum. Ut si dicens est utile, aut honestum, ten-
cere,non enim contingit nocere Deum;et si tandum ambo construere, vel intrimere de propo-
sit studiosus, quis invidus,et quæ invidia. sito, ut quod honestum et quod utile, vel quod ne-
Invidia est tristitia in apparenti prosperitate que honestum neque utile.Si autem non contingat
i proborum,manifestum est quod studiosus utraque, alterum ostendendum,adnotato quod hoc
invidus, pravus enim esset;et si indignans quidem est, illud autem non, eadem autem ratio,
,quis uterque eorum; sic enim manifestum etiam si plura sint in quæ dividitur.Rursum quæ-
um verum an falsum sit,quod dictum est,ut cunque non secundum æquivocationem dicuntur
us quidem sit qui tristatur in bonorum pro- multipliciter,sed alio modo.Ut disciplina una plu-
ibus,indignans autem qui in malorum pro- rium, aut ut finis, aut ejus quod ad finem, ut me-
ibus tristatur,manifestum quod non erit in- dicina ejus quod samitatem facit,ut quod cibat,aut
dignans.Sumere autem et pro iis (quæ in de- ut amborum finium velut contrariorum eadem disci-
is sunt) nominibus definitiones, et non plina (nihil enim magis finis alterum altero)aut ut
e donec ad notum deventum sit;nam sæpe ejus quod per se est, et ejus quod per accidens. Ut
a quidem definitio assignata sit,non mani- per se quidem quod triangulus duobus rectis æquales
est quod quæritur,pro aliquo autem eorum habet tres angulos,per accidens autem quod æqui-
definitione sunt)nominum definitione dicta, C laterus, quoniam enim accidit triangulo æquilate-
itumfit. Amplius,problema propositionem sibi rum triangulum esse, per hoc cognoscimus quod
m instare. Nam instantia erit argumentum duobus rectis æquales habet. Si ergo nullo modo
tionem. Est autem locus hic pene idem ei contingit eadem esse plurium disciplinam, mani-
siderare quibus inesse,vel omnibus,vel nulli festum quoniam omnino non contingit esse, aut si
est,differt autem modo. Amplius, determi- aliquo modo contingit,manifestum quod contingit.
æ oportet dicere ut plures,et quæ non.Utile Dividere autem quotupliciter,utile,ut si voluerimus
ad construendum, et ad destruendum, ut construere:talia præstatuenda sunt quæcunque con-
ominationibus quidem res nuncupandum ut tingunt, et dividendum in ea tantum quæcunque
quæ autem sunt, taliane, an non talia, non utilia sunt ad construendum. Si autem destruere
i attendendum ad plures:ut salubre quidem quæcunque non contingunt,reliqua vero omittenda.
m effectivum sanitatis, ceu plures dicunt. Id autem faciendum in iis cum latuerit quotupliciter
autem propositum effectivum sit sanitatis,an dicuntur,et esse hoc quidem hujus aut non esse ex
i amplius ut plures dicendum,sed ut medi- eisdem locis astruendum,ut disciplinam,hujus qui-
plius,si multipliciter dicatur,positum autem dem aut ut finis, aut eorum quæ sunt ad finem,
iam inest,aut quoniam non inest, alterum D aut ut eorum quæ sunt secundum accidens,vel rur-
re eorum quæ multipliciter dicuntur,si non sum non esse aliquid secundum aliquem dictorum
contingat.Utendum autem in iis quæ latent, modorum,eadem autem ratio,et in desiderio,et quæ-
non lateat multipliciter dictum instabit,quo- cunque alia dicuntur plurium.Est enim desiderium
n monstratum est id quod ipse dubitabat, hujus aut ut finis,ut sanitatis, aut ut eorum quæ sunt
erum. Hic autem locus convertitur et ad ad finem,ut medicinæ conficiendæ,aut ut eorum quæ
ndum et ad destruendum,nam construere sunt secundum accidens,ut in vino amicum dulce,
ostendemus quoniam alterum inest,si non non quia vinum, sed quia dulce est, nam per se
terimus : destruentes autem quoniam non dulce desiderat,vinum autem per accidens:si enim
erum ostendemus, si ambo non poterimus: austerum fit, non amplius desiderat, per accidens
men destruenti quidem nihil oportet ex con- ergo desiderabat. Utilis autem locus hic et in iis
disputare, neque si omni, neque si nulli quæ sunt ad aliquid,pene enim talia ea quæ ad ali-
sit inesse;nam si ostenderimus quoniam non quid sunt.Amplius,transferre ad evidentius nomen.

nitur nomen. Ut magnanimum non fortem (ut ponitur)sed magnum animum habentem,quemadmodum fidentem, bona sperantem. Similiter autem et ingeniosum, cujus fuerit genius studiosus. Quemadmodum Xenocrates inquit ingeniosum eum esse qui animam sortitus est studiosam, ipsam enim unicuique esse genium. Quoniam autem rerum aliæ quidem sunt ex necessitate, aliæ autem ut in pluribus, aliæ vero utrumlibet, si quod ex necessitate est, ut in pluribus ponatur,aut quod ut in pluribus,ex necessitate, aut ipsum aut contrarium ei quod est ut in pluribus semper dat locum argumentationis.Nam si quod ex necessitate est ut in pluribus ponatur, manifestum quoniam non omni dicit inesse,cum insit omni; quare peccavit, sive quod ut in pluribus dicitur ex necessitate dixit, omni dixit inesse, cum non insit omni : similiter autem et si contrarium ei quod in pluribus est ex necessitate dixit, semper enim in paucioribus dicitur contrarium ei quod est ut in pluribus, ut si ut in pluribus pravi homines, boni in paucioribus ; quare multo magis peccavit, si bonos ex necessitate dixit esse : similiter autem et si quod utrumlibet est ex necessitate dixit,vel ut in pluribus, neque enim ex necessitate utrumlibet, neque ut in pluribus ; contingit autem et si non determinans dixerit utrum ut in pluribus, an ex necessitate dixit, si autem res ut in pluribus, disputare ut ex necessitate is dixerit. Ut si pravos exhæreditandos dixit esse, non determinans,tanquam ex necessitate is dixerit, disputare. Amplius,et si idem sibi accidens posuerit ut alterum, eo quod alterum sit nomen. Quemadmodum Prodicus dividebat voluptates in gaudium, et jucunditatem, et lætitiam, hæc enim omnia ejusdem (id est voluptatis) nomina sunt; si ergo aliquis gaudere ei quod est lætari ponat accidere, idem utique sibi dicet accidere.

CAPUT III.

De eisdem terminandis problematis loci alii.

Quoniam autem contraria connectuntur quidem sibi invicem sex modis,contrarietatem autem faciunt quadrupliciter complexa,oportet accipere contraria quocunque modo utile fuerit et destruenti et construenti. Quod autem sex modis complectuntur, manifestum : nam aut utrumque contrariorum utrique contrariorum connectitur,hoc autem dupliciter, ut amicis benefacere et inimicis male, vel econverso amicis male et inimicis bene : aut quando utraque de uno, dupliciter autem et hoc, ut amicis benefacere et amicis male, vel inimicis benefacere et inimicis male : aut unum de utrisque, et hoc quoque dupliciter, ut amicis bene et inimicis bene, vel amicis male et inimicis male. Primæ autem duæ dictæ complexiones non faciunt contrarietatem,nam id quod est amicis benefacere ei quod est inimicis malefacere non est contrarium, utraque enim eligenda sunt et ejusdem moris; neque id quod est amicis male ei quod est inimicis bene,nam et hæc utraque fugienda et ejusdem moris. Non videtur autem fugiendum fugiendo contrarium esse,nisi hoc quidem secundum superabundantiam. Illud autem secundum defectum dictum sit.Nam superabundantia fugiendorum videtur esse, similiter autem et defectus. Reliqua vero quatuor omnia faciunt contrarietatem, nam id quod est amicis benefacere, ei quod est amicis male contrarium, nam a contrario more sunt, et illud quidem eligendum, hoc autem spernendum. Similiter autem et in aliis. Nam in unaquaque conjugatione unum eligendum et alterum fugiendum, illud quidem boni moris, hoc autem pravi. Manifestum igitur ex iis quæ dicta sunt quod eidem plura contraria accidunt fieri, nam ei quod est amicis benefacere, id quod est inimicis benefacere, et id quod est amicis male, contrarium est.

Similiter autem et aliorum singulis quibusque eodem modo considerantibus duo contraria apparebunt, accipere igitur contrariorum quodcunque erit ad positionem utile. Amplius si est aliquid contrarium accidenti, considerandum est si inest ei cui dictum est accidens inesse. Nam si hoc inest, illud non erit, impossibile enim simul contraria eidem inesse. Aut si quid tale dictum est de aliquo, quod cum sit necesse est contraria inesse, ut si ideas in nobis quis dixerit esse. Nam et moveri et quiescere easdem accidet, et etiam sensibiles et insensibiles esse. Nam videntur ideæ quiescere, immobiles et intelligibiles esse iis qui ponunt ideas esse.Attamen cum sint in nobis, impossibile est immobiles esse. Nam motis nobis, necessarium est et quæ in nobis sunt omnia simul moveri.Manifestum autem quoniam et sensibiles, si in nobis sunt, nam per sensum qui circa visum est eam quæ in unoquoque est formam cognoscimus. Rursum si positum est accidens cui est aliquid contrarium,considerandum si et contrarii susceptivum quod et accidentis est. Nam idem contrariorum susceptivum,ut si odium hærere iræ quis dixerit, erit odium in furoris specie, illic enim ira ; inspiciendum igitur si et contrarium in furoris specie an in concupiscentia, nam si non, sed in concupiscibili est, non cohæret odium iræ. Similiter autem et si concupiscibile, ignorare dixerit, nam erit et disciplinæ susceptivum, siquidem et ignorantiæ; quod quidem non videtur, concupiscibile susceptivum esse disciplinæ. Destruenti ergo quemadmodum dictum est utendum, astruenti vero quod inest quidem accidens non utilis locus,quod autem contingit inesse utilis. Ostendentes enim quod non susceptivum est contrarii, ostendentes erimus quod neque inest accidens, neque contingit inesse. Si autem ostenderimus quod inest contrarium, aut quod susceptivum est contrarii, nondum ostendentes erimus quod et accidens inest, sed quod contingit inesse in tantum solum ostensum erit.Quoniam autem oppositiones sunt quatuor, considerandum ex contradictionibus, econverso ex consequentia, et interimenti e construenti.Sumere autem est ex inductione,ut si homo animal,non animal non homo ; similiter autem et in aliis.Hic enim econverso consequentia, nam hominem animal sequitur, non hominem autem, non ani-

mal nequaquam; sed econverso, non animal, non homo. In omnibus igitur tale est existimandum, ut si bonum, suave, et non suave, non bonum; si autem non hoc nec illud, similiter autem et si non suave, non bonum, bonum suave. Manifestum igitur quod utrumque convertitur, quæ secundum contradictionem est consequentia econverso facta. In contrariis autem considerandum si contrarium contrarium sequatur, an contra seipsa consequentia, an econverso, et interimenti et construenti. Sumere autem et talia est ex inductione quantum utile est, contra ipsum consequentia est, ut in fortitudine et timiditate; nam illam quidem sequitur virtus, hanc autem vitium, et illam quidem sequitur eligendum hanc autem fugiendum: igitur contra seipsa et horum consequentia, contrarium enim eligendum fugiendo, similiter autem et in aliis. Econverso autem consequentia, ut bonam quidem habitudinem sanitas sequitur, malam autem habitudinem ægritudo nequaquam, sed ægritudinem mala habitudo, manifestum igitur quoniam econverso in his consequentia fit. Raro autem econverso accidit in contrariis, sed in pluribus in seipsa consequentia; si ergo neque contra seipsa contrarium sequitur contrarium, neque econverso, manifestum quoniam neque eorum quæ dicta sunt alterum sequitur alterum, si autem in contrariis, et in iis quæ dicta sunt necesse alterum sequi alterum. Similiter autem contrariis, et in privationibus, et habitibus respiciendum. Verumtamen non est in privationibus econverso, sed contra seipsa eonsequentiam necessarium est semper fieri, veluti visum sequi sensum, cæcitatem autem insensibilitatem; opponitur enim sensus insensibilitati, ut habitus et privatio, nam illud horum quidem habitus, hoc autem privatio est. Similiter autem habitui et privationi, et in iis quæ sunt ad aliquid, utendum, contra seipsa enim, et horum consequentia, ut si triplum multiplum, et subtriplum submultiplum dicitur: dicitur enim triplum quidem ad subtriplum, multiplum autem ad submultiplum. Rursus, si scientia opinio, et scibile opinabile, et si visus sensus, et visibile sensibile. Instantia, quod non necesse est in iis quæ sunt ad aliquid consequentiam fieri quemadmodum dictum est, nam sensibile scibile est, sensus autem non est scientia. Non tamen vera instantia videtur esse, multi enim non dicunt sensibilium esse scientiam. Insuper autem ad contrarium non minus utile quod dictum est, ut quod sensibile non est scibile, neque enim sensus scientia Rursus in conjugatis et in casibus, et interimenti et construenti. Dicuntur autem conjugata hujusmodi, ut justa, et justus justitiæ, et fortia, et fortis fortitudini. Similiter autem effectiva et conservativa, conjugata illi cujus sunt effectiva et conservativa, ut sanativa sanitatis, habituativa habitudinis, eodem autem modo et in aliis: conjugata igitur talia solent dici. Casus autem, ut juste, et fortiter, et sanative, habitative, et quæcunque eodem modo dicuntur. Videntur autem et quæ sunt secundum casus, conjugata esse, ut juste justitiæ, et fortiter fortitudini. Conjugata autem dicuntur secundum eamdem conjugationem omnia, ut justitia, justus, justum, juste; manifestum igitur quoniam uno quovis ostenso eorum quæ secundum eamdem conjugationem dicuntur, ut bono, vel laudabili, et reliqua omnia ostensa sunt, ut si justitia est laudabilium, et juste, justus, justum laudabilium; dicetur autem juste et laudabiliter secundum eumdem casum (nam a laudabili) quemadmodum juste a justitia. Considerandum autem non solum in eo quod dictum est, sed et in contrario contrariam. Ut quod bonum non ex necessitate suave, neque enim malum triste, ut si hoc et illud, et si justitia scientia, et injustitia ignorantia, et si quod juste est, scienter et experienter est, quod injuste est, ignoranter et experienter est, si autem hæc non nec illa, velut in hoc quod nunc dictum, nam magis utique apparebit, quod injuste experienter quam inexperienter. Hic autem locus dictus est prius in contrariorum consequentiis, nihil enim aliud nunc ostendimus quam contrarium sequi contrarium. Amplius in generationibus, et corruptionibus, et effectivis, et corruptivis, et interimenti, et astruenti. Quorum enim generationes bonæ sunt, et ipsa bona sunt, et si ipsa bona sunt, et generationes bonæ; si autem generationes malæ, et ipsa mala. In corruptionibus autem econtrario. nam si corruptiones bonæ, ipsa mala; si autem corruptiones malæ, ipsa sunt bona. Eadem ratio et in effectivis, et corruptivis: quorum enim effectiva bona, et ipsa bona; quorum vero corruptiva bona, ipsa mala.

CAPUT IV.

Ex similibus, appositione, magis, minus, simpliciter, et secundum quid loci.

Rursum in similibus si similiter se habent. Ut si disciplina una plurium, et opinio, et si visum habere est videre, et auditum habere et audire, similiter autem et in aliis, et in his quæ sunt, et in iis quæ videntur. Utilis autem hic locus ad utrumque, nam si in aliquo similium sic se habet, et in aliis similibus, si autem in aliquo non, nec in aliis similibus. Considerandum autem et in uno, et in pluribus si similiter se habet. Aliquoties enim dissonat, ut si scire est cogitare, et multa scire est multa cogitare, hoc autem non verum. Contingit enim plura scire, cogitare autem non; si autem non hoc, nec illud quod in uno quod scire est cogitare. Amplius, ex magis et minus. Sunt autem ejus quod est magis loci quatuor. Unus quidem si magis sequitur magis, ut si voluptas bonum, et magis voluptas, magis bonum; et si injuriam facere malum, et magis injuriam facere, magis malum. Utilis autem ad utrumque hic locus, nam si sequatur ad subjecti incrementum, accidentis incrementum, quemadmodum dictum est, manifestum quod accidit; si autem non sequatur, non accidit, hoc autem inductione sumendum. Alius, uno de duobus dicto, si cui magis videtur inesse non inest, nec cui minus, et si cui minus videtur inesse inest, et cui magis. Rursum, duobus de uno dictis, si quod magis videtur alii inesse non inest, neque quod minus, aut si quod minus videtur inesse inest, et quod

magis.Amplius,duobus de duobus dictis,si quod alteri magis videtur inesse non inest,nec reliquum reliquo,aut si quod minus videtur alteri inesse inest, et reliquum reliquo. Amplius, ex eo quod similiter inest, vel videtur inesse tripliciter,quemadmodum in eo quod magis,ut in posterioribus tribus dictis locis dicebatur. Sive enim unum quoddam duobus similiter inest,aut videtur inesse, si alteri non insit, nec alteri; si autem alteri inest,et reliquo.Sive duo eidem similiter,si alterum non insit,nec reliquum; si autem alterum,et reliquum.Eodem autem modo et si duobus duo similiter insunt, nam si alterum alteri non inest,nec reliquum reliquo;si autem inest alterum alteri,et reliquum reliquo.Ex eo igitur quod est magis et minus,et quod est similiter, tot modis contingit argumentari. Amplius autem ex appositione, si alterum ad alterum appositum faciat bonum,vel album,cum non fuerit prius album,vel bonum,quod appositum est erit album,vel bonum, quale revera et totum facit.Amplius autem si id ad quod est appositum aliquid facit magis tale quale erat,et ipsum erit ejusmodi, similiter autem et in aliis. Utilis autem non in omnibus hic locus,sed in quibus ipsius magis cremenlum accidit fieri. Iste vero locus non convertitur ad destruendum,nam si non facit quod appositum est,bonum,nondum manifestum,si ipsum non bonum. Nam bonum malo appositum, non ex necessitate bonum totum facit,nec album nigro,nec dulce amaro. Rursum,si quid magis et minus dicitur, et simpliciter inest.Quod enim bonum vel album non est, neque magis et minus bonum vel album dicetur; nam malum de nullo magis,vel minus bonum, sed magis malum vel minus dicetur.Non convertitur autem hic locus ad destruendum,multa enim eorum quæ non dicuntur magis, simpliciter insunt ; nam homo non dicitur magis et minus,sed non propter hoc non est homo.Eodem autem modo considerandum et in iis quæ secundum quid,et quando,et ubi. Nam si secundum quid contingit,et simpliciter contingit,similiter autem et quando,et ubi: nam quod simpliciter est impossibile, neque secundum quid, neque secundum ubi,neque secundum quando contingit. Instantia, quoniam secundum quid quidem sunt natura studiosi (ut liberales,vel casti), simpliciter autem non sunt natura studiosi, nam nullius natura prudens.Similiter autem et quando contingit corruptibilium aliquid non corrumpi, simpliciter autem non contingit non corrumpi. Eodem autem modo et ubi expedit quidem tali observantia victus uti,ut in morbosis locis,simpliciter autem non expedit adhuc autem, alicubi quidem unum tantum possibile est esse, simpliciter autem non possibile unum tantum esse. Eodem autem modo et alicubi bonum est quidem patrem significare,ut in Tribalis, simpliciter autem non bonum.An in hoc quidem non ubi significat,sed quibusdam,nihil enim refert ubicunque sint,ubique enim erit eis bonum in Tribalis. Rursus quidem expedit medicari,ut quando ægrotat, simpliciter autem non.An neque hoc quando significat,sed in eo quod afficitur aliquo modo,nihil enim refert quandocunque,dummodo sic affectus sit.Simpliciter autem est quod nullo addito dicis quod bonum est,aut contrarium,ut patrem sacrificare non dicis bonum esse, sed quibusdam bonum esse; non ergo simpliciter bonum,sed deos honorare bonum dictis nihil addens, simpliciter enim bonum est. Quare quod nullo addito videtur esse honestum,vel turpe, vel aliquid talium, simpliciter dicetur.

LIBER TERTIUS.

CAPUT PRIMUM.

De meliorum eligibiliorumque problematum locis.

Utrum autem eligibilius aut melius duorum pluriumve ex his perspiciendum.Primum autem determinetur quod considerationem facimus non de plurimum distantibus,et magnam ad invicem differentiam habentibus(nullus enim dubitat utrum felicitas, an divitiæ expetibiliores),sed de iis quæ propinqua sunt,et de quibus dubitamus utro oporteat apponere magis eo quod nullam videmus alterius ad alterum præeminentiam?Manifestum igitur in his quod ostensa una præeminentia, vel pluribus,constituetur intelligentia,quod id eligibilius est quod eorum est præeminens.Primum igitur quod diuturnius stabiliusve,eligibilius eo quod minus hujusmodi.Et quod magis eligit prudens,vel bonus vir,vel lex recta,vel studiosi circa singula delecti quatenus tales sunt,vel in unoquoque genere periti,vel quæcunque plures, vel omnes (ut in medicina vel ædificatoria,quæ plures medicorum vel omnes) vel quæcunque omnino plures,vel omnes,vel omnia,ut bonum.Omnia enim bonum appetunt.Oportet autem ducere ad id quod fuerit utile, quod dicendum est. Est autem simpliciter quidem melius,ac eligibilius,quod secundum meliorem disciplinam,alicui autem quod secundum propriam. Deinde quod idipsum quod est (eo quod non) in genere est,ut justiam justo.Nam illa quidem in genere bono,hoc autem non,et illa idipsum quod est bonum est, hoc autem non. Nam nihil dicitur idipsum quod genus est,quod non est in genere.Ut albus homo non est id quod color.Similiter autem et in aliis. Et quod propter se eligendum,eo eligendo quod propter aliud eligibilius.Ut sanum esse quam exercitari;illud enim propter se eligendum,hoc autem propter aliud.Et quod per se,eo quod per accidens. Ut amicos justos esse,eo quod inimicos;illud enim per se eligendum, hoc autem per accidens eligimus.Nam inimicos justos esse secundum accidens eligimus, ut nihil nobis noceant. Est aut hoc idem ei quod ante hoc;differt autem modo,nam amicos quidem justos esse propter se eligimus, et si nihil

nobis debeat foro, quamvis apud Indos sint, inimicos autem propter alterum, ut nihil nobis noceant. Et quod causa boni per se, eo quod per accidens causa. Quemadmodum virtus, fortuna; nam illa quidem per se, hæc autem per accidens est causa bonorum, et si quid aliud hujusmodi. Similiter autem et in contrario. Nam quod per se est causa mali, fugibilius est eo quod per accidens, ut vitium quam fortuna, nam illud quidem per se malum, fortuna autem per accidens. Et quod simpliciter bonum, eo quod alicui eligibilius: ut sanum fieri, quam incidi. Nam hoc quidem simpliciter bonum, illud autem alicui indigentium incisione. Et quod natura est, eo quod non natura: ut justitia justo, illud enim natura, hoc autem acquisitivum. Et quod meliori et honorabiliori inest, eligibilius, ut Deo quam homini, animæ quam corpori. Et quod melioris proprium, melius quam quod pejoris: ut quod Dei, quam quod hominis, nam secundum communia utrisque, nihil differunt ab invicem, propriis autem alterum alteri differentiis supereminet. Et quod in melioribus, vel prioribus, vel honorabilioribus, est melius: ut sanitas robore et pulchritudine, nam illa quidem in humidis et siccis, et (ut simpliciter dicatur) ex quibus prius constitutum est animal. Hæc vero posterioribus, nam robur in nervis et ossibus, pulchritudo autem membrorum quædam commensuratio videtur esse. Et finis iis quæ sunt ad finem eligibilior videtur esse. Et duorum, quod propinquius est fini. Et omnino quod ad vitæ finem expetibilius quam quod ad aliud aliquid, ut quod ad felicitatem contendit quam quod ad prudentiam, nam quod ad felicitatem contendit, eligibilius. Et possibile impossibili. Amplius, cum duo sint effectiva cujus finis melior, et ipsum melius. Cum autem sit effectivum, et finis ex proportione, quando pluri superat finis finem, quam ille proprium effectivum: ut felicitas pluri superat sanitatem quam sanitas salubre; quare effectivum felicitatis melius sanitate, nam quantum felicitas superat sanitatem, tantum et effectivum felicitatis salubre superat; sanitas autem salubre minus superabat, quare plus superat effectivum felicitatis salubre quam sanitas salubre; quapropter effectivum felicitatis melius sanitate; manifestum igitur quod eligibilius effectivum felicitatis quam sanitas, nam idem plus superat. Amplius, melius est quod propter se et honorabilius et laudabilius: ut amicitia divitiis et justitia sanitate et robore, nam illa quidem propter se honorabilium, hæc vero non propter se, sed propter aliud. Nullus enim honorat divitias propter se, sed propter aliud; amicitiam vero propter se, et si nihil nobis debeat aliud ab ea esse.

CAPUT II.

Alii pro eisdem problematis loci.

Amplius, quando duo aliqua fuerint valde sibimetipsis similia, et non poterimus præeminentiam aliquam conspicere alterius ad alterum videndum ex iis quæ sequuntur. Nam cum consequens est majus bonum, hoc eligibilius; si autem sint consequentia mala, cui consequens minus malum, hoc eligibilius. Nam cum utraque sint eligendo, nihil prohibet molestum aliquid sequi, dupliciter autem ab eo quod sequitur consideratio, nam et prius, et posterius sequitur, ut addiscentem ignorare prius, scire autem posterius, melius autem ut plurimum, quod posterius, sumendum igitur eorum quæ sequuntur quodcunque fuerit utile. Amplius, plura bona paucioribus, vel simpliciter, vel quando altera alteris insunt, ut pauciora in pluribus. Instantia, si alicubi alterum alterius gratia: nihil enim eligibiliora utraque quam unum, ut sanum fieri, et sanitas, quam sanitas, eo quod sanum fieri propter sanitatem eligimus. Et non bona, bonis nihil prohibet eligibiliora esse, ut felicitatem, et aliud aliquid quod non est bonum, justitia et fortitudine. Et eadem cum voluptate magis quam sine voluptate, et eadem cum indolentia quam cum tristitia. Et unumquodque in quo tempore magis valet, in hoc et etiam eligibilius. Ut carentia tristitiæ in senectute magis quam in juventute, magis enim in senectute valet. Secundum hæc autem, et prudentia in senectute eligilior, nemo enim juvenes eligit duces, eo quod non constat eos prudentes esse. Fortitudo autem e contrario, in juventute enim magis necessaria secundum fortitudinem operatio; similiter autem et in temperantia, magis enim juvenes quam senes concupiscentiis molestantur. Et quod in omni tempore, vel in pluribus utilius. Ut justitia, et temperantia, fortitudine, nam illæ semper, hæc autem aliquando utilis. Et quod cum omnes haberemus, nihil altero indigeremus, quam quod cum haberemus, indigeremus reliquo. Ut in justitia, et fortitudine, nam si omnes essent justi, nihil utilis fortitudo; si vero omnes essent fortes, utilis justitia. Amplius ex corruptionibus et adjectionibus, et generationibus, et sumptionibus, et contrariis. Quorum enim corruptiones malæ, ipsa eligibiliora, similiter autem et in abjectionibus, et in contrariis, nam si abjectio, vel contrarium fugibilius est, ipsum eligibilius; in generationibus autem et sumptionibus e contrario. Quorum enim sumptiones, et generationes et eligibiliores, et ipsa quoque eligibiliora. Alius autem locus est. Quod propinquius bono, melius atque eligibilius. Et quod similius est bono, ut justitia justo. Et quod meliori eorum est similius, quemadmodum Ajacem Ulysse dicunt aliqui meliorem esse, eo quod similior est Achilli. Instantia hujus est, quod non verum sit, nihil enim prohibet non qua ratione optimus est Achilles, eadem similiorem esse Ajacem: cum erit alter quidem bonus, non similiter autem. Considerandum autem si et in ridiculosioribus sit simile, ut simia homini quam equo, cum non sit similis: non enim est simia melior, similior tamen est homini. Rursum in duobus: si hoc quidem meliori, illud autem pejori est similius, erit melius quod meliori est similius. Habet autem et hoc instantiam, nihil enim prohibet hoc quidem meliori parum simile esse, illud autem pejori valde, ut si Ajax quidem Achilli parum, Ulysses autem Nestori valde, ut si

hoc quidem meliori in pejoribus,illud autem pejori in melioribus,ut equus asino, et simia hominis. Et quod maxime insigne,eo quod minus tale. Et quod difficilius,magis enim amamus cum habemus,quod non est facile adipisci.Et quod magis proprium eo quod communius.Et quod magis incommunius,nam magis eligendum quod nulla molestia sequitur,quam quod sequitur.Amplius,si hoc illo melius,et omnino optimum eorum quæ in hoc,melius eo quod in altero optimum. Ut si melior est homo quam equus, et optimus homo, optimo equo melior. Et si optimum optimo melius,et simpliciter hoc illo melius, ut si optimus homo,optimo equo melior,et simpliciter homo,simpliciter equo melior.Amplius,ea quæ volumus amicos participare, eligibiliora quam quæ non. Et quæ ad amicum agere malumus quam quæ ad quemlibet,illa eligibiliora.Ut juste agere et benefacere,magis quam videri,nam amicis benefacere volumus magis quam videri,quibuslibet autem e converso.Et quæ sunt ex circumstantia necessariis meliora,aliquando autem et eligibiliora. Melius enim quam vivere, bene vivere,bene autem vivere est ex circumstantia,ipsum autem vivere necessarium.Aliquando autem meliora non etiam eligibiliora, non enim si meliora,necessaria quod eligibiliora : philosophari siquidem melius quam lucrari,sed non magis eligendum indigenti necessariis. Ex circumstantia autem est quando, existentibus necessariis, alia quædam adjiciuntur bonorum. Fere autem fortasse eligibilius quod necessarium est,melius autem quod ex circumstantia. Et quod non est ab alio exquirere quam quod est et ab alio. Quale sustinet justitia ad fortitudinem.Et si hoc quidem sine illo eligendum, illud autem sine hoc non.Ut potestas sine prudentia non eligenda,prudentia vero sine potestate eligenda. Et duorum,si alterum negamus,ut reliquum videatur nobis inesse,illud eligibilius quod volumus nobis videri inesse.Ut laborem diligere non negamus, ut ingeniosi esse videamur.Amplius,pro cujus absentia minus increpandi sunt moleste ferentes,hoc magis eligendum.Et pro cujus absentia non moleste ferentem magis increpandum, id eligibilius.

CAPUT III.

Alii meliorum eligibiliorumque loci.

Amplius, eorum quæ sunt sub eadem specie, quod habet propriam virtutem,eo quod non habet, utrisque autem habentibus,quod magis habet, eligibilius. Amplius,si hoc quidem facit bonum illud cui adest, illud autem non facit,quod facit eligibilius. Quemadmodum est calidius quod calefacit,eo quod non.Si autem utrumque facit,quod magis facit,aut quod melius,et principalius facit bonum,ut si hoc quidem animam,illud autem corpus.Amplius autem a casibus,et usibus, et actionibus, et operibus, et hæc ab illis. Sequuntur enim sese invicem, ut si quod juste est eligibilius quam quod fortiter,et justitia fortitudine eligibilior,et si justitia quam fortitudo eligibilior,et quod juste quam quod fortiter. Similiter autem et in aliis.Amplius,si aliquo eodem hoc quidem majus bonum est, illud autem minus magis eligendum majus,aut si majore majus fuerit alterum.Sed et si duo quædam uno aliquo sint eligibiliora,quod longe eligibilius eo quod minus est eligendum,eligibilius.Amplius cujus est superabundantia eligibilior,et ipsum eligibilius. Ut amicitia, pecuniis,nam eligibilior superabundantia amicitiæ quam pecuniarum.Et id cujus magis eligat quis ut ipse sibi causa sit, quam cujus alter. Ut amicos pecuniis.Amplius,ex appositione si eidem appositum aliquid,quod totum eligibilius facit. Cavere autem oportet extendere ad ea in quibus altera quidem appositorum utitur commune,vel alio quolibet modo cooperativum est ; reliquo autem non utitur,neque cooperativum est,ut serra et falce cum arte fabrili, nam eligibilior serra consociata, simpliciter autem non eligibilior.Rursum si minori appositum aliquid, quod totum majus facit.Similiter autem et ex ablatione : quo enim ablato ab eodem quod restat est minus, illud majus erit quod ablatum reliquum minus facit.Et si hoc quidem propter se, illud autem propter gloriam eligendum.Ut sanitas pulchritudine, terminus autem ejus quod est ad gloriam, quod nullo conscio, non studeret inesse. Et si hoc quidem propter se et propter gloriam eligendum, illud autem propter alterum tantum. Et utrumvis magis propter se honorandum,hoc et melius et eligibilius. Honorabilius utique fuerit secundum se, quod nihil aliud debeat esse, propter se eligimus magis.Amplius,dividendum quoties quod eligendum est dicitur,et quorum gratia, ut utilis, vel honesti, vel delectabilis. Nam quod ad omnia vel ad plura est utile,eligibilius fuerit eo quod non sic. Si autem eadem utrisque insunt,utri magis insint considerandum. Ut utrum delectabile an honestum, an utile magis. Rursum quod propter melius, eligibilius. Ut quod propter virtutem quam quod propter delectionem. Similiter autem et in fugiendis.Nam magis est fugiendum quod magis impetit virtutes, ut ægritudo turpitudine,nam et voluptatis et ejus quod est studiosum esse,prohibentior est ægritudo.Amplius,ex similitudine monstrari potest fugiendum et eligendum quod propositum est. Nam minus eligendum hujusmodi,quod æque et eligeret aliquis et fugeret,altero quod eligendum est tantum ; ad se invicem igitur comparationes (quemadmodum dictum est) faciendum.

CAPUT IV.

De eligendis et fugiendis documenta,loci communes.

Idem autem loci utiles, et ad demonstrandum quodvis eligendum et fugiendum. Nam auferre solum eam oportet (quæ ad alterum est)præeminentiam ; si enim quod honorabilius,eligibilius,et honorabile eligendum, et si quod utilius,eligibilius et utile eligendum,similiter autem et in uliis quæcunque hujusmodi habent comparationem.In aliquibus autem statim secundum eam quæ ad alterum est comparationem, et quod eligendum utrumque vel alterum dicimus.Ut quando hoc quidem natura bo-

num,illud autem non natura bonum dicimus: nam quod natura bonum,manifestum quoniam eligendum est. Sumendum autem quam maxime universales locos de eo quod est magis et minus, nam sic sumpti ad plura utiles erunt. Fieri autem potest ut eorum qui dicti sunt quosdam universales magis quis faciat,parum transmutans secundum appellationem. Ut quod natura tale, eo quod non natura tale,magis tale. Et si hoc quidem facit, illud autem non facit quod habet tale cuicunque insit,magis tale quod interdum facit, tale quam quod non facit. Si autem utrumque facit, quod magis facit tale. Amplius, si eodem aliquo,hoc quidem magis, illud autem minus tale. Et si hoc tali magis tale, illud vero non tali tale,manifestum quoniam primum magis tale.Amplius ex auditione,si eidem additum,aliquod totum magis tale facit,aut si ei quod minus est tale additum, totum magis tale facit. Similiter autem et ex ablatione,nam quo ablato reliquis,reliquum minus tale,ipsum magis tale. Et quæ contrariis sunt impermixtiora, magis talia. Ut albius quidem nigro impermixtius. Amplius, præter ea qua dicta sunt prius,quod magis suscipit propriam propositi rationem. Ut si albi est ratio color disgregativus visus, albioris est,color magis disgregativus visus. Si autem particulariter, et non universaliter problema ponatur, primum quidem dicti universaliter construtivi vel destructivi loci omnes utiles. Universaliter enim interimentes vel construentes,et particulariter monstramus; nam si omni inest,et alicui,et si nulli inest, nec alicui.Maxime autem opportuni et communes loci,qui sunt ex oppositis,et conjugatis, et casibus. Nam similiter probabile est existimare, si omnis voluptas bonum,et tristitam omnem malum esse,et si aliqua voluptas bonum,et tristitiam aliquam esse malum.Item si aliquis sensus non est potestas,et insensibilitas quædam non est impotentia, et si quoddam opinatum disciplinatum, opinio quædam disciplina; rursum si aliquod injustorum bonum, et justorum aliquod malum, et aliquod eorum quæ injuste malum, et aliquod eorum quæ injuste bonum, et si quoddam delectabile fugiendum, et delectatio quædam fugienda, secundum hæc autem et si aliquod delectabile utile, delectatio quædam utilis. Et in corruptivis autem, et generationibus, et corruptionibus similiter. Nam si aliquod corruptivum delectationis vel disciplinæ bonum est, erit quædam delectatio vel disciplina malorum; similiter autem et si corruptio quædam disciplinæ bonorum,vel generatio malorum,erit quædam disciplina malorum.Ut si oblivisci quæ quis turpia egit bonorum est,vel reminisci malorum,erit scire quæ quis turpia egit,malorum.Similiter autem et in aliis, in omnibus enim similiter probalile.Amplius ex eo quod est magis et minus,et similiter; si enim magis quidem eorum quæ sunt ex alio genere aliquid tale, illorum autem nihil est,neque quod dictum est erit tale.Ut si magis quidem disciplina quædam bonum quam voluptas, nulla autem disciplina bonum, nec voluptas bonum erit, et ex eo quod est similiter quidem et minus eodem modo. Nam erit et interimere et construere; verumtamen ex eo quod est similiter,utraque; ex minus autem construere solum,destruere autem non; si enim similiter potestas quædam bonum et disciplina, est autem quædam potestas bonum et disciplina;si autem nulla potestas bonum nec disciplina,si autem minus quædam potestas bonum quam disciplina, est autem quædam potestas bonum et disciplina; at vero si nulla potestas bonum,non necesse est et disciplinam nullam esse bonum: manifestum igitur quoniam construere solum ex eo quod minus est.Non solum autem ex alio genere est destruere, verum et ex eadem,dum sumit quis quod maxime tale est. Ut si positum est disciplina quædam bonum, ostendatur autem quoniam prudentia non bonum,nec alia ulla erit, quia nec quæ maxime videtur. Amplius, ex suppositione similiter postulantem si uni et omni inesse vel non inesse.Ut si hominis anima immortalis,et alias; si autem hæc non,nec alias. Si igitur inesse alicui positum est, ostendendum quoniam alicui non inest, nam consequatur per hypothesin nulli inesse; si autem alicui non inesse positum est,ostendendum quoniam inest alicui,nam et sic consequetur omnibus inesse.Manifestum igitur est quod qui hypothesi utitur, facit problema universale particulariter positum; nam particulariter confitentem universaliter postulabit confiteri, eo quod uni et omni similiter postulaverit inesse.Cum autem indefinitum est problema,uno modo destruere contingit.Ut si dixerit voluptatem bonum esse,vel non bonum,et nihil aliud quidquam determinaverit, nam si aliquam voluptatem dixerit bonum esse,ostendendum universaliter quod nulla,si debeat interimi propositum; similiter autem et si aliquam dixerit voluptatem non esse bonum,ostendendum universaliter quod omnis;aliter vero non contingit interimere,nam si ostenderimus quoniam est quædam voluptas bonum vel non bonum,nondum interimitur propositum. Manifestum igitur quoniam interimere quidem uno modo dicitur, construere autem dupliciter: sive enim universaliter ostenderimus quod omnis voluptas bonum, sive quod est quædam voluptas bonum, ostensum erit quod propositum est.Similiter autem et si oporteat disserere quod est quædam voluptas non bonum,si ostenderimus quod nulla bonum,vel quod quædam non bonum ostendentes erimus utrumque,et universaliter et particulariter,quod est quædam voluptas non bonum.Cum autem determinata fuerit positio, dupliciter interimere erit.Ut si ponatur alicui quidem inesse voluptati bonum esse,alicui autem non inesse nam sive omnis ostendatur voluptas bonum, sive nulla,interemptum erit propositum; si autem unam solam voluptatem posuerit bonum esse, tripliciter contingit interimere; nam ostendentes quod omnis vel nulla,vel quod plures quam una bonum, interimentes erimus quod propositum est.In pluribus vero positione determinata (ut quod prudentia sola est

utum scientia),quadrupliciter est interimere.Nam
nso quod omnis virtus scientia,vel quod nulla,
quod et alia aliqua ut justitia, vel quod eadem
dentia, non scientia,interemptum erit proposi-
.Utile autem et inspicere in singularibus,in qui-
inesse aliquid vel non,dictum est,quemadmodum
niversalibus problematibus.Ampliusautem et in
sribus inspiciendum,dividenti secundum species
ue ad individua,sicut prius dictum est.Nam si
i appareat inesse, sive nulli multa proferenti,
ulandum universaliter confiteri,aut ferre instan-
A tiam in aliquo non sic.Amplius,in quibus possibile est aut specie, aut numero determinare accidens, inspiciendum si nullum horum inest.Ut quod tempus non movetur,nec est motus,annumeranti quod sunt species motus; nam si nulla earum inest tempori, manifestum quoniam non movetur,nec est motus. Similiter autem et quod anima non est numerus,dividenti quoniam omnis numerus aut impar aut par; nam si anima neque impar neque par, manifestum quod non est numerus, ad accidens igitur per talia et hoc modo argumentandum.

LIBER QUARTUS.

CAPUT PRIMUM.

e quo discutiendum, et problematum generis loci decem.

st hæc autem de iis quæ ad genus et proprium,
iciendum;sunt autem hæc elementa eorum quæ
ad terminos, et his ipsis raro considerationes
disputantibus.Si ergo ponatur genus alicujus
entium,primum quidem inspiciendum ad omnia
cognata sunt ei quod dicitur, si de alio non
licatur, quemadmodum est in accidente.Ut si
ptatis bonum ponatur genus,si aliqua voluptas
bonum. Nam si hoc manifestum est quoniam
genus bonum voluptatis,nam genus de omnibus
sunt sub ipso speciebus prædicatur ; deinde si
in eo quod quid est prædicatur,sed ut accidens,
nadmodum album, de nive,de anima, a seipso
atum:neque enim nix idipsum quod est,album,
propter non est genus album nivis;neque anima
sum quod est,agitatum, nam accidit ei moveri,
nadmodum et animali frequenter et ambulare
mbulans esse. Amplius,agitatum non quid est,
quid faciens vel patiens significare videtur; si-
ter autem et album,non enim quid est nix,sed
e quid est indicat; quare neutrum horum in eo
d quid est prædicatur. Maxime autem in acciden-
lefinitione inspiciendum, si aptatur ad dictum
us, ut ad quæ nunc dicta sunt: contingit enim
ipiam movere seipsum, et non,similiter autem
lbum esse,et non;quare neutrum horum genus,
accidens, eo quod accidens dicimus,quod con-
it idem inesse alicui, et non. Amplius, si non
adem divisione est genus, et species, sed hæc
lem substantia,illud autem quale.Ut nix quidem
ygnus substantia,album autem non substantia,
quale ;quare non est genus album nivis, neque
ni. Rursum disciplina quidem aliquid, bonum
em, et pulchrum quale ; quare non est genus
chrum,vel bonum disciplinæ,nam genera eorum
s sunt ad aliquid,et ipsa ad aliquid oportet esse,
in duplici: etenim multiplex est genus duplicis,
psum eorum quæ sunt ad aliquid est.Ut univer-
ter autem dicatur, in eadem divisione oportet
us esse speciei,nam si species substantia,et ge-
B nus, et si quale quidpiam species est,genus quale quidpiam, ut si album quale quidpiam et color.Similiter autem et in aliis. Rursum si necesse fuerit, vel si contingerit genus participare, quod positum est in genere. Terminus autem ejus quod est participare, est suscipere participati rationem , manifestum igitur quoniam species quidem participant genera,genera autem species non,nam species suscipit generis rationem,genus autem speciei non;considerandum igitur si participat,vel contingit assignatum genus participare speciem, ut si quis entis vel unius genus quidpiam assignaverit; accidet enim genus participare speciem, nam de omnibus quæ sunt ens et unum prædicantur, quare et ratio eorum. Amplius, si de aliquo assignata species vera
C est, genus autem non. Ut si ens,aut scibile,opinabilis genus ponatur,nam de non ente opinabile prædicabitur:multa enim non entia opinabilia sunt, at quod ens vel scibile non prædicatur de non ente; manifestum;quare non est genus ens,neque scibile, opinabilis, nam de quibus species prædicatur, et genus oportet prædicari.Rursum si nullam specierum contingit participare quod positum est in genere. Nam impossibile est participare genus, quod nullam specierum participat, nisi aliqua secundum primam divisionem specierum sit,illæ autem genus solum participant :si igitur motus genus voluptatis ponatur, considerandum si neque corruptio, neque alteratio voluptas, neque ullus reliquorum (quia assignari solent) motuum;manifestum enim quoniam
D nullam specierum participabit,quare neque genus, eo quod necessarium est quod genus participat,et specierum aliquam participare;quare non erit species, motus, voluptas, neque individuorum, neque eorum quidquam quæ sub specie motus sunt: nam et individua participant speciem et genus,ut quidam homo,et hominem participat et animal. Amplius,si de pluribus dicitur quam genus, quod in genere positum est. Ut opinabile quam ens, nam et ens,et non ens, opinabile,quare non erit opinabile species entis;de pluribus enim semper genus quam species prædicatur. Rursus, si de æqualibus genus et species dicuntur.Ut si eorum quæ omnia consequuntur, hoc quidem species, illud autem genus ponatur,

quemadmodum ens et unum, omne enim ens et unum, quare neutrum neutrius genus, eo quod de æqualibus dicuntur. Similiter autem et si primum et principium ad se invicem ponantur, nam et principium primum, et primum principium, quare aut utraque quæ dicta sunt idem sunt, aut neutrum neutrius genus. Elementum autem est ad omnia hujusmodi, quod de pluribus genus quam species et differentia dicitur; de paucioribus enim etiam differentia dicitur quam genus. Videndum autem et si alicujus in differentium specie non sit genus quod dictum est genus, vel non videatur. Construenti autem si est alicujus, idem enim omnium indifferentium specie genus; si igitur unius monstretur, manifestum quoniam omnium, et si unius non, manifestum quoniam nullius: ut si quis in secabiles ponens lineas indivisibile genus earum dicat esse, nam linearum habentium divisionem non est quod dictum est genus, cum sint indifferentes secundum speciem, indifferentes enim sibi invicem secundum speciem, rectæ lineæ omnes.

CAPUT II.

De genere loci alii.

Considerandum autem et si quod aliud genus est assignatæ speciei, quod neque continet assignatum genus, neque sub illo est. Ut si quis justitiæ scientiam ponat genus, est enim virtus genus, et neutrum generum reliquum continet, quare non erat scientia genus justitiæ. Videtur enim, quando species una sub duobus generibus est, alterum ab altero contineri. Habet autem dubitationem in quibusdam quod hujusmodi est, nam videtur quibusdam prudentia et virtus et scientia esse, et neutrum genus a neutro contineri; non tamen ab omnibus conceditur prudentiam scientiam esse. Si igitur quis admittat quod dictum est verum esse, attamen subalterna, vel sub eodem ambo fieri quæ ejusdem sunt genera, necessarium videbitur esse, quemadmodum et in virtute et in scientia accidit: utraque enim sub eodem genere sunt, nam utrumque eorum habitus et dispositio est. Considerandum igitur si neutrum est in assignato genere. Si enim neque subalterna sunt genera, neque sub eodem ambo, non erit quod assignatum est genus. Considerandum autem et genus assignati generis, et sic semper superius genus, si omnia prædicantur de specie, et si in eo quod quid est prædicantur. Nam omne superius genus prædicari oportet de specie in eo quod quid est; si ergo alicubi dissonet, manifestum quoniam non est genus quod assignatum est. Rursum, si genus participat speciem, vel ipsum, vel aliquod superiorum generum. Nam nullum superiorum participat quod inferius est. Destruenti igitur quemadmodum dictum est utendum, astruenti autem si confiteatur quidem inesse speciei quod dictum est genus, at ut genus inest dubitetur, sufficit ostendere aliquid superiorum generum in eo quod quid est de specie prædicari. Uno enim in eo quod quid est prædicato omnia et superiora illius, et inferiora si prædicantur de specie, in eo quod quid est prædicabuntur; quare et assignatum genus in eo quod quid est prædicabitur; quod autem uno in eo quod quid est prædicato, omnia etiam reliqua (si prædicantur) in eo quod quid est prædicabundur, per inductionem sumendum. Si autem simpliciter inesse dubitetur assignatum genus, non sufficit ostendere aliquod superiorum generum in eo quod quid est de specie prædicari, ut si ambulationis genus quispiam assignavit lationem, non sufficit ostendere quod motus est ambulatio, ad ostendendum quod latio est eo quod et alii motus sunt, sed ostendendum quod nullum participat ambulatio eorum quæ sunt secundum eamdem divisionem, nisi lationem; nam necesse est quod genus participat, et specierum aliquam participare secundum primam divisionem; si enim ambulatio neque augmentationem, neque diminutionem, neque alios motus participet, manifestum quoniam lationem participabit; quare erit genus latio ambulationis. Rursum, de quibus species quæ posita est ut genus prædicatur, considerandum si et assignatum genus in eo quod quid est de ipsis eisdem prædicatur de quibus et species; similiter autem et si omnia quæ supra genus sunt, nam si alicubi dissonat, manifestum quoniam non est genus quod assignatum est; si enim esset genus, omnia et superiora illius, et ipsum, in eo quod quid est prædicarentur de iis de quibus et species in eo quod quid est prædicatur. Destruenti igitur utile si non prædicetur genus in eo quod quid est de quibus et species prædicatur; astruenti autem si prædicetur in eo quod quid est utile, accidet enim genus et speciem de eodem in eo quod quid est prædicari, quare et idem sub duobus generibus fit, necesse est igitur subalterna genera esse. Si igitur ostendatur quod volumus genus astruere non esse sub specie, manifestum quoniam species sub hoc erit, quare ostensum erit quoniam genus hoc. Considerandæ autem et rationes generum, si aptantur ad assignatam speciem, et ad participantia speciem. Necesse est enim generum rationes prædicari de specie et de iis quæ participant speciem; si igitur in aliquo dissonet, dilucidum quoniam non est genus quod assignatum est. Rursus, si differentiam ut genus assignavit, ut si immortale genus Dei, nam differentia est animalis immortale, eo quod animalium alia mortalia, alia immortalia. Manifestum igitur quoniam peccant, nullius enim differentia est genus. Quod autem hoc verum, manifestum, nulla enim differentia significat quid est, sed magis quale quid, ut gressibile et bipes. Et si differentiam in genere posuit tanquam speciem, ut imparem quidem numerum (differentiam enim numeri impar, et non species est), neque videtur participare differentia genus. Nam omne quod participat genus, vel species, vel individuum est: differentia autem neque individuum, neque species; manifestum igitur quoniam non participat genus differentia, quare neque impar species erit, sed differentia, quoniam non participat genus.

Amplius,si genus in specie posuit,ut contiguitatem idipsum quod est continuitatem, aut mixturam idipsum quod est temperamentum,aut (ut Plato definivit) lationem secundum locum mutationem: non enim necessarium contiguitatem continuitatem esse, sed e converso continuitatem contiguitatem, non enim omne contiguum continuatur, sed quod continuatur contiguum est. Similiter autem et in aliis,nam neque mixtura omnis temperamentum, nam siccorum mixtura non est temperamentum, neque secundum locum mutatio omnis, latio,nam ambulatio non videtur latio esse. Pene enim in iis quæ involuntarie locum ex loco permutant, dicitur latio,quemadmodum inanimatis accidit; manifestum autem quoniam et de pluribus species dicitur quam genus in assignatis,cum oporteat e contrario fieri. Rursum, si differentiam in specie posuit, ut immortale idipsum quod est Deum, nam accidit de æqualibus aut pluribus quam speciem dici; differentia enim semper de æqualibus aut de pluribus quam species dicitur.Amplius,si in differentia genus posuit,ut colorem idipsum quod est congregativum, aut numerum quod impar; et si genus ut differentiam dixit: possibile est enim aliquem talem suscipere positionem,ut temperantiæ mixturam differentiam, aut lationis secundum locum mutationem. Inspiciendum autem omnia quæ sunt hujus modi per eadem, communicant enim loci, de pluribus enim genus quam differentiam oportet dici,et non participare differentiam. Si autem assignato, neutrum eorum quæ dicta sunt possibile est accidere,nam et de paucioribus dicetur,et participabit genus differentiam. Rursum, si nulla differentia generis prædicatur de assignata specie, nec genus prædicabitur,ut de anima, neque impar neque par prædicatur, quare nec numerus. Amplius, si prius est natura species, et simul interimit genus. Videtur enim contrarium. Amplius, si contingit relinquere dictorum genus vel differentiam (ut animam moveri, opinionem, verum et falsum),neutrum erit dictorum genus vel differentia.Videtur enim genus et differentia sequi quamdiu fuerit species.

CAPUT III.

De genere loci alii.

Inspiciendum autem et si quod in genere positum est participat aliquid contrarium generi, aut si contingit participare. Nam idem contraria simul participabit,eo quod ipsum genus quidem nunquam relinquit,participat autem et contrarium, aut contingit participare.Amplius,si quidpiam communicat species,quod impossibile est omnino inesse iis quæ sunt sub genere,ut si anima communicat,numerorum autem nullum possibile est vivere, non erit species numeri anima.Considerandum autem et si æquivoca sit species generi elementis utenti, iis quæ dicta sunt ad æquivocum.Univocum enim genus, et species. Quoniam inspiciendum autem omnis generis plures species, inspiciendum si non contingit alteram speciem esse dicti generis,nam si non est manifestum quoniam non erit genus omnino,quod dictum est. Considerandum etiam est si quod translatitie dictum est, ut genus assignavit: ut temperantiam consonantiam; nam omne genus proprie de speciebus prædicatur, consonantia vero de temperantia non proprie,sed translatitie,omnis enim consonantia in sonis. Amplius, si sit contrarium speciei aliquid, considerandum. Est autem multipliciter consideratio.Primum quidem si in eodem genere contrarium speciei, cum non sit contrarium generi; oportet enim contraria in eodem genere esse, si nihil sit contrarium generi. Cum autem est contrarium generi, considerandum si contrarium in contrarium.Necesse est enim contrarium in contrario esse,si sit contrarium quidem generi; manifestum autem est unumquodque eorum, per inductionem.Rursus si omnino in nullo genere quod speciei est contrarium, sed ipsum genus: ut bonum; nam ipsi hoc non in genere, nec contrarium hujus in genere erit,sed ipsum genus,quemadmodum in bono et malo accidit: neutrum enim horum in genere,sed utrumque eorum genus.Deinde considerandum si contrarium est alicui et genus et species, et horum quidem est aliquid medium, illorum autem non.Nam si generum est aliquid medium,et specierum: et si specierum, et generum, ut in virtute et vitio, et justitia et injustitia, utrorumque enim est aliquid medium.Instantia hujus, quoniam sanitatis et ægritudinis nihil est medium, mali autem et boni aliquod medium.Amplius, si est quidem aliquid utrisque medium, et speciebus et generibus, non similiter autem,sed horum quidem secundum negationem,illorum vero ut subjectum. Probabile enim similiter et in utrisque, ut in virtute et in vitio,justitia et injustitia, utrisque enim secundum negationem medium. Amplius, quando non est contrarium generi,considerandum non solum si contrarium in eodem genere,sed et medium. In quo enim extrema, et medium, ut in albo et nigro, nam color genus et horum et mediorum colorum omnium.Instantia,quoniam defectus quidem, et superabundantia in eodem genere (in malo enim ambo), mediocre autem cum sit medium horum, non in malo, sed in bono est. Considerandum etiam si genus quidem contrarium est alicui, species autem nulli. Nam si genus est contrarium alicui, et species, quemadmodum virtus et vitium, et justitia et injustitia, similiter autem et in aliis consideranti manifestum videtur esse. Instantia, in sanitate et ægritudine, simpliciter enim sanitas ægritudini contraria; aliqua autem ægritudo, cum sit species ægritudinis, nulli contrarium, ut febris et ophthalmia, et unumquoque aliorum. Interimenti igitur tot modis inspiciendum: si enim non insint quæ dicta sunt, manifestum autem non esse genus quod assignatum est. Construenti vero tripliciter, primum quidem si contrarium speciei sit in dicto genere, cum non sit contrarium generi. Nam si contrarium in hoc, manifestum quoniam et quod propositum est. Amplius

si medium in dicto genere,nam in quo medium,et extrema. Rursum si sit et contrarium quidem generi,considerandum est,et si contrarium in contrario.Nam si sit, manifestum quod et propositum in proposito.

CAPUT IV.

De genere loci alii.

Rursum in casibus et conjugatis, si similiter sequuntur, et interimenti et construenti.Simul enim uni et omnibus insunt vel non insunt,ut si justitia scientia quædam,et juste scienter,et justus sciens; si autem horum aliquid non inest,nec reliquorum ullum.Rursum in iis quæ similiter se habent ad invicem,ut delectabile similiter se ad voluptatem, et utile ad bonum,utrumque enim utriusque effectivum. Si igitur voluptas quiddam bonum, et delectabile quiddam utile erit ; manifestum enim quoniam boni erit effectivum,eo quod voluptas bonum. Similiter autem et in generationibus et corruptionibus,ut si ædificare est operari,ædificasse operatum esse,et si discere est reminisci, et didisse recordatum esse, et si dissolvi est corrumpi,et dissolutum esse corruptum esse, et dissolutio corruptio quædam. Et in generativis vero et in corruptivis,similiter et in potentiis et usibus, et omnino secundum quamlibet similitudinem et interimenti et construenti inspiciendum, quemadmodum in generatione et corruptione diximus. Nam si corruptivum dissolutivum et corrumpi dissolvi,et si generativum est effectivum,et generari fieri, et generatio factio, similiter et in potentiis et usibus,et omnino si potentia dispositio,et posse disponi, et si alicujus usus est actus, et uti agere,et usum esse egisse. Si autem sit privatio id quod opponitur speciei, duobus modis est interimere.Primum quidem si assignato genere est oppositum.Aut enim simpliciter in nullo genere eodem privatio,aut non in ultimo,ut si visus in ultimo genere est,sensus,cæcitas non erit sensus.Secundo autem,si et generi et speciei opponitur privatio,non est autem oppositum in opposito,nec quod assignatum est in assignato erit.Interimenti igitur,quemadmodum dictum est,utendum. Construenti autem uno modo,nam si oppositum in opposito,et propositum in proposito erit, ut si cæcitas insensibilitas quædam, et visus sensus. Rursum in negationibus considerandum e converso,quemadmodum in accidente dicebatur,ut si delectabile quod bonum,quod non bonum non delectabile.Nam si non ita se habet, erit contra, non bonum delectabile. At impossibile est,si bonum genus est delectabilis,esse quidquam non bonum delectabile. Nam de quibus genus non prædicatur,nec specierum ulla.Et construenti etiam similiter inspiciendum.Nam si non bonum,non delectabile, delectabile bonum, quare genus bonum delectabilis. Si autem si ad aliquid species, considerandum si et genus ad aliquid.Nam si species ad aliquid,et genus,ut in duplici et multiplici,utrumque enim ad aliquid.Si autem genus ad aliquid,non necessario est species. Nam disciplina ad aliquid, grammatica autem non. An nec quod prius dictum est verum videbitur? nam virtus ipsum quod bonum, et ipsum quod honestum, et virtus quidem ad aliquid,bonum vero et honestum non ad aliquid, sed qualia. Rursum si non ad idem dicitur species, et secundum se,et secundum genus.Ut si duplum dimidi dicitur duplum, et multiplum dimidii oportet dici ; si autem non,non erit multiplum genus dupli. Amplius,si non ad idem et secundum genus dicitur, et secundum omnia genera.Nam si duplum dimidii multiplum est,et abundans dimidii dicetur,et simpliciter secundum omnia superiora genera ad dimidium dicetur.Instantia,quod non necesse est secundum se, et secundum genus ad idem dici ; nam scientia scibilis dicitur,habitus autem et dispositio non scibilis,sed animæ.Rursum si similiter dicitur genus,et species secundum casus. Ut si alicui, aut alicujus aut quolibet modo aliter dicitur : nam ut species et genus,velut in duplo et in superioribus, alicujus,enim et duplum et multiplum; similiter autem si in scientia, alicujus enim et hæc et genera, ut dispositio et habitus. Instantia autem,quod aliquoties non sic, nam differens,et contrarium alicui, diversum autem cum sit genus horum,non alicui,sed ab aliquo,diversum enim dicitur ab aliquo.Rursum si similiter ad aliquid secundum casus dicta,non similiter convertuntur. Quemadmodum in duplo et multiplo, utrumque enim horum alicujus, et idem etiam secundum conversionem dicitur,alicujus enim et dimidium et submultiplum. Similiter autem et in disciplina et opinione,nam et hæ alicujus,et convertitur,similiter et disciplinatum et opinabile alicujus ; si igitur in aliquo non similiter convertitur,manifestum est non esse genus alterum alterius.Rursum, si non ad æqualiæ species, et genus dicitur. Similiter enim,et æqualiter utrumque videtur dici, quemadmodum in domo et datione,nam et donum alicujus alicui dicitur,et datio alicujus et alicui dicitur ; est autem datio genus doni,nam donum datio est irreddibilis. In aliquibus autem non accidit ad æqualia dici, nam duplum alicujus duplum,abundans autem et majus alicujus et aliquo,omne enim abundans,et majus aliquo abundat,et alicujus abundeat,quare non sunt genera quæ dicta sunt dupli,eo quod non ad æqualia dicuntur speciei,aut non universaliter verum,ad æqualia speciem et genus dici. Videndum autem et si oppositi est oppositum genus. Ut si dupli multiplum,et dimidii submultiplum,oportet enim oppositum oppositi genus esse. Si igitur ponat aliquis scientiam idipsum quod est sensum, oportebit et scibile id quod est sensibile esse ; sed non est, non enim omne scibile sensibile, nam intelligibilium quædam scibilia. Quare non est genus sensibile scibilis, si autem hoc non, neque sensus scientiæ.Quoniam autem eorum quæ ad aliquid dicuntur, alia quidem ex necessitate in eis aut circa ea sunt ad quæ dicuntur (ut dispositio,et habitus,et commensuratio; in alio enim nullo possibile est esse quæ dicta sunt,quam in eis ad quæ dicuntur), alia

autem non necesse est quidem in eis esse ad quæ dicuntur, contingit autem (quemadmodum scibile est in anima, nihil enim prohibet sui scientiam habere animam, non necessarium autem, possibile est enim et in alio esse hanc eamdem), alia vero simpliciter non contingit in eis esse ad quæ dicuntur (ut contrarium in contrario, neque scientiam scibili, nisi sit scibile anima, vel homo), considerare igitur oportet si quis in genere ponat quod tale est, in non tali. Ut si memoriam immansionem scientiæ dicat, nam omnis immansio in mente, et circa illud, quare et scientiæ immansio in scientia. Memoria igitur in scientia, eo quod immansio scientiæ est. Hoc autem non contingit, memoria enim omnis in anima. Est autem qui dictus est locus et accidens communis; nihil enim refert, memoriæ genus immansionem dicere, aut accidere dicere illi hoc: nam si quovis modo est memoria immansis scientiæ, eadem aptabitur de ipsa ratio.

CAPUT V.

De re eadem loci alii.

Rursum si habitum in actu posuit, aut actum in habitu, non est genus quod tale est. Ut si sensum, motum per corpus, nam sensus habitus, motus autem actus. Similiter autem et si memoriam habitum continentivum opinionis dixerit, nam nulla memoria habitus, sed magis actus. Peccant autem et qui habitum in consequentem potentiam ordinat, ut mansuetudinem, continentiam iræ, et fortitudinem, et justitiam, timorum et lucrorum continentiam, nam fortis et mansuetus perturbatione vacans dicitur, continens autem qui perturbatur, sed non ducitur; fortasse igitur talis potentia sequitur utrumque, ut si perturbetur, non ducatur; verum continere non hoc est, hunc quidem fortem, illum autem mansuetum esse, sed omnino perturbari ab hujusmodi nihil. Aliquoties autem et quod sequitur, quovis modo ut genus ponunt: tristitiam iræ, et opinionem fidei, utraque enim prædicta sequuntur quidem quodammodo assignatas species. Neutrum autem eorum genus est nam qui irascitur, constristatur, priore in eo tristitia facta, non enim ira tristitiæ, sed tristitia iræ causa est; quare simpliciter ira non est tristitia. Secundum autem hæc, neque fides opinio: contingit enim eamdem opinionem etiam non credentem habere; non contingere autem hoc, si fides esset species opinionis non enim contingit idem amplius permanere, si ex specie omnino permutatum sit quemadmodum nec idem animal quandoque hominem esse, et quandoque non. Si quis autem dicat ex necessitate opinantem etiam fidem habere, de æqualibus opinio et fides dicetur, quare neque sic erit genus, de pluribus enim oportet dici genus. Videndum autem et si in aliquo eorum nata sint utraque fieri. In quo enim species et genus, ut in quo album et color, et in quo grammatica et disciplina. Si igitur verecundiam timorem dixit, aut iram tristitiam, non accidit in eodem speciem et genus esse, nam verecundia quidem in rationali, timor in irascibili, at tristitia in concupiscibili, nam in hoc et voluptas, ira autem in irascibili; quare non sunt genera quæ assignata sunt eo quod non in eodem cum speciebus nata sunt fieri. Similiter autem et si amicitia in concupiscibili, non erit voluntas quædam, omnis enim voluntas in rationali. Utilis autem hic locus et ad accidens, et id cui accidit, in eodem enim accidens et cui accidit; quare nisi in eodem videatur, manifestum quoniam non accidit. Rursum si secundum quid species dictum genus participat, non enim videtur secundum quid participari genus. Nam non est homo secundum quid animal, neque grammatica secundum quid disciplina. Similiter autem et in aliis. Considerandum igitur si in aliquibus secundum quid participatur genus, ut si animal quod sensibile vel visibile dicitur; nam secundum quid sensibile vel visibile dicitur; nam secundum quid sensibile vel visibile animal, secundum corpus enim sensibile et visibile, secundum animam autem non: quare non erit genus, corpus visibile, et sensibile, animalis. Latent autem quandoque et totum in partem ponentes, ut animal, corpus animatum; nullo enim modo pars de toto prædicatur; quare non erit genus corpus animalis, eo quod pars est.

Videndum autem si quid vituperandorum aut fugiendorum in potestate aut potente posuit, ut sophistum, vel calumniatorem, vel furem eum qui possit aliena latenter surripere: nemo enim prædictorum in eo quod possit, aliquid horum talis dicitur. Potest enim et Deus, et studiosus, prava agere; non sunt autem hujusmodi, nam omnes pravi secundum electionem dicuntur. Amplius, omnes potestates eorum sunt quæ sunt eligenda, nam pravorum potestates eligendæ, eo quod Deum et studiosum habere dicimus eas. Potentes enim dicimus eos esse prava agere, quare nullius vituperabilis erit genus potestas. Si autem non, accidet vituperandorum quiddam eligendum esse, nam erit quædam potestas vituperabilis. Et si quid propter se honorabilium vel eligibilium, in potestate, vel potente, vel effectivo posuit. Nam omnis potestas, et omne potens aut effectivum, propter aliud eligendum; aut si quid eorum quæ sunt in duobus generibus vel pluribus, in altero posuit. Quædam enim non est in uno genere ponere, ut fraudulentum aut calumniatorem, neque enim qui eligit, impotens autem, neque qui potest, at non eligens, calumniator aut fraudulentus, sed qui utraque hæc habet; quare non ponenda sunt in uno genere, sed in utroque eorum quæ dicta sunt. Amplius, aliquoties e converso, genus quidem ut differentiam, differentiam autem ut genus assignant, ut stuporem superabundantiam admirationis, et fidem vehementiam opinionis: nam neque superabundantia, neque vehementia, genus, sed differentia videtur enim stupor admiratio esse superabundans, et fides opinio vehemens; quare genus admiratio et opinio est, superabundantia autem et vehementia differentia. Amplius, si quis superabundantiam et vehementiam ut genera assignet, inanimata fidem facient et stupefacient: nam cujusque vehementia et superabundantia illi

adest cujus est superabundantia et vehementia. Si ergo stupor superabundantia est admirationis, aderit admirationi, quare admiratio stupefaciet; similiter autem et fides aderit opinioni, si vehementia quidem opinionis est, quare opinio fidem faciet. Amplius, accidet sic assignanti vehementiam vehementem dicere, et superabundantiam superabundantem : est enim quædam fides vehemens ; si ergo fides vehementia est, vehementia erit vehemens. Similiter autem et stupor quidem et superabundans; si ergo stupor est superabundantia, superabundantia erit superabundans. Videtur autem neutrum horum, quemadmodum nec disciplina disciplinatum, nec motus motum. Quandoque autem peccant, et passionem in genere ejus quod passum est ponentes, ut immortalitatem vitam sempiternam dicentes esse, passio enim vitæ et accidens immortalitas videtur esse ; quod autem verum sit quod dicitur, manifestum fiet, si quis admittat aliquem ex mortali fieri immortalem. Nullus enim dicit aliam vitam eum sumere, sed accidens aliquod, vel passionem huic eidem advenire; quare non genus vita immortalitatis. Rursum si passionem cujus est passio, illius genus dicit, ut spiritum aerem motum, magis enim motus aeris, spiritus, nam aer idem permanet, et quando movetur, et quando stat; quare non est omnino aer spiritus: est etenim et non moto aere spiritus, siquidem idem aer permanet, qui quidem erat spiritus. Similiter autem et in aliis hujusmodi. Si igitur et in hoc oportet admittere quod aer motus est spiritus, non tamen de omnibus hujusmodi est assignandum, de quibus non verificatur genus, sed de quibuscunque vere prædicatur assignatum genus, nam in quibusdam non videtur verificari, ut in luto et nive, nam nivem dicunt esse aquam coagulatam, lutum autem terram humido temperatam : est autem neque nix aqua, neque lutum terra, quare neutrum assignatorum generum erit genus. Oportet enim genus verificari semper de omnibus speciebus. Similiter autem neque vinum est aqua putrefacta (sicut Empedocles dicit: In ligno putruit unda), nam simpliciter non est aqua.

CAPUT VI.

De genere loci alii.

Amplius, si omnino quod assignatum est, nullius est genus. Manifestum enim quoniam neque ejus quod dictum est. Considerandum autem ex eo quod nihil eorum differt specie, quæ participant assignatum genus. Ut nihil alba differunt specie, ipsa a se invicem. Omnis autem generis sunt species differentes, quare nullius erit album genus. Rursum si quod omnia sequitur genus vel differentiam dixit. Plura enim sunt quæ omnia sequuntur, ut ens, et unum, eorum sunt quæ omnia sequuntur; si igitur ens genus assignaverimus, manifestum quoniam omnium erit genus, eo quod prædicatur de eis. De nullo enim genus quam de speciebus prædicatur, quare et unum species erit entis; accidit ergo de omnibus de quibus genus prædicatur, et speciem prædicari, eo quod A ens et unum de omnibus simpliciter prædicantur, oportet autem de paucioribus speciem prædicari. Si autem quod omnia sequitur, differentiam dixit, perspicuum quoniam de æqualibus vel de pluribus differentia quam genus dicetur. Nam si et genus omnia sequitur de æqualibus, sin vero non omnia sequatur genus de pluribus differentia dicetur quam ipsum genus. Amplius, si in subjecta specie est, quod assignatum genus dicitur, ut album in nive, quare manifestum quoniam non erit genus, de subjecta enim specie solum genus dicitur. Considerandum autem etiam est si non univocum sit genus speciei. Nam de omnibus speciebus univoce genus prædicatur. Amplius, quando existente et speciei et generi contrario, si quod melius contrariorum est, in B pejori genere ponit.

Nam accidet reliquum in reliquo esse, eo quod contraria in contrariis generibus, quare quod deterius est, in meliori erit; at videtur melioris, et genus melius esse. Et si eodem similiter ad utraque se habente, in pejore, et non in meliore genere ponit, ut animam ipsum quod est agitionem, aut agitatum : nam pari modo eadem stativa et agitativa esse videtur; quare si melius statio, in hoc oportet genere ponere. Amplius, ex magis et minus. Destruenti quidem si genus suscipit magis species autem non suscipit, neque ipsa, neque quod ab ipsa dicitur, ut si virtus suscipit magis, et justitia et justus, dicitur enim justus magis alter altero. Si igitur assignatum quidem genus magis suscipit, species autem non suscipit, neque ipsa neque quod ab ipsa C dicitur, non erit quidem assignatum genus. Rursum quod magis videtur, vel similiter, non est genus, manifestum quoniam nec quod assignatum est. Utilis autem hic locus in talibus maxime in quibus plura videntur de specie in eo quod quid est prædicata, cum non determinatum est neque promptum nobis est dicere, quodnam eorum genus, ut de ira, tristitia, et opinio parvipendentiæ, in eo quod quid est prædicari videntur : contristatur enim iratus, et opinatur parvipendi. Eadem autem consideratio et in specie ad aliud aliquid comparanti. Nam si quod magis aut similiter videtur esse in assignato genere, non est in genere manifestum quod neque assignata omnino species erit in genere. Interimenti igitur quemadmodum dictum est, uten- D dum. Astruenti vero, si quidem suscipit magis quod assignatum est genus, et species, non utilis locus, nihil enim prohibet utrorumque suscipientium non esse alterum alterius genus, nam bonum et album suscipit magis, et neutrum neutrius genus. Generum autem et specierum ad se invicem comparatio utilis ut si similiter hoc, et hoc genus ; si alterum genus et alterum. Similiter autem et si quod minus, et quod magis : ut si continentiæ, magis potestas quam virtus genus ; virtus autem genus, et potestas. Eadem autem et de specie convenit dici; nam si similiter hoc, et hoc propositi species, si alterum species, et reliquum, et quod minus videtur species est et

quod magis. Amplius, ad construendum, perspiciendum si de quibus assignatum est genus, in eo quod quid est prædicatur, cum non sit una assignata species, sed plures et differentes. Nam manifestum quoniam erit genus. Si autem in assignato species est, considerandum et si de aliis speciebus genus in eo quod quid est prædicatur. Nam rursus accidet de pluribus et differentibus idem prædicari. Quoniam autem videtur in quibusdam et differentia in eo quod quid est de speciebus prædicari, separandum est genus et differentia, utenti iis quæ dicentur elementis, primum quidem quoniam genus de pluribus dicitur quam differentia, deinde quoniam secundum ejus (quod quid est) assignationem, magis convenit genus quam differentiam dicere. Nam qui animal dicit hominem, magis indicat quid est homo quam qui gressibile. Et quoniam differentia quidem qualitatem generis semper significat, genus autem differentiæ, non : nam qui dicit gressibile, quiddam animal dicit ; qui vero animal dicit, non dicit quale quiddam gressibile : differentia igitur a genere sic separanda. Quoniam autem videtur musicum, qua musicum est, sciens esse, et musica scientia quædam est, et si ambulans, eo quod ambulat movetur, ambulatio motus quidam est, considerandum in quo genere vult quidpiam construere secundum dictum modum. Ut si scientiam ipsum quod est fidem, si sciens quatenus scit, fidit : manifestum enim quoniam scientia fides quædam erit, eodem autem modo et in aliis hujusmodi. Amplius, quoniam quod sequitur aliquid semper et non convertitur, difficile est separare quod non sit genus, si hoc quidem illud sequitur omne, illud vero hoc non omne. Ut tranquillitatem qui, et numerum divisibile, e converso autem non ; nam divisibile non omne, numerus, neque quies omnis, tranquillitas, ipso quidem est utendum ut genere quod est semper consequens, cum non convertatur alterum; cum autem alterum se extendit non in omnibus, obsequendum. Instantia autem hujus, quoniam non ens sequitur omne quod fit (nam quod fit non est) et non convertitur (non enim omne quod non est fit) ; attamen non est genus non ens ejus quod fit, simpliciter enim non sunt non entis species. De genere igitur quemadmodum dictum est, transeundum.

LIBER QUINTUS.

CAPUT PRIMUM.

De modis proprii.

Utrum autem proprium an non proprium est quod dictum est, per hæc considerandum. Assignatur autem proprium aut per se et semper, aut ad aliud aut aliquando. Per se quidem, ut hominis, animal mansuetum natura; ad aliud autem, ut animæ ad corpus, quoniam illa quidem imperare nata, hoc autem parere ; semper autem, ut Dei, animal immortale; aliquando vero, ut alicujus hominis ambulare in gymnasio. Sunt autem proprii, quod ad alterum assignatum est, aut duo problemata, aut quatuor. Nam si de hoc quidem assignatum quidpiam fuerit, de illo vero negatum idipsum, duo duntaxat problemata fiunt quemadmodum hominis ad equum proprium est quod bipes est. Nam est quod homo non bipes est argumentabitur quispiam, et quod equus bipes : utrinque autem removetur proprium. Si autem de utroque utrumque assignatum fuerit, et de utroque negatum, quatuor problemata erunt, ut hominis proprium ad equum, quod ille quidem bipes, hic autem quadrupes est : nam et quod homo non bipes est, et quod esse quadrupes natus est, argumentari est; et quod equus bipes, et quod non quadrupes, possibile est argumentari. Quolibet igitur modo ostenso, interimitur quod propositum est. Est autem per se quidem proprium, quod ad omnia assignatur, et ab omni separat (quemadmodum hominis animal mortale disciplinæ susceptivum): ad aliud autem, quod non ab omni, sed ab aliquo statuto determinat (ut virtutis ad disciplinam, quoniam illa quidem in pluribus, hæc in rationali solo, et in habentibus rationem nata est fieri); semper autem, quod secundum omne tempus verificatur, et nunquam relinquitur (quemadmodum animalis ex anima et corpore compositum esse); aliquando vero, quod secundum aliquod tempus verificatur, et non ex necessitate semper consequitur, ut alicujus hominis ambulare in foro. Est autem ad alterum proprium assignare, differentiam dicere, aut in omnibus et semper, aut in multum et in plurimis. Et in omnibus quidem et semper, quemadmodum hominis proprium ad equum quoniam bipes, nam homo quidem et omnis, et semper est bipes ; equus autem nullus est bipes, et nunquam. Ut multum autem et in plurimis, quemadmodum rationalis proprium principare ad concupiscibile, et irascibile, eo quod illud quidem imperat, hæc autem parent ; nam neque rationale semper imperat, sed quandoque illi imperatur, neque concupiscibili et irascibili semper imperatur, sed imperant quandoque, cum fuerit hominis anima flagitiosa. Proprium autem ea maxime logica sunt, quæ per se et semper, et quæ ad aliud. Nam ejus quod ad aliud est proprium, plura problemata sunt, quemadmodum diximus et prius, nam aut duo, aut quatuor, ex necessitate fiunt problemata. Plures autem orationes fiunt ad hæc, quod autem per se est et semper, ad multa est argumentari, et ad plura tempora observare ; quod per se quidem ad multa, nam ad unumquodque eorum quæ sunt, ut pote cui oportet inesse proprium, quare si non ab omni separat, non erit bene assignatum proprium; quod autem semper, ad plura tempora est observare, et sive non inest, sive non infuerit, sive non inerit, non erit proprium. Quod vero aliquando, ad illud (quod nunc dicitur) tempus,

considerabimus. Non igitur sunt rationes ad ipsum plures. Logicum autem est problema, ad quod rationes fiunt, et crebræ quidem, et bonæ. Ad aliud igitur proprium dictum, ex iis quæ sunt de accidente locis inspiciendum, si huic quidem accidit, illi vero non. De iis autem quæ semper, et quæ per se, per hæc considerandum.

CAPUT II.

De locis proprii.

Primum quidem an non bene assignatum est proprium, an bene. Ejus autem quod est non bene, aut bene, est unum quidem, si non per notiora, aut per notiora positum est proprium. Destruenti quidem, si non per notiora; at construendi, si per notiora. Ejus autem quod non per notiora est, hoc quidem si omnino ignotius positum est proprium quod assignavit, illo cujus proprium dixit. Non enim erit bene positum proprium, nam propter notitiam proprium facimus. Discendi enim causa, et proprium, et definitiones facimus. Per notiora igitur accipiendum : sic enim magis erit sufficienter cognoscere, ut puta qui ponit ignis proprium esse simillimum animæ, ignotiore quam ignis utitur anima (magis enim scimus quid est ignis quam quid anima), non igitur erit bene positum proprium ignis, simillimum animæ. Aliud autem, si non notius est hoc huic inesse. Oportet enim non solum notius esse re, sed huic inesse, notius esse; nam qui non scit huic inest, neque si illi soli notius inest cognoscit. Quare cum quodvis horum acciderit, obscurum fit proprium, ut quia qui ponit ignis proprium, in quo primo anima nata est esse, ignotiore utitur quam sit ignis, eo quod ignotius est, si in hoc est anima, et si in hoc primo est ; non erit itaque bene positum proprium ignis, in quo primo anima nata est esse. Construenti autem, si per notiora positum est proprium, et si per notiora secundum utrumque modum. Erit enim bene secundum hoc positum proprium, nam constructivorum locorum ejus quod bene, alii quidem secundum hoc solum, alii autem simpliciter monstrabunt quod bene, ut quia qui dixit animalis proprium, sensum habere, per notiora, et notius assignavit proprium secundum utrumque modum ; quare erit bene assignatum secundum hoc, animalis proprium, sensum habere. Deinde destruenti quidem, si quod nominum quæ in proprio sunt assignata multipliciter dicitur, vel etiam tota oratio plura significat. Non enim erit bene positum proprium, ut quoniam sentire multa significat, unum quidem sensum habere alterum autem sensum uti, non erit animatis proprium bene positum quod natum est sentire. Quapropter non utendum est, neque nomine, quod multipliciter dicitur, neque oratione, quæ plura significet, quia quod multipliciter dicitur obscurum facit quod dictum est, dubitante eo qui debet argumentari, quodnam dicit eorum quæ multipliciter dicuntur, nam proprium discendi gratia assignatur. Amplius autem ad hoc necessarium est redargutionem aliquam fieri cum sic assignant proprium, quando in dissidente quispiam conficiet syllogismum, de eo quod multipliciter dicitur. Construenti autem, si non plura significat neque nominum quidpiam, neque tota oratio. Erit enim secundum hoc bene positum proprium ut quia neque corpus plura significat, neque mobilissimum in superiorem locum, neque totum quod ex his compositum est, erit bene positum secundum hoc ignis proprium corpus mobilissimum in superiorem locum. Deinde destruenti quidem si multipliciter dicitur illud cujus proprium assignatur, non determinatur autem cujus eorum ponatur proprium. Non enim bene erit assignatum proprium, ob quas autem causas non immanifestum est ex iis quæ prius dicta sunt, nam eadem accidere necessarium est ; ut quia scire hoc plura significat (unum enim scientiam habere hoc, alterum autem scientia uti hoc, aliud vero scientiam esse hujus, aliud autem scientia uti hujus), non erit ejus quod est scire hoc, bene assignatum proprium ullum, non determinato cujus horum ponitur proprium. Construenti vero, si non dicitur multipliciter hoc cujus proprium ponitur, sed est unum et simplex. Erit enim bene positum secundum hoc proprium, ut quia homo simpliciter dicitur, erit bene positum secundum hoc hominis proprium animal mansuetum natura. Deinde destruenti quidem, si frequenter dictum est idem in proprio (sæpe enim latent hoc facientes et in propriis, quemadmodum et in terminis), non erit bene positum quod hoc sustinet, proprium. Conturbat enim audientem, quod frequenter dicitur, obscurum igitur necessarium est fieri, et præter id nugari videntur. Eveniet autem frequenter idem dicere duobus modis : uno quidem quando nominaverit frequenter idem, ut si quis proprium assignet ignis; corpus tenuissimum corporum, hic enim frequenter dixit corpus. Secundo autem, si quis assumat orationes pro nominibus, ut si quis reddat terræ proprium, substantiam quæ maxime corporum secundum naturam fertur in inferiorem locum, deinde assumat pro corporibus, hujusmodi substantias, unum enim et idem est corpus, et hujusmodi substantia ; erit ergo hoc modo substantia frequenter dicta, quare neutrum erit bene positum proprium. Construenti vero, si nullo utitur frequenter nomine eodem. Erit enim secundum hoc bene assignatum proprium, ut quia qui dixit hominis proprium, animal disciplinæ susceptivum, non usus est frequenter eodem nomine, erit utique secundum hoc bene assignatum hominis proprium. Deinde destruenti quidem, si tale aliquid assignavit in proprio nomen, quod omnibus insit. Inutile enim erit, quod non separat ab aliquo, quod autem in propriis dicitur, separare oportet, quemadmodum et quæ in terminis non igitur erit bene positum proprium, ut quia qui posuit scientiæ proprium opinionem indissuasibilem a ratione, unum existens, tali aliquo usus est proprio (uno, inquam) quod omnibus inest, non erit utique bene positum scientiæ proprium. Astruenti autem, si nullo usus est communi, sed quod ab aliquo separat, erit bene positum secundum hoc proprium, ut quia

qui dixit animalis proprium animam habere, nullo usus est communi, erit secundum hoc bene positum proprium animalis, animam habere. Deinde destruenti quidem, si plura propria assignat ejusdem, non determinans quod plura ponit. Non enim erit bene positum proprium; nam quemadmodum nec in terminis oportet præter eam (quæ indicat substantiam) orationem adjungere quidpiam plusculum, sic nec in propriis præter eam (quæ facit proprium quod dictum est) orationem quidquam coassignandum Inutile enim fit ejusmodi, ut quia qui dixit proprium ignis, tenuissimum et levissimum, plura assignavit propria (utrumque enim de solo igne verum est dicere), non erit bene positum proprium ignis, corpus subtilissimum et levissimum. Astruenti vero si non plura ejusdem propria assignavit, sed unum. Erit enim secundum hoc bene positum proprium, ut quia qui dixit humidi proprium, corpus quod in omnem figuram ducitur, unum assignavit proprium et non plura, erit secundum hoc bene positum humidi proprium. Deinde destruenti quidem, si eodem usus est cujus proprium assignavit, aut eorum quæ sunt illius aliquo. Non enim erit bene positum proprium, nam discendi gratia assignatur proprium, idem autem eidem similiter ignotum est, id autem quod aliquid eorum est quæ sunt ejus, posterius; non igitur est notius, quare non fit ut per hoc quisquam magis quidpiam discat, ut quia qui dixit animalis proprium, substantiam cujus species est homo aliquo usus est eorum quæ sunt animalis, non erit bene positum proprium. Construenti autem, si neque eodem, neque eorum quæ sunt ipsius aliquo utitur. Erit enim bene secundum hoc positum proprium, ut quia qui posuit animalis proprium ex anima et corpore compositum esse, neque eorum quæ sunt ipsius aliquo usus est: erit utique bene secundum hoc assignatum animalis proprium. Eodem autem modo et in aliis considerandum est quænam non faciunt aut faciunt notius. Destruenti quidem, si aliquo usus est, aut opposito, aut omnino simul natura, aut posteriore aliquo. Non enim bene positum proprium, nam oppositum simul natura, quod autem simul natura, et posterius, non efficit notius, ut quia qui dixit boni proprium quod malo maxime opponitur, opposito est usus boni, non erit profecto bene assignatum boni proprium. Construenti autem, si nullo usus est neque opposito, neque omnino simul natura, neque posteriore. Erit enim secundum hoc bene assignatum proprium, ut quia qui posuit disciplinæ proprium, opinionem maxime facientem fidem, nullo usus est neque opposito, neque omnino simul naturæ, neque posteriore, erit secundum hoc bene positum disciplinæ proprium. Deinde destruenti quidem, si non quod semper sequitur proprium assignavit, sed id quod fit quandoque non proprium. Non enim erit bene pronuntiatum proprium, nam neque in quo deprehendimus inesse ipsum, de hoc et nomen ex necessitate verificatur, neque in quo deprehenditur non inesse, de hoc ex necessitate non dicetur nomen, quare non erit bene positum proprium. Amplius autem ad hæc, neque quando quisquam assignaverit proprium, erit manifestum si inest siquidem tale est, ut quod ipsum relinquere possit: non igitur erit clarum esse proprium, ut quia qui posuit animalis proprium moveri quandoque, vel stare tale, assignaverit proprium quod fit quandoque non proprium, nequaquam erit bene positum proprium. Astruenti vero, si quod ex necessitate semper est, proprium assignaverit. Erit enim bene positum secundum hoc proprium, ut quia qui posuit virtutis proprium quod habentem facit studiosum, quod semper sequitur, proprium assignavit; erit utique secundum hoc bene assignatum virtutis proprium. Deinde destruenti quidem, si quod nunc proprium est assignans, non determinaverit quod non proprium assignat. Non enim erit bene positum proprium, primum quidem quia quod præter consuetudinem fit omne, semper determinatione indiget, solent autem ut plurimum omnes, quod semper sequitur proprium assignare; secundo autem, quia immanifestum est quia non determinaverit, si quod nunc est proprium voluerit ponere. Non igitur danda est objurgationis occasio, ut quia qui posuit alicujus hominis proprium sedere cum aliquo homine, quod nunc proprium est posuit, non bene proprium assignabit, si non determinans dixerit quod nunc. Construenti autem, si nunc proprium assignans determinando posuit, quod nunc proprium posuerit. Erit enim bene positum secundum hoc proprium, ut quia qui dixit cujusdam hominis proprium ambulare nunc alicubi, distinguens posuit hoc, bene erit positum proprium. Deinde destruenti quidem, si tale assignavit proprium, quod manifestum non est aliter inesse quam sensu. Non enim erit bene positum proprium, nam omne sensibile extra sensum factum immanifestum est, latens enim est si adhuc inest. eo quod sensu solum cognoscitur. Erit autem verum hoc in iis quæ non ex necessitate semper consequuntur, ut quia qui posuit solis proprium; astrum quod fertur super terram lucidissimum, tali usus est in proprio (super terram, inquam, ferri) quod sensu cognoscitur, non utique erit bene solis assignatum proprium; immanifestum enim erit cum occidet sol, si adhuc feratur super terram, eo quod nos tunc deseruimus sensum. Construenti vero, si tale assignavit proprium, quod non sensu est manifestum, aut cum sit sensibile, ex necessitate inesse manifestum est. Erit enim secundum hoc bene positum proprium ut quia qui posuit superficiei proprium, quod primum coloratum est, sensibili quidem aliquo usus est (coloratum esse, inquam), tali quidem quod manifestum est inesse semper: erit secundum hoc bene assignatum superficiei proprium. Deinde destruenti quidem, si terminum ut proprium assignavit. Non enim erit bene positum proprium, nam non oportet indicare quod quid est esse proprium, ut quia qui dixit hominis proprium animal gressibile bipes, quod quid est esse significans assignavit hominis proprium, non uti-

que erit hominis proprium bene assignatum. Construenti autem, si quod conversim quidem prædicatur assignavit proprium, non autem quod quid est esse indicans. Erit enim secundum hoc bene assignatum proprium, ut quia qui posuit hominis proprium animal mansuetum natura, quod conversim quidem prædicatur, assignavit proprium, non quod quid est quidem indicans; erit secundum hoc bene assignatum proprium hominis. Deinde destruenti quidem, si non quidpiam in quid est ponens, assignavit proprium. Oportet enim in propriis, quemadmodum in terminis, primum assignari genus, deinde sic jam addere reliqua et separare. Quare quod non hoc modo positum est proprium, non erit bene assignatum, ut quia qui dixit animalis proprium animam habere, non posuit quidquam in quo aut in quid est animal non erit bene positum animalis proprium. Construenti vero, si quis quidpiam quod in quid est ponens ejus cujus proprium assignavit, reliqua adjungit. Erit enim secundum hoc bene assignatum proprium, ut quia qui posuit hominis proprium animal disciplinæ susceptibile, quidpiam quod in quid est ponens, assignavit proprium : erit secundum hoc bene positum proprium hominis. Utrum igitur bene an non bene assignetur proprium, per hæc inspiciendum.

CAPUT III.

De proprio loci alii.

Utrum vero proprium est omnino quod dictum est, an non proprium, ex his considerandum. Nam simpliciter construentes proprium quod bene positum est, loci iidem erunt iis qui proprium omnino faciunt; in illis igitur dicentur. Primum ergo destruenti quidem inspiciendum ad unumquodque eorum cujus proprium assignavit. Ut si nulli inest, aut si non de hoc quidem verificatur, aut si non est proprium cujusque eorum secundum illud cujus proprium assignavit. Non enim erit proprium, quod positum est esse proprium, ut quia de geometra non verificatur indeceptibilem esse ab oratione (nam decipitur geometer cum pseudographiam facit), non erit hoc scientis proprium, non decipi ab oratione. Construenti autem si de omni verificatur, et qua de hoc verificatur. Erit enim proprium, quod positum est esse proprium, ut quia animal disciplinæ susceptivum de omni homine verificatur, et qua homo, erit hominis proprium animal disciplinæ susceptivum. Est autem locus hic destruenti quidem, si non de quo nomen et oratio verificatur, et si non de quo oratio et nomen verificatur. Construenti autem, si de quo nomen et oratio, et si de quo oratio et nomen prædicatur. Deinde destruenti quidem, si non de quo oratio et nomen verificatur, et si non de quo nomen et oratio verificatur. Non enim erit proprium, quod positum est esse proprium, ut quia animal quidem disciplinæ susceptivum verificatur de Deo; homo autem non prædicatur, non erit hominis proprium, animal disciplinæ susceptivum. Construenti autem, si de quo oratio et nomen prædicatur, et si de quo nomen et oratio prædicatur. Erit enim proprium quod positum est esse proprium, ut quia de quo animam habere verificatur animal, et de quo animal animam habere, erit animam habere animalis proprium. Deinde destruendi quidem, si subjectum proprium assignavit ejus quod in subjecto esse dicitur. Non enim erit proprium quod positum est esse proprium, ut quia qui posuit proprium subtilissimi corporis, ignem, subjectum assignavit prædicati proprium, non erit ignis corporis subtillissimi proprium. Propter hoc autem non erit subjectum, ejus quod in subjecto esse dicitur proprium, eo quod idem esset plurium et differentium specie proprium, nam eidem plura quædam discrepantia specie insunt, de solo dicta, quorum erit omnium proprium quod subjectum est, si quis hunc in modum ponat proprium. Construenti vero, si quod in subjecto est, assignavit proprium subjecti. Erit enim proprium quod positum est non esse proprium, siquidem de solo prædicatur (ut dictum est) proprium, ut quia qui dixit terræ proprium corpus gravissimum specie, subjecti assignavit proprium, quod de sola dicitur re, et ut proprium prædicatur, erit terræ proprium recte positum. Deinde destruenti quidem, si secundum participationem assignavit proprium Non enim erit proprium, quod positum est esse proprium, nam quod secundum participationem inest, ad quod quid est esse conducit; erit autem hujusmodi differentia quædam de aliqua specie dicta, ut quia qui dixit hominis proprium gressibile bipes, secundum participationem assignavit proprium, non erit utique proprium hominis gressibile bipes. Construenti autem, si non secundum participationem assignavit proprium, nec quod qui est esse indicans, conversim prædicata re. Erit enim proprium quod positum est esse proprium, ut quia qui posuit animalis proprium quod natum est sentire, neque secundum participationem assignavit proprium, neque quod quid esse indicans, conversim re prædicata, erit utique quod sentire natum est, animalis proprium. Deinde destruenti quidem, si non contingit simul inesse proprium, sed vel posterius, vel priusquam idipsum nomen. Non enim erit proprium quod positum est esse proprium aut nunquam, aut non semper, ut quoniam contingit alicui prius fore, et posterius ambulare per forum quam quod homo, non erit ambulare per forum hominis proprium, aut nunquam aut non semper. Construenti autem, si simul ex necessitate semper inest, cum neque terminus, neque differentia sit. Erit enim proprium, quod positum est forsitan non esse proprium, ut quia animal disciplinæ susceptivum, simul ex necessitate semper est, et id quod est homo, cum neque differentia sit nec terminus erit animal disciplinæ susceptivum hominis proprium. Deinde destruenti quidem, si eorumdem quæ eadem sunt, non est idem proprium. Non enim erit proprium, quod positum est esse proprium, ut quia non est proprium prosequendi, apparere quibusdam bonum, neque eligendi fuerit utique

proprium apparere quibusdam bonum; idem enim est prosequendum et eligendum. Construenti, si ejusdem quatenus idem proprium. Erit enim proprium quod positum est non esse proprium, ut quoniam hominis, qua homo dicitur proprium tripartitam animam habere, et terrigenæ quatenus terrigena est, erit proprium tripartitam animam habere. Utilis autem locus hic et in accidente, nam iisdem in eo quod eadem sunt eadem oportet inesse vel non inesse. Deinde destruenti quidem, si eorum quæ sunt eadem specie, non idem semper specie proprium est. Neque enim ejus quod dictum erit proprium, quod positum est esse proprium, ut quia idem est specie homo et equus, non semper autem equi est proprium stare a se, nec hominis erit proprium moveri a se. Idem enim est specie moveri, et stare a se, quatenus utrique eorum ut animal est, accidit. Construenti vero, si eorum quæ sunt eadem specie, idem semper specie sit proprium. Erit enim proprium quod positum est non esse proprium, ut quia hominis est proprium esse gressibile bipes, et avis erit proprium esse volatile bipes, utrumque enim horum est idem quatenus illa quidem sub eodem sunt genere species, cum sint sub animali, hæc autem ut generis differentiæ animalis. Hic autem locus falsus est, quando alterum quidem eorum quæ dicuntur uni alicui soli inest speciei, alterum vero inest pluribus, quemadmodum gressibile quadrupes.

Quoniam autem idem et diversum multipliciter dicitur, labor est sophistice assumenti unius assignare, et solius alicujus proprium, nam quod inest alicui cui accidit aliquid, et accidenti inerit sumpto cum eo cui accidit, ut quod inest homini, et albo homini inerit, si fuerit albus homo, et quod albo homini inest, inerit et homini. Calumniabitur autem aliquis multa propriorum quod subjectum id aliud est quod secundum se facit, aliud autem cum accidente, ut aliud quidem hominem esse dicet, aliud vero album hominem. Amplius autem diversum faciens habitum et quod secundum habitum dicitur, nam quod habitui inest, et ei quod secundum habitum dicitur inerit, et quod ei quod secundum habitum dicitur inest, et habitui inerit, ut quoniam sciens secundum scientiam dicitur affici, non erit scientiæ proprium, indissuasibile a ratione, nam et sciens indissuasibilis erit a ratione. Construenti autem dicendum quoniam non est diversum simpliciter id cui accidit, et accidens cum eo cui accidit sumptum, sed aliud dicitur, eo quod diversum sit ipsis, esse; non enim idem est homini esse, quod sit homo, et albo homini esse, quod sit albus homo. Præterea autem considerandum est ad casus dicenti, quod neque sciens est indissuasibile a ratione, sed indissuasibilis a ratione, neque scientia indissuasibile, sed indissuasibilis a ratione, nam ei qui omnino instat, omnino est adversandum. Deinde destruenti quidem, si quod natura inest volens assignare, hoc modo ponit secundum locutionem, ut quod semper inest significet. Videbitur enim moveri posse quod positum est proprium esse, ut quia qui dixit hominis proprium bipes, vult quidem quod natura inest assignare: significat autem locutione, quod semper inest, non erit hominis proprium bipes, non enim omnis homo est duos pedes habens. Construenti, autem si vult quod natura inest proprium assignare, et locutione hoc modo significat: non enim movebitur secundum hoc proprium, ut quia qui hominis proprium assignavit, animal disciplinæ susceptivum, et vult, et dictione significat quod natura inest proprium, non movebitur, secundum hoc quod non sit proprium hominis, animal disciplinæ susceptivum. Amplius quæcunque dicuntur ut secundum aliud aliquod primum, aut ut primum ipsum, labor est assignare talium proprium. Nam si ejus quod est secundum aliud aliquid proprium assignavit, et de primo verificabitur, si autem primi posuerit, et de eo quod est secundum aliud prædicabitur, ut si quis assignet superficiei proprium coloratum esse, et de corpore verificatur coloratum esse, si autem corporis, et de superficie, prædicabitur, quare non de quo oratio et nomen verificabitur. Accidit autem in quibusdam propriis plerumque fieri aliquod peccatum, propter hoc quod non determinetur quomodo et quorum ponit quis proprium; omnes enim conantur assignare proprium, aut quod natura inest, ut hominis bipes, aut quod nunc inest, ut hominis alicujus quatuor digitos habere, aut specie, ut ignis subtilissimum, aut simpliciter, ut animalis vivere, aut secundum aliud, ut animæ prudens, aut ut primum, quemadmodum rationalis prudens, aut in eo quod habet, ut scientis indissuasibile a ratione (nihil enim aliud quam habendo aliquid erit indissuasibile a ratione), aut in eo quod habeatur, ut scientiæ indissuasibile a ratione, aut in eo quod participatur, ut animalis sentire (sentit enim et aliud quid ut homo, sed participans jam hoc, sentit), aut in eo quod participat, ut alicujus animalis vivere. Qui non addit igitur, natura peccat, eo quod contingit quod naturæ inest, non inesse illi cui natura inest, ut homini duos pedes habere, qui vero non determinat, quoniam quod inest assignat quod non erit tale quale nunc inest id, ceu quatuor digitos habere hominem, non indicans quoque quod ut primum, aut ut secundum aliud ponit, quod non de quo oratio et nomen verificabitur, ut coloratum esse sive superficiei, sive corporis assignaverit proprium, non prædicens etiam quod aut in eo quod est habere aut in eo quod haberi proprium assignavit. Ideo non erit proprium quod assignatum est, nam inerit (si in eo quod habetur assignavit proprium) etiam habenti, si autem habenti, et ei quod habetur, ut indissuasibile a ratione, scientiæ vel scientis positum proprium, non præsignificans etiam in eo quod participat vel participatur, eo quod et in aliis quibusdam inerit proprium. Si enim in eo quidem quod participatur assignavit, participantibus inerit, si vero in eo quod participat, iis quæ participantur, ut si alicujus animalis posuerit vivere proprium, non dividens etiam specie quod uni soli inerit eorum quæ sub eo

sunt,cujus proprium ponit,nam quod est secundum superabundantiam, uni soli inest, ut ignis levissimum. Aliquoties autem et specie addens peccat. Nam oportebit unam speciem esse eorum quæ dicuntur, quando specie addiderit:hoc autem in quibusdam non accidit, ut nec in igne, non enim est una species ignis, nam diversum est carbo et flamma, et lux specie, cum unumquodque horum sit ignis;propter hoc autem non oportet,quando specie additur, diversam esse speciem ejus quod dicitur, quoniam his quidem magis,illis autem minus inerit quod dictum est proprium,ut in igne subtilissimum, subtilior enim est lux carbone et flamma. Hoc autem non oportet fieri quando non, et nomen magis prædicatur de quo oratio magis verificatur.Si autem non,non erit de quo oratio magis,et nomen magis. Amplius autem ad hæc idem esse accidit proprium ejus quod simpliciter,et ejus quod maxime in simpliciter tali, ut in igne se habet subtilissimum, nam et simpliciter et ignis et lucis erit hoc ipsum proprium,subtilissima enim est lux;cum igitur alius sic assignat proprium,argumentandum,sibi autem non danda hæc instantia,sed statim cum ponit proprium determinandum est quomodo ponit proprium.

CAPUT IV.

De proprio loci alii.

Deinde destruenti quidem,si idem ejusdem proprium posuit.Non enim erit proprium, quod positum est esse proprium,nam idem eidem omne,quid est esse indicat; quod autem esse indicat,non proprium, sed terminus est, ut quia qui dixit honesti proprium decens esse idem ejusdem proprium assignavit(idem enim est honestum et decens),non utique erit decens honesti proprium.Construenti autem,si non ejusdem proprium assignavit,cum conversim prædicatum posuit.Nam erit proprium quod positum est non esse proprium,ut quia qui posuit animalis proprium id quod substantia animata,non idem quidem ejusdem proprium posuit,et conversim prædicatum assignavit,erit animalis proprium substantia animata.Deinde etiam in his quæ similium partium sunt considerandum est,destruenti quidem, si quod totius est proprium,non verificatur de parte, aut quod partis, non dicitur de toto.Non enim erit proprium,quod positum est esse proprium, accidit autem in aliquibus hoc fieri. Assignabit enim aliquis in iis quæ similium partium sunt proprium,aliquoties quidem in toto respiciens,aliquoties autem in eo quod secundum partem dicitur ipse seipsum intelligens,at erit neutrum recte assignatum, ut in toto quidem,quia qui dixit maris proprium,plurima aqua salsa, alicujus similium partium posuit proprium,et tale assignavit quod non verificatur de parte (non enim erit quiddam maris plurima atqua salsa), non utique erit maris proprium,plurima aqua salsa. In parte autem,ut quia qui posuerit aeris proprium, respirabile,similium quidem partium alicujus dixit proprium,tale autem assignavit quod de quo aere verum est,de toto autem non dicitur(non enim erit universus aer respirabilis),non erit utique aeris proprium respirabile. Astruenti autem, si verificatur de unaquaque similium partim quod est proprium earum secundum totum.Erit enim proprium, quod positum est non esse proprium, ut quia verificatur de omni terra deorsum ferri secundum naturam;est autem et hoc proprium alicujus terræ secundum totum;nam secundum terram, et id quod est terram esse,erit terræ proprium deorsum ferri secundum naturam. Deinde ex oppositis considerandum est, primum quidem ex contrariis, destruenti quidem, si contrarii non est contrarium.Neque enim contrarii erit contrarium proprium,ut quia contrarium est justitiæ quidem injustitia,optimo autem pessimum, non est autem justitiæ proprium optimum,non erit injustitiæ proprium pessimum. Construenti autem si contrarii contrarium proprium est, et contrarii contrarium proprium erit. Ut quia contrarium est bono quidem malum,eligendo autem fugiendum,est autem boni proprium eligendum,erit mali proprium fugiendum.Secundum autem, ex iis quæ ad aliquid sunt,destruenti quidem,si hoc quod ad aliquid est ejus quod est ad aliquid non est proprium. Neque enim hoc quod ad aliquid est,ejus quod ad aliquid est erit proprium, ut quia dicitur duplum quidem ad dimidium,superans autem ad superatum, non est autem dupli proprium superans, non erit dimidii proprium superatum.Construenti autem si ejus quod est ad aliquid,hoc quod ad aliquid est proprium,et ejus quod est aliquid,id quod est ad aliquid erit proprium.Ut quia dicitur duplum quidem ad dimidium id esse quod duo ad unum,est autem dupli proprium ut duo ad unum, erit dimidii proprium, ut unum ad duo.Tertium autem destruenti quidem,si habitus,id quod secundum habitum dicitur non est proprium, neque profecto privationis id quod secundum privationem dicitur, erit proprium, et si privationis, id quod cundum privationem dicitur non est proprium, neque habitus, id quod secundum habitum dicitur erit proprium. Ut quia non dicitur surditatis proprium insensibilitatem esse, neque auditus erit proprium sensum esse.Construenti vero,si quod secundum habitum dicitur,est habitus proprium,et privationis, id quod secundum privationem dicitur erit proprium,et si privationis,id quod secundum privationem dicitur,est proprium,et habitus, quod secundum habitum dicitur erit proprium.Ut quia visus est proprium videre secundum quod habemus visum, erit cæcitatis proprium non videre,secundum quod non habemus visum,nati habere.Deinde ex affirmationibus et negationibus, primum quidem ex ipsis quæ prædicantur. Est autem locus hic utilis destruenti tantum,ut si affirmatio,vel quod secundum affirmationem dicitur, ejus est proprium, non erit profecto ejus negatio,neque quod secundum negationem dicitur, proprium, si autem si negatio, aut quod secundum negationem dicitur proprium,ejusdem non erit affirmatio, neque quod secundum affirmationem dicitur proprium,ut qui proprium ani-

malis est animatum, non erit animalis proprium, non animatum. Secundum autem ex prædicatis, vel etiam non prædicatis, et de quibus prædicatur vel non prædicatur, destruenti quidem, si affirmationis affirmatio non est proprium. Neque enim negatio negationis erit proprium, et si negatio negationis non est proprium, neque affirmationis affirmatio erit proprium, ut quia non est proprium hominis animal, neque non hominis non animal; si autem non hominis non videtur proprium non animal, neque hominis erit proprium animal. Construenti autem, si affirmationis affirmatio est proprium. Nam et negatio negationis erit proprium, si autem negationis negatio est proprium, et affirmatio affirmationis erit proprium, ut quia non animalis est proprium non vivere, erit animalis proprium vivere, et si animalis proprium videtur vivere, et non animalis proprium videbitur non vivere. Tertium autem ex ipsis subjectis, destruenti quidem, si quod assignatum est proprium, affirmationis est proprium. Non erit enim idem et negationis proprium; si autem negationis est proprium quod assignatum est, non erit affirmationis proprium, ut quia animalis proprium est animatum, non animalis non erit proprium animatum. Construenti vero, si assignatum proprium non est affirmationis proprium, erit negationis. At hic locus deficit, nam affirmatio negationis, et negatio affirmationis non est proprium, quandoquidem affirmatio negationi omnino non inest, negatio autem affirmationi inest quidem, at non ut proprium inest. Deinde ex iis quæ ex opposito dividuntur, destruenti quidem, si eorum quæ ex opposito dividuntur, nullum ullius reliquorum ex opposito divisorum est proprium. Neque enim quod positum est erit proprium ejus cujus positum est proprium, ut quia animal sensibile nullius aliorum mortalium animalium est proprium, non erit animal intelligibile Dei proprium. Construenti autem, si cæterorum quæ ex opposito dividuntur quodvis est proprium talium quorumcunque eorum quæ ex opposito dividuntur. Nam reliquum erit ejus proprium cujus positum est non esse proprium, ut quia prudentiæ est proprium, per se natum esse rationalis virtutem esse, et aliarum virtutum sic uniuscujusque sumptæ, erit temperantiæ proprium per se natum esse concupiscibilis virtutem esse. Deinde ex casibus, destruenti quidem, si casus non est casus proprium. Neque enim casus erit proprius casus, ut quia non est ejus quod est juste proprium id quod bene, neque justi proprium erit bonum. Construenti autem, si casus est proprium casus. Nam et casus erit casus proprium, ut quia hominis est proprium gressibile bipes, et homini erit proprium gressibile bipedi dici. Non solum autem in eo quod dictum est secundum casus est considerandum, sed et in oppositis, quemadmodum et in prioribus locis dictum est, destruenti quidem, si oppositi casus, non est proprium oppositi casus. Neque enim oppositi casus erit proprium oppositi casus, ut quia non est ejus quod est juste proprium quod bene, neque injuste erit proprium quod male. Construenti vero, si oppositi casus est proprium oppositi casus. Nam et oppositi casus erit proprium oppositi casus, ut quia honesti est proprium optimum, et inhonesti erit proprium pessimum. Deinde ex iis quæ similiter se habent, destruenti quidem, si quod similiter se habet, ejus quod similiter se habet non est proprium. Neque enim quod similiter se habet, ejus quod similiter se habet erit proprium, ut quia similiter se habet ad exstruendum ædificium ædificator, et medicus ad efficiendum sanitatem, non est autem proprium medici efficere sanitatem, neque ædificatoris erit proprium exstruere ædificium. Construenti autem, si quod similiter se habet erit proprium ejus quod similiter se habet. Nam et quod similiter se habet, ejus quod similiter se habet erit proprium, ut quoniam similiter se habet medicus ad id quod est esse effectivum sanitatis, et ludimagister ad id quod est esse effectivum bonæ habitudinis, est autem proprium magistri ludi esse effectivum bonæ habitudinis, erit proprium et medici effectivum esse sanitatis. Deinde ex iis quæ sic se habent, destruenti quidem, si quod sic se habet, ejus quod sic se habet non est proprium. Neque enim quod sic se habet, ejus quod sic se habet erit proprium. Si autem ejus quod sic se habet, id quod sic se habet est proprium, ejus non erit proprium cujus positum est esse proprium. Ut quia sic se habet prudentia ad honestum et turpe, eo quod disciplina utriusque eorum est, non est autem prudentiæ proprium disciplinam esse honesti, non utique erit proprium prudentiæ disciplinam esse turpis; si vero est proprium prudentiæ disciplinam esse honesti, non erit proprium ejusdem disciplinam esse turpis, impossibile est enim ejusdem plura esse propria. Construenti vero nihil locus iste utilis, nam quod sic se habet, unum ad plura comparatur. Deinde destruenti quidem, si quod secundum esse dicitur, non est ejus quod secundum esse dicitur proprium. Nam neque generari ejus quod est secundum corrumpi, neque corrumpi ejus quod secundum generari dicitur, erit proprium. Ut quia est hominis proprium esse animal, neque ejus quod est hominem generari, erit proprium generari animal, neque ejus quod est hominem corrumpi erit proprium corrumpi animal. Eodem autem modo accipiendum est et ex generari ad esse et corrumpi, et ex corrumpi ad esse et generari, quemadmodum dictum est nunc ex esse ad generari, et corrumpi. Construenti autem, si ejus quod est secundum esse ordinatum est. Est autem per se, ordinatum proprium, nam et ejus quod secundum generari dicitur, erit hoc quod secundum generari dicitur proprium, et ejus quod secundum corrumpi, hoc quod secundum corrumpi est assignatum, ut quia hominis est proprium esse mortalem, et ejus quod est generari hominem, erit proprium generari mortalem, et ejus quod est corrumpi hominem, corrumpi mortalem. Eodem autem modo accipiendum est ex generari et

corrumpi,et ad esse et ad ipsa ex ipsis fieri,quemadmodum et in destruenti dictum est. Deinde inspiciendum ad idem suppositi, destruenti quidem, si ideæ non inest, aut si non qua id dicitur, cujus est proprium assignatum.Non enim erit proprium quod positum est esse proprium,ut quoniam ipsi homini non inest quiescere qua homo est,sed qua idea,non erit hominis proprium quiescere. Construenti autem,si ideæ inest,et secundum hoc inest qua dicitur de illo ipso cujus positum est non esse proprium. Erit enim proprium quod positum est non inesse proprium,ut quoniam inest ipsi animali ex anima et corpore compositum esse, et qua animal est ipsi inest id,erit proprium animalis ex corpore et anima compositum esse.

CAPUT V.

De proprio loci alii.

Deinde ex magis et minus. Primum quidem destruenti,si quod magis est,ejus quod magis non est proprium. Neque enim quod minus est, ejus quod minus erit proprium,neque quod minime ejus quod minime,neque quod maxime ejus quod maxime,neque quod simpliciter ejus quod simpliciter,ut quia non est magis colorari magis corporis proprium,neque minus colorari minus corporis proprium erit, neque colorari corporis omnino.Construenti autem, si quod magis est ejus quod magis est,est proprium. Nam quod minus est, ejus quod minus est erit proprium, et quod minime,ejus quod minime,et quod maxime, ejus quod maxime, et quod simpliciter, ejus quod simpliciter,ut quia magis viventis magis sentire est proprium, et minus viventis minus sentire erit proprium, et ejus quod maxime id quod maxime, et ejus quod minime id quod minime, et ejus quod simpliciter id quoque quod simpliciter. Et ex eo autem quod simpliciter,ad eadem considerandum,destruenti quidem,si quod simpliciter non est proprium.Neque enim quod magis est ejus quod magis, neque quod minus ejus quod minus, neque quod maxime ejus quod maxime,neque quod minime ejus quod minime erit proprium, ut quia non est hominis proprium studiosum,neque magis hominis, magis studiosum erit proprium.Construenti autem, si quod simpliciter est, ejus quod simpliciter est proprium.Nam et hoc quod magis ejus quod magis, et quod minus ejus quod minus, et quod minime ejus quod minime, et quod maxime ejus quod maxime erit proprium, ut quia est ignis proprium sursum ferri secundum naturam,et magis ignis erit magis proprium sursum ferri secundum naturam ; eodem autem modo considerandum est et ex aliis hujusmodi.Secundum autem,destruenti quidem,si quod magis est, non est ejus quod magis est proprium.Neque enim quod minus est ejus quod minus erit proprium,ut quoniam magis est proprium animalis sentire quam hominis scire ; non est autem animalia proprium sentire,quare non erit hominis proprium scire. Construenti autem,si quod minus, ejus quod minus est proprium.Nam et quod magis ejus quod magis erit proprium, ut qua minus est proprium hominis mansuetum natura quam animalis vivere,est autem hominis proprium mansuetum natura, erit proprium animalis vivere. Tertium vero, destruenti quidem,si cujus magis est,proprium non est.Neque enim cujus est minus proprium,erit ejus proprium,si autem illius est proprium,non erit hujus proprium,ut quia colorari magis superficiei quam corporis est proprium, non est autem superficiei proprium, non erit corporis proprium, colorari, si vero est superficiei proprium,non erit corporis proprium. Construenti autem hic locus non est utilis, nam impossibile est idem plurium proprium esse.

Quartum, destruenti quidem, si quod magis est ejus proprium, non est proprium, neque profecto quod minus est ejus proprium, erit proprium. Ut quia magis est proprium animalis sensibile quam partibile,non est autem animalis sensibile proprium, quare non erit animalis partibile proprium. Construenti autem,si quod minus est ejus proprium,est proprium. Nam et quod magis est ejus proprium, erit proprium,ut quoniam minus est proprium animalis sentire quam vivere,est autem animalis proprium sentire,erit animalis proprium vivere.Deinde ex his quæ similiter insunt, primum quidem destruenti, si quod similiter est proprium, non est proprium ejus cujus similiter est proprium.Neque enim quod similiter est proprium, erit proprium ejus cujus similiter est proprium,ut quia similiter est proprium concupiscibilis concupiscere,et rationalis ratiocinari,non est autem proprium concupiscibilis concupiscere, non erit rationalis proprium ratiocinari. Construenti vero, si quod similiter est proprium,ejus est proprium cujus est similiter proprium.Nam et quod similiter est proprium,erit ejus proprium cujus similiter est proprium,ut quia similiter est rationalis proprium primum prudens, et concupiscibilis proprium primum temperans,est autem rationalis primum prudens:erit igitur concupiscibilis proprium primum temperans.

Secundum autem, destruenti quidem, si quod similiter est proprium non est proprium ejus.Nam neque quod similiter est proprium,erit proprium ejus, ut quia similiter est proprium hominis videre et audire, non est hominis proprium videre,non utique hominis proprium audire.Construenti vero,si quod similiter est ejus proprium, est proprium. Nam quod similiter est ejus proprium,proprium erit,ut quia similiter est proprium animæ, aliquid partium ejus primo esse concupiscibile, et rationale primo ; est autem proprium animæ,quidpiam partium ejus esse concupiscibile primo,erit utique proprium animæ, quidpiam partium ejus esse rationale primo.Tertium vero destruenti quidem, si cujus similiter est proprium non est proprium.Neque enim cujus similiter proprium,erit proprium,si autem illius est proprium, non erit alterius proprium, ut quia urere similiter est proprium flammæ et carbonis, non est autem flammæ proprium urere,non erit carbonis proprium

urere, si autem est flammæ proprium, non erit carbonis proprium urere. Construenti autem hic locus non est utilis, differt autem quod est ex similiter se habentibus, ab eo quod ex iis est quæ similiter insunt, quoniam illud quidem secundum proportionem sumitur non in eo quod inest aliquid comparatum, hoc autem ex eo quod inest, alicui comparatur. Deinde destruenti quidem, si potentia proprium assignans et non ad ens assignavit proprium potentia, cum non contingat ei potentia inesse cum ens non est. Non enim erit proprium quod positum est esse proprium, ut quia qui dixit aeris proprium respirabile, potentia quidem assignavit proprium (nam tale proprium ut respirari possit, respirabile est), assignavit autem et ad non esse proprium, nam et cum non est animal quod spirare natum ex aere, contingit aerem esse, non tamen cum non est animal, possibile est spirare, quare neque aeris erit proprium hujusmodi possibile respirari tunc, quia animal non erit quod tale est ut respirare possit, non erga erit aeris proprium respirabile. Construenti autem, si potentia assignans proprium, tam ad ens assignavit proprium quam ad non ens, cum contingat potentia non enti inesse. Erit enim proprium quod positum est non esse proprium, ut quia qui assignavit proprium, entis possibile pati, aut facere potentia assignans proprium, ac ens assignavit proprium (nam cum ens est, et possibile pati quid, aut facere erit), quare proprium erit entis possibile pati quid, aut facere. Deinde destruenti quidem, si per superabundantiam posuit proprium. Non erit enim proprium quod positum est esse proprium, accidit enim sic assignantibus proprium, non de quo orationem et nomen verificari, nam corrupta re, nihil minus erit oratio, nam eorum quæ sunt, alicui maxime inest, ut si quis assignet ignis proprium, corpus levissimum, corruptio enim igne, erit aliquod corporum quod levissimum erit, quare non erit ignis proprium, corpus levissimum. Construenti autem, si non per superabundantiam posuit proprium. Erit enim secundum hoc bene positum proprium, ut quia qui posuit hominis proprium animal mansuetum natura, non superabundantia assignavit proprium, erit utique hoc bene positum proprium.

LIBER SEXTUS.

CAPUT PRIMUM.

De locis definitionis.

Ejus autem quod est circa terminos negotii, partes sunt quinque. Nam aut quod omnino non verum est dicere de quo nomen et orationem (oportet enim hominis definitionem de omni homine verificari), aut quod cum sit genus non posuit in genere, vel non in accommodato genere posuit (oportet enim eum qui definit in genere ponentem differentias adjungere, nam maxime eorum quæ sunt in definitione, genus videtur definiti substantiam significare), aut quod non propria est definitio (oportet enim definitionem propriam esse, quemadmodum prius dictum est), aut si omnia quæ dicta sunt is qui fecit, non definivit, neque dixit quid est esse rei definite, reliquum autem præter ea quæ dicta sunt, si definivit quidem, at non bene definivit. Si igitur non verificatur de quo nomen et oratio, ex iis quæ dicta sunt in accidente locis considerandum. Nam et illic utrum verum vel non verum, omnis consideratio fit; quando enim quod inest accidens disputamus, quod verum est dicimus, quando autem quod non inest, quod non verum. Sin vero non in accommodato genere posuit, aut si non propria est assignata oratio, ex iis qui sunt ad genus et proprium dictis locis, prospiciendum. Reliquum vero si non definivit, aut si non bene definivit, aliquo modo aggrediendum dicere. Primum igitur inveniendum si non bene definivit. Nam facilius est quodlibet fecisse, quam bene fecisse, manifestum igitur quoniam peccatum circa hoc plusculum, eo quod laboriosius. Quare argumentatio facilior quæ circa hoc quam quæ circa illud fit. Sunt autem ejus quod non est bene, partes duæ. Una quidem, obscura interpretatione uti. Oportet enim definientem (ut contingit) quam clarissima interpretatione uti, eo quod cognoscendi gratia assignatur definitio. Secunda autem si amplius dixit in definitione quam par sit, nam omne quod superadjectum est in definitione, superfluum est.

CAPUT II.

De definitione loci alii.

Rursus autem utrumque quod dictum est, in plures partes dividitur, unus autem locus ejus quod obscure est, si sit æquivocum alicui, quod dictum est. Ut quod generatio est ductio ad substantiam, et quod sanitas commensuratio calidorum et frigidorum, nam æquivoca est ductio, et commensuratio; immanifestum igitur utrum vult dicere eorum quæ significantur ab eo, quod multipliciter dicitur; similiter autem et si cum definitum multipliciter dicitur, dividens non dixit, nam manifestum utrius definitionem assignavit, contingitque calumniari velut non conveniente oratione ad omnia quorum definitionem assignavit. Maxime autem contingit tale quidpiam facere, cum latet æquivocatio. Contingit etiam et eum qui dividit, quoties dicitur id quod in definitione assignatum est, syllogismum facere; nam si secundum nullum modorum sufficienter dictum est, manifestum quod non definierit illo modo. Alius si secundum metaphoram dixit; ut scientiam indeciduam, terram autem nutricum, aut temperantiam consonantiam, nam omne obscurum, quod secundum metaphoram dicitur, contingit et etiam metaphora loquentem calumniari, tanquam non proprie dicentem, non enim congruet dicta definitio, ut in temperantia, nam omnis consonantia in sanis. Amplius, si est genus con-

sonantia temperantiæ, in duobus generibus erit idem, non continentibus se invicem, nam neque consonantia virtutem, neque virtus continet consonantiam. Amplius, si non positis nominibus utitur, ut Plato ciliumbre oculum, aut araneum putrimordax, aut medullam ossigenium dixit, nam omne obscurum, quod insuetum est. Quædam autem neque secundum æquivocationem, neque secundum metaphoram, neque proprie dicuntur, ut lex, mensura, vel imago eorum quæ natura justa sunt; sunt autem hujusmodi deteriora metaphora, nam metaphora facit quodammodo notum quod designatum est per similitudinem (omnes enim metaphora utentes, secundum aliquam similitudinem ea utuntur), at quod tale est, non facit notum, nam neque similitudo est secundum quam mensura, vel imago lex est, neque dici solet proprie; quapropter si proprie mensuram vel imaginem legem dicit esse, veritatis est expers; nam imago id est cujus generatio per imitationem est, hoc autem non inest legi; si autem non proprie, manifestum quod obscure dixit, atque deterius quolibet eorum quæ secundum metaphoram dicuntur. Amplius, si non manifesta est contrarii oratio ex hoc quod dicitur. Nam quæ bene assignantur, contrariis commanifestant. Aut si per se dicta, non si manifestum cujus est definitio, sed quemadmodum ea quæ sunt antiquorum scriptorum, nisi quis supercripsisset non cognoscebatur quid unumquodque: si igitur non clare, ex hujusmodi est inspiciendum. Si igitur superfluum in termino dixit, primum quidem considerandum si aliquo usus est quod omnibus insit, vel simpliciter iis quæ sunt, vel iis quæ sub eodem genere sunt definitorum. Nam superfluum dici necessarium id est. Oportet enim genus ab aliis separare, differentiam autem ab aliquo eorum quæ sunt in eodem genere; atqui quod omnibus quidem inest simpliciter, a nullo separat, quod autem omnibus quæ sub eodem sunt genere inest, non separat ab iis quæ sunt in eodem genere, quare supervacaneum hujusmodi oppositum. Aut si est quidem proprium quod appositum est, ablato autem illo, et reliqua definitio propria est, et indicat substantiam. Ut in hominis oratione scientiæ susceptivum appositam, superfluum: nam et eo ablato, reliqua oratio propria est, et indicat substantiam, simpliciter autem dicendo, omnes superfluum, quo ablato, reliquum manifestum facit id quod definitur. Talis autem est et animæ terminus, si est numerus ipse seipsum movens, nam quod seipsum movet est anima, ceu Plato definivit, an proprium quidem quod dicitur, non indicat autem substantiam interempto numero? Utrovis igitur modo se habeat, difficile est ut explicet. Utendum ergo in omnibus talibus ad id quod expedit, ut est phlegmatis terminus, humidum primum a cibo, indigestum: unum enim primum, non multa, quare superfluum indigestum appositum, nam hoc ablato, reliqua erit propria definitio: non enim contingit a cibo et aliud quiddam primum esse. An non simpliciter a cibo phlegma, sed indigestorum primum? quare addendum est indigestum, nam illo quidem modo dicta, non vera erit definitio, siquidem non omnium primum est. Amplius, si quidpiam eorum quæ sunt in oratione non omnibus inest, quæ sunt sub eadem specie. Nam talis pejus definivit, quam qui usi sunt eo quod inest omnibus quæ sunt. Nam illic, si reliqua propria definitio, et tota propria erit, simpliciter enim ad proprium quolibet addito vero, tota oratio propria fit: at vero si aliquid eorum quæ sunt in oratione, non omnibus insit quæ sunt sub eadem specie, impossibile est totam orationem propriam esse, non enim conversim prædicabitur de re, ut animal gressibile bipes quadricubitale; nam hujusmodi oratio non conversim prædicabitur de re, eo quod non omnibus inest (quæ sub eadem specie sunt) quadricubitale. Rursum si idem frequenter dixit. Ut qui concupiscentiam appetitum delectationis dixit, nam omnis concupiscentia delectationis est, quare et idem concupiscentiæ delectationis erit. Fit igitur terminus concupiscentiæ appetitus delectationis (nihil enim differt concupiscentiam dicere, aut appetitum delectationis): quare utrumque eorum delectationis erit. An hoc quidem nihil absurdum? nam et homo bipes est. Quare et idem homini, bipes erit; est autem idem homini, animal gressibile bipes, quare animal gressibile bipes, bipes est; sed non propter hoc absurdum aliquid accipit. Non enim de animali solum gressibile bis bipes prædicatur; sic enim de eodem bis bipes prædicatur, si de animali bipede, gressibile bipes dicitur, quare semel tantum bipes prædicatur. Similiter autem et in concupiscentia, non enim de appetitu id quod est delectationis esse prædicatur, sed de toto, quare semel et hic prædicatio fit. Non est autem bis dicere idem nomen, aliquid absurdum, sed frequenter de aliquo idem prædicari, sicut Xenocrates prudentiam definitivam et contemplativam eorum quæ sunt, dicit esse, nam definitiva, contemplativa quædam est. Quare bis idem dicens, addens rursum et contemplativam. Similiter autem et quicunque refrigerationem, privationem ejus quidem caloris, qui secundum naturam est, dicunt esse: nam omnis privatio ejus est quod secundum naturam est; quare superfluum est addere secundum naturam, sed sufficit fortasse dicere privationem caloris, eo quod ipsa privatio notam facit quod ejus sit quod secundum naturam dicitur. Rursum si universali dicto addidit et particulare, ut si clementiam imminutionem, expedientiam et justorum, nam justum expediens quidpiam est, quare continetur in expediente, superfluum igitur justum: nam qui dixit universale, addidit et particulare, et si medicinam disciplinam sanativorum animali et homini, aut legem imaginem eorum quæ natura sunt bona, et justa, nam justum bonum quidpiam quare frequenter idem dicit. Utrum igitur bene an non bene definivit, per hæc et hujus modi perspiciendum.

CAPUT III.

De definitione loci alii.

Utrum vero definivit, et dixit quid est esse, an non

. Primum ergo si non per priora et notiora A alia magis nota, nam a principio quidem sensibilia,
it definitionem. Nam terminus assignatur ejus instructioribus autem factis, contra ; quare neque
scendi gratia quod dicitur; cognoscimus autem ad eumdem semper ad eadem definitio assignanda,
quibuslibet, sed ex prioribus notioribusque, iis qui per ea quæ singulis quibusque sunt notiora
dmodum in demonstrationibus (sic enim omnis definitionem fatentur assignandam esse. Manifestum
na et omnis disciplina se habet); manifestum igitur quod non definiendum per ea quæ hujusmodi
quod qui non per hujusmodi definivit, non de- sunt, sed per simpliciter notiora, nam solo modo
; si enim definivit, plures erunt ejusdem defi- sic una et eadem definitio semper fiet. Fortasse au-
es. Nam manifestum quod et qui per priora tem et quod simpliciter notum, non est id quod
iora, iterum melius definivit, quare utræque omnibus notum, sed quod bene dispositis intellectu ;
definitiones ejusdem. Talc autem non vide- quemadmodum et simpliciter salubre iis qui bene
m unicuique eorum quæ sunt, unum est esse affectum habent corpus ; oportet ergo unumquodque
m quod est; quare si plures erunt ejusdem de- talium diligenter pervestigare, uti autem disputantes
nes, idem erit definitio esse, quod quidem se- ad id quod expedit. Maxime autem sine dissensione
m utramque definitionem significatur ; hæc interimere contingit definitionem, si neque ex sim-
non eadem sunt, eo quod definitiones diver- B pliciter notioribus, neque ex iis quæ nobis, contingit
anifestum igitur quoniam non definivit, qui definitionem fieri. Unus igitur locus est ejus quod
er priora atque notiora definivit. Igitur per non per notiora, quod per posteriora priora indicat,
otiora quidem terminum dici, dupliciter est quemadmodum prius diximus. Alius autem, si ejus
re. Aut enim si simpliciter ex ignotioribus, aut quod est in quiete et definitione, per indefinitum,
is ignotioribus, contingit enim utroque modo. et quod in motu est assignata est oratio nobis. Prius
iciter igitur notius quod prius est posteriore, enim est et notius quod manens est, et definitum,
ictum linea, et linea superficie, et superficies eo quod indefinitum et in motu est. Ejus autem quod
, quemadmodum et unitas numero: prius enim est non ex prioribus, tres sunt loci. Primus quidem,
icipium omnis numeri, similiter autem et ele- si per oppositum oppositum definivit, ut si per ma-
m syllaba. Nobis autem e converso quando- lum, bonum. Simul enim natura opposita, et non-
cidit nam maxime solidum magis sub sensu nullis etiam eadem disciplina utrorumque videtur
quam superficies, superficies autem magis esse; quare non notius alterum altero. Oportet autem
linea, linea autem signo magis : quare multi- non latere quædam fortasse aliter definiri non posse,
magis hujusmodi cognoscit, nam illa quidem ut duplum sine dimidio, et quæcunque per se ad
odolibet, hæc autem subtili et fecundo intel- aliquid dicuntur : nam omnibus hujusmodi est idem
comprehendere oportet ; simpliciter igitur me- C esse ei quod est ad aliquid quodam modo se habere ;
er priora, posteriora tentare cognoscere, nam quare non est possibile sine altero alterum cogno-
scientificum tale est. Verum ad eos qui im- scere, eo quod necessarium est in alterius oratione
tes sunt cognocere per talia, necessarium forte coassumi et alterum. Ergo cognoscere quidem opor-
quæ illis cognita sunt facere orationem ; sunt tet hujusmodi omnia, uti autem eis in his ut videbitur
talium definitiones quæ et puncti, et lineæ, expedire. Alius, si eodem usus est ei quod definitur.
perficiei, omnes enim per posteriora priora in- Latet autem, cum non eodem definiti nomine utitur,
t : nam illud quidem lineæ, istam autem su- ut si solem stellam in die apparentem definivit, nam
iei, hanc vero solidi fines dicunt esse. Non qui die utitur, sole utitur, et par est ad deprehen-
et autem latere quoniam sic definientes non denda talia sumere pro nomine orationem, ut quod
git quod quid est esse definitio, indicare nisi dies est, solis latio super terram : nam tunc mani-
gat idem nobis notius esse, et simpliciter no- festum quod qui solis lationem super terram dixit,
siquidem oportet per genus et differentias de- solem dixit ; quare utitur sole, qui die utitur. Rur-
eum qui bene definit : hæc autem simpliciter sum si eo quod e diverso dividitur, id quod e di-
ra et priora sunt specie, interimit enim genus verso dividitur definivit. Ut impar est, qui unitate
ferentia speciem, quare priora hæc specie. Sunt D major est pare, simul enim natura, quæ ex eodem
n notiora, nam specie quidem nota necesse est genere e diverso dividuntur, impar autem et par
set differentias cognosci; qui hominem enim co- e diverso dividuntur, nam ambo numeri differentiæ.
t, et animal gressibile cognoscit : at genere et Similiter autem et si per inferiora, superiora defini-
entia notis, non necesse est et speciem cognosci, vit. Ut parem numerum, qui bipartite secatur, aut
s ignotior species. Amplius, illis qui secundum bonum habitum virtutis: nam et bipartite sumptum
item hujusmodi definitiones dicunt esse quæ sunt est a duobus quæ paria sunt, et virtus bonum quod
quæ unicuique sunt nota, plures ejusdem ac- dam est, quare inferiora hæc quam illa sunt. Est
dicere definitiones esse, nam alia aliis, et non autem necesse eum qui inferioribus utitur, et illis
bus eodem contingit notiora esse ; quare ad uti : nam et qui virtute utitur, bono utitur, eo quod
quemque erit definitio assignanda, si quidem bonum quoddam virtus, similiter autem et qui bipar-
quæ singulis quibusque sunt notiora, defini- tite utitur, et pare utitur, eo quod in duo secari
m oportet facere. Amplius eisdem alia interdum, significat bipartite secari, duo autem paria sunt.

Universaliter igitur dicendo, unus est locus non per priora et notiora fecisse orationem, partes autem ejus ea quæ dicta sunt. Secundus autem, si res cum sit non ponitur in genere. Nam in omnibus hujusmodi peccatum est, in quibus non prius ponitur in oratione quid est, ut corporis definitio, quod habet tres dimensiones, aut si quis hominem definivit, quod est sciens numerare, non enim dictum est quid est habere tres dimensiones, vel quid est scit numerare. Genus autem vult quid est significare, et primum apponitur eorum quæ in definitione dicuntur. Amplius, si ad plura cum dicatur id quod definitur, non ad omnia assignavit, ut si grammaticen, scientiam scribendi quod profertur, nam indiget et quod legendi, nihilo enim magis scribendi quam legendi assignat qui definit. Quare non alius, sed qui utraque hæc dicit, eo quod plures non contingit ejusdem definitiones esse, in quibusdam profecto secundum veritatem se habet, ut dictum est, in quibusdam autem non, ut in quibuscunque non per se dicitur ad utrumque, ut medicinam, scientiam, sanitatem et ægritudinem efficiendi : nam de illa quidem per se dicitur, de hac autem per accidens, simpliciter enim alienum a medicina ægritudinem efficere. Quare nihil magis definivit qui ad utrumque assignavit, quam qui ad alterum, verum fortasse et deterius, eo quod et reliquorum quilibet potest ægritudinem efficere. Amplius, si non ad melius, sed ad pejus assignavit, cum sint plura ad quæ dicitur quod definitur. Nam omnis disciplina et potestas, optimi videtur esse. Rursum si non positum est in proprio genere quod dictum est, considerandum ex iis (quæ ad genera sunt) elementis, quemadmodum est dictum prius. Rursum si transiliens dicit genera, ut qui justitiam, æqualitatis habitum effectivum, vel distributivum æqui, nam transilit (qui sic definit) virtutem. Relinquens igitur justitiæ genus, non dicit quid est esse (nam substantia unicuique est in genere) ; est autem hoc idem ei quod est non in proximo genere ponere. Nam qui in proximo posuit, omnia superioria dixit, eo quod omnia superiora genera de inferioribus prædicantur. Quare aut in proximo genere ponendum aut omnes differentias superiori generi addendum per quas definitur proximum genus, sic enim erit nihil prætermissum, sed pro nomine, in oratione dictum erit inferius genus; qui vero ipsum superius genus dicit, non dicit et inferius genus, nam qui plantam dicit non dicit arborem. Rursum in differentiis similiter considerandum, si et differentias dixit generis. Nam si rei non specialibus definivit differentiis, aut si etiam omnino aliquid hujusmodi dixit quod nullius contingit differentiam esse (ut animal, aut substantiam), manifestum quoniam non definivit : nullius enim differentiæ, quæ dicta sunt. Videndum autem et si est aliquid quod e diverso dividitur dictæ differentiæ. Nam si non est, perspicuum quoniam non erit quæ dicta est generis differentia, nam omne genus iis (quæ e diverso dividuntur) differentiis dividitur, ut animal gressibili, et volatili, et aquatili, et bipedi. Aut si est quidem e diverso divisa differentia, non verificatur autem de genere. Nam si non, manifestum quoniam neutra erit generis differentia, omnes enim quæ e diverso dividuntur differentiæ, verificantur de proprio genere. Similiter autem et si verificatur quidem, at non facit apposita generi, speciem. Nam manifestum, quod non erit hæc specifica differentia generis, nam omnis specifica differentia cum genere speciem facit, si autem hæc non est differentia, nec quæ dicta est, quia hæc e diverso dividitur. Amplius, si negatione dividat genus, ut qui lineam definiunt longitudinem sine latitudine esse : nam nihil aliud significat, sine latitudine, quam quod non habet latitudinem : accidet igitur genus participare speciem. Nam omnis longitudo sine latitudine aut latitudinem habens est, quia de omni affirmatio vel negatio vera fit, quare genus linea cum longitudo sit, sine latitudine aut latitudinem habens erit : at longitudo sine latitudine speciei est ratio, similiter autem et longitudo latitudinem habens, nam sine latitudine, et latitudinem habens, differentiæ sunt : ex differentia autem et genere est speciei oratio, quare genus suscipiet speciei orationem. Similiter autem et differentiæ, eo quod altera dictarum differentiarum ex necessitate prædicatur de genere. Est autem dictus locus utilis ad eos qui ponunt ideas esse, nam si non est ipsa longitudo, quodam modo prædicabitur de genere quod latitudinem habet, aut sine latitudine est : oportet enim de omni longitudine alterum eorum verificari, siquidem de genere verificari debeat. Hoc autem non accidit, sunt autem et sine latitudine, et latitudinem habentes longitudines, quare ad illos solos utilis hic locus, quicunque genus unum numero dicunt esse, hoc autem faciunt qui ideas ponunt. Nam ipsam longitudinem et ipsum animal, genus dicunt esse. Fortasse autem in quibusdam etiam necessarium est negatione uti definientem, ut in privationibus : nam cæcum est quod non habet visum, quando natum est habere. Differt autem nihil negatione dividere genus, aut hujusmodi affirmatione qua negationem necesse est e diverso dividi, ut si longitudinem, habens latitudinem definivit, nam habente latitudinem e diverso dividitur non habens latitudinem, neque aliud quidquam; quare negatione rursum dividitur genus. Rursum si speciem ut differentiam assignavit, ut qui convicium injuriam cum irrisione definivit, nam irrisio injuria quædam est ; quare non differentia, sed species est irrisio. Amplius, si genus ut differentiam dixit, ut virtutem habitum bonum vel studiosum, nam bonum est genus virtutis. An non genus est bonum, sed differentia ? si quidem verum est quod non contingat idem in duobus generibus esse non continentibus se invicem (nam neque bonum continet habitum, neque habitus bonum : non enim omnis habitus bonum, neque omne bonum habitus), non erunt profecto genera ambo. Si igitur habitus genus est virtutis, perspicuum bonum non genus, sed magis differentiam esse. Amplius, habitus quidem quid est

virtus significat, bonum autem non quid est, sed quale quid est, videtur autem differentia quale quid significare. Videndum autem et si non quale quid, sed ipsum quid significat assignata differentia. Nam videtur quale quid omnis differentia significare. Considerandum autem et si secundum accidens inest definito differentia. Nam nulla differentia est eorum quæ secundum accidens insunt, sicut neque genus, non enim contingit differentiam inesse alicui et non inesse. Amplius, si prædicatur de genere differentia vel species, aut inferiorum aliquid speciei, non erit definiens. Nam nullum eorum quæ dicta sunt, contingit de genere prædicari, eo quod genus de quamplurimis omnium dicitur. Rursum si prædicatur genus de differentia. Nam non de differentia, sed de quibus differentia, genus videtur prædicari, ut animal de homine, et bove, et de aliis gressibilibus animalibus, non autem de ea differentia quæ de specie dicitur, nam si de unaquaque differentiarum animal prædicabitur, multa animalia de specie prædicabuntur, nam differentiæ de specie prædicantur. Amplius, differentiæ omnes, aut species, aut individua erunt, siquidem sunt animalia, nam unumquodque animalium aut species, aut individuum est. Similiter autem inspiciendum et si species, aut inferiorum speciei aliquod, de differentia prædicatur. Impossibile enim, eo quod de pluribus differentia quam species dicitur. Item accidet differentiam speciem esse, siquidem prædicabitur de ea aliqua specierum : nam si de differentia prædicatur homo, manifestum quoniam differentia est homo. Rursum si non prior est differentia specie. Nam genere quidem posterior est, specie autem priorem differentiam esse oportet. Considerandum autem et si alterius generis est dicta differentia, neque contenti, neque continentis. Nam non videtur eadem differentia duorum generum esse non continentium se invicem ; si autem non accidet et speciem eamdem in duobus generibus esse non continentibus se invicem (infert enim unaquæque differentiarum proprium genus), ut gressibile et bipes animal coinferunt ; quare si de quo differentia et generum utrumque, manifestum utique quoniam species in duobus erat generibus non continentibus se invicem. An non impossibile eamdem differentiam duorum generum esse non continentium se invicem, sed addendum neque utroque sub eodem existente ? nam gressibile animal et volatile animal genera sunt non continentia se invicem, et utriusque eorum est bipes differentia ; quare addendum est, neque sub eodem utroque existente : nam hæc ambo sub animali sunt, manifestum etiam quoniam non necesse est differentiam omnem proprium genus inferre, eo quod contingit eamdem duorum generum esse non continentium se invicem, sed alterum tantum necesse est inferre, et superiora omnia, ut bipes, gressibile, vel volatile infert animal. Videndum autem et si locum differentiam assignavit substantiæ. Nam videtur differre substantia a substantia in eo quod alicubi est, quare et eos qui gressibili et aquatili di-

A vidunt animal increpant, tanquam gressibile et aquatile alicubi significet. An in iis quidem non recte increpant ? non enim in aliquo, neque alicubi significat aquatile et terrestre, sed quale quid : nam et si in sicco sit, similiter aquatile, similiter autem et terrestre, et si in humido sit, similiter terrestre, sed non aquatile erit ; attamen si quandoque significat in aliquo differentia, manifestum quoniam peccabit. Rursum si affectum differentiam assignavit. Nam omnis affectus, cum magis fit, detrahit a substantia, differentia autem non hujusmodi est, nam magis videtur salvare differentia id cujus est differentia, et simpliciter impossibile est singulum quodque esse sine propria differentia, nam cum non est gressible, non erit homo, et (ut simpliciter dicamus) secundum

B quæcunque alteratur habens, nihil eorum differentia illius est. Nam omnia hujusmodi cum magis fiunt, detrahunt a substantia ; quare si aliquam hujusmodi differentiam quispiam assignavit, peccavit : simpliciter enim non alteramur secundum differentias. Et si alicujus eorum quæ sunt ad aliquid, non aliud quid, differentiam assignavit. Nam eorum quæ sunt ad aliquid, et differentiæ ad aliquid, ut et in disciplina ; contemplativa enim, et activa et effectiva dicitur, unumquodque autem horum ad aliquid significat : contemplativa enim alicujus, et activa alicujus, et effectiva alicujus. Considerandum autem et si ad quod natum est unumquodque eorum quæ sunt ad aliquid, assignavit definiens. Nam in quibusdam quidem, ad quod natum est singulum quodque eorum quæ sunt ad aliquid, solum est uti, ad aliud autem

C nihil, ut visu ad videndum solum ; quibusdam autem et ad aliquid aliud, ut dolio sane hauriat aliquis, attamen si quis definivit dolium, instrumentum ad hauriendum, peccavit, nom enim ad hoc natum est : terminus autem est, ad quod natum est, ad quod sane utitur prudens, qua prudens, et quæ circa singulum quodque propria est disciplina. Amplius, si non primi assignavit, quando contingit ad plura dictum esse, ut prudentiam virtutem hominis, aut animæ, et non rationalis, primum enim rationalis virtus, prudentia, nam secundum hoc et anima et homo dicitur prudens. Amplius, si non susceptivum est ejus cujus dicitur affectus, vel dispositio, vel quodvis

D aliud, peccavit. Nam omnis dispositio vel affectus in illo natus est fieri cujus est dispositio vel affectus, ut et scientia in anima, dispositio existens animæ. Aliquando autem peccant in talibus, ut quicunque dicunt quod somnus est impotentia sensus, et dubitatio æqualitas contrariarum ratiocinationum, et dolor separatio naturalium partium cum violentia, nam neque somnus inest sensui, oporteret autem inesse si impotentia sensus est. Similiter autem neque dubitatio contrariis ratiocinationibus inest, neque dolor naturalibus partibus, dolebunt enim inanimata, si dolor eis inest. Talis autem et sanitatis definitio, siquidem commensuratio calidorum et frigidorum est : necesse est enim sana esse calida et frigida, nam cujusque commensuratio illis inest quorum est com-

mensuratio, quare sanitas inerit utique ipsis. Item id quod fit in effectivum, aut e converso, accidit ponere sic definientibus, non enim est dolor separatio naturalium partium, sed effectivum doloris, nec somnus impotentia sensus, sed affectivum alterum alterius; aut enim propter impotentiam dormimus, aut propter somnum impotentes sumus. Similiter autem et dubitationis videbitur effectivum esse, contrariarum æqualitas ratiocinationum; quandocunque enim ad utraque ratiocinantibus nobis similiter videntur omnia secundum utrumque fieri, dubitabimus utrum agamus. Amplius, secundum tempora omnia considerandum sicubi dissonet, ut si immortale definivit, animal nunc incorruptibile esse. Nam nunc incorruptibile animal, nunc immortale erit. An in hoc quidem non accidit? nam anceps secundum amphiboliam est nunc incorruptibile esse, aut enim quoniam non corrumpitur nunc, significat, aut quoniam non possibile corrumpi nunc, aut quoniam hujusmodi est nunc, ut nunquam possit corrumpi. Quando igitur dicimus quod incorruptibile nunc est animal, non hoc dicimus, quod nunc tale est animal, sed ut nunquam possit corrumpi; hoc autem immortali idem erat, quare non accidit, nunc idem immortale esse. Sed tamen sicubi accidit quod secundum definitionem quidem assignatum est inesse, nunc vel prius, quod vero secundum nomen non inest, non erit idem, utendum ergo hoc loco quemadmodum dictum est. Inspiciendum autem et si secundum aliud quidpiam magis dicitur quod definitur, quam secundum assignatam orationem, ut si justitia potestas æqui distributiva est: justus enim magis est qui eligit æquum distribuere, eo qui potest; quare non erit justitia potestas æqui distributiva, nam et justus esset maxime qui posset æquum distribuere. Amplius, si res quidem suscipit magis, quod autem secundum orationem assignatur non suscipit, aut contra, quod secundum orationem ei assignatur suscipit, res autem non. Oportet enim aut utraque suscipere, aut neutrum, siquidem es rei quod secundum orationem assignatur. Amplius, si suscipiunt utraque quidem magis, non simul autem utraque augmentum sumunt: ut si amor concupiscentia conventionis est. Nam magis amans non magis concupiscit conventionem; quare non simul utraque suscipiunt magis, at oporteret, si idem essent. Amplius, si duobus quibusdam propositis, de quo res magis dicitur, id quod est secundum orationem minus dicitur: ut si ignis est corpus subtilissimum, ignis enim magis flamma quam lux, corpus autem subtilissimum minus flamma quam lux; oportet autem utraque magis inesse eidem, siquidem eadem sint. Rursum, si hoc quidem similiter utrisque inest propositis, aliud autem non similiter utrisque, sed alteri magis. Amplius, si ad duo definitionem assignaverit secundum utrumque: ut bonum quod per visum aut per auditum delectabile, et ens quod possibile est pati aut facere, simul enim idem et bonum et non bonum est, similiter autem et ens et non ens: nam per auditum delectabile, idem bono erit; quare quod non delectabile est per auditum, non bono idem, nam eisdem et opposita eadem erunt: opponitur autem bono quidem non bonum, per auditum autem delectabili, per auditum non delectabile; manifestum igitur quoniam idem non delectabile per auditum, non bono. Si igitur aliquid est per visum quidem delectabile, per auditum autem non, et bonum et non bonum erit. Similiter autem ostendemus quoniam idem ens, et non ens est. Amplius, et generibus, et differentiis, et aliis omnibus quæ in definitionibus sunt assignatis eis qui orationes pro nominibus faciunt, considerandum si quidquam dissonet.

CAPUT IV

De definitione loci alii.

Si autem sit ad aliquid quod definitur, aut per se, aut secundum genus, considerandum si non dictum est in definitione ad quod dicitur, aut secundum ipsum, aut secundum genus. Ut si scientiam definivit opinionem indissuasibilem, aut etiam voluntatem, appetitum sine tristitia: omnis enim ejus quod est ad aliquid, substantia ad alterum, eo quod idem sit unicuique eorum quæ sunt ad aliquid esse, idipsum quod est ad aliquid quodam modo se habere. Oportebat igitur scientiam dicere opinionem scibilis, et voluntatem appetitum boni. Similiter autem et si grammaticen definivit scientiam litterarum, oportebat enim aut ad ipsum dicitur, aut ad quod forte genus dicitur, in definitione assignari. Aut si cum quidpiam ad aliquid dicitur, non assignavit ad finem. Finis autem in unoquoque est quod optimum est, aut cujus gratia alia sunt; dicendum igitur aut optimum, aut ultimum, ut concupiscentia non delectabilis, sed delectationis, nam propter hanc, et delectabile eligimus. Considerandum et si generatio est ad quod assignavit, vel actus. Nihil enim talium finis, nam magis quod est egisse et generasse finis, quam fieri et agere. An non in omnibus verum hujusmodi? pene enim plurimi delectari magis volunt quam destitisse delectari; quare agere magis finem quis statuat quam egisse. Rursum in quibusdam si non determinavit quanti, vel qualis, vel ubi, vel secundum alias differentias: ut ambitiosus, et qualis, et quanti appetens est honoris, nam omnes appetunt honorem; quare non sufficit ambitiosum dicere qui appetit honorem, sed addere oportet dictas differentias. Similiter autem et avarus, quantas appetit pecunias; aut intemperans, circa quales voluptates: non enim qui a qualibet voluptate tenetur, intemperans dicitur, sed qui ab aliqua. Aut rursum, qui definivit noctem umbram terræ, aut succussionem motum terræ, aut nubem densitatem aeris, aut ventum motum aeris, addendum enim quanti et qualis, ubi et a quo. Similiter autem et in cæteris hujusmodi, nam omittens differentiam quamlibet, non dicit quid est esse, oportet autem semper ad id quo indiget argumentari. Non enim quolibet modo terra mota, neque quantacunque successio erit; similiter autem neque aere quolibet modo, neque quantocunque moto,

ventus erit. Amplius in appetitibus, si non apponitur quod apparet, et in quibuslibet aliis congruit, ut quoniam voluntas appetitus boni, concupiscentia, autem appetitus delectationis, sed non apparentis boni vel delectationis, plerumque enim latet appetentes, quoniam bonum aut delectabile est, quare non necessarium bonum vel delectabile esse, sed apparens solum; oportebat ergo sic et assignationem facere. Si autem et assignavit quod dictum est, in ipsas species ducendum eum qui ponit ideas esse. Non enim est idea ullius apparentis, ipsa autem species ad ipsam speciem videtur dici, ut ipsa concupiscentia ipsius delectationis, et ipsa voluntas ipsius boni. Apparentis igitur boni non erit ipsa voluntas, neque apparentis delectationis ipsa concupiscentia : absurdum enim est esse ipsum apparens bonum vel delectabile. Amplius, si sit quidem habitus definitio, considerandum in habente, si quidem habentis, in habitu. Similiter autem et in cæteris talibus : ut si delectatio est juvantia, et delectabile juvabile.

Universaliter autem dicendo, in hujusmodi definitionibus, quodammodo, uno plura accidit eum qui definit definire. Nam qui scientiam definivit, quodammodo et ignorantiam definivit ; similiter autem et scium et inscium, et scire et ignorare, nam primo dilucido facto, et reliqua quodammodo dilucida fiunt. Inspiciandum igitur in omnibus talibus, ne quidquam dissonet, utendo elementis ex contrariis et conjugatis. Amplius, in his quæ ad aliquid sunt, considerandum si ad quod genus assignatur, et species ad illud quoddam assignetur : ut si opinio ad opinatum, et quædam opinio ad quoddam opinatum, et si multiplex ad multiplex, et quoddam multiplex ad quoddam submultiplex; si autem non sic assignatur, manifestum, quoniam peccatur. Videndum autem et si oppositi opposita definitio : ut si dimidii ea sit quæ opposita est ei quæ est duplicis, nam si duplex est quod in æquali superat dimidium, et dimidium quod in æquali superatur. In contrariis autem similiter. Nam contraria contrarii oratio erit, secundum unam quamdam complexionem contrariorum, ut si adjutivum quidem effectivum boni est, nocivum effectivum mali, aut corruptivum boni ; alterum enim horum necessarium est contrarium esse ei quod ex principio dictum est. Si igitur neutrum contrarium est ei quod ex principio dictum est, manifestum quoniam neutra erit earum (quæ uosterius assignatæ) contrarii oratio; quare neque quæ ex principio assignata est definitio, recte assignata est. Quoniam autem quædam contrariorum privatione alterius dicuntur, ut inæqualitas privatio æqualitatis videtur esse (inæqualia enim, quæ non æqualia sunt, dicuntur), perspicuum quoniam quod secundum privationem quidem dicitur contrarium, necessarium est definire per alterum, reliquum vero non jam oportet, per id quod secundum privationem dicitur. Non enim accidit alterutrum per alterutrum cognosci. Considerandum igitur in contrariis hujusmodi peccatum, ut si quis definivit æqualitatem contrarium inæqualitati, nam per hoc quod secundum privationem dicitur, definivit. Amplius, sic definienti necesse est eo quod definitur uti. Patet autem hoc, si accipiatur pro nomine oratio : nam quia nil refert dicere inæqualitatem privationem æqualitatis, erit æqualitas contrarium privationi æqualitatis, quare eodem erit usus. Si autem neutrum contrariorum secundum privationem dicatur, assignetur autem oratio similiter, ut bonum contrarium malo, manifestum quoniam malum contrarium bono erit : nam sic contrariorum similiter oratio assignanda ; quare rursum eo quod definitur accidit uti, inest enim in mali oratione bonum. Quocirca quoniam bonum est malo contrarium, malum autem nihil differt, vel quod est bono contrarium, erit bonum contrarium, boni contrario. Perspicuum igitur quoniam eodem usus est. Amplius, si quod secundum privationem dicitur assignans, non assignavit cujus est privatio. Ut habitus, aut contrarii, aut cujuscunque est privatio. Et si non in quo natum est fieri addidit, vel simpliciter, vel in quo primo natum est fieri. Ut si ignorantiam dicens privationem, non scientiæ privationem dixit, aut si non addidit in quo natum est fieri, aut addens non in quo primo assignavit, ut quod non in rationali, sed in homine vel in anima : nam si quodlibet horum omittat, peccavit. Similiter autem et si cæcitatem non visus privationem in oculo dixit; oportet autem bene assignantem, quid est, et cujus est privatio assignare, et quidnam est quod privatum est. Videndum autem et si non secundum privationem dictum, privatione definivit. Ut et in ignorantia videbitur esse hujusmodi peccatum, iis qui non secundum negationem ignorantiam dicunt : nam quod non habet scientiam non videtur ignorare, sed magis quod deceptum est, propter quod neque inanimata, neque pueros dicimus ignorare ; quare non secundum privationem scientiæ ignorantia dicitur. Amplius, si similibus nominis casibus similes orationis casus aptantur, ut si adjutivum est effectivum sanitatis, adjutive est sanitatis effective, et adjuvans efficiens sanitatem. Considerandum et in idea, si aptabitur dictus terminus. Nam in quibusdam non accidit, ut quemadmodum Plato definivit, mortale addens in animalium definitionibus, idea enim non erit mortalis, ut ipse homo ; quare non aptabitur ad ideam definitio. Simpliciter autem in quibus apponitur effectivum aut passivum, necesse est dissonare in idea terminum, nam impassibiles et immobiles videntur esse ideæ iis qui dicunt ideas esse ; adversum hos autem et tales orationes utiles sunt.

CAPUT V.

De definitione loci alii.

Amplius, si eorum quæ secundum æquivocationem dicuntur, unam definitionem omnium communem assignavit. Univoca enim, quorum una est secundum nomen oratio; quare nullius eorum quæ sub nomine sunt, assignatus est terminus, eo quod similiter ad omne, æquivocum adaptatur. Passus autem hoc est, et Dionysii vitæ terminus, siquidem ea motus est generi nutriendi naturaliter inserviens, nihil enim hoc magis animalibus quam plantis inest; vita autem

non secundum unam speciem videtur dici, sed altera quidem animalibus, altera plantis inest. Contingit igitur et secundum electionem sic assignare terminum, ac si univoca, et secundum unam speciem omnis vita diceretur. Nihil autem prohibet et eum qui conspicit æquivocationem, et alterius vult definitionem assignare, latere non propriam, sed communem utrisque orationem assignare, sed nihil minus si utrovis modo fecerit, peccavit. Postquam autem quædam latent æquivocorum, interroganti quidem ut univocis utendum. Nam non adaptabitur alterius terminus ad alterum, quare videbitur non distinguendum hoc pacto, oportet enim in omne univocum adaptari, eidem autem respondenti, distinguendum est. Quoniam autem quidam respondentium univocum quidem dicunt esse æquivocum, quando non accommodatur ad omne assignata oratio, æquivocum autem univocum, etiamsi ad utrumque accommodetur, præconfessione utendum pro talibus, aut præcolligendum quod æquivocum, vel univocum, aut utrumque fuerit. Magis enim concedunt non prævidentes, quod futurum est ut accidat. Si autem non facta confessione dixerit aliquis univocum æquivocum esse, eo quod non accommodetur et in hoc assignata oratio, considerandum si hujus oratio accommodatur et ad reliqua. Nam manifestum quoniam univocum erit reliquis; si autem non, plures erunt definitiones reliquis : nam duæ secundum nomen orationes accommodabuntur ad eamdem, quæ prior assignata est, et quæ posterior. Rursum si quis definiens aliquid eorum quæ multipliciter dicuntur, et oratio non accommodatur ad omnia, et quia æquivocum esse non concedat, nomen etiam dicat non ad omnia accommodari, quoniam nec oratio, dicendum ad ejusmodi, quod nominatione quidem oportet uti quæ tradita est, et quæ sequitur, et non dimovere quæ talia sunt, tametsi nonnulla dicenda non sint similiter multitudini. Si autem alicujus complexorum assignetur terminus, considerandum est auferendo alterius eorum quæ complectuntur orationem, si est et reliqua reliqui. Nam si non, manifestum quoniam neque tota totius : ut si quispiam definivit lineam finalem rectam, finem plani habentis fines, cujus medium superadditur finibus, si finalis lineæ oratio est, finis plani habentis fines, rectæ oportet esse reliquum, cujus medium superadditur finibus; sed infinita neque medium neque fines habet, recta autem est; quare non est reliqua reliqui oratio. Amplius, si cum sit compositum quod definitur, æquimembris oratio assignetur definitio. Æquimembris autem dicitur oratio esse quando quot fuerint composita, tot et in oratione nomina et verba fuerint : necesse est enim in talibus ipsorum nominum commutationem fieri aut omnium aut aliquorum, eo quod nihil plura nunc quam prius nomina dicta sunt; verum oportet eum qui definit, orationem pro nominibus assignare, maxime quidem omnibus, quod si non, at saltem in plurimis. Sic enim et in simplicibus qui nomen commutat, non definiturus est : ut pro tunica vestem. Amplius autem majus peccatum, si et per ignotiora nomina commutationem fecerit ut pro homine albo, terrigenam candentem; neque enim definivit, cum minus sit clarum quod sic dicitur. Considerandum autem et si per commutationem nominum, non idem jam significat. Ut qui contemplativam scientiam, opinionem contemplativam dixit; nam opinio scientiæ non idem (at oportet, si debet, et totum idem esse); nam contemplativum quidem commune in utrisque orationibus est, reliquum vero differens. Amplius, si alterius nominum commutationem faciens, non differentiæ, sed generis commutationem fecit : ut in eo quod nuper dictum est, ignotius enim contemplativa quam scientia : nam hoc quidem genus, illud autem differentia, omnibus autem notius genus, nam communis; quare non generis, sed differentiæ oportebat commutationem fieri, eo quod ignotior est. An hæc quidem ridicula reprehensio? nihil enim prohibet differentiam quidem notissimo nomine dici, genus autem non. Sic autem rebus se habentibus manifestum quoniam generis, et non differentiæ secundum nomen commutatio facienda; si autem non nomen pro nomine, sed orationem pro nomine commutat, manifestum quoniam differentiæ magis quam generis definitio assignanda est, eo quod cognoscendi gratia definitio assignatur, nam minus differentia quam genus nota Si autem differentiæ terminum assignavit, considerandum si et alicujus alius communis est assignatus terminus : ut cum imparem numerum, numerum medium habentem dixerit, determinandum est quo pacto medium habentem : nam numerus quidem communis in utrisque orationibus est. Imparis autem coassumpta est oratio; habent autem et linea et corpus medium, cum non sint imparia, quare non utique erit definitio hæc imparis. Si autem multipliciter dicitur medium habens, determinandum quomodo medium habens, alioqui reprehensio erit, aut syllogismus, quod non definivit. Rursum si id cujus quidem orationem assignavit est eorum quæ sunt, quod autem sub oratione, non eorum quæ sunt : ut si album quispiam definivit colorem igni permixtum, impossibile enim incorporeum corpori permisceri; quare non erit color igni permixtus, attamen album est. Amplius, quicunque non dividunt in iis quæ sunt ad aliquid ad quod dicitur, sed in pluribus comprehendentes dicunt, aut omnino, aut in aliquo falsum dicunt : ut si quis medicinam disciplinam entis dixit. Nam si nullius entium medicina est disciplina, manifestum quoniam tota oratio mendax est; si autem alicujus quidem, alicujus autem non, in aliquo mendax; nam oportet de omni, siquidem per se, et non secundum accidens entis esse dicitur, quemadmodum in aliis se habent ea quæ ad aliquid sunt, nam omne disciplinatum ad disciplinam dicitur. Similiter autem et in aliis, eo quod convertuntur omnia ad aliquid. Omne enim disciplinatum, ad aliquid. Cæterum si is (qui non per se, sed secundum accidens assignationem fecit) recte assignavit, non ad unum, sed ad plura unumquodque eorum quæ ad aliquid dicuntur, assi-

gnavit, nihil enim prohibet idem, et ens, et album, et bonum esse; quare qui ad quodlibet horum assignavit, recte assignavit, siquidem is qui secundum accidens assignavit, recte assignavit. Præterea autem impossibile est hujusmodi orationem propriam assignati esse, nam non solum medicina, sed plures aliarum disciplinarum ad ens dicuntur : quare una quæque entis disciplina erit; manifestum igitur quoniam talis nullius est disciplinæ definitio, propriam enim et non communem oportet definitionem esse. Quandoque autem definiunt non rem, sed rem bene se habentem aut perfectam. Talis autem et rhetoris et furis terminus, si sit rhetor quidem, qui potest quod in unoquoque est verisimile considerare, et nihil prætermittere; fur autem qui clam sumit : perspicuum enim quoniam cum talis uterque, hic quidem bonus rhetor, ille autem bonus fur erit : non enim qui clam sumit, sed qui vult clam sumere fur est. Rursum si quod propter se eligendum est, ut activum vel effectivum, vel quolibet modo propter aliud eligendum assignavit : ut qui justitiam legum conservativam dixit, aut sapientiam effectivam felicitatis : nam conservativum et effectivum eorum sunt quæ propter aliud eliguntur. An nihil quidem prohibet quod propter se eligendum est, et propter aliud esse eligendum ; attamen nihil minus peccavit qui sic definivit quod propter se est eligendum : nam unicuique optimum, in substantia maxime, melius autem quod propter se eligendum, quam quod propter aliud ; quare id et definitionem oportebit magis significare.

CAPUT VI.

De definitione loci alii.

Considerandum autem est et si is qui alicujus definitionem assignavit, aut hæc, aut quod est ex his, aut hoc cum illo definivit. Nam si hæc quidem, accidet utrisque et neutri inesse, ut si justitiam, temperantiam et fortitudinem definiverit; nam si sint duo, uterque autem alterum habeat, utrique justi erunt, et neuter, eo quod utrique quidem habent justitiam, uterque autem non habet. Si autem nondum quod dictum est admodum absurdum videtur, eo quod et in aliis accidat hujusmodi (nihil enim prohibet utrosque habere unam, cum neuter habeat), attamen contraria inesse eidem, omnino absurdum videbitur esse. Accidet autem hoc si hic quidem ipsorum temperantiam et timiditatem habet, ille autem fortitudinem et prodigalitatem, nam utrique et justitiam et injustitiam habent. Nam si justitia, temperantia et fortitudo est, et injustitia timiditas et prodigalitas erit, et omnino quæcunque ad argumentandum idonea quod non idem sunt et partes et totum, omnia utilia ad id quod dictum est; videtur autem qui sic definit partes, toti easdem dicere esse. Maxime autem accommodatæ fiunt orationes, in quibuscunque manifesta partium est compositio, quemadmodum in domo et in cæteris talibus; manifestum enim quoniam cunt sint partes, nihil prohibet totum non esse, quare non idem partes toti. Si autem non hæc, sed quod ex his est, dixit id esse quod definitur, primum quidem considerandum si non natum est quidpiam unum fieri ex iis quæ dicta sunt. Quædam enim sic se habent ad invicem, ut nihil ex eis unum quidpiam fiat, ut linea et numerus. Amplius, si definitum quidem in uno aliquo natum est primo fieri, ex quibus autem dixit ipsum esse, non in uno primo nata sunt fieri, sed utrumque in utroque. Nam manifestum quoniam non erit ex iis illud ; in quibus enim partes, et totum necesse est inesse; quare non in uno totum primo esse, sed in pluribus.

Si autem et partes et totum in uno aliquo primo, considerandum si non in eodem, sed in altero totum, et in altero partes. Nam in quo totum, in illo et partes esse videntur. Rursum, si cum toto corrumpuntur partes. E converso enim oportet accidere, partibus corruptis, totum corrumpi ; toto vero corrupto, non necesse est et partes corrumpi. Aut si totum quidem bonum vel malum, partes autem neutræ ; aut e converso, partes quidem bonæ vel malæ, totum autem neutrum. Nam neque ex neutris possibile bonum quidpiam vel malum fieri, neque ex bonis vel malis neutrum. Aut si magis quidem alterum bonum quam alterum malum, quod autem ex his, non magis bonum quam malum, ut si imprudentia ex fortitudine et falsa opinione ; magis enim bonum fortitudo quam malum falsa opinio. Oportet ergo et quod ex his est sequi illud quod magis est, et esse vel simpliciter bonum, vel magis bonum quam malum. An hoc quidem non necessarium, nisi utrumque sit per se bonum vel malum ? multa enim effectivorum per se quidem non sunt bona, mixta autem quibusdam fiunt bona, aut e converso utrumque quidem bonum, mixta autem malum vel neutrum. Maxime autem manifestum quod nunc dictum est in salubribus et morbificis, nam quædam medicamentorum sic se habent, ut utrumque quidem sit bonum, si autem utraque dentur mixta, malum. Rursum, si quod ex meliore et pejore est, non est totum pejore quidem melius, meliore autem pejus. An neque hoc necessarium, nisi per se sint ex quibus componitur, bona ? nam in iis quæ non per se sunt bona, nihil prohibet totum non fieri bonum, ut in iis quæ modo dicta sunt. Amplius, si cognomine est totum alteri. Non oportet enim, ut neque in syllabis ; nulli enim elementorum ex quibus componitur syllaba cognominis est. Amplius, si non dixit modum compositionis. Non enim sufficiens est ad cognoscendum quod dicat ex his : nam non quod ex his, sed quod sic ex his, est cujusque compositorum substantia, ut in domo : non enim si quolibet modo componantur hæc, domus est. Si autem hoc cum illo assignavit, primum quidem dicendum quod cum hoc illo aut hoc et illud dicitur, aut quod ex illis. Nam qui dicit mel cum aqua ; vel mel et aquam dicit, vel quod ex melle et aqua, quare si cuilibet eorum quæ dicta sunt idem confitebitur esse hoc cum illo, eadem conveniet dicere quæ quidem ad utrumque horum prius dicta sunt. Amplius, dividenti quoties dicitur alterum cum

altero,considerandum si nullo modo hoc cum illo : ut si dicitur alterum cum altero, aut ut in aliquo eodem susceptivo,ut justitia et fortitudo in anima, aut in loco eodem, aut in tempore eodem, nullo autem modo verum sit quod dictum est in his,manifestum est quoniam nullius erit assignata definitio, eo quod nullo modo hoc cum illo est.Si autem diviso quoties dicitur alterum cum altero, verum erit in eodem tempore utrumque esse, considerandum si contingit non ad eumdem utrumque dici finem : ut si fortitudinem definivit audaciam cum recta intelligentia,contingit enim audaciam quidem habere spoliandi,rectam autem intelligentiam circa salubria, sed nondum fortis qui in eodem tempore,cum illo hoc habet.Amplius, si et ad idem ambo dicuntur, ut ad medicativa.Nihil enim prohibet et audaciam quamdam,et rectam intelligentiam habere ad medicativa, attamen nec sic fortis qui hoc cum illo habet ; neque enim ad alterum eorum utrumque oportet dici,neque ad idem quodcunque sit, sed ad fortitudinis finem, ut ad præliorum pericula, aut si quid magis est illius finis.Quædam autem sic assignatorum nullo modo sub dictam cadunt divisionem, ut si ira tristitia est cum opinione parvipendendi : nam quod propter hujusmodi opinionem tristitia fit, hoc vult indicare; propter hoc autem fieri aliquid, non est idem ei quod est hoc quidem cum illo esse secundum ullum dictorum, modorum, Rursum, si horum compositionem dixit totum : ut animæ et corporis compositionem animal. Primum quidem considerandum si non dixit qualis compositio; ut si carnem definiens, aut os, ignis et aeris et terræ dixit compositionem.Non enim sufficit compositionem dicere,sed quæ et qualis determinandum.Non enim quolibet modo compositis his caro fit,sed sic quidem compositis caro,sic vero os.Videtur autem neque esse omnino compositioni idem neutrum eorum quæ dicta sunt,nam compositioni omni dissolutio contraria,dictorum autem neutri, nihil. Amplius, si similiter est verisimile omne compositum compositionem esse,vel nullum ; animalium autem unumquodque cum sit compositum,non est compositio,neque profecto aliorum compositorum ullum compositio erit.Rursum,si similiter in aliquo nata sunt esse contraria, definivit autem per alterum, manifestum quoniam non definivit. Si autem non ita est, plures accidet ejusdem definitiones esse ; quid enim magis qui per hoc quam qui per alterum definiens dixit? eo quod similiter utraque nata sunt fieri in eodem.Talis autem animæ est definitio, siquidem est substantia disciplinæ susceptiva, nam similiter et ignorantiæ est susceptiva. Oportet autem si non ad totam habeat aliquis argumentari definitionem, eo quod non tota sit tota, ad aliquam partium argumentari si sit nota,et non bene assignata appareat,nam parte interempta,et tota definitio interimitur.Quæcunque autem obscuræ sunt definitionum emendanti et conformanti ad manifestandum aliquid et habendum argumentum, sic considerandum.Necesse est enim respondentem aut suscipere quod sumptum est ab interrogante, aut eumdem declarare quid temere est ostensum a definitione.Amplius,quemadmodum in congregationibus solent legem inducere,et si sit melior quæ inducitur, interimit anteriorem,sic et in definitionibus faciendum,et definitio alia ferenda.Nam si apparet melior, et magis manifestum quod definitur, perspicuum quoniam interempta erit quæ posita est, eo quod non sunt ejusdem plures definitiones. Ad omnes autem definitiones non minimum elementum ad seipsum,solerter definire propositum, aut apte dictum terminum assumere.Necesse est enim veluti ad exemplar considerantem,et quod minus est,iis quæ oportet habere definitionem,et quod oppositum est superflue,inspicere,ut magis argumentis abundemus.Quæ igitur circa definitiones sunt, in tantum dicta sint.

LIBER SEPTIMUS.

CAPUT PRIMUM.

De eodem et diverso loci.

Utrum autem idem an diversum secundum propriissimum eorum (qui dicti sunt de eodem) modorum,dicendum (dicebatur autem propriissime idem, quod numero unum),considerandum autem ex casibus, et conjugatis, et oppositis. Nam si justitia idem est fortitudini,et justus forti,et juste fortiter, similiter autem et in oppositis.Nam si hæc eadem, et opposita his,eadem secundum quamlibet dictarum oppositionum. Nihil enim differt hoc vel hoc modo oppositum sumere, eo quod idem est. Rursum ex effectivis et corruptivis,et generationibus et corruptionibus,et omnino ex iis quæ similiter se habent alterum ad alterum. Nam quæcunque simpliciter eadem, etiam generationes eorum et corruptiones eædem, et effectiva et corruptiva. Considerandum autem et quorum alterum maxime dicitur quodvis esse,si et alterum ipsorum secundum idem maxime dicitur.Sicut Xenocrates beatam vitam et studiosam assignavit eamdem,eo quod omnium vitarum maxime eligenda studiosa et beata,unum enim maxime eligendum et maximum. Similiter et in aliis hujusmodi.Oportet autem utrumque unum numero esse, quod dicitur maximum et maxime eligendum; si autem non,non erit ostensum quod idem. Non necessarium enim,si fortissimi Græcorum sunt Peloponnesii,et Lacedæmonii, eosdem esse Peloponnesios Lacedæmoniis,eo quod non unus numero Peloponnesius et Lacedæmonius, sed contineri quidem alterum ab altero necessarium,ut Lacedæmonii a Peloponnesiis ; si autem non,accidet seipsis invicem esse meliores si non continentur alteri ab alteris: necesse est enim Peloponnesios meliores esse quam

Lacedæmonios, si non continentur alteri ab alteris, nam omnibus reliquis sunt meliores. Similiter autem et Lacedæmonios necesse est meliores esse Peloponnesiis, nam et isti omnibus cæteris sunt meliores, quare se invicem meliores fiunt. Manifestum ergo quoniam unum numero esse oportet, quod optimum et maximum dicitur, si debeat quod idem sint ostendi. Propter quod Xenocrates non idem assignavit : non enim uno numero beata et studiosa vita, quapropter non necessarium eamdem esse, eo quod ambæ maxime eligendæ, sed altera sub altera. Rursum considerandum si cui alterum idem, et alterum. Nam si non sunt ambo eidem eadem, manifestum quoniam nec sibi invicem. Amplius autem ex iis quæ his accidunt, et quibus hæc accidunt, considerandum. Nam quæcunque alteri accidunt, et alteri oportet accidere, et quibus alterum eorum accidit, et alterum eorum oportet accidere; si autem aliquid eorum dissonet, dilucidum quoniam non eadem. Videndum autem et si non in uno genere prædicamenti utraque, sed hoc quidem quale, illud autem quantum, vel ad aliquid indicet. Rursum si genus utrisque non idem, sed hoc quidem bonum, illud autem malum, aut hoc quidem virtus, illud autem scientia. Aut si genus quidem idem, differentiæ autem non eædem de utroque prædicantur, sed de hoc quidem quoniam contemplativa scientia, de illo autem quoniam activa ; similiter autem et in aliis. Amplius autem ex magis, si hoc quidem suscipit magis, illud autem non, aut si ambo suscipiunt quidem, non simul autem. Ut qui magis amat, non magis concupiscit venerem, quare non idem amor et concupiscentia veneris. Amplius ex appositione, si eidem utrumque appositum, non facit idem totum. Aut si eodem ab utroque sublato, quod relinquitur est alterum. Ut si duplum dimidii et multiplum dimidii idem dixerit esse : sublato enim ab utroque dimidio, reliqua idem oporteret indicare; non indicant autem, nam duplum et multiplum non eadem significant.

Considerandum autem non solum si jam aliquid accidit impossibile per positionem, sed et si possibile sit ex suppositione existere. Quemadmodum iis qui vacuum et plenum aere idem dicunt esse; nam manifestum quoniam si exeat aer, vacuum quidem non minus, sed magis erit, plenum autem aere non amplius erit; quare supposito aliquo sive vero, sive falso (nihil enim refert), si alterum interimitur, alterum autem non, profecto non idem sunt. Universaliter autem dicendo ex iis quæ quovis modo de utroque prædicantur, et de quibus hæc prædicantur, considerandum si alicubi dissonent. Nam quæcunque de altero prædicantur, et de altero prædicari oportet, et de quibus alterum prædicatur, et alterum prædicari oportet. Amplius, quia multipliciter idem dicitur, considerandum si secundum alium aliquem modum eadem sunt. Nam specie vel genere eadem, non necesse est numero eadem esse; consideramus autem utrum sic eadem, an non sic. Amplius, si potest alterum sine altero esse, non erit enim idem ad idem. Igitur loci tot dicuntur.

CAPUT II.

De eadem definitione loci alii.

Palam autem ex iis quæ dicta sunt, quoniam omnes qui ad idem sunt destructivi loci, et ad terminum utiles sunt, quemadmodum prius dictum est. Nam si non idem indicet et nomen et oratio, manifestum quoniam non erit definitio assignata oratio. Constructivorum autem locorum nullus utilis ad terminum. Non enim sufficit ostendere idem quod sub oratione et nomine est ad construendum quoniam definitio, sed et alia oportet omnia habere (quæ præcepta sunt) definitionem; interimere igitur definitionem sic et per hæc semper tentandum. Si autem construere volumus, primum quidem scire oportet quoniam nullus vel pauci disputantium terminum syllogismo colligunt, sed omnes principium quod tale est accipiunt, ut qui circa geometriam, et numeros, et alias hujusmodi disciplinas. Deinde quoniam exacte quidem alterius est negotii assignare, et quid est terminus, et quomodo definire oportet. Nunc autem, quantum sufficit ad præsentem utilitatem, tantum solum dicendum quoniam possibile fieri definitionis, et ejus quod quid est, esse syllogismum. Nam si terminus est oratio quæ quid est esse rei indicat, et oportet ea quæ in termino ponuntur, in eo quod quid est de re sola prædicari, prædicantur autem sola in eo quod quid est, genera et differentiæ. Manifestum quoniam si quis sumat ea quæ solum de re in eo quod quid est prædicari oportet, quod hæc habens oratio, terminus ex necessitate erit, non enim contingit aliud esse terminum, eo quod nihil aliud in eo quod quid est de re prædicatur; quod igitur possibile est ex termino syllogismum fieri manifestum. Ex quibus autem oportet construere, determinatum est quidem in aliis diligentius, ad propositam autem methodum iidem loci utiles. Inspiciendum enim in contrariis et in aliis oppositis, et totas orationes, et secundum partem consideranti. Nam si opposita oppositæ, et eam (quæ dicta est) propositi necesse est esse. Quoniam autem contrariorum plures complexiones, sumenda est ex contrariis qualiscunque maxime apparebit contraria definitio; totas igitur definitiones, quemadmodum dictum est, considerandum. Secundum partem autem hoc pacto, primum quidem quoniam assignatum genus recte assignatum est. Nam si contrarium in contrario, propositum autem non est in eodem, manifestum quoniam in contrario erit, eo quod necesse est contraria in eodem genere vel in contrariis generibus esse. Et differentias quidem contrarias de contrariis arbitramur prædicari, ut de albo et nigro: nam illud quidem disgregativum, hoc autem congregativum visus; quare si de contrario contrariæ prædicantur, de proposito quæ assignatæ sunt prædicabuntur ; quapropter quia et genus et differentiæ recte assignata sunt, manifestum quoniam definitio erit quæ assignata est. An non necessarium est de

contrariis differentias prædicari, nisi in eodem genere sint contraria? quorum autem genera sunt contraria, nihil prohibet eamdem differentiam de utrisque dici, ut de justitia et injustitia: nam illa quidem virtus, hæc autem vitium animæ. Quare id quod est anima, differentia de utrisque dicitur, eo quod et corporis est virtus et vitium; sed hoc verum quod contrariorum, aut contrariæ, aut eædem differentiæ sunt; si ergo de contrario contraria prædicatur, de hoc autem non, manifestum quoniam quæ dicta est de hoc prædicabitur. Universaliter autem dicendo, si definitio est ex genere et differentiis, si sit contrarii definitio manifesta, et quæ propositi definitio manifesta erit. Nam quoniam contrarium in eodem genere, vel in contrario, similiter autem et differentiæ aut contrariæ de contrariis, aut eædem prædicantur, dilucidum quoniam de proposito, aut idem genus prædicabitur quod de contrario; differentiæ autem contrariæ, vel omnes, vel aliquæ; reliquæ autem eædem aut contra, differentiæ quidem eædem, genera vero contraria, aut ambo contraria, et genera et differentiæ: nam eadem esse ambo non contingit; si autem secus, definitio eadem contrariorum erit. Amplius, ex casibus et conjugatis. Necesse est enim consequi genera generibus, et terminos terminis, ut si oblivio est scientiæ amissio, et oblivisci amittere scientiam erit, et oblitum esse amisisse scientiam. Uno igitur quolibet eorum quæ dicta sunt confesso, necesse est et reliqua confiteri. Similiter autem et si corruptio dissolutio substantiæ, et corrumpere dissolvere substantiam, et corruptive dissolutive, si corruptivum dissolutivum substantiæ, et corruptio substantiæ dissolutio. Similiter autem et in aliis. Quare uno quovis sumpto, et reliqua omnia confiteantur oportet. Et ex similiter se habentibus ad invicem. Nam si salubre est effectivum sanitatis, et habile effectivum bonæ habitudinis erit, et adjutivum effectivum boni: nam similiter unumquodque eorum quæ dicta sunt ad suum finem se habet; quare si unius eorum definitio est effectivum esse finis, et reliquorum cujusque sic erit definitio. Amplius, ex eo quod est magis et similiter, quod est similiter, quoties contingit construere duas ad duo comparantem. Ut si magis hæc hujus quam ista istius definitio, ista autem quæ minus, definitio est, et hæc quæ magis, et si similiter hæc hujus, et ista istius, si altera alterius, et reliqua reliquæ. Una autem definitio ad duo comparata, aut duabus definitionibus ad unum, neutiquam utilis ea quæ ex magis est consideratio. Nam neque unam duorum, neque duas ejusdem definitiones possibile est esse. Sunt autem opportunissimi locorum, et qui nunc dicti sunt, et qui ex casibus, et qui ex conjugatis, quocirca et oportet maxime detinere et promptos habere hos. Utilissimi enim ad plurima. Aliorum autem hi qui maxime sunt communes. Nam illi maxime reliquorum efficacissimi, ut inspicere in singularibus, et in speciebus considerare, si conveniat definitio, eo quod univoca species est; est autem utilis hic locus ad eos qui ponunt ideas esse, quemadmodum prius dictum est. Amplius, si per metaphoram dixit nomen, vel idem de eodem prædicavit ut diversum, et si quis alius communis et efficax locorum, illo utendum.

CAPUT III.

De constructione et destructione prædicatorum loci.

Quoniam autem difficilius est construere quam destruere terminum, ex iis quæ postea dicentur, manifestum. Nam nosse ipsum, et sumere ab interrogantibus hujusmodi propositiones non facile, ut quod eorum quæ sunt in assignata oratione hoc quidem genus, illud autem differentia, et quod in eo quid est, genus et differentiæ prædicantur. Sine his vero impossibile est definitionis syllogismum fieri, nam si quædam et alia in eo quod quid est de re prædicant, incertum utrumne, quæ dicta est, an alia ejus definitio est, eo quod definitio est oratio quod est indicans. Manifestum autem et etiam ex his, nam facilius unum concludere quam multa, interimenti quidem sufficit ad unum disserere. Unum enim quodcumque sit, destruentes, interempturi sumus terminum; at construenti, omnia necesse est construere quod insint, quæ in termino sunt. Amplius, construenti quidem universaliter statuendum syllogismum (nam oportet de omni, de quo nomen, prædicari et terminum, et etiam adhuc converti de quo orationem et nomen, si debeat proprius esse assignatus terminus), destruenti vero non necesse ostendere universaliter: sufficit enim ostendere quod de quopiam eorum quæ sub nomine sunt oratio non verificatur, et tametsi universale oporteat destruere, non tamen converti necessarium et in destruendo; nam sufficit destruenti universale, ostendere quod de aliquo eorum de quibus nomen prædicatur oratio non prædicatur, at e converso non necessarium ut ostendatur, quod de quibus oratio non prædicatur, neque nomen prædicetur. Amplius etiam, si omni si inest quod sub nomine est, at non soli, interempta est definitio: similiter autem et circa proprium et genus se habet. In utrisque enim destruere quam construere facilius est. De proprio quidem manifestum, ex iis quæ dicta sunt, nam ut plurimum in complexione proprium assignatur, quare destruere quidem est, unum interimenti, construenti autem, omnia ratiocinatione colligere necesse est. Pene autem et reliqua omnia quæcunque ad definitionem et ad proprium conveniet dici, nam et omni oportet quod sub nomine est, construenti monstrare quoniam inest, destruenti autem sufficit ostendere uni non inesse; si vero et omni inest, at non soli, etiam si destructum fit, perinde ac et in definitione dicebatur. De genere autem, quoniam construere quidem necesse est uno modo, qui omni ostendit inesse, destruenti autem dupliciter, nam sive nulli, sive alicui ostensum sit non inesse, interemptum est quod in principio. Item construenti quidem non sufficit quoniam inest ostendere, sed et quoniam ut genus inest ostendendum, destruenti autem sufficit ostendere

non inesse, vel alicui, vel nulli. Videtur autem, quemadmodum in aliis, corrumpere quam facere facilius, sic et in his, destruere quam construere. In accidente vero universale quidem facilius destruere quam construere. Nam construenti quidem ostendendum quoniam omni, destruenti autem sufficit ostendere uni non inesse. Particulare vero e converso, nam facilius construere quam destruere. Construenti enim sat est ostendere alicui inesse, destruenti autem ostendendum quoniam nulli inest. Manifestum autem qua de causa omnium facillimum est terminum destruere. Plurima enim sunt ipso data multorum dictorum, ex pluribus autem citius fit syllogismus, nam verisimile in multis magis quam in paucis peccatum fieri. Amplius, ad terminum quidem contingit, et per alia argumentari (sive enim non propria sit definitio, sive non genus quod assignatur, sive non inest aliquod eorum quæ sunt in definitione, interempta fit definitio), ad alia autem neque ea quæ ex terminis, neque alia contingit omnia argumentari, sola enim ea quæ ad accidens, communia sunt omnibus prædictis. Inesse enim oportet unumquodque eorum quæ dicta sunt; si autem non ut proprium inest genus, nondum interemptum est genus. Similiter autem et proprium non necessarium ut genus inesse, neque accidens ut genus aut proprium, sed inesse A tantum; quare non possibile ex aliis ad alia argumentari, nisi in definitione solum. Manifestum igitur quoniam facillimum omnium est, terminum interimere, construere autem difficillimum, nam et illa oportet omnia ratiocinatione colligere, et quod insunt quæ dicta sunt, et quod genus quod assignatum est, quodque propria definitio, et adhuc præter hæc quod indicat quid est esse oratio, et hæc probe oportet fecisse. Aliorum autem proprium maxime hujusmodi. Nam interimere quidem facilius, eo quod ex pluribus plerumque fit. Construere autem difficillimum, quoniam multa oportet astruere, et adhuc quoniam soli inest, et quoniam conversim prædicatur de re. Facillimum autem omnium construere accidens. Nam in aliis quidem non solum inesse, sed et quoniam sic inest ostendendum, in accidente B vero quoniam inest duntaxat, sufficit ostendere. Destruere autem difficillimum est accidens, quia quam paucissima in eo data sunt, non enim consignificat in accidente quomodo inest. Quare in aliis quidem dupliciter interimere contingit, vel ostendendo quod non inest, vel quod non sic inest; in accidente vero non contingit interimere nisi ostendendo quod non inest. Loci per quos copiosi erimus ad singula quæque problematum argumentari, fere sufficienter annumerati sunt.

LIBER OCTAVUS.

CAPUT PRIMUM.

Loci ad instruendum interrogantem.

Post hæc autem de ordine et quonam pacto oportet interrogare, dicendum. Oportet autem primum quidem eum qui interrogare debet locum invenire unde sit argumentandum; secundum autem interrogare et ordinare singula apud seipsum; reliquum vero et tertium dicere jam eadem ad alterum. Quod autem inveniat locum, similiter philosophi et dialectici consideratio, subinde vero illa ordinare et interrogare, proprium dialectici; ad alterum enim omne quod tale est. Philosopho autem et quærenti per seipsum nihil curæ est si vera quidem sint et nota per quæ syllogismus, et non ponat ea quæ respondet, eo quod propinqua sint illis quæ sunt ex principio, et prævideat quod subsecutum est, sed D fortasse et studiose aget, quoniam maxime notæ et propinquæ sunt dignitates, ex illis enim scientifici syllogismi. Loci igitur inde oporteat sumere dicti sunt prius. De ordine autem et interrogatione dicendum dividendo propositiones quæcunque sumendæ sunt ad necessarias, necessariæ autem dicuntur per quas syllogismus fit. Quæ autem ab his sumuntur, quatuor sunt. Aut enim gratia inductionis, ut videtur universale, aut ad magnitudinem orationis, aut ad occultationem conclusionis, aut dilucidior fit oratio; præter has autem nulla est assumenda propositio, sed per hæc augere et interrogare tentandum. Sunt autem quæ ad occultationem, certaminis gratia, sed quia omne (quod hujusmodi est) negotium ad al- C terum est, necesse est et illis uti. Necessarias igitur, per quas fit syllogismus, non statim præordinandum, sed abeundum ad suprema: ut non postulet quis contrariorum eamdem disciplinam, si hoc voluerit sumere, sed oppositorum; posito enim hoc, et quoniam contrariorum eadem disciplina syllogismo colliget, eo quod ex oppositis sunt contraria. Si vero illam non ponat per inductionem, sumendum proponenti in particularibus contrariis. Nam aut per syllogismum, aut per inductionem necessarias sumendum, aut hac quidem inductione, illas autem syllogismo. Quæcunque autem valde manifestæ sunt, illas quoque oportet præponere, nam immanifestius est semper in abscessu et inductione quod secuturum est, et simul ipsas necessarias proponere, et qui non potest illo modo, sumere esse paratum, quæ vero ad has sumptæ sunt, accipiendæ quidem illarum gratia. Unaquæque autem earum hoc modo utendum inducentem quidem a singularibus ad universalia, et a notis ad ignota, nota autem magis quæ secundum sensum, vel simpliciter, vel multipliciter, vel multitudini. Occultantem vero ratiocinatione præcolligere oportet ea per quæ syllogismus ejus quod ex principio est debet fieri, et hæc ut plurimum. Erit autem hoc, si quis non solum necessarias, sed et earum (quæ ad illas sunt utiles) aliquam syllogizaverit. Amplius, conclusiones non dicere, sed postea ratiocinatione colligere subitarias, sic enim longissime abscedet ab ea (quæ ex principio) positione; universaliter autem dicendo, sic oportet eum interrogare

qui occulte interrogat,ut interrogata omni ratione, et eo dicente conclusionem,quæratur propter quid; id autem erit maxime per antedictum modum ; nam sola ultima dicta conclusione, immanifestum quomodo accidit, eo quod non prævidit respondens ex quibus accidit, non per membra digestis prioribus syllogismis ; minime autem per membra digeritur syllogismus conclusione,cum non ejus sumptiones ponuntur,sed cum illa sumuntur a quibus syllogismus fit.Utile autem et non continua postulata sumere,ex quibus syllogismi,sed vicissim ad aliam et ad aliam conclusionem.Nam positis convenientibus juxta se invicem,magis quod accidit ex ipsis manifestum. Oportet autem et definitione sumere in quibus possibile est) universalem propositionem,non in ipsis, sed in conjugatis.Nam decipiunt falsa ratiocinatione seipsos (quando in conjugato sumitur definitio),si non universale concedunt : ut si oportet sumere quod qui irascitur appetit pœnam, sumatur autem ira appetitus esse pœnæ propter apparentem parvipensionem, manifestum autem quoniam hoc sumpto habebimus universale quod præelegimus; at eis qui in ipsis proponunt sæpe accidit ut abnuat respondens, eo quod magis se habeat in ea re instantia,ut quod non omnis qui irascitur appetit pœnam,nam parentibus irascimur quidem,non autem pœnam appetimus.Fortasse autem non vera instantia est, nam a quibusdam sufficiens pœna est tristari solum,et facere pœnitere, verumtamen habet aliquid verisimile, ut non videatur irrationabiliter negare propositum,in iræ autem definitione,non similiter facile instantiam invenire.Præterea proponere par est, non ut propter ipsum, sed alterius gratia eum qui proponit. Nam devitant ea quæ ad positionem sunt utilia. Simpliciter autem dicendo, quam maxime facere dubium utrum quod proponitur,an oppositum sumere vult.Nam dubio existente quidnam ad positionem est utile,magis quod sibi videtur ponunt. Amplius per similitudinem interrogare. Nam et verisimile, et latet magis universale, ut quod quemadmodum scientia et ignorantia contrariorum eadem, sic et sensus contrariorum idem, aut e converso,postquam sensus idem contrariorum, et scientia ; hoc autem est simile inductioni, non tamen idem ; nam illic quidem a singularibus universale sumitur,in similibus autem non est quod sumitur universale,sub quo omnia similia sunt.Oportet autem et ipsum sibimet quandoque instantiam ferre.Nam insuspecte se habent respondentes ad eos qui videntur juste argumentari. Utile autem dicere quod consuetum,et quod dicitur tale.Nam pigrescunt quod solitum est dimovere,instantiam non habentes,simul autem et quia utantur et ipsi talibus,cavent ea dimovere. Amplius, non sedule agere, etsi omnino utile sit.Nam adversus sedule agentes, magis reniuntur. Et ut in similitudine proponere quod propter aliud aliquid proponitur, et non propter seipsum,utile ponent magis Amplius,non id proponere quod oportet sumere,sed cui consequens, id est ex necessitate.Nam et magis concedunt, eo quod non similiter ex hoc manifestum sit quod consecuturum est,et sumpto hoc, sumptum est et illud. Et id ultimo interrogare quod maxime vult sumere. Nam maxime prima renuunt,eo quod plurimi interrogantium prima interrogant,circa quæ vel maxime student.Ad quosdam autem prima quæ utilia sunt proponere.Nam protervi maxime prima admittunt,nisi omnino manifestum sit quod secuturum est, in fine autem proterviunt.Similiter autem et quicunque arbitrantur acuti esse in respondendo,ponentes enim prima,in fine recantant,tanquam nihil acciderit ex iis quæ posita sunt ; ponunt autem prompte,confidentes habitui,et arbitrantes nihil se esse passuros. Amplius, prolongare et interponere quæ nihil sunt usui ad orationem, quemadmodum pseudographia utentes.Nam cum sint plura,immanifestum in quo, falsum sit, quare et occultant quandoque interrogantes,in absconso proponentes ea quæ per se proposita non ponerentur ; ad occultationem igitur dictis est utendum.

CAPUT II.

Pro instructione respondentis loci alii.

Ad ornatum vero inductione et divisione eorum quæ affinia sunt. Inductio igitur quale quid est manifestum dividere autem hujusmodi,ut scientiam scientia esse meliorem,aut eo quod exactior est,aut quod meliorum, et quod scientiarum aliæ quidem sunt contemplativæ, aliæ autem activæ,aliæ porro effectivæ,nam unumquodque talium coornat quidem orationem, at non necessarium est ut dicatur ad conclusionem.Ad diluciditatem autem exempla et similitudines afferendum. Exempla autem accommodata,et ex quibus scimus, qualia Homerus,non qualia Cherilus ; sic enim clarius erit quod proponitur.Utendum autem in disserendo,syllogismo quidem ad dialecticos magis quam ad multitudinem; inductione vero contra ad multitudinem magis.Dictum est autem et de his et prius.Est autem in aliquibus quidem inducenti possibile interrogare universale,in aliquibus vero non facile, eo quod non positum sit similitudinibus nomen omnibus commune,sed quando oportet universale sumere, sic in omnibus talibus esse dicunt. Id autem determinare difficillimum est,qualia sunt ea quæ proferuntur hujusmodi,et qualia non,et propter hoc sæpenumero dissident in disputationibus,alii quidem dicentes similia esse quæ non sunt similia,alii vero dubitantes quæ sunt similia non esse similia.Quare tentandum in omnibus talibus ipsum nomina effingere,ut neque respondenti liceat dubitare quod non similiter quod infertur, dicitur neque interroganti calumniari,ut similiter dicto, eo quod plura eorum quæ non similiter dicuntur,similiter videntur dici. Quando autem inducenti in pluribus non dederit universale,tunc justum est efflagitare instantiam, non dicente autem ipso in aliquibus sic,non justum est efflagitare,in aliquibus non sic. Oportet enim inducentem prius sic instantiam efflagitare.Efflagitandum autem instantias non in eo quod proponitur ferre, nisi unum tantum sit hujusmodi,ut dualitas parium

numerorum solus primus. Nam oportet eteum qui instat in altero instantiam ferre, aut dicere quod hoc solum tale est. Ad eos autem qui instant universali, non in eodem autem instantiam ferunt, sed in æquivoco (ut quod habeat aliquis non suum colorem, vel pedem, vel manum, habebit enim pictor non suum colorem, et cocus pedem non suum), dividendo revera in talibus interrogandum est. Nam latente æquivocatione, bene viderentur instare propositioni. Si autem non in æquivoco, sed in eodem instans præpediat interrogationem, oportet auferentem id in quo instantia est, proponere reliquum, universale faciendo, donec sumat quod utile est. Ut in oblivione, et in oblitum esse, non enim concedunt eum qui amisit disciplinam, oblitum esse, eo quod transeunte re amisit quidem disciplinam, oblitus autem non est; dicendum autem auferenti id in quo instantia est, reliquum : ut si permanente re amisit disciplinam, idcirco oblitum esse. Similiter autem et contra instantes, quoniam majori bono majus opponitur malum, proferunt enim quoniam sanitati minori bono quam bona habitudo, majus malum opponitur, nam ægritudinem majus esse malum mala habitudine. Auferendum igitur et in hoc in quo instantia est, nam ablato magis ponet, ut quoniam majori bono majus malum opponitur, nisi conferat alterum ad alterum, quemadmodum bona habitudo ad sanitatem. Non solum autem eo instante hoc faciendum, sed et si sine instantia negat, eo quod prævideat aliquid talium. Nam ablato eo in quo instantia est, compelletur ponere, eo quod non prævideat in reliquo, in aliquo non sic esse. Si autem non ponat, efflagitatus instantiam, non habebit assignare. Sunt autem hujusmodi propositionum quæ in aliquo falsæ sunt, in aliquo autem veræ, in his enim par est auferre, reliquum autem verum relinquere. Si autem in multis proponenti non ferat instantiam, postulandum est ponere. Nam dialectica est propositio ad quam sic in pluribus se habentem non est instantia. Quando autem contingit idemet sine impossibili et per impossibile syllogizare, demonstranti quidem et non disserenti, nihil refert vel sic vel illo modo syllogismo colligere, differenti autem non est utendum per impossibile syllogismo. Nam si sine impossibili quidem syllogismo colligat, minime fiet ut dubitent; at quando per impossibile syllogizant (nisi valde manifestum sit falsum esse), non impossibile dicunt esse, quare non fit interrogantibus quod volunt. Oportet autem proponere quæcunque in pluribus quidem sic se habent. Instantia autem aut omnino non est, aut non in superficie est conspicere, nam qui non possunt conspicere in quibus non sic, tanquam verum quidem sit, ponunt. Non oportet autem conclusionem interrogationem facere. Alioquin autem, eo renuente, non videtur fieri syllogismus, nam et sæpe cum non interrogat, sed ut sequens infert, negant, et hoc facientes non videntur redargui iis qui non conspiciunt quod accidit ex iis quæ posita sunt. Quando igitur non dicens quidem accidere, interrogabit, illo autem negabit, omnino non videtur fieri syllogismus. Non autem omne universale dialectica propositio esse ut quid est homo? aut quot modis dicitur bonum? est enim dialectica propositio, ad quam est respondere, sic vel non; ad dictas autem non est; quare non sunt dialecticæ hujusmodi interrogationes, nisi ipse determinans vel dividens dicat, ut, putasne bonum sic vel non sic dicitur? nam ad talia facilis responsio, vel affirmando, vel negando; quapropter tentandum sic proponere hujusmodi propositionum. Simul autem et justum fortasse ab illo interrogare, quot modis dicitur bonum, quando hoc dividente et proponente, nullo modo concesserit. Quisquis autem unam orationem multo tempore interrogat, male interrogat. Nam si respondeat quidem ei interrogatio quod interrogatur, manifestum quod multas interrogationes interrogat, aut frequenter easdem; quare aut nugatur, aut non habet syllogismum, nam ex paucis omnis syllogismus. Si vero non respondeat, quid aut non increpat, aut discedit? Est autem argumentari difficile, et sustinere facile ipsas suppositiones. Sunt autem talia, et quæ natura sunt prima, et quæ postrema. Nam prima quidem termino egent, postrema vero per multa terminantur, volenti continuum sumere a primis, aut sophisticæ videntur argumentationes: impossibile enim demonstrare quidpiam est eum qui non incipit a propriis principiis, et connectit usque ad ultima: definire autem nihili ducunt respondentes, neque si interrogans definierit, advertunt; atqui non facto manifesto quidnam est quod propositum est, non facile est argumentari. Maxime autem quod tale est circa principia accidit: nam alia quidem per hæc monstrantur, ipsa vero non contingit per alia, sed necesse est definitione talium unumquodque cognoscere. Sunt autem difficile argumentabilia, ei quæ valde propinqua sunt principio. Non enim contingit plures ad hæc rationes invenire, cum sint pauca media, horumque et principiorum, per quæ necesse est monstrare ea quæ post illa sunt. Terminorum autem difficile argumentabiles ii omnium maxime sunt, quicunque utuntur talibus nominibus, quæ primum quidem immanifesta sunt, simpliciterne dicantur, an multipliciter, adhuc autem quæ neque nota utrum proprie, an secundum metaphoram de definito dicantur. Nam quia obscura sunt, non habet argumenta, quia vero ignorantur si absque metaphora dicitur quod tale est, non habet quod increpet. Omnino autem omne problema quando difficile argumentabile, vel termino indigere arbitrandum est, vel est eorum quæ multipliciter, vel eorum quæ secundum metaphoram de definito esse dicantur, vel non longe a principiis, vel quia non manifestum est primum nobis hoc idem, secundum quem dictorum modorum est quod dubitationem præstat. Nam cum est manifestus modus, manifestum quoniam aut definire oportebit, aut dividere, aut medias propositiones invenire. Nam perhæc monstrantur ultima. In multis autem positionibus (non bene assignata defi-

nitione) non facile disputare ac argumentari, ut utrum uni contrarium, an plura? Definitis autem contrariis aliquo modo, facile est ostendere utrum contingit plura eidem esse contraria, an non. Eodem autem modo et in aliis definitione indigentibus. Videntur autem et in disciplinis quædam ob definitionis defectum non facile describi, ut et quoniam quæ ad latus secat planum linea, similiter dividit et lineam et locum, definitione autem dicta, statim manifestum est quod dicitur. Nam eamdem ablationem habent loca et lineæ; est autem definitio ejus orationis hæc. Simpliciter autem prima elementorum, positis quidem definitionibus (ut quid linea vel quid circulus), facillimum ostendere, verum non multis ad unumquodque eorum est argumentari, eo quod non sunt multa media; si autem non ponantur principiorum definitiones, difficile, fortasse autem omnino impossibile. Similiter autem his et in iis quæ sunt circa orationes se habet. Non igitur latere oportet, quando difficile argumentabilis est positio, quod passa est aliquid eorum quæ dicta sunt, quando autem erit ad dignitatem et propositioem, major labor disputare quam ad positionem. Dubitare autem possit quispiam utrum ponenda sint talia, an non: nam si non ponat, sed poscat et ad illa disputare, majus præcipiet quam quod in principio positum est; si vero ponat, credet ex minus credibilibus. Si igitur oportet non difficilius problema facere, ponendum; si autem per notiora syllogizare, non ponendum. An discenti quidem non ponendum, nisi notius sit, exercitato vero ponendum, si verum solum videatur? Quare manifestum quoniam non similiter et interroganti et docenti existimandum esse ponendum. Quo pacto igitur interrogare et ordinare oportet, pene sufficiunt quæ dicta sunt.

CAPUT III.

Loci pro respondente.

De responsione autem primum quidem determinandum quodnam est opus bene respondentis, quemadmodum bene interrogantis. Est autem interrogantis quidem sic deducere orationem, ut faciat respondentem dicere inopinabiliora quam ea quæ propter positionem sunt necessaria; respondentis vero non propter se apparere, accidere impossibile, aut quod præter opinionem est, sed propter positionem: nam alterum fortasse peccatum, ponere primum quod non oportet, et positum non servare aliquo modo. Quia autem sunt indeterminata iis qui propter exercitationem et experientiam orationes faciunt (nam non eædem considerationes et discentibus, et docentibus, et concertantibus, neque his et iis qui exercent se invicem inspectionis gratia: nam discenti quidem ponenda sunt semper ea quæ videntur; neque enim conatur falsum ullus docere, concertantium vero interrogantem quidem videri aliquid facere oportet omnino, respondentem autem nihil videri pati), et in dialecticis congressionibus quæ non concertationis gratia, sed experimenti et inspectionis orationes faciunt, nondum enucleatum est quo A pacto oportat conjectare respondentem, et qualia dare, et qualia non, ad bene aut non bene servandam positionem; quoniam, inquam, nihil habemus traditum ab aliis, ipsi aliquid dicere tentemus. Necesse est autem respondentem sustinere orationem, ponendo aut probabilem, aut improbabilem positionem, aut neutram, et aut simpliciter probabilem, aut improbabilem, aut indeterminate, ut huic alicui, vel alii. Nihil autem refert quomodocunque, dum ea probabilis aut improbabilis sit; nam idem modus erit bene respondendi, vel dandi, vel non dandi quod interrogatum est: nam cum improbabilis est positio, necesse est et conclusionem probabilem fieri, cum vero probabilis, improbabilem. Nam oppositum semper positionis interrogans concludet; si autem neque probabile, neque improbabile quod positum B est, et conclusio erit talis. Quoniam autem bene syllogizans, ex probabilioribus et notioribus, propositum demonstrat, manifestum est quod, quando simpliciter est improbabile quod proponitur, non dandum est respondenti, nec quod non videtur simpliciter, nec quod videtur quidem, minus autem conclusione videtur. Nam cum improbabilis est positio, probabilis est conclusio. Quare oportet quæ sumuntur probabilia esse omnia et magis probabilia quam quod proponitur, si debet per notiora quod minus notum est concludi. Quare si neque tale est quidpiam eorum quæ interrogantur, non ponendum est respondenti. Simpliciter autem si est probabilis positio, dilucidum est, quoniam conclusio simpliciter improbabilis, ponendum igitur et quæ videntur omC nia, et eorum quæ non videntur, quæcunque minus sunt improbabilia conclusione. Nam sufficienter sic videbitur disceptatum esse. Similiter autem erit, et si neque improbabilis, neque probabilis est positio. Nam sic et quæ videntur omnia dandum, et eorum quæ non videntur, quæcunque minus sunt improbabilia conclusione, sic enim probabiliores accidit orationes fieri. Si igitur simpliciter quidem probabile vel improbabile quod ponitur, ad ea quæ videntur simpliciter comparatio facienda. Si autem non simpliciter probabile vel improbabile sit quod ponitur, sed respondenti, ad seipsum, quod videtur, et quod non videtur judicando, ponendum, vel non ponendum. Si vero alterius opinionem tutetur respondens, manifestum quoniam ad illius intelliD gentiam aspiciendo, ponere singula debet et negare; quare et qui curant extraneas opiniones (ut bonum et malum esse idem, quemadmodum Heraclitus inquit,) non dant non adesse simul contraria eidem, non videntur eis hæc, sed quia secundum Heraclitum sic dicendum. Faciunt hoc autem et qui suscipiunt ab invicem positiones; conjectant enim ac siis dicat qui ponit. Manifestum igitur quæ conjectandum respondenti, sive simpliciter probabile, sive alicui positum est. Quoniam autem est necesse omne quod interrogatur aut probabile aut improbabile esse, aut neutrum, et ad orationem aut non ad orationem attinere quod interrogatur, si sit quidem

etur, et non ad orationem,dandum est di- od videtur. Non enim interimitur (posito in principio. Si vero non videtur, et non nam,dandum quidem,et consignificandum videtur, ad devitationem absurditatis. Si ad orationem, et videatur, dicendum quo- stur quidem,sed valde propinquum ei quod pio est,et interimitur (eo posito)quod pro- est. Si autem ad orationem quidem, valde obabile postulatum,dicendum quod acci- osito, at valde absurdum esse quod pro- si vero neque probabile,neque improbabile, uidem ad orationem, dandum nihil deter- .Si autem ad orationem,consignificandum rimitur (posito eo) quod in principio est. et qui respondet nihil videbitur propter siquidem prævidens singula, posuerit, et rogat assequitur syllogismum positis ab eo probabilioribus conclusione. Quicunque ex probabilioribus conclusione conantur re,perspicuum quoniam non bene syllogi- re cum sic interrogant, non ponendum. autem et in iis quæ obscure et multiplici- tur occurrendum est.Nam quia datum est nti,non discenti,dicere non disco, et mul- dictum, non ex necessitate confiteri vel anifestum quoniam primum quidem nisi sit quod dicitur,non cunctandum ut dicat lligo, nam sæpe ex eo quod non clare in- tibus dant, occurrit aliquid difficile. Si au- m quidem sit,multipliciter autem dictum; ibus quidem verum vel falsum sit quod di- dum simpliciter quod dicitur, vel negan- ero in aliquo quidem sit verum, in aliquo lsum, significandum est quod multipliciter ; quia hoc quidem falsum, illud autem ve- cum posterius distinguitur,immanifestum rincipio ambiguum animadverterit.Si au- præviderit dubium, sed in alterum aspi- uerit,dicendum ad eum qui in alterum du- iam non ad id aspiciens dedi, sed ad alte- m. Nam pluribus existentibus quæ sub mine,vel eadem oratione sunt, facilis est as.Si vero et dilucidum sit et simplex quod tur,aut sic, aut non respondendum. Quo- em omnis propositio syllogistica,aut earum st ex quibus syllogismus, aut propter ali- arum,manifestum quod quandoque alterius metur ex eo quod plura similia interrogant. per inductionem, aut per similitudinem, ue universale sumunt;singularis igitur om- ndum,si sint vera et probabilia.Ad univer- ; tentandum instantiam ferre. Nam sine vel quæ sit, vel quæ videatur, prohibere m,protervire est; si igitur multis apparen- n dederit universale qui non habet instan- nifestum est quoniam protervit. Amplius, contra argumentari habeat quod non ve- lto magis videbitur protervire,quamvis nec iciat; nam complureso rationes opinionibus contrarias habemus,quas difficile est solvere, velut Zenonis,quod non contingit moveri, neque stadium pertransire, sed non propter id quæ sunt opposita his non ponendum.Si igitur qui neque contra argumentari habet,neque instare,non ponit dilucidum, quoniam protervit.Est enim in disputationibus protervia responsio præter dictos modos, syllogismi destructio.Sustinere autem et positionem et definitionem, ipsum sibi ipsi oportet præargumentando. Nam ex quibus interimunt interrogantes quod proponitur,manifestum quoniam iis adversandum.Inopinabilem vero suppositionem cavendum sustinere. Erit autem inopinabilis multipliciter nam et ea ex qua absona contingit dicere (ut si omnia dicat aliquis moveri, aut nihil), et quæcunque pejoris majoris esse eligenda, et quæ contraria, consiliis, ut quod voluptas bonum,et injuriam facere melius quam injuriam pati, nam non ut orationis gratia sustinentem, sed ut ea quæ videantur dicentem oderunt. Quæcunque vero orationum falsum syllogizant,solvendum interimendo id propter quod fit falsum. Nam non is qui quodvis interimit solvit,ne quidem si falsum est quod interimitur;habere enim potest plura falsa oratio,ut si quis sumat sedentem scribere. Socratem vero sedere, accidit enim ex his, Socratem scribere; interempto igitur Socratem sedere,nihil magis soluta est oratio, quamvis falsum sit postulatum,sed non propter id oratio falsa.Nam si quis sit sedens,non scribens autem,non amplius in tali apte accommodabitur eadem solutio; quare non id interimendum, sed sedentem scribere, non enim omnis qui sedet scribit. Solvit igitur omnino, qui interimit id propter quod fit falsum,novit autem solutionem qui scit quod propter id falsa oratio, quemadmodum in iis quæ falso describuntur; non enim sufficit instare,ne quidem si falsum sit quod interimitur,sed et id propter quod falsum,assignandum : sic enim erit manifestum utrum prævidens aliquid, an non, facit instantiam.

CAPUT IV.

Loci communes pro interrogante et respondente.

Est autem orationem prohibere concludi quadrupliciter. Nam aut interimendo id propter quod fit falsum,aut ad interrogantem instantiam dicendo : sæpe enim non solvit quidem,qui tamen interrogat non potest longius producere. Tertium autem ad interrogata,accidit enim ex interrogatis quidem non fieri quod volumus, eo quod non bene interrogata sint,addito autem aliquo,fieri conclusionem.Si igitur non amplius potest producere interrogans,ad interrogantem erit instantia, si autem potest, ad interrogata. Quartum autem, pessima est instantiarum quæ est ad tempus,nam quidam talibus instant ad quæ disputare pluris est temporis,quam præsentis exercitationis;instantiæ igitur, ut dictum est prius, quatuor modis fiunt. Solutio autem est earum quæ dictæ sunt, prima tantum, reliquæ autem prohibitiones quædam et impedimenta conclusionum. Inculpatio vero orationis et secundum ipsam oratio-

nem,et quando interrogatur non eadem.Plerumque enim quod non bene disputatur oratio,is qui interrogatur est causa eo quod non concedatex quibus probe erat disputare ad positionem,nam non est in altero solo bene absolvere commune opus. Necessarium igitur quandoque ad dicentem,et non ad positionem argumentari,quando is qui respondet contraria interroganti observat corroborans;protervientes igitur altercatorias, et non dialecticas faciunt exercitationes. Amplius autem, quia exercitationis et experimenti gratia,et non doctrinæ hujusmodi sunt orationes,perspicuum quoniam non solum vera syllogizandum, verum etiam falsum, nec per vera semper, sed quandoque et per falsa ; sæpe enim vero posito, interimere necesse est disputantem : quare proponenda falsa,quandoque autem et falso posito, interimendum per falsa, nihil enim prohibet alicui videri quæ non sunt magis quam vera; quapropter ex iis quæ illi videntur oratione facta, magis erit suasus quam adjutus.Oportet autem eum qui bene transfert,dialectice et non contentiose transferre ; ut geometram geometrice, sive falsum, sive verum sit quod concludendum est;quales autem dialectici syllogismi,dictum est prius.Quoniam autem malus particeps,qui impedit commune opus,patet quod et in orationibus,nam commune quidpiam quod proponitur et in illis est,præterquam in concertantibus; his autem non est eumdem utrisque finem assequi, nam plures uno impossibile est vincere. Differt autem nihil sive in respondendo,sive in interrogando fiat, nam et qui contentiose interrogat, prave disputat ; et qui in respondendo non dat quod videtur,neque suscipit quicquam quod vult interrogans interrogare. Manifestum igitur ex iis quæ dicta quod non similiter inculpandum et secundum seipsam orationem et interrogantem. Nam nihil prohibet orationem quidem pravam esse, interrogantem vero, ut possibile est, optime contra respondentem disceptare, nam contra protervos non possibile fortasse statim sumere quales quis vult, sed quales fieri possibile faciendi syllogismi. Quoniam autem est indeterminatum quando contraria,et quando ea quæ sunt in principio sumunt homines (nam plerumque per se ipsos dicentes contraria dicunt,et abnuentes prius, dant posterius,eo quod interroganti et contraria et quæ in principio plerumque obediunt), necesse est pravas fieri disputationes;causa autem est qui respondet hæc quidem non dans,illa autem talia dans;manifestum igitur quoniam non similiter inculpandum et interrogantes et orationes. Orationes autem secundum seipsas quinque sunt inculpationes.Prima quidem quando ex interrogatis non concluditur, neque quod propositum est neque omnino quidquam, cum sint vel falsa,vel inopinabilia, quo omnia, aut plurima, in quibus consistere debet conclusio, et neque ablatis quibusdam,neque additis, neque his quidem ablatis, illis vero additis, fit conclusio. Secunda autem,si ad positionem non fiat syllogismus, et ex talibus,et eo modo quo dictum est prius.Tertia vero si additis quibusdam fiat syllogismus, hæc autem sint deteriora iis quæ interrogantur,et minus probabilia conclusione,etiamsi ablatis quibusdam, nam quandoque sumunt plura necessariis, quare non eo quod hæc sunt, fit syllogismus. Amplius, si ex inopinabilioribus, et minus credibilibus conclusione, aut si ex veris, sed majore opera indigentibus demonstrari,quam problema ; non oportet autem ex omnibus problematis syllogismos existimare similiter probabiles esse et suasibiles;natura enim statim sunt aliqua quidem faciliora,alia vero difficiliora eorum quæ interrogantur, quare si ex aliquibus,ut fieri potest, maxime probabilibus,conjecturam fecerit,disputatum bene est. Manifestum igitur quoniam orationis non eadem inculpatio,et ad problema,et secundum se.Nam nihil secundum se quidem orationem prohibet esse vituperabilem, ad problema autem laudabilem, et rursum diverso, secundum se quidem laudabilem,ad problema autem vituperabilem, quando ex pluribus est facile cum probabilibus tum veris concludere.Erit autem quandoque oratio etiam concludens quam non concludens deterior,quando illa quidem ex absurdis concludit, cum non sit tale problema,hæc autem indigeat talibus quæ sunt probabilia et vera, et nondum ex assumptis sit oratio.Eos autem qui per falsa verum concludunt,non justum est inculpare. Nam falsum quidem semper necesse est per falsa syllogizare,verum autem est quandoque per falsa syllogizare,manifestum autem id ex Analyticis.Cum autem demonstratio sit alicujus dicta oratio, si aliquid est aliud quod ad conclusionem nullo modo se habet non erit ex illo syllogismus;si autem appareat, sophisma erit, non demonstratio.Est autem philosophema quidem syllogismus demonstrativus,epichirema autem syllogismus dialecticus, sophisma vero syllogismus contentiosus, aporema autem syllogismus dialecticus contradictionis.Si vero ex utrisque quæ videantur aliquid ostendatur,non autem similiter videantur, nihil prohibet quod ostenditur magis altero videri.

Sed si hoc quidem videatur, illud autem neutra parte,aut si hoc quidem videatur, illud autem non videatur;si similiter quidem, similiter utique erit, et non;si autem magis alterum, sequetur quod est magis. Est autem quoddam et idem ad syllogismos peccatum,quando ostenditur per longiora quod contingit per breviora,et quæ orationi assunt. Ut quod est opinio magis altera quam altera, si quis petat ipsum quodque maxime esse,esse autem opinabile, ipsum quod vere est;quare quorumdam magis esse ipsum; ad quod autem magis, magis dicitur esse, esse autem et ipsam opinionem veram, an erit accuratius,quam par sit exigens quædam?Petitum est autem et ipsam opinionem veram esse, et ipsum quodque maxime esse,ac si ipsa opinio vera,certior sit; sed quæ nequitia major, quam quæ facit circa id cujus est oratio latere causam? Oratio autem est manifesta uno quidem modo,et publicissimo,si sit concludens sic, ut nihil oporteat interrogare, uno

autem et qui maxime dicitur,cum sumpta quidem sint ex quibus necessarium est conclusionem esse, quæ quidem sint per conclusiones conclusa,etiamsi id mittitur quod valde probabile est.

CAPUT V.

Pro opponente et respondente loci communes.

Falsa autem oratio vocatur quadrupliciter. Uno quidem modo,quando apparet concludere quæ non concludit,vocatur autem apparens,litigiosus syllogismus. Alio modo,quando concludit quidem, non tamen ad propositum,quod accidit maxime in iis quæ ad impossibile ducunt. Aut ad propositum quidem concludit,non tamen secundum propriam disciplinam: hoc autem est,si ea quæ non est medicinalis videatur esse medicinalis,aut geometrica quæ non est geometrica,aut dialectica quæ non est dialectica, sive verum,sive falsum sit quod accidit.Alio autem modo,si per falsa non concludit, hujus autem erit quandoque quidem conclusio falsa,quandoque autem vera;nam falsum quidem semper per falsa concludit, verum autem possibile est et non per vera,ut dictum est prius. Quod autem falsa sit oratio,dicentis peccatum potius est quam orationis ; at ne quid dicentis semper, sed cum lateat ipsum quod falsam orationem dixit aliquam,eo quod ab ipso suscipimus cum pluribus veri quidpiam amplius, si ex iis quæ maxime videntur interimit aliquid verorum(talis enim existens verorum demonstratio est), oportet sane positorum aliquid non esse omnino,quare erit hujus demonstratio. Si autem verum concludat per falsa, et valde absurda, compluribus deterior erit quæ falsum syllogizant ; erit autem talis,et quæ falsum concludit. Quare manifestum quod prima quidem consideratio orationis secundum se ipsam est, si concludit ; secunda autem,utrum verum an falsum ; tertia vero ex qualibus quibusdam.Nam si ex falsis quidem, opinabilibus autem,rationabilis; si autem existentibus quidem, sed inopinabilibus, prava ; si vero et falsa et valde inopinabilia sint, dilucidum quod prava, aut simpliciter, aut ad rem. Id autem quod in principio et contraria quonam pacto peteret interrogans,secundum veritatem quidem in Analyticis dictum est,secundum opinionem vero nunc dicendum est. Petere autem videntur id quod [est in principio quinque modis. Manifestissimo quidem et primo,si quis idipsum quod monstrari oporteat petat,hoc autem in eo ipso quidem non facile latere potest, in synonimis autem, et in quibuscunque nomen et oratio idem significat, magis. Secundo autem,quando quod particulariter oporteat demonstrare universaliter quis petat,ut qui argumentatur quod contrariorum una disciplina,omnium oppositorum postulaverit unam esse,nam videtur id quod oportebat secundum se ostendere cum aliis petere pluribus. Tertio, si quid quod universaliter est ostendere propositum particulariter petit, ut si de omnibus contrariis propositum est, de aliquibus postulet: videtur enim hic quod cum pluribus oportebat ostendere secundum se extra petere.

Rursus, si quis dividens petat problema, ut si oportet ostendere medicinam sani et ægri, extra utrumque postulet,aut si qui eorum quæ sequuntur se invicem ex necessitate alterum petat, ut latus incommensurabile esse diametro,si oporteat ostendere quod diameter lateri. Æqualiter autem et contraria petunt ei quod ex principio est. Nam primo quidem si quis opposita petat secundum affirmationem et negationem ; secundo autem contraria secundum oppositionem,ut bonum et malum idem ; tertio vero si quis universaliter postulans, particulariter petierit contradictionem.Ut si quis sumens contrariorum unam disciplinam,sani et ægri alteram esse petat ; aut si hoc petens in universali oppositionem tentet sumere.Rursum si quis petat contrarium ei quod ex necessitate accidit per ea quæ posita sunt,et si quis ea quidem non sumat quæ opposita,at alia petat duo,ex quibus erit opposita contradictio.Differt autem contraria sumere tantillum ab eo quod est in principio,quoniam hujus quidem est peccatum ad conclusionem (nam ad illam aspicientes,quod in principio est dicimus petere); contraria autem sunt in propositionibus eo quod ipsæ aliquo modo se habent ad invicem. Ad gymnasiam autem et exercitationem talium orationum primum quidem convertere assuescere oportet orationes. Sic enim et ad id quod dicitur copiosius nos habebimus, et in paucis plures sciemus orationes: nam convertere est transsumentem conclusionem cum reliquis interrogationibus interimere unum quidpiam eorum quæ dicta sunt.Necesse est enim, si conclusio non est, unum aliquam interimere propositionum, siquidem omnibus positis necesse erat conclusionem esse. Ad omnem autem positionem et quod sic, et quod non sic argumentum considerandum,et cum inveneris,solutionem statim quærendum. Sic enim simul accidet et ad interrogandum,et ad respondendum exerceri,et si ad nullum alium habemus, apud nos ipsos sensim comparanda sunt quæ attinent ad ipsam positionem argumenta: nam id ad cogendum multam copiam præbet, et ad redarguendum magnum habet adjumentum, quando quispiam promptus est argumentari,et quod sic et quod non sic, nam ad contraria accidit facere observationem, et ad cognitionem,et ea (quæ secundum philosophiam est) peritiam posse conspicere, et conspexisse quæ ab utraque accidunt suppositione,non parvum instrumentum : reliquum enim horum, recte eligere alterum ; oportet autem ad id quod tale est esse bono ingenio,et hoc est secundum veritatem,bonum ingenium, posse bene eligere verum, et diffugere falsum, quod qui nati sunt bene possunt probe facere, nam qui amant et qui odiunt, quod profertur facile discernunt optimum.Et ad ea quæ sæpissime incidunt problemata, scire oportet orationes, et id maxime de primis positionibus. Nam in his fastidiunt sæpe qui respondent. Amplius, terminorum copiosos esse oportet, et probabilium, et primorum se habere promptos: nam per hæc fiunt syllogismi.

Tentandum autem et ea (in quæ sæpissime incidunt disputationes) tenere. Nam quemadmodum in geometria ante opus est circa elementa exercitatum esse, et in numeris circa capitales prompte se habere, et multum refert ad hoc et alium numerum cognoscere multiplicatum, similiter quoque et in orationibus promptum esse ad principia, et propositiones memoria scire oportet : nam perinde ac in memoriæ sensorio solum loci positi statim faciunt ipsas res memorare, et hac faciunt ad ratiocinandum promptiorem, eo quod ad determinatas illas inspiciat secundum numerum. Propositionemque communem magis quam positionem in memoria ponendum. Nam principiorum et suppositionum copiosum esse mediocriter, difficile. Amplius, orationem unam plures facere assuescendum, velut ii qui occultissime abscondunt. Tale autem erit si quis quam plurimum abscedat ab affinitate eorum de quibus est oratio; erunt autem potiores orationum universales maxime, quæ id pati possint, ut quoniam non est una plurium disciplina : sic enim et in iis quæ sunt ad aliquid, et in contrariis, et conjugatis est. Oportet autem et reminisci universales facere orationes, tametsi fuerit disputans particulariter. Sic enim et plures licebit unam facere, similiter autem et apud rethores in enthymematibus. Eumdem autem quam maxime fugere, contra universale ferre syllogismos. Et semper oportet considerare orationes, si in pluribus communibus disputantur. Nam omnes particulares in universali disputatæ sunt, et inest in particularibus ejus quod est universale demonstratio, eo quod non est syllogizare quidquam sine universali. Exercitatio autem facienda, inductivarum quidem ad rudem, syllogisticarum autem ad expertum. Et tentandum accipere ab iis quidem qui in Syllogismis triti sunt propositiones, ab iis vero qui in inductionibus similitudines, in hoc enim utrique exercitati sunt. Omnino autem exercitationis gratia disceptantibus tentandum afferre aut syllogismum de aliquo, aut propositionem, aut solutionem, aut instantiam, sive recte quis dicat, sive perperam, vel ipse, vel alter, et ad quidpiam uterque. Ex his enim facultas, exercitatio autem facultatis gratia, et maxime circa propositiones et instantias. Est enim (ut simpliciter dicam) dialecticus, propositivus et instantivus. Est autem proponere quidem, unum facere quæ sunt plura. Oportet enim unum omnino sumere ad quod est oratio. Instare autem quod unum est, facere plura. Nam aut dividit, aut interimit, hoc quidem dans, illud autem non dans, eorum quæ proposita sunt. Non est autem cum omni disputandum, neque contra quemlibet exercitandum. Nam necesse ad aliquos pravas fieri orationes, ab eo enim qui omnino tentat apparere, diffugiendum, justum autem omnino tentare syllogismo concludere, verumtamen non pulchrum, eo quod non oportet adversus quoslibet facile consistere. Quandoquidem necesse est parviloquium inde emergere, nam qui exercitati sunt non possunt abstinere a disputatione sine altercatione. Oportet autem et factas habere orationes ad hujusmodi problemata, in quibus cum paucissimorum copia eas ad quam plurima utiles habeamus. Illæ vero sunt universales, et ad quas in promptu quidpiam adinvenire difficile est.

ELENCHORUM SOPHISTICORUM ARISTOTELIS

LIBRI DUO

AN. MANL. SEV. BOETIO INTERPRETE.

LIBER PRIMUS.

CAPUT PRIMUM.

Quod intendit, et aliquem syllogismum sophisticum esse.

De sophisticis autem redargutionibus, et de iis quæ videntur redargutiones (sunt autem captiosæ ratiocinationes, at non redargutiones) dicamus oportet, incipientes secundum naturam a primis. Quod igitur hi quidem syllogismi, illi autem (cum non sint) videntur, manifestum est. Nam quemadmodum et in aliis id fit per quamdam similitudinem, sic et in orationibus se habet; etenim hi quidem habitum probe habent, illi vero videntur, ex tribu tumentes, et componentes seipsos; et pulchri hi quidem ob pulchritudinem, illi autem videntur, seipsos fucantes. Et in inanimatis quoque similiter, nam et illorum hæc quidem argentum, ista vero aurum revera sunt; illa non sunt quidem, apparent autem secundum sensum, ut lithargyrina et stannea, argentea, et felle tincta, aurea. Eodem autem modo et syllogismus, et redargutio : hæc quidem est, illa vero non est, apparet autem propter imperitiam; nam imperiti velut distantes, a longe speculantur. Nam syllogismus quidem ex quibusdam est positis, ut colligamus aliquid aliud ex necessitate ab iis quæ posita sunt per ea quæ posita sunt; redargutio autem syllogismus est, cum contradictione conclusionis; illi vero id quidem non faciunt. Videntur autem ob multas causas, quarum unus locus aptissimus et publicissimus per nomina. Nam quia fieri non potest ut res ipsas ferentes disputemus, sed nominibus pro rebus, utimur signis, et quod accidit in nominibus, in rebus quoque arbitramur accidere, quemadmodum iis qui calculis supputant. Id autem non est simile, nam nomina quidem finita sunt, et orationum multitudo;

res vero numero infinitæ sunt. Necesse est igitur plura eamdem orationem et nomen unum significare; quemadmodum igitur et illic qui non sunt prompti calculos sustinere, a scientibus decipiuntur, eodem quoque modo et in orationibus qui nominum virtutis sunt ignari perfacile captionibus allucinantur, et ipsi disputantes, et alios audientes. Ob hanc igitur causam, et eas quæ dicendæ sunt, est syllogismus, et redargutio apparens, atque non existens.

CAPUT II.

De generibus disputationum.

Quoniam autem quibusdam magis operæ pretium est videri esse sapientes, quam esse et non videri (est enim sophistice apparens sapientia, non existens autem, et sophista pecuniarum aucupator ab apparente sapientia, et non existente), manifestum profecto est quoniam necessarium est illis et sapientis opus videri facere magis quam facere, et non videri. Est autem (ut unum ad unum dicamus) in unoquoque opus sapientis, non mentiri quidem ipsum de quibus novit, mentientem autem manifestare posse. Hæc autem sunt, hoc quidem in eo quod potest dare orationem, illud autem in eo quod sumere. Necesse est igitur illos qui volunt sophistice agere, dictarum orationum genus quærere. Operæ enim pretium est eis, nam hujusmodi potestas faciet videri sapientes cujus sunt desiderium habentes. Quod autem tale orationum genus est, et quod talem appetunt potestatem, illi quos vocamus sophistas, manifestum est. Quot autem sunt species sophisticarum orationum, et ex quo numero potestas ea constat, et quot partes contingit esse negotii, et de aliis quæ suffragantur ad hanc artem, nunc dicamus. Sunt igitur ad disputandum orationum genera quatuor: doctrinales, dialecticæ, tentativæ, contentiosæ. Et doctrinales quidem sunt quæ ex propriis principiis cujusque disciplinæ, et non ex his quæ videntur respondenti, colligunt : nam oportet credere eum qui dicit. Dialecticæ autem, quæ ex probabilibus collectivæ sunt contradictionum. Tentativæ vero, quæ ex iis colligunt quæ videntur respondenti, et quæ necessarium est eum scire qui simulat se habere scientiam, quomodo determinandum est in aliis; porro contentiosæ, quæ sunt ex iis quæ apparent probabilia, apparentes syllogistice. De demonstrativis autem in Analyticis dictum est; de dialecticis vero et tentativis, in aliis. De altercatoriis autem et contentiosis nunc dicendum.

CAPUT III.

Fines sophistæ, et loci sophistici in dictione.

Primum igitur sumendum est quot conjectant qui in orationibus decertant et coaltercantur. Sunt autem hæc quinque numero, redargutior falsum, inopinabile, solœcismus, et quintum, quod est facere nugari eum qui condisputat. Hoc autem est frequenter cogere idem dicere, aut quod non est, sed quod apparet quodque esse horum. Nam maxime volunt apparere redarguere; secundum autem, falsum aliquid monstrare; tertium vero, ad hoc quod est inopinabile ducere; quartum, solœcismo uti facere: hoc autem est facere secundum locutionem barbarizare ex oratione respondentem. Ultimum autem, idem frequenter dicere. Modi autem redarguendi sunt duo: nam alii quidem sunt propter dictionem, alii vero extra dictionem. Sunt autem ea quidem quæ propter dictionem faciunt phantasiam ex numero ; hæc quidem sunt æquivocatio, amphibolia, compositio, divisio, accentus, et figura dictionis. Hujus autem fides, et ea quæ est per inductionem, et syllogismus, et si qua sumatur alia, et quod totidem modis, si eisdem nominibus et eisdem orationibus non idem significamus. Sunt autem propter æquivocationem hujusmodi orationes, ut quod discunt scientes: nam ea quæ memoriæ prodita sunt, discunt grammatici. Discere enim æquivocum est, ad intelligere eum qui utitur disciplina, et ad accipere disciplinam. Ea rursus quod mala bona sunt, nam quæ expediunt bona sunt, mala autem expediunt. Duplex enim expediens est et necessarium quod accidit plerumque in malis (est enim quoddam malum, necessarium) et bona quoque expedientia dicimus esse. Amplius autem eumdem sedere, et stare, et ægrotare, et sanum esse: nam qui surgebat stat, et qui sanabatur, sanus est; surgebat autem sedens, et sanabatur ægrotans. Ægrotantem enim aut sedentem quidlibet facere aut pati non unum significat, sed quandoque quidem qui nunc ægrotat aut sedet, quandoque autem qui ægrotabat prius ; verumtamen sanabatur quidem ægrotans cum ægrotans, sanus est autem non cum ægrotans, sed ægrotans non nunc, sed prius. Propter autem amphiboliam sunt orationes tales, velle capere me pugnantes. Et putasne quod quis cognoscit, id cognoscit? nam et cognoscentem et cognitum contingit, ut cognoscentem significare hac oratione. Et putasne quod quis videt, id videt? videt autem columnam, quare columna videt. Et putas quod tu dicis esse, id tu dicis esse? dicis autem lapidem esse, quare tu lapis, dicis esse. Et putas est silentia dicere? duplex enim est et id, silentia dicere, hoc quidem eos qui dicunt silere, illud autem ea quæ dicuntur. Sunt autem tres modi secundum æquivocationem et amphiboliam. Unus quidem quando nomen vel oratio plura significat principaliter, ut aquila vel canis. Alius autem quando soliti sumus sic dicere. Tertius vero quando compositum plura significat, separatum vero simpliciter, ut scire litteras: nam utrumque fortasse unum quidem significat, et scire, et litteræ; ambo autem plura, aut litteras ipsas scientiam habere, aut litterarum alium. Amphibolia igitur et æquivocatio propter hos modos sunt. Propter compositionem vero hujusmodi sunt, ut possibile est sedentem ambulare, et non scribentem scribere : non enim idem significat si dividens quis dicat, et componens, quod possibile est sedentem ambulare, et non scribentem scribere. Et hoc identidem si quis componat non scribentem scribere. Significabit profecto quod habet potestatem, ut non scribens scri-

bat, si quis autem non componat, quoniam habet potestatem quando non scribit, ut scribat. Et discit nunc litteras, si quis didicit quas scit. Amplius, quod unum solum potest ferre, plura pctest ferre. Propter vero divisionem quod quinque sunt duo, et tria paria et imparia. Et quod majus æquale, tantumdem enim est majus et adhuc amplius; nam eadem oratio divisa et composita non idem semper videbitur significare. Ut ego posui te servum, existentem liberum. Et hoc, quinquaginta virum, centum heros liquit Achilles. Propter accentum autem, in iis quæ sunt sine scriptura, non facile dialecticis facere orationem ; in scripturis autem et poematibus magis. Ut et poetam defendunt nonnulli adversus redarguentes quasi hte absurde locutum. Nec gemere aeria cessabit turtur ab ulmo, quod pentemimeri usus sit, et turture femi- B nino: solvunt enim id accentu, dicentes quod aeria accentum finalem longum habet, et non ad turtur, sed ad ulmo, ut epithetum debet referri ; et id de Nisa et Eurialo, cum Rutulos vino somnoque sepultos intellexisset. Cætera per terras omneis animalia somno laxabant curas, et corda oblita laborum. Talia igitur propter accentum sunt. Quæ autem propter figuram dictionis sunt, accidunt quando non idem ut idem interpretatur, ut masculinum, femininum, vel femininum, masculinum, vel quod inter hæc est, alterum horum, vel rursus quale quantum, lel quantum quale, vel faciens patiens, vel dispositum facere, et alia ceu divisum prius. Nam est aliquid quod non est eorum quæ sunt facere, ut eorum quæ sunt facere aliquid dictione significare; ut valere similiter C figura dictionis dicitur ei quod est secare, vel ædificare, quamvis illud quidem quale quid, et affectum quodam modo significet, hæc vero facere aliquid. Eodem autem modo et in cæteris. Propter igitur dictionem redargutiones ex his existunt.

CAPUT IV.

De locis redargutionum sophisticarum extra dictionem.

Earum vero quæ extra dictionem sunt captionum species sunt septem. Una quidem propter accidens; secunda autem propter id quod simpliciter, vel non simpliciter, sed aliquo modo, aut ubi, aut quando, aut ad aliquid dicitur; tertia autem propter redargutionis ignorantiam; quarta vero propter consequens; quinta autem propter id quod est in principio sumere; sexta propter id quod non est causa, ut causam ponere; septima vero propter plures interroga- D tiones unam facere. Propter igitur accidens captiones sunt, quando similiter quodcunque existimabitur rei et accidenti inesse: nam quia multa eidem accidunt, non est necesse omnibus prædicatis et ei de quo prædicantur, illa omnia inesse. Nam omnia sic erunt eadem, quemadmodum sophistæ dicunt: ut si Coriscus est alter ab homine, ipse est alter a se, est enim homo; aut si a Socrate alter, Socrates autem homo ab homine alterum dicunt esse confessum, eo quod accidit (a quo dixit alterum esse) hunc esse hominem. Propter id autem quod hoc quidem simpliciter, illud autem aliquo modo, et non A præcipue, quando quod in parte dicitur, ut simpliciter dictum sumitur, ut si non ens est opinabile quod non ens est; non enim est idem esse quidvis, et esse simpliciter. Aut rursum quoniam quod est non est, si eorum quæ sunt quidpiam non est, ut si non est homo: nam non idem est non esse quidvis, et non esse simpliciter, apparet autem, eo quod perquam propinquum est dictione, et parum differat esse quidvis ab eo quod est esse, et non esse, quidvis ab eo quod est non esse. Similiter autem propter id quod est aliquo modo, et simpliciter, ut si Indus cum si totus niger, albus est dentibus, albus igitur et non albus est. Aut si ambo aliquo modo, quod simul contraria inerunt, tale autem in quibusdam quidem, cuilibet facile est considerare. Ut si sumens Æthiopem nigrum esse, dentibus dicat quod albus; si ergo ibi albus, quod niger, et non niger, putabit disputasse syllogistice, cum perfecerit interrogationem. In quibusdam vero latet frequenter, in quibuscunque cum aliquo modo dicatur, simpliciter videtur sequi, et in quibuscunque non facile est considerare utrum eorum præcipue sit assignandum. Fit autem tale, in quibuscunque similiter sunt opposita: nam videntur aut ambo, aut neutrum dandum esse simpliciter prædicari, ut si dimidium quidem album, dimidium vero nigrum, utrum album, an nigrum? Quæ autem sunt propter id quod non determinatur quid est syllogismus, aut quid redargutio, fiunt propter omissionem orationis: nam redargutio est contradictio unius et ejusdem, non nominis, sed rei, et nominis non synonymi, sed ejusdem, ex iis quæ data sunt ex necessitate, non connumerato eo quod erat in principio, secundum idem, et ad idem, et similiter, et in eodem tempore. Hoc autem modo fieri potest ut quis falsum dicat de aliquo, quidam autem omittentes aliquid eorum quæ dicta sunt, apparent redarguere ut quod idem duplum et non duplum, nam duo unius quidem dupla, tria autem non dupla. Aut si ejusdem idem duplum et non duplum, sed non secundum idem, nam secundum longitudinem duplum, secundum latitudinem non duplum. Aut si ejusdem, et secundum idem, et similiter, sed non simul, quare est apparens redargutio. Trahat autem aliquis hanc et in eas quæ sunt propter dictionem. Quæ autem propter id quod in principio erat sumuntur, fiunt quidem sic et tot modis quot modis contingit, quod in principio est petere; videntur autem redarguere, eo quod non possit quis inspicere idem et diversum. Quæ vero propter consequens est redargutio, ideo est quod putent converti consequentiam, nam si cum hoc est ex necessitate, illud sit, et cum illud est, putant et alterum esse ex necessitate; unde et (quæ ob opinionem ex sensu sunt) deceptiones fiunt, nam sæpe esse mel fel suspicati sunt, eo quod sequitur flavus color mel. Et quia accidit terram pluvia madidam fieri, etiamsi sit madida, opinantur pluisse, id autem non necessarium est. In rhetoricis quidem quæ secundum signum fiunt demonstrationes, ex consequentibus sunt, nam

volentes ostendere quod adulter, quod consequens est accipiunt, quod comptus, aut quod videtur noctu errabundus; pluribus autem hæc quidem insunt, prædicatum tamen non inest. Similiter autem et in ratiocinativis, ut est Melissi oratio, quod infinitum est universum, sumens autem universum ingenitum (nam ex nihilo nihil fieri) quod autem factum est ex principio fieri. Si igitur non factum est, principium non habet universum, quare infinitum; non necesse est autem hoc accidere, non enim si omne quod factum est, principium habet, etiam quidquid principium habet, factum est, quemadmodum neque si febriens calidus, etiam calidum necesse est febrire. Quæ vero propter non causam, ut causam, cum assumitur quod non causa est, tanquam propter illud fiat redargutio. Accidit autem tale, ad impossibile syllogismis: necessarium enim est in his aliquid interimere ex iis quæ posita sint. Si ergo enumeretur in necessariis interrogationibus ad id ad quod accidit impossibile, videbitur propter id sæpe fieri redargutio, ut quod non est anima, et vita idem: nam si generatio corruptioni est contrarium, et alicui corruptioni erit quædam generatio contrarium mors autem corruptio quædam et contrarium vitæ; quare vita generatio et vivere generari: hoc autem impossibile, non ergo idem anima et vita. Nequaquam collectum est, nam accidit (tametsi quispiam non idem dicat vitam et animam) impossibile, sed solum, contrarium vitam quidem morti, cum sit corruptio, corruptioni autem generationem. Incollectiles igitur simpliciter non sunt hujusmodi orationes, sed ad propositum incollectiles, et latet plerumque non minus ipsos interrogantes quod tale est. Propter igitur consequens, et propter non causam orationes hujusmodi sunt. Quæ autem propter id quod est duas interrogationes unam facere, quando latet plures esse, et perinde ac una sit, assignatur responsio una. In aliquibus autem facile est videre quod plures, et quod non danda una responsio, ut utrum terra mare est an cœlum? In aliquibus vero minus, et quasi una sit, aut confitetur (eo quod nequeunt respondere ad interrogatum) aut redargui videntur, ut putas hic et hic est homo? Quare cum aliquis percusserit hunc et hunc, percutiet hominem, et non homines. Aut rursum quorum hæc sunt quidem bona, illa autem non bona, omnia hæc bona, an non bona? Nam utrumvis dixerit, est quidem ut aut redargutionem, aut falsum apparens videatur facere, nam dicere eorum quæ non sunt bona aliquid esse bonum, aut eorum quæ bona sunt non bonum, falsum. Quandoque autem assumptis quibusdam, redargutio etiam fiet vera, ut si quis concedat similiter et unum et plura dici alba, at nuda, et cæca: nam si cæcum est quod non habet visum, natum tamen habere, et cæca erunt quæ non habent visum, nata autem habere; quando igitur hoc quidem habet visum, illud autem non habet, ambo erunt vel videntia, vel cæca, quod est impossibile.

CAPUT V.

Omnes sophisticas redargutiones in ignorantiam redargutionis revocatum iri.

Aut igitur sic dividendum apparentes syllogismos et redargutiones, aut omnes reducendum ad redargutionis ignorantiam, iis qui hanc principium faciunt: fieri enim potest ut omnes resolvamus dictos modos ad redargutionis definitionem. Primum quidem si incollectiles fuerint, oportet enim ex iis quæ posita sunt accidere conclusionem, et (ut ita dicam) ex necessitate, atque non apparere: deinde et secundum partes definitionis, nam earum quæ sunt in dictione, hæ quidem sunt propter duplex, ut æquivocatio et oratio, et similis figura, consuetum enim id omnia ut et illud quidpiam significare. Compositio autem, et divisio, et accentus, eo quod non eadem est oratio, aut nomen quod differens, oportebat autem et id esse quemadmodum et rem eamdem, si debebat redargutio vel syllogismus esse, ut si tunica, non vestis syllogizetur, sed tunica, nam verum est et illud, sed non syllogizatum est; sed adhuc interrogatione indiget, quod idem significat ad eum qui quærit propter quod. Quæ vero secundum accidens definito syllogismo manifestæ fiunt, nam eamdem definitionem oportet syllogismi et redargutionis fieri, attamen et adjungere contradictionem, nam redargutio syllogismus est contradictionis; si igitur non est syllogismus accidentis, non fit redargutio: non enim si cum hæc sint, necesse est illud esse, id autem est album esse propter syllogismum; neque si triangulus duobus rectis tres augulos habet æquales, et accidit ei figuram esse, vel primum, vel principium, quod figura, vel primum, vel principium tale est: nam non quatenus figura, vel primum, vel principium, sed quatenus triangulus demonstratio. Similiter et in aliis. Quare si redargutio syllogismus quidam, non erit quæ secundum accidens redargutio. Verum propter hoc et artifices et omnino scientes ab insciis redarguuntur, nam secundum accidens syllogismos faciunt contra sapientes; qui vero non possunt dividere, aut interrogati concedunt, aut cum non dant, arbitrantur dedisse. Quæ vero propter id quod aliquo modo et simpliciter, quoniam non de eodem affirmatio et negatio est, nam aliquo modo albi, aliquo modo non album, et simpliciter albi, simpliciter non album, negatio est; si igitur cum datur aliquo modo esse album, quis ut simpliciter dictum accipit, non facit redargutionem: apparet autem propter ignorantiam ipsius, quid est redargutio. Manifestissime autem omnium quæ prius dictæ sunt propter redargutionis definitionem, quare et sic nuncupatæ sunt, nam propter orationis omissionem phantasia fit, et divisis hoc pacto, commune in omnibus his ponendum est orationis omissio. Quæ vero propter id quod sumitur quod erat in principio, et non causa ut causa ponitur, manifestæ sunt per definitionem, nam oportet conclusionem accidere eo quod hæc sunt, quod non erat in non causis, et

rursum non connumerato eo quod erat in principio, quod non habent eæ quæ sunt propter petitionem ejus quod in principio. Quæ vero propter consequens particula sunt accidentis, nam consequens accidit; differt autem ab accidente, quoniam accidens quidem est in uno solo sumere, ut idem esse flavum, et mel, et album, et cygnum, quod autem propter consequens, semper in pluribus; nam quæ uni et eidem sunt eadem, et sibi invicem postulantur esse eadem, propter quod fit ea quæ propter consequens redargutio. Est autem non omnino verum, ut si sit album secundum accidens, nam et nix et cygnus albo idem, aut rursum in Melissi oratione idem esse accipit factum esse, et principium habere, aut æqualia fieri, et eamdem magnitudinem accipere. Quoniam enim principium habet quod factum est, et quod habet principium, factum esse postulat, tanquam ambo eadem sint, eo quod principium habent factum esse et finitum. Similiter autem et in iis quæ æqualia facta sunt, si eamdem magnitudinem, et unam sumentia æqualia fiunt, et quæ æqualia facta sunt, eamdem et unam magnitudinem sumunt, quare consequens sumit; quod igitur propter accidens redargutio, in ignorantia redargutionis est, manifestum, et quod ea quæ est, est propter consequens. Inspiciendum autem est id et alias melius. Quæ vero propter id quod est plures interrogationes ut unam facere, in eo sunt quod non enucleamus, sive non dividimus propositionis orationem, nam propositio unum de uno est. Nam idem terminus unius solius hominis. Similiter autem et in aliis. Si igitur una propositio est quæ unum de uno postulat, et simpliciter erit propositio talis interrogatio. Atqui quoniam syllogismus ex propositionibus est, redargutio autem syllogismus, et redargutio erit ex propositionibus. Si igitur propositio unum de uno, manifestum quoniam et hæc in redargutionis ignorantia, nam apparet esse propositio quæ non est propositio. Si itaque dedit responsionem ut ad unam interrogationem, erit redargutio; si autem non dederit, sed apparet, apparens redargutio. Quare omnes loci cadunt in redargutionis ignorantiam, qui quidem dicti sunt propter dictionem, quia est apparens contradictio, quod erat proprium redargutionis, alii autem propter syllogismi terminum.

CAPUT VI.

Causæ deceptionem, captionum sophisticarum.

Deceptio autem fit in iis quidem quæ propter æquivocationem et orationem, eo quod non potest quis dividere id quod multipliciter dicitur, nam quædam non est promptum dividere, ut unum, et ens, et idem. In ils autem quæ sunt propter compositionem et divisionem, eo quod nihil putatur differre composita et divisa oratio, ceu evenit in plurimis. Similiter autem et in iis quæ sunt propter accentum, non enim aliud videtur significare intensa, et remissa oratio in aliquo, aut non in pluribus. Earum vero quæ sunt propter figuram, ob similitudinem dictionis: difficile est enim dividere quæ similiter et quæ aliter dicuntur (nam ferme qui hoc potest facere in procintu est ut videat verum, maxime autem sciet innuere), quod omne quod de aliquo prædicatur, arbitramur, idipsum aliquid esse, et ut unum intelligimus, nam unum, et substantiam maxime videtur sequi id quod est aliquid, et ens. Quare in iis quæ sunt propter dictionem hic locus ponendus, primum quidem magis deceptio gignitur in iis qui cum aliis considerant, quam qui per seipsos: nam ea quæ cum alio est consideratio, per orationem est: quæ autem per seipsos, non minus per ipsam rem. Deinde et per seipsos decipi accidit, quando in oratione facit considerationem: præterea deceptio quidem ex similitudine, similitudo autem ex dictione. In iis autem quæ sunt propter accidens, eo quod non potest dijudicare idem et diversum, et unum et multa, neque quibus prædicatorum omnia hæc et rei accidunt. Similiter autem et in iis quæ propter consequens sunt, pars enim quædam accidentis, est consequens. Amplius, et in multis apparet, et postulatur hoc pacto, si hoc ab illo non separatur, nec ab altero separatur alterum. In iis vero quæ sunt propter omissionem orationis, et in iis quæ sunt propter id quod aliquo modo et simpliciter, eo quod propter parum, deceptio est, Nam quasi nihil consignificet quid aut aliquo modo, aut simpliciter, aut alicubi, aut nunc, universaliter concedimus. Similiter autem et in iis quæ quod in principio est sumunt, et in non causis, et quæcunque plures interrogationes ut unam faciunt: in omnibus enim his est deceptio, ob id quod propter parum, nam non exacte discernimus neque propositionis neque syllogismi terminum, propter prædictam causam.

CAPUT VII.

Ex quibus locis captiones falsæ.

Quoniam autem habemus propter quæcunque fiunt apparentes syllogismi, habemus et propter quæcunque fiunt sophistici syllogismi et redargutiones. Dico autem sophisticam redargutionem et syllogismum, non solum apparentem syllogismum aut redargutionem non existentem quidem; sed et existentem quidem, at apparenter accommodatam rei. Sunt autem illæ, quæ non secundum rem redarguunt, et quæ monstrant ignorantes, quod quidem erat proprium tentativæ. Est autem tentativa, pars dialecticæ; illa autem potest syllogizare falsum, propter ignorantiam ejus qui dat orationem. Sophisticæ autem redargutiones tametsi colligant contradictionem, non faciunt manifestum, si ignorat, nam et scientem impediunt hisce orationibus. Quod autem illas habeamus, hac via manifestum est, nam propter quæcunque apparet audientibus ut interrogata syllogizare, propter hæc et respondenti utique videatur: quare erunt syllogismi falsi per hæc aut omnia, aut aliqua, nam quod non interrogatus arbitratur dedisse, et interrogatus quoque ponet. Verum in qui-

busdam simul accidit et interrogare quod deest,et apparere falsum, ut in iis quæ sunt secundum dictionem et solœcismum.Si ergo syllogismi contradictionis propter apparentem redargutionem sunt, manifestum est quod propter tot erunt et falsorum syllogismi,propter quot et apparens redargutio,apparens autem propter particulas veri : nam cum quodcunque defuerit,apparebit redargutio,ut quod propter non accidens, propter orationem, quæ ad impossibile, et quæ duas interrogationes ut unam facit, propter propositionem,et pro eo quod per se, quod propter accidens, et hujus particula, quod propter consequens.Amplius, non in re,sed in oratione accidere,deinde pro universali contradictione, et secundum idem,et ad idem,et similiter, propter id quod in aliquo,vel propter unumquodque horum peccat.Amplius,propter id quod est non connumerato eo quod in principio, quod in principio sumere. Quare habemus secundum quod fiunt captiosæ ratiocinationes,nam secundum plura non erunt,secundum autem ea quæ dicta sunt erunt omnes.Est autem sophistica redargutio non simpliciter redargutio, sed ad aliquem,et syllogismus similiter.Nam si non sumat id quidem quod est propter æquivocum unum significare,et quod propter similitudinis figuram solum hoc quidem ; et in aliis similiter,neque syllogismi,neque redargutiones erunt, neque simpliciter, neque ad eum qui interrogatur.Si autem sumant,ad eum qui interrogatur erunt,simpliciter autem non erunt; non enim unum significatum sumpserunt,sed apparens, et apud illum quidem.

CAPUT VIII.

De veris et falsis redargutionibus.

Propter quæcunque autem redarguunt qui redargutionibus utuntur,non oportet tentare sumere sine omnium quæ sunt scientia.Id autem non unius artis, nam infinitæ fortasse sunt scientiæ ; quare manifestum quoniam et demonstrationes, redargutiones quidem sunt et veræ. Nam quæcunque est demonstrare,est et redarguere eum qui ponet contradictionum veri,ut si commensurabilem diametrum posuerit,redarguet quis demonstratione,quod incommensurabilis ; quare omnium oportebit esse scium : nam aliæ quidem sequuntur propter ea quæ in geometria sunt principia, et eorum conclusiones ; aliæ autem propter ea quæ sunt in medicina ; aliæ denique propter illa quæ sunt aliarum disciplinarum.Sed et falsæ redargutiones similiter infinitæ erunt.Nam secundum unamquamque artem et falsus syllogismus,ut secundum geometriam geometricus, et secundum medicinam medicinalis. Dico autem secundum artem,secundum illius principia.Manifestum est igitur quod non omnium redargutionum,sed earum quæ sunt secundum dialecticam,sumendi sunt loci.Nam ii communes sunt ad omnem artem et potentiam,et eam quidem quæ est secundum unamquamque disciplinam,redargutionem scientia est considerare sive cum non est, apparet, sive cum est, et quare est; eam autem quæ ex communibus est, et sub nulla arte cadens,dialecticorum. Nam si habemus ex quibus probabiles syllogismi in quolibet, habebimus ex quibus redargutiones : redargutio namque est syllogismus contradictionis; quare aut unus,aut duo syllogismi contradictionis,redargutio est.Habemus igitur propter quæcunque omnes hujusmodi sunt ; si autem hæc habemus, et solutiones habemus, nam illarum instantiæ,solutiones sunt. Habemus autem propter quæcunque et apparentes fiunt,apparentes autem non cuilibet,sed talibus ; infinita enim sunt, si quis consideret illa secundum quæcunque apparent quibuslibet.Quare manifestum est quoniam dialectici est posse sumere propter quæcunque fit per communia,vel quæ est redargutio, vel quæ apparet redargutio,vel dialectica,vel apparens dialectica, vel tentativa.

CAPUT IX.

Orationes ad nomen et ad intellectum non bene diduci.

Non est autem differentia orationum quam quidam dicunt esse,has quidem ad nomen, illas vero ad intellectum.Inconveniens enim est opinari alias quidem esse ad nomen orationes, diversas vero ad intellectum et non easdem.Quid enim est non ad intellectum,nisi quando non utitur nomine (qui putat interrogare) eo et ad quod is qui interrogatus dedit? Idem autem id est et ad nomen. Et ad intellectum autem,quando ad quod dedit intelligens. Si autem aliquis (plura significante nomine) unum putet significare, et interrogans, et interrogatus (ut forte ens et unum plura significat,sed et respondens et interrogans Zeno unum putans esse interrogavit, et est oratio quod unum, omnia), hæc ad nomen est, aut ad intellectum interrogantis disputata.Si vero aliquis multa putet significare, manifestum quod oratio illa non est ad intellectum.Primum igitur circa hujusmodi orationes, est ad nomen, et ad intellectum, quæcunque plura significant; deinde circa quamlibet est, non in oratione est ad intellectum esse,sed in eo quod respondens se habet aliquo modo ad ea quæ dantur ; deinde ad nomen contingit omnes eas esse, nam esse ad nomem, hoc in loco, est esse non ad intellectum suum ; si enim non omnes,erunt quædam aliæ quæ neque ad nomen neque ad intellectum, illi vero dicunt omnes,et dividunt vel ad nomen,vel ad intellectum esse omnes,alias autem non.Attamen quicunque sunt syllogismi propter id quod multipliciter,horum aliqui sunt secundum nomen. Nam absurde dicatur secundum nomen esse omnes qui sunt propter dictionem ; sed sunt quædam captiones non in eo quod respondens ad eas se habeat aliquo modo, sed quia tamen interrogationem oratio ipsa habeat quæ plura significet.Et omnino inconveniens est de redargutione disserere,et non prius de syllogismo : nam redargutio syllogismus est; quare oportet et de syllogismo prius quam de falsa redargutione, nam talis redargutio apparens syllogismus contradictionis. Quare aut in syllogismo erit causa, aut in contradictione (nam adjungere oportet contradictionem),quandoque autem in utroque erit apparens re-

dargutio ; est autem de eo quod est silentia dicere, in contradictione, non syllogismo. De eo autem quod est quod non habet aliquis dare, in utrisque ; de eo vero quod est quod Homeri poema est figura per circulum in syllogismo ; quæ autem in neutro est, verus est syllogismus. Verum unde sermo provenit revertamur. Utrum quæ in disciplinis sunt orationes ad intellectum sint, an non ? Et si cui videtur plura significare triangulus, et dedit non ut eam figuram de qua concludebat quoniam duo recti, utrum ad intellectum illius disputavit hic, an non ? Amplius, si plura quidem significat nomen, ille autem non intelligit, neque putat quomodo is non ad intellectum disputat, aut quomodo oportet interrogare eum, qui non dat divisionem ? sive interroget aliquis si est silentia dicere an non ? an est quidem ut non, an est ut sic ? Si autem dat aliquis nullo modo, ille autem disputat, utrum non ad intellectum disputat, quamvis oratio videatur earum esse quæ ad nomen sunt. Non igitur est genus aliquod orationum ad intellectum, sed illæ quidem ad nomen sunt, et hujusmodi non omnes, non quod redargutiones, sed neque apparentes redargutiones ; nam sunt et non propter dictionem apparentes redargutiones, ut quæ propter accidens, et reliquæ. Si autem postulet dividendum, quod dico quidem silentia dicere, hæc autem sic, illa vero non sic, id profecto primum, absurdum postulare : nam quandoque non videtur interrogatum multipliciter se habere, atqui impossibile est dividere, qui non putat. Deinde docere, quid aliud erit ? manifestum enim faciet quonam pacto se habet, ei qui neque considerat, neque scit, neque opinatur quod aliter dicitur, quia et in non duplicibus quid prohibet hoc facere : ut putas æquales sunt unitates binariis, in quaternariis ? Sunt autem hi binarii quidem inexistentes, illi autem non sic ; et putas contrariorum una est disciplina an non ? Sunt autem contraria hæc quidem nota, illa autem ignota : quare videtur ignorare qui hoc postulat, quod aliud est docere quam disputare, et quod oportet quidem docentem non interrogare, sed eum manifesta facere, illum autem interrogare.

CAPUT X.

De interrogatione tentativæ, et quid inter contentiosum sophisticumque intersit.

Amplius, affirmare vel negare qui postulat, id non monstrantis est, sed experimentum sumentis, nam tentativa dialectica quædam est, quapropter de omnibus inspicit, et explorat non scientem, sed ignorantem atque simulantem. Qui igitur secundum rem considerat communia, dialecticus est ; qui autem id apparenter facit, sophisticus. Et syllogismus contentiosus et sophisticus, unus quidem est apparens syllogismus, circa ea de quibus dialectica tentativa est, quamvis vera sit conclusio : nam ejus quod est propter quid, hallucinatorius est, et quæcunque (cum non sint) secundum cujusque disciplinam captiosæ ratiocinationes, videntur esse secundum artem. Nam pseudographiæ non contentiosæ (secundum enim ea A quæ sub arte sunt, captiosæ sunt ratiocinationes) neque si aliqua est pseudographia circa verum, ut Hippocratis quadratura quæ per lunulas ; sed ut Bryso quadravit circulum, et tametsi quadraretur circulus, quia tamen non secundum rem, ideo sophisticus ; quare et qui de his quidem apparens syllogismus, contentiosa est oratio : nam apparens est secundum rem, quare fallax et injusta. Quemadmodum enim ea (quæ in certamine est) injuria quamdam speciem habet et est quædam injusta pugna, sic in contradictione injusta pugna contentiosa est, nam et illic qui omnino vincere volunt, omnia tentant, et hic qui contentiosi sunt. Qui igitur victoriæ ipsius gratia tales sunt, contentiosi homines et litium amatores videntur esse, qui autem gloriæ gratia B quæ in divitiis est, sophistici sunt ; nam sophistice est (ut diximus) pecuniarum quædam aucupativa ab apparente sapientia, quapropter demonstrationem apparentem appetunt. Et in eisdem orationibus quidem sunt litium amatores et sophistæ, sed non propter eadem ; et oratio quidem eadem erit sophistica et contentiosa, sed non propter idem, sed quatenus quidem est ob victoriam apparentem, contentiosa ; quatenus vero est ob sapientiam sophistica, nam sophistice est quædam apparens sapientia, non autem existens. Contentiosa vero quodammodo sic se habens ad dialecticam, ut pseudographa ad geometricam : nam ex eisdem contentiosa, disserendi modo, captiose decipit, ut et pseudographa geometrice. Sed hæc quidem non contentiosa, quia C ex principiis et conclusionibus quæ sunt sub arte pseudographiam facit ; quæ autem ex iis est quæ sunt sub dialectica, circa alia quidem contentiosam esse, manifestum est : ut quadratura quidem quæ per lunulas, non contentiosa, Bryssonis autem contentiosa. Et illam quidem non est transferre nisi ad geometriam, solum eo quod ex propriis fit principiis ; hanc autem ad plures quicunque nesciunt quid est possibile in unoquoque, et quid impossibile, nam acommodabitur, aut ut Antiphon quadravit, vel si quis non dicat melius esse post cœnam deambulare per Zenonis rationem, non medicinalis, communis enim est. Si ergo omnino similiter se habeat contentiosa ad dialecticam, ut pseudographa ad geometriam, non ex illis utique erit contentiosa.

D

CAPUT XI.

Orationes dialecticorum tentativorumque non esse ad determinatum genus.

Nunc autem non est dialecticus circa genus aliquid determinatum, neque demonstrativus ullius, neque talis qualis universalis, nam neque omnia sunt in uno aliquo genere, neque si sint, possibile est sub eisdem principiis esse ea quæ sunt. Quare et nulla ars earum quæ aliquam naturam monstrant, interrogativa est, nam non possibile est utramvis partium dare. Syllogismus enim non fit ex utrisque, dialectica autem interrogativa est (si autem monstraret, quid illud, nisi et omnia ?), verumtamen prima

peculiariaque principia non interrogat, nam si non A
daret, non jam haberet ex quibus amplius disputaret ad instantiam. Talis autem est tentativa, nam tentativa non talis est qualis est geometria, sed qualem utique haberet, non sciens aliquis. Fieri enim potest ut periculum sumat, et is qui nescit rem de eo qui nescit, siquidem et dat non ex quibus scit, neque ex propriis, sed ex consequentibus, quæ omnia talia sunt quæ scientem quidem nihil prohibet nescire artem, nescientem autem necesse est ignorare. Quare manifestum quoniam nullius determinati tentativa disciplina est, eo quod de omnibus est, nam omnes artes utuntur quibusdam communibus. Ideoque omnes illitterati quodam modo utuntur dialectica et tentativa. Nam omnes usque ad aliquid conantur dijudicare eos qui pronuntiant; hæc autem B
sunt communia, nam illa nihil minus sciunt ipsi, quamvis videantur longe extra dicere. Redarguunt igitur omnes, nam sine arte quidem eo participant, cujus artificialiter est dialectica, et arte syllogistica, tentativus, dialecticus. Quoniam autem sunt multa quidem hæc et de omnibus, non talia autem ut natura quædam sint et genus, sed ut negationes; alia autem non talia, sed propria sunt. Ex illis de omnibus experimentum possibile est sumere, et artem esse quamdam, et non talem esse quales quæ demonstrant, eo quod contentiosus non est omnino sic se habens, ut pseudographus: nam non erit captiosus ex determinati cujuspiam generis principiis, sed circa omne genus erit is qui contentiosus. Loci igitur sophisticarum redargutionum hi sunt, et quod C
dialectici est considerare de his, et res eas posse facere, non difficile videre: nam quæ circa propositiones est disciplina, omnem habet hanc speculationem, et de redargutionibus quidem apparentibus dictum est.]

CAPUT XII.

Loci sophistici interrogantium ad falsum aut inopinabile.

De aliquo est falsum quidpiam ostendere, et oratione ad inopinabile ducere. Hoc autem fuit secundum propositum sophisticæ intentionis. Primum quidem ex eo quod interrogat quodam modo, et per interrogationem accidit maxime, nam id ad nullum determinatum interrogare propositum, venativum est illorum. Temere namque dicentes peccant magis; temere autem dicunt, quando nihil habent proposi- D
tum. Et id interrogare multa (quamvis id determinatum sit ad quod disputant) et id ea quæ videntur, dicere se postulare, facit quamdam idoneitatem, ut ad inopinabile ducat aut falsum. Et si interrogatus affirmet aut neget illorum aliquid ducere ad ea ad quæ promptus est argumentari, potest tamen nunc minus nocere per hæc quam prius, nam repetunt aliquid ad id quod in principio. Elementum autem deveniendi ad falsum aliquod aut inopinabile, nullam statim interrogare positionem, sed affirmare ob id se interrogare quod discere velit, nam locum argumentationis consideratio facit. Ad falsum autem ostendendum proprius locus sophisticus est ducere ad talia ad quæ abundat orationibus, est autem bene et non bene id facere, quemadmodum dictum est prius. Rursum ut ad inopinabilia ducat, considerare ex quo genere est qui disputat, deinde interrogare quod pluribus illi dicunt inopinabile, est enim singulis quibusque aliquid tale. Elementum autem horum sumere singulorumque quorumque positiones in propositionibus. Solutio vero et horum competens fertur ostendere quod non propter orationem accidit inopinabile, semper autem id quoque vult qui contendit. Amplius autem ex voluntatibus et manifestis opinionibus, nam non eadem volunt et dicunt, sed dicunt quidem decoratissimas orationes, volunt autem ea quæ videntur prodesse: ut bene mori magis quam voluptuose vivere dicunt oportere, et agere juste magis quam divitis affluere prave; volunt autem contraria. Eum igitur qui dicit secundum voluntates, ad has manifestas opiniones ducendum, eum vero qui dicit secundum has, ad absonsas; utrovis enim modo necessarium est inopinabilia dicere, nam aut ad manifestas aut immanifestas opiniones dicunt contraria. Plurimus autem est locus faciendi inopinabilia dicere, quemadmodum Callicles in Gorgia scriptus est dicens: Et veteres autem omnes arbitrati sunt accidere propter id quod secundum naturam et secundum legem contraria; contraria enim esse naturam et legem dicunt, et justitiam secundum legem quidem esse bonum, secundum autem naturam non bonum. Oportet igitur ad eum quidem qui dicit secundum naturam, secundum legem obviare, ad eum vero qui secundum legem, ad naturam ducere; nam utroque modo dicere contingit inopinabilia, erit autem quod secundum naturam quidem ipsis verum, secundum autem legem quod multitudini videtur. Quare manifestum quod et illi, quemadmodum et qui nunc, aut redarguere, aut inopinabilia dicere respondentem, conabantur efficere. Quædam autem interrogationum habent utrinque inopinabilem responsionem, ut utrum sapientibus an patri oporteat obedire, et expedientia facere an justa, et an injuriam pati eligibilius quam nocere. Oportet autem ducere ad ea quæ multitudini et sapientibus sunt contraria: nam si dicat aliquis ut ii qui circa oratio- est
nes ad ea quæ multitudini, si autem ut multi ad ea quæ iis qui in oratione; dicunt enim hi quidem ex necessitate beatum justum esse, multitudini autem inopinabile est regem infelicem esse. Est autem ad ea quæ sic sunt, inopinabilia ducere idem ei quod est ad eam quæ est secundum naturam et secundum legem contrarietatem ducere; nam lex opinio multitudinis, sapientes autem secundum naturam et veritatem dicunt, et inopinabilia quidem ex his oportet quærere locis.

CAPUT XIII.

De captionibus nugationis et solæcismi.

De eo quidem quod est facere nugari, quidnam dicimus nugari, jam monstravimus. Omnes autem tales orationes id volunt efficere, si nihil referat nomen et orationem dicere. Duplum autem, et duplum di-

midii idem est. Si igitur duplum est dimidii duplum, erit dimidii dimidii duplum, et rursum si pro duplo duplum dimidii ponatur, ter erit dictum dimidii dimidii dimidii diplum. Et putas, est concupiscentia delectationis? hæc autem est appetitus delectationis, est igitur concupiscentia appetitus delectationis delectationis. Sunt autem omnes hujusmodi orationum in iis quæ sunt ad aliquid, quæcunque non solum genera, sed et ipsa ad aliquid dicuntur, et ad idem et unum assignatur, ut appetitus alicujus appetitus, et concupiscentia alicujus concupiscentia, et duplum alicujus duplum, et duplum dimidii, et in quibuscunque quæ (cum substantia non sint) ad aliquid omnino eorum sunt quorum sunt habitus, aut affectus aut aliquid hujusmodi, in oratione ipsorum de illis prædicatorum declaratur, ut impar est numerus medium habens, est autem numerus, impar est igitur numerus numerus medium habens. Et si simum cavitas naris est, est autem naris sima, erit ergo naris naris cava. Apparent autem facere non facientes quandoque, eo quod non interrogant (si significet aliquid per se dictum duplum, an nihil, et si aliquid significat, utrum idem an diversum), sed conclusionem dicunt statim, et apparet propter nomen idem, esse idem, et significare. Solœcismus autem quale quid est, dictum est prius. Est autem et hoc facere, et non facientem videri, et facientem non videri, quemadmodum Levinus dixit si Venus masculinum est: nam qui dicit almam, solœcismum quidem facit secundum illum, non apparet autem aliis; qui autem almum, apparet autem, sed non facit solœcismum. Manifestum igitur quoniam et ars quædam hoc potest facere, eo quod multæ orationes non colligentes, solœcismum videntur colligere, ut et in redargutionibus. Sunt autem omnes pene apparentes solœcismi propter hoc, et quando casus neque masculinum, neque femininum significat, sed neutrum: nam hic quidem masculinum significat, hæc autem femininum; hoc vero neutum vult significare, sæpe autem significat et illa utraque, ut quid est hoc? Calliope, lignum, Coriscus. Masculini igitur et feminini differunt casus omnes, neutri hi quidem, illi autem non. Cum datur igitur hoc sæpe colligunt quasi dictum si hunc. Similiter autem et alium casum pro alio ponunt. Captiosa autem ratiocinatio fit eo quod hoc commune sit plurium casuum, nam hoc significat quandoque hic, quandoque autem hunc. Oportet autem vicissim significare, cum est quidem hic, cum esse autem hunc, ut est Coriscus, esse Coriscum. Et in femininis nominibus similiter, nam in omnibus similiter, et est et esse facient differentiam. Et quodammodo in his similis est solœcismus iis redargutionibus quæ propter id quod non similia aut propter figuram similiter dicuntur. Nam quemadmodum illic in rebus, sic hic in nominibus accidit solœcismum facere: nam homo, et album, et res, et nomen est; manifestum igitur quoniam solœcismum tentandum est ex dictis casibus colligere. Species igitur sunt hæ contentiosarum orationum, et partes specierum, et modi qui dicti sunt.

CAPUT XIV.

De occultatione sophistica, et contra moleste respondentes.

Differt autem non parum si ordinentur quodam modo ea quæ ad interrogationem sunt, ut lateat quemadmodum in dialecticis. Dienceps igitur ex iis quæ dicta sunt, hæc primum dicenda. Est autem ad redarguendum, unum quidem prolixitas, nam difficile simul multa conspicere. Ad prolixitatem vero quæ adducuntur elementis, utendum. Unum quidem festinatio, nam tardiores minus prævident; amplius autem ira et contentio, nam conturbati minus possunt observare omnes. Elementa autem iræ. Manifestum quoque eum facere qui vult juste agere, et circa omnia impudentem esse. Amplius, permutatim interrogationes ponere, sive ad idem plures habeat aliquis orationes, sive et quod sic, et quod non sic: simul enim accidit aut ad plura, aut ad contraria facere observationem. Omnino autem omnia quæ ad occultandum dicta sunt prius, utilia etiam ad contentiosas orationes: nam occultatio latendi gratia est, latere autem deceptionis. Ad eos autem qui renuunt quæcunque opinantur esse ad orationem, ex negatione interrogandum ceu contrarium velit, aut etiam ex æquo interrogationem facere, nam cum dubium est quod vult sumere, minus insolescunt. Et quando in partibus dederit quispiam singula inducenti, universale sæpe non interrogandum est, sed ut dato utendum, nam quandoque putant et ipsi dedisse, et audientibus quoque apparet propter inductionis memoriam, veluti perinde atque non interrogavit vane. Et in quibus non nomine significatur universale, similitudine tamen utendum est ad id quod expedit, nam latet similitudo plerumque. Et ad sumendum propositionem, contrarium, oportet comparando interrogare, ut si debeat sumere quoniam oportet per omnia patri obedire, utrum per omnia oporteat obedire parentibus, an per omnia non obedire? et sæpe id, utrum multa concedendum, an pauca? magis enim si necesse, videbuntur esse multa? Appositis enim juxta se contrariis, minora et majora apparent, et pejora et meliora hominibus. Valde autem et sæpe facit videri redargui, maxime sophistica calumnia interrogantium, cum nihil colligentes non interrogationem faciunt id quod est ultimum, sed concludenter dicunt veluti colligentes: non igitur hoc et hoc. Sophisticum autem est et cum ponitur inopinabile, quod apparet postulare respondere, proposito eo quod videtur ex principio, et interrogationem talium sic facere utrum tibi videtur? nam necesse est si sit interrogatio ex quibus syllogismus, aut redargutionem, aut inopinabile fieri; cum dat quidem, redargutionem, cum autem non dat neque dare videtur, fatetur inopinabile, cum vero non dat, videri autem fatetur, redargutionis simile. Amplius, quemadmodum in rhetoricis, et in redargutionibus similiter contrarietates considerandum, aut ad eas quæ ab eodem sunt dictæ aut ad eos quos confitetur bene dicere aut agere. Amplius, ad eos qui

videntur tales, aut ad similes, aut ad plurimos, aut ad omnes. Quemadmodum autem respondentes sæpe cum redarguuntur faciunt duplex, si debeat accidere redargutio et interrogationibus utendum quandoque illo, contra instantes, si sic quidem accidat, sic autem non, quoniam si sumpserit, ut facit Cleophon in Mandrobulo, oportet etiam absistentes ab oratione reliqua argumentorum dividere, et respondent (si præsenserit) prius instare et prædicere. Argumentandum autem quandoque et ad aliud ab eo quod dictum est, illud sumentibus, si non ad id quod propositum est habeat aliquis argumentari, quod Lycophron fecit dum propositum esset ex arte lyram A commendare. Ad eos autem qui exigunt ad aliquid argumentari, postquam videtur oportere assignare causam. Dictis autem quibusdam observabilibus quod universaliter accidit in redargutionibus, ut dicat contradictionem, ut quod affirmavit negare, aut quod negavit affirmare; sed non quod contrariorum est eadem disciplina, vel non eadem. Non oportet autem conclusionem ut propositionem interrogare; quædam autem neque interrogandum est, sed ut concessis utendum. Ex quibus igitur interrogationes et quomodo interrogandum, in concertatoriis exercitationibus dictum est.

LIBER SECUNDUS.

CAPUT PRIMUM.

De utilitate cognoscendi sophisticas orationes et apparatu ad eas diluendas.

De responsione autem, et quomodo oportet solvere, et quid, et ad quam utilitatem orationes hujusmodi prosunt, post hæc dicendum. Utiles ergo sunt ad philosophiam propter duo. Primum quidem, quia ea quæ ut plurimum propter dictionem fiunt, melius se habere faciunt ad id, quotupliciter quodque dicitur, et ea quæ similiter et quæ aliter in rebus accidunt et in nominibus. Secundum autem, ad eas quæ per seipsum inquisitiones fiunt, nam qui ab alio facile captiose fallitur, et id non sentit, et ipse quoque a se id patitur persæpe. Tertium vero, et reliquum adhuc, ad gloriam, eo quod circa omnia exercitatus esse videbitur, et in nullo se inexperte habere; nam si is qui in orationibus est consocius, C orationes vituperat, cum nihil habeat quod determinet de vitiositate earum, dat suspicionem quod videri velit insolescere, non quia verum sit, sed propter imperitiam. Respondentibus autem, quomodo obsistendum sit adversum hujusmodi orationes, manifestum, siquidem recte dicimus prius ex quibus sunt captiosæ ratiocinationes, et si (quæ inquirendæ sunt) superabundantias sufficienter divisimus. Non est autem idem sumentem orationem videre, et solvere vitiositatem, et interroganti posse occurrere celeriter, nam quod scimus, sæpe transpositum ignoramus. Amplius autem quemadmodum in aliis, id quod citius et tardius, ex exercitatione sit magis, sic et in orationibus se habet; quare si manifestum quidem sit nobis, immediati autem simus, privamur oppor- D tunitatibus frequenter. Accidit autem quandoque sicut in linearum descriptionibus (nam et illic solventes quandoque componere verum non possumus), sic et in redargutionibus, nam scientes propter quid orationem accidit connectere; solvere tamen orationem impotes sumus.

CAPUT II.

De apparenti solutione respondentis.

Primum igitur quemadmodum syllogizare dicimus opinabiliter quandoque magis quam vere eligere B oportere, sic ad solvendum quandoque magis opinabiliter quam ad veritatem; nam omnino adversus contentiosos est reluctandum, non ut ad eos qui redarguunt, sed qui redarguere apparent. Non enim dicimus eos syllogizare, quare ut non videantur, emendandi sunt; nam si redargutio est contradictio non æquivoca ex quibusdam, nihil opus est dividere ad amphibola, et æquivocationem (non enim facit syllogismum), sed nullius alterius gratia dividendum est, nisi quia conclusio videtur redargutioni similis. Non ergo redargui, sed videri redargui cavendum est, eo quod interrogat amphibola, et quæ propter æquivocationem sunt, et quæcunque aliæ hujusmodi cavillationes quæ et veram redargutionem adumbrant, et redarguentem atque non redarguentem incertum reddunt. Nam (quia licet in fine cum conclusum fuerit dicere se non idipsum quod affirmavit negare, sed æquivoce aut amphibolice, quamvis quam maxime contingit in idem ferat) incertum si redargutus est; incertum enim si vera nunc dicit. Si vero dividens interrogasset æquivocum aut amphibolum, non certa esset redargutio, quoniam requirunt (nunc quidem minus, prius autem magis) contentiosi, sic vel non respondere eum qui interrogant si fieri potest. Nunc autem quia non bene interrogant inquirentes, necesse est ut respondeat aliquid is qui interrogatus est, emendans vitium interrogationis, quia divisio sufficienter, vel sic, vel non, necesse est dicere respondentem. Si autem aliquis putet secundum æquivocationem redargutionem esse quodammodo non erit respondentem effugere, quin redarguatur; nam in iis quæ oculis subjecta sunt, necessarium quod affirmavit negare nomen, et quod negavit affirmare. Enim vero ut diluunt quidam, nihil prodest, nam non Coriscum aiunt esse musicum et non musicum, sed hunc Coriscum musicum, et hunc Coriscum non musicum. Eadem namque erit oratio Coriscum, ei quæ est hunc Coriscum musicum esse, vel non musicum, quod simul affirmant et negant. Sed fortasse non idem significant, nam neo illic nomen, quare in aliquo differt. Si autem hoc quidem simpliciter dicendo Coriscum assignet, illi

autem addat aliquem,aut hunc,absurdum est.Nihil enim magis quam alterum,utrolibet enim nihil differt. Non sic igitur, sed quia incertus quidem est qui non determinavit ambiguitatem,utrum redargutus est vel non redargutus,datum autem est in orationibus dividere, manifestum quod non determinando dare interrogationem,et quidem simpliciter, peccatum est,quoniam etsi non ipse, tamen oratio redargutæ similis est.Accidit autem sæpe videntes amphiboliam torpescere dividere, eo quod crebra talia proponantur, ne ad omne videantur molesti esse,deinde non putantibus propter id fieri orationem,sæpe profecto occurrit inopinabile,quapropter quia datum est, dividere haud cunctandum, quemadmodum dictum est prius.Si autem duas interrogationes non unam facit quisquam interrogationem, non propter æquivocationem vel amphiboliam fiet ceptiosa collectio, nonne redargutio au non ? Quid enim differt interrogare si Callias et Themistocles musici sint, quam si ambobus unum nomen esset existentibus diversis?nam si plura significat quam unum, plura interrogavit ; si igitur non rectum est ad duas interrogationes unam responsionem censere sumere simpliciter,manifestum quoniam nulli eorum quæ æquivoca sunt, convenit respondere simpliciter,nec si de omnibus quidem verum sit,veluti censent quidam, nihil enim differt hoc,quam si interrogasset :Coriscus et Callias utrum domi sint,an non sint domi ? sive adsint ambo, sive non adsint, utrinque enim plures propositiones. Non enim si verum est dicere,interrogatio propter id una,possibile est enim ad decies millenas interrogatas quæstiones, omnes sic vel non verum est dicere, attamen non est respondendum una responsione :interimitur enim disputatio.Id autem simile ac si idem nomen imponatur diversis.Si igitur non oportet ad duas interrogationes unam responsionem dare,manifestum quoniam nec in æquivocis sic vel non dicendum, neque enim qui dixit respondet, tametsi dixit;sed id amittunt quodam modo in disputationibus, eo quod lateat quod accidit. Quemadmodum igitur diximus quod redargutiones quædam videntur esse cum non sunt,eodem quoque modo et solutiones quædam videntur esse, quæ non sunt, quas dicimus quandoque operæ pretium magis afferre quam veras in contentiosis orationibus,et in ea (quæ ad duplex est) occursione. Respondendum autem in iis quæ videntur, esto dicendo, nam et sic minime fiet redargutio.Si vero aliquid quod inopinabile sit cogatur dicere, hic maxime addendum videri, sic enim neque redargutio neque inopinabile videbitur fieri. Quia autem quo pacto petitur quod est in principio,manifestum putant omnino (si sint propinquæ) interimendum,et non concedenda esse ulla, perinde ac si quod in principio est petat. Et quando aliquid tale postulaverit quispiam quod necessarium quidem est accidere ex positione,sit autem falsum vel inopinabile, idem dicendum, nam quæ ex necessitate accidunt,ejusdem videntur esse positionis.Amplius,quando universale non nomine sumitur, sed similitudine, dicendum quod non sic datum est, neque ut proposuit,sumit,nam propter id fit sæpe redargutio. Cum autem prohibetur his, ad id quod non bene ostensum est redeundum, obsistendum autem secundum dictam determinationem.In iis igitur quæ proprie dicuntur nominibus, necesse est respondere, vel simpliciter, vel dividendo. Quæ autem subintelligentes,proponimus,ut quæcunque non plane,sed truncatim interrogantur, propter id accidit redargutio, ut putasne quidquid est Atheniensium, possessio est Atheniensium?sic. Similiter autem et in aliis ? atqui homo est animalium, sic. Possessio igitur animalium, homo.Nam hominem animalium esse dicimus,quia animal est, et Lysandrum Lacedæmoniorum, quia Lacedæmonius est. Manifestum igitur quoniam in quibus obscurum est quod proponitur,non simpliciter concedendum. Quando vero duobus existentibus cum hoc quidem est,ex necessitate alterum esse videtur;cum vero alterum est,hoc non ex necessitate,interrogato utroque, oportet quod minus est dare.Nam difficilius est colligere de pluribus.Si autem argumentetur quod huic quidem est contrarium, illi autem non est, si oratio vera sit, contrarium esse est dicendum; at nomen alterius positum non esse.Quoniam autem quædam quidem eorum quæ dicuntur plures eum qui non concedit falsum dicere aiunt, quædam autem non,ut quæcunque ambigunt (utrum enim corruptibilis vel immortalis sit anima animalium, non exploratum est multis), in quibus igitur incertum est utro modo soleat dici quod proponitur; utrum in iis quæ sunt ut sententiæ, vocant enim sententias, et veras opiniones, et totas negationes, ut diameter incommensurabilis est. Amplius, de quo verum dubitatur,transferens quispiam nomina maxime latebit in illis,nam quia incertum est utro modo se habet verum, non videbitur sophistice agere ; propter id autem quod dubium,non videbitur falsum dicere,nam metaphora faciet orationem sine redargutione videri. Amplius, quascunque interrogationum præsenserit aliquis,præinstandum est et prædicendum, nam sic maxime interrogantem prohibebit.

CAPUT III.

De recta solutione loci.

Quoniam autem recta solutio est manifestatio falsi syllogismi, ob quamcunque interrogationem accidat falsum(falsus autem syllogismus dicitur dupliciter,nam aut si collectum est falsum,aut si cum non est syllogismus, videtur esse syllogismus), erit et quæ nunc dicta est solutio, et apparentis syllogismi, ob quam videtur esse interrogationum correctio ;quare contingit orationes syllogizantes quidem interimere,apparentes autem dividentem solvere. Rursum autem quoniam syllogizantium orationum,hæ quidem veram,illæ autem falsam habent conclusionem, eas quidem quæ secundum conclusionem sunt falsæ,duobus modis contingit solvere: nam et eo quod interimitur aliquid eorum quæ interrogata sunt,et eo quod ostenditur conclusio non

sic se habere. Eas vero quæ secundum propositiones, eo quod interimitur quiddam solum, nam conclusio vera est. Quare volentibus solvere orationem, primum quidem inspiciendum si syllogizat, an non syllogizat; deinde utrum vera si conclusio, an non vera, quatenus vel dividentes, vel interimentes solvamus, et iterum interimentes hoc modo, vel illo, quemadmodum dictum est prius. Differt autem plurimum, et interrogantem, et non, solvere orationem; nam prævidere quidem difficile est, per otium autem temporis videre, facile. Earum igitur quæ propter æquivocationem et amphiboliam redargutionem, aliæ quidem habent aliquam interrogationem plura significantem, aliæ autem conclusionem multipliciter dictam: ut in ea quidem quæ est silentia dicere, conclusio est duplex; in ea vero quæ est non conscire scientem, una interrogationum amphibolia est. Et duplex quidem quandoque est ens, quandoque non est ens, et quandoque significat duplex; hoc quidem ens, illud vero non ens. Quibuscunque igitur in fine est multiplex, nisi prius sumpserit contradictionem, non fit redargutio, ut in eo quod est cæcum videre, nam sine contradictione non fit redargutio. Quibuscunque vero in interrogationibus, non necesse est prænegare quod duplex est, nam non ad hoc, sed propter hoc fit oratio. In principio igitur ad duplex et nomen et orationem sic respondendum, quod est ut sic, est autem ut non: ut de eo quod est silentia dicere, quod est ut sic; est autem ut non, et quæ expediunt, agendum; sunt autem quæ sic, sunt autem quæ non, nam expedientia dicuntur multipliciter. Si autem lateat, in fine addendo interrogationi corrigendum, estne silentia dicere? non tamen eos qui silent. Et in iis autem quæ se habent quidem multipliciter in propositionibus, similiter. Nonne putas consciunt, quod sciunt? sic. Sed non sic scientes, non enim est idem, quod non est conscire, atque sic quidem non esse scientes. Et omnino obluctandum est, tametsi simpliciter colligatur, quod non rem quam dixit negavit, sed nomen, quare id non est redargutio. Manifestum autem et eas quæ sunt propter compositionem et divisionem, quomodo solvendum, nam si divisa et composita oratio aliud significat cum concluditur, contrarium dicendum. Sunt autem hujusmodi omnes orationes secundum compositionem et divisionem. Putasne quo vidisti tu hunc percussum, illo percussus est hic? et quo percussus est, illo tu vidisti? Habet quidem aliquid etiam dubiarum quæstionum, quamvis sit propter compositionem, nam non est duplex ob id quod est secundum divisionem, non enim eadem oratio fit divisa, et composita. Siquidem ora et hora secundum accentum prolata significant aliud, sed in scriptis quidem idem nomen, cum ex eisdem elementis scriptum sit, et similiter, et illic autem jam signa faciunt, prolata non eadem. Quare non duplex quod propter divisionem est. Manifestum autem quoniam non omnes redargutiones propter duplex, sicut quidam dicunt. Di- A videndum igitur et qui respondet, non idem est enim dicere videre oculis percussum, et dicere oculis percussum videre. Et Euthydemi oratio: Putasne vidisti tu nunc existentes in Pyræo naves, cum in Sicilia sis? et rursum, putasne malum sutorem bonum esse? sit autem quis bonus, sutor malus; quare sutor malus. Putasne quorum scientiæ bonæ, bonas esse disciplinas; mali autem bona disciplina, igitur bona disciplina malum, attamen et malum, et disciplina malum, quare mala disciplina, malum. Putasne verum dicere nunc quoniam tu factus es? factus ergo nunc. An aliud significabat divisum? verum enim dicere nunc, quod tu factus es; sed non, nunc tu factus es. Putasne ut potes, et quæ potes, sic et ipsa facies? non citharizans autem habes potestatem citha- B rizandi, citharizabis igitur non citharizans. An non hujus habet potestatem, ut non citharizans citharizet? sed cum non facit hoc, ut faciat. Solvunt autem quidam id et aliter, nam si dedit ut potest facere, non dicunt accidere non citharizantem citharizare. Nom enim omnino ut potest facere datum est facere, non idem autem esse ut potest, et omnino ut potest facere. Sed manifestum quoniam non bene solvunt, nam orationem omnium quæ propter idem, eadem solutio; eadem autem non accommodabitur ad omnes, nec omnino ad interrogatas, sed est ad interrogantem, et non ad orationem. Propter accentum autem orationes non sunt, neque in iis quæ scribuntur, neque in iis quæ dicuntur, præterquam si quæ paucæ fiunt, ut hic: putasne est quod habitas domus? sic. Nunquid, ne est quod habitas, negatio ejus C est quod habitas? sic. Dicebat autem, ne esse quod habitas domum. Negas igitur te habitare domum. Quomodo autem solvendum est, palam. Non enim idem significat graviter et acute prolatum. Manifestum autem ut in iis quæ fiunt propter id quod ut eadem dicuntur ea quæ non sunt eadem, quo pacto obsistendum, eo quod habemus genera prædicamentorum; nam hic quidem dedit interrogatus non esse aliquid eorum quæ quid est significant, ille vero ostendit quidem esse aliquid eorum quæ sunt ad aliquid vel quantitatis. Videntur autem quid est significare propter dictionem, ut in hac oratione. Putasne contingit idem simul facere et fieri? non; at vero videre simul et videri idem et secundum idem contin- D git. Putasne est aliquid eorum quæ sunt pati facere? non. Nonne igitur secatur, uritur, operatur similiter dicuntur, et omnia quidem pati significant? rursum autem currere, videre similiter sibi invicem dicuntur, verumtamen videre, operari aliquid est, quare et parti aliquid, simul etiam et facere. Si autem aliquis illic dans contingere simul idem facere, et pati, videre, et videri dicat possibile, nondum redargutus est si non dicat videre facere aliquid, et videri pati: indiget enim hac interrogatione, sed ab audiente opinatur datum esse, eum et secare facere aliquid, et secari fieri aliquid dedit; et quæcunque alia similiter dicuntur. Nam reliquum ipse addit qui audit, veluti similiter dictum, illud autem dicitur quidem

non similiter, videtur autem propter dictionem. Idem autem accidit hic quod in æquivocationibus, putat enim in æquivocis inscius orationem, quam dixit negare rem, non nomen, ideoque adhuc indiget interrogatione si ad unam aspiciens dicat æquivocum. Sic enim dante, erit redargutio. Similes autem et hæ orationes illis, si quod quis habens, postea non habet, amisit; nam unum solum amittens calculum, non habebit decem calculos. An quod non habet quidem, prius habens, amisit? quantum autem habet aliquot, non necesse est tot amittere. Interrogans igitur quod habet, colligit in eo quot, nam decem aliquot. Si igitur dixisset a principio, si quot quis non habet prius habens, putasne amisit tot? nullus utique dedisset, sed aut tot, aut horum aliquid. Et quoniam dabit aliquis quod non habet, non enim habet unum solum calculum. An non dedit quod non habuit, sed ut non habuit? nam solum, non quod significat, neque quale, neque quantum, sed ut se habet ad aliquid, ut quod non cum alio. Quemadmodum si dicat, putasne quod non aliquis habet dabit? non annuente autem, interroget. Si dabit quis aliquid cito, quod non habet cito? astruentem autem colligat quod dabit quis quod non habet, et manifestum quoniam non syllogizavit, nam cito non est quod dare, sed hoc modo dare. Quo autem modo non habet, dabit aliquis, ut quod delectabiliter habet, mæste dabit. Similes autem et hujusmodi orationes. Putasne quam non habet, manu percutiet quis? aut quem non habet, oculo videbit? non enim habet unum solum oculum. Solvunt autem quidam dicentes, et quod habet unum solum oculum, et aliud quidlibet qui plura habet, quidam autem et ut quod habet accepit. Dedit enim unum solum hic calculum, et hic habet (dicunt) unum solum ab hoc calculum, accepit enim ab hoc, ergo unum solum habet hic calculum. Alii autem statim interrogationem interimentes, quia contingit quod non accepit habere, ut vinum accipientem suave, si corrumpatur in acceptione, habere acre. Sed quod dictum est prius, hi omnes non ad orationem, sed ad hominem solvunt, nam si esset hæc solutio, dantem oppositum non possibile esset solvere, quemadmodum et in aliis: ut si est quidem quod est, est etiam quod non est solutio. Si simpliciter det dici, concludit; si autem non concludit, non erit solutio. In prædictis autem (omnibus datis) non dicimus fieri syllogismum. Amplius autem et hæ sunt ex hujusmodi orationibus. Putasne quod scriptum est, scripsit quis? scriptum est autem nunc quod tu sedes, falsa oratio; erat autem vera cum scribebatur, igitur simul scribebatur falsa et vera. Nam falsam vel veram orationem, vel opinionem esse, non quod, sed tale significat, nam eadem ratio et in opinione. Et putas quod discit discens, hoc est quod discit? discit autem aliquis quod est tarde, celeriter. Non igitur quod discit, sed ut discit dixit. Et putas quod ambulat aliquis, pessundat? ambulat autem totam diem. An non quod ambulat, sed quando ambulat dixit. Nec cum scyphum quis bibat, quod bibit, sed ex quo? Et putas quod quis scivit inveniens, vel discens scivit? quorum autem hoc quidem invenit, illud autem didicit, ambo hæc neutrum. An hæc quidem omne, quod autem non omne? Et quoniam est quis tertius homo a se, et ab unoquoque. Nam homo et omne commune, non hoc aliquid, sed quale quid, vel ad aliquid, vel aliquo modo, vel hujusmodi aliquid significat. Similiter autem et in hoc, Coriscus et Coriscus musicus, utrum idem an alteram? Nam hoc quidem hoc aliquid, illud autem quale quid significat, quare non est idem exponere. Exponere autem non facit tertium hominem, sed idipsum quid est concedere, non enim erit hoc aliquid esse id quod Callias et id quod homo est; neque si quis expositum non id quidem quod hoc aliquid esse dicat, sed idem quod quale, nihil referet, nam erit a multis unum quiddam, ut homo; manifestum ergo quoniam non dandum hoc aliquid esse quid quod communiter prædicatur de omnibus, sed aut quantum, aut quale, aut ad aliquid, aut aliquid talium significare. Omnino autem in quæ propter dictionem sunt orationibus, semper per oppositum erit solutio quam propter quod est oratio, ut si propter compositionem oratio, solutio dividendo, si autem propter divisionem, componendo. Rursum si propter accentum acutum, gravis erit solutio; si vero propter gravem, acutus. Si autem propter æquivocationem est, oportet oppositum nomen dicendo solvere, ut si animatum accidit dicere, negando non esse, manifestum quod est inanimatum; si vero inanimatum dixit, hic autem animatum colligat, dicendum quod est inanimatum. Similiter autem et in amphibolia. Si autem secundum similitudinem dictionis, oppositum erit solutio, putasque quod non habet dabit aliquis? An non quod non habet, sed ut non habet? ut unum solum calculum. Putasne quod scit discens, vel inveniens scit? attamen non quæ scit, et si quod ambulat pessundat, non tamen quando. Similiter autem et in aliis.

CAPUT IV.

De diluendis argutiis accidentis.

Ad illas vero quæ propter accidens, una quidem solutio est ad omnes. Nam quia indeterminatum est quando dicendum de re, cum quidpiam accidenti inest (et in quibusdam quidem videtur, et dicunt, in aliquibus autem non dicunt necessarium esse), dicendum igitur conformantes similiter ad omnes quod non est necessarium; habere autem oportet quo refellat dicendo id quod perinde est. Sunt autem omnes hujusmodi orationes propter accidens, ut putasne id scis, quod debeo te interrogare? Age, cognoscisne venientem, aut coopertum? Statuane tuum opus est? An tuus canis pater? Suntne paucies pauca, pauca? Manifestum enim est in omnibus his quoniam non necesse est quod de accidente dicitur, et de re verum esse: solis enim iis quæ secundum substantiam sunt indifferentia, et quæ unum sunt, omnia videntur eadem inesse, bono autem non

idem est bonum esse, et venturum esse interrogare, neque venienti, aut cooperto, et venientem esse et Coriscum. Quare non si cognosco Coriscum, ignoro autem venientem, eumdem cognosco et ignoro, neque si hoc est meum, est autem opus, meum est opus sed possessio, vel res, vel aliquid quidpiam. Eodem autem modo et in aliis. Solvunt autem quidem interimentes interrogationem, dicunt enim contingere eamdem rem cognoscere, et ignorare, sed non secundum idem ; venientem igitur non noscentes, Coriscum autem noscentes, eumdem quidem cognoscere et ignorare dicunt, sed non secundum idem. Attamen primum quidem (quemadmodum jam diximus) oportet earum quæ propter idem sunt orationum eamdem esse solutionem ; id autem non erit si quis non in cognoscere, sed in quod est esse, aut aliquo modo se habere ipsum quod approbant, sumat (ut si hic est pater, est autem tuus) : nam tametsi in quibusdam id verum est, et contingit idem cognoscere et ignorare, tamen hic nihil commune habet quod dictum est. Nihil autem prohibet eamdem orationem plures vitiositates habere, sed non omnis peccati manifestio solutio est.

Nam possibile est ostendere quempiam, quod falsum quidem syllogizavit, propter quod autem non ostendere (ut Zenonis orationem quod non est moveri) ; quare et si quis conetur colligere ut ad impossibile, peccat, et si millies syllogizet, non enim est hæc solutio, nam erat solutio manifestatio syllogismi falsi propter quod falsus. Si igitur non syllogizavit, quamvis aut verum, aut falsum conetur colligere, illius manifestatio solutio est. Fortasse autem et id in quibusdam nihil prohibet accidere, verum in his nec hoc videbitur, nam et Coriscum quod Coriscus, cognoscit, et venientem quod veniens. Contingere autem idem cognoscere et non, ut quod album quidem cognoscere, quod autem musicum, non cognoscere : sic enim idem cognoscit et non cognoscit, sed non secundum idem, venientem autem et Coriscum, et quod veniens, et quod Coriscus, cognoscit. Similiter autem peccant et qui solvunt quoniam omnis numerus paucus, ut ii quos diximus, utpote qui cum non conclusum est, id omittentes, verum conclusum esse dicunt (omnia enim esse et multum et paucum dicentes), peccant. Quidam autem et duplici solvunt syllogismos, ut quoniam tuus est pater, aut filius, aut servus. Attamen manifestum quoniam si eo quod multipliciter dicitur apparet redargutio, oportet nomen vel orationem proprie esse plurium, hunc autem esse hujus filium, nemo dicit proprie, si dominus est filii, sed propter accidens compositio est (putasne est hoc tuum ? sic ; est autem hoc filius, tuus igitur filius), quia accidit esse et tuum, et filium, sed non tuum filium. Et esse aliquid malorum bonum, nam prudentia est disciplina malorum. Hoc autem horum esse non dicitur multipliciter, sed possessio : siquidem fortasse multipliciter (nam et hominem animalium dicimus esse), sed non possessionem, et si quid ad mala dicitur ut aliquorum propter id malorum est, sed non malorum, propter id igitur quod aliquo modo etiam simpliciter appareat, quanquam contingit fortasse bonum esse aliquid malorum dupliciter, non tamen in oratione hac, sed magis si quod mancipium sit bonum mali. Fortasse autem neque sic. Non enim si bonum est et hujus, bonum hujus simul, verum neque hominem dicere animalium esse, dicitur multipliciter ; non enim si aliquid significamus auferentes, id dicitur multipliciter, nam et dimidium dicentes versus da mihi, Hiada significamus, Iram pande, dea.

CAPUT V.

De solutione sex ultimorum locorum extra dictionem.

Eas vero quæ sunt propter id quod præcipue, illud autem, vel qua, vel ubi, vel aliquo modo, vel ad aliquid dicitur, et non simpliciter, solvendum est considerando conclusionem ad contradictionem, si contingit horum aliquid passas esse. Nam contraria et opposita, et affirmationem, et negationem, simpliciter quidem impossibile inesse eidem, qua autem utrumque, vel ad aliquid, vel aliquo modo, vel hoc quidem qua, illud autem simpliciter nihil prohibet ; quare si hoc quidem simpliciter, illud autem qua, nondum est redargutio. Hoc autem in conclusione considerandum ad contradictionem. Sunt autem hujusmodi orationes omnes id habentes, putasne contingit quod non est esse ? attamen non est aliquid id quod non est. Similiter autem et quod est non erit, nam non erit aliquid cum sunt. Nunquid contingit eumdem simul bene jurare et pejerare ? Nunquid possibile est simul eidem suadere et dissuadere ? An neque esse quid, et esse, idem ? quod autem non est, non si est quid, etiam est simpliciter. Neque si bene jurat id quidem, et qua, necesse est et bene jurare, nam qui jurat se pejeraturum, bene jurat perjurans hoc solum, at non bene jurat. Neque qui dissuadet, suadet, sed secundum quid suadet. Similis autem ratio est et de eo quod est mentiri eumdem simul et verum dicere, sed propter id quod non est facile inspicere utrum quis assignet simpliciter veracem esse, vel mendacem difficile apparet. Prohibet autem eumdem nihil simpliciter quidem esse mendacem, qua autem veracem, vel alicujus esse veracem aliquem, veracem autem non. Similiter autem et in ad aliquid, et ubi, et quando, omnes enim hujusmodi orationes propter id accidunt. Putasne sanitas, vel divitiæ bonum ? attamen insipienti, et non recte utenti non bonum, ergo bonum, et non bonum. Estne sanum esse, vel potestatem habere in civitate bonum ? verumtamen est quandoque non bonum ; idem igitur eidem bonum, et non bonum. An nihil prohibet quod simpliciter est bonum, huic non esse bonum ? aut huic quidem bonum, at non nunc, vel non hoc in loco bonum. Putasne quod non vult sapiens, malum ; amittere autem non vult bonum, malum igitur bonum. Non enim idem est dicere malum est bonum, et amittere bonum. Similiter autem et quæ de fure est oratio, non enim si

malum est fur, etiam capere est malum, ergo vult malum, sed potius bonum,nam capere bonum est, Et ægritudo malum est,sed non amittere ægritudinem malum. Putasne justum injusto, et quod juste eo quod injuste magis eligendum est? sed mori injuste magis est eligendum.Putasne justum est sua habere quemque ?quæ autem aliquis adjudicabit secundum opinionem suam et si sit falsa, sua sunt ex lege,idem igitur justum et injustum.Et utrum oportet judicare eum qui justa dicit, an qui injusta ? at vero eum qui injuriam passus est,justum est abunde dicere quæ passus est, ea autem erant injusta. Non enim etsi pati aliquid injuste eligendum, id quod est injuste eligibilius quam quod juste,sed simpliciter quidem quod juste, hoc autem nihil prohibet si injuste, an juste : et habere sua quemque justum, aliena autem non justum.Judicium vero hoc justum esse nihil prohibet, ut quod sit secundum opinionem judicantis, non enim si justum est hoc modo vel huic, et simpliciter justum est. Similiter autem et quæ injusta sunt, nihil prohibet dicere ea justum esse. Non enim si dicere justum est, necesse est justa esse, sicut nec si est utile dicere,utilia.Similiter autem et in justis. Quare non si quæ dicuntur injusta qui dicit injusta convincitur, dicit enim quæ dicere est justa, simpliciter autem et quæ pati injusta. Iis autem quæ propter definitionem fiunt redargutiones,quemadmodum dictum est prius, obsistendum considerantibus conclusionem ad contradictionem, ut sit idem, et secundum idem, et ad idem, et similiter, et in eodem tempore. Si vero in principio interroget,non confitendum (quoniam impossibile est idem esse et duplum et non duplum), sed dicendum, non sic ut forte sit redarguere confitentem. Sunt autem omnes hæ orationes propter hoc. Putas qui novit quidque, quod quamque cognovit rem,et qui ignorat similiter? cognoscens autem quis Coriscum quod Coriscus, ignorabit quod musicus ; quare idem cognoscit et ignorat. Putasne quadricubitum tricubito majus ? fieri enim potest ex tricubito quadricubitum secundum longitudinem, majus autem minore majus, idem igitur eodem secundum idem majus et minus. Illa vero quæ fiunt propter id quod petunt,atque sumunt quod in principio, si interroganti quidem manifestum sit, non dandum neque si probabile sit dicentem esse veracem. Si autem lateant, ignorantiam ob vitiositatem talium orationum ad interrogantem retorquendum. tanquam non redarguentem, nam redargutio sine eo est quod est in principio, deinde datum est non ut eo uteretur,sed ut ad illud colligeret contrarium, ut in non semotis redargutionibus.Et eas quæ propter consequens sunt conjectantes,in ipsa oratione monstrandum. Est autem duplex sequentium consequentia, aut enim ut particulare sequitur universale, ut hominem animal (postulant enim si hoc cum illo, et illud esse cum hoc),aut secundum oppositiones.Nam si huic est illud consequens,et oppositio oppositum, propter quod et Melissi oratio.

Nam si genitum est, habet principium, ingenitum postulat non habere principium.Quare si ingenitum est cælum, et infinitum. Id autem non est, e converso enim consequentia.Quæcunque autem propter id quod additur aliquid colligunt,considerandum si (eo sublato) accidit nihil minus impossibile ; deinde id manifestandum et dicendum quod dedit non tanquam videretur,sed ut ad orationem,quo vero usus est, nihil ad orationem. Ad eas autem quæ plures interrogationes unam faciunt, statim in principio determinandum est. Nam interrogatio una est, ad quam una responsio est.Quare neque plura de uno, neque unum de pluribus, sed unum de uno affirmandum vel negandum. Sicut autem in æquivocis quandoque quidem ambobus, quandoque neutri inest. Quare cum non simplex est interrogatio, simpliciter respondentibus nihil accidit pati.Similiter et in his,quando igitur plura uni,vel unum pluribus inest, vel non inest, simpliciter danti,et hoc peccate peccanti, nihil contrarium accidit. Quandoque autem huic quidem inest, illi autem non, aut plura de pluribus,et est ut insint ambobus,est autem ut non insint rursum,quare id cavendum.Ut in his orationibus,Si hoc quidem est bonum,illud autem malum, quod verum est dicere quoniam hæc bonum et malum et rursum neque bonum neque malum ; non enim inest utrumque utique ; quare idem bonum et malum, et neque bonum neque malum. Et si unum quodque ipsum sibi idem est et aliis diversum, quoniam non aliis eadem, sed sibi, et diversa eisdem, ipsa sibimet diversa et eadem. Amplius, si bonum quidem malum sit,malum autem bonum,duo utique fient.Et duorum et inæqualium utrumque ipsum sibi esse æquale ; quare æqualia et inæqualia ipsa sibi. Incidunt autem hæ orationes et in alias solutiones, nam ambo et omna plura significant; non igitur idem præter nomen accidit affirmare et negare. Id autem non erat redargutio,sed manifestum,quoniam si non una interrogatio plures fiant, sed unum de uno affirmet aut neget, id non erit impossibile.

CAPUT VI.

Dilationes negationis et solœcismi.

In illis autem quæ deducunt ad idem frequenter dicere,manifestum quod non dandum eorum quæ ad aliquid dicuntur significare,aliquid separatas per se prædicationes, ut duplum, sine eo quod est dimidii quid inesse apparet,nam et decem in deficientibus uno ad decem, et facere in non facere, et omnino in negatione affirmatio ; non tamen si quis dicat hoc non esse album,dicit idem album esse, duplum autem neque significat aliquid fortasse,quemadmodum neque quod in dimidio. Quod si forte significat, attamen non idem et conjunctum, neque scientia in specie, ut si est medicina scientia,ipsum quod commune,illud autem erat scientia scibilis. In iis autem quæ per se ostenduntur prædicatis, id dicendum, quod non idem est seorsum et in oratione quod ostenditur,nam cavum communiter quidem idem signifi-

simo et curvo, additum autem, nihil prohibet idem naso, illud autem cruri significare, et nifert dicere, nasus simus, et nasus cavus. Amnon danda est dictio secundum rectum. Falsum est, nam non est simum nasus cavus, sed nasi passio, quare nihil est absonum, si nasus sist nasus habens cavitatem nasi. De solœcismis propter quid apparent accidere, dixi nus prius, odo autem solvendum, in ipsis orationibus erit estum. Omnes enim hujusmodi volunt con-e. Putas quod dicis quidpiam vere esse, etiam od vere? dicis autem quidpiam lapidem esse, itur quidpiam lapidem. An dicere lapidem non ere quod, sed quem, non hoc, sed hunc? si dicat aliquis, putas quem vere dicis est istum? idetur Romane loqui. Quemadmodum neque si putas quam dicis esse, est iste? lignum autem iste, vel quæcunque neque masculinum, neminium significant, nihil refert; quare etiam it solœcismus, si quod dicis esse, est istud; li- autem dicis esse, est igitur lignum istud; lapis et iste, masculini habent declinationem. Quod is dicat, putasne iste, illa est? deinde rursum, autem nonne iste est Coriscus? ita dicat. Est illa, non collegit solœcismum, si Coriscus etiam ignificet idem quod illa, non dat autem qui relet, sed oportet hoc præinterrogare, si autem est, neque dat non collegit, neque in eo quod se aliquid, neque ad eum qui interrogatus est. iter igitur oportet, et illic lapidem significare si autem neque est, neque datur, non dicenda usio, apparet autem eo quod dissimilis casus nis similis appareat. Putasne verum est dicere iam ista est id quod esse ais, eam esse autem spidem, est igitur ista aspidem. An non necesse non ista aspidem significat, sed aspis, aspidem n istam; neque si quem dicis esse istum, est licis autem istum esse Cleonem, est igitur iste iem; non enim est iste Cleonem. Dictum est quoniam quem dico istum esse, est iste, non i, neque enim Romane dicetur quo pacto interio dicta. Putas, istud scis? istud autem est lacis igitur lapis. An non idem significat istud in iod est, putas istud scis, et in hoc, istud autem sed in primo quidem hunc, in posteriore autem utasne cujus scientiam habes, scis illud? scienautem habes lapidis, scis igitur lapidis. An huuidem lapidis dicis, hunc autem lapidem? daest autem cujus scientia habes illud scis, non ilsed illud; quare non lapidis, sed lapidem. Quod r hujusmodi orationes non colligunt solœcismum apparent, et propter quid apparent, et quomodo bsistendum illis, est manifestum ex iis quæ sunt.

A

B

C

D

CAPUT VII.

De oratione facili, difficili et acuta.

ortet autem intelligere quoniam omnium oram aliæ quidem sunt faciles conspici, aliæ autem ciliores, propter id quod et in aliquo subdole decipiunt audientem, cum frequenter eædem illis existant, nam eamdem orationem oportet vocare, quæ propter idem fit. Eadem autem oratio aliis quidem propter dictionem, aliis autem propter accidens, aliis vero propter aliud videbitur esse, quia unumquodque translatitium non similiter est manifestum. Quemadmodum igitur in iis quæ sunt propter æquivocationem (qui modus videtur esse ineptissimus) captiosarum ratiocinationum, hæc quidem et quibuslibet sunt manifesta (nam et orationes pene ridiculosæ sunt omnes propter dictionem: Ut vir ferebatur curru in scalas, ubi venit servus, apud Ceream? Et Boreas purusne? non certe, perdit enim pauperem, et ementem. Et utra bonum ante pariet? neutra, sed retro ambæ. Putasne est Evarchus? non certe, sed Apollonides. Eodem autem modo et aliarum fere quam plurimæ), illa autem et peritissimos videntur latere. Signum autem horum quoniam contendunt sæpe de nominibus, et utrum idem significent de omnibus ens et unum, an aliud; aliis enim videtur significare ens et unum; alii autem Zenonis orationem et Parmenidis solvunt, eo quod multipliciter dicant unum dici, et ens. Similiter autem et propter accidens et aliorum singulum quodque, aliæ quidem orationes erunt faciles videri, aliæ vero difficiliores. Et sumere in quo genere, et utrum redargutio, an non redargutio, non facile similiter in omnibus est. Est autem acuta oratio, quæ dubitare facit maxime, mordet enim hæc maxime, dubitatio autem est duplex, hæc quidem in syllogizantibus, quam eligat quis interrogationum, illa autem in contentiose sustinentibus, quomodo dicat quis propositum. Quapropter in iis quæ syllogizant, acutiores orationes inquirere magis faciunt. Est autem ea quæ syllogizat quidem, oratio acutissima, si ex quam maxime apparentibus quam maxime probabile interimit et construit. Nam cum una oratio sit (transposita contradictione) omnes similiter habebit syllogismos: semper enim ex probabilibus similiter probabile interimet aut construet; quapropter dubitare necessarium est. Maxime igitur talis acuta, quæ ex æquo conclusionem facit interrogationibus; secunda autem quæ ex omnibus similibus. Hæc enim similiter faciet dubitare, quæ interrogationum interimenda est; id autem difficile est? nam interimendum quidem, quid autem interimendum, dubium. Contentiosarum autem acutissima, quæ primum statim dubia est, utrum syllogizat, an non, vel utrum propter falsum, an divisionem solutio. Secunda autem aliarum, quæ manifesta quidem quod propter divisionem vel interemptionem est, non tamen est explorata per cujus interrogationum interemptionem, vel divisionem, solvenda est, scilicet utrum propter conclusionem, an propter aliquam interrogationum id est. Quandoque igitur non syllogizans oratio facilis est, si sint valde inopinabilia, vel falsa quæ sumuntur, quandoque autem non digna despici. Nam quando deest aliqua talium interrogationem, de qua oratio et propter quam est, et qui non sumit illam, et col-

ligit, inepta est ratiocinatio ; quando autem eorum quæ extrinsecus non despicienda ullo modo, sed oratio quidem justa, interrogans autem non probe interrogavit. Et est sane solvendum quandoque quidem ad orationem, quandoque autem ad interrogantem, et interrogationem, quandoque vero ad neutrum horum; similiter et interrogandum et syllogizandum est et ad positionem, et ad respondentem, et ad tempus, quando fuerit pluris temporis egens solutio, quam præsentis temporis (quo disputantur) ad solutionem.

CAPUT VIII.

Epilogus octo præcedentium et duorum præsentium librorum.

Ex quot igitur, et ex quibus fiunt iis qui disputant captiosæ ratiocinationes, et quomodo ostendemus, falsum et inopinabilia dicere faciemus, amplius autem ex quibus accidit syllogismus, et quomodo interrogandum, et quis ordo interrogationum, insuper autem ad quid sunt utiles hujusmodi omnes orationes, et de responsione simpliciter omni, et quomodo solvendum est orationes et syllogismos, dicta sint de omnibus a nobis hæc. Reliquum autem est de eo quod a principio erat propositum ad memoriam revocantes, quidpiam de ea re sub brevitate dicere, et finem imponere dictis. Præmisimus igitur, inveniendi facultatem quamdam ratiocinativam de proposito de iis quæ sunt quam probabilissima ; id enim opus est dialectices secundum se, et tentativæ. Quia autem præinstruitur quis ab ea propter sophistice vicinitatem, ut non solum experimentum possit sumere dialectico more, sed etiam quasi scientifico, propter id non solum dictum negotii officium posuimus orationem posse sumere, sed etiam ut, orationem sustinentes, tutemur positionem per quam probabilissima simili modo. Causam autem diximus hujus, quia et propter id Socrates interrogabat, sed non respondebat : confitebatur enim se non scire. Manifestum autem est in prioribus ex quot et ad quod id erit, et unde idonei erimus horum. Adhuc autem quomodo interroganda vel ordinanda quæstio omnis, et de responsionibus quæ sunt ad syllogismos. Patefactum est autem et de aliis quæcunque hujusce disciplinæ sunt orationes. Præter hæc autem et de captiosis ratiocinationibus pertractavimus quemadmodum diximus jam prius. Quod igitur nacta sunt finem sufficienter ea quæ proposuimus, manifestum.

CAPUT IX.

Peroratio.

Operæ pretium autem est nos non latere quidnam accidit circa hoc negotium. Nam eorum quæ inveniuntur omnium, quæ quidem ab aliis sumpta sunt prius, elaborata paulatim incrementum sumunt ab illis qui postmodum accipiunt ; quæ autem ab initio comperiuntur, parvum in primis sumere solent incrementum, attamen utilius multo eo (quod postea ab aliis fit) accremento. Maximum enim fortasse principium omnium, ut dicitur, quare et difficillimum. Quanto enim potestate validissimum, tanto mole minimum, difficillimum est videri. Eo autem comperto, facile est adjicere, coaptareque reliquum. Quod et circa rhetoricas orationes accidit, pene autem et circa alias artes omnes : nam qui principia invenere, omnino ad eixguum quid perduxerunt; qui autem nunc celebriores habentur, vindicantes a multis, velut ex successione particulatim colligentes, sic auxerunt. Tisias quidem post priores, Thrasymachus vero post Tisiam, Theodorus autem post hunc, et multi multas coadunavere partes. Quapropter nihil mirum si in amplum quidem creverit ars. Hujus autem negotii non hoc quidem erat exploratum, illud autem non erat, verum nihil ipsius prorsus erat, nam eorum qui circa litigiosas orationes erant mercenarii, similis quidem doctrinæ, Gorgiæ negotio. Orationes enim hi quidem rhetoricas, illi autem interrogativas docebant ediscere, in quas sæpius incidere solebant alternatim utrorumque ad invicem orationes. Quapropter velox quidem, ut pote quæ sine arte, erat doctrina discentibus ab illis : non enim artem, sed quæ ab arte sunt dantes, arbitrati sunt loqui erudite. Perinde ac si quis disciplinam dicat se tradere ut non doleant pedes, deinde sutoriam quidem non doceat, usque unde possint comparari talia, det autem quam plurima genera omnimodorum calceorum. Hic profecto profuit ad usum, artem autem non tradidit. Et de rhetoricis quidem erant multa et antiqua dicta, de syllogismis autem omnino nihil habuimus prius aliud quidquam quod diceremus, quam mora perquirentes, multo tempore insudaverimus. Si autem videtur ex considerationibus nostris (ut ex iis quæ sunt ex principio) hæc habere, disciplina sufficienter supra alia negotia quæ ex traditione inducta sunt, reliquum erit omnium vestrum, vel eorum qui audierint hoc opus, omissa quidem artis, venia dignari, inventa autem, multa prosequi gratia.

AN. MANL. SEV. BOETII
IN TOPICA CICERONIS COMMENTARIORUM
LIBRI SEX.

LIBER PRIMUS.

Exhortatione tua, Patrici rhetorum peritissime, quæ honestati præsentis propositi et futuræ ætatis utilitati conjuncta est, nihil antiquius existimavi. Cui muneri libentius acquievi, non quod ad instruc-

dum te, commentarios in M. Tullii Topica laborare me credidi (ridiculus quippe forem si Minervam, ut aiunt, litteras docere vellem), sed ut ex disciplinarum liberalium sumptum penu, nostræ apud te semper pignus amicitiæ permaneret. Quod enim munus ex animo diligentibus jucundius inveniri potest, quam quod ipsius animi partes format et instruit? Nam cætera fere caduca, imbecilla, labantia, et si ad fortunæ vicem spectes, pene semper aliena sunt. At vero opulentiam litterarum, nec præsens imminuit ætas, earumque auctoritatem ipsa etiam cuncta conficiens, auget potius et confirmat vetustas. Accipe igitur opus, non efficientiæ securitate, sed amicitiæ præsumptione susceptum, apud quam nescio quonam pacto garrire non dedecet, simul quia prælato a nobis munere cum tuorum aliquid operum postulavero, injurius fueris, si negabis. Sed cum in M. Tullii Topica Marcus Victorinus rhetor plurimæ in disserendi arte notitiæ commenta conscripserit, non me oportuisset melioribus forsitan attemptata contingere, nisi esset aliquid quo se noster quoque labor exercere atque parere potuisset. Quatuor enim voluminibus Victorinus in Topica conscriptis, eorum primo declarandis tantum libri principiis occupatur. Addit etiam et si qua in eodem volumine prædicenda fuissent perpendit, ut ab exordio voluminis Topicorum, quod est, *Majores nos res scribere ingressos, C. Trebati*, usque ad eum locum qui est, *Sed jam tempus est ad id quod instituimus accedere*, primi voluminis Victorini expositio terminetur. Secundo volumine de judicandi, atque inveniendi dialecticæ partibus, et de loco atque argumenti diffinitione pertractat, ut ab eo loco Topicorum, qui est, *Cum omnis ratio diligens disserendi duas habeat partes; unam inveniendi, alteram judicandi*, usque ad eum locum, qui est, *Itaque licet diffinire locum esse argumenti sedem*. Argumentum autem rationem, quæ rei dubiæ faciat fidem, secundi libri explanatio subsistat. Tertius vero atque quartus discretionem locorum inter se eorumque exempla multiformiter persequuntur. Ita ut tertius quidem Tulliana sibi de jure proponat exempla. Quartus vero eosdem locos per alias rursus similitudines monstret ex Virgilio et Terentio poetis, oratoribus Cicerone et Catone, ut quod præceptis ostenditur, exemplis multipliciter collucescat, neque ab eo loco qui est in Topicis, sed ex his locis in quibus argumenta inclusa sunt, expositio progressa eum transcendit locum qui est, *Valeat æquitas, quæ paribus in causis paria jura desiderat*. Quanta vero pars reliqua si Topicorum ipsius voluminis magnitudo demonstrat, quam Victorinus, neque attigit, neque attingere potuisset, ita est rebus minimis immoratus, nisi opus multa librorum pluralitate distenderet. Nos vero et hanc ipsam particulam, quam Victorinus attigit diligenter (ut possumus) aggrediamur, et longius expositione progressi, cum Topicorum debemus fine consistere. Quare hinc de tota operis propositione conveniens sumamus exordium. Sed antequam de topicæ facultatis ratione pertractem, procemium, quo ad Trebatium M. Tullius utitur, paucis absolvam. Ait enim:

Majores nos res scribere ingressos, C. Trebati, et iis libris quos brevi tempore satis multos edidimus, digniores, e cursu ipso revocavit voluntas tua. Cum enim mecum in Tusculano esses, et in bibliotheca separatim uterque nostrum ad suum studium libellos, quos vellet, evolveret, incidisti in Aristotelis Topica quædam, quæ sunt ab illo pluribus libris explicata. Qua inscriptione commotus, continuo a me eorum librorum sententiam requisisti. Quam tibi cum exposuissem disciplinam inveniendorum argumentorum, ut sine ullo errore ad eam rationem via perveniremus ab Aristotele inventa, illis libris contineri, verecunde tu quidem ut omnia, sed tamen ut facile cernerem te ardere studio, mecum ut tibi illa traderem egisti. Cum autem ego te non tam vitandi laboris mei causa, quam quod tua id interesse arbitrarer, velut eos per te ipse legeres, vel ut totam rationem a doctissimo quodam rhetore acciperes, hortatus essem. Utrumque ut ex te audiebam es expertus, sed a libris te obscuritas rejecit. Rhetor autem ille magnus hæc, ut opinor, Aristotelica se ignorare respondit. Quod quidem minime sum admiratus eum philosophum rhetori non esse cognitum, qui ab ipsis philosophis præter admodum paucos ignoretur. Quibus eo minus ignoscendum est, quod non modo rebus his, quæ ab illo dictæ et inventæ sunt, allici debuerunt, sed dicendi quoque incredibili quadam cum copia, tum etiam suavitate. Non potui igitur tibi sæpius hoc roganti, et tamen verenti ne mihi gravis esses (facile enim id cernebam), debere diutius, ne ipsi juris interpreti fieri videretur injuria. Etenim cum tu mihi meisque multa sæpe cavisses, veritus sum, ne si ego gravarer, aut ingratum id aut superbum videretur. Sed dum fuimus una, tu optimus es testis quam fuerim occupatus. Ut autem a te discessi in Græciam proficiscens, cum opera mea nec respublica, nec amici uterentur, nec honeste inter arma versari possem, ne si tuto id quidem mihi liceret, ut veni Veliam tanquam et tuos vidi, admonitus hujus œris alieni, nolui deesse ne tacitæ quidem flagitationi tuæ. Itaque hæc, cum mecum libros non haberem, memoria repetita in ipsa navigatione conscripsi, tibique ex itinere misi, ut mea diligentia mandatorum tuorum, te quoque, et si admonitore non eges, ad memoriam nostrarum rerum excitarem. Sed jam tempus est ad id quod instituimus accedere.

Omne procemium, quod ad componendum intendit auditorem, ut in rhetoricis discitur, aut benevolentiam captat, aut attentionem præparat, aut efficit docilitatem: his tribus partibus sibi Cicero Trebatium format. Nam quod se a magnarum rerum inchoatione revocatum ad amici contulit voluntatem, favorem Trebatii velut judicis, benevolentiæ partibus meretur. Majores autem res sunt, a quarum scriptione ad amici studium versus est, moralis philosophiæ tractatus. Major est enim morum ratio quam peritia disserendi. Id autem tempus fuisse conjicimus, quo propter turbulenta reipublicæ tempora in otium se contulit, atque ad philosophiæ disciplinas. Sed

quia nobis audientium mentes veritatis quoque opinio præsumpta conciliat, in eo etiam præparandæ benevolentiæ partibus utitur. Quod in commemorandis veraciter iis quæ Trebatius noverat, facit illis fidem quæ posterius evenire et Trebatio potuerunt esse ignota. Hæc autem sunt, quod in Tusculano ad suum studium uterque libros evolverit. Quodque Trebatius casu in Aristotelis Topica inciderit, et quod titulum operis admiratus, a M. Tullio inscriptionis sententiam perquisierit. Illud etiam quod ei Cicero se exposuisse commemorat, inveniendorum argumentorum illis libris scientiam contineri, ut sine ullo errore ad argumentorum inventionem via quadam et recto filo atque artificio veniretur, quæ res breviter enuntiata, velut intentionem operis monstrat, et docilem perficit auditorem. In hoc namque videtur esse comprehensum quæ sit intentio Topicorum, quoniam Cicero ait disciplinam esse inveniendorum argumentorum, non ut inveniantur (id enim natura suppeditat). Sed ut sine ullo labore, ac sine ulla confusione non casu ad ea mens, sed quadam via et ratione perveniat, post hanc benevolentiæ captationem, Trebatii laudem subjungit, cum ejus verecundiam in his commemorat expetendis, quæ si postulanti amico Cicero præstitisset et gloriæ præmium ferret et gratiæ, sed quod petenti Trebatio, ut ei Topica traderet minime concessit. Id non proprii laboris fuga, sed Trebatii potius causa factum esse contendit, ut in eo quoque Trebatii veluti tunc repulsi subiratus forsitan animus, nunc non sit alienus. Intererat vero Trebatio ut vel per se ipse illa legens exercitatior fieret, vel ei perfectius si qua dubitaret rhetor doctior expediret. Utrumque vero a Trebatio se narrat audisse. Nam et expertum cum, ut per se ipse legeret, sed obscuritate rejectum, et illum rhetorem a quo Topicorum explanationem petiisset, illa sese Aristotelica ignorare confessum. Quæ res, propter operis difficultatem, necesse est auditorem reddat attentum. Ea quippe non negligentes inspicimus, quæ non facilis esse intelligentiæ suspicamur, in quo etiam Cicero minime se miratum esse commemorat, quod is philosophus a rhetore nesciretur, qui multis etiam philosophis videretur incognitus. Quorum etiam jure culpat ignaviam, quod ad Aristotelicæ philosophiæ disciplinam non inventorum utilitas, non orationis nitor illexerit. In quo etiam majoris perspicaciæ crescit attentio, quia facile ad studium mentes, aliorum segnities culpata converterit, quocunque vero attentio fuerit, non poterit abesse docilitas. In his etiam laus quædam Trebatii latenter inducitur. Magnum est enim philosophis in suo quasi munere cessantibus hunc ne proprio quidem studio præpeditum, alienæ scientiæ secreta rimari. Jam vero sequentia multo etiam clarius benevolentiam petunt, velut hoc quod elegantissime dictum est, veritum se esse ne, si modeste postulantis verecundiæ pernegasset, ipsi quodammodo juris interpreti fieri videretur injuria, et quod præcedens Trebatii meritum percepti beneficii memor exsequitur, id vero est quod vel ipsi vel iis quos ipse defenderit, plura cavisset. Fuit igitur, ut ait, verendum, ne, si restituere gratiam noluisset, aut ingratum id aut superbum esse videretur. Ingratum quidem, si magna Trebatii merita quibus ipse usus fuerat, parvo æstimare videretur, cum nullam ei gratiam restituendam putaret, superbum vero, si sperneret. Ad idem cætera revertuntur, id est ad benevolentiam. Quod ejusdem testimonio nititur dum fuerit in urbe, se ne debitam redderet gratiam occupationum necessitate constrictum. Quod ut venerit Veliam, amicorum Trebatii conventione commonitus, ne tacitæ quidem ejus flagitationi deesse voluisset, et quod licet librorum copia nulla suppeteret, de memoria tamen repetitæ promptuariis in ipsa navigatione conscripserit, eique ex itinere miserit, ut beneficii cumulo parendi etiam celeritas adderetur. Quæ cum omnia benignum captare Trebatii videantur assensum, quædam tamen brevitas Topicorum memoria repetita, attentionis necesse est animadversione fungatur, ipsa namque memoriæ repetitio breve monstrat esse quod colligit. Quodque diligentiæ sibi fuerint mandata Trebatii, et quod ad excitandam sui memoriam quasi pignus amico aliquod atque monimentum voluisset exstare. Cui adjicit illud, et si admonitione non eges, ne offendat animum amici sedulitate si quem commonendum credit, oblivionis videatur arguere. Hæc omnia, ut dixi, benevolentiæ partibus plena sunt. Sed de procemio satis dictum est. Nunc ad sequentia transeamus, nec si quis hæc apud Victorinum latius tractata repererit, nos negligenti integritatis stringat invidia. Nam nec in singulis (ut ille facit) verbis hærere volumus, et ad ampliora hujus operis festinamus.

Cum omnis ratio diligens disserendi duas habeat partes, unum inveniendi, alteram judicandi, utrumque princeps, ut mihi quidem videtur, Aristoteles fuit. Stoici autem in altera elaboraverunt. Judicandi enim viam diligenter persecuti sunt, eam scientiam, quam dialecticen appellant. Inveniendi vero artem quæ Topica dicitur, quæ ad usum potior erat, et ordine naturæ certe prior, totam reliquerunt. Nos autem, quoniam in utraque summa utilitas est, et utramque, si erit otium, persequi cogitamus, ab ea quæ prior est ordiemur.

Cum philosophia maximis in rebus operam suam studiumque consumat, cumque et in naturalibus inspectionem, speculationemque adhibeat, et in moralibus actionem, et sic formare gestiat mores ut vera vitæ ratio persuaserit, evenire necesse est, ut secundum id quod ratio tenendum, omittendumve, faciendum quid, aut non faciendum esse decreverit, vel judicium constituatur, ascensus vel exercendæ vitæ dirigatur intentio. Erit igitur necessarium, vel in naturali speculatione, vel in moralium actionum cogitatione, ut certa ratio, vel quod in rebus speculandum est, inveniat, vel quod in actum vivendi ducl oporteat, ante perpendat. Hæc autem ratio nisi via quadam processerit, sæpe in multos necesse est labatur errores. Quod ne passim fieret, atque ut certis

regulis tractatus insisteret, visum est antiquæ philosophiæ ducibus, ut ipsarum ratiocinationum, quibus aliquid inquirendum esset, naturam penitus ante discuterent, ut his purgatis atque compositis, vel in speculatione veritatis, vel in exercendis virtutibus uteremur. Hæc est igitur disciplina, quasi disserendi quædam magistra, quam logicen Peripatetici veteres appellaverunt, hanc Cicero definiens, disserendi diligentem rationem vocavit. Hæc vario modo a plerisque tractata est, varioque etiam vocabulo nuncupata. Ut enim dictum est, a Peripateticis hæc ratio diligens disserendi logice vocatur, continens in se inveniendi judicandique peritiam. Stoici vero hanc eamdem rationem disserendi paulo angustius tractavere, nihil enim de inventione laborantes, in sola tantum judicatione consistunt, deque ea præcepta multipliciter dantes, dialecticam nuncupaverunt. Plato etiam dialecticam vocat facultatem quæ id quod unum est possit in plura partiri, veluti solet genus per proprias differentias usque ad ultimas species separari, atque ea quæ multa sunt, in unum generum ratione colligere. Hanc igitur Plato dialecticam dicit; Aristoteles vero logicam vocat, quam (ut dictum est) Cicero definivit diligentem disserendi rationem. Et hujus uno quidem modo trina partitio est: omnis namque vis logicæ disciplinæ aut definit aliquid, aut partitur, aut colligit. Colligendi autem facultas triplici diversitate tractatur: aut enim veris ac necessariis argumentationibus disputatio decurrit, et disciplina vel demonstratio nuncupatur; aut tantum probabilibus, et dialectica dicitur; aut apertissime falsis, et sophistica, id est, cavillatoria perhibetur. Logica igitur, quæ est peritia disserendi, vel de diffinitione, vel de partitione, vel de collectione, id est, vel de veris ac necessariis, vel de probabilibus, id est verisimilibus, vel de sophisticis, id est, cavillatoriis argumentationibus tractat, has enim collectionis partes esse prædiximus. Atque hæc est una logicæ partitio, in qua dialecticam Aristoteles vocat facultatem per probabilia colligendi. Rursus ejusdem logicæ altera divisio est, per quam diducitur tota diligens ratio disserendi in duas partes, unam inveniendi, et alteram judicandi. Id autem videtur etiam ipsa logices definitio monstrare, nam quia logica ratio disserendi est, non potest ab inventione esse separata. Cum enim nemo præter inventionem disserere possit, disserendi ratio inventionis est ratio. Rursus quoniam logice diligens est ratio disserendi, ab ea judicium non potest abesse, ipsa enim diligentia rationis in disserendo posita judicium est. Neque enim potest quisquam diligenter disserere, nisi quale sit judicaverit id quod in disputationem sumitur. Quod si ad disserendi ordinem diligentia rationis adhibetur, non est dubium quin hoc judicium ad inventionum varietatem sit accommodatum. His igitur ita expeditis, videndum est, hæ divisiones, quanam se cognatione contingant. Inventio quippe cæteris omnibus, veluti materiæ loco, supponitur, hoc modo. Nisi enim inventio fuerit, non potest esse vel definitio, vel partitio, quoniam unumquodque genorum vel differentiarum inventione, vel specierum collectione, aut dividimus, aut etiam definimus. Jam vero si absit inventio, nequit esse collectio. Non erit igitur necessaria, nec verisimilis, nec sophistica argumentatio: hæc enim tria inventioni superveniunt, ut vel necessarium, vel probabile, vel cavillatorium sit argumentum. Necessitas enim vero, et probabilitas, et cavillatio formæ quædam sunt, quæ dum inventionibus assistunt, necessaria vel probabilia vel cavillatoria faciunt argumenta. Eadem quoque ratio partitiones definitionesque complectitur. Indiscreta namque inventionis potestas, cum diffinitiva, tum divisibilis appellari potest, cum definiendis partiendisve rebus adhibetur. Quæ hoc modo ex inventionis materia et differentiarum supra positarum forma composita rursus judicationi materiæ fiunt: nam prior illa partitio, logice tribus partibus segregata, ita partes explicat, ut habeat inventionem materiam singularum, ipsa vero judicationi materiam præstat. Etenim cum definit aliquis, vel rei propositæ divisionem facit, invenit quidem divisioni definitionique differentias accommodatas, sed an recte vel diffiniat, vel dividat, judicatione perpendit. Ita priores logicæ partes secundæ divisionis membra conjungunt, ut materiam quidem sui habeant inventionem, judicationi vero fiant ipsæ materia. Quod in reliqua etiam colligendi parte contingit, nam et ea quæ de probabilibus tractat, habet et inveniendi suppositam materiam, quæ verisimilia reperit argumenta, et de hujusmodi argumente judicatio perpendit. Est enim judicium hoc ipsum internoscendi, quod non necessaria inventio est, sed verisimilitudinem tenet. Illa quoque pars quæ de necessariis argumentationibus aptatur, habet subjectam materiam necessariæ inventionis, ejusque est judicium, ut cum necessaria sunt quæ invenit, necessaria quoque esse perpendat. Nec non cavillandi pars utraque in se continet, quandoquidem et inveniri falsa possunt, et falsa esse judicatione discerni. Quo fit ut prior logices divisio secundum etiam continere videatur: nam definitio, partitio atque collectio inventionem continent et judicium, quia neque existere præter inventionem, neque agnosci præter judicium possunt. Sed cum omnis inventio judicationi subjecta sit, cumque prioris divisionis partes sine utroque esse non possint, evenit ut prima partitio inventionem judiciumque conjungat. Secunda vero hæc divisio, qua Cicero etiam partitur logicam, segregat hujusmodi facultates, et inveniendi materiam a judicationis parte secernit. Judicium vero, in colligendi ratione proprias partes habet, nam omnis argumentatio, omnisque syllogismus propositionibus struitur, omnemque compositum duo in se quædam retinet, quæ speculanda esse videantur. Et quidem continet unum quæ illa sint, ex quibus id quod compositum est intelligatur esse connexum, aliud vero quanam sit suarum partium conjunctione compositum: ut in pariete siquidem lapides ipsos quibus paries structus est inspicias, quasi materiam species:

si vero ordinem compositionemque junctura consideres, tanquam de formæ ratione perpendas. Ita in argumentationibus quas propositionibus compaginari atque conjungi supra retulimus, gemina erit speculationis et judicandi via. Una quæ propositionum ipsarum naturam discernit ac judicat utrum veræ ac necessariæ sint, an verisimiles, an sophisticis applicentur, et hæc quasi materiæ speculatio est. Altera vero judicii pars est quæ inter se propositionum junctura compositionesque perpendit; hæc quasi formam judicat argumentorum. Quæ cum ita sint, hoc modo fit in continuum ducta partitio, ut ratio diligens disserendi, unam habeat inveniendi partem, alteram vero judicandi. Tum de ipsa inventione, tum de inventionis collocatione, quæ forma est argumentationis. Atque ea quidem pars quæ de inventione docet, quædam inventionibus instrumenta suppeditat, et vocatur topice: cur autem hoc nomine nuncupata sit, posterius dicam. Illa vero pars quæ in indicando posita est, quasdam discernendi regulas subministrat, et vocatur analytice; et si de propositionum junctura consideret, analytice prior; sin vero de ipsis inventionibus tractet, ea quidem pars ubi de discernendis necessariis argumentis dicitur, analytice posterior nuncupatur; ea vero quæ de falsis atque cavillatoriis, id est de sophisticis, elenchi. De verisimilium vero argumentationum judicio nihil videtur esse tractatum, idcirco quoniam plana est atque expedita ratio judicandi de medietate, cum quis extrema cognoverit. Si enim quis dijudicare necessaria sciat, idemque falsorum argumentorum possit habere judicium, verisimilia, quæ in medio collocata sunt, discernere non laborat. Expeditum igitur est, ut arbitror, quid sit quod ait Cicero, rationem diligentem disserendi duas habere partes, inveniendi unam, alteram judicandi. Illud etiam diligentius expositum est, quæ sit ratio quam Stoici dialecticen vocant. Ea est enim quæ judicandi peritiam tenet, et quam eodem nomine Plato partiendi per differentias, atque ad genus revocandi facultatem vocat. Quamque eodem nomine Aristoteles, non totam disserendi artem, ut Stoici, sed eam tantum nuncupet quæ de proposita quæstione verisimilibus colligat argumentis, atque ideo perfectius Aristoteles de logica tractavit, quoniam de duobus, ultra quæ nihil est, tertium disseruit, de inveniendo scilicet et judicando, cum Stoici, inventione neglecta, judicationis tantum instrumenta tradiderint. Atque ideo jure eos increpat Tullius, quoniam id maxime relinquere quod et natura prius et usu potius erat: natura quidem, quia fieri non potest ut de inventione judicetur, nisi ipsa inventio prius exstiterit. Ad usum vero, quia longe utilius est nuda, et præter artem prolata naturali inventione susceptum sæpe negotium tueri, quam invenienteque alio mutum ipsum inermemque et tacitum versare judicium. Dat vero Tullius de utroque sententiam, et ait summam pariter utilitatem in utroque consistere, et se de utraque, si otium fuerit, velle disserere. Ab ea autem quæ prior est, id est inventione, quam topicen appellari diximus, ordiendum putat.

Ut igitur earum rerum quæ absconditæ sunt demonstrato et notato loco facilis inventio est, sic cum pervestigare argumentum aliquod volumus, locos nosse debemus. Sic enim appellatæ sunt ab Aristotele hæ quasi sedes, e quibus argumenta promuntur. Itaque licet definire locum esse argumenti sedem, argumentum autem rationem, quæ rei dubiæ faciat fidem.

Post divisionem logicæ disciplinæ, quam diligentem disserendi rationem esse definivit, de topice, quæ inveniendi ars esse prædicta est, expedire contendit. Ac primum quid sint loci, termino definitionis includit, ejusque artis quæ topice dicitur exempli quadam claritate designat intentionem. Est enim topices intentio, argumentorum facilis inventio. Non igitur invenire docet topice quod est naturalis ingenii, sed facilius invenire: omnis quippe ars imitatur naturam, atque ab hac materia suscepta, rationes ipsa viamque conformat, ut cum faciliusid quod ars quæque promittit, tum elegantius fiat, velut parietem struere naturalis ingenii est, sed arte fit melius. Argumentum autem ratio est quæ rei dubiæ faciat fidem. Multa enim sunt quæ faciunt fidem, sed quia rationes non sunt, ne argumenta quidem esse possunt, ut visus facit fidem his quæ videntur, sed quia ratio non est visus, ne argumentum quidem esse potest. Differentiam vero unam sumpsit, eam quæ faciat fidem, omne enim argumentum facit fidem. Si igitur junxerimus genus ac differentiam, et id esse argumentum dicamus, quod rationem quæ faciat fidem, num tota argumenti natura monstrata sit? Minime. Quid si ejus rei, de qua nemo dubitat, aliqua ratione facere quis fidem velit, num idcirco illa, quod fidem faciat, vocabitur argumentum? Nullo modo: argumentum namque est quod rem arguit, id est probat, nihil vero probari, nisi dubium, potest. Nisi ergo sit res ambigua, et ad eam ratio fidem faciens afferatur, argumentum esse non poterit. Addita igitur alia differentia quæ est rei dubiæ, facta est integra definitio argumenti, ex genere et duabus differentiis constans, genere quidem, ratione: una vero differentia, quod faciat fidem; altera vero, quod rei dubiæ est, ut sit tota definitio, id esse argumentum quod sit ratio, rei dubiæ faciens fidem. Quæ cum ita sint, necesse est ut ubi dubitatur aliquid, ibi sit quæstio. Quod si argumentum præter rem dubiam esse non poterit, nullo modo esse præter quæstionem potest. Quæstio vero est dubitabilis propositio. Propositio vero est ratio verum falsumve designans. Omnis igitur propositio sive constanter atque pronuntiative proferatur, ut si quis dicat: Omnis homo animal est; sive ad interrogationem dirigatur, ut si quis interroget: Putasne omnis homo animal est? retinet proprium nomen, et propositio nuncupatur. At si eadem, velut dubitabilis proferatur, fit quæstio, ut si quis quærat an omnis homo animal sit. Quotautem modis quæstio dividatur, nunc explicandi locus non videtur accommodus, sed in iis libris dicemus quos de topicis differentiis formare molimur. Ad

quæstionem igitur, id est ad dubitabilem propositionem, omnis intentio dirigitur argumenti, non vero ut totam comprobet quæstionem, sed ut partem ejus ratione confirmet; neque enim tota quæstio defenditur, sed una ejus quælibet pars argumentatione firmatur: nemo enim defendit cœlum rotundum esse et non esse; si enim ita quis defenderet, totam quæstionem videretur probare. Sed cum ita consideratur, utrum rotundum sit cœlum, an non sit, in una tantum consistit quæstionis parte defensio, sive quæ affirmat, sive quæ negat. Omnis enim quæstio contradictionibus constat. Nam si qua res ab altero affirmetur, negetur ab altero, totum hoc contradictio nuncupatur, ut si quis dicat: Cœlum rotundum est, alter neget dicens: Cœlum rotundum non est. Cœlum rotundum esse, et non esse, contradictio probibetur. Dubitabilis vero propositio, quam quæstionem esse prædiximus, et affirmationem in se continet et negationem, hoc enim ipso quo dubitabilis est, contradictionem videtur includere. Cum enim dubitat quis utrumque cœlum rotundum sit, sive adjungat, an non sit, sive reticeat, ipsa dubitatio partem secum alteram trahit. Si enim unam partem propositio tueatur, dubitabilis non est, atque idcirco nec quæstio. Cum igitur omnis quæstio duas habeat partes, affirmationis unam, alteram negationis, necesse est ut sit semper ex alterutra parte defensio, ut unus quidem affirmationis partem, negationis alter defendat, et hic quidem ad astruendam affirmationem, ille vero ad destruendam, quæ potuerit argumenta perquirat. Nihil vero interest utrum quis affirmationem ponat, an destruat negationem, aut negationem defendat, an oppugnet affirmationem. Age enim, sit quæstio, utrum cœlum rotundum sit. Si quis eam sibi quæstionis partem assumpserit, quam esse defendit, ad eam constituendam cuncta necesse est sibi comparet argumenta, atque in hoc affirmationem quidem ponit, sed destruit negationem. Si quis vero neget id, ac dicat non esse cœlum rotundum, suscipit sibi partem alteram quæstionis quæ fuerat reliqua, id est negationem, in eaque consistit, et ad hanc approbandam, perquisitis nititur argumentis; itaque qui negationem ponit, labefactat affirmationem. Quæ cum ita sint, demonstratum arbitror, non totam quæstionem, sed ejus aliquam partem ad defensionem venire. Sed quod quisque defendet, ad hoc quoque argumenta perquirit. Ad partem igitur quæstionis astruendam destruendamve argumenta sumuntur, atque hæc quidem si quis minus intelligit, ne a nobis obscure dicta esse causetur. Si enim quæ in dialectica, vel a nobis dicta Latina oratione, vel a Græcis scripta sunt, ignorabit, mirum est si quam partem eorum quæ dicimus advertere valeat, ne dum stupeamus quod non omnia comprehendat. Sed quoniam dubitabilem propositionem quæstionem esse prædiximus, evenit ut quas partes habeat propositio, easdem etiam quæstio retinere videatur. Omnis autem simplex propositio duas habet partes in terminis constitutas. Simplex vero propositio est hujusmodi, A omnis homo animal est. Terminos vero voco simplices orationis partes, quæ continent propositionem, ut animal et homo. Hi vero sunt prædicatus atque subjectus. Prædicatus est in propositione major terminus collocatus; subjectus vero minor. Major vero terminus de subjecto dicitur, minor autem de majore nullo modo prædicatur, ut animal quoniam majus est quam homo, de homine prædicatur: dicitur enim, omnis homo animal est. Homo vero de animali non dicitur, nemo enim vere dicit, omne animal homo est. Hac igitur ratione internoscere possumus qui terminus in propositione major, qui vero sit minor. Omnis autem quæstio, ut dictum est, quoniam dubitabiles partes habet, et ad easdem comprobandas argumenta sumuntur, necesse est ut B quidquid in quæstionibus comprobatur, id argumentorum ratione firmetur. Argumentum vero nisi sit oratione prolatum, et propositionum contexione dispositum, fidem facere dubitationi non poterit. Ergo illa per propositiones prolatio ac dispositio argumenti, argumentatio nuncupatur, quæ dicitur enthymema vel syllogismus, cujus definitionem in Topicis differentiis apertius explanabimus. Omnis vero syllogismus vel enthymema propositionibus constat; omne igitur argumentum syllogismo vel enthymemate profertur. Enthymema vero est imperfectus syllogismus, cujus aliquæ partes, vel propter brevitatem, vel propter notitiam, prætermissæ sunt. Itaque hæc quoque argumentatio a syllogismi genere non recedit. Quoniam igitur syllogismus omnis propositionibus constat, propositiones vero terminis, terminique inter C se differunt, eo quod unus major est, alter minor, fieri non potest ut ex propositionibus conclusio nascatur, nisi per terminos progressæ propositiones extremos terminos alicujus tertii medietate conjunxerint: id facillimo demonstratur exemplo. Sit enim quæstio utrum homo substantia sit an minime. Sumo mihi quæstionis partem alteram comprobandam, ea est, hominem esse substantiam; in hac igitur duo sunt termini, substantia atque homo, quorum major substantia, minor homo, quod ex eo quoque poterit ostendi, quoniam posterius substantia in prolatione profertur, vel ut in hoc ipso quod dicimus homo substantia est, prius hominem, posterius substantiam nominamus. Ut igitur substantiam atque hominem jungam, necesse est medium terminum reD periri, qui utrosque copulet terminos, hic sit animal, fiatque una propositio, omnis homo animal est; in hac igitur propositione animal prædicatur, homo subjicitur. Rursus adjungo, omne autem animal substantia est; in hac rursus animal supponitur, substantia prædicatur. Itaque concludo, omnis igitur homo substantia est; ac per hoc homo quidem semper subjectus est. Animal vero ad hominem quidem prædicatum est, ad substantiam vero subjectum, Substantia vero ipsa semper prædicata persistit, unde fit ut minor quidem sit homo, major vero homine substantia, medius autem terminus animal. Quoniam igitur extremi termini medii interpositione copulantur, eoque modo quæstionis inter se membra

conveniunt, adhibitaque probatione solvitur dubitatio, nihil est aliud argumentum quam medietatis inventio, hæc enim vel conjungere, si affirmatio defendatur, vel disjungere, si negatio vindicetur, poterit extremos. Quæ cum ita sint, duarum propositionum et tertiæ conclusionis, major quidem propositio dicitur ea quæ majorem terminum continet, id est in qua major quidem prædicatur; medius vero supponitur, ut omne animal substantia est; minor vero propositio est quæ medium quidem terminum prædicat, subjicit autem minorem, ut omnis homo animal est. Sed quoniam a majoribus necesse est minora descendere, ejus conclusionis, quæ ex duabus propositionibus nascitur, illa quasi effectrix et propria propositio videtur esse, quæ prima est; hæc autem est, omnis homo substantia est. Quod qui priores posterioresque nostros Analyticos, quos ab Aristotele transtulimus, legit, minime dubitat. Sed et si quis quæ illic scripta sunt nesciens, ad hæc legenda proruperit, etiam si rationem rerum quas non intelligit minime comprehendit, ita tamen ut dictum est esse confidat, seque in Aristotelis Analyticis uberius inventurum esse, si legerit, arbitretur. Natura igitur rerum fert ut ubi quid majus ac minus est, ibi maximum quoque aliquid inesse necesse sit. Quo fit ut sint quædam maximæ propositiones, quoniam minores majoresque esse monstravimus, quarum natura ex simplicium propositionum partitione sumenda est. Omnis enim simplex propositio vel affirmativa est, vel negativa. Earumque aliæ sunt universales, ut omnis homo justus est, nullus homo justus est; aliæ particulares, ut quidam homo justus est; aliæ indefinitæ, ut homo justus est, homo justus non est; aliæ singulares aliquid atque individuum continentes, ut Cato justus est, Cato justus non est. Harumque omnium aliæ sunt dubitabiles, aliæ indubitatæ. Supremas igitur ac maximas propositiones vocamus, quæ et universales sunt, et ita notæ atque manifestæ, ut probatione non egeant, eaque potius quæ in dubitatione sunt probent. Nam quæ indubitata sunt, ambiguorum demonstrationi solent esse principia, qualis est, omnem numerum vel parem esse vel imparem, et æqualia relinqui, si æqualibus æqualia detrahuntur; cæteræque de quarum nota veritate non quæritur. Maximas igitur, id est universales ac notissimas propositiones, ex quibus syllogismorum conclusio descendit, in Topicis ab Aristotele conscriptis locos appellatos esse perspeximus; quod enim maximæ sunt, id est universales propositiones, reliquas in se velut loci corpora complectuntur, quod vero notissimæ atque manifestæ sunt, fidem quæstionibus præstant, eoque modo ambiguarum rerum continent probationes. Has autem aliquoties quidem in ipsis syllogismis atque argumentationibus inhærere conspicimus, aliæ vero in ipsis quidem argumentationibus minime continentur, vim tamen argumentationibus subministrant: ut si velimus ostendere regnum melius esse quam consulatum, dicemus: Regnum cum sit bonum, diuturnius est quam consulatus; omne vero quod est diuturnius bonum, melius est eo quod parvi est temporis: regnum igitur melius est consulatu. Hic igitur maxima propositio atque universalis et per se cognita, neque indigens probatione, argumentationi inserta est. Ea vero est, omnia quæ diuturniora sunt bona, meliora esse his quæ sunt temporis brevitate constricta. At si velimus ostendere non esse invidum qui sapiens sit, dicamus: Invidus est qui mœret aliena felicitate; non autem sapiens est quem felicitas aliena contristat: non est igitur invidus sapiens. Hic maxima propositio argumentationi non videtur inclusa, sed extrinsecus posita, syllogismo tamen vires ministrat. Hæc vero est, quorum diversæ sunt definitiones, diversas esse substantias necesse est. Quisquis igitur vel Aristotelis Græca vel nostra ab Aristotele translata prospexerit, has illic propositiones locos inveniet nuncupari, quæ sunt maximæ atque universales et vel per se necessariæ, vel per se probabiles ac notæ. Sed quoniam has propositiones plures ac pene innumerabiles esse necesse est, restat adhuc quo amplius ratio speculationis ascendat. Possumus enim, diligenti tractatu considerationis adhibito, omnium maximarum atque universalium propositionum differentias perpendere, atque innumerabilem maximarum propositionum ac per se notarum multitudinem in paucas atque universales colligere differentias, ut et alias dicamus in definitione consistere, alias in genere, atque alias alio modo quod paulo post apertius demonstrabo. Omnes igitur maximæ propositiones, quæcunque sub definitionis verbi gratia rationem cadunt, uno definitionis nomine continebuntur. Et sicut illæ reliquarum propositionum loci esse dicebantur, quod eas intra suum ambitum continerent, ita ipsarum maximarum atque universalium propositionum, quas minorum propositionum locos esse prædiximus, illæ differentiæ, et si non vere, tamen quadam veluti imagine loci esse videbuntur, in quas fuerint convenienti ratione reductæ. Sed istæ locorum, id est propositionum maximarum, differentiæ, quas etiam ipsos locos nominamus, possunt subjectarum propositionum etiam genera nuncupari. Nam differentiæ continentes etiam genera communiter possunt videri, ut irrationale cum a rationali velut divisibili differentia dissideat; tamen equi vel canis, differentia specifica est, et ad eos locum generis tenet. Namque animal irrationabile equi genus est. Ita etiam in maximis propositionibus. Nam quod aliæ sunt ex toto, aliæ ex partibus, hæ inter se comparatæ differentiæ divisibiles sunt, ad ipsas vero maximas propositiones differentiarum continentiæ velut generis loco sunt. Nam propositionis ex toto venientis genus est idipsum quod vocatur ex toto. Item propositiones a partibus ductæ, quamvis notæ sint atque manifestæ genus est, quod a partibus, et cæteræ differentiæ earum propositionum quæ cum sint maximæ, tamen eisdem videntur includi, velut quædam genera sint. Quæ vero sint hæ differentiæ paulo posterius disseram. De his igitur nunc locis tractare Tullius insti-

tuit qui maximas propositiones quas superius diximus,id est per se notas atque universales, continent atque includunt. Hæ vero sunt maximarum differentiæ propositionum. De universalium igitur enuntiationum per seque notarum differentiis disserit,ut fit integer locus argumenti sedes. Nam si argumentum omne per propositiones ad conclusionem usque perducitur,omnes vero reliquæ propositiones in prima maximaque propositione continentur,ipsaque prima ac maxima propositio,tum pars est argumentationis, id est syllogismi, tum extraposita argumentationi vires ministrat,ut utroque modo quoniam perficit argumentum, pars argumentationis quædam esse videatur,non est dubium quin hæ differentiæ, quæ propositiones maximas continent,eædem omnes etiam contineant argumentationes, ut maximarum propositionum differentiæ jure loci argumentorum et quasi quædam ultimæ sedes esse videantur. Nam ex his quatuor significationibus appellationum duarum,argumentationis scilicet atque argumenti,unam quamlibet esse necesse est. Aut enim elocutio et contextio ipsa propositionem cum maximis propositionibus,vel extra syllogismum positis,vel in eodem inclusis, argumentatio vocatur. Argumentum vero mens et sententia syllogismi,aut elocutio ratiocinationis cum maximis propositionibus et sententia syllogismi argumentum esse dicetur, ut idem sit argumentum quod argumentatio. Aut argumentatio quidem vocabitur tota contextio syllogismi cum sententia,sed argumentum maxime propositio, aut integer ratiocinationis ordo præter maximas propositiones argumentatio,sententia vero argumentationis argumentum. Reliqua vero maxima propositio, locus. Sed cum hæc ita sint, sive quis ipsarum propositionum contextionem,et usque ad conclusionem continuum ductum cum maxima propositione, vel extra posita,vel propositionibus ratiocinationis inclusa, argumentationem vocare velit, argumentum vero sententiam mentemque ratiocinationis,nihilominus locos intelligimus maximarum propositionum differentias;sive quis ratiocinationis totius vim atque sententiam totam cum maxima propositione, vel intra,vel extra posita, argumentum vocet, non est dubium quin totius ratiocinationis locus ille sit qui est maximæ propositionis differentia,continet enim maximam propositionem, in qua propositiones cæteræ continentur : sive argumentationem quidem totam ratiocinationis contextionem vocari placeat, argumentum vero maximam propositionem, recte rursus locus putabitur maxime propositionis differentia, quæ argumentum claudit et continet. Quod si argumentum quidem sensus ipse totius ratiocinationis intelligatur,argumentatio vero integra ratiocinationis prolatio, extra vero et ab utrisque diversum valens,velut locus quidam maxima propositio consideretur, sic quoque maximarum differentiæ propositionum loci esse videbuntur. Nam cum differentia ipsa maximam propositionem contineat,ejusque sit locus,maxima vero propositio argumentationi vel argumento vires ministret,non est dubium quin ea toti argumento locus esse videatur, quod totum intra maximæ propositionis ambitum claudit. Demonstratum igitur est quæ sint argumentorum sedes,id est,ubi argumenta clauduntur (hæ sunt autem maximarum propositionum differentiæ), quæ vocantur loci,quid etiam argumentum,quoniam est rei dubiæ faciens fidem, quæ sit vero res dubia, id est pars altera quæstionis, quid sit quæstio, id est dubitabilis propositio, quid sit simplex propositio, id est enuntiatio,quæ prædicato ac subjecto termino contineatur,verum falsumve designans,quæ omnia meminisse oportet. Maximarum enim propositionum differentiæ quas locos esse prædiximus, ab his dicuntur terminis qui prius in propositione sunt,posterius in quæstione considerantur,prædicato scilicet atque subjecto. Ex his etiam quæ superius dicta sunt quid distent Topica Ciceronis atque Aristotelis apparuit. Aristoteles namque de maximis propositionibus disserit,has enim locos argumentorum esse posuit,ut nos quoque supra retulimus. Tullius vero locos non maximas propositiones,sed earum continentes differentias vocat,ac de his docere contendit.

Sed ex his locis in quibus argumenta inclusa sunt, alii in eo ipso de quo agitur hærent,alii sumuntur extrinsecus, in ipso, tum ex toto, tum ex partibus ejus, tum ex nota,tum ex his rebus quæ quodammodo affectæ sunt ad id de quo quæritur. Extrinsecus autem ea dicuntur quæ absunt longeque disjuncta sunt.

Post diffinitionem loci atque argumenti facit plenissimam divisionem locorum. Ac primum quoniam omnis divisio cuncta debet amplecti, neque superfluum quidquam interponere, nec omittere quid sit necessarium,id M. Tullius proposita divisione patefacit dicens : Ex his locis in quibus argumenta inclusa sunt, alios in eo ipso de quo agitur hærere, alios extrinsecus assumi. Nihil enim huic divisioni posse videtur addi vel minui,quandoquidem breviter cuncta complectitur. Argumentorum enim loci quicunque sumuntur, aut in ipso de quo agitur hærent, aut minime. Id autem minime extrinsecus positos esse designat,quod si inter id quod dicimus in ipso de quo agitur hærere argumentorum locos, et non hærere nihil est medium. Inter affirmationem enim atque negationem nulla est medietas. Cumque in ipso de quo agitur non inhærere locum argumenti, id sit extrinsecus assumi,dubium non est quin nihil intersit medium inter ea argumenta quorum in hoc ipso hærent loci de quo igitur, et ea quorum extrinsecus assumuntur, extrinsecus autem ea dicuntur quæ absunt longeque disjuncta sunt. Sed quid ipsum sit de quo agitur facilior explanatio est, si eorum quæ prius dicta sunt meminerimus. Nam cum de quæstione loqueremur,eamdem diximus esse quæstionem quæ esset dubitabilis propositio. Sed quoniam propositio subjecto prædicatoque constaret, quæstionem quoque diximus subjecta prædicatoque conjungi. Prædicatum igitur vel subjectum est hoc ipsum de quo agitur. Nam cum de alterutra quæ-

stionis parte dubitetur,in hac ambiguitate quæritur utrum prædicatus terminus inesse subjecto videatur,an minime.Nam cum omnis quæstio in affirmationem negationemque dividatur,si prædicatus subjecto inest, fit ex eo vera affirmatio ; si non inest, fit vera negatio. Sed in quæstionibus disceptandis, alter affirmationem,alter negationem tuetur,id est, alter prædicatum inesse subjecto, alter non inesse defendit. Quod vero ex alterutra parte defenditur, hoc est ipsum de quo agitur.Ipsum igitur est prædicatus terminus vel subjectus, de quibus agitur. Atque ut id exemplo clarius fiat, sit quæstio, an Verres furtum fecerit. Hic Verres subjectum est, furtum facere prædicatum ; quod si furtum Verri conjungitur,idque argumentationibus comprobatur, quæstionis affirmatio demonstrata est.Si furtum a Verre sejungitur, quæstionis rursus negatio comprobatur. Ipsum itaque de quo agitur nihil est,nisi uterlibet eorum terminus qui in quæstione proponitur, sive prædicatus, sive etiam subjectus. Qui quidem termini per se argumenta esse non possunt,neque vero per se argumenta præstare. Si enim ipsi simplices ut sunt argumenta esse possunt,vel argumentorum præstare materiam,nullam in quæstione relinquerent dubitationem ; sed quoniam de ipsis adhuc in quæstione dubitatur an eorum possit esse rata conjunctio,ipsi quidem neque per se argumenta esse,neque per se argumenta præstare poterunt, ea vero quæ in ipsis insunt, vel extrinsecus posita sunt, argumentorum copiam subministrant. Nam quod Victorinus quærit, et explicat latius, ne commemoratione quidem mihi dignum videtur.Quærit enim quæstio ipsa de quo agitur an habeat locum, quod minime oportuit,ut dictum est.Locus de quo nunc agimus non cujuslibet rei locus est,sed argumenti, argumentum vero rei dubiæ faciens fidem, res vero dubia pars quæstionis. Quod si argumentum quæstio vel pars quæstionis esse non potest, locus vero de quo agimus argumenti est locus, non est dubium quin locus quæstionis esse non possit. Amplius,omnis quæstio dubitabilis est,argumentum vero omne quæstionis purgat ambiguum. Non est igitur idem argumentum quod quæstio,sed loci, argumentorum sunt loci,non sunt igitur quæstionis. Hoc igitur præmisso intelligamus ipsum de quo agitur quemlibet terminum in quæstione propositum, sive prædicatum, sive subjectum, qui cum per se res sint,ipsi quidem argumentum esse non possunt, habere autem in se quædam possunt,in quibus argumenta sint collocata, et quæ sedes argumentorum esse intelligantur. Quæ quidem cum terminis his de quibus agitur inhærere videantur, nondum tamen sunt argumenta, sed quasi jam argumenta complectentes loci,et,velut naturali sede condentes. Idem de his locis qui extrinsecus assumuntur dicendum est, ipsi namque positi sunt exterius et quodammodo a propositionum terminis ablegati,et res quædam sunt, sed intra se argumentorum copiam claudunt ; atque,ut brevi sententia colligam, ipsum de quo agitur nihil est aliud nisi quilibet in quæstione terminus collocatus. Hi argumenta esse non possunt,neque ab his trahi aliquod argumentum. Quo fit ut termini ipsi qui in quæstione sunt positi,nec argumenta, nec loci sint,sed tantum res. Rursus ea quæ in his hærent de quibus agitur,ipsa quidem res esse manifestum est,sed claudunt in se argumentorum copiam,ut cum ex his sumi aliquod oporteat argumentum,locorum vice fungantur.Itaque si quis per se ea speculetur, res sunt ; si quis ab his aliquod argumentum quærat educere, loci fiunt. Et hæc communiter quidem de principalibus ac maximis locis dicta sint. Hi vero sunt qui in ipsis de quibus agitur hærent, vel qui assumuntur extrinsecus.Ut igitur faciat plenam locorum divisionem,quos simpliciter ac maximos posuit locos, eosdem velut in quæsdam species resecat, dicens : In ipso tum ex toto,tum ex partibus ejus,tum ex nota, tum ex his rebus quæ quodammodo affecta sunt ad id de quo quærimus.Et locorum quin in ipso sunt de quæ agitur constituti quatuor partium facta divisio est.Hi quippe qui in ipso de quo agitur hærent, vel ex toto eo de quo agitur termino, vel ex partium ejus enumeratione, vel ex nota, vel ex affectis intelliguntur existere.Id ita esse brevi ratione firmabitur.Necesse est enim quemlibet eorum terminorum qui in quæstione sunt collocati, et definitiones habere proprias, et partes, et nomina, et ad res alias quadam relatione conjungi ac referri. Ergo locus qui dicitur ex toto,is est, quoties argumentum ex alicujus diffinitione termini qui est in quæstione tractatur,sive subjecti,sive prædicati. Ex partium enumeratione,quoties ab ejus termini partibus, qui in quæstione positus est,ducitur argumentum. A nota, quoties ab ejusdem termini vocabulo nascitur argumentum. Ab affectis vero, quoties ab his quæ ad propositum terminum relatione aliqua reducuntur argumentatio proficiscitur. Quorum similitudines omnium posterius explicabo,quando ea quæ super his rebus declarandis Cicero posuit exempla tractavero. Nunc illud est considerandum, ait enim Tullius ex his locis,in quibus argumenta inclusa sunt, alios in eo ipso de quo agitur hærere, alios extrinsecus assumi,quod ita dictum videtur,tanquam diversi sint loci qui in his de quibus agitur hærent, et ipsum illud de quo agitur. Nihil enim in se ipso hærere potest, ac per hoc quod in aliquo hæret ab eo in quo hæret diversum est.Quod si loci sunt aliqui qui in his hæreant de quibus agitur,non est dubium quin hi loci ab his de quibus agitur sint diversi.Rursus cum dicit in ipso, tum ex toto,tum ex partibus ejus, tanquam non de diversis loquatur,ita ait,in ipso locos esse tum ex toto,tum ex partibus,tum ex nota,quasi vero aliud sit ipsum quam totum, aut aliud ipsum quam omnes undique ejus partes. Unaquæque enim res idem est quod totum. Idem namque est Roma quod tota civitas. Rursus idem est unaquæque res quod ejus singulæ partes in unum reductæ ; velut idem est homo quod caput, thorax, venter, ac pe-

des, cæteræque in unum partes conjunctæ atque copulatæ. Quomodo igitur tanquam de diversis primum locutus est, cum locos hærere in his terminis de quibus agitur dixit, post autem velut de eisdem loquitur, cum in ipso locos, tum ex toto, tum ex partibus esse proponat? Nihil enim differt dicere in ipso, tum ex toto, tum ex partibus quam si ita dixisset, in ipso, tum ex ipso. Nam si idem est ipsum quod totum ac partes, idem est dicere in ipso hærere locum, ex toto, aut ex partibus, quod in ipso hærere locum, qui est ex ipso, quod ne intelligi quidem potest, quemadmodum in ipso hærere possit, quod ipsum est, cum nihil sibi hæreat, ut superius expedivi. Sed, quemadmodum paulo ante exposui, unaquæque res cum et diffinitionem habeat et partes, si pernoscamus quæ sit diffinitionis vis et quæ partium, cunctus ambiguitatis nodus absolvitur. Est enim diffinitio coactæ in se atque complicatæ rei explicatio, velut cum dicimus hominem esse animal rationale, mortale. Nam id quod breviter nomen, atque anguste designabat, id explicavit ac protulit, et per substantiales quodammodo partes definitio patefecit. Alium igitur necesse est esse intellectum rei, quæ complicata est, in eo quod sibimet coacta atque in unum redacta est, alium ejusdem rei explicatæ atque dissertæ, in eo quod expedita atque diffusa est: nam et si idem rei diffinitio quod nomen significat, illud tamen ipsum quod nomen anguste confuseque designat, apertius diffinitio disserit ac patefacit. Recte igitur aliud quiddam est ipsum, aliud ejus diffinitio, etiam si unum idemque est utrisque subjectum. Ut enim dictum est, ipsum singulum est, diffinitio ipsius singuli per partes distributio atque enumeratio. Partes autem nunc substantiales dico, non quæ magnitudinem jungunt, sed quæ proprietatem rationemque substantiæ. Sed quod in definitione dictum est secundum eas partes quæ substantiam jungunt, id in partibus intelligendum est quæ magnitudinem copulant, velut domus quæ fundamento, parietibus tectoque conjungitur. Nam cum ea nihil sit aliud nisi quod partibus copulatur, ipsa tamen una quædam est, atque conjuncta, partitio vero ejus per quædam membra distributio est, atque ideo licet unum sit, quod ipsum est totum, et quot sunt partes undique confluentes, non tamen eumdem necesse est habere intellectum, cum ipsum integrum consideratur, ut cum in partes ipsas quibus junctum est distribuitur. Ex nota vero locus apertissime ab eo termino diversus est, qui in quæstione constitutus est. Quis enim dicat id esse cujuslibet rei vocabulum quod ipsa res est, quam designat? Ea vero quæ ad id de quo agitur affecta sunt, et si extra posita videntur, terminum tamen in quæstione propositum velut e regione respiciunt, quæ in multas secari necesse est partes. Omnis enim res, id quod est, unum est, multa vero sibimet retinet adjuncta, quæ hoc ab his quæ omnino extrinsecus sunt differre intelliguntur, quod ea quæ affecta sunt, in relatione sunt posita, ut post et ipsarum propositio, et exemplorum ratio monstrabit. Ea vero quæ sunt extrinsecus, in nulla relatione sunt constituta, atque ideo hac extrinsecus solum. Illa vero affecta sunt nuncupata, habet enim aliquam quodammodo cognationem ad id ad quod reducitur, id quod refertur ad aliquid. Sed omnes fere hos locos quos nunc simplices atque indivisos ponit, posteriore tractatu dividit, ut nunc quoque eos locos qui in ipso sunt, distribuit, cum alios ex toto fieri proponit, alios ex partibus, alios ex nota, alios ex affectis, affectaque ipsa suis partibus secat. Extrinsecus vero locum in testimonio positum esse confirmat, testimonii vero vim in auctoritate constituit, auctoritatem vero deducit in proprias partes, sed hoc posteriore tractatu liquebit. Nunc vero eos simplices atque indivisos locos proponit, et veluti simplicibus subdit exempla. Restat autem nunc unum quod videtur esse quærendum, an hi loci qui in locos alios dividuntur, eorum quos intra se continent locorum loci esse possint, ut eorum qui sunt ex toto, ex partibus, ex nota, ex affectis, is unus quidam quasi locus sit, qui est in ipso. Nihil quidem prorsus officeret locorum locos putare, fieri enim potest ut locus amplior intra semet angustiores contineat locos, velut in provincia civitates, sed nunc hæc similitudo non convenit. Locus enim est ex quo ducitur id in quo argumentum est positum. Quod si loci locus esse posset, et is qui est in ipso de quo agitur, eos qui sunt ex toto, vel ex partibus, vel ex nota, vel ex affectis, velut quidam locus includeret, non essent, ex toto, ex partibus, ex nota, vel ex affectis loci, sed argumenta quoniam in eo hærerent loco, qui in eo ipso de quo agitur termino esse prædictus est; non igitur locus esse poterit loci, sed velut genera in species. Ita nunc sit divisio locorum, nec hoc superius dictis videatur esse contrarium, cum et maximas propositiones, et earum differentias continentes communi nomine appellavimus locos. Nam maximæ propositiones, licet eo ipso quo maximæ sint includant cæteras et vocentur loci, tamen quia sunt notissimæ possunt rebus dubiis esse argumenta. Jure igitur earum differentiæ loci nominantur, quod in locorum speciebus, aliter sese habet, quæ prorsus argumenta esse non possunt: nam in ipso locus velut in species quasdam dividitur in eos qui sunt ex toto, ex partibus, ex nota; ex affectis. Unusquisque enim horum locorum primi loci integrum videtur ferre vocabulum, nam ut hominem animal dicimus, itemque equum atque bovem animalia nuncupamus, sic is locus qui ex toto est in ipso esse dicitur, itemque qui ex partibus ac nota, atque ex affectis in ipso sunt. Sed ex his locis argumenta quidem duci possibile est, ipsa vero argumenta ut sint, fieri nequit.

Sed ad id totum de quo disseritur, cum definitio adhibetur, quasi involutum evolvit id de quo quæritur. Ejus argumenti talis est formula: Jus civile est æquitas constituta his aut ejusdem civitatis sunt ad res suas obtinendas. Ejus autem æquitatis utilis cognitio est. Utilis ergo est juris civilis scientia.

Post locorum bifariam divisionem, in ipso scilicet

de quo agitur,et extrinsecus positorum,partitus est eum locum qui est in ipso in quatuor membra, id est a toto, a partium enumeratione, a nota, ab affectis. Nunc igitur anteaquam dividat eum locum quem ab affectis esse proposuit,superiorum trium quos in primo interim tractatu minime divisurus est, sed individuos relicturus,exempla supponit.Hi vero sunt a toto a partibus, a nota; ac de eo quidem loco qui est a toto ita disseruit ac disputavit. Tum inquit, dicimus a toto locum argumenti quando totum illud quod in quæstione positum est diffinitione complectimur, quæ diffinitio rei dubiæ de qua agitur facit fidem.Sed diffinitio omnis,ut superius quoque dictum est,id quod nomine involute designatur evolvit et explicat, atque ideo non terminus qui in diffinitione ponitur, sed quæ in ipso sunt, possunt argumentis præstare materiam.Sunt autem in unoquoque propriæ diffinitiones.Diffinitio enim est oratio substantiam uniuscujusque significans; quod si ab unaquaque re propria substantiam non recedit,ne diffinitio quidem recedit, est ergo diffinitio in ipso termino de quo agitur,quæ definitio totum terminum necesse est comprehendat, neque enim partem substantiæ,sed totius termini substantiam monstrat.Sed quoniam ex ea diffinitione fides fit rei dubiæ, trahitur ex diffinitione argumentum,quæ diffinitio in ipso termino est de quo agitur, et ejus termini totum est. Itaque argumentum quod a diffinitione ducitur, ab eo ducitur loco qui in ipso termino est, qui in quæstione est collocatus.Sed quoniam multi loci sunt in ipso,hic totus a toto est. Diffinitio enim totum terminum comprehendit,atque id quod involute nomine significabitur, evolvit atque aperit, ejus argumenti talis est formula.Jus civile est æquitas constituta his qui ejusdem civitatis sunt ad res suas obtinendas, ejus autem æquitatis utilis est cognitio,utilis est ergo juris civilis scientia.Est enim quæstio, an juris civilis scientia sit utilis,hic igitur jus civile supponitur, utilis scientia prædicatur. Quæritur ergo an id quod prædicatur, vere possit adhærere subjecto. Ipsum igitur jus civile non potero ad argumentum vocare, de eo enim quæstio constituta est; respicio igitur quid ei sit insitum,video quoniam omnis diffinitio ab eo non sejungitur,cujus est diffinitio, ne a jure civili quidem propriam diffinitionem posse abjungi.Diffinitio igitur jus civile,ac dico,Jus civile est æquitas constituta his qui ejusdem civitatis sunt,ad res suas obtinendas ; post hoc considero num hæc definitio reliquo termino, utili scientiæ, possit esse conjuncta, id est an æquitas constituta his qui ejusdem civitatis sunt, ad res suas obtinendas, utilis scientia sit, video esse utilem scientiam dictæ superius æquitatis.Concludo itaque, Juris igitur civilis scientia utilis est; hoc igitur argumentum est ex eo loco qui est in ipso, hoc est in jure civili, qui terminus in quæstione est constitutus, hic vocatur a diffinitione, quæ diffinitio quæstionum totum est, argumentum est a toto. Omnis autem locus a toto in ipso est. Nec nos ulla dubitatio perturbet, quod jus civile et rursus scientia utilis quædam sunt orationes quas inter terminos collocamus.Non enim omnis terminus simplici orationis parte profertur,sed aliquoties orationes integræ in terminis constituuntur.In hac igitur argumentatione maxima ac per se nota propositio est ea per quam intelligimus omnia quæ diffinitioni alicujus conjunguntur,ipsa quoque illis quorum definitio est, necessitate copulari. Sequitur enim cum diffinitio juris civilis utili scientiæ possit adjungi, juri quoque civili utilem scientiam posse copulari; est igitur hoc argumentum tractum ab eo loco qui est in ipso. Omnis enim diffinitio in eo termino est quem diffinit, eodem autem loco qui in ipso est, et a toto. Omnis enim diffinitio totum monstrat atque aperit. Maxima propositio hæc. Quibus aliquorum diffinitio jungitur, eisdem necessario ea quæ diffiniuntur aptantur.

Tum partium enumeratio, quæ tractatur hoc modo: Si neque censu, neque vindicta, neque testamento, liber factus est, non est liber: nec ulla est earum rerum: non est igitur liber.

Sit quæstio utrum aliquis quem servum esse constiterit, sit liber. Quoniam faciendi liberi tres sunt partes. Una quidem ut censu liber fiat,censebantur enim antiquitus soli cives Romani. Si quis ergo consentiente vel jubente domino, nomen detulisset in censum, civis Romanus fiebat et servitutis vinculo solvebatur,atque hoc erat censu fieri liberum, per consensum domini nomen in censum deferre et effici civem Romanum.Erat etiam pars altera adipiscendæ libertatis,quæ vindicta vocabatur: vindicta vero est virgula quædam quam lictor manumittendi servi capiti imponens,eumdem servum in libertatem vindicabat, dicens quædam verba solemnia, utque ideo illa virgula vindicta vocabatur. Illa etiam pars faciendi liberi est,si quis suprema voluntate in testamenti serie servum suum liberum scripserit. Quæ quoniam partes sunt liberi faciendi,si quis aliquem, quem servum fuisse constiterit,monstrare velit non esse liberum factum, dicet, si neque censu, neque vindicta,neque testamento,liber factus est, non est liber. At nulla earum parte liber factus est,non est igitur liber.Si enim omnes partes a qualibet illa re abjunxeris,totum necessario separasti.Nam cum totum in suis partibus constet,si quid nulla cujuslibet parte conjungatur, a toto etiam segregatur. Partes autem duobus dicimus modis,vel species, vel membra. Species est quæ nomen totius integrum capit, velut homo atque equus animalis,utraque enim per se integro nomine animalia nuncupantur. Est enim homo animal,et rursus equus animal.Item membra sunt quæ cum totum efficiant,conjuncta totius capiunt nomen,singula vero nullo modo, ut cum fundamentum, parietes et tecta domus membra sint, simul omnia domus dicuntur,fundamenta vero sola domus vocabulo minime nuncupantur,neque parietes,neque tecta.In his igitur quæ species sunt, quoniam nomen totius integrum capiunt,nisi sigillatim omnes partes ab eo de quo dubitatur abjunxeris,non

possis totum abesse monstrare. Dictum est enim unamquamque partem totius vocabulum integrum capere. Ut quoniam faciendi liberi tres sunt species, census, vindicta, testamentum, si quaslibet duas removeris, una tamen permanserit, liberum necessario confitebere. Sive enim censu tantum, sive vindicta, sive testamento sit liber factus, liberum esse constat. Ergo in his nisi omnes species semoveris, non potes destruere quod in quæstione propositum est. At si affirmare velis atque astruere, sufficit tantum unam quamlibet speciem demonstrare, ut si velis ostendere liberum, sat est, ut monstres, aut vindicta, aut censu, testamentove liberum factum; quod si destruere velis, non sufficit ostendere, aut censu, aut vindicta, aut testamento liberum non esse factum, sed nullo eorum modo ad libertatem venisse. Itaque his partibus quæ species sunt, si destruere velis, cunctis utendum est; si astruere, una sufficiet. At vero hæ partes quæ sunt membra, contrario modo sunt: si destruere velis, sat erit unam sejungas; si astruere, cuncta adesse necesse ario comprobabis. Nam si velis ostendere non esse domum, sufficit ut aut fundamenta non esse dicas, aut parietes, aut tecta; nam si quid horum defuerit, domus non potest appellari. At si velis ostendere domum esse, nisi cuncta in unum conjunxeris, id quod proponis astruere non valebis. Omnes hi loci a partium enumeratione ducuntur, quia in his partibus quæ species sunt, cunctæ partes enumerantur, ut destruas; in his vero quæ membra sunt cunctæ partes enumerantur, ut astruas. Quæstio est igitur in proposito Ciceronis exemplo argumenti a partium enumeratione deducti: An is quem servum fuisse constitit, liber sit; is quem servum fuisse, subjectus est terminus, liber vero prædicatus; neutrum igitur eorum terminum ad argumentum ducere poterimus. De quibus enim dubitatur, ipsi fidem dubitationi facere non possunt. Video igitur qui in altero eorum sit. Quoniam vero partes omnes in eo sunt cujus partes sunt, quoniamque libertas data, habet proprias partes, sumo eas atque dinumero, et requiro an ulla earum partium videatur inesse subjecto, sed nulla inest. Concludam igitur non esse liberum. Unde manifestius demonstratur, non solum ab eo termino qui subjectus est, argumenta sumi posse, verum etiam ab eo qui est prædicatus. Nam prius exemplum quo demonstrabat juris civilis scientiam esse utilem, jus civile quod subjectum erat diffinivit, ductumque inde argumentum rei dubiæ fecit fidem. Hic vero libertatis partes enumerantur, qui est terminus prædicatus. Est igitur, ut dictum est, quæstio an quem servum esse constiterit, liber sit. Terminus is quidem quem servum esse constiterit, subjectus est, prædicatus vero liber, in ipso, id est in prædicato, partes sunt, quæ enumerantur, a qua enumeratione dum trahitur argumentum, fit argumentum in ipso, ex partium, enumeratione. Maxima propositio, cujus partium nihil rei propositæ copulatum est, ei ne totum quidem esse potest conjunctum. Hic videtur esse dubitandum num locus a toto atque a partibus idem sit, cum omnes partes totum faciant, si conjungantur. Sed respondebitur, cum sit argumentum ab enumeratione partium, totum dividitur, non conjungitur, dividendo enim argumentatio procedit. Nam quisquis partem cujuslibet sumpserit, eo ipso, quo partem sumpserit, rem videtur esse partitus. Qui vero rem dividit, dissipat potius quam conficit totum, sed restare adhuc ambiguitas potest, nam diffinitio quoque involutam nominis significationem explicat, per quamdam substantialium partium enumerationem. Enumeratio vero partium quædam ipsarum a se partium dissipatio est. Sed aliud est ejusdem rei partes enumerare, aliud diffinitionis. Nam rei partes ea re cujus partes sunt semper minores sunt, ut caput, vel thorax, vel cætera membra toto homine; partes vero definitionis tota re quæ diffinitur, si substantiales sunt, probantur esse majores, ut animal homine majus est. Itemque rationale, mortale, eumdem hominem, velut majora continent, et sunt singulæ partes diffinitionis ejusdem quæ est animal, rationale, mortale. Partitio igitur sumit partes rei quam partitur minores semper. Quæ vero sumit definitio, universalia sunt per se totaque et continentia diffiniri, quamvis posita in diffinitione partes fiant, ut in his quæ superius exempla proposui facile intelligi potest. Unde manifestum est locum a toto, qui diffinitionis est, et locum a partium enumeratione. esse diversos.

Tum notatio, tum ex vi verbi argumentum aliquod elicitur hoc modo: cum lex Ælianctia assiduo vindicem assiduum esse jubeat, locupletem jubel locupleti, is est assiduus, ut ait Ælius, appellatus ab ære dando.

Tertius eorum qui in ipso sunt locus a notatione est constitutus. Notatio vero est quædam nominis interpretatio. Nomen vero semper in ipso est. Ut enim diffinitio id quod in nomine involutum est declarat, expedit atque diffundit, ita etiam nomen id quod a diffinitione dicitur evolute, involute confuseque designat. Quod si definitio in ipso est, nomen quoque in ipso esse de quo agitur, non potest dubitari. Ex notatione autem locus vocatus est, quia nomen omnem rem notat atque significat. Vindex est igitur qui alterius causam suscipit vindicandam, veluti quos nunc procuratores vocamus. Lex igitur Ælianctia assiduo, vindicem assiduum esse jubet. Quæritur utrum cum lex Ælianctia vindicem velit esse assiduo assiduum, locupletem velit locupleti. Hic igitur subjectus quidem terminus est, lex Ælianctia vindicem volens assiduo assiduum, prædicatus vero locupletem locupleti, ipsos igitur terminos non potero ad fidem quæstionis adducere. De ipsis enim de quibus ambigitur, nulla effici fides potest. Quæro igitur quid in ipsorum altero sit, ac video unum eorum terminum esse, legem Ælianctiam, quæ assiduum assiduo vindicem esse decernat, id est subjectum, hujus orationis interpretor partem, quæ est assiduus. Quid enim est assiduus aliud nisi assem dans? assem vero dare nisi locuples non potest, assiduus igitur locuples est. Cum igitur lex Ælianctia assiduo vindicem assiduum esse constituat, locupletem

jubet locupleti, assiduus quippe est locuples, a dando ære nominatus. Argumentum igitur hoc tractum est ex eo loco qui est in ipso, id est a nominis interpretatione, nomen enim in ipso illo est cujus nomen est, cujus interpretatio notatio nuncupatur. Sed ab hujus interpretatione factum est argumentum. Igitur hoc argumentum ex eo loco est, qui est in ipso, id est a nomine, et eorum qui in ipso sunt, a notatione, id est a nominis interpretatione. Maxima propositio est, interpretationem nomina idem valere quod nomen. Sed paulo confusius a Cicerone dicta argumentatio maximum præstat errorem. Ita enim dici oportuit, assiduus est qui assem dat, qui vero assem dat, locuples est, assiduus igitur locuples est. Lex autem Æliasanctia assiduum assiduo esse vindicem jubet, locupletem igitur locupleti vindicem esse præscripsit. Quod si ita dictum esset, apertior argumentatio fuisset. Nunc vero ita dixit: Cum lex Æliasanctia assiduo vindicem assiduum esse jubeat, locupletem jubet locupleti et cætera. Subjunxit, ut ostenderetur locuples esse assiduus; hoc autem tantumdem valet, quod ait, legem Æliamsanctiam assiduo assiduum vindicem cum juberet esse, locupletem locupleti esse præcepisse, tanquam si diceret, qui assiduus est, locuples est. Nisi enim is qui assiduus est locuples sit, non consequitur ut cum lex Æliasanctia assiduum assiduo vindicem esse jusserit, locupletem jusserit locupleti, et argumenti conclusionem priorem posuit subjecit vero probationem. Conclusio namque est, cum lex Æliasanctia assiduum assiduo vindicem velit esse, locupletem jubet locupleti, atque hanc præmisit; probatio vero est rationis assiduum esse locupletem ab ære dando nominatum, et hanc intulit conclusionem. Restat is locus eorum qui in ipso sunt, qui ducitur ab affectis. Cujus expositionem, quoniam varia est multiplexque divisio, differamus, ac primi voluminis terminum, hucusque sistamus.

LIBER SECUNDUS.

In tam difficillimi operis cursu non sum nescius, mi Patrici, quin labor hic noster quem te adhortante suscepimus, dum judicio multitudinis imperitæ aut elevatur, aut premitur, facile variis reprehensionibus mordeatur. Nam et illi quibus hoc totum disserendi displicet genus, velut supervacaneum studium, familiari pravis mentibus cavillatione despiciunt, et qui maximum hujus scientiæ fructum putant, sua cæteros segnitie mentientes, tanto nos operam pares esse non existimant, quorum quidem priores si non invidia laboris alieni æstimationem premunt, sed reprehensioni judicioque consentiunt, nullo modo ferendos esse puto. Multo quoque in me libentius detorserim pravæ opinionis invidiam, ac nostris eos diffidere viribus facillime patiar, potius quam tantæ disciplinæ calcare rationem. Sed proh divinam atque humanam fidem, quæ est hæc hominum pravitas, quæ tantæ est imprudentia cæcitatis, ut pene sua sese ipsi confessione condemnent! Nullus est enim qui sese videri nolit peritissimum disserendi, quinetiam objectare ipsi aliquid, et resolvere objecta conantur, et si facile id factu esset, cuncti ad scientiam logicæ disciplinæ velut ad communia quædam sapientiæ lucra concurrerent. Jam vero quid absurdius fingi potest, quam quod probabilibus, ut ipsi existimant, argumentis inutile studium dialecticæ nituntur astruere? Quid enim convenit disserendi artem disserendo pervertere, ut cujus opinionem affectes, ejusdem despicias veritatem? Sed ut cantor ille discipulum sibi ac Musis canere jubebat, ita et ego quoque mihi ac tibi, non Musæ, sed tanquam Musarum præsidi cecinerim, atque id quod multo labore studioque collegi, non rhetorica tantum facultate, verum etiam dialectica subtilitate deponam. Quæ vero sequuntur hujusmodi sunt:

Ducuntur etiam argumenta ex his rebus quæ quodammodo affectæ sunt ad id de quo quæritur. Sed hoc genus in plures partes distributum est. Nam alia conjugata appellamus, alia ex genere, alia ex forma, alia ex similitudine, alia ex differentia, alia ex contrario, alia ex conjunctis, alia ex antecedentibus, alia ex consequentibus, alia ex repugnantibus, alia ex causis, alia ex effectis, alia ex comparatione majorum, aut parium, aut minorum.

Postquam locos eos ex quibus argumenta ducuntur gemina partitione distribuit, alios in ipso de quo agitur hærere dicendo, alios extrinsecus assumi, cumque locum qui in ipso de quo agitur hæret in quatuor species secuit, id est a toto, a partibus, a nota, ab affectis, superioribus quidem tribus exempla subjecit, quæ nos primo volumine quantum diligenter fieri potuit explicavimus. Restat is locus quem posuit quartum, id est ab affectis, hujus cum multæ sint species, integri atque indivisi proponere non potuit exemplum. Nam quorum facienda partitio est, melius per singula membra dispositis aperiuntur exemplis. Hunc igitur locum dividit hoc modo: Locus qui ex affectis est, partim ex conjugatis, partim ex genere, partim ex forma descendit, ex similitudine etiam, vel ex differentia, vel ex contrario, necnon etiam ex conjunctis, ex antecedentibus, et consequentibus, et repugnantibus, ex causis etiam atque ex effectis causarum, et comparatione majorum, aut parium, vel minorum, quæ omnia Tullius paulo post convenientibus rerum similitudinibus illustrat. Nunc illud nobis dicendum est quæ sit affectorum natura, et quid habeant proprietatis. Sunt enim affecta quæ quodammodo aliquid referri possunt, ad id ad quod referuntur. Omnia vero quæ se aliqua relatione respiciunt, aut amica inter se, aut dissidentia conferuntur. Si amica, vel substantialiter, ut genus, forma, antecedentia, consequentia, causa, effectus; vel in qualitate, ut conjugatum, simile, conjunctum; vel in quantitate, ut paria. Quæ vero sibi dissidentia con-

:ur,partim a se differentia sunt tantum,partim
sa ; sed adversa, partim in qualitate, ut con-
,vel repugnantia,partim in quantitate, ut ma-
minus. Quæ cum ita sint, manifestum est, et
sibi cognationis relatione conjungi, et dissi-
ı hoc ipso quo sibi adversa sint, ad se invicem
ırari.Nam quæ amica sunt,amicis amica sunt,
sidentia a dissidentibus dissident. Itaigitur et
formæ genus est, et forma generis forma, et
:dentia consequentium,et consequentia,ante-
tium, et causa effectuum causa,et effectus cau-
ı effectus, et conjugata conjugatis conjugata
:t simile simili simile,et conjunctum conjuncto
nctum,et paria paribus paria,et differentia dif-
ibus differentia, et majora minoribus majora,
nora majoribus minora sunt,et contraria con-
: contraria,et repugnantia repugnantibus repu-
ia sunt. Affecta igitur sunt quæ cum a se invi-
iversa sint, ad se invicem tamen referuntur.
ıo ordine Tullius superius descripsit locos,nos
itiones omnibus apponemus.Eorum igitur quæ
invicem affecta dicuntur,in M. Tullii disputa-
prima sunt conjugata: conjugata voco quæcun-
› uno nomine varia prolatione flectuntur, ut a
a justus,justum,juste. Hæc inter se cum ipsa
.a,unde eorum vocabulum fluxit,conjugata di-
r.Genus vero [est] quod de multis specie diffe-
›usin eo quod quid est prædicatur,velut animal
r de homine atque equo,quæ specie differunt,et
ıuod quid sit prædicatur.Interrogantibus enim
quid sit homo vel equus, respondetur animal.
genus licet necesse sit ab eo esse diversum cu-
:nus est,cognatum tamen est ei, quia ad id sub-
iæ relatione conjungitur. Species etiam est.
a genus superius prædicatur, quam Cicero for-
vocavit, velut homo animalis. Similitudo est
s qualitatis. Nam duo quæ sibi similia sunt,
em necesse est habere qualitatem,et quoniam
ı sibi simile esse non potest, aliud necesse est
› consideretur.Sed aliud esse non poterit, nisi
. in aliqua parte diversum. Ergo similia, a se
a quidem re diversa sunt, in alia vero con-
nt. In ea vero re quæ secundum qualitatem con-
ıt, in ea esse similia intelliguntur, quæ ad se
itudinis illius copulatione referuntur. Diffe-
a est qua unumquodque differt ab alio,ut homo
ıuo rationabilitatis differentia discrepat. Hæc
r prædicatione quidem propriæ naturæ ad ea
tur quorum est differentia,ut rationabilitas ad
nem ;dissimilitudinis vero ratione ad ea a qui-
liscrepat id cujus est differentia,ut rationabi-
ad bovem. Contraria vero sunt quæ in eodem
a genere longissime a se discrepant, ut album
› nigrum,quæ licet in uno qualitatis genere po-
ur, a se tamen quam longissime recedunt, ea
ıue ad se referri nullus ignorat.Aliud est enim
l sunt, aliud quod contraria sunt. Quod enim
ım est,quale est. Quod vero contrarium est,ab
plurimum discrepans est.Conjuncta vero sunt

A quæ unicuiquæ rei finitimam naturam tenent, velut timori pallor adjunctus est. Hæc talia sunt ut sæpius quidem adjunctis sibi cohærescant,neque tamen ex necessitate his quibus vicina sunt,adesse cogantur. Nam sæpe timori pallor assistit, non tamen semper,veluti cum dissimulatione premitur metus, atque ideo veri similia ex adjunctis argumenta nascuntur. Nam quæcunque conjuncta sunt ex his quibus adhærent,indicio esse solent. Sed de his in posteriore disputatione diligentius disseram. Antecedentia vero sunt quibus positis aliud necesse est consequatur, ut quia bellum est, esse inimicitias necesse est.Hæc ordinis necessitatem tenent. Consequentia enim ab antecedentibus separari nequeunt, consequens vero est quidquid id quod antecedit in-
B sequitur,ut inimicitiæ bellum consequuntur.Nam si bellum est,inimicitias esse necesse est, habetque locus hic illud notabile et spectandum,quod sæpe quæ naturaliter priora sunt,tamen ipsa sunt consequentia.Sæpe quæ naturaliter antecedunt, et in propositione priora sunt ; namque inimicitiæ prius existere quam bella solent. Sed non possumus proponere inimicitias,ut bellum sequatur. Non enim possumus vere dicere, si inimicitiæ sunt, bellum est, sed præponimus bellum, et inimicitiæ quæ natura priores sunt,subsequuntur,ita,si bellum est,inimicitiæ sunt. Nunc igitur inimicitiæ quæ naturaliter bellum præcedunt,hæ eadem bella in propositione comitantur ; at si dicam: Si superbus est, odiosus est, superbia et naturaliter et in propositione odium præcedit ; prius
C enim superbia consuevit existere, post vero atque ex eadem superbia veniens odium sequi. Nec interest utrum naturaliter quælibet antecedat res aliquando, an vero consequetur, dum id in propositione adnotemus, eam esse rem antecedentem, quæ sive naturaliter prior sit, sive posterior, alteram tamen rem secum necessario trahat. Repugnantia vero intelliguntur quoties id quod alicui contrariorum naturaliter junctum est, reliquo contrario comparatur, ut quoniam amicitiæ atque inimicitiæ contraria sunt. Inimicitias vero consequitur nocendi voluntas,amicitia et nocendi voluntas,repugnantia sunt,hæc quoque ad se contrarietatis similitudine referuntur.Causa est qua præcedente aliquid efficitur, ut causa diei est solis ortus. Effectum est quod præcedens causa perficit, ut dies quem solis ortus emittit.Majorum
D vero comparatio est quoties ei quod minus est, id quod majus est comparatur, ut si nemo innocens pelli in exsilium debet, multo magis ne Tullius quidem, qui non innocens solum, verum etiam patriæ fuit liberator ; plus est enim patriæ esse liberatorem quam innocentem.Parium vero quoties inter se paria comparantur,ut si hic civis innocens pelli in exsilium non debet, quia innocens est,nec ille quidem qui est innocens carere patria juste potest.Minorum vero quoties minora majoribus conferuntur,ut si Ciceronem liberatorem patriæ præmio nemo dignum putavit, nemo eum putet præmio dignum qui cum tantum innocens fuerit,nulla in rempublicam con-

tulit merita. Hæc itaque omnia cognata sibi esse,et ad se referri invicem, et se velut e regione conspicere nullus ignorat. Nam ut de conjugatis primum loquamur, et justitia ad id quod justum est, vel id quod juste fieri potest,spectat,et cum qui justus est perficit. Cætera quoque habent ad se non modo vocabuli cognationem,verum etiam cujusdam naturæ congruentiam, ita tamen ut a se diversa sint. Neque idem est justitia, quod justus. Omne enim quidquid ab aliquo inflectitur, ab eo a quo inflectitur est diversum, eidemque cognatum, a quo etiam probatur inflexum. Genus etiam cognatum esse rei cujus genus est,id est speciei,quam Cicero formam vocavit, dubium non est. Genus enim speciei genus est, et species generis species : itaque ad se invicem referuntur,licet idem genus ac species non sint. Illud sane videndum est,quoniam quas nos species nuncupamus, eas Cicero formas vocat. Cui quidem, dum quod dicit intelligam, concedam libenter quibus voluerit uti nominibus , mihi vero non idem concedi potest. Nam qui explanationis lucem professus est, in his verbis debet quæ sunt in usu posita versari. Id autem quod supponitur generi ut species, quam forma potius nuncupetur, usus obtinuit. Jam vero simile nisi simili simile esse non potest, et quod differt nisi a dissimili differre non potest. Contraria etiam contrariis intelliguntur esse contraria, conjuncta etiam conjunctis adhærescunt. Et quæ sunt antecedentia, aliquid quod potest consequi antecedunt. Id etiam quod est consequens illud quod antecessit insequitur. Omne etiam repugnans repugnanti sibimet intelligitur inimicum. Causa etiam effectus sui causa est. Quod enim quævis causa efficit, ejus rei quam efficit causa est; effectus quoque causæ alicujus effectus est. Comparatio vero majorum minora respicit, minorum vero majora, parium paria, atque in omnibus ea natura esse deprehenditur, ut cum per se res quædam sint diversæ ab his ad quæ referuntur, affecta tamen esse dum comparantur, appareant; diversa vero esse ab his quæ referantur, illa res approbat, quoniam nihil ad se ipsum referri potest. Quæ cum ita sint, jure affecta sunt nuncupata. Quæ omnia ejus loci qui ex affectis ducitur, species vel formæ sunt, ipso etiam testante Cicerone, qui ait : Sed hoc genus in plures partes distributum est. Cum enim genus dixit, quas scindit a genere species esse signavit. Præterea omnia hæc et nomen generis suscipiunt et diffinitionem. Affecta enim sunt ad aliquid, quæ ad id ad quod affecta sunt, referri queunt ; conjugata vero et genus, et forma, et cætera, ad ea semper ad quæ sunt affecta, referuntur. Sed, ut in superioribus locis dictum est, qui in ipso de quo agitur hærebant, id est ex toto, ex partibus, ex nota, ut ex toto eo intelligatur termino qui fuisset in quæstione propositus, itemque ex ejus partibus atque ex ejus nota. Eodem modo etiam in iis quæ affecta sunt dicemus ad eum terminum affecta considerari, qui subjecti vel prædicati loco positus continet quæstionem. Superest nunc illud dicere, cur quæ affecta sunt in ipso, de quo agitur esse dicantur. Etenim in ipso de quo agitur termino, quatuor locos esse significavit Cicero, id est ex toto, ex partibus, ex nota, ex affectis. Quorum tria quidem superiora manifestum est in eo hærere de quo agitur termino. Diffinitio enim cujuslibet rei quod totum est, in illo ipso est quod diffinit. Partes etiam in ipso illo sunt, quod collectione conjungunt. Nota etiam in illo est quod appellatione significat ; affecta vero extrinsecus posita videntur, quippe quæ referuntur ad id ad quod affecta sunt, ad id de quo agitur quæ non referuntur, nisi extrinsecus posita intelligerentur. Cur igitur ea etiam quæ affecta sunt, ad id de quo agitur, inter nos numeravit locos, qui ipsi de quo quæritur termino cohærent, dicendum est. Quoniam id quod adhærere dicitur, non idem est ei cui adhærere prædicatur. Quæ cum diversa sint, cognatione tamen quædam intelliguntur esse conjuncta, veluti non idem est diffinitio quod ipsa res quæ diffinitione describitur. Si enim diffinitio clarius efficit id quod diffinit, nihil vero ipsum esse [F. esse] clarius quam est efficere potest, manifestum est id quod diffinitur a diffinitione esse diversum. Sed idcirco hærere diffinitionem in eo quod diffinitur dicimus, quia est ei cognata atque conjuncta, quippe quæ dum ejus proprietatem significet, ab ejus substantia non recedit. Partes etiam ac notæ diversa sunt ab eo quod vel copulant, vel designant. Sed quia illæ propositum terminum jungunt, illæ significant, habentes aliquam cum proposito termino cognationem, in ipso de quo agitur hærere perhibentur. Ita etiam in affectis, licet extrinsecus sint, neque enim idem sunt quod ea sunt ad quæ intelliguntur affecta, necessario tamen, quia aliquam cognationem cum his habere considerantur, in ipsis hærere dicuntur ad quæ ad effecta sunt. Qui vero eorum naturalis ordo sit, vel quæ differentia, vel sit alia, locorum partitio, licet in topicis differentiis opportunius expediendum sit, tamen cum exempla Ciceronis quæ in his explicandis attulit exposuero, subjungam.

Conjugata dicuntur, quæ sunt ex verbis generis ejusdem. Ejusdem autem generis verba sunt quæ orta ab uno varie commutantur, ut sapiens, sapienter, sapientia ; hæc rerborum conjugatio συζυγία *dicitur, ex qua hujusmodi est argumentum : Si compascuus ager est, jus est compascere.*

Diffinitio conjugatorum a Cicerone prolata talis est. Conjugata dicuntur quæ sunt ex verbis generis ejusdem, id est quæ ab uno verbo variis inflectuntur modis. Ex eodem quippe genere verba sunt, justitia, justus, juste, justum, et quæcunque alia in diversas possunt vocabulorum species inflecti. Quæcunque enim ab uno quolibet orta varie commutantur, hæc a Græcis quidem συζυγία dicuntur, apud Latinos vero conjugata : nam quod Græci συζυγία dicunt, nos conjugationem appellamus. Hæc autem sunt, ut sapiens, sapienter, sapientia, et quæcunque in varias

partes orationis,variasque inflexiones,ab uno quodam ducta cernuntur.Ex conjugatis igitur argumenti nascentis hoc exemplum est: sit enim dubitabile an in aliquo agro mihi atque vicino simul pascere liceat pecus,id est an jus sit compascere: subjectum igitur est ager, compascere vero prædicatum. Faciemus itaque argumentum hoc modo : Hic de quo quæritur ager compascuus est,in compascuo autem licet compascere, in hoc igitur agro licet compascere. Hic igitur compascendi juris argumentum ex compascuo sumptum est, ex conjugato videlicet. Compascere enim et compascuum conjugata sunt.Sumptum vero est argumentum,jus esse compascere,quoniam sit ager compascuus,sed conjugatum est compascuum ei quod compascere. A conjugatis igitur sumptum est argumentum, quod conjugatum in ipso est de quo agitur,id est in compascendo ; omnia enim ex eodem fluunt, et sui sunt continentia atque se respicientia. Factum est igitur argumentum ex eo quod est in ipso, ab affectis, id est a conjugatis. Maxima vero propositio est, conjugatorum in eo quod conjugata sunt,unam atque eamdem esse naturam,vel sic,cui convenit aliquid,huic etiam conjugatum ejus posse sociari.

A genere sic ducitur : Quoniam argentum omne mulieri legatum est,non potest ea pecunia quæ numerata domi relicta est,non esse legata; forma enim a genere quoad suum nomen retinet nunquam sejungitur, numerata autem pecunia nomen argenti retinet; legata igitur videtur.

Genus est quod de qualibet specie in eo quod quid est prædicatur. In eo quod quid est prædicari dicitur, quod de qualibet specie interrogantibus quid sit,responderi convenit,et ejus de qua respondetur speciei substantiam monstrat. Semper vero genus propria specie majus est, eamque intra ambitum suæ prædicationis includit. Quo fit ut, quamvis in alia quoque dispartiri genus possit,speciem tamen suam nullo modo derelinquat,velut animal quidem prædicatur de homine,et hominis substantiam monstrat ; interrogantibus enim modis quid est homo, animal respondetur. Idem tamen deduci in alia potest, velut in equum atque bovem,quæ animalia nuncupantur.Sed ita deducitur in diversa,ut unamquamque earum specierum quas continet, non relinquat. Ubicunque enim fuerit homo, necesse est ut sit animal, homo enim animal est. Idemque de bove ac de cæteris. Ergo liquido demonstratum est nomen generis a specie nullo modo separari.Quod si aliquando generis vocabulum universaliter enuntietur, necesse est omnes species designari, ut si quis dicat omne animal, et hominem designabit et bovem, et cæteras omnes species sub animalis nomine collocatas. Quæ cum ita sint, quidam testamento mulieri argentum omne legaverat.Quæritur an ei etiam numerata pecunia sit legata : numerata igitur pecunia in hac quæstione subjectum est,legata vero prædicatum. Considero igitur in alterutro eorum quidnam insit,ut ex eo quod in ipso est aliquod argumentum requiram.Video subjectum terminum, qui est numerata pecunia,habere argentum genus, quod affectum est,scilicet ad speciem suam ad quam refertur. Quæ enim ad se invicem referuntur, affecta sunt ; ergo quoniam argentum omne legatum est, et genus speciem propriam non relinquit, necesse est ut numerata quoque pecunia sit legata. Nam cum omne nomen generis legatum sit,nihil de speciebus videtur exceptum,velut si quis dicat, omne animal vivere,non ut arbitror tantum hominem vel bovem,vel equum,vel sigillatim cætera, vel unum, vel plura vivere dicit,ut tamen aliqua cum sint animalia, vitæ munere carere contendat, sed omne prorsus quidquid fuerit animal, vivere proponit. Cum igitur omne genus, id est omne argentum legatum sit,nulla species excipitur. At numerata pecunia argentum est,fit igitur ut numerata quoque pecunia legati vocabulo possit includi. Est igitur quæstio quidem,ut dictum est, an numerata pecunia legata sit; argumentum ab eo quod in ipso est,id est a genere quod inest propriæ speciei, id est ab affectis,quod est ita ut ad id referatur ; hoc autem est argentum, ab affectis,in est a genere. Prædicatur enim ut genus argentum de numerata pecunia. Interrogantibus enim nobis quid sit numerata pecunia jure respondemus,argentum. Maxima propositio est, cui convenit omne genus, eidem unamquaque speciem convenire. Quam Marcus quoque Tullius diversis quidem verbis, sed eadem significatione proposuit dicens: Forma enim a genere quoad suum nomen retinet,nunquam sejungitur,numerata autem pecunia nomen argenti retinet; legata igitur videtur.

A forma generis,quam interdum, quo planius accipiatur,partem licet nominare,hoc modo : Si ita Fabiæ pecunia legata est a viro,si ei viro materfamilias esset. Si ea in manum non convenerat,nihil debetur. Genus enim est uxor,ejus duæ formæ : una matrumfamilias, hæ sunt quæ in manum convenere ; altera earum quæ tantummodo uxores habentur,qua in parte cum fuerit Fabia, legatum ei non videtur.

Species est, quæ propriis differentiis informata sub prædicatione generis collocatur. Differentiæ vero propriæ a cæteris eam speciebus separant atque sejungunt,velut homo cum sit animalis species,differentiis informatur rationabilitatis atque mortalitatis, et sejungitur ab his animalibus quæ æterna sunt, velut sol a Platonicis creditur,et ab iis animalibus quæ sunt rationis expertia.Cum igitur omnes species inter se propriis differentiis distent, necesse est quod de altera specie dicitur,id in aliam non posse transferri,velut quod de homine dicitur specialiter, idem de equo atque bove non possit intelligi.Ducitur autem a specie quoties genus ipsum veluti in quamdam contrahitur portionem.Velut si quis dicat illud animal sibi adduci debere, quod sit rationale et mortale, non utique de equo, vel bove, aut de cæteris, nisi tantum de homine dictum esse intelligitur.Ut igitur generaliter dictum genus omnes spe-

cies claudit,cum quis dicit omne animal, sic quodlibet animal designatum speciem facit; quæ cum ita sint,a forma generis,id est a specie generis tale fit,argumentum, quam formam generis Cicero partem sæpe nominat,quo id quod dicitur planius fiat. Notius enim nomen partis est quam formæ; quo autem distet forma a partibus,et nos strictim superius diximus,et paulo post a Cicerone ipso latius explicabitur. Nunc de proposito videamus exemplo. Uxoris species sunt duæ, una matrumfamilias, altera usu; sed communi generis nomine uxores vocantur. Fit vero id sæpe,ut species iisdem nominibus nuncupentur, quibus et genera; mater vero familias esse non poterat, nisi quæ convenisset in manum; hæc autem certa erat species nuptiarum. Tribus enim modis uxor habebatur,usu,farreatione, coemptione; sed confarreatio solis pontificibus conveniebat. Quæ autem in manum per coemptionem convenerant, hæ matresfamilias vocabantur. Quæ vero usu vel farreatione, minime. Coemptio vero certis solemnitatibus peragebatur, et sese in coemendo invicem interrogabant, vir ita, an mulier sibi materfamilias esse vellet.Illa respondebat velle. Item mulier interrogabat an vir sibi paterfamilias esse vellet, ille respondebat velle. Itaque mulier, viri conveniebat in manum,et vocabantur hæ nuptiæ per coemptionem,et erat mulier materfamilias viro, loco filiæ. Quam solemnitatem in suis Institutis Ulpianus exponit.Quidam igitur extremo judicio omne Fabiæ uxori legavit argentum, si quidem Fabia ei non tantum uxor,verum etiam certa species uxoris, id est materfamilias esset, quæritur an uxori Fabiæ legatum sit argentum. Uxor Fabia, subjectum est; legatum argentum,prædicatum.Quæro igitur quodnam ex his argumentum sumere possim, quæ in quæstione sunt posita, ac video uxori duas inesse formas,quarum una tantum uxor est,altera materfamilias, quæ in manum conventione perficitur. Quod si Fabia in manum non convenit, nec materfamilias fuit, id est, non fuit ea species uxoris, cui argentum omne legatum est. Quocirca quoniam id quod de alia specie dicitur, in aliam dici non convenit,cumque Fabia præter eam speciem sit, quæ in manum convenerit,id est quæ materfamilias sit, et vir matrifamilias legaverit argentum, non videtur Fabiæ esse legatum.Quæstio igitur, ut dictum est, an uxori Fabiæ omne argentum legatum sit: subjectum,uxor Fabia; prædicatum vero,legatum argentum. Argumentum ab eo quod est in ipso de quo quæritur,id est ab eo quod est in uxore de qua quæritur. Est autem in uxore de qua quæritur species uxoris,ea scilicet quæ in manum non convenit quæ ad eam affecta est. Omnis enim species ad suum genus refertur,id est forma; factum est igitur argumentum ab eo quod est in ipso,ab affectis,a forma generis.Maxima propositio est, quod de una specie dicitur, id in alteram non convenire.

A similitudine,hoc modo: Si ædes exesæ corruerunt vitiumve fecerunt, quarum ususfructus legatus est hæres restituere non debet,nec reficere, non magis quam servum restituere,si is cujus ususfructus legatus est deperisset.

Similia dicuntur,quæ ejusdem sunt qualitatis,ex quibus hoc modo sumitur argumentum: Quidam testamento ædium usumfructum legavit, id est concessit ædes, ut his alius dum viveret uteretur; hæ cœperunt vel vitium facere, id est ruinam minari, vel etiam corruerunt. Petit igitur ab hærede is cui ædium ususfructus legatus est,ut earum sibi ædium quæ a testatore legata sunt damna compenset, et ædes quæ vitium fecerunt vel corruerunt restituat. Quæritur an earum ædium quarum ususfructus legatus sit, vitium vel ruinam hæres restituere cogatur.Hic igitur subjecta quidem oratio est, veluti quidam terminus,ædium quarum ususfructus legatus sit, ruinam vel vitium. Prædicata vero oratio, loco termini constituta,ab hærede restitutio. Sumo igitur a simili argumentum,hoc modo: Quoniam si quis servi usumfructum legaverit,isque servus aliquo modo deperierit, non cogitur restituere hæres servum,nenunc quidem cogetur hæres restituere ædes, quæ in usumfructum legatæ,ruinam vitiumve fecerunt. Similes est enim servi ususfructus legatio ædium ususfructus legationi. Simile est etiam servum in usumfructum legatum si deperierit, ab hærede non restitui,et ædium in usumfructum legatarum vitium ruinamve ab hærede non refici. Est igitur quæstio quidem an ædium in usumfructum legatarum vitium vel ruinam hæres restituere cogatur.Terminus vero subjectus quidem,ædium in usumfructum legatarum vitium vel ruinam,prædicatus autem ab hærede restitutio.Argumentum vero ab eo quod in ipso est,id est ab eo quod inest,vel ruinæ, vel vitio ædium in usumfructum legatarum.Id autem est affectum, id est similitudo.Omnis enim similitudo ei inesse perpenditur quod est simile, similitudo vero est servi ususfructus legati pereuntis, quem restituere hæres non cogitur. Maxima vero propositio, similibus rebus eadem convenire.

A differentia. Non si uxori vir legavit argentum omne quod suum esset, idcirco quæ in nominibus fuerunt, legata sunt. Multum enim differt in arca ne positum sit argentum, an in tabulis debeatur.

In rebus plurimum differentibus quod de altera earum dicitur non videtur in alteram convenire.Id cum ita sit, quidam argentum suum omne legavit uxori.Illa pecuniam quoque quæ in nominibus debebatur, suam esse dicebat, quod omnis pecunia nomine vocaretur argenti. Quæritur an id quoque argentum quod in nominibus debebatur,legatum sit. Hic igitur subjectus est terminus,argentum quod in nominibus debebatur, legatum vero prædicatur. A differentia igitur faciemus argumentationem hoc modo: Idem de plurimum differentibus rebus intelligi non potest. Plurimum vero differt argentum in arca ne sit positum,an in nominibus debeatur.Nam quæ posita in arca pecunia est juris est nostri, in nominibus vero debita non est nostra; nam quod

mutuum datur, ex meo fit accipientis, atque ideo non cogitur eamdem ipsam pecuniam debitor restituere creditori, sed aliam tantam. In arca vero posita pecunia, et in nominibus debita, non sunt argenti vel pecuniæ species, sed differentiæ; nam argenti species, signatum ac non signatum esse dictæ sunt. Qualitas vero pecuniæ in possessione positæ vel non positæ, sed non modis omnibus alienæ, in his differentiis constat, ut alia sit in arca posita, reliqua in nominibus debeatur; atque hoc idcirco dictum est ne quis non a differentiis, sed a specie argumentationem ductam putaret. Qualitas enim substantialis non speciebus, sed differentiis annumeratur. Cum igitur suum omne quod fuerit argentum vir uxori legaverit, cumque manifestum sit id ad eam pertinere quod fuerit suum legantis, id est quod in arca fuerit conditum, non potest idem intelligi de eo quod in nominibus debebatur, quoniam, sicut dictum est, id quod in nominibus debetur ab eo quod in arca positum est plurimum differet. Facta est igitur argumentatio ab eo quod inerat, de quo quærebatur. Quærebatur vero de argento in nominibus debito. In hoc vero inerat propria differentia, qua ab alio differebat argento, eo scilicet quod in arca positum fuerit. Id vero est affectum, id est differentia. Maxima vero propositio, de rebus plurimum differentibus, idem intelligi non posse.

Ex contrario autem sic. Non debet ea mulier cui vir bonorum suorum ususfructus legavit, cellis vinariis et oleariis plenis relictis putare id ad se pertinere. Usus enim non abusus legatus est: ea sunt inter se contraria.

Quod de aliqua re dicitur, id in ejus contrarium non potest convenire. Idem enim de duobus contrariis intelligi nullo modo potest. Quidam igitur supremæ voluntatis arbitrio uxori bonorum suorum usumfructum legavit, mulier cellas vinarias oleasque plenas ad usumfructum proprium devocabat. Quæritur an penus quoque ususfructus legatus sit; penus igitur ususfructus est subjectum, legatus prædicatum. A contrario igitur sumitur argumentum hoc modo: Utimur his quæ nobis utentibus permanent, his vero abutimur quæ nobis utentibus pereunt; ergo, cum permanere ac perire contraria sint, usus quoque et abusus contraria necesse est judicentur. Quod si cætera quidem utendo permanent, cellæ autem vinariæ atque oleariæ utendo consumuntur, aliarum quidem rerum ususfructus esse ponest; penus vero non potest usus esse, sed potius abusus. Ergo cum vir uxori usumfructum bonorum suorum legaverit, non potuit legare contrarium, quod est abusus; est vero abusus vini atque olei, vinum igitur atque oleum ad usumfructum mulieris non potest pertinere. Argumentum ab eo quod in ipso est de quo agitur, id est ab ususfructus legatione, atque ab affecto, id est contrario; contraria vero in contrariis non ita sunt, tanquam definitio in eo quo definitur, sed tanquam relatio. Omnis enim relatio in relativis, omniaque contraria non id quod sunt, id est qualitates, sed hoc ipsum quod contraria sunt, in contrariis esse dicuntur, quia non secundum qualitatem propriam, sed secundum distantiam plurimam sibi invicem conferuntur. Maxima propositio est, quod alicui convenit, id ejus contrario non convenire.

Ab adjunctis. Si ea mulier testamentum fecit, quæ se capite nunquam diminuit, non videtur ex edicto prætoris secundum eas tabulas possessio dari; adjungitur enim ut secundum servorum, secundum exsulum, secundum puerulorum tabulas possessio videatur ex edicto dari.

Adjuncta sunt, quæ proximum ac finitimum locum tenent, ut si unum eorum quolibet exstiterit modo, alterum quoque vel exstitisse, vel exstare, vel exstaturum esse videatur: hæc enim sibi quasi vicina sunt. Quæ vero in existendo sibi sunt proxima, hæc vel antecedere rem volunt, ut amor sæpe concubitum, vel simul esse, ut pallor et timor, vel evenire posterius, ut post iracundiam cædes. Eaque est adjunctorum natura, ut separari quidem possint, tamen sese invicem monstrent. Nam neque qui amavit, necessario potitus est, et sæpe qui potitus est, non amavit. Nec qui pallet, necessario timet, et sæpe non timens pallet. Nec ex necessitate iratus occidit, et occidit sæpe aliquis non iratus. Sed tamen si de singulis inquiratur, eum concubuisse qui amavit, et pallere qui timet, et occidisse qui fuerit iratus, verisimile est, non quod ita necesse sit, sed quia ex vicinis vicina colligimus. Nam quod ad exemplum attinet hujus argumenti, hæc similitudo est. Capitis diminutio est prioris status permutatio. Id multis fierit modis solet, vel maxima, vel media, vel minima. Maxima est, cum et libertas et civitas amittitur, ut deportatio. Media vero, in quo civitas amittitur, retinetur libertas, ut in Latinas colonias transmigratio. Minima, cum nec civitas nec libertas amittitur, sed status prioris qualitatis imminuitur, vel adoptatio, aut quibuslibet aliis modis prior status, retenta civitate, potuerit immutari. Mulieres vero antiquo jure tutela perpetua continebat. Recedebant vero a tutoris potestate quæ in manum viri convenissent, itaque fiebat eis prioris, status permutatio, et erat capite diminuta, quæ viri convenisset in manum. Quædam igitur quæ se nunquam capite diminuisset, id est quæ in manum viri minime convenisset, sine tutoris auctoritate testamentum fecit. Quæritur an secundum ejus tabulas ex edicto prætoris debeat dari possessio. Hic subjectus quidem terminus, mulieris nunquam capite diminutæ tabulæ, prædicatus vero possessionis concessio. Sumitur ergo ab adjunctis argumentum, hoc modo. Nam si secundum mulieris tabulas nunquam capite diminutæ possessio detur, nihil causæ est cur non secundum puerulorum quoque et servorum tabulas ex edicto prætoris possessio permittatur. Quid enim officere potest, ne secundum mulieris nunquam capite diminutæ tabulas possessio deferatur? Id scilicet quod ea quæ testamentum confecerat, sui non fuit

juris, quod idem et de pueris et de servis dici potest Illorum enim ætas, illorum conditio, in alterius sita est potestate. Adjungitur ergo : Si secundum mulieris, quæ in suo jure non esset, tabulas, possessio detur, secundum puerulorum quoque et servorum tabulas possessionem dari, qui sui juris minime sint, quoniam quidem illi sub tutoris, illi sunt sub domini potestate. Proxima namque est rei de qua quæritur, quod ejus est consequens, et postea existens, ut secundum servorum puerorumque tabulas bonorum possessio detur, si illud quod est in quæstione conceditur. Quæritur enim an secundum mulieris tabulas nunquam capite diminutæ possessio detur. Quam rem consequitur ut, si id fiat, secundum servorum quoque puerorumque tabulas deferatur, quod quia fieri non oportet, ne rei quidem præcedentis existere debebit exemplum. Nec tamen necessaria est consecutio, sed vicina. Nam fieri potest ut id recipiatur solum secundum mulieris tabulas possessionem dari, non vero id ut secundum tabulas servorum vel puerorum possessio concedatur. Sed proximum est ut qui nunc hoc recepit, posterius illud admittat. Est igitur argumentum ab adjunctis, id est ab eo quod in ipso hæret de quo quæritur. Est autem quæstio de mulieris nunquam diminutæ tabulis, ab affectis scilicet ab abjunctis. Maxima propositio, ex adjunctis adjuncta perpendi.

Ab antecedentibus autem, et consequentibus et repugnantibus, hoc modo : Ab antecedentibus, si viri culpa factum est divortium, et si mulier nuntium remisit, tamen pro liberis manere nihil oportet.

Antecedentia sunt, quibus positis, aliud necessario consequatur, licet illud quod antecedit, minus sit atque posterius. Minus quidem, ut si homo est, animal est ; homo enim minus est animali, et tamen posito homine, consequitur ut animal sit. Posterius vero, ut si peperit, cum viro concubuit ; posterius enim est peperisse quam cum viro concubuisse. Aliquoties vero et quod æquale, et quod simul, et quod prius est ponitur ut antecedens. Æquale quidem, ut si homo est, risibilis est. Simul vero, ut si terra objecta est, luna deficit. Et hæc sibi convertuntur, ut consequentia fiant antecedentia, ut si risibilis est, homo est, et si luna defecerit, terræ adsit objectio. Antecedens vero prius est, ut si arrogans est, odiosus est. Prius enim est arrogans, posterius odiosus. Illud tamen in omnibus manet, positis antecedentibus necessario consequentia trahi. Exempli vero talis est explanatio : Civitatis Romanæ jure, liberi retinentur in patrum arbitrio, usque dum tertia emancipatione solvantur ; ergo si quando divortium intercessisset culpa mulieris, parte quadam dotis pro liberorum numero multabatur. De qua re Paulus, Institutionum libri secundi titulo de Dotibus, ita disseruit : Si divortium est matrimonii, et hoc sine culpa mulieris factum est, dos integra repetetur ; quod si culpa mulieris factum est divortium, in singulos liberos sexta pars dotis a marito retinetur, usque ad mediam partem duntaxat dotis. Quare quoniam quod ex dote conquiritur liberorum est, qui liberi in patris potestate sunt, id apud virum necesse est permanere. Facto igitur divortio, contenditur an dotis pars pro liberis apud virum debeat permanere. Hic subjectum quidem est, factum divortium a muliere nuntiatum ; prædicatum vero, apud virum sextæ partis dotis post divortium permansio. Quæstio an post divortium factum, muliere nuntium remittente, sextam dotis partem apud virum manere oporteat. Quæro igitur, si ab antecedentibus argumentum faciendum est, quid antecedat, quid consequatur. At si viri culpa factum est divortium, video, mulierem dotis parte non posse multari, etiam si prima repudii nuntium misit. Quod enim antecesit, ut viri culpa fieret divortium, id non permittit ut dotis pars mulieri pereat, quamvis prima repudii nuntium mittat. Non enim quia prius libellum repudii nuntiavit dotis parte multanda est, sed absolvenda potius damno, quod non sua factum est, sed viri culpa divortium. Igitur antecedens est viri culpa factum divortium, consequens vero dotis partem non retineri. Nam si hoc est, illud est. Argumentationem vero faciam hoc modo : Si viri culpa factum est divortium, etiamsi mulier repudii nuntium misit, nullo modo tamen dotis parte multabitur. Sed viri culpa divortium factum est. Non igitur jure mulier dotis parte multabitur. Quod si non multabitur dotis parte, nihil in viri domo liberorum causa, dotis nomine relinquetur, sed non multabitur dotis parte ; nihil igitur apud virum dotis relinquetur pro liberis. Utriusque vero conclusio syllogismi hæc est : Si igitur viri culpa factum est divortium, pro liberis manere nihil oportet. Argumentum, ab eo quod in ipso est de quo agitur : versatur quippe intentio de dotis parte, ejusque apud virum, post divortium quod prima nuntiaverit, retentione ; hoc vero antecessit, viri culpa, quod quia præcedens est, affectum est, omne enim quid præcedit, ad id quod sequitur necesse est ut referatur. Maxima propositio est : Ubi est antecedens, ibi erit et consequens ; at in hac quæstione est antecedens, id est viri culpa factum divortium ; ibi igitur consequens erit, sextus non retineri. Cur autem ita superius argumentum conclusionibus intexuerim, cum de his, M. Tullio latius exsequente, tractavero, evidentius apparebit.

A consequentibus : Si mulier cum fuisset nupta cum eo cui connubii jus non esset, nuntium remisit, quoniam qui nati sunt patrem non sequuntur, pro liberis manere nihil oportet.

Consequentia sunt, quæ cum fuerint antecedentia posita, consequuntur, veluti si dicamus : Si homo est, animal est, animal est consequens. Sed in proposito exemplo non satis apparet a consequentibus argumentum, sed ab antecedentibus potius, quod paulo post liquebit. Filii non jure susceptii in patrum non erant potestate, sed matres potius sequebantur. Non autem omnibus erat connubium cum Romanis,

nec erant nuptiæ jure contractæ, quæ aut non inter civem romanum civemque romanam inibantur, aut cui princeps populusve civitatem vel connubium non permisisset, eo scilicet modo ut in potestatem parentum liberi redigerentur. Illud quoque videndum, quod ex impari matrimonio suscepti, non patrem, sed matrem sequuntur. Ergo quædam Romana vel cum Latino, vel cum peregrino, vel cum servo, cum quo connubii jus non erat, nuptias fecit, dotem contulit, factoque inter eos divortio, contenditur an nuptæ mulieris cum eo cum quo connubii jus non erat, apud virum dotis pars post divortium debeat permanere. Hic subjectum quidem est, nupta mulier cum quo connubium non erat, prædicatum vero dotis partis apud virum post divortium retentionis jure permansio. Sumitur ergo a consequentibus argumentum hoc modo. Nam quia nuptias fecit cum eo cum quo connubii jus nullum est, id consequitur ut liberi patrem non sequantur. Si autem liberi patrem non sequuntur, ne in patris quidem sunt potestate, at si in patris potestate non sunt, matrique applicantur, apud virum dotis pars non poterit permanere. Hic igitur antecedens est, cum quo connubii jus non erat, nuptiæ; consequens vero, nihil pro liberis dotis nomine manere oportere. Concludatur argumentatio: Quoniam, non permisso connubio, liberi qui procreantur patrem non sequuntur, ne dotis quidem pars apud patrem pro liberis manere debet, quandoquidem non patrem filii, sed matrem sequuntur. Probatum est igitur pro liberis manere nihil oportere, ex hoc quod cum eo mulier nuptias fecit cum quo connubii jus non erat; hoc vero erat antecedens. Non ergo a consequenti, sed ab antecedenti potius factum deprehenditur argumentum. Quod si per quod nihil dotis nomine manere oporteret, probaretur eam nuptias cum eo fecisse quicum connubii jus non esset, recte a consequentibus argumentum factum esse diceretur. Fieret vero a consequentibus argumentum, si ita poneretur: Si quid ex dote pro liberis manere oporteret, probatur, quia patrem liberi sequuntur, cum eo nupta esse mulier, cum quo connubii jus erat. Assumo quod est consequens: Sed mulier cum eo nupta non est cum quo connubii jus erat. Concludo antecedens: Nihil igitur dotis pro liberis manere oportebit quia patrem liberi non sequuntur. Argumentum, ab eo quod in ipso est de quo quæritur. Quæritur enim de his nuptiis, quarum nullum fuerit jure connubium. Ex affectis: omne enim consequens ad id quod præcedit refertur. Maxima propositio est: Ubi consequens non est, ibi ne antecedens quidem esse potest. Ac de his erit alius uberius disserendi locus.

A repugnantibus: Si pater familias uxori ancillarum usum fructum legavit a filio, neque a secundo hærede legavit, mortuo filio, mulier usumfructum non amittet. Quod enim semel testamento alicui datum est, id ab eo invito cui datum est auferri non potest; repugnat enim recte accipere et invitum reddere.

Secundus hæres dicitur qui hæredi instituto substituitur, veluti si quis filium instituat hæredem, scribatque, si is filius intra pubertatem decesserit, nepotem vel quemlibet alium hæredem esse oportere; nepos igitur vel quilibet alius, secundus hæres dicitur. Repugnantia sunt quæ (ut dictum est) contraria sequuntur, si ipsis contrariis comparentur. Quidam igitur hæredem testamento scripsit filium, eique secundum substituit hæredem, uxorique suæ ancillarum usum fructum legavit a filio, dixitque ut uxori filius ejus usumfructum ancillarum permitteret, neque illud adjecit, ut etiam secundus hæres eumdem usumfructum mulieri concederet. Successit filius, ac mulieri ancillarum contulit usumfructum. Illo mortuo intra pubertatem, agit secundus hæres, et usumfructum ancillarum mulieri extorquere conatur, dicens usumfructum ei a filio legatum, a se vero minime. Quæritur utrum ea mulier legatum quod testamento acceperat invita possit amittere. Hic igitur subjectum est legatum quod testamenti jure recte accepit. Prædicatum vero, invitam posse amittere. Sumo igitur argumentum a repugnantibus. Repugnans vero est, si id quod contrario consequens est alteri contrario comparetur, velut in hoc ipso quod tractamus exemplo, recte accipere, et non recte accipere, contraria sunt, sed non recte accipere comitatur invitum reddere. Jure enim invitus reddit, quod non recte accepit. Repugnat igitur invitum reddere ei quod est recte accipere. Faciemus igitur argumentum sic: Qui testamento accepit, recte accepit; quod autem recte accipitur, invito eo qui semel recte accepit, auferri non potest; at mulier testamento usumfructum ancillarum accepit; id igitur ei invita non poterit auferri. Argumentum, ab eo quod in ipso est de quo agitur, id est de eo quod rectæ acceptum est. In ipso vero est velut affectum contrarietatis modo, ut superius dictum est. Est autem argumentum a repugnanti. Maxima propositio, repugnantia convenire non posse.

Ab efficientibus causis, hoc modo: Omnibus est jus parietem directum ad parietem communem adjungere, vel solidum, vel fornicatum. At si quis pariete communi demoliendo damni infecti promiserit, non debebit præstare quod fornix vitii fecerit. Non enim ejus vitio qui demolitus est damnum factum est, sed ejus operis vitio quod ita ædificatum est, ut suspendi non possit.

Causarum quidem multa sunt genera quæ Cicero paulo posterius dividit. Sed nunc de efficientium causarum disserit argumento. Efficiens vero causa est qua præcedente aliquod effectum est, non tempore, sed proprietate naturæ, velut in hoc quod nunc declaramus exemplo. Damni infecti promissio est quoties quis promittit, si quod damnum ejus opera contigerit, sua restitutione esse pensandum. Jus autem est parieti communi parietem alium vel fornicatum, id est arcum habentem, vel directum continuumque conjungere. Quidam igitur ad parietem communem alium extrinsecus parietem junxit, deditque satis damni infecti. Communis autem paries fornicatus fuit, id est, arcum habens vel signinam fabricam sustinens; adjungente igitur eo qui satis dederat, et ut adjungeret demolicnte partem parie-

tis, quo junctura cohæresceret, vitium communis paries fecit; quæritur an damni infecti promissio cogat eum qui promiserit damnum restituere. Subjectus terminus damni infecti, promissio; prædicatus vero vitii, restitutio. Sumimus igitur argumentum a causis hoc modo. Si enim is qui damni promisit infecti restitutionem ejus vitii causa fuit, restituere debet vitium quod ejus accidit culpa; quod si ea natura parietis fuit ut suspendi sustinerique non posset (fornicati enim parietis non ea natura est ut suspendi queat), parietis potius forma quam demolientis culpa vitium fecisse videbitur, atque ita non cogitur restaurare vitium qui se damni infecti promissione obstrinxerit. Fiet igitur argumentatio hoc modo: Si penes parietis formam constituit ut eo adungente parietem qui damni infecti promiserat, vitium fieret, id vitium, qui promisit, præstare non cogitur. Fuit autem causa paries ut vitium fieret, qui ea fuit natura ut suspendi sustinerique non posset. Non igitur quod fornix vitium fecerit, præstare debet qui damni promisit infecti. Argumentum ab eo quod in ipso est de quo agitur, id est in vitii restitutione, ex effecto, id est ex causa. Causa enim vitii forma est parietis, non culpa conjungentis parietem. Itaque factum est ut fornix vitium faceret, quæ causa vitii, cum absit ab eo qui parietem junxit, abest etiam ejusdem vitii restitutio. Maxima propositio, unamquamque rem ex causis spectari oportere.

Ab effectis rebus, hoc modo: Cum mulier viro in manum convenit, omnia quæ mulieris fuerunt viri fiunt dotis nomine.

Effecta sunt quæ aliquibus efficiuntur causis, non tempore præcedentibus, sed natura, velut si quærat, uxore defuncta quæ in manum viri convenit, an ejus bona ad virum pertineant. In qua quæstione, bona uxoris defunctæ quæ in manum viri convenerit, subjectum est, ad virum autem pertinere, prædicatum. Quæro igitur argumentum ab effecto, dispicioque quid perfecerit ipsa in manum conventio, atque ex eo argumentum traho; id autem est, omnia viri dotis nomine fieri, quæcunque mulieris fuere. Ipsa igitur in manus viri conventio, omnia quæ mulieris fuere, viri fecit dotis nomine, non præcedens tempore, sed statim propria vi naturæ. Nam ut in manum quæcunque convenerit, mox ejus bona dotis nomine virum sequuntur. Facio igitur argumentum sic: Si mulier quæ defuncta est in manum convenit, in manum vero convenientis mulieris bona viri fiunt dotis nomine, hæc quoque bona de quibus agitur, viri sunt. Argumentum ex eo quod in ipso est, de quo agitur, continetur. Agitur enim de bonis ejus quæ in manum convenerit, scilicet ab effectis, id est a causæ effectis. Effectum namque est, in manum conventione omnia quæ mulieris sunt viri fieri, sed a causa quanquam hic quoque non ab effectis dotis nomine, factum argumentum esse monstretur. Ostensum est enim fieri viri dotis nomine, quidquid mulieris fuerit, ex eo quod mulier in manum convenerit. Sed hæc causa est ut quæ mulieris erant, viri fiant dotis nomine. Sed dicat quis, ex eo quod ea quæ mulieris fuerant, viri fiunt dotis nomine, id est approbare quod defunctæ bona ad virum debeant pertinere. Sed quæ mulieris sunt, ea viri fieri dotis nomine, et bona ad virum pertinere, vel idem est, vel neutrum alteri causa est; vel si quis dicat eam esse causam, ut bona mulieris viro debeant cedere, quod per in manus conventionem viri facta sunt dotis nomine, a causa rursus, ac non ab effectis factum esse argumentum putabit, id est a dote; ab effectis vero non oportet aliud nisi causam probari. Esset vero ex effectis argumentum, ut ex eo causa probaretur hoc modo: Si quæstio esset an mulier in manum viri convenisset, et indubitatum haberetur, omnia quæ fuissent mulieris, viri facta dotis nomine, diceretur ita: Si omnia quæ fuere mulieris, viri facta sunt dotis nomine, mulier in manum viri convenit; sed omnia quæ fuere mulieris, viri facta sunt dotis nomine, mulier igitur in manum viri convenit. Maxima propositio, causas ab effectis suis non separari.

Ex comparatione autem omnia valent, quæ sunt hujusmodi. Quod in re majore valet, valeat in minore, ut si in urbe fines non reguntur, nec aqua in urbe arceatur. Item contra. Quod in re minori valet, valeat in majore, licet idem exemplum convertere, item. Quod in re pari valet, valeat in hac, quæ par est, ut quoniam usus auctoritas fundi biennium est, sit etiam ædium. At in lege ædes non appellantur, et sunt cæterarum omnium quarum annuus est usus, valeat æquitas, quæ paribus in causis para jura desiderat.

A comparatione locus qui dicitur, tripartito scinditur; aut enim a comparatione majorum, aut a comparatione minorum, aut a comparatione pariurn nascitur. A comparatione igitur majorum est, quoties majore minoribus comparantur, hoc modo, ut quod in re majore valet, valeat in minore. Sit enim quæstio an in urbe aquam liceat arceri. In hac igitur subjectus est terminus, in urbe aqua, prædicatus vero, jus arcendi. Regi fines dicuntur quoties unusquisque ager propriis finibus terminatur. Arcet vero aquam qui eam per sua spatia meare non patitur. Faciamus igitur argumentum sic. Quoniam plus est regi fines, minus vero arceri aquam, si in civitate fines non reguntur, quod majus est, ne id quidem quod minus est, fiet, ut aqua in civitate arceatur. Hic igitur sumptum est argumentum ab eo quod in ipso hæret de quo quæritur. Quæritur vero de arcendæ aquæ jure, ab affecto scilicet, id est a majori, quod refertur ad id quod minus est. Notandum vero quod Tullius maximam propositionem argumentationi inclusit hoc modo: Quod in re majori valet, valeat in minori, et deinceps ea nixus, argumentationem expedivit, ut manifestius appareat id quod in primo volumine commemoratum est, has maximas propositiones aliquoties quidem argumentationibus includi, ut in præsenti monstratur exemplo, alias vero vires argumentationibus dare, ut in superioribus exemplis locorum. Quod si idem convertamus exemplum, dicemus: Quod in re minori valet,

valeat etiam in majori. At in urbe aqua arcetur, regantur igitur fines. Hic tamen quæstio permutatur hoc modo: Quæritur enim an in urbe fines oporteat regi. Sed a minore sumitur argumentum, id est ab arcenda aqua, ut sit hic quoque argumentum ab eo quod in ipso est, id est ab eo quod est in regendis finibus, ab affecto scilicet, id est a minori. Id enim quod minus est affectum est, illud namque respicit ad id quod comparatur. Hic quoque maxima propositio a Tullio posita est, eaque est: Quod enim in re minori valet, valet etiam in majori. A paribus vero fit similiter comparatio. Necesse est enim ut valeat æquitas, quæ paribus in rebus paria jura desiderat. Plurimarum igitur rerum usucapio annua est, ut si quis eis anno continuo fuerit usus, eas firma juris auctoritate possideat, velut rem mobilem. Fundi vero usucapio, biennii temporis spatio continetur, de ædibus in lege nihil ascriptum est. Quæritur ergo, usus ædium unone anno, an biennio capiatur. Faciemus a paribus argumentationem, et quoniam immobilium æqua possessio est, ædes vero immobiles sunt, ut biennio fundus usucapiatur, ita etiam oportet ædes usucapere biennio possidentem. Æquitas enim paribus in rebus paria jura desiderat. Quæ etiam maxima propositio a Tullio clarissime posita est, sed exemplum restrictius positum est, nec promptissime ad intelligendum. Ita namque ait, ut quoniam usus auctoritas fundi per biennium est, sit etiam ædium. Hic igitur ædium usus auctoritatem biennio fieri sentit, sed adjungit: At in lege ædes non appellantur, et sunt cæterarum omnium quarum annuus est usus. Hic rursus ædes in his videtur ponere quæ annuo usucapiuntur, et concludit nihil definiens, nisi valeat æquitas, quæ paribus in causis paria jura desiderat. Sed videtur ita dictum, quoniam immobiles sunt ædes ut fundus, biennio vero fundus usucapitur, ædes quoque biennio usucapiantur, et sibi ipse rursus opponit, sed in lege duodecim tabularum, de ædibus nihil ascriptum est, et inter eas relictæ sunt res, taciturnitate legis, quarum est usus annuus. Nam cum de fundo præscriberet lex biennii usucapionem, tacuit ædes, et iis potius hac taciturnitate eas junxit quarum annuus est usus. Sed solvit objectionem ita, sed æquitas paribus in rebus paria jura desiderat. Itaque quoniam æque fundus atque ædes immobiles sunt, æque biennio usucapientur. Factum est igitur hic quoque argumentum ab eo quod in ipso est de quo quæritur, id est ab affecto, id est pari. Nam cum agatur de ædium possessione, argumentum sumptum est ab usucapione fundorum. Expeditis igitur his locis qui in ipso de quo agitur inhærebant, nunc jam loci ejus quem dixit esse extrinsecus, ponit exemplum. Hic vero est qui sumitur ab auctoritate judicii locus valde probabilis, etiamsi non maximæ necessitatis. Quæ enim necessaria sunt, hæc ex propria considerantur natura. Quæ vero probabilia sunt, plurimorum judicium expectant. Ea namque sunt probabilia, quæ videntur vel omnibus, vel pluribus, vel maxime famosis atque præcipuis, vel secundum unamquamque artem scientiamque eruditis, ut quod medico in medicina, geometræ in geometria, cæterisque in propria studiorum facultate veritatis. De quo extrinsecus loco sic loquitur:

Quæ autem assumuntur extrinsecus, ea maxime ex auctoritate dicuntur. Itaque Græci tales argumentationes ἀτέχνους *vocant, id est artis expertes.*

Alia quippe argumenta sunt, quæ ipse elicit orator, atque ipse quodam modo ex designatis locis sibi comparat, et propria facultate conquirit. Alia quæ extrinsecus posita non ipse invenit, sed præsentibus utitur et paratis, veluti testimonia, tabulæ, fama, cæteraque de quibus M. Tullius latius tractaturus est. Non enim sibi ipse testimonia parat orator, sed paratis utitur, nec ipse judicium facit, sed jam posito ac spontaneo rumore veniente utitur ad causam. Atque idcirco hos locos Græci ἀτέχνους vocant, id est inartificiales, atque, ut Tullius dixit, artis expertes. Quæ enim non proprio oratoris artificio comparantur, sed se extrinsecus venientia subministrant, hæc jure artis expertia sunt appellata. Hujus exemplum est:

Ut si ita respondeas: Quoniam P. Scævola id solum esse ambitus ædium dixerit, quantum parietis communis tegendi causa tectum projiceretur, ex quo in tectum ejus ædes qui prolexisset aqua defluret, id tibi jus videri.

Solum ambitus ædium est, quantum soli ædium ambitus claudit. Scævol aigitur dixit id esse ambitus ædium solum, quod tecti diffusione tegeretur. Manifestum est enim tecta latius fundi, nec parietibus adæquari, ut stillicidium longus cadat. Quæ cum ita sint, quidam parietem communem tegere nitebatur, quæritur an sit aliquod jus tegendi. Respondeas tu, inquit, Trebati, id jus esse angendi parietis communis, ut in ejus qui tegit non aliud quodlibet tectum stillicidii aqua fundatur, alias non esse juris ut tegat quis parietem, stillicidio in vicini tecta defluente. Hæc enim stillicidii servitus nova, nisi consentiente vicino, nihil juris habet. Sed si huic responso opponatur, ne sic quidem ut tegat esse juris, quandoquidem ædium solum tantum est, quantum cujusque parietes claudunt, qui vero tegit, tectum longius mittit, tu inquit, responsum tuum Scævolæ auctoritate firmabis, dicens Scævolam respondisse hoc esse solum ambitus ædium, quantum tectum projiceretur, non quantum parietes ambirent. Jus est igitur projicere tectum, qui intra ambitum adhuc suarum ædium tegit, sed ita ut in suum tectum aqua defluat, nec vicino nova noceat servitute. In qua quæstione neque a subjecto neque a prædicato termino ductum est argumentum, quod in his locis considerari moris est, qui in ipsis hærent de quibus agitur terminis, ut in omnibus exemplis est diligentissime declaratum. Sed quia sumitur argumentum extrinsecus, dubitationi judicium cujuslibet opponitur, ut nunc Scævolæ, cujus auctoritate responsum est, atque ideo ex loco qui vocatur extrinsecus sumptum dicitur argumentum.

His igitur locis qui sunt expositi, ad omne argumen-

tum reperiendum tanquam elementis quibusdam significatio et demonstratio datur. Utrum igitur hactenus satis est, tibi quidem tam acuto et tam occupato ? puto; sed quoniam avidum hominem ad has discendi epulas recepi, sic accipiam, ut reliquiarum sit potius aliquid, quam te hinc patiar non satiatum discedere.

Omne elementum principium est ejus rei cujus elementum esse perpenditur. Nam ejus quod ex elementis fit, ipsa elementa necesse est loco esse principii; ergo quoniam hi loci superius designati argumentorum quasi quædam principia sunt (ipsi enim sunt qui continent argumenta; omne autem quod continet, ejus quod continetur principium est), idcirco ait Cicero veluti quædam elementa argumentorum videri locos hos quos superius posuit. Cautissimeque adjecit, quasi quædam elementa; non enim integre elementa, sed quasi in similitudine elementorum sunt hi loci qui in argumentis efficiendis sumuntur. Idcirco quoniam argumentorum quædam videntur esse principia, alioqui elementum omne, minima pars ejus est cujus elementum est, et id quod ex elementis efficitur, partes invicem conjungit, ut litteræ orationem. At vero locus, non pars argumenti, sed totum est. Est enim significatio quædam, et demonstratio ad reperiendum argumentum data, ut si locum respexeris, noveris ubi conditur, unde duci debeat argumentum. Sed reliqua ad Trobatium expeditissime dicta sunt, blanditurque ei etiam brevia posse sufficere acuminis prærogativa, præsertim cum sit juris occupatione districtus, et tempus legendi plura non habeat. Sed quoniam, ut inquit, avidissimum studii ad has doctrinarum epulas recepit, non vult degustatum, sed satiatum relinquere, ut non desit aliquid, sed de pleno etiam relinquatur, factaque est a convivando translatio jucundissima. Declaratis igitur locis omnibus, eorumque exemplis diligenter expositis, pauca quædam de locorum vi atque ordine disputabo, quibus plenissima disputatione expeditis, ad ea quæ restant explananda transgrediar. Sed id tertio jam volumine faciendum est, quoniam secundus liber habet proprium modum.

LIBER TERTIUS.

Antequam latiorem M. Tullii divisionem de enumeratis superius locis aggrediar, pauca, ut sum pollicitus, de vi atque ordine locorum mihi videntur esse tractanda, ut eorum natura diligentius cognita, facilior se argumentorum copia subministret. Primum igitur quoniam loci omnes divisi sunt in eos qui in ipso hærent de quo quæritur, et in eos qui extrinsecus assumerentur videndum est quinam sint hi loci qui in ipso hærent de quo quæritur, et quid ab ipsis rebus differunt in quibus hærere dicuntur, atque illud quidem planissime expeditum est, ipsos dici terminos illos qui in quæstione versantur, horum esse alterum prædicatum, alterum vero subjectum, superior expeditio patefecit. Ab eo igitur termino de quo agitur, quid differt locus a toto ? quandoquidem idem est ipsum esse quod totum, neque enim est aliud esse quemlibet terminum in quæstione propositum, quam totum esse terminum eumdem qui in quæstione est constitutus; de paribus quoque idem dicimus. Nam si omnes partes efficiunt id cujus partes sunt, terminumque in quæstione propositum suæ partes efficiunt, non est dubium quin partes quoque omnes convenientes idem esse quod ipsum est, in quæstione propositum rectissime intelligantur. Notatio vero, eodem modo illud ipsum est quod in quæstione proponitur. Rem enim unamquamque omne vocabulum designat in quæstione ac denotat. Fit igitur ut totum, partes ac nota, idem quod est ipsum de quo quæritur esse videantur. In tanta igitur similitudine rerum danda est differentia. Neque enim, ut dictum est, si locus hæret in eo ipso de quo quæritur, atque ab ipso de quo quæritur capi non potest, argumentum fieri potest, tu locus idem esse possit quod ipsum est de quo quæritur. Sed hæc differentia ipsum est quod confuse ac singulariter intelligitur, ut homo, in eo inest totum suum, quod est definitio ipsius; igitur totum, ab eo quod ipsum est, intelligentia separatur, quod illud quidem singulariter intelligitur, hoc vero sub generis ac differentiarum enumeratione monstratur. Dividit enim definitio atque dispertit, totumque patefacit quod in re ipsa singulariter intelligebatur; de partibus quoque eadem ratio est. Si enim ad membrorum multitudinem, vel specierum omnium enumerationem, singularis termini referas intellectum, statim ipsius ac partium differentias comprehendas. Nota etiam ab eo cujus nota est facile distat, quia illud vox et significatio est, illud res significationi supposita, eorum vero quæ affecta sunt non sunt dubiæ differentiæ ab his quorum affecta esse monstrantur. Quis enim idem dicat esse conjugatum, quod est id cui conjugatum est ? Quis idem dicat esse juste, quod justitia ? Quis genus idem quod forma ? quis contraria ? quis similia ? Quandoquidem neque contrarium, sibi ipsi contrarium esse potest, nec simile, sibi ipsi simile; nec genus, sibimetipsi genus; et de cæteris eadem ratio est. Nunc illud dicendum est, propter quod ista præmisimus; quandocunque enim ab illis tribus locis qui primi positi sunt, argumenta sumuntur, id est a toto, a paribus, a nota, fit ut ipse quidem terminus ad cujus fidem quæritur argumentum, intra quamlibet earum rerum contineatur, quæ cum ad argumentum ductæ fuerint, loci esse monstrantur. Velut cum fit argumentum a toto, ipse quidem terminus cui fides affertur, intra totum comprehenditur; totum vero ipsum quod est definitio, res est si quidem orationem, rem vocari placet. At si ex ea sumitur argumentum, fit locus. Itaque ipsum quidem de quo agitur, intra totum clauditur, a quo toto cum fit argumentum, fit ipsum totum, locus; quod totum, quo-

audit terminum qui in quæstione versatur
ermino videtur inhærere. Quo fit, ut locus
qui a toto est, eidem inhæreat termino, de
quæstione dubitatur. Partium quoque enu-
eumdem terminum claudit, quem partium
ne conjungit. Ipsaque partium enumeratio
dam est, ei oratio rebus annumeranda est.
b ea ducitur argumentum, fit locus. Sed
n partium multitudo in eodem termino est,
onventus partium jungit, necesse est eum
locum qui est a conjunctione partium ipsi
nino de quo quæritur inhærere. Nota etiam
ignat, et significatione aliquo modo compre-
a qua si ducitur argumentum, fit locus, et
n nomen omne si videtur adesse, cujus intel-
m signat, locus quoque qui est a notatione,
hæret de quo versatur intentio. At in affectis
tredecim partes divisa sunt, non idem est.
ioniam respicientia quodammodo terminum
t quasi extrinsecus constituta, non videntur
modo conjuncta esse cum termino quo con-
iunt hi loci, qui a toto, a partium enumera-
nota esse prædicti sunt; sed tamen id quod
n est, ad aliquid dicitur. Id vero aliquid
n est illi semper quod ad ejus ducitur rela-
, ac sine eo esse nunquam potest, quia cum
scitur, et quodammodo altero dicto intelligi-
rum. Nam si id de quo quæritur, ejusque af-
rpendas, ea quæ perhibentur affecta, extra
uo ambigitur, posita esse consideres, nihil
rum quæ sunt ad aliquid, ex se ipso esse po-
d est semper ex altero: ut enim in prædica-
ostenditur, omnia quæ ad aliquid dicuntur,
a sunt, non tamen ita disjuncta sunt ut omi
nt distributa, sed quoniam relativa prædica-
unguntur, necesse est aliquo modo in ipso
quod videntur affecta. Omne quippe affectum,
d quod affectum est suscipit formam, et sine
non potest, et dicto altero, alterius se statim
intellectus, ut cum dixero dimidium, duplum
itur, et cum patrem nominavero, filius ad in-
itiam venit. Et omnia quæcunque ad aliquid
sese pendent, nec a se invicem deseruntur.
mne affectum, et ad ipsum respicit ad quod
r, et in ipso est. Ad ipsum quidem respicit,
m ad affectum suum velut ad aliquid relative
rædicationis refertur; in ipso vero est, quod
ffectorum natura ut alterum existat ab altero,
psa possideant, quandoquidem et id quod af-
vocatur, ejus est termini ad quem considera-
ctum, et terminus in quæstione propositus affe-
intelligitur esse connexus. Quæ cum ita sint,
gumentum sumitur a conjugatis, quoniam id
onjugatum est, affectum est ad id quod ei ex al-
rte est conjugatum, id quidem de qua quæritur
nsecus posito conjugato hæret. Is vero locus
gumentum trahitur, ab altero ducitur conjuga-
ti si compascuus ager est, jus est compascere.
ompascere atque compascuum conjugata sunt;

A sed quærebatur an jus esset compascere, tractum vero est argumentum a compascuo; itaque terminus quidem de quo fuit quæstio, in altero conjugato positus deprehenditur, id est in compascendo; locus vero unde argumentum tractum est, in altero est, id est in compascuo. Item quoties a genere ducitur argumentum, id de quo quæritur in forma, hærere necesse est, ut cum ostenditur legata esse numerata pecunia, quoniam fuerit argentum omne legatum. Quæritur enim de numerata pecunia, quæ est species argenti, et argumentum tractum est ab argento, id est a genere. Itaque ipsum de quo quærebatur, in forma fuit, id est in specie. Argumentum vero tractum est ab affecto, id est a genere. Quod si a forma generis argumentum fiat, converso modo est, id quidem
B quod quæritur in genere esse monstratur, ipsum vero unde sumptum est argumentum, in forma esse perpenditur. Nam cum quæratur an legatum sit uxori argentum, ostenditur non esse legatum, quia non fuerit uxori tantum legatum, sed matrifamilias uxori. Uxor vero genus est matrifamilias uxoris. Quæritur igitur de uxore, id est de genere. Argumentum factum est a matrefamilias, in est a forma. Quoties vero a similitudine trahitur argumentum, quoniam id quod simile est, non sibi, sed alteri simile esse perpenditur, res siquidem de quo quæritur, in uno eorum quæ sunt similia, posita est; at vero locus, in altero est, velut cum quæritur an hæres restituere vitium ruinamve cogatur ædium in usumfructum relictarum. In hoc igitur quæstio est, locus vero a similitudine, quia non oportet hæredem ædes restituere,
C sicut nec mancipium, si id aliqua ratione depereat. Cum igitur similis sit ædium ususfructus atque mancipii, quod quæritur, in ædium usufructu positum est, locus vero, in usufructu mancipii. In differentia quoque idem est: eorum namque quæ differunt in altero positum est id quod quæritur, in altero vero illud a quo id quod est ambiguum comprobatur, ut cum quæritur an id quoque argentum quod in nominibus debeatur legatum sit. Hic igitur illud est quod dubitatur. In eo vero quod ab hoc differt, locus est a quo ostenditur minime legatum esse argentum quod in nominibus debeatur, quia multum differt in arca ne sit positum, an in nominibus scriptum. A contrario quoque idem est, ut in eo quod quæritur an usus-
D fructus penus legatus sit. In usufructu igitur quæstio est, sed probatur minime esse legatus, quia non potest esse usus earum rerum quæ utendo pereunt, sed potius absusus; in abusu igitur locus est, scilicet in altero contrariorum, cum fuerit in usu quæstio. Ab adjunctis etiam locus in eodem modo ab eo quod quæritur segregatus est, ut in uno adjuncto quæstio, in altero vero sit locus. Nam cum quæratur an secundum mulieris tabulas nunquam capite diminutæ possessio detur, in hoc quæstio est an detur, at in ejus adjuncto, locus. Ostenditur enim minime dari debere possessionem, quia sit proximum ut secundum puerorum quoque atque servorum tabulas bonorum possessio concedatur. Ab antecedentibus

vero ita est locus, ut quæstio sit in consequentibus. Nam cum quæritur an aliquid dotis nomine pro liberis manere oporteat sumitur argumentum nullomodo manere oportere ex antecedentibus, quod viri culpa factum est divortium; locus itaque in antecedenti, quæstio vero in consequenti. Consecutum est viri culpa factum esse divortium, nihil apud patrem pro liberis permanere, cum viri culpa præcesserit. A consequentibus vero si sit argumentum, res quæ dubia est in antecedentibus esse deprehenditur, velut cum quæritur an divortio facto, cum eo nupta esset mulier quicum connubii jus non esset, dotis nomine aliquid pro liberis manere oporteat. Fit argumentum sic: Si quid ex dote pro liberis manere oporteret, quia patrem liberi sequerentur, cum eo nupta esset mulier, quicum connubii jus esset, hic antecedens est, si quid de dote pro liberis manere oporteret, et in eo quæstio an aliquid manere oporteat. Consequens vero, cum eo mulier nupta, quicum connubii jus esset, a quo sumitur argumentum, id est a consequenti. Nam cum manifestum sit, non cum eo nupta esse cum quo connubii jus erat, ostenditur quod minime patrem liberi sequantur, atque idcirco nihil pro liberis manere oportere. Hic igitur res quidem quæ dubitatur in antecedenti est, in eo scilicet an ex dote pro liberis manere aliquid oporteat, argumentum vero in eo loco qui est in consequentibus, id est in muliere quæ nupta est cum eo cum quo nulla erant jura connubii. A repugnantibus etiam quoties argumenta sumuntur, res quidem dubia in altero repugnanti, in adverso vero locus est argumenti, ut cum quæritur an possit invita mulier reddere legatum, quod recte testamento semel accepit. Locus a repugnanti, minime posse invitam reddere quod recte accepit. Quæstio igitur est in eo quod intelligitur invitam reddere, argumentum vero in altero repugnanti, id est in eo quod intelligitur recte accipere. Pugnat enim invitam reddere et recte accipere, sed quæstio in uno eorum est, locus in altero. Quoties vero a causis efficientibus ducitur argumentum, quæstionem in effectis esse necesse est, ut exemplo quo quæritur an qui satis dederit damni infecti, vitium parietis præstare cogatur. In hoc igitur, id est vitio parietis, quæstio est, sed de causa trahitur argumentum. Dicitur enim non oportere præstare, quoniam natura parietis causa fuerit vitii, non is qui de præstando vitio satis dedisset. Effectum ergo causæ, vitium parietis fuit. Itaque quæstio quidem in effecto, locus vero esse consideratur ex causa. At si ab effectis aliquid approbetur, locus in effecto, quæstio in causa est constituta, veluti cum quæritur an mulier quædam cujus bona viri facta sint, dotis nomine in viri manum convenerit. Quoniam ergo in manum ex conventione perficitur, ut bona mulieris post ejus mortem vir adipiscatur, argumentum ducitur ab effectis. Efficitur enim per in manum conventionem, ut quæcunque sunt mulieris, viri fiant dotis nomine; ergo cum ea quæ mulieris fuere, vir nomine dotis adipiscatur, mulierem in manum viri necesse est convenire. Quæstio itaque est de muliere, an in manum viri convenerit. Argumentum vero ab effectu causæ, id est in manum conventionis. Hoc vero est quod ea quæ fuere mulieris, vir nomine dotis acquirit, quo fit ut quod quæritur, in causa, locus vero sit in effectis. A comparatione vero majorum si fuerit argumentum, quæstio erit in minoribus, ut si quæratur an in urbe aqua debeat arceri, defendaturque minime debere, neque enim fines reguntur; ita in aqua arcenda, quod minus est, quæstio est, locus vero in finibus regendis, quod majus est. Contrariæ vero, si a minore argumentum ducatur, erit id quod dubitatur in re majori, ut si dubitetur an fines in civitate regantur, respondeamus minime, quoniam ne aqua quidem arcetur. Ita id quod dubitatur, in re majore consistit, illud vero unde argumentum sumitur, in minori. Et in comparatione parium eimilis ratio est: in uno enim eorum quæ sunt paria, quæstio consistit, in altero locus intelligitur argumenti, veluti cum quæritur an ædium usus biennio capiatur, id approbamus, quoniam fundorum quoque. Cum ergo paria sint fundus atque ædes, quæstio quidem de ædibus est, argumentum vero ducitur a fundo. Ac de vi quidem locorum, quoque a se non quæstiones et loci argumentorum separentur, hæc dicta sint. Nunc eorum ordinem brevissime commemorabo. Ex hoc itaque oritur omne judicium, qui locus prior, qui sit posterior, existimandus, si eos terminos consideremus qui proposita quæstione versantur. Quæcunque enim his terminis propinquiora sunt, hæc rectissime priora numerantur. Posteriora vero quantum a propositis longissime quæque recesserint. Id autem tali ratione clarescet. Primum namque, locorum est divisa pluralitas in eos qui in ipso sunt de quo agitur, et in eos qui assumuntur extrinsecus, in quo præpositos esse intelligimus eos locos qui in ipso sunt, his locis qui trahuntur extrinsecus. Hic vero locus qui in ipso est, in primas quatuor distribuitur partes, quarum prima est definitio, qui locus a toto est nuncupatus. Idcirco autem primus a toto locus ponitur, quoniam nihil est alicui tam proximum, quam propria definitio. Consequitur enumeratio partium, quia post definitionem proximum locum partes tenere debent, quæ totum id cujus partes dicuntur esse, conjungunt. His apponitur nota, quæ quasi converso modo definitio est. Nam sicut definitio explicat quod implicite nota designat, ita nota involvit et confuse indicat quod patefacit atque expedit definitio. Nota vero tertia ideo est, quia definitio substantiam tenet; partium enumeratio ea dinumerat quæ totum compositum jungunt, nota vero nihil efficit, sed tantum designat. Post hæc quæ in ipsis terminis principaliter hærent, illa quæ sunt affecta numerantur, quæ jam non ipsis insunt terminis, sed eosdem velut exterius posita consequuntur, atque idcirco solum in ipsis esse dicuntur, quoniam sine his esse non possunt quorum prima sunt conjugata. Nihil enim inter affecta sic proximum est, quam id quod et re et nomine participat, nisi quod parva nominis inflexione sejungitur. Nam id quod justum est et justitia participat, et inflexo justitiæ nomine nun-

cupatur, et in cæteris quidem conjugatis idem est, Post hæc annumeratum est genus. Genus vero est quod cujuslibet universaliter substantiam monstrat, et quod multorum specie diversorum, substantialis est similitudo. Quod a propositis terminis longius quam conjugata sejungitur, quia tametsi substantiam monstrat, tamen ne inflexo quidem vocabulo cum termini nomine copulatur, sed longe lateque diverso. Huic adjuncta est species, quam formam Tullius appellavit, quia nihil est tam proximum generi quam species. Species vero est substantialis individuorum similitudo, et quod sub genere ponitur. Post hanc, similitudo est constituta. Etenim post illud idem quod in substantiis intelligitur illud idem recte ponitur quod in qualitate esse perpenditur. Paulatim vero res incipit a similitudine recedere, nec statim ad contrarium venit, sed prius a differentia locum statuit. Nam remota similitudine nihil aliud occurrit prius, nisi differentia. Post hanc, a contrario locum ducit, id est a maxima differentia. Rursus ad amica sibi affecta convertitur. Sed non eo modo amica quo sunt similia, adjuncta enim proponit, quæ non sunt integræ similitudinis, sed inter se judicii, et veluti cujusdam rerum sibi cohærentium propinquitatis. Post adjuncta vero antecedentia Tullius posuit. Post id enim quod aliquo modo junctum est, aliquid necesse est aut antecedens aut consequens intelligatur. Prius itaque antecedens, post consequens collocatum est. Post hæc repugantia dixit, ut quodammodo duplex ordo contrarietatum ac similitudinum nasceretur. Prius enim proposuit a simili, a differentia, a contrario, atque hic universus ordo est similium et contrariorum. Rursus ab adjunctis, ab antecedentibus, a consequentibus, a repugnantibus. Hic rursus secundus ordo similium et contrariorum esse deprehenditur. Sed primus valde evidentior quam secundus; plus est enim simile esse quam adjunctum, plus est differre quam antecedere vel consequi, plus etiam est contrarium quam repugnans. Et in suo quæque ordine plenam retinent formam, velut quia similitudo propinquitatem quamdam tenere debet: propinquius est enim id quod est simile ei cui simile esse consideratur, quam id quod adjunctum est ei cui naturali vicinitate conjungitur. Rursus quoniam differentia similitudinis auctor est, dissimilius est id quod ab aliquo differt, quam id quod consequitur vel antecedit. Rursus quoniam contrarium longissime ab eo qui contrarium est oportet abscedere, longius abscedit contrarium quam repugnans. Post hæc quid aliud restare poterat quam effectorum causas quærere? aut post effectorum causas quid aliud quam ipsarum causarum perquirere effectus? Præterea a comparatione loci, postremum ordinem tenent, quia sive similitudinem, sive dissimilitudinem in sola obtinent quantitate. Ac de locorum ordine satis dictum est. Illud præterea considerandum puto, num hi quoque argumentorum loci qui in ipso hærent de quo quæritur, inter affecta jure numerentur. Quandoquidem quæ affecta sunt, idcirco A esse dicuntur affecta, quia sunt ad aliquid, et propositi termini relatione nectuntur. Nam et definitio alicujus est definitio, et totum partium totum est, et nota significati nota est. Sed inspicienda natura est singulorum, et videndum num similiter hæc ad aliquid referantur ut cætera. Nam definitio rem quam definit quodammodo explicat atque conformat. Item partes rem cujus partes sunt propria conjunctione perficiunt. Nota vero, ejus intellectum communiter tenet, et cum hæc cætera quæ vocantur affecta non faciant, jure hæc non inter affecta ponuntur, sed in eo ipso quod veluti conficiunt atque conformant, inesse dicuntur. Sed quoniam de vi atque ordine locorum sufficienter dictum est, nunc ad sequentia transeamus. Præter omnia enim quæ superius dicta sunt, B illud animadvertendum maxime est, quia non si quid in argumentis fuerit sumptum, illud eorum argumentorum locus dicendus est, nisi non solum insit argumentis, verum etiam ab eo argumenta nascantur. Id quod dico, planiore liquebit exemplo. Si quod enim fuerit argumentum in quo sumatur genus vel species, non statim illud argumentum ex genere vel specie tractum esse dicitur, nisi ei argumento vires generis vel speciei qualitas subministret. Age enim, sit quæstio an idem sit animali esse quod vivere, et fiat argumentatio sic: non idem est animali esse quod vivere, quia ne inanimato quidem idem est esse quod mori, plurima quippe sunt inanimata, neque moriuntur. Nam quæ nunquam vixere, ne mori quidem posse manifestum est. Hoc igitur inanimatum genus est lapidum, ac fusilium metallorum, et sumptum est C in argumentum, sed non ex genere factum est argumentum, licet in eodem genus videatur inclusum, sed potius a contrario. Nam contrarium est vitæ quidem mors, animalium inanimatum; sed mori non sequitur inanimatum, igitur ne animal quidem vivere. Non ergo ex genere locus iste ducendus est, sed potius ex contrario, quamvis genus hujusmodi contineat argumentum; tunc enim locus esset a genere, si ab animalis vel a vivendi genere argumenti ratio traheretur, velut si ita fieret argumentum: animali esse, substantiæ est esse; ipsum vero vivere substantia non est, sed in substantiam venit. Non est igitur idem vivere quod animali esse. A substantia igitur tractum est argumentum, a genere videlicet animalis. Hoc igitur argumentum, et genus continet, D et ex genere ductum est; in priore vero, etsi genus continet, a contrario tamen ductum esse perpenditur. Illud enim semper speculandum est, non quid in argumento sit, sed ex quo ducitur argumentum et in cæteris quidem eadem ratio tenenda est, neque est enim in singulis immorandum. Si quis enim diligentiam decursæ superius expositionis exercuit, facile in reliquis colliget, quod uno declaratur exemplo. *Quando ergo unusquisque eorum locorum quos exposui, sua quædam membra habet, ea quam subtilissime persequamur, et primum de ipsa definitione dicetur. Definitio est oratio quæ id quod definitur explicat quid sit.*

Propositis igitur breviter argumentorum locis eos-

dem subtilius atque enodatius statuit per suas partes et convenientia membra partiri. Ita enim locorum omnium diligentius natura considerabitur, si non confuse solum, verum etiam distributim, et in suarum partium proprietate noscantur. Dat vero hoc multam inveniendorum copiam argumentorum: ut enim de definitione dicamus, si cunctas aliquis definitionum partes agnoverit, ex omnibus sibi poterit argumenta conquirere, eritque in inveniendis copiosior argumentis eo qui quot sint definitionis species ignorat. Ex tot enim definitionum partibus argumenta producet, quantas quis definitionum partes esse cognoverit. Is vero habebit plurimam talium locorum facultatem, quem definitionum diversitas non latebit. Ob hoc igitur M. Tullius, quos confuse atque indigeste posuit locos, nunc eosdem diligentiore ratione partitur. Ac primum illud propensiore consideratione tractandum est, quod, ut dictum est, etiam loci ipsi res quædam sunt, sed tunc esse intelliguntur loci, cum ab his trahitur argumentum. Ergo nunc Cicero non principaliter locos, sed res ipsas dividit, quæ ad argumentum ductæ, speciem sumunt locorum. Definitio namque, et pars, et nota, res quædam sunt, sed cum ab his argumentum ducitur, loci fiunt. Cum igitur M. Tullius res ipsas ita ut sunt naturaliter partiatur, simul cum rebus dividit locos. Si enim res una est a qua duci poterit argumentum, unus est etiam locus; at si illa dividitur, quot partes ejus rei fuerint, tot erunt etiam loci generis ejusdem de quo argumenta nascuntur. Quæ cum ita sint, cumque prius omnium locus a toto sit, id est a definitione, prius quid sit definitio definitione declarat, ut patefacta rei natura, species ejus vel membra convenienti ordine partiatur. Definitio, inquit, est oratio quæ id quod definitur explicat quid sit, sicut definitio est hominis, animal rationale, mortale. Dictum vero cautissime explicat. Nam quod nomen confuse denuntiat, id definitio per quædam substantialia membra diffundit. Quod enim confuse nomine hominis declaratur, id aperit atque explicat definitio, dicens hominem esse animal rationale et mortale. Nam nisi ita dixisset, potuerat esse communis definitio generi quoque, velut hoc modo: Definitio est quæ designat quid est id quod definit. Sed genus quoque designat quid est id de quo prædicatur, sed non explicat quid sit. Sola enim definitio explicat quid sit quod oratione perficitur; genus vero et cætera quæ singulis plerumque nominibus proferuntur, minime. Explicat autem definitio id quod definitur, non quoquo modo, id est non in eo quod quale vel quantum est, non in quolibet aliorum prædicamentorum, sed quid sit, id est ejus quod definit, substantiam monstrat. Ea vero definitio substantiam digerit, quæ ex genere differentiisque consistit; hæc namque uniuscujuslibet substantiam significant, sicut in his dictum est, ubi de genere, specie, differentia, proprio, accidentique tractatum est. Ergo omnis definitio explicat quid sit id quod definitur. Aristoteles vero eodem pene modo definitionem determinat, dicens, Definitio est oratio quid est esse significans. Hanc M. Tullius partitur hoc modo:

Definitionum autem duo sunt genera prima, unum earum rerum quæ sunt, alterum earum quæ intelliguntur. Esse ea dico quæ cerni tangive possunt, ut fundum, ædem, parietem, stillicidium, mancipium, pecudem, supellectilem, penus, et cætera. Quo ex genere quædam interdum nobis definienda sunt. Non esse rursus ea dico quæ tangi demonstrative non possunt, cerni tamen animo atque intelligi possunt, ut si usucapionem, si tutelam, si gentem, si agnationem definias, quarum rerum nullum subest quasi corpus: est tamen quædam confirmatio insignita, et impressa intelligentia, quam notionem voco, ea sæpe in argumentando definitione explicanda est.

Omnem definitionem manifestum est ad aliquid dici, alicujus est enim semper definitio. Quæ vero ad aliquid dicuntur, quamdam proprietatem ex hissumant necesse est, ad quæ referuntur. Quo fit ut ex his rebus quas determinat definitio, in ipsas definitiones quædam proprietas transferatur; sed quia quod ad aliquid refertur, id non potest esse idem ei ad quod dicitur, propriam quoque ipsum quod refertur ad aliud formam necesse est possidere. Eoque fit, ut in definitionibus, et sua insit forma, et ea quam ab his accipiunt, quæ definiunt consideretur. Quod M. Tullius videns, primum dividit definitiones secundum ea quæ definiuntur, quarum genera duo esse proponit, unum earum rerum quæ sunt, alterum earum quæ intelliguntur. Has igitur definitionum differentias ex his videtur sumpsisse quæ in definitione monstrantur. Omnia enim quæ definiuntur aut corporalia sunt, aut incorporalia. Res enim omnes in hæc primitus dividuntur. Ea vero quæ corporalia sunt, esse dicit; ea quæ sunt incorporalia, non esse, non quod omnino ea quæ incorporalia sunt non sint, alioqui nec definitionem susciperent. Nam si definitio est qua explicatur id quod definitur quid sit, ejus rei, qua omnino non est, nec quid sit, explicatio ulla esse potest. Sed quia humanum genus sensibus degit, id maxime esse arbitratur, quod sensuum comprehensioni subjicitur. Quis enim sibi non magis lapidem scire videatur, aut hominem quam justitiam, vel hæreditatem, vel quidquid aliud non sensibus, sed intelligentia comprehendit? Unde fit ut propter evidentiam cognitionis ea magis esse videantur quæ subjecta sunt sensibus, ea minime quæ intelligentiæ ratione capiuntur. Sed id sciendum est, M. Tullium ad hominum protulisse opinionem, non ad veritatem. Nam ut inter optime philosophantes constitit, illa maxime sunt quæ longe a sensibus segregata sunt, illa minus, quæ opiniones sensibus subministrant. Unde etiam idem Cicero in Timæo Platonis ait: Quid est quod semper sit, nec ullum habeat ortum, et quod gignatur, nec unquam sit? Quorum alterum, intelligentiæ ratione comprehenditur, alterum affert opinionem sensui rationis expers. Hic igitur id quod semper sit, rationi adjecit, id vero quod nunquam sit, sensibus conjunxit. Sed,

ut dictum est, corporea esse, et incorperea non esse, non ad veritatem, sed a communem quorumlibet hominum opinionem locutus est. Ponit igitur exempla earum quidem rerum quæ sunt, formas quasdam corporalium rerum, ut fundum, ædes, parietes, stillicidium, atque id genus, quæ corporalia esse hac ratione ostendit, quoniam cerni tangique possunt; earum vero rerum quæ non sunt, exempla posuit, usucapionem, tutelam, gentem, cæteraque quæ sunt incorporea; quæ ex hoc incorporea esse monstravit, quod ait, ea tangi demonstrative non posse, sed intelligentia atque animo comprehendi. Cur vero ea non esse dixerit, supposuit rationem dicens, nullum quasi corpus earum rerum esse, nec molem aliquam quæ feriat sensum. Quod enim corpus esse potest usucapionis? Nam ipsa quæ usucapiuntur, corporea sunt, ipsa vero usucapio corporea non est. Ipsa enim per utendi consuetudinem possidendi firmitudo quodnam corpus habere potest? Item, quod, quis tutela regit, corporale est, homo namque est. Ipsa vero cura tutelæ, atque ipsum jus alium tuendi, nihil omnino corporis habere potest. Homines quoque qui in eadem gentilitate sunt, corporei sunt. Ipsa vero gentilitas, id est communis nominis liberorum societas, ut Scipionum, Valeriorum et Brutorum, certe incorporea est; sed quædam eorum rerum incorporalis animi conceptio est, atque intelligentia, quam notionem vocavit. Ipsa enim imaginatio usucapionis vel tutelæ atque intellectus incorporalis rei notio dicitur, quam Græci ἔννοιαν vocant. Divisit igitur definitionem in has duas partes scilicet secundum subjecti differentias, ut alias quidem esse diceret definitiones earum rerum quæ sunt, id est corporalium, alias vero earum quæ non sunt, id est incorporalium. Hinc quæri potest, quod etiam superius breviter commemoravi, quonam modo definito non inter affecta numeretur, cum omnis definitio ad aliquid esse videatur? Idcirco enim affecta esse dicta sunt similitudo, contrarium, et cætera, quoniam semper ad aliquid referuntur. Quod si etiam definitio refertur ad aliquid, nec est absolutæ ac propriæ considerationis, ea quoque inter affecta ponenda est. Sed occurritur, quoniam ea quæ affecta sunt tanquam umbræ quædam corpus, ita extra posita non possunt id relinquere ad quod probantur affecta, et aut omnino substantiam eorum ad quæ affecta sunt, non significant ut contrarium, simile et cætera. Aut si quando designant, una quædam pars intelligitur esse substantiæ, velut genus, species, differentia. Non enim genus tota substantia est speciei, quandoquidem non solum genus speciem format, sed differentiæ quoque; nec differentiæ totam substantiæ continent formam, quandoquidem non sola differentia speciem perficit, sed etiam genus. Ipsa vero species quædam generis pars est, at vero definitio, etsi ad aliquid est, tamen totam substantiam monstrat, atque exæquatur ei rei quam definit, et substantiam perficit, ut neque extra posita sit, sicut similitudo et contraria, neque pars ejus substantiæ sit quam definitione determinat, sed potius ipsa substantia. Ac de hac quidem re satis dictum est. Idem vero de partibus dici potest. Nam conjunctæ partes totum id efficiunt cujus partes sunt. Nota quoque totum significat id quod designat, atque omnia coæquantur, et definitum definitioni, et partes toti, et nota rei quam significatione declarat si non sit æquivoca, vel si res quæ designatur non sit multivoca. Sane illud dubitari recte potest, cur cum dixisset duo genera esse definitionum, non ipsas definitiones partitus est, sed quæ definiuntur, id est corporale atque incorporale. Quod idcirco dictum videtur, quia definitio cum sit ad aliquid, ut dictum est, quamdam capit ex his, quorum substantiam determinat, qualitatem.

Atque etiam definitiones, aliæ sunt partitionum, aliæ divisionum. Partitionum, cum res ea quæ proposita est, quasi in membra discerpitur. Ut si quis jus civile dicat id esse quod in legibus, senatusconsultis, rebus judicatis, iurisperitorum auctoritate, edictis magistratuum, more, æquitate consistat. Divisionum autem definitio formas omnes complectitur quæ sub eo genere sunt quod definitur, hoc modo: Abalienatio est ejus rei quæ mancipi est, aut traditio alteri nexu, aut in jure cessio, inter quos ea jure civili fieri possunt.

Quoniam definitio ita ex subjecta re quam definit, proprietatem capit, ut tamen formam propriam non relinquat, idcirco post eas differentias definitionum, quæ ab his rebus tractæ sunt quæ definiebantur, nunc a propria forma definitionum differentias tradit. Propria vero forma uniuscujusque compositi in suis partibus constat itaque ex partibus definitionum tales differentias docet, quod aliæ definitiones per divisionem, aliæ per partitionem fiunt. Definitur enim res quælibet dum aut ejus species omnes enumerantur, aut partes. Partes vero a specie quo differant, paulo posterius dicam. Nunc exponenda arbitror Ciceronis exempla; dat enim partitionis exemplum hoc: Sit enim propositum definire quid sit jus civile, dicemus ita: Jus civile est quod in legibus, senatusconsultis, rebus judicatis, jurisperitorum auctoritate, edictis magistratuum, more, æquitate consistit. Lex igitur est quam populus centuriatis comitiis civerit. Senatusconsulta sunt quæ fuerint senatus auctoritate decreta. Res judicatæ sunt quæ inter eos qui super aliqua re ambigunt, sententia judicum fuerint constitutæ, quarum exemplo cæteræ quoque judicantur. Jurisperitorum auctoritas est eorum qui ex duodecim tabulis, vel ex edictis magistratuum, jus civile interpretati sunt, probatæ civium judiciis, creditæque sententiæ. Edicta magistratuum sunt quæ prætores urbani vel peregrini, vel ædiles curules jura dixere. Mos est quod in civitatem solium est fieri. Æquitas est quod naturalis ratio persuasit. Hæc igitur omnia unam formam juris efficiunt, tanquam partes, velut hominem, caput, brachia, thorax, venter, crura atque pedes. Partitio est enim ut ipse ait, quæ unamquamque rem propositam, quasi in membra discerpit. Ateram vero partem definitionis, quæ per divisionem sit specierum, tali monstrat exemplo. Definit enim quid sit abalienatio ejus rei

quæ mancipi est, dicens : Abalienatio est ejus rei quæ mancipi est, aut traditio altera nexu, aut cessio in jure, inter quos ea jure civili fieri possunt. Nam jure civili fieri aliquid non inter alios, nisi inter cives Romanos fieri potest, quorum est etiam jus civile, quod duodecim tabulis continetur. Omnes vero res quæ abalienari possunt, id est quæ a nostro ad alterius transire dominium possunt, aut mancipi sunt, aut non mancipi. Mancipi res veteres appellabant, quæ ita abalienabantur, ut ea abalienatio per quamdam nexus fieret solemnitatem. Nexus vero est quædam juris solemnitas, quæ fiebat eo modo quo in Institutionibus Caius exponit. Ejusdem autem Caii libro primo Institutionem de nexu faciendo, hæc verba sunt : Est autem mancipatio, ut supra quoque indicavimus, imaginaria quædam venditio, quod ipsum jus proprium Romanorum est civium, eaque res ita agitur, adhibitis non minus quam quinque testibus Romanis civibus puberibus, et præterea alio ejusdem conditionis qui libram æneam teneat, qui appellatur libripens. Is qui mancipium accipit, æs tenens, ita dicit : Hunc ergo hominem ex jure Quiritium meum esse aio, isque mihi emptus est hoc ære æneaque libra. Deinde ære percutit libram, indeque æs dat ei a quo mancipium accipit, quasi pretii loco. Quæcunque igitur res, lege duodecim tabularum, aliter nisi per hanc solemnitatem abalienari non poterat. Sui juris autem cæteræ res nec mancipi vocabantur, eædem vero etiam in jure cedebantur. Cessio vero tali fiebat modo ut secundo commentario idem Caius exposuit. In jure autem cessio fit hoc modo : apud magistratum populi Romani, vel apud prætorem, vel apud præsidem provinciæ, is cui res in jure ceditur rem tenens ita vindicat : Hunc ego hominem ex jure Quiritium meum esse aio. Deinde postquam hic vindicaverit, prætor interrogat eum qui cedit an contra vindicet; quo negante, aut tacente, tunc ei qui vindicaverit, eam rem addicit, idque legis actio vocabatur. Res igitur quæ mancipi sunt, aut nexu, ut dictum est, abalienabantur, aut in jure cessione. Has autem solemnitates quasdam esse juris, ex superioribus Caii verbis ostenditur. At si res ea quæ mancipi est nulla solemnitate interposita tradatur, abalienari non poterit, nisi ab eo cui traditur, usucapiatur. Quæ cum ita sint, recte definita est secundum divisionem abalienatio rei mancipi, scilicet quæ aut nexus traditione, aut in jure cessione perficitur. Nam pura traditione, abalienatio rei mancipi non explicatur. Species vero has esse, non partes, hinc intelligitur, quia si quis nexu abalienet rem mancipi, id quod suum fuit, in alterius potestatem pleno jure transtulit. Quid si etiam in jure cedat, plenum abalienationis jus erat. Ubi autem plenum nomen ejus, quod dividunt, partes suscipiunt, illud genus, et has species esse paululum quoque dialectica cognitione imbutus intelligit. Quæ cum ita sint, divisit Cicero definitionem in duas partes, unam quæ partium enumeratione fieret, alteram quæ per partium divisionem, utraque vero definitio partes enumerat. Sed hoc interest, quia hæc quidem species, illa vero membra partitur. Hic suboritur quæstio valde difficilis. Nam si definitio est etiam partitio, mirum videri potest quemadmodum alter sit a definitione locus, alter a partium enumeratione. Quæ res maximam confusionem præstat. Nam cum superius in locorum enumeratione alter a definitione locus, alter sit a partium enumeratione propositus, cumque nunc enumerationem partium, vel divisionem, definitionis species esse confirmet, non est dubium quin cum idem sit partium enumeratio quod definitio (idem namque est species quod genus), idem sit locus a definitione, qui est a partium enumeratione. Cujus quæstionis valde difficilis, facilior absolutio est, si definitionum ipsarum formas ac distantias colligamus. Multis namque modis fieri definitio potest. Inter quos unus est verus atque integer definitionis modus qui etiam substantialis dicitur ; reliqui per abusionem definitiones vocantur. De quibus omnibus paulo posterius integram faciam divisionem. Nunc in commune sic disseram : *nam quia omnis definitio explicat quid sit id quod definitur. Explicatio autem fit duobus modis : uno quidem cum pro re minime cognita planius aliquid affertur ; alio vero cum fit quædam partium enumeratio. Ac de priore quidem modo, posterius. Nunc vero de enumeratione partium ita dicendum est, quod omnis definitio, quæ per partium enumerationem fit, quasi quædam partitio recte intelligitur. Dictum est, id quod in nomine confuse significaretur, in definitione quæ fit enumeratione paritum, aperiri atque explicari. Quod fieri non potest, nisi per quarumdam partium nuncupationem; nihil enim dum explicatur oratione, totum simul dici potest. Quæ cum ita sint, cumque omnis hujusmodi definitio quædam sit partium distributio, quatuor his modis fieri potest. Aut enim substantiales partes explicantur, aut proprietatis partes dicuntur, aut quasi totius membra enumerantur, aut tanquam species dividuntur. Substantiales partes explicantur, cum ex genere ac differentiis definitio constituitur. Genus enim quod singulariter prædicatur, speciei totum est. Id genus sumptum in definitione, pars quædam fit. Non enim solum speciem complet, nisi adjiciantur etiam differentiæ, in quibus eadem ratio quæ in genere est. Nam cum ipsæ singulariter dictæ totam speciem claudant, in definitione sumptæ, partes speciei fiunt, quia non solum speciem quidem esse designant, sed etiam genus. Hujus exemplum est : Homo est animal rationale, mortale. Cum ergo tota definitio homini coæquetur, totiusque definitionis partes sint, tum anima, tum rationale, tum mortale, ipsius hominis partes esse videntur singula, quæ ejusdem definitionis partes sunt. Hæc igitur proprio nomine definitio nuncupatur. Item est illa definitio, quando in unum accidentia colliguntur, atque unum aliquid ex his

* Hæc verba, *nam quia*, redundare videntur.

efficitur,et est veluti quædam partium enumeratio, non in substantia,sed in quadam accidentium collectione posita; hujus exemplum : Animal est quod moveri propria voluntate possit. Animali namque et motus est accidens, et voluntas, et possibilitas, sed hæc juncta perficiunt animal,non substantialiter constituentia,sed per quædam accidentia designantia quod animalis quasi quædam partes sunt,et hæc descriptio nuncupatur.At si non accidentia rei, sed quasi membra quædam dicamus,ex quibus componitur atque conjungitur,atque inde definitionem facere tentemus,hoc modo dicimus:Domus est quæ fundamento,parietibus tectoque consistit,hic membra quædam sumpta sunt ad definitionem, quibus res tota conjungitur,et hæc vocatur per enumerationem partium diffinitio.At si quis ita definiat,ut non in definitione ponat membra, sed species, a divisione specierum definitio nuncupatur:velut si quis hoc modo pronuntiet : Animal est substantia, quæ vel sensu tantum,vel sensu et ratione nitatur. Hæc igitur quatuor a se differre manifestum est. In ea namque definitione quæ per substantiales partes efficitur,singulæ partes majores esse videntur,et substantialiter universaliores ab ea re quam definiunt, ut animal majus est ab homine. Mortale etiam atque rationale,singula hominis transgrediuntur naturam,quæ in unum convenientia, eidem quo sigillatim majora sunt coæquantur.Accidentia vero quæ in definitione ponuntur, omnino a substantia ratione disjuncta sunt. In ea vero definitione quæ ex partium enumeratione perficitur,talia sunt quæ enumerantur, ut singula totius definiti nomen capere non possint, atque idcirco eodem minora sunt, ut fundamenta non possint domus vocabulo nuncupari:fundamenta enim domo minora sunt,itemque cæteræ partes. At vero in ea definitione quæ per divisionem fit,singulæ quidem partes tota ea re quæ definitur minores sunt, totum tamen definitæ rei nomen suscipiunt.Ut rationale nomen capit animalis, eodem modo irrationale. Quibus ita discretis, quotiescunque ab ea definitione quæ per substantiales partes efficitur, vel ab ea quæ per accidentium enumerationem colligitur, argumentatio fit,a definitione, id est a toto tractum dicitur argumentum. Quoties vero ab ea definitione quæ vel per membrorum enumerationem,vel per specierum divisionem perficitur, argumentatio fit, ab enumeratione partium argumentum ductum esse perhibetur.Sed M. Tullius quia jam partitionem definitionis ingressus est, etiam hanc interposuit, quæ non ad definitionem,sed ad enumerationis partium locum pertinebat.Hujus vero rei argumentum est,quia cum post, de eisdem locis latius tractans,de enumeratione partium loqueretur,nullam aliam enumerationem partium posuit, nisi eam quam nunc definitionis speciem dixit.Nec tamen est arbitrandum omnem partitionem definitionis locum posse obtinere,ut si quis sic dicat,fundamenta,parietes et tectum domus est, id non est necesse.Potest namque esse porticus publicis usibus destinata,potest item aliud quodlibet, ut theatrum quod propter ampliores sonitus exhibendos tegi solet. Sed id nunc intelligere nos oportet, posse per partitionem aliquid sæpe definiri, cum partium illa collectio unam rem tantum possit efficere, ut si nihil esset aliud quod fundamenta, parietes atque tectum posset habere,nisi domus, jure definitio facta esse videretur,domum esse quam fundamenta,parietes tectumque perficiunt.

Sunt etiam alia genera definitionum, sed ad hujus libri institutum illa non pertinent, tantum est dicendum qui sit definitionis modus.

Hunc locum Victorinus unius voluminis serie aggressus exponere et omnes definitionum differentias enumerare, multas interserit, quæ definitiones esse pene ab omnibus reclamantur.Inter definitiones enim ponit et nomina, quod specialiter Aristoteli in omni doctrinarum genere peritissimo non videtur; pernegatque in Topicis nomine fieri definitionem, veluti si quis dicat : Quid est conticescere et respondeatur,Tacere,hæ nullo modo definitiones habendæ sunt.Quod etiam ex ipsius M.Tullii definitione approbari potest, per quam definitio quid esset ostendit;dixit enim esse definitionem orationem quæ id quod definitur explicat quid sit. Sed cum nomen non sit oratio, manifestum est nomine definitionem non posse constitui,cum præsertim ne omnia quidem quæ oratione promuntur atque aliquid ostendunt, proprio definitionis nomine designentur, veluti descriptiones,omnisque alia oratio quæ non ex substantialibus partibus, sed ex quolibet alio modo conjunctis efficitur,quod ne ipse quidem Victorinus ignorat. Sed videtur id definitionis loco ipse sibi Victorinus ad disserendi sumpsisse propositum, quod quoquo modo rem subjectam posset ostendere. Idcirco enim nomen quoque in definitionum numerum recepit,quoniam sæpe notiore vocabulo fit clarius quod ignotiore antea prolatum latebat.Idcirco etiam nos superius diximus explicationem fieri duobus modis : uno quidem cum pro re minime cognita planius aliquid afferatur; alio vero cum fit per quamdam partium enumerationem:ut ea quidem explicatio in qua notius aliquid affertur, nominis sit;ea vero quæ fit per partium enumerationem orationis,quanquam etiam in ipsis orationibus semper planius aliquid afferatur quo notius fiat illud de quo disseritur.Ut igitur nihil expositio nostra prætermittat,et definitionis proprietas appareat, itaque omnia in notitiam deducantur, ut nec vera definitio nesciatur, et quæ non sit proprie verœque definitio sub scientiam cadat,talis definitionum differentia facienda est. Definitionum enim aliæ proprie definitiones sunt, aliæ abusivo nuncupantur modo.Ac propriæ quidem definitiones sunt quæ ex genere differentiisque consistunt, velut hæc: Homo est animal rationale,mortale : hic enim animal genus est;rationale vero et mortale differentiæ.Earum vero definitionum quæ non proprie, sed abutendo definitiones vocantur,aliæ sunt quæ singulis nomi-

nibus denotantur, anæ vero quas explicat ac depromit oratio. Atque illarum quidem definitionum quæ tantum nomine designantur, aliæ sunt quæ κατ' ἀντίλεξιν, id est ad verbum fiunt, cum pro nomine redditur nomen, velut si dicat aliquis : Quid est conticere ? et respondeatur, Tacere ; Quid est haurit ? Percutit; aliæ vero, quæ exempli gratia ponuntur, ut cum volumus designare quid est substantia, exempli gratia dicimus, Ut homo : hæc vocatur Græce τύπος quæ idcirco, ut dictum est, inter definitiones ponitur, quoniam id quolibet modo aliquid designat ejus quod designatur, et si non proprie, tamen aliquo modo videtur esse definitio. Earum vero definitionum quæ in oratione consistunt, neque tamen sunt propriæ, multæ sunt diversitates. Quarum est omnium nomen communis descriptio. Harum aliæ fiunt partitione, aliæ divisione, de quibus superius, ut dictum est. Aliæ vero substantiales quidem differentias sumunt, sed genus non adjiciunt, atque hæc quidem a Victorino ἐννοηματικὴ dicitur, quasi quamdam communem continens notionem, veluti si quis dicat : Homo est quod rationali conceptione viget mortalitatique subjectum est. Hic igitur genus positum non est, sed differentiæ substantiales. Aliæ vero sunt quæ pluribus quidem qualitatibus designantur accidentibus tamen ita ut singulæ qualitates, etiamsi non conjungantur, possint tamen quod demonstratur efficere, ut homo est ubi pietas est, ubi æquitas, et rursus ubi malitia et versutia esse possunt : nam et si cætera nullus adjungat, sufficit ad ostendendum hominem dicere, ubi pietas inesse potest, vel ubi justitia, vel cætera : hæc vocatur ποιῶδες. Aliæ vero sunt quæ pluribus in unum accidentibus conjunctis efficiuntur, ut si quis luxuriosum definire velit, dicens : Luxuriosus est qui pluribus et non necessariis sumptibus in delicias affluit, et in libidinem fertur effusior ; omnia enim conjuncta luxuriosum videntur efficere, singula vero minime: hæc vocatur ὑπογραφική. Aliæ quoque fiunt eo modo, ut ad signandam, differentiam proponantur in his rebus quæ in discreto fine conjunctæ sunt, ut si dubitet quis, Nero imperatorne an tyrannus fuerit, dicit eum tyrannum fuisse, quoniam crudelis fuerit atque intemperans. Hæc enim adjuncta differentia tyrannum ab imperatore sejungit. Aut etiam si de eodem tyranno atque rege dubitetur quid uterque sit, juncta differentia utrosque designat, ut si temperantia quidem regi vel pietas, tyranno vero et intemperantia et crudelitas convenire dicatur: hæc vocatur κατὰ διαφοράν. Alia quæ per translationem dicitur, ut Adolescentia est flos ætatis. Illa quoque definitio esse dicitur quæ fit ex privatione contrarii, ut bonum est quod malum non est. Illa quoque Victorinus definitionem ponit, quæ tantum propriis nominibus aptari potest, quæ etiam ὑποτύπωσις appellatur, ut Æneas est Veneris et Anchisæ filius. Præter has etiam illa est quæ fit per indigentiam pleni, ut quadrans est cui dodrans deest ut sit as. Ponit etiam Victorinus inter differentias definitionum illam quoque quæ per quamdam laudem fieri potest, ut Lex est mens, et animus, et consilium, et sententia civitatis. Quod maxime ratione caret. Non enim laudis modus illi faciet differentiam. Illa enim consideranda sunt quæ in definitione ponuntur, non quo animo constituta sunt. Quod si recipienda fuit laudandi voluntas inter differentias definitionum, cur non vituperandi quoque voluntas aliam differentiam definitionis efficiat ? Sed hoc apertissime inconveniens et veritati videtur esse contrarium. Fiunt etiam definitiones per proportionum, ut si quis dicat, Homo est minor mundus. Sicut etiam mundus ratione regitur, ita quoque quoniam homo multis partibus junctus, habet tamen in omnibus rationem ducem, minor mundus dici potest. Fiunt etiam definitiones a relationibus, cum dicitur: Quid est pater? respondetur. Cui est filius. Causa quoque solet efficere definitionem, ut cum dicimus : Quid est dies ? respondetur, Sol super terram : causam enim, id est solem, pro re ipsa cujus causa est interposuimus, atque ita diem definitionem monstravimus. Hæ sunt definitionum differentiæ quas in eo libro quem de definitionibus Victorinus edidit, annumeravit, quas M. Tullius prætermittit eo nomine, quod eas minime necessarias existimaverit. Nos vero ne quid perfectio deesset operi, etiam quæ sunt a Cicerone prætermissa subjecimus.

Sic igitur veteres præcipiunt, cum sumpseris ea quæ sunt ei rei quam definire velis cum aliis communia, usque eo persequi, dum proprium efficiatur quod nullam in aliam rem transferri possit. Ut hoc : Hæreditas est pecunia ; commune adhuc, multa enim genera sunt pecuniæ. Adde quod sequitur : Quæ morte alicujus ad quempiam pervenit: nondum est definitio, multis enim modis sine hæreditate teneri mortuorum pecuniæ possunt. Unum adde verbum : Jure ; jam a communitate res disjuncta videbitur, ut si explicata definitio sic: Hæreditas est pecunia quæ morte alicujus ad quempiam pervenit jure. Nondum est satis, adde : Nec ea aut legata testamento, aut possessione retenta. Confectum est. Ilemque ut illud: Gentiles sunt qui inter se eodem nomine sunt; non est satis : Qui ab ingenuis oriundi sunt. Ne id quidem satis est : Quorum majorum nemo servitutem servivit. Abest etiam nunc ; Qui capite non sunt diminuti. Hoc fortasse satis est. Nihil enim video Scevolam pontificem ad hanc definitionem addidisse. Atque hæc ratio valet in utroque genere definitionum, sive id quod est, sive id quod intelligitur, definiendum est.

Definitionis ratione proposita divisaque per singulas partes tum materiæ, tum etiam formæ: materiæ quidem, cum definitionum esse dixit, vel earum rerum quæ corporeæ essent, vel earum quæ incorporeæ; formæ vero cum aut partitionibus aut divisionibus definitiones fieri docuit; prætermissisque cæteris quæcunque ad propositum opus minime pertinerent, nunc quod utilissimum est, maximeque totam definitionem intelligentiam significare potest, exsequitur. Id autem est: Qui sit in omnibus, quæ-

cunque quomodolibet fiunt, definitionis modus. Est autem una atque omnibus communis definiendi ratio, ut ex communitatibus inter semet junctis atque compositis in unam proprietatem rei definitio colligatur. Omnia enim quæ communia atque universalia sunt, si quid eis fuerit adjectum, determinatione minuuntur, et ad particularitatem redeunt, atque eo ambitu quo concludebant cuncta, cohibentur, veluti cum generi adjicitur differentia, et fit species. Nam cum genus per se proprio ambitu multas species contineat, ei si propriam adjicias differentiam, minuitur, et in quamdam quodammodo particularitatem redit, veluti cum dicimus animal, hoc nomen multa concludit. At si ei rationale adjicias, faciasque animal rationale, minus erit a simplici. Minus namque est animal rationale a simpliciter animali. Ita additio differentiæ quod majus fuit in particularitatem quamdam redegit atque cohibuit. Quoties igitur aliqua res definienda est, sumitur id quod ei cum pluribus aliis commune est, huic adjiciuntur differentiæ, statimque necesse est minuatur id quod pluribus fuerat ante commune, et si hac differentiæ additione in tantum modum decreverit, ut rei quæ definitur fiat æqualis, alias differentiaa colligere atque aptare non necesse erit, sed id ipsum quod ita decrevit, ut æquale sit ei quod definitur, definitionem esse necesse est. At si adhuc amplius sit ab ea re quæ definitur, quæramus necesse est aliam differentiam, qua adjuncta numerus quidem crescat, vis autem communitatum differentiarum additione decrescat, atque id hactenus faciendum, quatenus, ut dictum est, ea quæ ad definitionem sumuntur ei quod definiendum est adæquentur. Ut igitur id non ratione solum, verum convenienti quoque clarius fiat exemplo, sumatur res notissima ad definitionem, id sit homo. Hujus igitur ita quærimus definitionem: sumimus quod ei cum pluribus aliis commune est, id est animal. Dicimus igitur hominem esse animal, nondum est definitio, primum quia, ut dictum est, solo nomine definitio reddi non potest; dehinc quia animal majus est homine. Ut igitur minuatur animal et homini coæquetur, addimus differentiam, qua adjuncta, rerum quidem numerus crescit, vis autem rei atque amplitudo minuitur. Addo igitur rationale, efficioque animal rationale. Minus est igitur animal rationale quam proprie animal. Dico autem hominem esse animal rationale. Sed id nondum coæquatur ad hominem, possunt enim esse animalia rationabilia, sicut Platoni quoque de astris placet, quæ homines non sunt. Addo igitur rursus aliam differentiam, si quoquo modo iterum definitio contrahatur, ut fiat homini quod definitur æquale; adjungo igitur mortale, ac dico hominem esse animal rationale mortale, id æquatur ad hominem. Nam et qui homo est, animal rationale mortale est. Dico igitur hominis hanc esse definitionem quæ ex pluribus communibus junctis unum tamen quiddam homini proprium atque æquale conficit. Atque in cæteris definitionibus eadem ratio est, ut definitiones fiant collectis communitatibus, in unumque copulatis, cum necesse sit illa copulatione quæ communia sunt contrahi atque in minorem cohiberi modum, eique quod definitur ex communitatibus junctis aliquid proprium atque æquale componitur. Hoc est igitur quod ait Cicero, hunc esse definitionis modum, cum sumpseris ea quæ sint ei rei quam definire velis cum aliis communia, usque eo persequi, ut proprium efficiatur, quod in nullam aliam rem transferri possit, ut his verbis et hac sententia breviter significare videatur hanc esse definitionem quæ, ex substantialibus communitatibus juncta atque in minorem modum redacta, fit ei rei quæ definitur æqualis. Exempla vero quæ ponit hujusmodi sunt, unum definiendæ hæreditatis, alterum gentilitatis: Hæreditatis quidem hoc modo: Hæreditas est pecunia. Commune hoc et multis aliis conveniens quæ hæreditates non sunt, ut donationibus, ut furtis, vel quibuslibet aliis pecuniariis rebus quæ minime sunt hæreditates. Huic igitur pecuniæ addendum aliquid fuit, id est: Quæ morte alicujus ad quempiam pervenit. Hæreditas enim pecunia est ad quempiam alicujus morte perveniens. Sed ne id quidem plenum hæreditatis explicat intellectum. Commune namque est. Et pecuniæ mortuorum pluribus teneri modis possunt, velut si bello quis victus est ac spoliatus. Addendum igitur est aliquid: Jure, ut sit, Hæreditas est pecunia quæ morte alicujus ad quempiam jure pervenit. Hæreditates enim jure capiuntur. Videatur forsitan hoc loco definitionem posse consistere, sed minime; quid enim? si legata pecunia est, hæreditas quidem dici non potest, capta tamen morte alicujus jure pecunia est. Nam si testamenta jure fiunt, pecunia etiam jure legatur, adjiciendum est aliquid, id scilicet quo ab hæreditatibus legata separentur, ut dicamus, hæreditatem esse pecuniam morte alicujus ad quempiam pervenientem jure, quæ legata non sit. Num satis est definitioni? Minime. Quid enim si meum quidem dominium sit fundi, vel alicujus pecuniariæ rei, alterius vero usus-fructus. Nam morte ejus cui usus-fructus competit, ad me res illa revertitur, quæ in meo dominio proprietatis possessione jure tenebatur? neque tamen hæreditas esse potest, adjiciendum igitur est, minime possessione esse retentam, id est, ut proprietatis possessione id quod ex morte alicujus jure non legatum pervenit non retineatur. Hoc autem modo possessione retineri potest, si sit nostra proprietas, et ejus qui decesserit usus-fructus. Conjuncta igitur omnia in unum facient hæreditatis definitionem hoc modo: Hæreditas est pecunia quæ morte alicujus ad quempiam pervenit jure, non legata, neque possessione retenta. Hæc definitio est æqualis hæreditati. Nam ut hæreditas pecunia est morte alicujus ad quempiam perveniens jure, neque legata, neque possessione retenta, ita quæcunque pecunia alicujus morte ad aliquem jure pervenerit, neque legata sit, neque retenta, hanc hæreditatem esse necesse est. Sed cum M. Tullius ad eum usque locum definiendo venisset,

ut diceret hæreditatem esse pecuniam quæ morte alicujus ad quempiam pervenisset,jure ait : Jam a communitate res disjuncta videbitur,ut sit explicata definitio sic: Hæreditas est pecunia quæ morte alicujus ad quempiam jure pervenit.Idque ita dictum est, quasi jam plena facta sit definitio. Quid enim est aliud explicatam esse definitionem,et a communitate disjunctam,nisi perfectam,et cui desit nihil ? Sed rursus quasi non sit explicata definitio, nec a communitate disjunctam,adjicit:Nondum est satis; adde:Nec ea aut legata testamento aut possessione retenta.Cujus adjectionis hæc ratio est,fecit enim definitionem aliis adjunctis, aliis separatis. Itaque id quod definiebat,vel his quæ adjunxit,vel his quæ separavit, a cæterorum omnium communitate segregavit. Hæreditatem enim dixit esse pecuniam, huic addidit,morte alicujus ad aliquem pervenientem. Separavitque eam ab iis pecuniis, quæ non morte alicujus ad aliquem,sed contractu viventium pervenirent, addidit jure, ut ab his pecuniis separaret quæ per vim morte alterius ad quempiam pervenirent. Iis igitur duobus, morte atque jure, ea pecunia effecta est, quæ a cæteris ita separetur, ut tamen per legitimum acquirendi modum,non inter utrosque vivos,sed inter unum vivum atque alterum mortuum fieret. Hæc igitur una separatio a cæteris facta est, atque ideo ait explicatam esse definitionem et a communitate disjunctam.Sed quoniam in ea ipsa pecunia quæ morte et jure ad aliquem pervenit inerant quædam quæ hæreditates non essent, harum separatione plena effecta est hæreditatis definitio. Nam cum diceret hæreditatem pecuniam esse,itemque quæ morte alicujus ad aliquem pervenisset, itemque et quæ jure, hæc omnia efficientia substantiam hæreditatis apposita sunt. Sed quoniam erant in hac collectione quædam ad quæ hujus collectionis intellectus transferri posset,nec tamen essent hæreditates,veluti legatum aut possessionis retentio,his substractis reliqua fuit hæreditas,de qua intelligi possit pecunia alicujus morte ad quempiam jure perveniens.Non igitur legatum,aut possessionis retentio substantiam hæreditatis efficiunt,quippe quæ impedirent ad ejus substantiam demonstrandam, nisi removerentur. At vero nec negatio quidem cujusquam substantiam perficit, sed tantum quid non sit ostendit.Quod si legatum et possessionis retentio hæreditatis substantiam non modo non complent,verum etiam impediunt atque corrumpunt, nisi fuerint disjuncta atque seposita;cumque harum negatio nihil ex hæreditatis substantia monstret,sed tantum quid non sit ostendat; relinquitur pars superior, id est pecunia morte alicujus ad quempiam jure perveniens,quæ substantiam hæreditatis ostendat,ea quæ sit explicata definitio a cæterisque disjuncta.Sed quoniam rursus,ut dictum est, quædam sunt ad quæ derivari hujus definitionis intelligentia possit,idcirco ad discretionem integram designandam reliqua pars additur.Itaque quoniam ista demonstrant hæreditatem, efficiuntque substantiam jure dictum est,Jam a communitate res disjuncta videtur,ut sit explicata definitio:Hæreditas est pecunia quæ morte alicujus ad quempiam pervenit jure.Sed quoniam rursus hic intellectus ad plura intra se posita poterat convenire,non immerito additum est : Non est satis,et cætera,quæ legatum et possessionis retentionem ab hæreditatis definitione sejungunt:ac de priore quidem hæreditatis exemplo hæc dicta sint.Ad hujus vero similitudinem etiam secundum tractat exemplum,quod de definitione gentilitatis est positum.Gentiles enim sunt qui eodem nomine inter se sunt, ut Scipiones, Bruti et cæteri. Quid si servi sunt ? num ulla gentilitas servorum esse potest?Minime. Adjiciendum igitur : Qui ab ingenuis oriundi sunt. Quid si libertinorum nepotes civium Romanorum eodem nomine nuncupentur?num gentilitas ulla est?Ne id quidem, quoniam ab antiquitate ingenuorum gentilitas ducitur;addatur igitur: Quorum majorum nemo servitutem servivit.Quid si per adoptionem in alterius familiam transeat?tunc etiamsi ejus gentis ad quam migravit nomine nuncupetur,licet ab ingenuis et ab iis ortus parentibus sit qui nunquam servitutem servierint,tamen quoniam in familia gentis suæ non manet,ne in gentilitate quidem manere potest; addendum igitur est: Neque capite sunt diminuti.Hoc fortasse,inquit,satis est secundum Scevolæ pontificis definitionem, nihil enim ulterius adjecit,ut sit definitio gentilium hæc : Gentiles sunt, qui inter se eodem sunt nomine,ab ingenuis oriundi, quorum majorum nemo servitutem servivit,et ubi gentilitatem nulla capitis diminutio destruxit.Hæc quoque definitio facta est ex pluribus communitatibus in unum confluentibus atque unam proprietatem ejus rei quæ definiebatur, id est gentilitatis,facientibus.Hic igitur definitionis modus in utroque genere rerum valet,sive quæ sunt, sive quæ non sunt, id est sive corporalium, sive incorporalium;nam,ut superius ostensum est,id esse Cicero dicit quod corporale sit,id non esse quod est incorporale.Ac postremo omnium definitionum modus hic est, ut ex pluribus communitatibus aliqua proprietas fiat. Sed distant a se definitiones, quod hæ quæ proprie definitiones vocantur ex his communitatibus conjunguntur quæ substantiales sunt. Illæ vero quæ non veræ sed abutendo definitiones dicuntur,ex accidentibus communitatibus congregantur.

Partitionum autem et divisionum genus quale esset, ostendimus,sed quid inter se differant, planius dicendum est.In partitione quasi membra sunt, ut corporis, caput, humeri, manus, latera, crura, pedes et cætera. In divisione formæ sunt quas Græci εἴδεα; *vocant, nostri,si qui hæc forte tractant,species appellant,non pessime id quidem, sed inutiliter ad mutandos casus in dicendo.Nolim enim,ne si Latine quidem dici possit, specierum et speciebus dicere, et sæpe his casibus utendum est, at formis et formarum velim. Cum autem utroque verbo idem significetur,commoditatem in dicendo non arbitror negligendam. Genus et*

formam definiunt hoc modo : Genus est notio ad plures differentias pertinens. Forma est notio cujus differentia ad caput generis, quasi fontem, referri potest. Notionem appello quod Græci tum ἔννοιαν tum πρόληψιν dicunt. Ea est insita et ante percepta cujusque formæ cognitio enodationis indigens. Formæ igitur sunt hæ in quas genus sine ullius prælermissione dividitur, ut si quis jus in legem, morem, æquitatem dividat. Formas qui putat idem esse quod partes, confundit artem, et similitudine quadam conturbatus non satis acute quæ sunt secernenda distinguit. Sæpe etiam definiunt et oratores et poetæ per translationem verbi ex similitudine cum aliqua suavitate. Sed ego a vestris exemplis nisi necessario non recedam. Solebat igitur Aquilius collega et familiaris meus, cum de littoribus ageretur, omnia publica esse vultis, quærentibus iis ad quos id pertinebat, quid esset littus, ita definire, qua fluctus eludet. Hoc est quasi qui adolescentiam florem ætatis, senectutem occasum vitæ velit definire. Translatione enim utens, discedebat a verbis propriis rerum, ac suis. Quod ad definitiones attinet, hactenus ; reliqua videamus. ¶

Quoniam definitionum formas in partitionem divisionemque, distribuit nequaquam rerum auditor similitudine turbaretur, divisionis ac partitionis differentias prodit, ac primum aliud partes, aliud species esse demonstrat. Species enim sæpe partes, partes vero nunquam species appellantur. Differunt vero hæc a se, quoniam partes totius membra conjungunt, species vero genus dividit atque dispertit. Nam, ut superius quoque dictum est, partes ejus quod copulant non suscipiunt nomen totius. Neque enim fundamenta vel tectum domus esse dici possunt, nam nisi omnia quæ quid efficiunt juncta sint, totius vocabulum singula non habebunt ; at vero species etiam singulæ generis suscipiunt nomen, ut homo animalis. Quo fit, ut in his illa quoque differentia possit agnosci, quod partes quidem, totius partes, species vero non totius, scilicet universalis rei, id est generis, species esse dicuntur. Differt vero totum a genere, quod genus quidem universale est totum vero minime, quod probatur hoc modo. Si enim id quod totum dicitur, ut domus, universale esset, partes quoque ejus totius susciperent nomen ; at non suscipiunt, ut sæpe monstratum est ; quod igitur totum est, universale non est. Genus vero universale esse manifestum est, quoniam ejus nomen deductæ ab eo formæ suscipiunt. Item alia differentia. Genus semper speciebus suis prius est, totum vero suis partibus posterius invenitur. Nisi enim partes fuerint, totum non potest conjungi. Quo fit ut si genus pereat, species quoque perimantur ; si species intereat, maneat genus quod in partibus totoque contrarium est. Nam si pars quælibet una pereat, totum necesse est interire ; si vero totum, quod partes junxerant, dissipetur, partes maneant distributæ : veluti si domus, tecta et parietes, et fundamenta a semetipsis extrinsecus posita intelligantur, domus quidem non erit quia conjunctio destructa est, partes tamen manebunt.

A Propriis igitur nominibus M. Tullius partes quidem veluti totius membra appellat, species vero formas. Idcirco, quoniam non satis ei apta videtur inflexio casum ab eo nomine quod est species. Et licet plures, inquit, usurpaverint hoc nomen, tamen quoniam dura est hujus nominis per casus inflexio, cum dicitur speciei, specierum, speciebus, idcirco commoditatem in dicendo, ut ipse ait, non arbitratus est negligendum, ut formas vocaret in cujus nominis casibus nulla sentitur asperitas. Et quoniam forma præter genus esse non potest (nihil enim præter suum potest esse principium), utrorumque apposuit definitiones, dicens genus esse notionem ad plures differentias pertinentem. Notio vero intellectus est quidam et simplex mentis conceptio, quæ ad res plures pertineat a se invicem differentes. Id vero genus esse manifestum est, quod apertissimo liquet exemplo. Animalis quippe intellectus ad plures differentias pertinet, ad rationale scilicet atque irrationale, ad mortale etiam atque immortale, ad ambulabile, reptibile, volatile, natabile, et est eorum omnium quæ sub his differentiis sita sunt, genus. Idem vero significat hæc definitio quod etiam vetus, hæc est hujusmodi : Genus est quod de pluribus specie differentibus in eo quod quid est prædicatur, velut animal, genus ad plures res specie differentes, id est ad hominem atque equum, in eo quod quid est prædicatur. Nam interrogantibus quid est homo vel equus, animal dicitur. Item formæ definitionem talem dedit. Forma est notio cujus differentia ad caput generis, quasi fontem, referri potest, est recte. Nam si formæ a genere deducuntur, species necesse est referantur ad genus. Si igitur principium quoddam et fons formæ genus est, necesse est ut intellectus formæ ad primordium suum, id est notionem generis, revertatur. Intellectus enim hominis refertur ad animal, itemque equi et cæterorum. Notionem vero appellat quod Græci ἔννοιαν dicunt, hujus hæc est definitio : Notio est insita et ante percepta cujusque formæ cognitio enodationis indigens. Hæc vero definitio hinc tracta est quod Plato ideas quasdam esse ponebat, id est species incorporeas substantiasque constantes, et per se ab aliis naturæ ratione separatas, ut hoc ipsum homo quibus participantes cæteræ res homines vel animalia fierent. At vero Aristoteles nullas putat extra esse substantias, sed intellectam similitudinem plurimorum inter se differentium substantialem genus putat esse, vel speciem. Nam cum homo atque equus differant rationabilitate atque irrationabilitate, horum intellecta similitudo efficit genus. Nam similitudo equi et hominis substantialis in eo est, quod uterque substantia est, uterque animatus, uterque sensibilis, quæ juncta efficiunt animal, est animal namque substantia animata sensibilis. Igitur hominis atque equi similitudo est animal, quod est genus. Rursus cum Plato atque Cicero numero accidentibusque distarent, horum similitudo, quæ est humanitas intellecta atque animo formata, species est. Ergo com-

munitas quædam et plurimorum inter se differentium similitudo notio est,cujus notionis aliud genus est, aliud forma.Sed quoniam similium intelligentia est omnis notio,in rebus vero similibus necesaria est differentiarum discretio, idcirco indiget adhuc notio quadam enodatione ac divisione, velut ipse intellectus animalis sibi ipse non sufficit. Nam mox animus ad aliquod animal, id est vel hominem vel equum,deducitur inquirendum,et hominis notio vel ad Tullium, vel ad Platonem, vel ad quemlibet singularium personarum refertur.Quæ cum ita sint, quoties genus dividitur in formas, nullam prætermitti oportebit. Est enim vitium vel maximum,si qua dividentem forma prætereat, veluti si quis jus dividere velit, in legem, morem atque æquitatem necesse est partiatur.Nam et lex,et mos,et æquitas, et singula, et in commune, juris vocabulo subjecta sunt. Culpat vero illorum inscitiam qui idem species vel formas putant esse quod partes,conturbarique eos inscitia dicit, quod res a se plurimum differentes imperite atque improvide distinguere ac segregare non curant.Sed quoniam de definitione loquebatur,addit aliam speciem definitionis, quam nos superius enumeravimus,quæ per translationem non proprietatis veritatisque,sed splendoris atque ornatus ratione perficitur, quod poetarum atque oratorum esse autumat,quibus luculenta oratio curæ est.Hujus definitionis exemplum a jure civili Tullius petit,aitque se non aliter ab exemplis notioribus Trebatio recessurum quam si necessitas cogat. Per translationem vero definitio est, veluti cum Aquilius, littus definire volens, dicebat littus esse quo fluctus eluderet.Hoc eludere ab iis translatum est qui agitatione aliqua, causa lusus, moventur. Itemque adolescentia est flos ætatis, id ab arboribus ductum est, quarum fructus flores præcedunt.Et senectus,vitæ occasus,id a die ductum est,qui desinit esse cum sol occiderit: quæ translationes a proprietate discedunt,et quadam similitudine subjecta signant. Est enim translatio quoties habentis rei nomen,propter alterius rei similitudinem,a re simili nomen imponitur, ut motus habet proprium nomen,item lusus suo vocabulo nuncupatur.Sed qui dicit,qua fluctus eluderet,a similitudine agitationis ad fluctuum motum vocabulum transfert.Ac de definitionibus quidem disputationem terminans,ad partitiones transitum facit.Sed nunc tertio volumini satis est reliqua in posterum differamus.

LIBER QUARTUS.

Explicare non possum,mi Patrici, quantas sæpe in difficillimi operis cursu vires afferat amicitiæ contemplatio,cum et iis studiosius componamus,quos reposito penitus amore diligimus,et placere cupientibus multa sese rerum copia subministret.Huc accedit quod ut quæque in mentem venerint injudicata atque etiam incastigata promuntur,quandoquidem apud cari pectoris secretum nihil est periculi proferre quod sentias. Est igitur mihi, cum tuam benevolentiam specto,pronum omne atque,ut ita dicam, voluptarium, quod in tuæ præscriptum jucunditatis impenditur. Sed cum memet ipse perpendo,vereor ne imparato muneri par esse non possim,et deficientis culpa in adhortantis cedat injuriam.Quo fit ut tibi etiam atque etiam providendum sit, ne, tuis ipse moribus emendatus, nostri alicujus erroris sarcinam feras. Nosti oblatrantis morsus invidiæ,nosti quam facillime in difficillimis causis livor judicium ferat.Quæso igitur extremam nostro operi manum communis negotii studiosus imponas,abundantia reseces, hiantia suppleas, errata reprehendas,sis postremo nostri laboris tuæque adhortationis assertor, cum præsertim me securum peractum reddat officium,te amici pudor dignus possit convenire, si displicet. Sed hæc alias, nunc operis suscepti tramitem persequamur.Quoniam locorum in ipsis de quibus quæritur terminis inhærentium,alii sunt a toto,alii a partibus,alii a nota, alii ex affectis,de eo quidem loco qui a toto est, et in definitione est constitutus, sufficienter disseruit superiore tractatu.Nunc vero de partium enumeratione dicere instituit, rectam ordinis viam scilicet insistens,ut non solum exemplo qualis esset partium enumeratio perdoceret, verum ratione quoque ostenderet quomodo partium enumeratione in argumentationibus esset utendum.

Partitione autem sic utendum est,nullam ut partem relinquas,ut si partiri velis tutelam,insciens facias, si ullam prætermittas. At si stipulationum, aut judiciorum formulam partiare,non est vitium in re infinita prætermittere aliquid.Quod idem in divisione vitiosum est.Formarum enim certus est numerus, quæ cuique generi subjiciantur. Partium distributio sæpe est infinitior, tanquam rivorum a fonte deductio. Itaque in oratoriis artibus quæstionis genere proposito, quot ejus formæ sint subjungitur absolute; at cum de ornamentis verborum sententiarumque præcipitur, quæ vocantur σχήματα non fit idem. Res enim est infinitior,ut ex hoc quoque intelligatur quod velimus inter partitionem et divisionem interesse. Quanquam enim vocabula prope idem valere videantur, tamen, quia res differebant,nomina etiam distare voluerunt.

Sensus hujusmodi est.Rerum quæ partibus conjunguntur,aliæ quidem paucas,sed facile intelligibiles comprehensibilesque partes habent,aliæ vero plures intellectuque difficiles.In his igitur partibus quæ sunt paucæ ac facile sub intelligentiam cadunt, vel maximum vitium est, si partiendo aliquid relinquatur. In his vero quarum, ut ipse ait, infinitior numerus est et confusior perspectio, minus vitio-

sum est, si qua dividentem pars in enumeratione prætereat. Fit autem hoc non solum per eas res quæ aliquibus partibus constant, verum etiam sæpe per partes ipsas quas in distributione partimur, ut si hominis corpus velimus intellectu ac ratione per propria membra disjungere, faciemus ita, caput, humeros, manus, thoracem, ventrem, suras atque pedes. Et quoniam majores partes sumpsimus ad dividendum, idcirco nihil prætermissum esse videtur; at si minutissimas particulas persequamur, tum oculi quoque, et labia, et nares, atque aures, earumque partes persequendæ sunt, idque in toto corpore faciendum est, eodemque modo difficilior erit partitio, cum sit partium numerus infinitior. Sæpe etiam, ut dictum est, res ipsæ his partibus junctæ sunt, quarum non sit facilis inspectio, ut si quis stipulationem et judiciorum formulas partiatur, vel etiam si figuras loquendi, quæ σχήματα Græci vocant, dividi necesse sit. Hic igitur si quid prætermissum sit, non erit vitium partientis, quia partium natura multiplex sæpius obtendit errorem. At si quis genus dividat, perniciosum est aliquam præterire formam, quoniam formarum finita quantitas est. Nam quia semper in contrarium dividuntur, aut duæ sunt semper species generis, aut tres, et tunc tres, cum ea tertia, quæ sumitur, ex contrariorum permistione perficitur, ut si colorem dividamus, dicendum est ita. Coloris aliud est album, aliud nigrum, aliud medium. Idque medium ex albi coloris ac nigri commistione conjunctum est, quamvis in quamlibet aliam coloris speciem transferatur, seu purpurei, seu rubri, seu viridis. Itaque si tale est quod dividis, talesque sunt partes quas ad divisionem sumis, quas non difficulter intelligentia comprehendas, vitium erit, si quid omiseris, velut si tutelas partiaris. Tutela quippe quatuor fere modis est, aut enim per consanguinitatis gradum est, aut patronatus jure defertur, aut testamento patris tutor eligitur, aut urbani prætoris jurisdictione formatur, et sunt forsitan plures, sed nunc istæ sufficiunt. Hic igitur et paucæ partes, et facile comprehensibiles. At si stipulationum formulas et judiciorum comprehendere velis, quoniam multæ in his partes sunt, non erit vitiosum si quid omiseris; in promptu vero est exemplum partium, quod de tutelis est dictum, magis enim ut genus in formas, quam ut totum in partes, tutela divisa est. Nam sive per consanguinitatem sit tutor, sive patronatus jure, sive cæteris modis, integrum tutelæ jus habet, quod in singulis partibus non solet evenire, ut totius integrum capiant nomen. Sed ut conveniens videatur exemplum, requirendæ sunt tales tutelarum partes quæ junctæ tutelas efficere possint, non quæ singulæ tutelæ nomine designentur, quod nescio an quisquam jurisperitiæ professor tales tutelæ partes ediderit. Merobaudes vero rhetor ita intelligendum putavit, ut id quod ait, Partitione sic utendum est, ut nullam partem prætermittas, de divisione dixerit, id est de una parte propositæ partitionis. Nam et divisio et per membra distributio, partitio nuncupatur; in divisione enim vitiosum est aliquid prætermittere, in partitione membrorum minime. Ita exemplum de tutelis ei partitioni accommodatum dedit, quæ est divisionis. At si divisionem facias, id est formarum a genere partitionem, summum est vitium aliquid prætermittere, quoniam cum sit finitus formarum numerus, si quid omissum sit, inscitia præteritur: ut si oratorias quæstiones in formas dividere velimus, dicemus omnem rhetoricam quæstionem, aut de facto esse, aut de qualitate facti, aut de nomine. At si locutionum figuras sententiarumque distribuam, non erit, ut dictum est, vitium, transire aliquid, quandoquidem sententiarum inter se atque locutionum figuræ et multiplices, et varia ratione diversæ. Hic quoque figurarum partes non ita videntur accipi posse, quemadmodum totius, sed ut species generis; unaquæque enim figurarum quæ infinitæ sunt, velut figuræ generalis species est, quod possumus intelligere ex his verbis rhetorum, ubi de elocutione tractatur. Nullæ namque sunt figurarum partes quæ figuras jungant, ita ut singulæ figuræ nomen universalis figuræ non possint admittere. Sed objici nobis potest: Et quomodo infinitæ sunt figuræ, si species sunt? Sed respondebo leviter, Elocutione mutata, figuram quoque mutari, atque idcirco in potestate esse dicentis figuras facere, quas is qui tractat difficile, antequam fiant, potest agnoscere; hæ vero non substantialibus quibusdam differentiis constituuntur, sed potius accidentibus explicantur. Unde fit ut tum communis nominis in significationes partitio fieri videatur, cum figura dividitur, potius quam generis in species; omnia vero significata cujusque nominis divisione includere, difficile est, quia nova plerumque finguntur, sed ne id quidem rerum ratio permittit. Nam unaquæque figura generalis figuræ nomine et definitione comprehenditur. Quocunque enim modo figura definitur, eadem erit definitio etiam uniuscujusque figuræ. Quæ res unamquamque figuram universalis figuræ speciem esse declarat. Univoca enim sunt species et genus. Sed est illud verius, partitionem figurarum ad elocutionem ipsam Tullium retulisse, cujus pars quædam est figura, non species. Variis enim multiplicibusque figuris elocutio luculenta contexitur. Si quis igitur elocutionem partiri velit in figuras, non genus in species, sed totum secabit in partes. Quæ cum ita sint, ex hoc quoque apparet quid intersit inter divisionem partitionemque, cum partitio interdum talis sit, ut si quid in ea prætermissum sit, nihil afferat vitii. Divisio vero formarum talis est, ut in ea non queat aliquid sine culpa præteriri. Quod factum est, ut quia res differebant, diversa etiam vocabula rebus inter se distantibus viderentur.

Multa etiam ex notatione sumuntur, ea est autem cum ex vi nominis argumentum elicetur, quam Græci ἐτυμολογίαν *appellant, id est verbum ex verbo veriloquium. Nos autem novitatem verbi non satis apti fugientes, genus hoc notationem appellamus, quia sunt*

verba rerum notæ. Itaque hoc idem Aristoteles σύμβολον *appellat, quod Latine est nota. Sed cum intelligitur quid significet, minus laborandum est de nomine. Multa igitur in disputando notatione eliciuntur ex verbo, ut cum quæritur postliminium quid sit, non dico quæ sint postliminii. Nam id caderet in divisionem, quæ talis est: Postliminio redeunt hæc, homo, navis, mulus clitellarius, equus, equa, quæ frena recipere solet. Sed cum ipsius postliminii, vis quæritur, et verbum ipsum notatur, in quo Servius noster (ut opinor) nihil putat esse notandum nisi post, et liminium illud productionem esse verbi, vult ut in finitimo, legitimo, æditimo non plus inesse timum quam in meditullio tullium. Scevola autem P. filius junctum putat esse verbum, ut sit in eo et post, et limen, ut quæ a nobis alienata sunt, cum ad hostem pervenerint, et ex suo tanquam limine exierint, hinc ea cum redierint post ad idem limen, postliminio videantur rediisse. Quo in genere etiam Mancini causa defendi potest, postliminio rediisse, deditum non esse, quoniam non sit receptus. Nam neque deditionem, neque donationem sine exceptione intelligi posse.*

Post enumerationem partium recto ordine de notatione perpendit. Notatio igitur est quoties ex nota aliqua rei, quæ dubia est, capitur argumentum. Nota vero est quæ rem quamque designat. Quo fit ut omne nomen nota sit, idcirco quod notam facit rem de qua prædicatur, id Aristoteles σύμβολον nominavit. Ex notatione autem sumitur argumentum quoties aliquid ex notatione, id est nominis interpretatione, colligitur. Interpretatio vero nominis ἐτυμολογία Græce. Latine veriloquium nuncupatur; ἔτυμον enim verum significat, λόγος orationem. Sed quia id veriloquium minus in uso Latini sermonis habebatur, interpretatione nominis notationem Tullius appellat. Ea est hujusmodi, ut si quæras quid est postliminium. In qua quæstione non illud videtur inquiri quæ res postliminio revertantur, hoc enim in divisionem caderet, id est earum omnium rerum enumerationem quæ postliminio redeunt postularet. Velut si ita dicamus: Postliminio redeunt homo, navis, mulus clitellarius, equus, equa quæ frenos recipere solet, id est domita, nunc enumeratæ sunt res quæ postliminio revertantur. At cum quod sit ipsum postliminii jus quæritur, potest ex ipsius nominis interpretatione cognosci. Postliminio enim redit quisquis captus ab hostibus ad patriam remeaverit; namque dum captivitatem hostium patitur, jus civis amittit; omnia vero jura recipit, si postliminio revertatur. Ergo ex notatione nominis ita jus postliminii clarescere potest, ut quia semper post id significatur quod retro relinquitur, postliminii vocabulo quædam reversio significatur, ut Servius probat, qui ex adverbio post vim nominis interpretatur, reliquam vocabuli partem protractionem esse confirmans; nam in eo quod est postliminium, ex eo quod post dictum est interpretationem nominis sumit, liminium vero supervacuo putat esse productum. Ad horum nominum formam, meditullium; prima enim pars medium significat, tullium vero nihil. Et legitimum et æditimum similiter. In utrisque enim, lex ibi, ædes ibi, aliquid, timum vero nihil omnino designat. Id vero nomen quod est postliminium, Scevola P. filius ex adverbio post et limine putat esse compositum, nam quia ad idem limen quod prius reliquit revertitur is qui postliminio redit, idcirco ex utrisque significationibus arbitratur nomen esse compositum. Quæcunque enim a nobis abalienata ad hostem perveniunt, cum a nostro limine exierint, si post ad idem limen revertantur, postliminio redeunt. Quomodo etiam Mancini causa defendi potest, quem cum populus Romanus ob fœdus male dictum dedisset, hostes eum suscipere noluere? qui cum reversus esset, postliminio rediisse videbatur. Idcirco quia si cum hostes recepissent deditum a civibus, etiamsi quo modo ab hostibus effugisset, non videretur postliminio regressus qui judicio civium omni libertatis jure fuisset exutus; sed quoniam nec deditio, nec datio, nec donatio, præter acceptionem videtur posse consistere, idcirco qui non sit susceptus, ne deditus quidem intelligi possit. Recte ergo Mancinus qui non deditus in hostium, si ea uti vellent, pervenerat potestatem, is cum in patriam remeavit, jure postliminio rediisse defensus est.

Sequitur is locus qui constat ex his rebus quæ quodammodo effectæ sunt ad id de quo ambigitur, quem modo dixi in plures partes distributum. Cujus primus est locus ex conjugatione, quam Græci συζυγίαν *vocant, finitimus notationi, de qua modo dictum est, ut si aquam pluviam eam modo intelligeremus quam imbri collectam videremus, veniret Mutius, qui, quia, conjugata verba essent pluvia et pluendo, diceret omnem aquam oportere arceri quæ pluendo crevisset.*

Cum locum qui ipsis de quibus quæritur inhæreret in quatuor differentias supra distribuit, a toto, ab enumeratione partium, a nota, ab affectis, quoniam diligenter de superioribus tribus paulo ante tractavit, nunc quartum locum, id est affecta, persequitur. Et quoniam locus ab affectis in plurimas differentias solvebatur, quarum prima a conjugatis proposita est, primum loquitur de conjugatis, quæ multum a notatione non differunt. Nam qui notatio ex vi nominis trahitur, itemque conjugatio similitudine vocabuli continetur, aliquod inter se veluti confinium tenent. Sed hoc interest, quia notatio expositione nominis, conjugatio similitudine vocabuli ac derivatione perficitur. Et quoniam faciliset intellectu et tractatu locus est, tantum ponere sufficit exemplum, quod est hujusmodi: Aqua pluvia est quæ pluendo colligitur et crescit. Pluendo vero atque pluvia conjugata sunt. In uno enim eodemque vocabulo diversus nominum terminus differentiam facit. Item: Jus est aquam pluviam arceri, id est, ut si in alicujus agro pluvia aqua colligatur, et in alterius agrum defluat, eaque vicini frugibus nocitura concrescat, arceat eam suis finibus ille quiid sua putat interesse ne defluat. Si fluvius igitur plu-

via creverit, quæritur an debeat arceri, respondet, inquit, Mutius, quoniam aqua pluvia a pluendo dicta sit, fluvium quoque, qui pluendo creverit, aquam esse pluviam, atque arceri deberi.

Cum autem a genere ducetur argumentum, non erit necesse id usque a capite arcessere, sæpe etiam citra licet, dummodo supra si quod sumitur quam id ad quod sumitur, ut aqua pluvia ultimo genere ea est quæ de cælo veniens crescit imbri, sed propiore loco in quo quasi jus arcendi continetur. Genus est, aqua pluvia nocens, ejus generis formæ, loci vitio, et manu nocens, quorum altera jubetur ab arbitro coerceri, altera non jubetur.

Talis generum specierumque intelligitur esse natura, ut cum colliguntur vel etiam dividuntur, ab individuis per species et genera usque ad maxima genera possit ascendi, itemque a maximis generibus per infra posita genera usque ad individua valeat esse descensus. Id vero uno clarum fiet exemplo. Cicero quippe individuum est, hujus species homo, hujus genus animal, hujus superius genus est corpus animatum, et si longius ascendas, corpus alterius genus invenies, si prolixius egrediare, substantia ultimi loco generis occurrit. Cum igitur multa sint genera, si cujuslibet speciei genus assignandum sit, non necesse erit, inquit, maxima et principalia genera semper exquirere, verum eorum quoque aliquid quæ in medio locata sunt oportebit adhibere, illa tamen ratione servata, ut semper genus superius sit eo ad quod prædicatur ut genus. Extrema quippe inscitia est, si dum genus semper natura speciebus propriis superponatur, loco generis id quod est inferius collocetur. Quocirca vitiosum est, si quis corporis genus dicat esse corpus animatum. Quo fit ut si ad speciem aptandum est genus, eorum quæ superiora sunt aliquid aptemus, et non erit necesse ultimum semper genus adhibere, ut si homini genus proprium præponere volimus, non necesse est ut substantiam præponamus, sed vel corpus, vel corpus animatum, vel quod maxime fieri oportet animal. Illa enim semper genera sumenda sunt, quæcunque proxima formis adhærent, eaque in definitione maxime requiruntur, sed in argumentationibus nihil differt utrum proximum eligas, an superius genus. Nam quoniam ex continenti fit argumentatio, plus continet id quod est superius genus. Quocirca si de homine aliquid ambigitur, et a genere argumentandi sumitur locus, quidquid de animali dicetur, id etiam de homine prædicabitur. Quo fit ut si quid etiam de animato corpore prædicetur, idem etiam de homine dici possit. Ut igitur argumentationes ex proximis generibus fiunt, ita etiam ex alterius constitutis. Sed in his omnibus illud est quod maxime considerandum videtur, ne id quod est interius superiori præponatur ut genus. Et sententia quidem talis est. Quod vero ad exemplum attinet, declarabitur hoc modo: Sit aqua pluvia ea quæ dejecta de cœlo imbri colligitur, hujus species duplex est; alia enim aqua pluvia nocens est, alia non nocens. Nocentis quoque duplex species est, alia manu, alia vitio. Sed aqua pluvia manu nocens est, quæ ita loco aliquo excipitur, inde profluens vicino noceat, si locus is non sit naturaliter talis, sed manu hominis excipiendæ aquæ fuerit apparatus; vitio vero, quoties naturaliter ita sese locus habet, ut excipere aquam possit et nocere vicino. Si igitur ejus aquæ quam quis arceri velit, ne sibi noceat, a vicino genus velit exquirere, non necesse est ab ultimo usque genere deducere, ut dicat aquæ ejus quam quis velit arceri genus esse aquam pluviam, sed potest id quod inquirit genus paulo inferius invenire, ut hujus aquæ quam arceri desiderat id genus esse dicat, quod est aqua pluvia nocens. Quod si genus proximum quærat, illud poterit adhibere quod est aqua pluvia manu nocens, hoc enim arceri quis cogitur quod manu fit noxium. Quod vero loci forma vel vitio incommoditatis aliquid apportat, arcere non cogitur. Quod autem diximus, ejus aquæ quam arceri oporteat genus esse quam pluviam manu nocentem, ita intelligendum est, si aqua quæ arceri debet plurima sub se habet individua et similia, tunc enim demum ejus aquæ quæ arceri debet, aqua pluvia manu nocens genus esse poterit. Quod si aqua quæ arceri debet in nulla individua diducatur, ipsa est individua, nec est ejus genus aqua pluvia nocens manu, sed species. Quod si cui paululum videtur obscurius hic si eos commentarios quos de genere, specie, differentia, proprio, atque accidenti, composuimus, libris quinque digestos inspexerit, nihil horum poterit incurrere quo caliget.

Commode etiam tractatur hæc argumentatio quæ ex genere sumitur, cum ex toto persequare partes hoc modo: Si dolus malus est, cum aliud agitur, aliud simulatur, enumerare licet quibus id modis fiat, deinde in eorum aliquem id quod arguas dolo malo factum includere. Quod genus argumenti imprimis firmum videri solet.

Dictum est quemadmodum genus ad speciem debeat aptari, atque in eo præscriptum est ut nisi id quod est superius adhiberi non debeat. Nunc illud adjungitur, quemadmodum ejus loci, qui a genere ducitur, in argumentatione commodior usus esse possit. Quotiescunque enim de re aliqua dubitatur, si, facta generis alicujus divisione, sub aliqua ejus generis parte id de quo ambigitur potuerimus includere, tunc a genere tractum esse argumentum videtur hoc modo: Sit dolus malus, quando aliud agitur, aliud simulatur. Hujus ergo si species dividantur, et id quod factum esse arguimus alicui earum specierum quæ a dolo malo deductæ sunt potuerimus adjungere, quidquid de dolo malo existimabitur, idem etiam de ea re quam arguimus necesse est judicari, et factum est argumentum a genere. Nam de quo quæritur species est, et id a quo sumitur argumentum genus est, scilicet ut si ita contingit dolus malus; locue vero hic ab eo qui est a partium enumeratione diversus est. Nec si enumeramus partes, id est formas aut species, idcirco non a genere, sed

ab enumeratione partium ducitur argumentum. Quoties enim ipsa partium enumeratione utimur ad argumentationem, tunc ab eadem partitione argumentum tractum esse dicimus, ut hoc modo : Si fundamenta, et parietes, et tectum habet, et habitationi est destinatus locus, domus est. Ipsa igitur partitione utentes, domum esse probavimus. Quoties vero sub genere aliquid collocandum est, divisisque partibus alicui eorum quæ a genere deducuntur id de quo quæritur aggregamus, ut hoc modo: Si Ciceronem animal esse monstremus, dicemus ita : Omne animal aut rationale est, aut irrationale ; sed Cicero rationalis est, animal igitur est: non partitione utimur principaliter ad argumentum constituendum, sed idcirco genus divisimus, ut in unaqualibet divisione id quod nitebamur ostendere posset includi, id est ut id de quo dubitatur in assumpti continentia generis redigeretur, itaque de eo per generis naturam fides fieret. Sic ergo a genere facta argumentatio jure dicetur. Amplius ita partium enumeratio totius efficere substantiam solet, sive illud universale sit, ut genus, sive partium conjunctione completur, ut totum. At vero hæc divisio generis in cujus partes quælibet illa res de qua contenditur includenda est, non id efficit, ut totius substantia constituatur, sed ut illud quod approbare quærimus intra genus collocetur. Quem argumentationis modum imprimis M. Tullius validum esse confirmat. Illa enim regula satis vera est atque necessaria. Quæ de genere prædicantur, eadem de specie modis omnibus prædicari. Illud vero quæri perutile est, cum aliquid de particularibus rebus probatur ex superposita proxima specie, ut si Socratem rationalem esse approbemus, quoniam sit homo, cum sit homo rationalis, utrum ex genere an ex forma argumentum ductum esse arbitremur. Nam si dicamus ex genere, ultima species genus esse non potest; si ex specie, superpositum genus semper species probare desiderat. Socrates vero cui fidem præstat homo, quoniam rationalis est, genus hominis non est, sed dicendum est quoniam velut a genere tractum videbitur argumentum. Nam ex genere quasi ex continenti atque ampliori, et de substantia fides prædicati ducitur: quam sortem ad sua individua speciem nemo dubitat obtinere, nam et continet ea, et de eorum substantia prædicatur.

Similitudo sequitur, quæ tale patet, sed oratoribus et philosophis magis quam vobis. Etsi enim omnes loci sint omnium disputationum ad argumenta suppeditanda, tamen aliis disputationibus abundantius occurrunt, aliis angustius. Itaque genera tibi nota sint, ubi autem his utare, quæstiones ipsæ te admonebunt. Sunt enim similitudines quæ ex pluribus collationibus perveniunt quo volunt, hoc modo: Si tutor fidem præstare debet, si socius, si cui mandaris, si qui fiduciam acceperit, debet etiam procurator. Hæc ex pluribus perveniens quo vult appellatur inductio, quæ Græce ἐπαγωγή *nominatur, qua plurimum est usus in sermonibus suis Socrates. Alterum similitudinis genus collatione sumitur, cum una res uni, par pari comparatur, hoc modo;* A *Quemadmodum si in urbe de finibus controversia est, quia fines magis agrorum videntur esse quam urbis, finibus regendis adjicere arbitrum non possis; sic si aqua pluvia in urbem nocet, quoniam res tota magis agrorum est aquæ pluviæ arcendæ, adjicere non possis arbitrum. Ex eodem similitudinis loco etiam exempla sumuntur, ut Crassus in Curiana causa exemplis plurimis usus est, agens de eo qui testamento sic hæredem instituisset, ut si filius natus esset in decem mensibus, isque mortuus priusquam in suam tutelam venisset, secundus hæres hæreditatem obtinuisset; quæ commemoratio exemplorum valuit, eaque vos in respondendo uti multum soletis. Ficta etiam exempla similitudinis habent vim, sed ea oratoria magis sunt quam vestra, quanquam uti etiam vos soletis, sed hoc modo: Finge* B *mancipio aliquem dedisse id quod mancipio dari non potest, num idcirco id ejus factum est qui accepit? Aut num is qui mancipio dedit, ob eam rem se obligavit? In hoc genere oratoribus et philosophis concessum est ut muta etiam loquantur, ut mortui ab inferis excitentur, ut aliquid quod fieri nullo modo possit, augendæ rei gratia dicatur, ut minuendæ, quæ hyperbole dicitur, et multa mirabilia alia. Sed latior est campus illorum, eisdem tamen ex locis (ut ante dixi) et in maximis et in minimis quæstionibus argumenta ducunt.*

De similitudinis loco plane atque expedite disseruit, omnemque aperuit intellectum, similitudinum dividens formas, præscripsitque apertissime quibus magis ex similitudine argumenta contingerent, id est philosophis atque oratoribus ; etenim similitudo persuasionibus videtur aptissima. Nam quod in unam C vel plures extra eam de qua quæritur causam cadere solet, facile credi potest in eam quoque de qua ambigitur convenire. Idcirco ex similitudine tractæ argumentationes magnum oratoribus usum præstant, philosophis quoque, quoniam non in omnibus quæstionibus demonstratione utuntur, sed aliquoties verisimilia colligunt, quo id facilius persuadeant quod nituntur ostendere, similitudo rerum sæpe est inquirenda atque idcirco locus a similitudine oratoribus maxime philosophisque conducit, non tamen solis. Omnes enim loci communes sunt cujusque materiæ, sed in aliis uberius incidunt, in aliis angustius inveniuntur. Quocirca cognitis atque ante perceptis locis quæstiones ipsæ quæ tractabuntur quibus locis uti debeat solertem animum poterunt admonere. Omnis vero similitudo duplex est: aut enim ex pluribus D similitudo colligitur, et inductio nuncupatur, quod Græci ἐπαγωγὴν nominant, aut singulæ res per similitudinem comparantur. Ac prior quidem hujusmodi est: Si tutor fidem præstare debet, si socius, si cui mandaveris, si qui fiduciam acceperit, debet etiam procurator. Nam cum in pluribus rebus fides præstari debeat, unaque similitudo sit in fide præstanda tam in tutore quam socio, atque eo cui mandatum sit, eoque qui fiduciam acceperit, debet eadem similitudo procuratori etiam convenire. Fiduciam vero accepit cuicunque res aliqua mancipatur, ut eam mancipanti remancipet, velut si quis tempus dubium ti-

mens amico potentiori fundum mancipet, ut ei cum tempus quod suspectum est præterierit reddat; hæc mancipatio fiduciaria nominatur, idcirco quod restituendi fides interponitur. Hæc similitudinis collectione plurimum Socrates esse usus dicitur, ut in Platonis aliorumque ejus sectatorum voluminibus invenitur. Quoties vero una res uni rei per similitudinem comparatur, hoc modo colligitur argumentum. Regendorum finium arbitri esse dicuntur, qui finalia litigia discernunt, ut si fuerit de finibus orta contentio, eorum dirimatur arbitrio. Sed fines in agrorum tantum limitibus esse dicuntur, arbitri autem finium regendorum in civitate esse non possunt. Item arceri aquam in agris tantum dici solet, ubi si ex aliquo loco aqua pluvia colligatur, et defluens in campos vicini pascua frugesve corrumpat, arbitri arcendæ aquæ a magistratibus statuebantur. Quæritur ergo an in urbe arcendæ aquæ arbitrium possimus adigere. Et argumentum capitur ex similitudine. Si regendorum finium, quia solius agri sunt, in urbe arbitrum adigere non possis, ne aquæ quidem arcendæ, quia solorum esse videtur agrorum, in urbe arbitrum possis adigere. Hic igitur una res uni rei similitudine conjuncta est. Ex eodem etiam similitudinis loco illa sumi Cicero proponit quæ vocantur exempla, veluti Crassus in causa Curiana, quæ fuit hujusmodi: Quidam prægnantem uxorem relinquens scripsit hæredem posthumum, eique alium substituit secundum, qui Curius vocabatur, ea conditione, ut si posthumus, qui intra menses decem proximos nasceretur, ante moreretur quam in suam tutelam pervenisset, idem ante obiret diem, quam testamentum jure facere posset, secundus hæres succederet; quod si ad id tempus pervenisset quo jam homo judicio in suam tutelam receptus, jure civili instituto posset hæredem defungi, secundus hæres, id est Curius, non succederet quæ vocatur substituto pupillaris: quæsitum est an valeret ita instituta ratio. Crassus, igitur multa protulit exempla, quibus ita institutis hæres obtinuisse hæreditatem, quæ exemplorum commemoratio judices movit. Dicit etiam ipsos quoque jurisconsultos uti sæpius exemplis, veluti cum fingitur, id est imaginatur, propositio, ut casus de quo agitur per similitudinem intelligatur, hoc modo: Si quis enim jurisperitus adjiciat id quod non jure contractum est nullius esse momenti, adhibeatque exemplum tale, velut si quis rem non mancipi mancipaverit, num idcirco aut rem alienavit, aut se reo facto potuit obligasse? minime, quod enim non jure contractum est nil retinet firmitatis. Et alia hujusmodi apud jurisperitos inveniuntur, in quibus oratores maxime valent, quibus etiam in tantum fingere licet, ut eorum oratione etiam mortui sæpe ab inferis excitentur, quod Tullius in ea facit oratione qua Cœlium defendit. Sed latior, inquit, est illorum campus, id est oratorum, quibus spatiari ac devagari licet: nec idcirco minus cæteris quoque facultatibus similitudines prosunt, quoniam eadem argumenta maximis minimisque causis conveniunt; quo fit ut loci quoque argumentorum diversarum artium quæstionibus accomodentur.

Sequitur similitudinem differentia, res maxime contraria superiori, sed est ejusdem facultatis dissimile et simile invenire; ejus generis hæc sunt: Non quemadmodum quod mulieri debeas recte ipsi mulieri sine tutore auctore solvas, ita quod pupillo aut pupillæ debeas recte possis eodem modo solvere.

Ejusdem facultatis est similitudines differentiasque cognoscere; qui enim scit quid sit idem, nosse poterit quid sit diversum. Omnis vero similitudo idem aliquid esse constituit, quod enim idem est secundum qualitatem, id simile esse necesse est. Omnis quippe res aut substantia eædem sunt, aut qualitate, aut cæteris prædicamentis. Quod si ita est, et animus intelligere hoc idem in pluribus prædicamentis potest. Sed cum hoc ipsum idem in prædicamentis notat, eodem modo in eisdem prædicamentis quod diversum est intuetur; sed simile idem est, differentia vero diversum. Idem igitur animus eademque intelligentia similitudinem differentiamque cognoscit. Differentiarum vero multæ sunt species, aliæ quippe sunt substantiales, ut homini rationale, aliæ non substantiales, sed inseparabiles, ut nigrum Æthiopi atque corvo; aliæ vero mobiles neque constantes, ut sedere, stare, et hujuscemodi cæteræ quibus et ab aliis hominibus et a nobis ipsis sæpe distamus. Item differentiæ aliæ aliquo modo sunt generum divisibiles, aliæ aliquo modo specierum constitutivæ; sed si a constitutivis argumentum ducatur, velut a genere ducitur. Nam sicut genus continet speciem, ita differentiæ continent species. Sane si differentiæ constitutivæ ut genera intelligentur, fides ab his ad ea aptabitur quæ constituunt. Hæc enim talium differentiarum veluti formæ quædam sunt. Sin vero sint divisibiles, siquidem ad ea probanda, id est genera, quæ dividunt, earum ducitur fides, a forma argumentum fieri videtur, nam tales differentiæ eorum quæ dividuntur formæ quædam sunt. Quod si ad ea probanda referuntur quæ in contrariam partem genus dividunt, tunc proprie a differentia fieri argumentum videtur, quia contrariæ veluti differentiæ comparantur. Quod vero ad exemplum attinet Tullii hujusmodi est: Mulieres antiquitus perpetua tutela tenebantur, pupilli item sub tutoribus agunt; sed mulieribus si quid debitum fuisset, sine tutoris auctoritate poterat solvi, pupillis vero minime. Ergo si quæratur an id quod debeatur pupillo cuilibet, renuente tutore, possit exsolvi, a differentia sumitur argumentum, sic: Non sicut mulieri sine tutoris auctoritate debitum possis exsolvere, eodem modo, nisi auctoritas tutoris accesserit, pupillo solvere quod debeas possis; illæ enim perpetua tutela, etiam provecta jam ætate, continentur, illorum tutelæ certus annorum numerus terminum facit; atque idcirco solvi pupillo sine auctoritate non poterit. Differt enim persona mulierum a persona pupillorum, vel in eo quod pupilli non perpetua reguntur tutela, mulieres vero perpetua; vel quod pupillus nullum suæ rei administrandæ utilitatis judi-

cium habere potest cum sit aliquis mulieribus et sinon firmus, in explicanda familiaris rei utilitate delectus.

Deinceps locus est qui a contrario dicitur. Contrariorum autem genera sunt plura; unum eorum quæ in eodem genere plurimum differunt, ut sapientia, stultitia; eodem autem genere dicuntur, quibus propositis occurrunt, tanquam e regione quadam contraria, ut celeritati tarditas, non debilitas, ex quibus contrariis argumenta talia existunt. Si stultitiam fugimus, sapientiam sequamur; et bonitatem, si malitiam: hæc quæ ex eodem genere contraria sunt, appellantur adversa. Sunt alia contraria quæ privantia licet appellemus Latine, Græce appellantur στερητικά. *Præpositio enim* in *privat verbum ea vi quam haberet si* in *præpositio non fuisset, ut dignitas, indignitas, humanitas, inhumanitas, et cætera generis ejusdem, quorum tractatio est eadem quæ superiorum, quæ adversa dixi. Nam aliaquo que sunt contrariorum genera, velut ea quæ cum aliquo conferuntur, ut duplum, simplum, multa, pauca, longum, breve, majus, minus. Sunt etiam alia valde contraria quæ appellantur negantia, ea* ἀποφατικά *Græci contraria aientibus, ut si hoc est, illud non est. Quid enim opus exemplo est tantum intelligatur in argumento quærendo contrariis omnibus contraria non convenire.*

Divisio, differentiæ loco, nunc de contrariis tractat. Quare uti rerum ordo clarius colliquescat, pauca mihi ex Aristotele sumenda sunt quæ ille vir omnium longe doctissimus de hac divisione tractavit, quanquam M. Tullius re quidem Aristoteli fere consentit, sed ab eo nominum interpretatione diversus est. Nam quæ Aristoteles opposita, id est ἀντικείμενα, vocat, ea Tullius contraria nominat; sed hæc paulo posterius. Nunc Aristotelis divisio consideretur. Oppositorum igitur secundum Aristotelem alia sunt contraria, alia privatio et habitus, alia relativa, alia contradictoria. Contraria quidem, ut album atque nigrum; habitus vero et privatio, ut visus et cæcitas, dignitas et indignitas; relativa vero, ut pater, filius, dominus, servus; contradictioria, ut est dies, non est dies: horum omnium tales inter se differentiæ considerantur. Nam quæ contraria sunt, partim mediata sunt, partim vero medio carent. Mediata sunt, ut album, nigrum, est enim horum medius quilibet alius color, ut rubeus vel pallidus, et horum contrariorum non necesse est alterum semper inesse corporibus. Neque enim omne corpus aut album aut nigrum est; sed aliquoties in horum medietate est constitutum, ut sit rubrum vel pallidum. Immediata vero contraria sunt quorum nihil medium poterit inveniri, ut gravitas et levitas: horum enim nihil est medium. Nam quæ levia sunt, sursum feruntur, quæ gravia, deorsum. Quod autem sit corpus quod neque sursum neque deorsum feratur, nihil poterit inveniri. Sed immediata contraria talia sunt, ut alterum eorum cui potest accidere semper inhæreat, ut in propositio superius exemplo. Necesse est enim omne corpus vel leve esse vel grave, quia levitas et gravitas medium non habent, quod præterea inesse corporibus possit. At ea quæ in privatione et habitu sunt, ut cæcitas et visus, distant quidem ab his contrariis quæ claudunt aliquam medietatem, quod ipsa medietatem non habent; ab his vero contrariis differunt quæ sunt immediata, quoniam horum contrariorum alterum semper subjecto inesse est, ut corpori gravitatem vel levitatem; privationem vero et habitum non semper, ut cum sit habitus quidem visus, privatio autem cæcitas, non omne quod videri potest, aut videt, aut cæcum est: infans quippe nondum editus neque videt, quia nondum processit in luce, neque cæcus est, quia nondum habuit visum, quem potuisset amittere. Idem de catulis dici potest, qui statim nati nequeunt intueri, nam tunc eos nec cæcos dicere possumus, nec videntes. Et postremo contraria semper in suis qualitatibus considerantur; privationes autem, non quod ipsæ sint aliquid, sed ex habitus absentia colliguntur neque enim cæcitas est aliquid, sed a visus intelligitur abscessu: tam vero privatio quam contrarietas differt a relationis oppositione, eo quod neque contraria, neque privatoria simul esse possunt; idem enim in uno eodemque tempore, uno eodemque in loco album et nigrum, videns et cæcum esse non poterit; sed relativa ase nequeunt separari, neque enim potest esse filius sine patre, nec servus, si dominus non sit. Amplius, contraria ad se et privatoria non referuntur. Nemo enim dicit album nigri, vel nigrum albi, vel cæcitatem visus, vel visum cæcitatis. Quæ vero in relatione sunt posita in ipsa relationis prædicatione consistunt, ut duplum dimidii dominus servi, et cætera ad hunc modum. Tam vero contraria quam etiam relationes differunt a contradictionibus, quoniam contradictiones quidem semper in oratione consistunt, et in altera earum parte veritas, in altera falsitas invenitur, contraria vero privatoria et relationes in simplicibus partibus orationis invenitur [*an.* inveniuntur?] et in his neque veritas neque falsitas inest. Nam cum dico album, nigrum, cæcitas, visus, dominus, servus, simplices orationis partes sunt, neque verum, neque mendacium continentes; in simplicibus enim partibus orationis veritas vel falsitas nulla est: cum autem dico dies est, dies non est, utræque propositiones, una in affirmatione, altera in negatione posita, orationes sunt. Sed M. Tullius non tam propriis nominibus quam notioribus utitur; ait enim contrariorum alia esse quæ adversa vocantur, alia quæ privantia, alia quæ in comparatione sunt, alia quæ aientia et negantia nuncupantur. Sed quæ contraria nominat, opposita verius dicerentur; quæ adversa dicit, contrariorum melius susciperent nomen; quæ in collatione nominat, ea relativa vel ad aliquid certius vocarentur: sed utatur nominibus ut volet, dum res ipsæ certa proprietatis suæ ratione signentur; nos vero in cæteris quos edidimus libris eo nuncupavimus modo, quo superius in Aristotelis dictum est divisione. Secundum M. Tullium igitur contrariorum

* Legendum ne, *ea* ἀποφατικά *Græcis aientibus?*

alia sunt adversa, ut sapientia, stultitia ; alia privantia,ut dignitas et indignitas ; alia quæ cum aliquo conferuntur, ut duplum, simplum ; alia quæ appellantur negantia, e contrario aientibus constituta, ut si hoc est, illud non est. Adversa igitur sunt quæ, sub uno genere posita, plurimum differunt, ut album, nigrum, quæ a se plurimum distant sub uno genere posito,id est sub colore. Item celeritati tarditas adversa est, positis utrisque sub motu, neque enim celeritati debilitas opponenda est,quia debilitati firma valetudo contraria est, quod in divisione omisit Cicero, sed docuit exemplo;illa quoque dicuntur adversa, quæ, in diversis generibus sita,plurimum a se discrepare intelliguntur, ut sapientiæ stultitia.Illa enim sub genere boni est, hæc vero sub mali,quamquam hujusmodi exemplum privationem potius spectare videatur;nam stultitia privatio est sapientiæ,nec quidquam est aliud stultitia nisi sapientiæ et rationis absentia ; sed quæ sint quæ privantia Cicero appellat, posterius demonstrabo.Ex his adversis hoc modo sumitur argumentum.Si stultitiam fugimus, sapientiam sequamur; si bonitatem appetimus, malitiam fugiamus, quanquam malitia quoque,secundum eumdem modum qui superius dictus est, privationibus possit adjungi.Privantia vero secundum Ciceronem sunt, quæ Græce στερητικά appellantur,quæ habent eam partem orationis præpositam,quæ cum fuerit adjecta, semper fere aliquid demit ut ea(*in*) præpositio;hæc enim syllaba cui fuerit apposita,demit fere aliquid ex ea vi quam esset res quælibet habitura, si *in* syllabam præpositam non haberet,ut humanitati inhumanitas : *in* namque præposita id de quo dicitur humanitate privavit, ut dignitas, indignitas;et Tullius quidem ea tantum privantia esse confirmat, in quibuscunque syllaba ista præponitur : privantium quippe natura secundum Tullium hujus syllabæ commemoratione finitur ; a Peripateticis vero accepimus privationes cum simplicibus nominibus,tum privatoriis syllabis efferri, cum simplicibus nominibus, ut cæcitas,cum privantibus vero syllabis, ut indignitas, inhumanitas. Quocirca, secundum M.Tullium,cæcitas non erit privatio visus, sed ei adversum, atque idcirco forsitan stultitiam inter adversa numeravit,quoniam non habet *in* syllabam ex qua privationes arbitrantur existere. Ex quibus eodem modo,ut in superius positis adversis, argumenta ducuntur:Inhumanitatem aversemur,si humanitas consectanda est.Illa vero contraria, ut ait Tullius,quæ cum aliquo conferuntur,talia sunt, ut duplum simpli. Id tantumdem est tanquam si diceret duplum dimidii simplum enim dupli dimidium est,et pater filii ; eaque sunt semper reciprocantia, aliquoties quidem septimo casu,aliquoties vero genitivo,nam filius patris est filius et pater filii, hæc secundum genitivum conversio est,et duplum simplo duplum est,hæc secundum septimum casum ; sunt etiam quæ accusativo, ut pauca ad multa, et magnum ad parvum.Item negantia sunt quæ in affirmationibus et negationibus posita sunt,ut si hoc est, illud non est, veluti si dies est, nox non est, atque hanc oppositionem Cicero valde dicit esse contrariam.Ex quibus omnibus secundum superius dictum modum argumentorum facultas est,nam ex relativis contrariis ita sumimus argumentum:si pater est,fieri non potest quin ei filius sit. Ex negantibus autem quæ ἀποφατικά (ut ait) Græci vocant, ita:si sol supra terram fuit, nox esse non potuit, hæc enim affirmatio illam perimit negationem;cur vero hæc negantia esse constituerit mirandum est. Nam quæ negantia sunt aientibus opponuntur, et simul esse non possunt, ut diem esse ac diem non esse, hoc vero consequens est cum ita dicatur, si hoc est, illud non est,ut si dies est, nox non est. Atque affirmationem negationemque Tullius valde dicit esse contrariam, sed in hac consequentia nequeunt esse contraria : nam quod est consequens, contrarium non est.

Ab adjunctis autem posui equidem exemplum paulo ante,multa adjungi quæ suscipienda essent,si statuissemus ex edicto secundum eas tabulas possessionem dari, quas is instituisset cui testamenti factio nulla esset. Sed locus is magis ad conjecturales causas quæ versantur in judiciis valet,cum quæritur quid aut sit,aut evenerit,aut futurum sit,aut quid omnino fieri possit. Ac loci quidem ipsius formula talis est. Admonet autem hic locus ut quæratur quid ante rem, quid cum re,quid post rem evenerit;nihil hoc ad jus. Ad Ciceronem inquiebat Gallus noster,si quis ad eum quid tale retulerat, ut de facto quæreretur ; tu tamen patiare nullum a meartis institutæ locum præteriri,ne si nihil nisi quod ad te pertineat scribendum putaris,nimium te amare videar.Est igitur magna ex parte locus hic oratorius,non modo non jurisconsultorum,sed ne philosophorum quidem. Ante rem enim quæruntur quæ talia sunt, apparatus, colloquia, locus, constitutum convivium ; cum re autem pedum crepitus, strepitus hominum,corporum umbræ,et si quid ejusmodi est; at post rem,pallor,rubor, titubatio, et si qua alia signa conturbationis et conscientiæ. Præterea restinctus ignis, gladius cruentus, cæteraque quæ suspicionem facit possunt movere.

Qui sit ab adjunctis locus brevi superius monstravit exemplo,eo scilicet quo dixit : Si secundum mulieris nunquam capite diminutæ tabulas possessio bonorum daretur,consequens esse ut secundum quoque puerorum et servorum tabulas possessio permitteretur. Sed nunc formam ipsam et quasi subjectum loci monstrare proponit,quæ est hujusmodi: Ab adjunctis enim locus est,cum ex eo quod proponitur aliquid aliud vel esse, vel fuisse, vel futurum esse argumentatione colligitur, ut in eo ipse quod dudum posuit exemplo.Approbatur enim non debere secundum mulieris nunquam capite diminutæ tabulas bonorum possessionem dari,quia si id fuerit positum, id futurum est, ut secundum puerorum quoque ac servorum tabulas honorum possessio permittatur.Talia vero sunt quæ dicuntur adjuncta,ut

circa rem fere quæ quæritur inveniantur, neque tamen necesse sit ei semper adhærere;et forma quidem hujus loci talis est, ut hanc quoque diffinitionem possit admittere. Ab adjunctis locus est cum ex aliquibus,quæ sunt proxima eis de quibus quæritur rebus,id quod quæritur vel fuisse, vel esse, vel futurum esse monstratur; qui locus est conjecturalibus causis maxima necessarius. Cum enim de facto quæritur,tum si id factum est quod dubitatur, qui vel fuerit,vel sit,vel futurum sit,considerari solet : multa enim sunt quæ unicuique adjuncta rei variorum eventu temporum colliguntur. Idcirco enim quid ante rem,quid cum re,quid post rem evenerit, in conjecturalibus causis inquiritur, quæ ab oratoribus tractantur solis,neque jurisconsultis in hujusmodi negotiis cum rethorica facultate ulla communio est,juris enim peritus de facti qualitate, non etiam de ipsius facti veritate respondet. Idcirco quoties ad Gallum peritum juris facti quæstio deferebatur,nihil ad nos inquiebat,et ad Ciceronem potius consulentes, id est ad rhetorem remittebat. In quo Tullius facere ad Trebatium locum miscuit dicens. Quanquam locus hic ab adjunctis conjecturalibus causis maxime utilis, nihil consultorum juris prudentiam juvet, patiere me tamen, inquit, nullam suscepti operis partem præterire, ne si in hoc libro nihil præter tuæ artis exempla conscripsero, tuæ tantum gratiæ videatur addictus, ab adjunctis vero locus qui non modo jurisconsultis, sed ne philosophis quidem præter oratores non patet, trium sæpe temporum ratione tractandus est. Nam de facto si quæritur, quid vel ante id, vel cum eo, vel post id fuerit necesse est vestigari. Ante rem quidem hoc modo, apparatus ; verisimile est enim effecisse aliquem quod ante efficiendum paravit, colloquia fieri enim potuit ut amaverit, qui sæpe fuerit collocutus. Locus, velut cum ad aliquid faciendum opportunus locus eligitur. Constitutum convivium, velut si quis constituto ante convivio in eo fecisse aliquid arguatur capiaturque conjectura facti, ex eo ipse quod sit convivium constitutum, atque horum omnium ante rem de qua quæritur exempla sunt. Cum re vero hoc modo : Pedum crepitus, velut si isse in quempiam locum aliquis accusetur,pedum crepitu deprehensus esse probabitur ; vel si fuisse adulter in cubiculo ex umbra corporis designetur,hæc cum ipsis de quibus quæritur inspecta, eisdem tamen intelliguntur adjuncta. Post rem vero, si quas conscientiæ maculas pallor,rubor,titubatioque prodiderit:restinctus ignis,velut si clam factum aliquid exstincto igni velimus ostendere, ut tutius notitiam submoventibus tenebris committeretur. Item gladius cruentus peractum facinus monstrat. Hæc omnia post rem facto intelliguntur adjuncta,et semper ante rem cum re,et post rem,secundum rationem temporum intelligendum est, neque ita ut in antecedentibus et consequentibus Illic enim naturæ ratio consideratur. Omnia quippe simul sunt:nam quod antecedit,si positum sit, statim est id quod consequitur, ut si ponas hominem statim animal esse necesse est,nec ante secundum tempus homo dici potest,post vero subsequi animal, ut ante aliquis apparatus est secundum tempus,posterior effectus. Itaque illic antecedentia et consequentia nominantur, hic ante rem, cum re, et post rem. Idcirco quod illud quidem,non secundum tempus,sed secundum principalitatem naturæ secum simul aliquid trahentis antecedens dicitur, consequens id quod antecedens comitatur. Ea vero quæ secundum temporis priorem posteriorem ve rationem considerantur,adjuncta, idcirco ante rem, cum re et post rem cœpere vocabulum.

Deinceps est locus dialecticorum proprius ex consequentibus et antecedentibus et repugnantibus, nam conjuncta de quibus paulo ante dictum est, non semper eveniunt. Consequentia autem semper. Ea enim dico consequentia quæ rem necessario consequuntur. Itemque et antecedentia et repugnantia. Quidquid enim antecedit quamque rem, id cohæret cum re necessario, et quidquid repugnat, id ejusmodi est, ut cohærere nunquam possit.

Expedito adjunctorum loco, nunc de antecedentibus et consequentibus et repugnantibus disserit. Qui locus sit unus in tria velut membra divisus est. M. quidem Tullius loci hujus vocabulum tacuit,mihi autem totus conditionalis appellandus videtur. Cujus cum promptissime natura claruerit,nomen quoque ei, quod nos posuimus, recte inditum manifestius apparebit. Primum igitur singularum partium diffinitio prodenda est. Itaque antecedens est, quo posito aliud necesse est consequatur: itemque consequens alicujus est, quod esse necesse est, si illud cujus est consequens præcessisse constiterit. Repugnans est quod simul cum eo cui repugnare dicitur esse non possit. Antecedentium igitur, atque consequentium,et repugnantium,unum esse locum prædiximus, qui quomodo sit unus, paucis ostendam. Primum igitur dum quæreretur quonam modo unus esset locus a consequentibus, antecedentibus et repugnantibus, dicebatur quoniam ejusdem mentis esset atque intelligentiæ tam consentanea sibimet quam dissidentia prævidere, idcirco hunc quoque locum unum videri. Consentaneorum namque duæ sunt partes,antecedens una,altera consequens. Nam cum altero præcedente comitatur alterum,illa sibi in ipsa naturæ consequentia consentire necesse est. Repugnantium vero tametsi duæ partes sint,unum tamen est utriusque vocabulum,utraque enim repugnantia nominantur. Duæ vero esse, quæ sibimet repugnent, atque a se dissentiant nullus ignorat ; sed eo distant,quod antecedentium et consequentium duo sunt nomina, licet unus sit utriusque consensus; repugnantibus vero unum nomen est, cum sit unus in utrisque dissensus, ergo eadem mens, eademque intelligentiæ ratio id quod præcedit et id quod comitatur,intelligit. Neque enim fieri potest ut antecedens aliquid intelligatur, nisi in eodem quid sit consequens consideretur ; eodem quoque modo

nec consequens,nisi appareat quid præcedat; item repugnans aliquod intelligere nemo potest, nisi intelligat cui repugnet:sed quoniam eadem ratio potest similia dissimiliaque perspicere,antecedentium vero et consequentium consensus quidam et per naturæ similitudinem concordia est,dissensus vero in repugnantibus dissimilitudo,necesse est ut una atque eadem ratio antecedentium consequentiumque naturam et repugnantium spectet; quo fit ut unus quoque locus sit eorum quæ una intelligentia comprehendit. Sed huic opponebatur: Cur igitur alium ex similitudine,alium ex contrario locum Marcus Tullius superius enumeravit?Nam secundum propositam rationem,quoniam similitudinem et contrarietatem intelligentia una perpendit,unus locus similium contrariorumque esse debuisset. Sed respondebatur quoniam non eodem modo sibi antecedentia et consequentia consentire dicuntur,sicut ea quæ similia nuncupantur. In his namque una tantum qualitas invenitur,et secundum eamdem qualitatem similia esse dicuntur;at in antecedentibus et consequentibus non qualitatis similitudo, sed quidam naturæ consensus est.Et quæ similia sunt sine se esse possunt, antecedentia vero et consequentia sine se esse non possunt,atque idcirco non videtur esse consequentium et antecedentium cum similitudine ulla communio naturæ.Quæ ratio non valde videtur idonea,nec explicat quod demonstrare conabatur: illud certe firmissimum esse constat,quod hujus loci tractatus conditionalibus semper propositionibus accommodaretur.Conditionalis vero propositio est quæ cum conditione pronuntiat esse aliquid, si aliud fuerit, veluti cum dicimus. Si dies est, lucet. Hæc igitur rerum consequentia facile in repugnantiam vertitur.Nam si rebus consequentibus negatio interponatur, ex consequentibus repugnantia redduntur, hoc modo: Si dies est, lux est.Repugantia sunt ita: Si dies est, lux non est: repugnant enim diem esse et lucem non esse. Quæ repugnantia in conditione consistit. Dicimus enim: Si dies est, lux non est, nam diei contrarium est nox.Consequens vero noctis, lucem non esse,quare esse diem et non esse lucem repugnat. Argumentum vero est, hanc repugnantiam in conditione consistere, quia si conditio desiciat, nulla est repugnantia,hoc modo: dies est,lux non est,utræque enim disjunctæ propositiones suas sententias gerunt,nec quidquam intelliguntur habere commune,atque ideo diversis acceptæ temporibus veræ sunt, nec repugnant. Nam sicut in his propositionibus, dies est, lux est, nulla est consequentia,quoniam conditio deest,quæ propositionem facit connexam, sed utræque a se disjunctæ suam sententiam claudunt, ita in his quibus proponitur, dies est, lux non est nulla est, repugnantia, quoniam servat suam utraque separata sententiam. At si his conditio interveniat superiorum quidem, ita sententia copulatur, ut consequentes fiant, posteriorum vero ita ut repugnantes, hoc modo: si dies est lux est. Hæc consequens propositio ex duabus per conditionem mediam effecta est una. At si sit ita,si dies est,lux non est, repugnat.Negatum enim quod sequitur repugnare necesse est. Amplius, argumentum quod ex antecedentibus et consequentibus fit ex unius propositionis connexæ partibus nascitur, nam conditionalis propositionis connexæ una pars est antecedens, alia consequens. Quod si a repugnantibus argumentum fiat,rursus ab unius propositionis membris tale argumentum nasci oportebit. Igitur ex his propositionibus, dies est, lux est,una esse non potest nisi conditione,copulentur,ut unum sit antecedens, aliud consequens, et ideo in his ex antecedenti et consequenti argumentum esse non potest,quoniam duæ sunt ex illis quoque propositionibus quæ sunt, dies est, lux non est: una esse non poterit, nisi conditionis adjunctione in unius quodammodo propositionis sententiam reducantur cujus propositionis partes sunt repugnantes. Nam, ut in connexa propositione una pars antecedens, alia est consequens, ita in repugnanti utraque pars propositionis a semet invicem repugnat ac dissidet.Amplius repugnans propositio connexæ partem contrariam tenet,nam ut in illa quod antecedit secum id quod sequitur trahit, ita in hac propositione partes simul esse non possunt. Contrariæ vero differentiæ sub eodem genere poni solent. Si igitur connexa propositio in conditione est constituta, repugnans quoque in conditione subsistit;quod si et consequentiam propositionum et repugnantiam conditio facit, non est dubium quin locus hic jure conditionalis vocetur,ac sit unus positus in conditione divisis partibus, id est in antecedentem consequentemque et repugnantem. Connexæque namque propositionis una pars antecedens est,alia consequens.Repugnantis vero propositionis utraque repugnat ac dissidet. Itaque connexæ propositionis partes antecedens et consequens sunt,repugnantis vero repugnantes.Nec illud intelligentiam turbet quod dies est et lux est quadam sibi ratione consentiunt.Item dies est et lux non est, quasi a se dissentiunt atque discordant, nam connexa est propositio si cum aliud antecesserit, aliud consequatur. Item repugnans,si uno posito aliud inferatur,quod esse non potest nisi id jus conditionis efficiat.Quocirca aperte demonstratum esse arbitror conditionalem hunc locum vocari et recte unum esse a M. Tullio constitutum.Quomodo vero fiat ab antecedentibus et consequentibus et repugnantibus argumentum,posterius dicam.Sed quoniam nullius facultatis alterius est,quid vel quamque rem consequitur,vel quid cuique repugnet inspicere, nisi dialecticæ tantum, quæ hujus quam maxime rei perititiam profitetur, idcirco ait hunc esse locum totum dialecticorum, qui etiam ab adjunctis longe lateque diversus est.Primum quod adjuncta prodere sese atque ostendere invicem possunt,non vero perficere atque adimplere naturam, veluti ambulationem pedum strepitus significare quidem ac denuntiare potest, efficere vero non potest. Neque etiam ambulationem efficit pedum strepitus,

nec vero ex necessitate ambulatio ut sit pedum strepitus auctor est, sed sæpe ita ambulatur, ut nullus pedum strepitus exaudiatur; sæpe non mutato loco moveri pedes ac strepere præter ambulationem queunt; idcirco non semper inveniunt adjuncta: propositoque termino quem probare contendimus, sæpe ex adjunctis argumenta deficiunt, quia ipsa quoque aliquoties deficere videntur adjuncta. Præcedentia vero et consequentia et repugnantia nunquam desunt omne enim quidquid in rebus est, habet quod se aut sequatur naturaliter, aut præcedat. Est etiam a quo per naturæ diversitatem dissideat, velut animal sequitur quidem hominem, præcedit vero substantiam; dicimus enim, si homo est, animal est; substantiam vero præcedit, cum proponimus, si animal est, substantia est. Repugnat vero mortuo cum enuntiamus, si animal est, mortuum non est. Præterea quæ sunt adjuncta temporibus distributa sunt, ut ante rem, cum re, post rem. Quæ vero sunt antecedentia, consequentia, et repugnantia, quomodolibet modo in temporibus sint, nihil refert. Nam priora sæpe temporibus comitantur, et temporibus posteriora præcedunt, et quæ simul temporibus sunt, alias præcedunt, alias vero consequuntur, ut superius quoque sæpe diximus. Amplius, quæ antecedentia sunt et consequentia relinquere sese non possunt, nec sibi repugnantia cohærere, et sunt repugnantia necessario sibimet inconnexa; quæ vero sunt adjuncta nihil obtinent necessitatis, quia et jungi sibimet, et a se separari queunt. Quæ cum ita sint, quæstio difficilis vehementer oboritur, videtur enim minus intuentibus nihil hic locus differre his locis qui dicti sunt vel a genere, vel a specie, vel a contrariis. Nam genus semper speciem sequitur, speciem genus præcedit, contraria simul esse non possunt. Quæ solvenda est hoc modo: Primum quia non omne consequens genus est, nec omnis species antecedens. Repugnantia vero ipsa contraria, sed contrariorum sunt consequentia, ut in locorum qui a M. Tullio propositi sunt expositione mons travimus. De hinc quia cum a genere fit argumentum, ipsum genus assumitur, eodem quoque modo et species, cum ab ea aliquid volumus approbare, cum vero ab antecedentibus aliquid monstrare contendimus, eo quod in conditionali propositione præcessit utimur in assumptione, etiamsi non fuerit genus. Item si a consequenti argumentum fiat, etiamsi species non sit, a consequenti parte conditionalis propositionis ducitur argumentum, veluti cum ita dicimus: Si ignis est, levis est, ignis antecedit, levitas sequitur; sed neutrum neutri est genus aut species, assumitur itaque, atqui ignis est. Nunc igitur id quod antecedebat assumpsi, ex quo monstratur conclusio, levis igitur est. At si ita assumamus, sed non est levis, id quod consequebatur assumpsi. Concluditur ergo atque monstratur, non est igitur ignis. Vides igitur ut de his præcedentibus et consequentibus nunc loquamur quæ in conditionali propositione posita, vel præcedere vel consequi intelliguntur. Cum vero fit ex genere argumentum, species quidem est de qua aliquid probare contendimus; genus vero assumimus non quasi præcedens, sed quasi continens, ut quidquid esse consideratur in genere, id formæ quoque debeat aptari. Genus enim quoad permanet, a sua specie non recedit: cum vero de specie sumimus argumentum, genus quidem est de quo aliquid quæritur; sed id laboramus, ut quod de genere conamur ostendere, id ex specie possit facilius agnosci. Ut cum uxori Fabiæ relictum fuisset legatum, si mater familias esset, quoniam non convenit in manum, scilicet, ab in manus conventione, quæ est species uxoris, uxorem quod est matris familiæ genus a legati jure sejungimus, et legatum ad speciem, id est matrem familias derivamus. Sed illud interius dispiciendum videtur, num locus ab antecedentibus et consequentibus totus supervacaneus esse videatur, cum quolibet modo fuerint ex eo argumenta composita, a cæteris locis quos superius descripsimus non recedant. Nam quodcunque ab antecedentibus et consequentibus ducitur argumentum, id vel a toto, vel a partibus, vel a conjugatis, vel ab aliquo reliquorum tractum esse perpenditur hoc modo: Si utilis est æquitas constituta ad res suas obtinendas, utile est jus civile, ad id quod præcedit, quod sequitur igitur, hoc est a diffinitione argumentum, scilicet ab assumptione præcedentis. At si ita dicam: Sed non est utile jus civile, non est igitur utilis æquitas constituta ad res suas obtinendas, hic per consequentis assumptionem a diffinitionis loco sumptum est argumentum. Item a partium enumeratione, si neque censu, neque cæteris, non est liber, at censu vel cæteris, est igitur liber: at non est liber; neque censu igitur, neque cæteris manumissus est. Sed notandum est quæ sit vis uniuscujusque argumenti, et quonam modo proferatur. Sunt enim argumenta quæ prædicativis apta sint syllogismis ut a diffinitione fiat sic: jus civile est æquitas constituta his qui ejusdem sunt civitatis ad res suas obtinendas. Id vero utile est, utile est igitur jus civile. Item a partibus: Qui neque censu neque vindicta, neque testamento est manumissus, hic ex servitute liber factus non est; Stichus vero neque testamento, neque censu, neque vindicta manumissus est; Stichus igitur liber non est : et in cæteris, eodem modo. Omnia vero quæcunque per categoricum syllogismum proferri possunt, eadem per conditionalem syllogismum dici queunt. Omnis namque prædicativa propositio in conditionalem verti potest, hoc modo: omnis homo animal est, prædicativa est; hæc facile vertitur in conditionalem ita, si homo est, animal est. Non vero omnis conditionalis in prædicativam verti potest, velut hæc: si peperit, cum viro concubuit. Nemo enim dicere potest ipsum peperisse, id esse quod cum viro concumbere, quo modo dicimus hominem, id esse quod animal sit. Alia enim ratio est in his propositionibus quæ ita dicuntur, quæ peperit, cum viro concubuit. Hæc enim similis est ei quæ dicit, si peperit, cum viro concubuit, sed prædicativa propo-

sitio id esse subjectum dicit, quod fuerit prædicatum. Conditionalis vero id ponit, ut si id quod antecedens fuerit necessario comitetur quod subsequitur. Cum vero prædicativa est propositio, si ea vertatur in conditionalem, alia nimirum redditur propositio. Nam cum dicitur, omnis homo animal est, ipse homo animal esse proponitur ; cum vero, si homo est, animal est, non id sentitur, ut ille qui homo est, animal sit, sed proposito esse hominem, consequi ut sit animal. Ergo conditionalis syllogismus in antecessione et consecutione positus, licet per diffinitionem, et per partium enumerationem, et per conjugationem, et quolibet alio fiat modo, tamen in propria forma se continet, et est conditionalis, id est utens propria potestate, ut quodammodo cætera argumenta suæ veluti naturæ videatur habere subjecta. Ut cum sit a diffinitione argumentum, si quidem per prædicativam formam factus fuerit syllogismus, a diffinitione ductum esse dicatur. Sin vero per hypothesin facta fuerit argumentatio, conditionalis fit syllogismus, quem discernat assumptio, utrum ab antecedentis, an a consequentis parte promatur. Quo fit ut etiamsi per cæteros locos conditionale argumentum proferatur, tamen suam quamdam habeat formam, quandoquidem in antecessione et consecutione est constitutus. Tunc enim diffinitio, partes, conjugatio, et cætera veluti res ipsæ fiunt ac non locus, cum venerint in conditionem ; at si conditio cesset, ex ipsis profectum videbitur argumentum. Quod si propositionem conditio copulaverit, ipsa quidem ea sunt quæ in propositionibus continentur veluti quædam argumenti partes, locus vero in conditione est constitutus. Atque hæc ita dicta sunt, quasi aliter conditionalis hic locus tractari non valeat, nisi eorum aliquem quos prædiximus includat: nam potest præter eos etiam sæpe reperiri, ut cum dicimus : Si homo est, risibilis est ; si corvus est, niger est. Hic enim nec diffinitionem, nec partes, nec ullum alium locum superius enumeratum continet argumentum. Amplius, facile est in singulis eorum differentias prævidere: locus quippe a toto a substantia trahitur, a partibus vero a rei compositione. Nam in simplicibus terminis tale argumentum non potest inveniri, a nota, ab interpretatione ; a conjugatis; ab eo quod ex eodem utrumque deducitur; a genere, a continenti; a forma, ab eo quod continetur; a differentia, ab eo quod discrepat; a similibus, ab eadem qualitate ; a contrariis, ab eo quod a se longe diversa sunt ; a causis, ab his qui efficiendi vim habent ; ab effectis, ab his quæ vim alterius efficientiæ susceperunt; ab adjunctis, a vicinitate naturæ; a comparatione majorum, parium vel minorum; a relatione, ad æqualem vel inæqualem quantitatem. Ab antecedentibus vero longe alius modus est: constat enim in eo quod si propositum quid fuerit, aliud quiddam modis omnibus existet, quod consequens appellatur; hujus vero intelligentia consistit in eo quod præcedente quolibet, aliud subsecutum; repugnantium vero intelligentia consistit, non modo quod neque sequi, neque antecedere possunt, verum etiam quod simul esse non possunt, quæ in conditione consistere dubium non est. His igitur ita expeditis, quoniam M. Tullius proprietatem loci succincte, ut in transcursu potuit, evidenter expressit, nunc quibus modis eodem loco uti conveniat, adjungit. Quæ Topicorum pars, quoniam diligentius explananda est, finem quarto volumini faciam, quinto cætera redditurus.

LIBER QUINTUS.

De omnibus quidem hypotheticis syllogismis, Patrici rhetorum peritissime, plene abundanterque digessimus his libris, quos de eorum principaliter institutione conscripsimus, a quibus integram perfectamque doctrinam, cui resolvendi illa vacuum tempus est, lector accipiet. Sed quia nunc Ciceronis Topica sumpsimus exponenda, atque in his aliquorum M. Tullius modorum meminit, dicendum mihi breviter existimo de his septem conditionalibus syllogismis, quæ eorum natura sit, propositionumque contextio, ut cum hæc ad scientiam rite prælibata pervenerint, Tulliana facilius noscantur exempla. Omne igitur quod in quæstione dubitatur, aut verisimilibus aut necessariis probabitur argumentis. Argumentum vero omne aut in syllogismi ordinem cadit, aut ex syllogismo vires accipit. Syllogismus vero omnis propositionibus constat. Propositiones autem vel simplices sunt, vel compositæ. Simplices sunt quæ simplicibus orationis partibus conjunguntur. Copulant autem incompositam propositionem simplices orationis partes, nomen et verbum, veluti cum dicimus, dies est, vel dies vernus est, vel dies serenus est ; hic enim omnem vim propositionis nomen connectit et verbum. Omnis autem simplex propositio ex subjecto prædicatoque consistit. Subjectum est de quo dicitur id quod prædicatur. Prædicatum est quod de eo dicitur quod subjectum est. Verbum autem aliquoties prædicato nomini adjungitur, aliquoties ipsum prædicatur. Prædicato nomini adjungitur, ut in hac propositione quæ dicit, dies serenus est : dies enim subjectus est, serenus prædicatus; est vero verbum sereno adjunctum est, quod diximus esse prædicatum. At si talis sit propositio, quæ solo nomine constet et verbo, veluti cum dicimus, dies est, tunc dies subjicitur, est verbum sine dubio prædicatur; sine verbo autem nulla est propositio : omnis enim propositio vel vera vel falsa est ; nisi autem verbum sit quodlibet adjunctum, quo esse aliquid aut non esse dicatur, nulla veritas aut falsitas in propositionibus deprehenditur. Sæpe autem propositiones etiam ex totis orationibus constant; ut si dicamus: Transire in Africam utile est Romanis; hic enim subjectum quidem est transire in Africam, utile autem Romanis prædicatum, est vero prædicato conjungitur. Hujus

modi igitur omnes propositiones prædicativæ dicuntur. Prædicativæ vero appellantur, quia aliud de alio prædicant. Omnesque quiex his propositionibus fiunt syllogismi, secundum enuntiationum suarum formas prædicativi appellantur. Ex his autem prædicativis propositionibus existunt compositæ propositiones, quarum alia quidem copulativa conjunctione nectuntur, ut et dies est, et lux est ; alia vero per conditionem fiunt, quæ etiam conditionales enuntiationes vocantur. Hæ vero sunt quæ conjunctione quadam partibus interposita ad consequentiam conditionemque ducuntur. Age enim sint duæ propositiones prædicativæ : una quidem, quæ dicit, animal est ; alia vero quæ proponit, homo est. His si conjunctis interveniat, faciet, si homo est, animal est. Vides igitur ut duas prædicativas propositiones in unam conditionem conjunctio copulaverit. Quæ cum ita sint, omnes hæ propositiones hypotheticæ, id est conditionales, vocantur, atque ex his syllogismi tales existunt, quibus hypotheticis vel conditionalibus nomen est. Omnis autem hypothetica propositio, vel per connexionem fit, vel per disjunctionem. Per connexionem hoc modo, si dies est, lux est. Per disjunctionem ita, aut dies est, aut nox est. Earum vero quæ per connexionem fiunt, aliæ ex duabus affirmativis copulatæ sunt, ut si dies est, lux est, namque dies est, et lux est, utræque aliquid affirmant; aliæ ex duabus negativis, ut si lux non est, dies non est, nam lucem non esse, et diem non esse, utraque negatio est ; aliæ vero ex affirmativa negativaque conjunctæ sunt, ut si dies est, nox non est ; aliæ vero ex negativa affirmativaque copulantur, ut si dies non est, nox est: omnes tamen in connexione positæ sunt. Aut enim affirmatio affirmationem sequitur, aut negatio negationem, eique connexa est, aut affirmationem negatio, aut negationem affirmatio; sed ex connexis repugnantes manifestum est nasci, namque ubi affirmatio sequitur affirmationem, his si media negatio interposita sit, repugnantiam facit hoc modo: si dies est, lux est. Hic affirmatio sequitur affirmationem; at cum dico, si dies est, lux non est, repugnant inter se partes propositionis connexæ, interposita negatione. Item quoties negatio sequitur negationem, si posteriori propositionis parti negativum dematur adverbium, repugnantes fiunt hoc modo, si animal non est, homo non est ; hæc connexio est ex duabus proposita negativis. At si posteriori parti, id est homo non est, negativum detrahatur adverbium, fiet, si animal non est, homo est, quod repugnat ; at si affirmatio negationem sequatur, sive posteriori parti negatio jungatur, sive priori auferatur, repugnantes fiunt, hoc modo, si dies non est, nox est. Hic igitur affirmatio sequitur negationem. Sive igitur posteriori parti, id est, nox est, negatio copuletur, ut sit ita, si dies non est, nox non est, sive priori auferatur, ut sit ita, si dies est, nox non est, repugnantem fieri propositionem necesse est. Quod si negatio affirmationem sequatur, et posteriori parti negativum adverbium subtrahatur, propositionis connexæ partes in repugnantiam cadunt, hoc modo, si vigilat, non stertit. Hic affirmationem sequitur negatio, sed si posteriori parti, id est, non stertit, negatio dematur, fiet, si vigilat stertit, et erit repugnans ; sed in connexis atque disjunctis propositionibus illud intelligendum est, quod in earum partibus et vis quæstionis includitur et argumenti. Age enim dubitetur an lux sit, idque approbandum sit ex eo quod dies est. Si igitur ita fiat propositio, si dies est, lux est, ea quidem pars totius propositionis quæ sequitur, id est, lux est, quæstionis est. De ea namque quæritur an lux sit. Ea vero quæ prior est, id est, dies est, vim continet argumenti. Ex eo enim quod dies est, lux esse probabitur, et in cæteris quidem vel connexis, vel disjunctis eadem ratio est. In omnibus vero his quoniam syllogismus atque argumentatio ad demonstrandam partem alteram quæstionis accommodatur quæstio vero omnis dubitabilis est, oportet syllogismos qui accommodantur ambiguæ quæstioni indubitabiles esse atque perspicuos, qui ut tales sint, ex claris atque apertis et in veritate patentibus propositionibus necesse est constent ; propositiones vero partim per se notæ sunt, partim aliquibus probationibus indigebunt. Omnis vero syllogismus enuntiatione proposita habet alicujus partis assumptionem ut quod est in quæstione concludat, hoc modo : Si dies est, lux est. Ut igitur lucem esse demonstrem, assumam unam partem propositionis superius constitutæ, dicamque, sed dies est, ac tunc demum id quod est in quæstione concludam, lux est igitur, Ergo cum ad syllogismi conclusionem, et tota enuntiatione in proponendo, et in assumendo parte enuntiationis utamur, necesse est ut ea quibus utimur nil habeant dubitabile, siquidem ex his ea quæ sunt ambigua capient fidem. Quod si propositio aliquoties quidem per se nota est atque perspicua, aliquoties vero probationis indigens invenitur, assumptio quoque aliquoties per se vera esse notabitur aliquoties approbationis indiget adjumentis. Quo fit ut si et propositio et assumptio demonstrandæ sint, quinquepartitus (ut Cicero etiam in Rhetoricis auctor est) syllogismus fiat, constans ex propositione ejusque probatione, assumptione, ejusdemque probatione, et conclusione. Quod si neutra sit approbanda, tripartitus sit, ex propositione scilicet, assumptione et conclusione. Quod si altera earum demonstranda sit, fit quadripartitus, ex propositione scilicet, et assumptione, atque unius earum approbatione et conclusione. Conclusionis vero ipsius probatio præcedente propositione atque assumptione perficitur. Quæ cum ita sint, cumque omnis propositio hypothetica in connexionem disjunctionemque dividatur, in connexis propositionibus aliud dicimus præcedens, aliud consequens. Idem autem consequens et connexum vocamus, velut in hac propositione, si dies est, lux est. Dies est præcedit, annectitur lux est. In disjunctis autem non est eadem ratio, quia cum ea quæ proponuntur simul esse non possint, nullo modo dicuntur esse connexa. Præcedens autem et subsequens inde judicatur, quia

um ponitur, jure antecedens vocatur, quod jure subsequens dicitur. Ex his igitur prous, quæ connexæ sunt, fit primus et sepotheticorum syllogismorum modus. Addigatione propositioni connexæ et ex duabus nibus copulatæ, atque insuper denegata, edit modus. Ex disjunctis autem proposiverso modo assumptionibus factis, quartus .Utrisque vero per negationem compositis, eptimus. Atque hæ septem sunt hypothetiiones, quarum M. Tullius in Topicis merum omnium deinceps ordo atque exempla sunt. Primus igitur modus est, cum in conositione assumpto eo quod præcedit, vonstrare quod sequitur, itaque esse oporit in connexione prolatum. In quo si id nexum est ac sequitur, assumpserimus, nino fit syllogismus. Hujus exemplum tale s est, lucet ; si igitur lucere monstremus, us, necesse est diem esse, hoc modo, atqui consequitur ergo ex necessitate, lucere. icere assumamus, itaque dicamus, atqui necesse est diem esse, atque ideo nulla evenit conclusionis ; ubi vero nulla necese syllogismus quidem intelligi potest. Est mus modus in hanc formam : si dies est autem est, lucet igitur. Invenìuntur tabus æquo modo valet assumptio, sive , sive subsequens assumatur, ut in houe risibili. Si enim homo est, risibile homo est, risibile igitur est ; atqui t, homo igitur est. Sed in his hæc cauia homo atque risibile æqui sunt termini, irco uno posito alterum comitari necesse uia hoc in omnibus non est, idcirco dicesse universale, ut assumpto posteriore, cedebat probetur. Secundus vero modus s assumpto posteriore atque consequenti tecesserat aufertur, hoc modo, si dies est, si assumamus non lucere, contrario modo propositione prolatum est ; assumamus ditqui non lucet, in eo igitur sequitur non ; quod si diem negemus, id est quod an assumptione contrario modo atque posipropositione proferamus, non tollitur quod xum, ut si dicamus, atqui non est dies, sequitur, non lucere, potest enim non et tamen lucere. Est igitur secundi modi ujusmodi ; si dies est, lucet ; atqui non lucet, igitur dies. Primus igitur modus assumit ecessit, ut approbet quod connexum est ; st vero assumere quod connexum est, ut quod præcessit. Secundus autem assumit io quod sequitur, ut quod præcessit evertat ; st autem e contrario assumere quod præces quod connexum est auferatur. Tertius moum inter partes connexæ atque ex duabus onibus copulatæ propositionis negatio intereaque ipsa negatio denegatur, quæ proposi-

A tio ὑπεραποφαντική Græco sermone appellatur, ut in hac ipsa quam superius proposuimus, si dies est, lux est ; si inter hujus propositionis partes negatio interveniat, fiet hoc modo, si dies est, lux non est ; hanc si ulterius denegemus, erit ita, non si dies est, lux non est : cujus propositionis ista sententia est, quia si dies est, fieri non potest ut lux non sit. Quæ propositio superabnegativa appellatur, talesque sunt omnes in quibus negatio proponitur negationi, ut non est dies, et rursus, *Necnon Ausonii Troja gens missa coloni.* In hac igitur si priorem partem, id est diem esse, in assumptione ponamus, consequitur etiam lucem esse hoc modo, non si dies est, lux non est, atqui dies est, lux igitur est. Qui modus a superioribus plurimum distat, quod in eo modo

B qui sit ab antecedentibus, ponitur antecedens, ut id quod sequitur astruatur. In modo vero qui sit a consequentibus, perimitur consequens, ut id quod præcesserat, auferatur. In hoc vero neutrum est, nam neque antecedens ponitur, ut quod sequitur, confirmetur, nec interimitur subsequens, ut id quod præcesserat, evertatur ; sed ponitur antecedens, ut id quod sequitur, interimatur. Hic autem propositionis modus partes inter se suas continet repugnantes, adversum quippe est ac repugnat, si dies est, non esse lucem. Sed idcirco rata positio est, quia consequentium repugnantia facta per mediam negationem alia negatione destruitur, et ad vim affirmationis omnino revocatur. Nam quia consequens esse intelligitur, ac verum, si dies est, esse lucem,

C repugnat, ac falsum est, si dies est, non esse lucem, quæ denegata rursus vera est ita, non si dies est, lux non est, et si consimilis affirmationi, si dies est, lux est, quia facit affirmationem geminata negatio. Similiter vero fiunt ex repugnantibus propositionis partibus argumenta, vel si duabus negationibus, vel si negatione et affirmatione, vel si affirmatione et negatione jungatur. Quomodo vero fiant ex talibus connexis repugnantes, superius dictum est. Fit vero ex ea propositione quæ duabus jungitur negativis ex repugnantibus argumentum hoc modo : sit propositio, si non est lux, dies non est ; fiat repugnans ita, si non est lux, est dies ; huic jungamus negationem ut fiat vera ita, non si lux non est, dies est, atqui lux non est, dies igitur non est. Item fit ex negatione atque affirmatione propositio hæc : si dies non

D est, nox est ; huic additur ex posteriore parte negatio, et fit ita : si dies non est, nox non est ; fit repugnans, hæc nihilominus abnuatur ut sit vera, non si dies non est, nox non est, assumimusque, atqui dies non est concludimus, nox igitur est. Item ex eadem propositione, quæ ex negativa affirmativaque conjungitur et dicit : si dies non est, nox est, si a priori parte negatio subtrahatur, fiet repugnans, hoc modo : si dies est, nox est ; huic apponatur negatio, ut vera esse possit, hoc modo : non si dies est, nox est, assumamque, atqui dies est, concluditur, nox igitur non est. At si sit ex affirmatione et negatione propositio conjuncta, velut hæc :

si vigilat non stertit,demitur posteriori parti negatio,ut fiat ita : si vigilat stertit ; sed hæc repugnat. Tota rursus propositio denegatur, ut fiat vera hoc modo : non si vigilat stertit ; assumimus,atqui vigilat ; concludamus necesse est, non stertit igitur.Sed hæ quatuor ex repugnantibus conclusiones in tertio modo consistere intelliguntur,quarum quidem Tullius tres commemoravit,unamque præcepto docuit, eam quam propositio talis efficit,quæ duabus jungitur affirmativis ; duas vero exemplo, scilicet eam quæ ex tali propositione nascitur,quam duæ copulant negationes,et eam quæ ex propositione tali connexa procreatur,quæ ex affirmatione negationeque consistit.Reliquam vero præteriit,quod illarum similitudine etiam hæc in tertium conclusionis modum videbatur incidere. Quartus modus in disjunctione consistit,hoc modo : aut dies est, aut nox est ; sed dies est, nox igitur non est. Hujus hæc ratio est, quia disjunctiva enuntiatione proposita, prior pars ejus assumitur affirmando,ut subsequens auferatur; ex ea enim propositione quæ dicit,aut dies est,aut nox est, assumimus, atqui dies est, scilicet affirmantes esse diem, quam assumptionis affirmationem consequitur non esse noctem.Quintus modus est,cum in eadem disjunctiva propositione, id quod primum est,negando assumitur,ut id quod est posterius inferatur, hoc modo : aut dies est, aut nox est,atqui dies non est,per negationem scilicet facta est assumptio,consequitur esse noctem.Sextus vero modus ac septimus ex quarti et quinti modi disjunctiva propositione deducuntur,una negatione videlicet adjuncta, et disjunctiva propositione detracta, additaque conjunctiva his propositionibus quæ superius in disjunctione sunt positæ,hoc modo : non et dies est,et nox est. Dudum igitur in disjunctiva ita fuit, ut aut dies est, aut nox est. Ex hac igitur propositione sublata, aut conjunctione, quæ erat disjunctiva adjecimus, et quæ copulativa est, præposuimusque negationem. Itaque fecimus ex partibus disjunctivæ propositionis copulatis,addita negatione, propositionem sexti atque septimi modi, quæ est, non et dies est et nox est, in qua is assumatur esse diem, noctem non esse consequitur ita, atqui dies est,non est igitur nox.Septimus vero modus est,cum prima pars prorositionis negando assumitur, ut posterior subsequatur, hoc modo : non et dies est et nox est; atqui dies non est, nox igitur est.Atque hic modus propositionum in solis his inveniri potest, quorum alterum esse necesse est,ut diem vel noctem, ægritudinem vel salutem, et quidquid medium non habet. Quo autem modo omnium syllogismorum conditionalium veritas sese habeat,his diligentissime explicuimus libris quos de hypotheticis conscripsimus syllogismis.Nunc vero, non quod de his perfectior consideratio inveniri potest apposuimus, sed id quod ad explanandum M. Tullii sententiam poterat accommodari.Ut igitur cuncta quæ diximus breviter colligantur,primus modus est quoties in connexa propositione primum ut in propositione locatur,assumitur,ut consequatur secundum, hoc modo : si dies est,lux est, atqui dies est, lux igitur est. Secundus modus est quoties in connexa propositione secundum econtrario assumitur quam in propositione collocatum est,ut id quod primum est auferatur,hoc modo : si dies est,lux est, atqui non est lux,non est igitur dies. Tertius modus est cum connexæ propositionis partes ex affirmationibus junctæ,negatione dividuntur,totique propositioni negatio rursus adjungitur,assumiturque,quod prius est,sic ut in propositione est enuntiatum, ut econtrario concludatur secundum quod in propositione prolatum est, hoc modo : non si dies est, lux non est, atqui dies est, lux igitur est. Hic ergo posito quod præcedebat, id est esse diem, eversum est quod sequebatur,id est, non esse lucem ; negatione quippe affirmatio omnis evertit,vel cum connexæ propositionis ex negationibus junctæ, secundæ parti negatio detrahitur, totaque propositio denegatur,positaque priore propositionis parte, interimitur quod subsequebatur, hoc modo : non si lux non est, dies est, atqui lux non est, dies igitur non est ; vel si connexæ propositionis ex negatione atque affirmatione compositæ, secundæ parti negatio jungatur,eaque insuper denegetur,ponaturque quod prius est,ut id quod sequitur auferatur, hoc modo : non si dies non est, nox non est, atqui dies non est,nox igitur est ; vel si in eadem propositione, quæ ex negatione atque affirmatione copulata est, priori parti negatio subtrahatur, eaque denegetur,ponaturque quod primum est,ut id quod sequitur auferatur, hoc modo : non si dies est, nox est, atqui dies est, nox igitur non est ; vel si connexæ propositionis ex affirmatione et negatione copulatæ,posteriori parti denegatio dematur,totaque insuper denegetur,positoque priore, id quod sequitur interimatur, hoc modo : non si vigilat stertit,atqui vigilat, non stertit igitur. Atque hæc omnia in tertio modo esse intelliguntur, atque ex repugnantibus fiunt,et semper id quod antecedit,ponitur,ut id quod sequitur,auferatur.Nam non sicut non propositione conditionali quia negata repugnantia partium fit vera,prior pars ponitur, sive affirmative,sive negative,ita eam reddit assumptio. Sed ut prior pars fuerit assumpta,reliqua contraria enuntiatione concluditur.Nam si assumptio fuerit affirmativa,erit negativa conclusio.Si assumptio negativa, erit conclusio affirmativa.Quartus modus est cum in disjunctiva propositione primum ponitur,ut auferatur secundum, hoc modo : aut dies est, aut nox est ; atqui dies est, nox igitur non est.Quintus modus est quoties in disjunctiva propositione auferatur quod prius est, ut ponatur secundum,hoc modo : aut dies est,aut nox est, non est autem dies, nox igitur est. Sextus modus cum his rebus quæ in disjunctionem venire possunt,id est contrariis vel repugnantibus mediate carentibus, negatio præponitur, et copulativæ conjunctiones adjunguntur, poniturque quod primum est, ut id quod est subsequens auferatur, hoc

modo : non et dies est et nox est, dies autem est, nox igitur non est. Septimus modo est cum in eadem propositione aufertur id quod præcedit, ut ponatur id quod consequitur, hoc modo : non et dies est, et nox est : atqui dies non est, nox igitur est. His igitur ita prædictis ad Ciceronis verba veniamus.

Cum tripartito igitur distribuatur locus hic in consecutionem, antecessionem, repugnantiam, reperiendi argumenti locus est simplex, tractandi triplex: nam quid interest, cum hoc sumpseris, pecuniam numeratam mulieri deberi, cui sit argentum omne legatum, utrum hoc modo concludas argumentum : Si pecunia signata argentum est, legata est mulieri ; est autem pecunia signata argentum, legata igitur. An illo modo : Si numerata pecunia non est legata, non est numerata pecunia argentum; est autem numerata pecunia argentum, legata igitur est. An illo modo : Non et legatum argentum est, et non legata est numerata pecunia; legatum autem argentum est, legata igitur numerata pecunia est.

Eum locum qui ex antecedentibus, consequentibus et repugnantibus esset, unum recte videri, eumque in conditione esse positum, sed trina partitione distribui, superius explicatum est ; idque M. Tullius evidentius notat dicens, intellectum quidem ejus considerationemque in conditione positam unam esse, sed per argumentationis tractationem tripartito dividi. Cujus rei per primum ac secundum et tertium hypotheticorum syllogismorum modum, sicut paulo superius diximus, exempla subjecit. Quæ quoniam implicatiora videntur quam ut primo statim auditu comprehendantur, visum paulisper est apertioribus exemplis animum lectoris imbuere, ut in facilioribus primum exercitata intelligentia, sine magno negotio, quæ sunt difficiliora perpendat. Ab antecedentibus igitur argumentatio fit, quoties enuntiata propositionis conditione sumitur id quod antecedit, ut id quod sequitur inferatur, hoc modo : sit enim dubium an Tullius animal sit, concedaturque eumdem Ciceronem esse hominem, et sit rata propositio hæc : Tullius si homo est, animal est ; homo antecedit, animal sequitur; si igitur ex antecedenti velim facere argumentationem, assumam id quod præcedit, hoc modo : sed homo est Cicero, consequitur animal esse Ciceronem ; et est hic primus quem supra diximus modus. Rursus a consequenti argumentatio fit quoties in conditione proposita id quod consequitur tollit assumptio, ut id quod præcesserat interimatur, hoc modo : si homo est Cicero, animal est. Antecedit homo, sequitur animal. Si igitur ex consequenti facere argumentum velim, dicam, atqui non est animal, sequitur ne esse hominem quidem, sed id perspicue falsum est, esse enim hominem constat, falsum est igitur animal non esse. Tullius igitur animal est ; et hic dictorum superius secundus est modus. Quod si a repugnantibus fiat, in tertio scilicet modo digestarum superius conclusionum, faciemus ita : non si homo est Tullius, animal non est ; repugnat enim esse hominem et animal non esse : hic si assumamus esse hominem, animal quoque esse, A recta ratione concludimus, hoc modo : atqui homo est, animal igitur est, atque hic quidem modus ex ea propositione connexa conversus est, quæ ex duabus conjuncta est affirmativis. His igitur tribus modis Tullius qui homo esset, animal quoque monstratus est esse : nunc quidem dum id quod antecedit assumimus, id est esse hominem ; nunc vero dum id quod consequitur, in assumptione denegamus, id est non esse animal nunc autem repugnantiam denegantes eorum quæ sibi sunt consequentia, posito quod præcedebat, id quod sequebatur intulimus. Quibus ita præcognitis, nunc M. Tullii tractemus exempla. Cum enim dixisset loci in consecutione, antecessione et repugnantia positi, reperiendi quidem argumenti simplicem esse intellectum, tractandi autem triplicem, adjicit : Nam quid interest, cum B tibi sumpseris ad demonstrandum, pecuniam numeratam mulieri deberi, cui sit argentum omne legatum, utrum id ab antecedentibus, an a conquentibus, an a repugnantibus probes? Namque eadem sententia in conclusione colligitur, et argumentationum diversitas non in re, sed in antecedentium et consequentium et repugnantium tractatu est constituta. Primum igitur ponatur quod testamento aliquis omne suum argentum mulieri legaverit, quæraturque an numerata quoque pecunia mulieri legata sit, concedaturque numeratam etiam pecuniam argentum appellari, argumentum igitur in primo modo ex antecedentibus tali ratione contexitur : proponimus enim sic, si pecunia signata numerataque argentum est, eadem pecunia signata numerataque C legata mulieri est ; hic igitur præcedit numeratam atque signatam pecuniam argentum esse, sequitur legatam esse mulieri ; id igitur quod præcessit assumimus dicentes : at est signata ac numerata pecunia argentum ; concludimus numeratam signatamque pecuniam mulieri esse legatam, eritque totius argumentationis hic textus : Si pecunia signata numerataque argentum est, legata mulieri est ; at est pecunia signata numerataque argentum, igitur legata est mulieri. In quo si ad sæpius præmissa plurimisque exemplis superius exposita lectoris animus revertatur, hanc argumentationem in primo modo ab antecedentibus esse compositam non ignorabit ; a consequentibus vero hoc modo : Si numerata pecunia non est legata mulieri cui sit argentum omne legatum, nuD merata pecunia non est argentum. Hic igitur præcedit numeratam pecuniam non esse legatam, cum sit argentum omne legatum ; sequitur numeratam pecuniam argentum non esse. Si igitur id quod est posterius auferamus, id est numeratam pecuniam non esse argentum, dicemus : Atqui est numerata pecunia argentum, affirmatio namque tollit negationem. Sequitur igitur ut pars præcedens auferatur, ea quæ erat non esse legatam mulieri pecuniam numeratam, cum argentum ei fuisset omne legatum. Sed cum sit, omnis negatio affirmatione consumitur, dicimusque in conclusione : Est igitur numerata pecunia mulieri legata, cum ei sit argentum omne legatum ; eritque hujusmodi argumentatio : Si non est mulieri

legata pecunia numerata, cum ei sit argentum omne legatum, non est argentum numerata pecunia; atqui est argentum numerata pecunia, legata est igitur mulieri numerata pecunia, cum ei fuerit argentum omne legatum. Sed quod Tullius brevitatis causa præteriit, id est, illam partem propositionis quæ ait: Cum sit mulieri argentum omne legatum, nos apertioris intelligentiæ causa subjunximus; nec perturbare lectorem debet, quod cum in superioribus exemplis in secundo modo per negationem facta fuerit semper assumptio, et per negationem rursus illata conclusio, nunc per affirmationem et assumptio et conclusio facta est. Cujus rei evidentissima ratio est. Nam cum in superioribus exemplis prima propositio ex affirmationibus fuerit constituta, atque in secundo modo assumptio id quod sequebatur auferret, atque interimeret id quod præcedebat, necessarium erat duplicem affirmationem geminata negatione consumi, hoc modo: Si dies est, lux est, utræque ex affirmatione sunt constitutæ. Ut igitur posterior pars, id est lux est, quæ affirmatio est, interimatur, deneganda est. Dicam igitur: Atqui non est lux, quo fit ut præcedentem quoque partem, id est, dies est, quam affirmationem esse manifestum est, negatione tollamus, concludentes, dies igitur non est. At in hoc Ciceronis exemplo utraque pars primæ atque hypotheticæ propositionis negationibus enuntiata est, quæ in assumptione vel conclusione non ab aliis nisi ab affirmationibus auferuntur, hoc modo. Est enim tale Ciceronis exemplum: si legata non est mulieri numerata pecunia, non est numerata pecunia argentum, vides ut sit utraque negatio? Nam et non esse legatam mulieri pecuniam numeratam, et non esse numeratam pecuniam argentum, utræque in negatione sunt positæ; quod si auferenda est per assumptionem propositionis consequens pars, quoniam negatio est, non esse numeratam pecuniam argentum, dicendum est argentum esse pecuniam numeratam; quod si in conclusione auferenda est pars præcedens, ea quæ negatio est, id est, non esse legatam mulieri pecuniam numeratam, dicendum est: Legata igitur mulieri numerata pecunia est. Et secundus quidem modus rite a consequentibus factus hujusmodi est. Illud tamen est diligentius adnotandum, quod superius M. Tullius, cum locorum omnium breviter exempla disponeret, loci hujus, qui a consequentibus ducitur, inconveniens secundo conditionalium syllogismorum modo subjecit exemplum, potiusque primo convenit modo quia non a consequentibus conclusionem, sed ab antecedentibus facit. Ita quippe posuit a consequentibus, si mulier cum fuisset nupta cum eo quicum connubii jus concessum non esset, nuntium remisit, quoniam qui nati sunt patrem non sequuntur, pro liberis manere nihil oportet. Hic igitur cum quæratur an dotis pars apud virum debeat permanere, id quod præcedit assumitur, ut fiat rata conclusio hoc modo: Sed mulier cum eo nupta est quicum connubii jus non fuit, concluditur: Quoniam igitur qui nati sunt patrem non sequuntur, pro liberis manere nihil oportet, et ita non est a consequentibus argumentum, quia non id quod consequebatur assumptum est, sed id quod præcedebat. Erat quippe antecedens, nupta mulier præter connubii jus; sequebatur, cum filii patrem non sequebantur, pro eis nihil ex dote retineri. Sic igitur Tullius pro eo quod est a consequentibus argumentum, ab antecedentibus potius dedit exemplum. Potest vero ita fieri a consequentibus argumentum, si id de quo quæritur prius ponatur, et id quod assumendum; est posterius, hoc modo: Si quid ex dote pro liberis manere oportebit, quia patrem liberi sequuntur, cum eo nupta est mulier quicum connubii jus esset. Sumo igitur id quod consequitur per negationem, ita: Sed non est nupta mulier cum eo quicum connubii jus erat, atque ideo qui nati sunt, patrem non sequuntur. Perimitur ergo in conclusione id quod in propositione præcesserat. Ita pro liberis igitur manere nihil oportet. Sed de secundo modo ista sufficiant, nihil namque, ut arbitror, prætermissum est. Tertius modus a repugnantibus longe perspicuus hoc modo est: Non et legatum omne argentum est, et non est legata mulieri pecunia enumerata. Hic namque consequens erat: Si argentum esset omne legatum, pecuniam quoque numeratam fuisse legatam; ut igitur fieret repugnans, huic consequentiæ interposita negatio est, dictumque est, si argentum omne legatum esset, numeratam pecuniam non esse legatam; quod quia pugnat et falsum est, ad veritatem alia negatione sic reducitur: Non si legatum argentum est, non est legata numerata pecunia, ut scilicet ei affirmationi conveniat, quæ dicit, si legatum argentum est, legatam esse pecuniam numeratam. Assumimus igitur huic propositioni argentum omne esse legatum, et consequitur omnem numeratam pecuniam mulieri esse legatam, ut sit forma argumentationis hujusmodi: Non si legatum argentum est, non est legata numerata pecunia, atqui legatum argentum est, legata est igitur numerata pecunia. M. vero Tullius propositionem ita formavit: Non et legatum argentum est, et non est legata numerata pecunia. Sed nos idcirco casualem conjunctionem apposuimus eam quæ est *si*, ut ex quo esset genere talis propositio monstraremus. Namque id ex consequenti connexo negatione addita fit repugnans. Connexum vero nulla æque ut sit conjunctio posset ostendere, quanquam idem efficiat *et* copulativa conjunctio. Nam quæ connexa sunt, etiam conjuncta esse intelliguntur, ex hoc quod paulo ante diximus, quod argumentum ex ea propositione profectum est, quæ duabus affirmationibus copulabatur, et juncta negatione insuper denegata est. In omnibus igitur illud est approbatum, pecuniam numeratam mulieri deberi, cum sit argentum omne legatum. Sed nunc quidem ex supradictis propositionibus, id quod antecedebat, assumpsimus; nunc vero, id quod consequebatur; nunc autem, id quod repugnabat. Ac de explanandis Ciceronis exemplis, ut arbitror, satis est.

Illud autem dubitationem movere potest: nam si quis minus callidus ad Ciceronis exempla respiciat, eumdem locum arbitrabitur esse a genere, quem ab antecedentibus, et consequentibus,et repugnantibus esse diximus; illo falsus errore, quod in utrisque locis eodem Cicero utitur exemplo, argenti videlicet et numeratæ pecuniæ. Sed diligentius intuenti, in eisdem rebus diversus argumentationum videbitur esse tractatus. Aliud quippe est dicere,cum argenti species sit numerata; pecunia,si genus legatum sit,et speciem esse legatam,quoniam nunquam species a genere separatur, aliud est in conditione enumerationem proponere, et eisdem partibus assumptis argumentationem varia ratiocinatione formare, ut superius demonstratum est,cum præsertim hujusmodi ex consequentibus, antecedentibus et repugnantibus, argumentationes etiam præter genera ac species fieri possint, velut nos superius indicavimus in die atque luce. Nam neque dies lucis,neque lux diei species, aut genus est.Sed id tantum in his considerari debet,quia posito altero,alterum necessaria ratione subsequitur. Differunt igitur loci a genere vel a specie ab eo loco qui in conditione est constitutus, quoniam illi ex universalitatis speciei ac partis ratione ducuntur,hic autem in consequentiæ ac repugnantiæ ordine tractatur.Post hæc igitur Tullius hypotheticorum syllogismorum modos conclusionesque dinumerat hoc modo:

Appellant autem dialectici eam conclusionem argumenti,in qua cum primum assumpseris,consequitur id quod annexum est,primum conclusionis modum; cum id quod annexum est negaris, ut id quoque cui fuerit annexum negandum sit, secundus appellatur concludendi modus; cum autem aliqua conjuncta negaris,et his alia negatio rursus adjungitur, et ex his primum sumpseris,ut quod relinquitur tollendum sit,is tertius appellatur conclusionis modus. Ex hoc illa rhetorum ex contrariis conclusa,quæ ipsi enthymemata appellant,non quod omnis sententia proprio nomine enthymema non dicatur, sed ut Homerus propter excellentiam, commune poetarum nomen efficit apud Græcos suum, sic cum omnis sententia enthymema dicatur, quia videtur ea quæ ex contrariis conficiatur, acutissima,sola proprie nomen commune possedit. Ejus generis hæc sunt, hunc metuere, alterum in metu non ponere,eam quam nihil accusas, damnas. Bene quam meritam esse dicis, existimas male mereri. Id quod scis prodest,nihil id quod nescis,obest. Hoc disserendi genus attingit omnino vestras quoque in respondendo disputationes. Sed philosophorum magis, quibus cum oratoribus illa ex repugnantibus sententiis communis conclusio,quæ a dialecticis tertius modus, a rethoribus enthymema dicitur. Reliqui dialecticorum modi plures sunt, qui ex disjunctionibus constant, ut aut hoc, aut illud, hoc autem non, igitur illud. Itemque aut hoc, aut illud, non autem hoc, illud igitur. Quæ conclusiones idcirco ratæ sunt, quod in disjunctione plus uno verum esse non potest, atque ex his conclusionibus quas supra scripsi, prior quartus, posterior quintus,a dialecticis modus appellatur.Deinde addunt conjunctionem negativam,sic, non et hoc est et illud, hoc autem est,non igitur illud; hic modus est sextus. Septimus autem, non et hoc et illud, non autem hoc, illud igitur. Ex his modis conclusiones innumerabiles nascuntur, in quibus est tota fere dialectica. Sed ne hæ quidem quas exposui sunt ad hanc institutionem necessariæ.

Etsi multipliciter superius cuncta digessimus,nec expositionis indiget repetita toties disputatio, erit tamen operæ pretium,si quam breviesime potero M. Tullii verbis mediocris lucem commentationis interseram.Septem igitur modos hypotheticos enumerans ait, cum in connexis propositionibus id quod est primum assumitur, ut ostendatur secundum, primum a dialecticis modum vocari, hoc modo: Si hoc est,illud est; quod dicit hoc,primum est,quod vero ait illud,secundum.Assumatur ergo quod primum est,atqui hoc est; concluditur igitur id quod secundum est, illud igitur est, velut in his rursus exemplis: si homo est,animal est,assumitur,atqui homo est,concluditur,animal igitur est. Secundum vero modum ait esse Tullius connexis propositionibus textum, in quo si secundum negatur, sequitur ut id etiam quod primum est abnuatur hoc modo; si hoc est,illud est: illud autem non est,igitur ne hoc quidem est. In exemplis ita: si homo est, animal est; animal autem non est,homo igitur non est.Sed Tullius ita dixit,cum id quod annexum est negaris, ut id quoque cui fuerit annexum negandum sit,secundum esse modum, quasi connexa propositione affirmativis partibus juncta; universaliter autem rectius diceretur, cum id quod annexum est, id est secundum, perimitur, perimi illud quoque cui annexum est,id est primum,ut si affirmativum est id quod annexum est, negatione perimatur; sin vero negativum affirmatione; et de eo quoque cui annexum est,id est primum,idem est ut si in connexa propositione affirmetur, in conclusione denegetur, secundum nunc propositum Ciceronis exemplum; si vero negativa sit propositionis prior pars,in conclusione contraria affirmatione tollatur.Tertium vero modum ait esse Cicero cum ea quæ conjuncta sunt, denegantur,et his alia negatio rursus adjungitur,ut quia animal homini conjunctum est, ita dicamus: Non et homo et non animal est,atque ex his unum ponitur, ut quod relinquitur auferatur, hoc modo: Ponimus hominem esse,dicentes: Atqui homo est; quod ergo relinquitur, non est animal, aufertur, atque concluditur,animal igitur est,Fit argumentatio hoc modo: Non et homo est,et non animal,atqui homo est, animal igitur est. Ex his nasci dicit enthymemata ex contrariis conclusa,quibus plurimum rhetores uti solent; atque hæc enthymemata nuncupantur, non quod eodem nomine omnis inventio nuncupari non possit (enthymema namque est mentis conceptio,quod potest omnibus inventionibus convenire),sed quia hæc inventa,quæ breviter ex con-

trariis colliguntur, maxime acuta sunt, propter excellentiam speciemque inventionis commune enthymematis nomen proprium factum est, ut hæc a rhetoribus quasi proprio nomine enthymemata vocentur. Sicut apud Græcos quoque poeta Homerus tantum dicitur, et quisquis ex Homero aliquid profert, ita dicere consuevit : Hunc versum poeta locutus est, et tunc non alius intelligitur præter Homerum, non quod cæteri non sint poetæ, sed quod excellentia hujus commune nomen vertit in proprium. Fiunt vero hæc enthymemata hoc modo, ex contrariis videlicet texta, hunc metuere, alterum in metu non ponere, velut si de Lentulo et Cethego, cæterisque diceretur : Paucos cives interficere metuis, ne respublica intereat nihil laboras. Connexum quippe est ut quicunque noluit interire paucos cives, rempublicam multo magis nolit exstingui. Quibus cum interponitur negatio, fit ex repugnantibus argumentum. Sed hoc breviter Tullius enuntiavit, nos vero argumentum in syllogismum redigamus, a repugnantibus scilicet, ex quo enthymemata nasci solent, hoc modo: Sit connexum, si quis metuit cives paucos interfici, is metuit interire rempublicam, hic interponitur negatio sic : Si quis metuit cives paucos interfici, is non metuit interire rempublicam, jungitur alia negatio : Non si quis metuit paucos cives interfici, non metuit interire rempublicam. Quæ duæ negationes uni affirmationi partes sunt, quæ dicit : Si quis metuit hoc, metuit et illud, cujus quidem assumptio est, at metuit hoc, conclusio sequitur, metuit igitur et illud, quæ tantumdem valet, si negando interrogetur ita, hoc metuis, illud non metuis. Sed quia non totus (ut supra posuimus) in his argumentationibus ponitur syllogismus, sed propositio, cujus assumptio et conclusio notæ sunt, idcirco enthymema dicitur, quasi brevis animi conceptio. Et in cæteris exemplis idem modus est. Sed hæc quidem Ciceronis similitudo non tam ex repugnantibus quam ex contrariis argumentum intelligitur continere. Metuere quippe et non metuere contraria sunt, nisi hoc ipsa verborum prolatio a contrariis argumentum ad repugnantiam retrahat. Nam quod dicit hunc metuere, alterum in metu non ponere, tale est ut repugnantia videantur. Etenim metuere et non metuere contraria sunt. In metu autem non ponere, et metuere, prolatione ipsa tam contraria quam repugnantia intelliguntur, licet eadem probetur esse sententia. His adjecit alia rursus exempla : Eam quam nihil accusas, damnas. Hujus enthymematis talis est integer syllogismus : non si nihil accusas damnas, sed nihil accusas, non damnas igitur. Venit ergo hoc argumentum ex ea propositione connexa, quæ ex duabus componitur negativis, ita : si nihil accusas, non damnas ; posteriori vero parti detracta negatio est, et insuper tota est propositio denegata hoc modo, non si nihil accusas, damnas, et ex ea factum est argumentum, quod positum in interrogatione efficit enthymema, hoc modo : quam nihil accusas, damnas, bene quam meritam esse autumas, male mereri. Hujus quoque enthymematis talis est collectio : non et bene meritam esse autumas, et male mereri, atqui bene meritam esse autumas, non male igitur mereri. Quod enthymema ex ea propositione connexa perficitur, quæ constat ex affirmatione et negatione, ita : si bene meritam esse autumas, non male mereri. Cujus ex posteriore parte dempta negatione, totaque propositione denegata, fiet propositio : non si bene meritam esse autumas, male mereri ; quod in interrogationem deductum facit enthymema : bene quam meritam esse autumas, male mereri. Item id quod scis prodest, nihil id quod nescis, obest ; hoc quoque enthymema tali nectitur syllogismo : non id quod scis prodest, et id quod nescis non obest. At id quod scis prodest, obest igitur id quod nescis. Hoc argumentum ex ea propositione compositum est, quæ duabus affirmationibus juncta acceperit mediam negationem et insuper denegata est. Quod interrogatum fit enthymema hoc modo : id quod scis prodest, nihil id quod nescis obest. Omnium vero superius exemplorum ista sententia est. Nam quam quisquam nihil accusat, eam damnare recte non potest ; et eam quam bene meritam esse autumat, male mereri de ea turpe est ; et si id quod scit quisque in causa proderit, oberit, si est contrarium id quod nescit. Hunc vero locum communem esse oratoribus ac philosophis dicit, sed apud illos tertium modum, apud rhetores vero enthymema nuncupari. Reliqui, inquit, modi plures sunt, nam cum tres superius enumerasset modo adjungens quatuor, plures dixit. Hi sunt in disjunctionibus constituti hoc modo, aut hoc, aut illud, hoc autem, non igitur illud, qui est quartus modus a nobis quoque supra positus ita: aut dies est, aut nox est. Dies autem est, non igitur nox est, et semper, quod ait Cicero ; hoc ad præcedens spectat ; quod vero ait illud, ad consequens, sive in connexis propositionibus, sive disjunctis, item aut hoc, aut illud, non autem hoc, illud igitur. Hic quoque quintus modus est, velut in his exemplis, aut dies est, aut nox est, non autem dies, nox igitur est. Quarum conclusionum necessitatem ex eo dicit evenire, quia quæ in disjunctione posita, medium non videntur admittere, ut esse aliud præter eorum alterum possit, atque ideo uno sublato alterum esse, unoque posito alterum non esse concluditur. Quod si sit medium, quod præter alterutrum esse possit, nec vera propositio, nec rata est conclusio, velut in his, aut album est, aut nigrum, id falsum est. Esse enim præter ea rubrum potest. Sed si ponamus esse album vel auferamus, non necesse erit non esse vel esse nigrum, quia quod rubrum est, medium esse potest. Deinde, inquit Tullius, addunt conjunctionum negantiam, in disjunctivis scilicet propositionibus, hoc modo, non et hoc et illud, hoc autem, non igitur illud ; idem est, non et nox et dies est, nox autem est, non igitur dies est : hic igitur sextus modus esse prædictus est. Septimus autem est ex eadem veniens propositione, hoc modo : non et hoc et illud, non autem hoc, illud igitur, velut si ita dica-

mus, non et nox et dies est, nox non autem est, dies igitur est. Quæ propositiones nisi in disjunctis medioque carentibus rebus ratam conclusionem habere non poterunt. Age enim ita dicamus, non et album, et nigrum, ponamusque non esse album, non consequitur ut sit nigrum, potest enim esse quod medium est. Hujusmodi igitur per negationem conjunctionum (ut Tullius ait) propositio si ratas factura est conclusiones in disjunctis rebus, medioque carentibus accommodetur, alias non erit rata conclusio. Distat vero propositio tertii modi a propositione sexti et septimi, quod tertii modi propositio ex conjunctis nascitur. Hæc vero sexti et septimi ex disjunctis terminis existit, ut in superioribus patet exemplis. Ex his igitur, inquit, modis conclusiones innumerabiles nascuntur, unus enim quilibet eorum modus infinitis conclusionibus aptari potest, veluti primus ac secundus in omnibus quæ sibi connexa sunt, quorum nullus est numerus, si quis persequi velit; itemque repugnantium infinita est multitudo, in quibus tertius modus est utilis ; item plura disjuncta sunt in quibus quartus, et quintus, et sextus, et septimus plurimum valent. Atque in his, inquit, omnis fere est dialectica, sed ad topicos locos tres primi modi sunt necessarii, qui antecessionem, consecutionem et repugnantiam tenent. Reliqui vero complendæ disputationis magis gratia quam quod ad hanc institutionem necessarii fuerint videntur adjecti.

Proximus est locus rerum efficientium, quæ causæ appellantur, deinde rerum effectarum ab efficientibus causis ; harum exempla ut reliquorum locorum paulo ante posui, et quidem ex jure civili. Sed hæc patent latius : causarum enim genera duo sunt : unum quod vi sua id quod sub ea subjectum est, certe efficit, ut ignis accendit ; alterum quod naturam efficiendi non habet, sed sine quo effici non possit, ut si quis æs causam statuæ velit dicere, quod sine eo non possit effici. Hujus generis causarum sine quo non efficitur, alia sunt quieta nihil agentia, stolida quodammodo, ut locus, tempus, materia, ferramenta, et cætera generis ejusdem ; alia autem præcursionem quamdam adhibent ad efficiendum, et quædam afferunt per se adjumenta, etsi non necessaria, ut amori congressio causam attulerat, amor flagitio. Ex hoc genere causarum ex æternitate pendentium fatum a Stoicis nectitur, atque ut earum causarum sine quibus effici non potest, genera dividi, sic etiam efficientium dividi possunt. Sunt enim aliæ causæ quæ plane efficiant nulla re adjuvante, aliæ quæ adjuvari velint, ut sapientia efficit sapientes : an sola per se beatos efficiat, necne sola per se, quæstio est.

Post eum locum qui in conditione est constitutus, consequens erat is qui considerabatur ex causis ; post hunc is enumeratus locus est qui, in effectis causarum positus, argumenta præstabat. Quorum quidem superius M. Tullius exempla proposuit, nunc rationem latius tractat. Cum igitur Aristoteles quatuor posuerit causas, quibus unumquodque conficitur : primam, quæ movendi principium est ; secundam, ex qua fit aliquid, quam materiam vocat ; tertiam rationem ac speciem, qua unumquodque formatur ; quartam, finem propter quem quodlibet efficitur, at vero M. Tullius principalem causarum divisionem facit in ea quæ efficiant aliquid et in ea sine quibus effici nequeant, ut id quod efficit, ad eam causam referatur in qua motus principium constitutum est, id vero sine quo non fit aliquid, tum ad intellectum materiæ transferatur, vel eorum quæ conjuncta materiæ efficientis adjuvant facultatem, tum ad reliquas causas ducatur, ut paulo posterius apparebit. Ejus igitur causæ, quæ vi sua id quod subjectum est efficit, tale proponit exemplum, ut ignis accendit : nam accensionis ipsius causa ignis est, et id efficere potest, atque illud quod accenditur, movet atque permutat. Eam vero causam, sine qua id quod faciendum est fieri nequit, ab una ejus parte designat, veluti cum dicit æs causam esse statuæ, quod sine eo statua non possit existere : hoc enim, ut per faciendam divisionem clarescet, non ea ipsa est causa sine qua non efficitur, sed pars ejus esse monstrabitur. Eam vero causam sine qua id quod faciendum est, effici non potest, dividit hoc modo : alia enim sunt quieta, nihil agentia, sed stolida quodammodo, ac per se, nisi agendi extra motus accesserit, immobilia : horum exempla, ut locus, tempus, materia, instrumentum. Omne enim quod fit, locum necesse est habere subjectum, in quo nisi aliquid fiat, locus ipse immobilis est, ad aliquid explicandum. Itemque materia et instrumenta, nisi manu moveantur artificis, ipsa naturaliter nihil egerint. Tempus quoque operationi subjectum est, quæ si desit, nihil ipsum propriæ naturæ ratione perfecerit. Atque hæc quidem sunt quæ nihil agentia, tamen causæ sunt, si his efficiens operatio superveniet. Alia vero quæ in motu posita præcursionem quamdam ad efficientiam ac præparationem videntur afferre, velut amoris causa est congressio, quæ præcessit, et amor flagitii. Ex his, inquit, causis Stoica disputatio fatum connectit. Fatum enim dicunt esse præcedentium causarum subsequentiumque perplexionem quamdam et catenæ more continentiam, hoc modo : Idco profectus est peregre, quoniam parentum iracundiam ferre non poterat ; idcirco parentum iracundiam successione non ferebat, quia amicæ amore detinebatur, idcirco amabat, quod sæpe fuerat ante congressus; ideo congressus est, quia aliquid ut congrederetur præcessit. Itaque ordine præcedentium consequentiumque rerum fatum (ut dicit) a Stoicis nectitur. Item dividit eam causam quæ vi sua efficit aliquid in eam quæ ad efficiendum sibi sufficit, eamque quæ extrinsecus adminiculationis indigeat. Sufficit igitur sibi ad efficiendum causa, ut sapientia efficere sapientes per se nullo penitus adjuta solet. Sed hæc an sola beatos efficere possit, quæritur an ei sint extrinsecus addenda quæ juvent, vel fortunæ bona, vel corporis, itaque ea causa quæ vi sua efficit aliquid, aut talis est, ut ei nulla sint extrinsecus adjumenta

quærenda, veluti artifici instrumenta quædam, quibus id quod efficiendum est explicet atque conformet. Earum vero omnium quæ Tullius statuit in alterutra divisione causarum, illa quidem quæ vi sua explicant ea quorum causæ sunt, omnia tam per se ad efficiendum valentia, quam quæsiti extrinsecus juvaminis indigentia, in ea Aristotelicæ divisionis causa locabuntur, quæ est principium motus. Quanquam de sapientia tali causæ non convenit exemplum, sed potius ad rationem formamque contendit. Namque sapientia ratione quadam atque forma efficit sapientes. Ejus vero causæ quam Tullius refert, sine qua non fit aliquid, materia quidem, tempus et locus, id est, ex quo fit, vel in quo fit, quæ sunt efficienti substantia naturæ : ut uno intellectu comprehendantur, vel materia sunt, vel materiæ vice supposita; instrumenta vero ei causæ sunt quæ ad finem spectant, sed non ipsa finis, quia non finis instrumenta respicit, sed hæc finem. Instrumenta namque propter aliquem finem parantur. Sed mirum videri potest cur congressionem amoris causam non interea enumeravit, quæ habent efficiendi vim, sed inter eas posuerit causas, sine quibus effici non potest, cum tamen agat aliquid atque moveat. Nam ipsa congressio aliquid videtur efficere, similisque est ei causæ quæ ipsa quidem habet efficiendi vim, sed sine adminiculo non potest, veluti cum quæritur de sapientia an sola beatum possit efficere. Sed Merobaudes rethor ita disseruit, earum causarum, quæ efficiendi vim haberent, eam esse facultatem, ut etiamsi adjumentis extrinsecus indigeant, effectus tamen earum ad id spectet quod efficiendum est. At in his causis quæ sunt præcursoriæ, etiamsi eis antecedentibus aliquid existit, non tamen id quod existere intelligitur præcursio principaliter operatur. Sed ista quidem veluti sub quadam occasione præcurrit, illa vero res quæ existeret dicitur, aliis operantibus nascitur, velut in congressione solum [*an* solitum ?] est fieri. Fortasse enim non propter amorem quisque congreditur, sed præcedente congressione amor existit, quem non congressio principaliter appetebat. Itaque quoniam præter congressionem amor existere non potuit, recte inter eas causas congressio locata videtur sine quibus non efficitur ; quoniam vero non efficit vi sua, quandoquidem nec principaliter ut efficiat, spectat, sed tantum ea ante aliquid existit, recte inter præcursorias, ac non inter efficientes causas est collocata.

Quare cum in disputationem inciderit causa efficiens, aliquid necessario sine dubitatione licebit, quod efficitur ab ea causa concludere. Cum autem talis causa erit, ut in ea non sit efficiendi necessitas, necessaria conclusio non sequitur. Atque illud quidem genus causarum, quod habet vim efficiendi necessariam, errorem afferre non fere solet. Hoc autem sine quo non efficitur, sæpe conturbat. Non enim si sine parentibus filii esse non possunt, propterea causa fuit in parentibus gignendi necessaria ; hoc igitur sine quo non fit, ab eo in quo certe fit, diligenter est separandum. Illud enim est tanquam : Utinam ne in nemore Pelio cecidissent abiegnæ ad terram trabes ? nisi enim cecidissent abiegnæ ad terram trabes, Argo illa facta non esset, nec tamen fuit in his trabibus efficiendi vis necessaria. At cum in Ajacis navem crispisulcans igneum fulmen injectum est, inflammatur navis necessario.

Prima quidem causarum divisio, secundum Tullium, fuit in ea quæ efficerent aliquid, et ea sine quibus effici non posset, atque illud quidem quod efficeret, in gemina item partitus est, scilicet in id quod ad efficiendum aliquid necessariam vim possideret, neque ullius indigeret extrinsecus adjumenti, et in id quod nisi illis adjuvantibus operari atque efficere non posset. Ac primum de ea loquitur causa quæ efficiendi vim tenet, ejus enim ea pars cui efficiendi necessitas adest, statim secum conclusionem comitem trahit ; dicta enim causa, quæ necessario aliquid efficit, effectus etiam necesse est consequatur, veluti si solem adfuisse quis dixerit, lucem quoque adfuisse monstrabit, aut cum alicui adesse sapientiam dixerimus, sapientem necesse est fateamur. At in his causis efficientibus quæ extrapositis indigent adjumentis, non eadem ratio est ; neque enim ut quæque hujusmodi causa dicitur, ita necesse est affectum sequi. Non enim hujusmedi causa necessario efficit quod vult, nisi extrapositis auxiliis adjuvetur ; idem est etiam in ea causa quæ ipsa quidem efficiendi vim non habet, sed sine ea non provenit effectus. Nam, ut Tullius quoque commemorat, nullam in efficiendis rebus adhibet necessitatem, atque ideo dicta causa non statim sequitur effectus. Neque enim si congressus est, mox amavit, nec si fuit æs, statuam quoque fuisse necesse est, ex quo aliarum causarum partitio nascitur. Aliæ namque causæ sunt necessariæ, aliæ minime. Non necessariarum aliæ sunt efficientes, aliæ sine quibus non efficitur. Necessariarum vero causarum conclusio non solet conturbare : ut enim hæc causa fuerit dicta, statim in conclusione sequuntur effectus. Non necessariarum vero, quæ sunt partim efficientes, quod nunc tacuit, sed paulo ante prædixit, non habent subsequentem effectæ rei conclusionem. Neque enim si liberi sine parentibus non sunt, idcirco in parentibus efficiendi causa necessaria fuit, cum videamus in hominum esse potestate ne gignant. Ea vero causa quæ ipsa quidem non efficit, sed sine ipsa effici non potest, hujusmodi est quemadmodum Enniano versu declaratur. Nisi enim cecidissent abiegnæ trabes ad terram, Argo illa facta non esset. Ex trabibus namque Argo facta est, sed nulla inerat trabibus necessitas, ut ex eis fieret navis ; at vero ea causa quæ est efficiens, et quæ in se suam continet necessitatem, talis est. Quale cum in Ajacis navem igneum crispisulcans fulmen injectum est, statim enim accendi necesse est navim, quia ignis accendendi necessaria causa est, et sensus quidem est hujusmodi, ordo autem paulo confusior est, ait enim hoc modo : Atque illud quidem genus causarum, quod habet vim efficiendi necessariam, errorem afferre non fere solet ; hoc autem sine quo non efficitur, sæpe conturbat. Quod cum dixisset, cum-

que vel utriusque vel alterius exemplum ponere debuisset, neutro conveniens exemplum similitudine dedit. Namque num vel necessariam causam efficientem, vel eam sine qua non efficitur, proposuisset, ejus causæ posuit exemplum, quæ efficiat quidem aliquid, sed non sine extrapositis adjumentis, hoc modo : Non enim si sine parentibus filii esse non possunt, propterea causa fuit in parentibus gignendi necessaria. Parentes enim et maxime masculini sexus efficiens causa est, sed non sine femina, id est non sine materia quadam, et ea causa sine qua fieri non possit, cum ipsa vim efficiendi non habeat. Itaque nec causæ necessariæ et efficientis posuit exemplum, nec ejus sine qua fieri nihil possit, sed efficientis quidem, non tamen necessariæ, sed videtur tacuisse in propositione id cujus posuit exemplum; ita enim apertius dici potuisset : Atque illud quidem genus causarum, quod habet vim efficiendi necessariam, errorem afferre non fere solet ; hoc autem quod non habet efficiendi vim necessariam; vel hoc sine quo non efficitur, sæpe conturbat. Itaque sic intelligendum est, quasi ita sit dictum ; nam de necessaria causa nullum posuit exemplum. Quod vero subjecit, utrisque causis convenit posterius enumeratis, tam efficienti non necessariæ, quam ejus sine qua nihil efficitur. Parentes namque tam masculini sexus quam feminini esse dicuntur, quorum quidem masculini sexus ea causa est quæ efficiat, sed non necessaria. Feminini vero ea quæ non efficiat, sed sine qua effici non possit. Quæ cum ita sint, discernendæ sunt causæ et pervidenda necessitas, nec omnis causa præmittenda ut subsequatur effectus, sed ea tantum in qua est efficiendi necessitas, etiamsi extrinsecus adjumenta defuerint.

Atque etiam est causarum dissimilitudo, quod aliæ sunt ut sine ulla appetitione animi, sine voluntate, sine opinione, suum quasi opus efficient, velut omne intereat quod ortum est. Aliæ autem aut voluntate efficiunt, aut perturbatione animi, aut habitu, aut natura, aut arte, aut casu. Voluntate, ut tu cum hunc libellum legis. Perturbatione, ut si quis eventum horum temporum timeat. Habitu, ut qui facile et cito irascatur. Natura, ut vitium in dies crescat. Arte, ut bene pingat. Casu, ut prospere naviget. Nihil horum sine causa. Nec quidquam omnino, sed hujusmodi causæ non necessariæ.

Facit aliam rursus causarum divisionem ita: Causarum enim aliæ sunt quæ sua quadam vi, sine appetitione, sine voluntate, sine opinione, unum atque eumdem in efficiendis rebus ordinem tenent, ut est interire omnia quæ orta sunt. Nam quia ortum est, idcirco etiam necesse interire, nec tamen ipse ortus, ut cætera intereant, vel appetitu aliquo, vel voluntate, vel opinione efficit; sed ita est ab æterno rerum statu, ut quidquid ortum est, quia accepit esse, aliquando etiam esse desistat. Item aliæ sunt causæ quæ aut in voluntate, aut in perturbatione animi, aut in habitu, aut in natura, aut in arte casuve consistunt. Voluntate, ut si quærat aliquis cur Trebatius librum legat, respondebitur, quia legendi voluntas est. Perturbatione animi, ut si quis timore pallescat, aut urbem fugiat, bellis civilibus conturbatus. Habitu, ut si idcirco Trebatius facile de juris ratione responderit, quoniam multo usu constantem civilis scientiæ habitum tenet, vel si quis idcirco irascatur facile, quia ejus animus per iracundiæ habitum efferatus est. Natura, ut si quis idcirco dicatur irasci, quia naturaliter iracundus est, idque ei in dies vitium crescat. Arte, ut si idcirco bene quisque pingat, quia ejus artis peritus esse proponatur. Casu, ut quæ in nostra potestate nullo modo sunt, fiunt tamen, velut in certo præsertim tempore, prosperitas navigandi. Atque horum omnium nihil a causa vacuum est, nec quidquam est in rebus quod non aliqua causa perficiat. Omnia enim quæ fiunt habent aliquam rationem cur facta sint, quam si quis reddere possit, causam quoque reddiderit. Id est enim causa propter quam unumquodque fit. Omnes vero causæ quæ vel ex voluntate, vel perturbatione animi intelliguntur, ad eam causam pertinent, quæ est movendi principium, ut in Aristotelica diximus divisione. Hæc enim ut aliquid efficiatur, movendi principium sunt, at in arte, vel habitu, vel natura, illa causa est, quæ in ratione consistit. Species enim ac ratio uniuscujusque efficiendæ rei in arte et habitu et natura posita est. Casus vero exterior causa, nec inter principales annumeratur secundum Aristotelem. Secundum vero M. Tullium casus est latens effectæ rei causa ; quod quale sit paulo posterius designabitur.

Omnium autem causarum in aliis inest constantia, in aliis non inest. In natura et arte constantia est, in cæteris nulla. Sed tamen earum causarum quæ non sunt constantes, aliæ sunt perspicuæ, aliæ latent. Perspicuæ sunt quæ appetitionem animi judiciumque tangunt; latent quæ subjectæ sunt fortunæ. Cum enim nihil sine causa fiat, hoc ipsum fortunæ eventus obscura causa et latenter efficitur. Atque etiam ea quæ fiunt partim sunt ignorata, partim voluntaria: ignorata quæ necessitate fiunt, voluntaria quæ consilio; quæ autem fortuna, vel ignorata, vel voluntaria. Nam jacere telum voluntatis est; ferire quem volueris, fortunæ. Ex quo aries ille subjicitur in vestris actionibus, si telum manu fugit, magis quam jecit. Cadunt etiam in ignorationem atque imprudentiam perturbationes animi quanquam sunt voluntariæ, objurgatione enim et admonitione dejiciuntur; tamen habent tantos motus, ut ea quæ voluntaria sunt, aut necessaria interdum, aut certe ignorata videantur.

Rursus causarum divisionem aliam claram ac perspicuam prodit. Causarum namque aliæ sunt constantes, aliæ vero inconstantes. Constantes sunt, quarum non fere variatur effectus; inconstantes vero, quæ huc atque illuc facilioribus mutationibus transferuntur. Omnia igitur quæ ex natura atque arte descendunt, constantia sunt. Natura quippe atque ars suum semper opus efficiunt, nisi subjectæ materiæ obstet incertum. Nam quod unus idemque artifex ex eadem sæpe materia non admodum similes sta-

tuas format, non est hæc in arte varietas, sed tum in artificis manu, quæ integritatem artis assequi non potest, tum in ipsa materia, quæ efficientiæ atque formæ non æqualiter cedit. Idem est in natura, servat namque constantiam suam, cum hominem format ex homine. Itaque similia in cæteris ex similibus gignit : at cum monstrosum aliquid effertur, non naturæ vitio, sed materiæ potius applicatur, ex qua id quod efficere contendebat, non ita potuit natura explicare, sed inter constantes causas habitus quoque debuit adjungi ; nam quod habitu cujusque fit, id constans, nec mutabile esse solet ; quandoquidem idcirco habitus dicitur, quia diuturnitate habendi in naturæ similitudinem vertitur. Sed forsan Tullius vidit quod natura atque ars, non tam in effectibus constantes quam in propria ratione esse intelliguntur, intantum ut quod ars ac natura delinquit, materiæ sæpius imputetur, habitus vero ipse consuetudine quadam collectus est, qui non ratione aliquid et propria constantia, sed usu facit, atque idcirco forsitan habitum, qui inter cætera præter artem et naturam videbatur esse constantior, a causis constantibus segregavit. Ea vero quæ non sunt constantia, in ea dividit quæ sunt perspicua, et in ea quæ latent. Perspicua sunt quæ ab animi quolibet motu vel appetitione, vel judicii ratione profecta sunt ; latent vero quæ fortunæ subjacent. Nam quia non ignorat animus in quam partem declinet, qui tametsi boni aliquando habet judicium, nunquam tamen ejus rei quam efficit notionem relinquit, præter eos qui funditus mente capiuntur, et in quibus jam nulla voluntas est, necesse est nota esse, quæ ex voluntate vel animi judicio fiunt. Fortuna vero atque casus semper ignotus est. Cujus quidem natura æque incerta est, atque ea quæ casibus ipsis fiunt. Sed M. Tullius diffinit esse casum, eventum causis latentibus effectum; quæ non videtur integra diffinitio: quid enim, si adhuc lateret quibus causis solis defectus lunæve contingeret, num idcirco casu atque fortuna fierent, quæ constantibus cœli motibus administratur? An casus quidem putaretur ab his qui defectus rationem reperire non possent, per se autem consideratus, nullo quidem modo esset casus. Sed M. Tullius non quod videretur esse casus, his qui ejus naturam minime perspexissent, sed qui omnino fortunæ eventus esset diffinitionis rationem monstrabat. Eventum vero latentibus causis Cicero casum esse ita concludit : Cum omnia certis de causis fiant, quorum ratio cognoscitur, eorum eventus casu fieri non posse monstrantur, sed putantur aliqua fieri casu eorum quorum causa nulla ratione cognoscitur. Ex quo evenit ut fortunæ sit eventus, qui latentibus causis efficitur. Hic igitur in rebus quidem ipsis constantiam ponit, casum vero non re, sed opinione metitur. Quo fit ut si aliter effectæ rei noverit causam, id quod accidit fortunæ non sit eventus ; idem tamen sit alteri fortunæ eventus, si rationem alter ignoret. Quod vero omnium rerum causas esse dicit, non determinat quales, atque ideo nec de fortuna ipsa, quorum eventum causa sit, monstrat. Nec me sævæ hominum mentes arrogantiæ notent, quod velut affectata auctoritate Tullianis sententiis pugnem, cum adversus eas si quid videbitur non nostra, sed ab antiquissimis tractata compensem. Quod si nostra quoque diceremus, oporteret tamen eos non personarum vetustatem, sed eorum quæ opponuntur considerare rationem, nec odisse potius quæ adversus magni nominis viros dicuntur, quam contraria, si possent, argumentatione revincere. Nam si eis M. Tullius in diffinitione rerum nimium placet, quænam est invidia nos quoque Aristotelicam rationem probare ? Quod si intemperanter molestissimi esse pergunt, audiant M. Tullium secundo Tusculanarum disputationum libro adhortantem potius, atque ad certamen vocantem, hoc modo : Sed tamen tantum abest ut scribi contra nos nolimus, ut id etiam maxime optemus. Ipsa enim Græciæ philosophia nunquam in honore tantum fuisset, nisi doctissimorum contentionibus, dissensionibusque crevisset; quamobrem hortor omnes, qui facere id possunt, ut ejus quoque generis laudem jam languenti Græciæ eripiant, et transferant in hanc urbem, sicut reliquas omnes, quæ quidem erant expetendæ studio atque industria sua majores nostri transtulere. Et rursus, nos qui sequimur probabilia nec, ultra quam quod verisimile occurrit, progredi possumus, et refelli sine pertinacia et refellere sine iracundia parati sumus. Quocirca quæ malum ratio est ipsius M. Tullii voluntatem judiciumque convellere, cum ejusdem contra nos sententiis atque auctoritate nitantur. Sed si cui commentarios nostros inspicere vacuum fuerit, sciat hæc nos ex Aristotelis secundo Physicorum volumine advertisse, quæ tametsi altioris philosophiæ disputationes tangunt, non est tamen studiis invidendum, si rhetoricis quoque ac dialecticis disputationibus admisceamus, quæ sunt profundiora naturæ, neque pigrescere ac dilassari animos dignum est, quos intentiores ac vegetos ipsa rerum ambiguitas et variarum cognitio speculationum deberet efficere, cum præsertim ea librorum natura sit, ut ad legendum studiosos teneat, nullum cogat ignavum. Dicamus igitur quid eventus sit fortunæ, vel quarum sors causa esse dicatur. Omnia igitur fiunt vel immutabiliter ac semper, ut quod sol oritur; vel sæpius, ut quod equus quadrupes nascitur; vel raro, ut si equus cum quinque vel tribus pedibus procreetur; vel æque, ut in quibus faciendarum rerum nihil interest, quo potius voluntatem vergamus. Atque illud quidem quod semper fit, nihil habet oppositum, quod ullo modo aliter fiat ; id vero quod sæpe contingit habet adversum, id quod rarius evenit, neque enim sæpius fieret, ac non semper, nisi diversum raro quidem, sed aliquando contingeret. Quod igitur ex fortuna fit, in sempiternis non est ; quis enim casu solem dicat oriri? Ne in his quidem quæ frequentius fiunt; nullus enim casu equum dixerit esse quadrupedem. Nec vero in his quæ fieri æqualiter solent; nam quæ voluntaria sunt non videntur esse fortuita. Restat igi-

tur ut in his fortunæ eventus sit, quæ rarius fiunt. Eorum vero quæ fiunt, partim finem aliquem spectant, partim minime. Quis enim finis esse potest, si manum extendam, si genua complicem, atque aliquid jacens humi tollam, quod nullis usibus applicem? At vero ea quæ aliquem finem spectant partim voluntatis sunt, partim naturæ. Voluntatis, ut si quis idcirco domo egrediatur, ut videat amicum. Naturæ, ut quod est in animalibus. Omnia quæ ab ea fiunt certam animalis respiciunt utilitatem, atque ad ejus salutem conservationemque omnium membrorum momenta sunt constituta. Casum igitur ac fortuitos eventus in his esse ponimus, quæ cum rarius fiant, in his tamen per accidens eveniunt, quæ propter aliquid fiunt: velut si quis egressus domo ut amicum videret, præteriens cadente desuper lapide ictus est: id igitur quod evenit, in rariore causa ponendum est, accessit vero ei voluntati, quæ certum respiciebat finem. Ea vero fuit domo egrediendi causa, ut amicum videret. Rursus, quoniam lapsis naturaliter gravis est, gravitas vero terram petit, casus quidem lapidis propter aliquid naturaliter factus est; ad id enim lapidis natura tendebat, ut in suum locum pondus veniens conquiesceret. Sed huic naturali intentioni accidit id quod rarius evenit scilicet ut percuteret caput; quo fit ut sit secundum Aristotelem fortuna vel casus, causa per accidens rarius evenientum in his rebus quæ propter aliquid fiunt. Quæ cum ita sint, cumque diffinitio Aristotelica a Tulliana plurimum discrepet, illud tamen in utrisque constat, id quod fortunæ subjectum est, incertis casibus semper esse suppositum. Nam licet in his rebus sæpe fortuna suos experiatur actus, quæ voluntate sunt, et ad aliquem finem referuntur, extra tamen accidit quod fortunæ est, nec ab eo fine venit, quem sibi animus ante perspexerat. Sed cum Cicero divisisset causas in eas quæ perspicuæ sunt, et in eas quæ laterent, cumque eas quæ perspicuæ sint diceret esse quæ appetitionem animi judiciumque tangerent, manifestum est eum vel artem, vel voluntatem, vel perturbationem, vel habitum in his causis ponere quæ perspicuæ sunt; voluntas quippe atque animi perturbatio in appetitione ponitur, sæpe enim ex perturbatione aliquid appetimus, artem vero vel habitum in judicio; arte namque judicamus, habitus vero ad utrumque pertinet: nam et voluntates consuetudo ministrat, et multo usu peritiaque fit quædam constantia judicandi. Casum in non perspicuis posuit. De natura incertum est utrum inter perspicuas an inter latentes ipsam collocet: nam si inter latentes causas, ipsam naturam casum videretur putare: cujus opinionis nulla ratio est. Quod si inter perspicuas, quænam appetitio animi vel judicium in natura est? Neque enim appetendo aliquid vel judicando facit natura, nisi forte quoniam ex ipsa sæpe habilitas quædam mentis et corporis existit, quæ habilitas ad unamquamque rem adjuvat voluntatem; id enim maxime volumus ad quod habiles sumus. Sed natura inter perspicuas causas ponitur, quæ judicio quoque conjuncta est, ut si naturaliter sano quisque judicio compositus est: appetitioni etiam, ut si naturaliter aliquid animus petat. His adjungit aliam causarum divisionem; ait enim alias causas esse voluntarias, alias ignoratas: voluntarias, eas quæcunque ex judicio veniunt animi; ignoratas in quibus necessitas domina est, id est in quibus aut omnino non volumus, aut ne si velimus quidem aliter facere possumus, ut in natura atque casu. Necessitate enim quadam naturæ gravia deorsum feruntur, necessitate item factum dicimus, ut aliquis ignorans jacto trans parietem lapide prætereuntem hominem peremerit. Eaque necessitas talis est, non quod aliter fieri non potuisset, nisi ut lapide jacto percuteret, sed quia voluntas defuit, et non idcirco, quia voluit, fecit. Prior vero necessitas jam talis est, in qua nulla voluntas est, vel ea quæ est, ne id quod cupit efficiat, validiore necessitate constringitur. Nam cum lapsis deorsum propria gravitate deponitur, nulla voluntas est, sed tantum naturæ necessitas; at si homo deorsum cadat, est quidem non cadendi voluntas, sed ferri quo non vult, validior naturæ causa compellit. Voluntatem vero a fortuitis eventibus uno eodemque aptissimo secrevit exemplo, veluti si telum manu jaciat, nolensque feriat prætereuntem. Nam jecisse ex voluntatis principio nascitur. Idcirco enim jecit, quia voluit. Ignoravit vero quod percuteret; neque enim jecisset, si se percussurum prævidere potuisset. Neque jecit, quia voluit percutere. Si autem non ignorasset, non percutere potuisset. Unde etiam machinamentum quoddam atque defensio in juris peritorum responsionibus invenitur, hoc modo: Si telum manu fugit magis quam jecit; nam si quis cædis accusetur, optima solet esse defensio, si alia non suppetit, fugisse manu telum, magis quam voluerit jecisse, ut non voluntati, quæ condemnatur in culpis, sed ignorantiæ factum tribuatur. De perturbationibus autem animorum paulo confusius judicium est. Dubitari enim potest utrum ex voluntate, an necessitate, an ex ignoratione venerit, quod perturbatione peccatur: videntur enim voluntaria esse peccata, quoniam qui perturbatus est appetit aliquid, aut fugit. Sed in hoc perturbatio ejus apparet, quod non fugienda vitat, et non appetenda nimis exoptat. Porro autem quoniam in perturbationibus sunt confusa judicia (neque enim aliter id quod fugiendum est sæpe appetunt perturbati, nisi obcæcato obscuratoque judicio), quod vero fit animi confusione, sæpe tale est ut nollet admisisse qui fecit, et evenit ut non inter voluntarias, sed inter ignoratas vel necessarias causas animorum perturbatio sit; intantum vero qui perturbatus est, a vera discretione discedit, ut in eam possit recta bene consulentium admonitione reduci. Quo fit ut animorum perturbatio jure a causis voluntariis segregetur, et aut in ignoratione, aut in necessitate ponatur. Nam quod ait: Tamen habent tantos motus, ut ea quæ voluntaria sunt, aut necessaria interdum, aut certe ignorata videantur, ita intelligendum est: quoniam

omnis animi passio judicium conturbat, confundit vero rectam discretionem, si acrior fuerit quam ut rationis retinaculis temperetur, et fit quædam ex perturbationibus velutiviolentanecessitas,ut dubium sit utrum is qui aliquid perturbatus animo facit, ignorans faciat ; veluti cum casu ignorans delinquit, cum futurum non providet casum, an sciens faciat, vel necessitate ducatur. Quod igitur dixit: Aut necessaria esse, aut ignorata, et divisit a necessariis ignorata, non pugnat contra id quod superius dixit, ea quæ ignorata sunt esse necessaria. Nam id quod est ignoratum ita quodammodo dividit: ignoratorum alia quadam necessitate fiunt, dum aut nulla voluntas est, aut ea quæ est, necessitati nequit obsistere ; alia casu,cum in his faciendis, quæ ignorantur,nulla voluntas est:Quod igitur dixit,perturbationes animi, A aut in necessariis causis poni, aut in ignoratis, id sinedubio sensisse intelligitur,perturbationes animi, aut in his esse ignoratis in quibus ea necessitas est, ut voluntas obsistere non possit,aut in his in quibus nulla voluntas est, sed sit delictum cæcitate judicii, velut in his qui immoderatius amoris cupiditati deserviunt : autenim confuso judicio ab honestate discedunt, et dum quasi bonum appetunt, in malum decidunt ignorantes,atque ita in casu quodam atque errore ponitur amor immodicus ; aut novit quidem quod appetit esse vitandum, sed majoris actu cupiditatis impellitur,atque ita inter ea necessaria ponitur, quæ aut non habent voluntatem, aut eam ita infirmam ac debilem, ut nullo modo validioribus passionibus obnitatur.

LIBER SEXTUS.

Fore quosdam, Patrici rhetorum peritissime, non dubitaverim,qui hunc in Topicis altiorem ex philosophia tractatum varia obtrectatione reprehendant, quia inter logicam disputationem physicam interposuit. Hi vero sunt, vel quibus hoc totum philosophari displiceat, vel qui in argumentorum locis naturales admiscori causas oportuisse non existiment. Sed contra priores quidem, et a M. Tullio, et ab ipsa quodammodo humana ratione, quæ in motu posita aliquid semper inquirit,atque amore scientiæ neque decipi patitur, neque ullo modo a veritatis ratione traduci, sæpe multumque responsum est. His vero qui sequestrandas ab oratorio facultate philosophiæ disciplinas putant,respondendum breviter existimo. Ratione quidem reperiri quiddam potest,sed melius atque facilius artifex faciet,si in opere construendo artis facultatem atque elegantiam comparet. In argumentis quoque idem esse manifestum est, vi namque naturalis ingenii argumenta promuntur. Sed ars facultatem imitata naturæ viam quamdam rationemque reperit,qua id effici facilius ac melius possit. In qua re illorum necesse est reprehendatur error, qui rhetoricam facultatem naturalem esse dixerunt,quoniam quilibet totius artis alienus et intendere in alterum crimen, et sese purgare solet, et argumento aliquid probare contendit. Reprehendendi etiam sunt qui eamdem facultatem in sola arte positam esse dixerunt : oportuit enim eos animadvertere, omnem quidem artem sui materiam effectus ex natura suscipere,sed in ea tamen ratione propriam facultatem elegantiamque experiri. Hæc itaque quæ artium ratio perficit, ab imperitis etiam fieri, utcunque contigerit, possunt. Bene autem ac facile nemo efficit, nisi artis ratione fuerit instructus. Cum igitur totius operis hæc sit intentio, ut argumenta quæ confusa et veluti clausa natura suppeditat, artificialiter vestigentur, quid sit per quod efficere id quod promittit ars valeat,sub exempli notatione demonstrat : ut enim facilius argumenta reperiantur,illa res efficiet, B si demonstrentur loci in quibus argumenta sunt collocata. Etenim ut si quis aliquid quærat, facilius id investigare possit atque invenire, si locus ei monstretur ubi sit positum id quod inquirit ; ita etiam cum quis argumentum invenire conatur, si ei locus ubi argumentum sit positum, declaretur,facilius argumentum quod quærit valebit invenire. Ita enim Aristoteles, et ita Tullius appellat eas sedes in quibus argumenta sunt collocata, id est locos, qui ab Aristotele topica vocati sunt. Sed quoniam de sedibus argumentorum loquimur,hi cujusmodi sint paulo altius expediamus ; locus enim non uno modo intelligitur. Ac relinquamus quidem eos locos quos Victorinus frustra atque inconvenienter interserit, velut eos qui corpora concludunt,ac simpliciter intelligamus eos locos argumentorum esse qui intra se continent argumenta inquibus exponendis posterius quid sit quod dicimus clarius apparebit. Nunc communiter de tota locorum ratione, deque argumentatione, ac de quæstionibus et propositionibus earumque terminis videtur esse tractandum. Ac primum quoniam locus qui tractatur in Topicis, non cujuslibet rei,sed tantum locus est argumenti, expositu prius argumenti intellectu, deinceps de loci ratione tractabimus. Diffinit igitur Tullius argumentum hoc modo: Argumentum est ratio quæ rei dubiæ faciat fidem. Sumpsit igitur rationem ut genus. Omnes enim injuriosi sunt qui orationis virtutem a sapientiæ ratione sejungunt, aliamque esse dicendi artem velint, aliam intelligendi. Nam si nihil orationes aliud agimus, nisi interius cogitata vulgamus, quæ malum ratio est, orationis elegantiam a sententiarum gravitate seponere ? Quæ porro sententiarum gravitas esse potest,sine earum rerum de quibus dicendum est comprehensione ? Quæ vero alia disciplina naturam proprietatemque rerum omnium docet, vel quæ omnino eorum quæ intelligi possunt, scientiam profitetur,nisi hæc tantum ex qua nos pauca præsumpsimus philosophia ? quæ longe aliter de his ipsis in

proprio sapientium tractatu disputare solet. Neque ita cursim ut nos, quæ si ut in illorum libris solet, prolixius disserenda sumpsissem, quis ferret insolentium hominum temeritatem provectus suos culpare volentium quibus provectibus proficerent, si studiosi potius quam querili esse mallent? Sed his contentionibus neque antiqua caruit ætas, nec nos ita delicati sumus, ut quibus patientia doctissimorum hominum sæpius obstitit, fere nolimus, dum et pluribus prodesse possumus, et sapientium judicia consequamur. Ad quem finem hic noster labor et totius operis summa contendit. Sed hæc hactenus. Nunc susceptæ expositionis ordinem persequamur.

Toto igitur loco causarum explicato, ex earum differentia in magnis quidem causis vel oratorum vel philosophorum magna argumentorum suppetit copia, in B *vestris autem si non uberior, at fortasse subtilior; privata enim judicia maximarum quidem rerum in jurisconsultorum mihi videntur esse prudentia. Nam et adsunt multum, et adhibentur in consilia, et patronis diligentibus ad eorum prudentiam confugientibus hastas ministrant. In omnibus igitur judiciis in quibus ex fide bona est additum, primus causarum usus est, ut inter bonos bene agi oportet. In primisque in arbitrio rei uxoriæ, in quo est quid melius, æquius parati esse debent. Illi dolum malum, illi fidem bonam, illi æquum bonum, illi quid socium socio. Quid eum qui negotia aliena curasset, ei cujus ea negotia fuissent. Quid eum qui mandasset, eumve cui mandatum esset, alterum alteri præstare oporteret. Quid virum uxori, quid uxorem viro tradiderunt. Licebit igitur, diligenter cognitis argumentorum locis, non modo oratoribus et philosophis,* C *sed juris etiam peritis copiose de consultationibus suis disputare.*

Diviso causarum loco atque ordine suis partibus distributo, de loci ejusdem facultate, quibusque uberius, quibusque angustius accommodetur, uti sæpe Ciceroni mos est, disserit. Primum enim, inquit, oratoribus ac philosophis, quorum in disputationibus larga materia est, multa ex causarum loco argumentorum suppetit copia. Communis quippe oratoribus ac philosophis hic locus esse prospicitur qui est a causis, his naturas rerum quod est philosophiæ proprium, illis quod oratoriæ facultatis est, facta probantibus. Nam et cum res quælibet quæritur, ejus causæ a philosophis vestigari solent. Quibus præmissis, ut superius dictum est, comitatur statim D quod concludendum est, et oratores ad suspicionem movendam detergendamve factorum causas requirunt. Hoc quippe stabile in hominum mentibus manet, quod neque factum, neque res ulla præter illam omnium principem naturam, sine propriis causis possit existere. Quo fit ut uberrimus causarum usus sit in rhetorum orationibus, philosophorumque tractatu. Sed ut hunc libellum M. Tullius scribens, pleraque omnia Trebatio dedisse videatur, hunc locum juris quoque consultis attributum esse demonstrat, dicens: Etsi non tam uberes opportunitates habeat hic locus in jurisperitorum responsionibus subtilius A certe atque acutius pro ipsius artis natura tractari potest; scilicet ubertatem quæ decrat, subtilitate quæ poterat inesse compensans. Habent enim etiam ipsi proprium campum in quo eorum virtus possit enitere. Est enim jurisconsultorum prudentiæ privatarum quæstio causarum, maximeque in illis negotiis; hic causarum locus examinabitur, in quibus bonæ fidei judicia nectuntur. In his enim qui fuerit animus contrahentium quæri solet, qui deprehendi vix poterit, nisi præcedentibus causis intelligatur. In his igitur judiciis in quibus additur ut ex bona fide judicent, id est ubi ita judices dantur, ut non strictas inter litigantes stipulationes, sed bonam fidem quærant, pluribus causarum usus est: additur ut inter bonos bene agi oportet, considerantur mores, inquiruntur consilia; statuitur quibus, quidque de causis administratum sit. In primisque in judicio uxoriæ rei uberrimus causarum tractatus est. Est autem judicium uxoriæ rei, quoties post divortium de dote contentio est. Dos enim licet matrimonio constante in bonis viri sit, est tamen in uxoris jure, et post divortium velut res uxoria poti potest. Quæ quidem dos interdum his conditionibus dari solebat, ut si inter virum uxoremque divortium contigisset, quod melius æquius esset, apud virum remaneret, reliquum dotis restitueretur uxori, id est ut quod ex dote judicatum fuisset melius æquius esse ut apud virum maneret, id vir sibi retineret; quod vero non esset melius æquius apud virum manere, id uxor post divortium reciperet. In quo judicio non tantum boni natura spectari solet, verum etiam comparatio bonorum fit, ut non tam quod æquum, sed melius æquiusque est id sequendum sit. Quæ omnia ex præcedentibus causis investigari solent. Nam si viri culpa divortium factum est, æquius melius est nihil apud virum manere. Si mulieris est culpa, æquius melius est sextans retineri. In hisque omnibus peritissimi jurisconsulti esse debent; quo fit ut Trebatium quoque hortetur ad studium. Multa enim esse dicit, quæ eorum operam exspectant. Illi enim, inquit, dolum malum, illi bonam fidem, illi æquum et bonum, illi etiam quid socius socio præstare debeat, quid is qui alienum in se gerendum sponte negotium suscepisset, ei cujus id negotium fuerat, quid is qui mandaverit ei cui mandaverit suorum negotiorum actiones, quid vir uxori, quid uxor viro tradiderit; quæ omnia ad posteriora causæ sunt, atque exinde judicia sumuntur. Idcirco enim, verbi gratia, quodlibet illud judex pronuntiare debet in uxoris ac viri causa, quia virum hoc præstare oportet uxori; idcirco etiam mandato rei cui mandaverit, obligatus esse judicando est, quia inter mandatorem susceptoremque negotii illud est observandum, omnia quoque quæ quisque alteri præstare debet, ea in tractandis judicandisque negotiis causæ sunt. Quocirca recte conclusit, diligenter cognitis argumentorum locis, et oratoribus, et philosophis, et jurisconsultis argumentorum copiam non defuturam.

Conjunctus huic causarum loco ille locus est qui ef-

ficitur ex causis:ut enim causa quid sit effectum indicat,sic quod effectum est,quæ fuerit causa demonstrat. Hic locus suppeditare solet oratoribus et poetis, sæpe etiam philosophis, sed his qui ornate et copiose loqui possunt, mirabilem copiam dicendi, cum denuntiant quid ex quaque re sit futurum.Causarum enim cognitio cognitionem eventorum facit.

Omnia quæ ad se referuntur recte dicuntur esse conjuncta ; ipsa enim relatio rerum efficit conjunctionem;quod si causa alicujus causa est,non alterius,nisi sui effectus est causa,itemque si est aliquis effectus, ex causarum principiis venit ; jure igitur ab effectis locus, causarum loco debet esse conjunctus. Quoniam vero semper quæ ad se referuntur æquantur, necesse est, quæ ubertas sit causarum, eadem quoque sit effectorum.Quoniam enim causa præter effectum esse non potest, cum sit causa super effectum,necesse est ut ex eventibus quoque atque effectibus,plurima suppetant argumenta,siquidem ex causis etiam plurima contrahuntur. Nam sicut cujuslibet effectus potest causa tractari, si ex qualibet causa potest, qui sit eventus ostendi,recteque, ait,causarum cognitio eventuum cognitionem facit ;ut enim in prædicamentis ostenditur,sciri relativum aliquod non potest, præter reliqui scientiam relativi.

Reliquus est comparationis locus, cujus genus et exemplum supra positum est,ut cæterorum, nunc explicanda tractatio est.Comparantur igitur ea omnia quæ aut majora, aut minora, aut paria dicuntur : in quibus spectantur hæc, numerus, species, vis, quædam etiam ad res aliquas affectio. Numero sic comparabuntur,ut plura bona paucioribus bonis anteponantur, pauciora mala,malis pluribus ; diuturniora bona brevioribus, longe et late pervagata angustis, ex quibus plura bona propagentur, quæque plures imitentur et faciant. Specie autem comparantur, ut anteponantur, quæ propter se expetenda sunt,his quæ propter aliud, et ut innata atque insita assumptis et adventitiis,integra contaminatis, jocunda minus jocundis, honesta ipsis etiam utilibus,proclivia laboriosis, necessaria non necessariis,sua alienis,rara vulgaribus, desiderabilia his quibus facile carere possis,perfecta inchoatis, tota partibus ratione vigentia rationis expertibus voluntaria necessariis,animata inanimatis,naturalia non naturalibus,artificiosa non artificiosis. Vis autem in comparatione sic cernitur:Efficiens causa gravior quam non efficiens ;quæ se ipsis contenta sunt,meliora quam quæ egent aliis:quæ in nostra,quamquæ in aliorum potestate sunt ; stabilia incertis ; quæ eripi non possunt,his quæ possunt. Affectio autem ad res aliquas est hujusmodi: Principium commoda majora quam reliquorum itemque quæ jocundiora, quæ pluribus probata, quæ ab optimo quoque laudata.Atque ut hæc in comparatione meliora sunt,sic deteriora quæ his sunt contraria. Parum autem comparatio nec elationem habet,nec submissionem; est enim æqualis. Multa autem sunt quæ æqualitate ipsa comparentur, quæ ita fere concluduntur : Si consilio juvare cives et auxilio, æqua in laude ponendum est,pari gloria debent esse hi qui consulunt et hi qui defendunt ; at quod primum est, quod sequitur igitur.

Omnis comparatio duplex est : aut enim æqualia sibimet comparantur,aut inæqualia;sed in his quæ sunt æqualia,semper eadem esse notatur æqualitas. Inæqualia autem in gemina veluti membra dividuntur, minoris scilicet atque majoris.Nam quod minus est,non per se minus est, sed comparatione majoris. Itemque quod majus est, minoris comparatione dicitur majus. Quæ cum ita sint, dividit atque ante oculos ponit omnium comparationum modos, et quod raro in superioribus locis fecit, ipsas maximas propositiones ponit in comparationibus constitutas, ut si quando loco sit nobis comparationis utendum, habeamus quoddam, velut inventionis exemplar, ad quod quærentem animum possimus advertere. Omnis igitur comparatio, aut in numero constat, aut in specie, aut in vi, aut aliqua locata extrinsecus affectione.Nam quodcunque conferre contendimus, aut numero comparamus, et secundum id aliud majus, aliud minus esse decernimus;aut speciem ipsam intuentes, eamque alii comparantes de excellentia judicium damus;aut aliud consideramus, quid res quæque possit efficere, et in quantum ejus progredi possit natura,aut ex aliorum quodammodo continentia, et ex circumstantium affectione rem quam alii conferimus intuemur.Numero igitur quæ comparantur,si ex eodem sint genere,plura paucioribus anteponuntur, velut si bona omnia sit æqualia,jure quisquam plura bona paucioribus anteponit. Et est hæc maxima propositio:Plura bona paucioribus anteponuntur,et in cæteris quoque eadem ratio perspicitur maximarum propositionum. At si omnia in contrario sint genere,pluralitati paucitas præferenda est, ut pauca mala pluribus malis,mala vero ipsa bonis nullo modo conferuntur. Quæ enim ullo modo compensantur, in eodem esse genere debent, non in contrario. Nam cum adversum se contraria e regione locata sunt, conferri comparariique non possunt, quod sibi intelligitur esse inimica. Est etiam secundum numerum comparatio in temporis quoque ratione. Nam cum tempus certis quibusdam spatiis, dividatur, velut horæ, diei, mensis atque anni, ex æqualibus bonis ea magis eligenda sunt, quæ diuturnius perseverant, quod in numero positum esse nullus ignorat.Ipsa enim diuturnitas plurimos esse vel dies, vel menses, vel annos fatetur, quibus duret id quod eligitur. Longe etiam pervagata bona,angustis et in unum minimum locum coarctatis numeri comparatione præcedunt.Nam quæ longe lateque pervagata sunt, ea in plurimas gentes regionesque diffusa sunt;pluralitas vero cujuslibet rei numerum spectat. Jam vero ex quo plura propagantur bona, qui non judicet esse meliora his quorum est inops bonorum contractiorque fecunditas ?Quis etiam bonum quod plures imitentur ut faciant, cæteris quæ ita non sint, excellere non arbitretur,quæ in numero constare quis nesciat,quando in numero pluralibus constat ?Specie vero compa-

rantur, quæ per seipsa considerata suæ quodammodo pulchritudinis merito cæteris anteferuntur. Meliora enim sunt quæ propter se, quam quæ propter aliud expetuntur, veluti salus quæ propter se expetitur, medicina propter salutem; quocirca melior est salus quam medicina: atque hæc non ad aliquem numerum, nec postremo ad aliquam quantitatem, sed ad ipsam speciem salutis ac medicinæ considerationem referentes, judicium promimus. Illa quoque quæ innata atque insita sunt, assumptis et adventitiis meliora judicantur, unde innata moribus gravitas longe amplius excellit eam quæ per imitationem affectatur. Integra etiam potius quam contaminata melioris rei judicium ferunt. Nam quæ integra sunt, suam speciem servant, quæ contanimata sunt atque ex aliqua parte vitiata, si qua etiam inerat, speciei pulchritudinem perdiderunt. Jocunda minus jocundis meliora, communis omnium animalium natura dijudicat. Honesta utilibus sapientes anteponunt; proclivia laboriosis anteferri ilia res monstrat, quod nemo ad eumdem finem per laboriosam atque asperam viam tendere cupiat, ad quem possit proclivi facilique itinere pervenire. Labor quippe omnis injocundus est, jocunda est facilitas. Necessaria etiam non necessariis partim præferri, partim etiam postponi debent, quod M. Tullius tacuit: necessaria quippe præferuntur his non necessariis, quæ non boni ratione, sed voluptatis appetitione sunt constituta, veluti luxu regio parata convivia nullus sapiens judicet esse meliora his quæ naturæ expleant indigentiam. Quædam vero sunt quæ ipsa specie boni, cum non necessaria sint, meliora sunt necessariis. Nam vivere necessarium est, et sine eo subsistere animal nequit. Philosophari vero non est necessarium, melius tamen longeque excellentius est philosophum vivere quam tantum vivere: illud enim raro paucisque etiam utentibus ratione concessum; illud pecudibus commune nobiscum. Sua quoque alienis jure meliora esse dicuntur, veluti hominibus ratio potius quam voluptatis appetitio: illud enim proprium est hominis, illud alienum; rara quoque vulgaribus meliora sunt. Atque hic locus approbat id quod superius dictum est, philosophantem vitam ipsa vita esse meliorem: nam quæ rara sunt, facile id quod vulgare est antecedunt. Desiderabilia etiam his quibus facile carere possis, illa res approbat esse meliora, quod maxime desiderantur, et sine his anxia vita est, veluti si quis capillis visum conferat. Ægrius enim toleramus carere visu quam capillis; ita ex hoc meliorem esse visum capillis judicamus, quod his facile, illo æquo animo carere non possumus. Perfecta etiam imperfectis naturaliter excellunt, illa enim suam formam adepta sunt, illa minime. Tota etiam partibus eodem modo excellentiora esse arbitramur: nam quod totum est, habet naturæ propriam formam. Quod vera pars est et ad totius nititur perfectionem, nondum suæ pulchritudinis speciem cepit, nisi ad totius integritatem referatur. Jam vero ratione utentia rationis expertibus nullus dubitat esse meliora. Voluntaria quoque necessariis jure anteponuntur, namque voluntaria libera sunt, quæ necessaria quodam nos veluti dominio necessitatis astringunt, atque ideo meliora esse voluntaria necessariis existimamus, quanquam in hoc etiam illud intelligi possit, quod a nobis superius dictum est, non necessaria sæpe necessariis anteponi, quandoquidem ea quæ voluntaria sunt non fuerint necessaria; voluntaria vero meliora sunt necessariis. Non necessaria igitur sæpe necessariis excellunt; animata quoque inanimatis, ipsius animæ negatione considerata, anteponenda esse ratio persuadet. Naturalia etiam non naturalibus, et artificiosa inartificiosis. Optimusque hic gradus est, ut naturam arti, artem præferas inertiæ, ars quippe imitatur naturam. Quo fit ut id quod in se retinet pulchri, ex natura veniat, cujus imitari speciem cupit. Longe vero postrema sunt quæ cum artificio carent, non a specie solum naturæ, verum etiam ab imitatione discedunt, atque hæc quidem de specie in comparationibus considerantur. Vis autem in eo consistit in quo consideratur quid unaquæque res possit efficere, nam quod quæque res potest, ea vis ejus rectissime dicitur. Efficiens igitur causa graviorem vim habet quam ea quæ nihil efficit: velut artifex melior quam materia, illa quippe stolida est atque immota. Nec aliquid efficiens, nisi formam ab artifice, id est ab efficiente causa, susceperit. Item quæ se ipsis contenta sunt, meliora esse his videntur quæ egent aliis: veluti omnium Deus optimus est, quia nullo indiget, et ipso cuncta sunt indiga. Item quæ in nostra sunt potestate magis eligenda sunt quam quæ in aliena manu posita facile labuntur. Quo fit ut sit virtus melior quam divitiæ; nam virtus est in nostra potestate, divitiarum fortuna domina est. Jam vero stabilia incertis, quæ eripi non possunt, his quæ possunt, si tamen bona sunt, quis non intelligat esse meliora? Quorum tamen locorum pars contraria contrarium tenet: inspectis quippe his quæ meliora sunt, si horum adversa videamus, deteriora sunt. Restat in affectione posita comparatio quæ ita tractatur, ut non per semetipsam res quæ alii confertur, sed ex alterius cujuslibet consideratione pensetur, velut in tribus quibusdam rebus si duæ ad se invicem comparentur, eo quod ad tertiam plus minusve jungantur. Sint enim duo quædam humanis rebus accommodata, quarum una principibus atque etiam ipsi reipublicæ accommodatior: hic igitur judicabimus eam rem esse meliorem quæ melioribus prodest, id est ut reipublicæ vel principibus non considerantes ut sese res habeat, sed quantum reipublicæ vel principibus adjuncta sit. Hæc igitur res ex affectione est comparata, meliusque judicatur id quod principibus commodum est, quam id quod aliquibus privatis, quoniam principes reliquorum etiam continent statum. Eodem modo sunt quæ sequuntur, ut quæ jucundiora sunt pluribus, quæ clariora inter multos, quæ pluribus comprobata sunt,

meliora ducantur. Nam etiamsi minus ipsa hujus naturæ sint, affectione tamen, ut dictum est, eorum quibus vel jucundiora, vel inter quos clariora sunt, aut a quibus probantur, meliora existimanda sunt. Sed quanquam id quod a pluribus bonum ducitur, superius in ea comparationis parte posuerit in qua fiebat secundum numerum comparatio, nihil tamen impedit eumdem locum secundum aliam atque aliam considerationem diversis generibus subdi: velut ala avis cum substantia sit, eadem tamen ad aliquid esse intelligitur, si ad alatum consideretur. Illa quoque ex affectione videntur esse meliora quæ ab eo laudata sunt, contra quem dialectica oratione vel rhetorica facultate disseritur. Nam ut revincere adversarium possis, sat est si eum tibi consensisse monstraveris, atque id aliquando velut optimum prædicasse, quod tu melius re proposita monstrare contendas. Dictis igitur omnibus meliorum locis, his oppositi quæ deteriora sunt continebunt. Parium vero nulla discretio est. Neque enim quod par est, aut intentionem sumere, aut remissionem potest. Quibus autem modis inter se majora minoraque penduntur, iisdem inter se paria conferuntur. Nam quæ vel numero, vel specie, vel vi, vel affectione fuerint, æque paria esse dicuntur. Commune autem cunctorum exemplum est, quod Cicero in qualitate constituit, quæ qualitas in cunctis paribus æqua est, sed vel numero, vel specie, vel vi, vel affectione paria sunt. Nam in eorum comparatione quæ majora vel minora sunt, una quædam qualitas est, sed horum accessione variantur. Nam quibus in eadem qualitate major numerus, pulchrior species, efficacior vis, ad pretiosiora conjunctior affectio, ea meliora esse existimabuntur. Quæ si æqua fuerint, in eadem qualitate paria sunt. Exemplum vero quod proposuit, ad blandiendum Trebatii animum valet, cum propriam, id est oratoriam, facultatem cum jurisperitorum laude conjungit hoc modo: Si consilio juvare cives, quod jurisperitorum, est, et auxilio, quod oratorum est, æqua in laude ponendum est, pari gloria debent esse que consulunt, id est periti juris, et hi qui defendunt, id est oratores. Atqui primum est; id est consilio juvare cives, et auxilio, æqua in laude ponendum est. Quod sequitur igitur, id est (*Supple*, pari gloria debent esse qui consulunt, id est periti juris, et hi qui defendunt, id est oratores) infertur. Ea vero conclusio est per quam dicimus: hi igitur qui consulunt, et hi qui defendunt, pari gloria esse debent. Hoc autem breviter dialecticorum more protulit, qui sit enuntiant: si dies est, lucet. At quod primum est, id autem tantumdem est ac si dicatur, atqui dies est. In propositione enim quæ est, si dies est, lux est, prior est propositio, dies est. Concludunt quod sequitur, igitur, id est, esse lucem. Id enim in prima parte propositionis, quæ erat, si dies est, sequebatur. Igitur hic quoque Cicero sic protulit: Atqui primum est, id est, consilio et auxilio juvare cives æqua in laude esse ponendum, id enim erat primum in ea propositione quæ dicebat: Si consilio et auxilio cives juvare æqua in laude poneretur, pari gloria esse oratores jurisque consultos. Quod sequitur igitur, id est, pari gloria debent esse qui consulunt ac defendunt; id enim erat consequens in ea propositione quæ statuebat: Si consilio et auxilio cives juvare par esset, pares esse qui consulunt ac defendunt.

Perfecta est omnis argumentorum inveniendorum præceptio, ut cum profectus sis a definitione, a partitione, a notatione, a conjugatis, a genere, a forma, a similitudine, a differentiis, a contrariis, ab adjunctis, a consequentibus, ab antecedentibus, a repugnantibus, a causis, ab affectis, a comparatione majorum, minorum, parium, nulla præterea sedes argumenti quærenda sit.

Tametsi ex his quæ dicta sunt intelligatur nullum argumenti locum esse præteritum, breviter tamen Ciceronis conclusionem, qua se nihil omisisse commemorat, ad ampliorem doctrinæ fidem approbandam reor, in his enim nihil omnino prætermittitur quæ certa ratione tractantur. Nulla vero certior ratio divisione; quod enim quisque partitur a communibus in particularia deducens, cum rectum iter insistat, labi atque in errorem duci non potest. Locorum igitur omnium prima divisio fuit in ea quæ in ipsis hærerent, et ea quæ assumerentur extrinsecus. Cujus divisionis nihil medium reperiri potest: aut enim in ipso est aliquid de quo quæritur, aut extrinsecus necesse est assumatur. Videamus igitur nunc quemadmodum disputatio per nihil omittentem divisionem feratur. Eorum igitur locorum, qui in ipsis sunt de quibus agitur, nunc ex toto, nunc ex partibus, nunc ex vocabulo, nunc ex affectis sumitur argumentum. In his igitur quoniam nihil relictum sit perspicue apparet; in eo enim quod conjunctum est, duplex discretio est: una ex eo ipso quod formatum est atque compositum, quod totum est, in quo etiam definitiones adhibentur: alia in ejus partibus inspiciendis, ex quibus compositi forma conjuncta est. Sed quoniam natura hominum id quod intelligit, voce sæpius prodit, necesse est ut nomen quoque quod ad intellectus declarationem adhibetur, ostendat aliquam rei quam significat proprietatem, intellectus quippe, qualitatem rei quam intelligit, significat. Quocirca nomen quoque intellectus qualitatem designat. Jure igitur dictum est proprietatem quamdam rei vocabulo significari, atque ita ex eo trahi argumentum potest, quod vocatur a nota. Horum vero locorum alias partitiones dedit, quas paulo post brevius colligemus. Affecta vero, quæ, ut superius dictum est, in relatione consistunt, ipsa etiam rite divisa sunt. Nam quæ referuntur ad aliquid, aut substantialia sunt, aut accidentia. Substantialia, ut conjugata, nam justo, in eo quod justus est, justitia substantiam facit. Nec id dico, quod homini esse ex justitia constituatur, sed justo, qui justitia discedente corrumpitur. Similis et de eo quod est juste adverbio, ratio est. Est etiam substantiale, genus, species, differentia, causa, effectus.

entia, ut contrarium, simile, adjunctum, pa- A
najora, minora. Consequentia vero atque re-
antia, quoniam, ut superius dictum est, in con-
ie posita sunt, nunc substantialia reperiuntur,
vero in accidentibus considerantur. Substan-
, ut cum genus antecedit speciem; accidentia,
m nigredo præcedentem sequitur corvum,
quam etiam in causis aliquæ accidentes esse
nt. De quarum omnium proprietatibus Tullius
, disseruit. Atque ut brevissima descriptione
locorum divisio colligatur, erit hoc modo :
3 argumentum aut ex his locis ducitur qui in
le quo quæritur inhærent, aut ex his quæ ex-
ɔcus assumuntur. Is vero locus qui in ipsis de
is ambigitus positus est, dividitur in eum locum
st ex toto, et in eum qui est ex partibus, et in B
qui est ex nota, et in eum qui est ab affectis. Is
ɔ qui a toto est, a definitione locus vocatur.
itionum vero aliæ sunt propriæ, aliæ non pro-
Non propriarum vero, aliæ sunt quæ singulis
nibus denotantur, aliæ quæ oratione pandun-
arum vero quæ singulis nominibus fiunt, aliæ
n quibus pro nomine redditur nomen, quæ di-
ır κατ' ἀντίλεξιν; aliæ quæ exempli gratia nomen
ɔiunt, quæ dicuntur ὡς τύπος. Earum vero quæ
ɔne declarantur, aliæ fiunt a partitione, aliæ a
one, aliæ a differentiis præter genus, quæ
ματικὴ dicitur; aliæ quæ ex pluribus qualitatibus
etiam singulis totum id significantibus, quod
s qualitatum collectio declarat, quæ vocantur
ος; aliæ quæ ex accidentibus, non singulis, sed
is unum aliquid efficientibus constant ; aliæ C
ad differentiam dantur; aliæ per translationem,
quæ ex privatione contrarii, aliæ quæ propriis
nibus aptantur quæ etiam ὑποτύπωσις dicuntur;
ɔer indigentiam pleni, aliæ per proportionem,
ɔer relationem, aliæ per causam. Item alia de-
ɔnis divisio secundum Tullum principalis, quod
ɔorporalium rerum sint, aliæ incorporalium, et
itionis quidem locus ita divisus est. A partibus
n locus dividitur in partitionem et divisionem.
:a vero locus simplex est. Ab affectis autem,
ınt a conjugatis, alii a genere, alii a forma, alii
ili, alii a differentia, alii a contrariis, alii ab
ictis, alii a consequentibus, antecedentibus et
ɣnantibus, alii a causa, alii ab effectis, alii a
aratione parium, majorum vel minorum. Ge- D
ero dividitur in suprema genera, et in ea quæ
ı species esse possunt. Species quoque dividitur
:imas species et in ea quæ etiam genera esse
ınt. Similium quoque alia in singulis consi-
ıtur, et vocantur exempla, alia in pluribus, et
latur inductio; alia in conjunctis, et vocatur
ɔrtio. Item differentiarum aliæ sunt substan-
, aliæ, etsi non substantiales, inseparabiles ta-
aliæ neque substantiales neque inseparabiles.
'ariorum alia dicuntur adversa, alia privantia,
ıegantia, alia relativa. Adjunctorum vero alia
quæ ante rem existunt, alia quæ cum re, alia

vero post rem. Locus vero conditionalis dividitur in antecedens, consequens et repugnans. Causarum quoque multiplex locus est : aliæ namque sunt quæ vi sua efficiunt, aliæ sine quibus effici non potest. Earum vero quæ vi sua efficiunt, aliæ sunt necessariæ nihilo indigentes ut efficiant, aliæ vero indigentes ut efficiant, aliæ vero indigentes et non necessariæ. Earum vero sine quibus non efficitur, aliæ sunt mobiles, aliæ immobiles. Item causarum aliæ sunt non spontaneæ, aliæ ex voluntate, aliæ ex perturbatione, aliæ ex habitu, aliæ ex natura, aliæ ex arte, aliæ ex casu. Rursus causarum aliæ sunt constantes, aliæ inconstantes. Amplius, causarum aliæ sunt voluntariæ, aliæ ignoratæ. Ignoratarum pars in casu, pars in necessitate est constituta. Necessariarum pars in vi, pars in scientia posita est. Effecta vero intantum dividi possunt, inquantum ad superius dictas causas referuntur. Locus vero a comparatione minorum, parium atque majorum, dividitur in numerum, speciem, vim, ad res alias affectionem. Quæ cum ita sint, cumque nihil sit in divisione prætermissum, recte M. Tullius partitionem conclusit, dicens nullam argumenti sedem esse præteritam. Restat igitur locus qui extrinsecus sumitur, quem, quoniam nihil jurisconsultis est utilis, non Trebatii causa, sed ne quid perfecto operi deesse videatur, adjungit.

Sed quoniam ita a principio divisimus, ut alios locos diceremus in eo ipso de quo ambigitur, hærere, de quibus satis est dictum ; alios assumi extrinsecus, de iis pauca dicamus, etsi ea nihil omnino ad vestras disputationes pertinent ; sed tamen totam rem perficiamus, quandoquidem cæpimus. Neque enim tu is es quem nihil nisi jus civile delectet, et quoniam ad te hæc ita scribuntur, ut etiam in aliorum manus sint ventura detur opera, ut quamplurimum iis quos recta studia delectant, prodesse possimus.

Ne locus nihil jurisperito profuturus negligentiam sui faceret, Trebatium ut in proœmio magnus orator reddit attentum ; ait enim ita sese divisisse in principio, ut alios locos in ipsis hærere diceret, de quibus ageretur, alios extrinsecus assumi, et cum de superioribus locis idonee disputatum sit, intractatam reliquam partem non oportere præteriri. Neque enim hunc esse Trebatium, qui sua arte contentus, cæterorum studia negligat, verum diligentia atque ingenio plurimum valens, cuncta ad se pertinere ducat, quæ liberalibus studiis annumerentur : simul dandam esse operam dicit, quoniam benevolo animo Ciceronis opus Trebatius esset editurus, ut cum in multorum manus venisset, prodesse iis integrum posset, qui rectis studiis tenerentur, hoc quoque Trebatio beneficii nomine concedens, quod ad eum scripta, et per eum edita plurimis profutura conscriberet.

Hæc ergo argumentatio quæ dicitur artis expers, in testimonio posita est. Testimonium autem nunc dicimus omne quod ab aliqua re externa sumitur, ad faciendam fidem.

Extrinsecus positum argumenti locum, quem M.

Tullius vocat artis expertem, in testimonio positum esse pronuntiat. Dubitari autem potest quid hic locus a superioribus differat, quos in affectis locavit. Nam uti affecta semper in relatione sunt constituta, ita etiam testimonia ad ea quorum sunt testimonia referuntur. Omne enim testimonium testatæ rei testimonium est. Quocirca, cur aut ea quæ affecta dudum vocata sunt, non extrinsecus collocentur, aut ea quæ nunc vocantur extrinsecus non inter affecta ponantur, quæri potest, cum præsertim ea quæ adjuncta esse negotio superius diximus, veluti quoddam testimonium sæpe rebus afferant, cum ex eorum quæ præcesserunt, vel consecuta sunt signis, quod gestum si considerari solet. Quorum omnium communis illa solutio est, quod ex affectis argumenta quæ fiunt, ab oratore inveniuntur, ejusque opera atque industria nascuntur. Ea vero quæ extrinsecus posita sunt, rei tantum testimonium præbent, non enim inveniuntur ab oratore, sed his orator utitur positis atque ante constitutis. Nam quæ a genere, vel a specie, vel a cæteris affectis argumenta sunt, ab ipso quodam modo oratore reperiuntur. Testimonia vero sibi ipse non efficit, sed ad causam utitur ante præparatis. Quo fit ut argumenta ex affectis in causa statim atque ex tempore nascantur; ea vero quæ in testimoniis posita sunt, ante rem præcurrentia confirmando usum negotio posterius præstent, et in adjunctis ab oratore conjectura colligitur, et auditorum mentibus intimatur. Testimonia vero non in conjecturis, aut in suspicionibus, sed in rei gestæ narratione consistunt. Ostendit autem vehementius quid esset testimonium, cum dicit, id a se testimonium vocari quod ab aliqua externa re sumitur. Omnia quippe affecta, ab eis ad quæ affecta sunt, non videntur externa. Testis vero cum re testificata nulla cognatione conjungitur, nisi sola notitia, quæ nihil ad rem quæ gesta est attinet, cum si gestum negotium nullus agnosceret, nihilominus tamen gesta res esset ; sed id poterit etiam ad similitudinem duci, quid enim minus esset aliquid, si ei simile nihil reperiretur? Sed quod simile est, ei cui simile est eadem qualitate conjungitur, quæ qualitas utrumque conformat. Scientia vero quamvis efficiat testem, nulla tamen qualitate conjungitur cum re cujus illa notitia est. Neque enim scientis notitia, rei gestæ qualitas dici potest, cum si notitia, qualitas rei posset intelligi, pereuntibus his qui rem norunt, res vel interiret, vel mutaretur, quod neutrum evenire recesse est, quandoquidem, absumptis scientibus, res ignorata poterit permanere.

Persona autem non qualiscunque testimonii pondus habet: ad faciendam enim fidem auctoritas quæritur; sed auctoritatem aut natura, aut tempus affert : naturæ auctoritas in virtute inest maxime; in tempore autem multa sunt quæ afferant auctoritatem, ingenium, opes, ætas, fortuna, ars, usus, necessitas, concursio etiam nonnunquam rerum fortuitarum. Nam et ingeniosos, et opulentos, et ætatis spatio probatos, dignos quibus credatur putant, non recte fortasse, sed vulgi opinio mutari vix potest, ad eamque omnia dirigunt, et qui judicant, et qui existimant. Qui enim his rebus quas dixi, excellunt, ipsa virtute videntur excellere. Sed reliquis quoque rebus quas modo enumeravi, quanquam in iis nulla species virtutis est, tamen interdum confirmatur fides, si aut ars quædam adhibetur (magna enim est vis ad persuadendum scientiæ), aut usus. Plerumque enim creditur iis qui experti sunt. Facit etiam necessitas fidem, quæ tum a corporibus, tum ab animis nascitur. Nam et verberibus torti, et igni fatigati quæ dicunt, ea videtur veritas ipsa dicere, et quæ a perturbationibus animi sunt, dolore, cupiditate, iracundia, metu, quia necessitatis vim habent, afferunt auctoritatem et fidem. Cujus generis etiam illa sunt ex quibus nonnunquam verum invenitur, pueritia, somnus imprudentia, vinolentia, insania. Nam et pueri sæpe indicaverunt aliquid ad quod pertineret ignari, et per somnum, vinum, insaniam, multa sæpe patefacta sunt. Multi etiam in res odiosas imprudentes inciderunt, ut Staterio nuper accidit, qui ea locutus est bonis viris subauscultantibus pariete interposito, quibus patefactis, in judiciumque prolatis, rei capitalis jure damnatus est. Huic simile quiddam de Lacedæmonio Pausania accepimus. Concursio autem fortuitorum talis est, ut si interventum est casu, cum aut ageretur aliquid quod proferendum non esset, aut diceretur. In hoc genere etiam illa est in Palamedem conjecta suspicionum proditionis multitudo, quod genus refutare interdum veritas vix potest.

Quoniam locum artis expertem in testimonio positum esse dixit, in testimoniis vero personarum fidem suam interponentium auctoritas quæritur, necessarium fuit, quibus rebus fieri soleat auctoritas, expedire. Ac cætera quidem clarissime atque apertissime dicta sunt. Sed quoniam auctoritatem in naturam tempusque divisit, cumque in tempore, ingenium, opes, ætatem, fortunam, artem, usum, necessitatem, concursionem etiam nonnunquam rerum fortuitarum locavit, quæri potest: Quid enim attinet ad tempus ingenium? quid ars? quid usus? Nam ætas atque opes, fortuna et fortuitarum rerum concursio subjecta sunt tempori, quoniam unumquodque eorum variis temporum vicibus permutatur. Ingenium vero naturæ potius oportuit attribui artem atque usum tertium quiddam, quoniam neque tempori neque naturæ subjiciuntur. Quanquam virtus quoque ipsa, quam M. Tullius in naturæ ratione constituit quibusdam non naturalis, sed tum doctrina, tum recta exercitatione vivendi videatur ascita. Sed hæc ita intelligenda divisio est, quod omnis auctoritas aut ex magnis atque excellentibus rebus et per naturam optimis venit, aut ab his quæ inferiore loco sunt constituta, fidem non ex naturæ qualitate, sed ex vulgo insitis opinionibus capit. Et maximas quidem excellentesque res in natura constituit, quæ semper, ut ipse Tullius multis in locis defendit, boni est appetens. At vero quæ posteriora sunt, in tempore posuit, idcirco quod omnia tempori subjecta, principalis boni non retinent statim. Virtus quidem in de-

terius flecti non potest. Ingenium vero atque opes, fortuna et ars atque usus sæpe non recta exercitatione depravantur. Nam quidquid horum fuerit a virtute sejunctum, dignitatem veræ laudis amittit; et de virtute quidem distulit dicere. Posteriorem vero partem, id est in tempore positæ auctoritatis, divisit et evidentissimis patefecit exemplis. Nam et ingeniis fides adest, atque ex ea præsto est auctoritas plurima. Eos quippe sapientius loqui homines credunt, quorum ingenium ad expedienda quæ proposuerint, sufficit. Opibus quoque præpollentes, dignos fide judicant, fortuna quoque et dignitate præclaris, majestatem auctoritatis impertiunt, non recte fortasse; sed et judicium in negotiis, et existimatio vitæ, opinione hominum maxime continetur, quæ quia mutari vix potest, ad eam cuncta diriget, eaque sibi tractanda regendaque proponet orator. Ars etiam atque usus plurimum valent. In utrisque enim fidem notitia facit. Necessitas quoque, quasi id quod latebat, extorquens, auctoritate subnixa est, quæ tum ab animo, tum a corporibus venit: a corporibus, cum igni, ferro ac verberibus verum quod latet aperitur; ab animo, cum mens quadam perturbationis vel ignorantiæ necessitate confunditur. Tunc enim quid dici, quid taceri debeat, minime distinguens, verum quod occultum erat, prodit atque effundit in lucem. Nam iracundia sæpe, et quælibet animi perturbatio, quod occultandum foret, haud continet, quæ idcirco habet auctoritatem ad fidem, quia simpliciter prodita sunt, nec ulla calliditatis arte prolata. Quin etiam ignorantia puerorum, vinolentia, somnus quædam sæpe produxit in medium, in quibus si judicium fuisset ullum, prolata non essent. Sæpe etiam homines præter ullam animi perturbationem imprudentes propria confessione obligati sunt, dum cuncta simpliciter effundunt, quæ sibi nocitura non existimant, ut Staterio evenisse proposuit, qui interposito pariete testibus audientibus ea confessus est, ignorans se ab insidiantibus audiri, quibus vulgatis in judicium que prolatis, capitali sententia condemnatus est. Atque hæc quidem ignorantia in necessitate constituta est; nam qui nescit id quod ignorat, ne si velit quidem poterit evitare; quæ autem necessitas extorquet, ipso quodammodo videtur veritas dicere, atque ideo eis veluti auctoritate subnixis fides adhibetur. Concursio etiam rerum fortuitarum facit fidem, quæ cum aliquoties falsa designet, tamen ita est vehemens, ut se ab ea veritas explicare vix possit. Quale est quod de Palamede narratur. Phryx exstinctus, qui quasi a Priamo missus videretur, repertæ Priami litteræ Phrygia manus imitata, quæ concurrentia fidem facerent proditionis. Hinc dicit Cicero: Talis etiam fortuitarum rerum concursio est *.

Hujus etiam generis est fama vulgi, quoddam multitudinis testimonium. Quæ autem virtute fidem faciunt, ea bipartita sunt. Ex quibus alterum natura valet, alterum industria. Deorum enim virtus natura excellit, hominum autem industria. Divina hæc fere sunt testi-

A *monia: primum orationis, oracula enim ex eo ipso appellata sunt, quod inest his deorum oratio; deinde rerum quibus insunt quasi divina quædam opera: primum ipse mundus, ejusque omnis ordo et ornatus; deinceps aeris volatus avium atque cantus; deinde ejusdem aeris sonitus et ardores, multarumque rerum in terra portenta, atque etiam per exta inventa præsensio. A dormientibus quoque multa significata visis, quibus ex locis sumi interdum solent ad fidem faciendam testimonia deorum. In homine virtutis opinio valet plurimum. Opinio autem est, non modo eos virtutem habere qui habeant, sed eos etiam qui habere videantur. Itaque quos ingenio, quos studio, quos doctrina præditos vident, quorumque viam constantem et probatam, ut Catonis, Lælii, Scipionis aliorumque plurium, videntur eis esse*

B *quales se ipsi velint. Nec solum eos censent tales esse qui in honoribus populi reque publica versantur, sed et oratores, et philosophos, et poetas, et historicos, ex quorum et dictis et scriptis sæpe auctoritas petitur ad faciendam fidem. Expositis omnibus argumentandi locis, illud primum intelligendum est, nec ullam esse disputationem, in qua non aliquis locus incurrat, nec fere omnes locos incidere in omnem quæstionem, et quibusdam quæstionibus alios, quibusdam esse alios aptiores locos. Quæstionum duo sunt genera, alterum infinitum definitum alterum. Definitum est quod ὑπόθεσιν Græci, nos causam; infinitum, quod θέσιν illi appellant, nos propositum possumus nominare. Causa certis personis, locis, temporibus, actionibus, negotiis cernitur, aut in omnibus aut in plerisque eorum. Propositum autem in aliquo eorum aut in pluribus, nec*

C *tamen in maximis. Itaque propositum pars causæ est. Sed omnis quæstio earum aliqua de re est quibus causæ continentur, aut una, aut pluribus, aut nonnunquam omnibus. Quæstionem autem quacunque de re sint, duo sunt genera, unum cognitionis, alterum actionis. Cognitionis sunt hæ quorum finis est scientia, ut si quæratur: A natura jus profectum sit, an ab aliqua quasi conditione hominum et pactione? Actionis autem hujusmodi exempla sunt: Sitne sapientis ad rempublicam accedere? Cognitionis quæstiones tripartitæ sunt, cum an sit, aut quid sit, aut quale sit, quæritur. Harum primum conjectura, secundum definitione, tertium juris et injuriæ distinctione explicatur. Conjecturæ ratio in qualuor partes distributa est, quarum una est, cum*

D *quæritur, Sitne aliquid? altera, Unde ortum sit? tertia, Quæ id causa effecerit? quarta, in qua de mutatione rei quæritur: Sit necne sit? Ecquidnam honestum sit, ecquid æquum revera, an hæc tantum opinione sint? Unde autem sit ortum, ut cum quæritur natura an doctrina possit effici virtus? Causa efficiens sic, ut cum quæritur quibus rebus eloquentia efficiatur? De commutatione sic, Possitne eloquentia commutatione aliqua converti in infantiam? Cum autem quid sit quæritur, notio explicanda est, et proprietas, et divisio, et partitio; hæc enim sunt definitioni attributa. Additur etiam descriptio, quam Græci ὑπογραφήν vocant. Notis sic quæritur, Sitne id æquum quod ei qui plus potest utile est?*

* Fini hujus sexti desideratur et totus septimus, quo sequens Ciceronis textus exponebatur.

Proprietas sic, In hominemne solum cadat, an etiam in belluas ægritudo? Divisio et eodem pacto partitio sic, Triane genera bonorum sint? Descriptio, qualis sit avarus, qualis assentator, cæteraque ejusdem generis, in quibus et natura et vita describitur. Cum autem quæritur quale quid sit, aut simpliciter quæritur, aut comparate: simpliciter, Expetendane sit gloria? comparate, Præponendane sit divitiis gloria? Simplicium, tria genera sunt, expetendo fugiendoque, de æquo et iniquo, de honesto et turpi. Comparationum autem duo, unum de eodem et alio, alterum de majore et minore. De expetendo et fugiendo hujusmodi: Si expetendæ divitiæ, si fugienda paupertas. De æquo et iniquo: Æquumne sit ulcisci a quocunque injuriam acceperis? De honesto et turpi: Honestumne sit pro patria mori? Ex altero autem genere quod erat bipartitum, unum est de eodem et alio, ut si quæratur quid intersit inter amicum et assentatorem, regem et tyrannum. Alterum de majore et minore, ut si quæratur: Eloquentiane pluris sit, an juris civilis scientia? De cognitionis quæstionibus hactenus. Actionis reliquæ sunt, quarum duo sunt genera, unum ad officium, alterum ad motum animi vel gignendum vel sedandum, planeve tollendum. Ad officium sic, cum quæritur: Suscipiendine sint liberi? Ad movendos animos, cum fiunt cohortationes ad defendendam rempublicam, ad gloriam et ad laudem. Quo ex genere sunt querelæ incitationes miserationesque flebiles. Rursusque oratio, tum iracundiam restinguens, tum metum eripiens tum exsultantem lætitiam comprimens, tum ægritudinem abstergens. Hæc cum in propositis quæstionibus genera sint, eadem in causas transferuntur. Loci autem qui ad quasque quæstiones accommodati sunt, deinceps est videndum. Omnes illi quidem ad plerasque, sed alii ad alias, ut diximus, aptiores. Ad conjecturam igitur maxime apta quæ ex causis, quæ ex effectis, quæ ex conjunctis sumi possunt. Ad definitionem autem pertinet ratio et scientia definiendi; atque huic generi finitimum est illud quod appellari de eodem et altero diximus, quod genus forma quædam definitionis est. Si enim quæratur idemne sit pertinacia et perseverantia, definitionibus judicandum est. Loci autem convenient in ejus generis quæstionem, consequentes, antecedentes, repugnantes, adjunctis etiam duobus iis qui sumuntur ex causis et effectis. Nam si hanc rem illa sequitur, hanc non sequitur; aut si huic rei illa antecedit, huic non antecedit; aut si huic rei repugnat, illi non repugnat: aut si huic rei hæc, illius alia causa est; aut si ex alio hoc, ex alio illud effectum est: ex quovis horum id de quo quæritur, idemne an aliud sit, inveniri potest? Ad tertium genus quæstionis in quo quale sit quæritur, in comparationem ea cadunt, quæ paulo ante in comparationis loco enumerata sunt. In id autem genus in quo de expetendo fugiendoque quæritur, adhibentur ea quæ sunt aut animi, aut corporis, aut externa, vel commoda, vel incommoda. Itemque cum de honesto turpique quæritur, ad animi bona vel mala omnis dirigenda oratio est; cum autem de æquo et iniquo disseritur, æquitatis loci colliguntur. Hi cernuntur bipartito, et natura, et instituto. Natura partes habet duas, tuitionem sui et ulciscendi jus. Institutio autem æquitatis tripartita est: una pars legitima est, altera conveniens, tertia moris vetustate confirmata. Atque etiam rursus æquitas tripartita dicitur esse: una ad superos deos, altera ad manes, tertia ad homines pertinere. Prima pietas, secunda sanctitas, tertia justitia atque æquitas nominantur. De proposito satis multa; deinceps de causa pauciora dicenda sunt, pleraque enim sunt ei cum proposito communia. Tria sunt genera causarum, judicii, deliberationis, laudationis; quarum fines ipsi declarant quibus utendum locis sit: nam judicii finis jus est, ex quo etiam nomen. Juris autem partes tum expositæ, cum æquitatis. Deliberandi finis utilitas, cujus hæ partes, quæ modo expositæ rerum expetendarum. Laudationis finis honestas, de qua item est ante dictum. Sed definitæ quæstiones a suis quæque locis quasi propriis instituuntur, in accusationem, defensionemque partitæ. In quibus existunt hæc genera, ut accusator personam arguat facti, defensor aliquid opponat de tribus, aut non esse factum, aut si sit factum, aliud ejus facti nomen esse, aut jure esse factum. Itaque aut inficialis aut conjecturalis prima appelletur, definitiva altera; tertia, quamvis molestum nomen hoc sit, juridicialis vocetur. Harum causarum propria argumenta ex his sumpta locis quos exposuimus in præceptis oratoriis explicata sunt. Refutatio autem accusationis in qua est depulsio criminis, quoniam græce στάσις dicitur, latine appelletur status, in quo primum insistit quasi ad repugnandum congressa defensio. Atque etiam in deliberationibus et laudationibus iidem existunt status. Nam et negantur sæpe ea futura quæ ab aliquo in sententia dicta sunt fore, si aut omnino fieri non possunt, aut sine summa difficultate non possunt. In qua argumentatione status conjecturalis existit. At cum aliquid de utilitate, honestate, æquitate disseritur, deque his rebus quæ his sunt contrariæ, incurrunt status aut juris, aut nominis; quod idem contingit in laudationibus: nam aut negari potest id factum esse quod laudatur, aut non eo nomine efficiendum quo laudator effecerit, aut omnino non esse laudabile quod non recte, non jure factum sit. Quibus omnibus generibus usus est nimis impudenter Cæsar contra Catonem meum. Sed quæ ex statu contentio efficitur, eam Græci κρινόμενον vocant, mihi placet id, quoniam quidem ad te scribo, qua de re agitur, vocari. Quibus autem hoc qua de re agitur, continetur, hæc continentia vocentur quasi firmamenta defensionis, quibus sublatis defensio nulla sit. Sed quoniam lege firmius in controversiis disceptandis esse nihil debet, danda est opera ut legem adjutricem et testem adhibeamus. In qua re alii quasi status existunt novi, qui appellantur legitimæ disceptationes. Tum enim defenditur non id lege dici quod adversarius velit, sed aliud. Id autem contingit cum scriptum ambiguum est, et duæ differentes sententiæ accipi possunt. Tum opponitur scripto voluntas scriptoris, ut quæratur verbane plus an sententia valere debeat. Tum legi lex contraria affertur: ita sunt tria genera quæ controversiam in omni scripto facere possunt, ambiguum, discre-

pantia scripti et voluntatis,scriptura contraria. In hoc perspicuum est, non magis in legibus quam in testamentis, in stipulationibus, in reliquis quæ ex scripto aguntur, posse controversias easdem existere. Horum tractationes in aliis libris explicantur.Nec solum perpetuæ actiones, sed etiam partes orationis iisdem locis adjuvantur, partim propriis, partim communibus, ut in principiis,quibus ut benevoli, ut dociles, ut attenti sint qui audiant,efficiendum est propriis locis.Itemque narrationes ut ad suos fines spectent,ut planæ sint, ut breves,ut evidentes,ut credibiles, ut moderatæ, ut cum dignitate.Quæ quanquam in tota oratione esse debent, magis tamen sunt propria narrandi.Quæ autem sequitur narrationem fides, ea persuadendo quoniam efficitur, qui ad persuadendum loci maxime valeant, dictum est in his in quibus de omni ratione dicendi diximus. Peroratio autem et alia quædam habet,et maxime amplificationem, cujus effectus hic debet esse, ut aut perturbentur animi aut tranquillentur,et si ita jam affecti ante sint, aut augeat eorum motus aut sedet oratio. Huic generi in quo et misericordia, et iracundia, et odium, et invidia, et cæteræ animi affectiones perturbantur,præcepta suppeditantur aliis libris,quos poteris mecum legere cum voles. Ad id autem quod te velle senseram cumulate satisfactum esse debet voluntati tuæ. Nam ne præterirem aliquid quod ad argumentum in omni ratione reperiendum pertineret,plura quam a te desiderata erant, sum complexus, fecique quod sæpe liberales venditores solent, ut cum ædes, fundumve vendiderint, rutis cesis receptis, concedant tamen aliquid emptori, quod ornandi causa apte et loco positum esse videatur.Sic ubi nos ad id quod quasi mancipi dare debuimus,ornamenta quædam voluimus non debita accedere.

AN. MANL. SEV. BOETII
DE DIFFERENTIIS TOPICIS
LIBRI QUATUOR.

LIBER PRIMUS.

Omnis ratio disserendi, quam logicen Peripatetici veteres appellavere, in duas distribuitur partes, unam inveniendi, alteram judicandi. Et ea quidem pars quæ judicium purgat atque instruit, ab illis analytice vocata,a nobis potest resolutoria nuncupari.Ea vero quæ inveniendi facultatem subministrat,a Græcis topice,a nobis localis dicitur. Ac de illa quidem parte quæ judicandi magistra est, alias disputabitur. Nunc vero consilium est aperire qui sint loci,quæ eorum differentiæ, qui etiam quibus apti sint syllogismis.Nec id simpliciter atque uniformiter videtur esse faciendum, verum duplex est tradenda partitio,una quidem ex Græcis voluminibus eruta,altera vero ex M. Tullii Topicis sumpta. Atque in his illud ad perfectionem speculationis est astruendum,ut quibus utraque modis divisio differat, quibusque conveniat explicetur,quoque modo altera alteram vicissim possit includere ; et nunc quidem non in singulis immorabimur,sed de tota divisione communiter disseremus, locorum tantum ex quibus argumenta nascuntur diffinitiones, exempla differentiasque colligentes. Singula vero pro qualitate operis diligentius,vel his octo voluminibus expedita sunt,quibus Aristotelis Topica in Latinam vertimus orationem,vel his septem quibus M. Tullii Topicis lucem plenæ expositionis insudavimus. Illic igitur cuncta sunt propriis atque enodatis partibus expedita; hic vero quæ alias per membra patefacta sunt, communi speculatione tractantur.Nec dialecticos solum locos, sed etiam rhetoricos, quove hi inter se atque dialecticis differant, cura est exsequendi, ut omnibus undique locis plena consideratione propositis, eorumque differentiis inter se et communitatibus pernotatis et argumentorum copia comparetur, et locorum clara possit esse distinctio. Ut igitur cuncta perspicuis rationibus constent, paulo altius ordiendum est.Propositio est oratio verum falsumve significans, ut si quis dicat cœlum esse volubile, hæc et enuntiatio et proloquium nuncupatur. Quæstio est in dubitationem ambiguitatemque adducta propositio,ut si quis quærat an cœlum sit volubile. Conclusio est argumentis approbata propositio,ut si quis cœlum ab aliis rebus probet esse volubile.Enuntiatio quippe, sive sui tantum causa dicatur, sive ad aliud afferatur approbandum propositio est: si de ipsa quæritur, quæstio; si ipsa est approbata, conclusio. Idem est igitur propositio, quæstio et conclusio, sed differunt modo supra dicto. Argumentum est ratio rei dubiæ faciens fidem.Non vero idem est argumentum et argumentatio: nam vis sententiæ ratioque ea quæ clauditur oratione cum aliquid probatur ambiguum, argumentum vocatur ; ipsa vero argumenti elocutio argumentatio dicitur.Quo fit ut argumentum quidem virtus, et mens argumentationis sit atque sententia; argumentatio vero, argumenti per orationem explicatio. Locus autem sedes est argumenti, vel id unde ad propositam quæstionem conveniens trahitur argumentum.Quæ cum ita sint,singulorum natura diligentius tractanda est, eorumque per species ac membra, ut diximus,figuraeque divisio facienda est. Ac prius de propositione asserendum est. Hanc esse diximus orationem, veritatem vel mendacium continentem. Hujus duæ sunt species, affirmatio una,altera vero negatio. Affirmatio, si

quis sic efferat: cœlum volubile est. Negatio, si quis ita pronuntiet: cœlum volubile non est. Harum vero aliæ sunt universales, aliæ particulares, aliæ indefinitæ, aliæ singulares: Universales quidem, ut si quis ita proponat: omnis homo justus est, nullus homo justus est. Particulares vero, si quis hoc modo dicat: quidam homo justus est, quidam homo justus non est. Indefinitæ hoc modo: homo justus est, homo justus non est. Singulares vero sunt quæ individuum aut quid singulare proponunt, ut Cato justus est, Cato justus non est; etenim Cato individuus est ac singularis. Harum vero alias prædicativas alias conditionales vocamus. Prædicativæ sunt quæ simpliciter proponuntur, id est quibus nulla vis conditionis adjungitur, ut si quis cœlum esse volubile simpliciter dicat. At si conditio huic copuletur, fit ex duabus propositionibus una conditionalis, hoc modo: cœlum si rotundum est, volubile est. Hic enim conditio id efficit, ut ita demum cœlum volubile esse intelligatur, si sit rotundum. Quoniam igitur aliæ propositiones prædicativæ sunt, aliæ conditionales, prædicativarum partes terminos appellamus: hi sunt prædicatus et subjectus. Terminos autem verba voco et nomina quibus propositio nectitur, ut in ea propositione qua dicimus, homo justus est, hæc duo nomina, id est justus et homo, propositionis partes vocamus; eosdem etiam terminos dicimus, quorum alter subjectus est, alter prædicatus. Subjectus est terminus qui minor est, prædicatus vero qui major, ut in ea propositione qua dicitur, homo justus est, homo quidem minus est quam justus. Non enim in solo homine esse potest justitia, verum etiam in corporeis divinisque substantiis. Atque ideo major est terminus justus, homo vero minor, quo fit ut homo quidem subjectus terminus sit, justus vero prædicatus. Quoniam vero hujusmodi simplices propositiones alterum habent prædicatum terminum, alterum subjectum terminum, a majoris privilegio propositio prædicativa vocata est. Sæpe autem evenit, ut hi termini sibi invicem inveniantur æquales hoc modo: homo risibile est, homo namque et risibile uterque sibi subjectus æquus est terminus; nam neque risibile ultra hominem, nec ultra risibile homo porrigitur. Sed in his necesse est hoc venire, ut si quidem inæquales termini sint, major semper de subjecto prædicetur; si vero æquales, uterque conversa prædicatione de se dicatur; ut vero minor de majori prædicetur, in nulla propositione contingit. Fieri autem potest ut propositionum partes quas terminos dicimus, non solum in nominibus, verum in orationibus inveniantur. Nam sæpe oratio de oratione prædicatur, hoc modo: Socrates cum Platone et discipulis de philosophiæ ratione pertractat. Hæc quippe oratio, quæ est, Socrates cum Platone et discipulis, subjecta est. Illa vero, de philosophiæ ratione pertractat, prædicatur. Rursus aliquando nomen subjectum est, oratio prædicatum, hoc modo: Socrates de philosophiæ ratione pertractat; hic enim Socrates subjectus solus est; oratio qua dicimus, de philosophiæ ratione pertractat, prædicatum. Evenit etiam ut supponatur oratio, et simplex vocabulum prædicetur, hoc modo: Socratis similitudo cum supernis divinisque substantiis justitia est; hic enim oratio per quam profertur, Socratis similitudo cum supernis divinisque substantiis, subjicitur, justitia vero prædicatur. Sed de hujusmodi propositionibus in his commentariis, qui in Περὶ ἑρμηνείας Aristotelis libro conscripsimus, diligentius disseruimus. Conditionalium vero propositionum, quas Græci hypotheticas vocant partes, sunt simplices propositiones, cujus quidem ea pars quæ prius dicitur antecedens, quæ posterius consequens appellatur, ut in hac propositione quæ dicit: si rotundum est, volubile est. Rotundum esse antecedit, volubile esse consequitur. Harum quoque aliæ sunt simplices conditionales, aliæ conjunctæ: simplices sunt quæ prædicativas habent propositiones in partibus, ut in ea quam superius diximus, si rotundum est, volubile est. Rotundum est enim est volubile est, utræque divisæ ac sigillatim acceptæ prædicativæ sunt. Conjunctarum vero multiplex differentia, de quibus in his voluminibus diligentissime perstrinximus, qua de hypotheticis composuimus syllogismis. Simplicium vero hypotheticarum propositionum quatuor sunt differentiæ: aut enim ex duabus affirmativis categoricis constant, ut si rotundum est, volubile est, utraque enim affirmativa est, aut negativis duabus, ut si cœlum rotundum non est, volubile non est: nam rotundum non esse, et volubile non esse, utræque negationes sunt; aut ex affirmativa et negativa, ut si quadratum est, volubile non est; quadratum enim esse affirmatio est, volubile non esse, negatio est; aut ex negativa et affirmativa, ut si rotundum non est, stabile est, rotundum non esse negatio est, stabile vero esse affirmatio. Propositionum quoque aliæ sunt per se notæ, et quarum probatio nequeat inveniri, aliæ quas, tametsi animus audientis probet eisque consentiat, tamen possunt aliis superioribus approbari. Et illæ quidem quarum nulla probatio est, maximæ ac principales vocantur, quod his illas necesse est approbari, quæ ut demonstrari valeant, non recusant. Est autem maxima propositio, ut hæc: Si de æqualibus æqualia demas, quæ derelinquuntur æqualia sunt. Ita enim hoc per se notum est, ut aliud notius quo approbari valeat, esse non possit. Quæ propositiones cum fidem sui natura propriam gerant, non solum alieno ad fidem non egent argumento, verum cæteris quoque probationis solent esse principium. Igitur per se notæ propositiones, quibus nihil est notius, indemonstrabiles ac maximæ et principales vocantur. Quæ vero quamvis auditoris judicio comprobentur, habent tamen aliquid notius naturaliter ex quo, si de his fiat quæstio, velut ex alieno fidem capiant, hæ demonstrabiles ac minores posterioresque dicuntur. Et de propositionibus quidem ista sufficiant. Quæstio vero dubitabilis est propositio, in qua necesse est fore eadem considerari quæ dudum in propositione dicta sunt. Aliæ namque

simplices, aliæ compositæ sunt. Simplices sunt ut hæ quæ ex simplici propositione descendunt, hoc modo, ut si quæratur an cœlum sit volubile. Hæc enim ab ea venit propositione quæ dicit cœlum esse volubile. Atque si a conditionali composita propositione suscipit initium, quæ est an si cœlum est rotundum, volubile est, erit conditionalis atque composita hoc modo ; hæc enim a conditionali propositione principium sumit quæ est, si cœlum rotundum est, volubile est : quæstio ergo alias quidem prædicativa est, alias conditionalis. Quo fit ut eædem partes quæstionis sint quæ dudum esse dictæ sunt propositiones. Prædicativæ igitur quæstiones habent prædicatum atque subjectum, ut in ea qua dubitatur an cœlum sit volubile. Nam volubile prædicatum, cœlum vero subjectum est. Major enim terminus est volubile quam cœlum. Neque enim cœlum solum volubile dici potest. Quæ vero conjuncta est quæstio, habebit partes quod prædicatur et quod subjicitur, quod antecedit et quod consequitur, ut in ea quæ dicit, an si cœlum rotundum est, volubile est. Antecedit rotundum esse, sequitur volubile esse. Quæ cum ita sint, in prædicativa quæstione dubitatur an subjecto termino prædicatus inhæreat. In hypotheticis vero quæstionibus, illud tantum quæritur an illam rem quæ præcedit comitetur id quod sequents esse proponitur. Omnia vero quæ de prædicativis propositionibus dicta sunt, id est, quod aliæ universales, aliæ particulares, aliæ indefinitæ, aliæ singulares, eadem possunt dici fere in prædicativa quæstione. Hoc etenim tantum quæstio a propositione diversa est, quod propositio quidem vel enuntiata simpliciter, vel aliud probans, oratio est verum falsumve significans. Quæstio vero cum sit ipsa quidem oratio, dubitabilis tamen est propositio. Addita igitur dubitatione, quæ in propositione considerantur, eadem etiam convenit in quæstione tractari. Quæstionis autem duæ sunt species : una quæ dicitur a dialecticis ; thesis ; hæc hujusmodi est quæ de re cæteris circumstantiis nuda quærit ac disserit, quales a dialecticis maxime ad disputationem sumuntur, ut voluptasne summum bonum sit ? Ducendane uxor ? hæc a nobis propositio vel propositum dicitur. Altera vero quæ a Græcis vocatur hypothesis, a nobis dicitur causa ; hæc quæstio est personis, temporibus, factis, cæterisque circumstantiis implicita ; ea est hujusmodi : Jurene Cicero in exsilium dubio reipublicæ tempore detrudatur, quia injussu populi cives Romanos necaverit. Hujus autem duplicis quæstionis subdivisiones alias esse necesse est, et thesis quidem philosophis, hypothesis vero oratoribus attributa est. Sed ejus quidem quæstionis quæ est hypothesis posterius, divisiones dabo ; nunc de theseos divisione pertractabo, quæ in quatuor dividitur species. In omni enim dialectica quæstione prædicativa dubitatur an ei quod subjectum est id quod prædicatur inhæreat ; cum vero aliquid alicui inesse proponitur, id aut majus erit eo de quo prædicatur eique substantialiter inesse contenditur ; aut majus quidem eo erit, sed non de substantia ipsius prædicabitur ; aut ei erit æquale, et in substantia prædicabitur ; aut ei erit æquale, sed minime ejus substantiam continebit. Nam ut id quod minus est de eo quod majus est prædicemus, in nulla propositione evenit. Sed si tale est quod in quæstione proponitur, ut subjecto sit majus, et de subjecti substantia prædicetur, erit genus : omne enim genus est majus eo de quo prædicatur, et de substantia ejus dicitur, ut animal hominis. At si majus quidem fuerit, sed de substantia ejus non prædicetur, erit accidens, ut album homini. Quod si æquale quidem sit, sed substantiale, subjecti erit diffinitio, ut animal rationale mortale homini : hoc namque convertitur, et subjecti rationem, id est hominis substantiam, monstrat. Quod si æquale quidem sit, sed a ratione substantiæ sejunctum, erit proprium : ut risible homini. Itaque dialecticæ simplices, quæstiones, aut de genere, aut de accidenti, aut de diffinitione, aut de proprio fiunt. Possunt vero fieri etiam de differentia quæstiones cum quæritur cœlestia corpora rationalia sint necne, vel cum dubitatur eane sit tyranni ac principis differentia, quod hic legibus sumpsit imperium, ille violenta dominatione populum premit. Sed tantumdem est de differentia quærere, quantum si de genere dubitetur. Aut enim constitutiva erit differentia, aut divisiva : sed si constitutiva fuerit, quasi generis obtinet locum, ut rationabilitas homini ; vel si ratione degunt cœlestia corpora, cœlestibus quoque corporibus. At si divisiva fuerit, velut species consideratur, omnis enim species cum divisibili differentia est. Quod si differentia nunc quidem loco generis, nunc vero speciei loco utimur, ambigi non potest, cum de ea quæritur de genere dubitari ; fieri vero postest ut aliquid in certamen comparatione ducatur, velut cum ambigitur an melior sit fortitudo justitia. Sed hæc quæstio in accidentis necesse est dubitatione ponatur. Namque ad comparationem nihil nisi accidens venit, hoc enim solum recipit magis et minus. Rursus de eo quod est idem potest fieri certamen, ut an idem sit utile quod honestum. Sed hic quæstio diffinitioni aggreganda est : quarum enim rerum eadem est diffinitio, ipsæ quoque sunt eædem ; quarum vero diversa substantiæ ratio est, ipsæ quoque sunt diversæ. Igitur simplicis dialecticæ quæstiones recte quatuor species esse dicuntur, de quibus sufficienter dictum est. Nunc igitur de conditionalibus quæstionibus tractandum est, quarum quidem alia constat ex affirmativis duabus, alia ex duabus negativis, alia ex affirmatione et negatione, alia ex negatione et affirmatione. Si igitur ex duabus affirmationibus conditionalis constat propositio, id quæritur an affirmatio affirmationem sequatur ; quod si ex duabus negationibus propositio juncta sit, id in decertatione est an negatio negationem comitetur : quod si ex affirmatione et negatione, vel negatione et affirmatione copuletur, id ambigitur an affirmationem negatio, an affirmatio negationem comitetur. Ac prius quidem ejus quæstionis facienda

est divisio, in qua disceptatur an affirmationem affirmatio consequatur, quæ prædicativarum quæstionum non effugit divisionem. Nam ut præcedat aliquid et aliud consequatur, in his fere rebus evenire solet quas paulo superius commemoravi. Speciem quippe sequitur genus, vel differentia, vel diffinitio, vel proprium, vel inseparabile accidens. Item proprium ac diffinitionem sequitur species, proprium vero sequitur differentia et diffinitio, et diffinitionem sequitur proprium vel differentia, hoc modo: nam si homo est, animal est; et si homo est, rationale est; et si homo est, animal rationale mortale est; et si homo est, risibile est; si Æthiops est, niger est. Si risibile est, homo est; si animal rationale mortale est, homo est. Si risible, rationale est; si risible est, animal rationale mortale est; si animal rationale mortale est, risibile vel bipes est. Præter hæc autem alias quidem effectus causam, alias quidem effectum causa sequitur. Effectus causam ita: si sol præsto, est, lucet. Effectum causa hoc modo: si quid exustum est, ignis adfuit; vel sic: si sol videtur, lucet. Item totum partes sequuntur, ut si integra domus est, et tectum et parietes et fundamenta consistunt. Modus etiam sequitur nomen principale, ut sit justitia bona est, et quod juste est, bonum est. Nomen etiam principale sequitur modum, ut si quod juste est, bonum est, et justitia bona est. Accidentia quoque comitatur id quod subjectum est, ut si album est, corpus est. Quæ cum ita sint, conditionalis quoque simplex ex duabus affirmationibus copulata, illa fere divisio facienda est quæstionis, quod in ea vel de genere, vel de differentia, vel de specie, vel de proprio, vel de diffinitione, vel de accidenti, vel de causa atque effectu, vel toto ac partibus, vel de modo ac principali nomine dubitetur. Atque hæc de ea quæstione intelligenda sunt, quæ cum sit hypothetica simplex, ex duabus tamen jungitur affirmativis. In hisdem etiam differentiis illas quoque consistere necesse est quæstiones, quæ ab his veniunt propositionibus quæ ex utraque constant negatione. Nam si genus non est, species non est. Item si differentia, vel diffinitio, vel proprium non sit, species non erit. Et de cæteris quidem quæ superius dicta sunt, eodem modo considerandum est. Quidquid enim antecedit ut aliud consequatur, si id quod sequitur non fuerit, nec illud est quod antecedit. Earum vero quæstionum quæ ex affirmatione et negatione consistunt, illa fere divisio est, quod vel in diversis generibus, vel in diversis speciebus, vel in contrariis, vel in privatione atque habitu continentur; ut enim affirmationem negatio consequatur, aut diversum ponitur genus, ut quod ab eo diversum est abnuatur hoc modo: si homo est, albedo non est; vel si substantia est, qualitas non est; vel si sub eodem genere diversæ species proponantur hoc modo: si homo est, equus non est; vel si contraria, ut si album est, nigrum non est; vel si privationes, ut si cæcus est, non videt; et postremo in omnibus, quæcunque eadem non sunt, evenit, ut, si unum est, alterum non sit. Ita ut propositam affirmationem negatio comitetur, aut diversa erunt genera, aut diversæ species, aut contraria, aut privantia, aut quolibet alio modo sibi invicem inconvenientia. Ut autem negationem affirmatio consequatur, quæ erat quarta conditionalis propositionis differentia, fieri non potest, nisi in his contrariis quæ medio carent, et quorum alterum semper inesse necesse est, hoc modo: si dies non est, nox est; si tenebræ non sunt, lux est. Facta igitur prædicativarum quæstionum ac conditionalium divisione, illud insuper videtur addendum, quod omnis quæstio vel ex ratione disserendi, vel ex naturali, vel ex morali trahitur speculatione: ex disserendi ratione hoc modo, an affirmatio et negatio species sint enuntiationis; ex naturali ita, an cœlum rotundum sit; ex morali sic, an virtus ad beatitudinem sola sufficiat. Præterea quæstio omnis vel est simplex vel composita: simplex quoties affirmatione et negatione dividitur, ita ut totum alteri affirmare, alteri negare necesse sit hoc modo: an cœlum rotundum sit necne, hæc enim una pars quæstionis affirmationem tenet, alia negationem. Nam cum alter esse defendit, affirmat, alter vero negat, cum non esse contendit. Composita quæstio est quæ in plures distrahitur affirmationes, hoc modo, utrum cœlum rotundum sit, an quadratum, an longum, aut cujuslibet alterius formæ: hic enim plures affirmationes probare necesse est, quæ diversa defendunt. Et de quæstione quidem, quantum ad præsens negotium pertinebat, sufficienter dictum est. Conclusio vero est argumentis approbata propositio, de qua eadem fere dici possunt quæ de propositione. Quæ quoniam diligenter superius explicata sunt, de argumento deinceps tractandum videtur. Argumentum est ratio rei dubiæ faciens fidem. Hanc semper notiorem quæstione esse necesse est: nam si ignota notis probantur, argumentum vero rem dubiam probat, necesse est quod ad fidem quæstionis affertur, ipsa sit notius quæstione. Argumentorum vero omnium alia sunt probabilia et necessaria, alia probabilia et non necessaria, alia sunt necessaria, sed non probabilia, alia nec probabilia nec necessaria. Probabile vero est quod videtur vel omnibus, vel pluribus, vel sapientibus, et his vel omnibus, vel pluribus, vel maxime notis atque præcipuis, vel quod unicuique artifici secundum propriam facultatem, ut de medicina medico, gubernatori de navibus gubernandis, id præterea quod videtur ei cum quo sermo conseritur, vel ipsi qui judicat, in quo nihil attinet verum falsumve sit argumentum, si tantum verisimilitudinem teneat. Necessarium vero est quod ut dicitur, ita est, atque aliter esse non potest; probabile quidem ac necessarium est, ut hoc, si quid cuilibet rei sit additum, totum majus efficitur. Neque enim quisquam ab hac propositione dissentiet, et ita sese habere necesse est. Probabilia vero ac non necessaria sunt, quibus facile mens auditoris acquiescit, sed veritatis non tenent firmitatem, ut hoc: si mater est, diligit filium. Necessaria vero ac non

probabilia sunt quæ ita ut dicuntur esse habere necesse est, sed his facile non consentit auditor, ut est hoc, objectu lunaris corporis solis evenire defectum. Neque necessaria vero neque probabilia sunt quæ neque in opinione hominum neque in veritate consistunt, ut hoc, habere Diogenem cornua; quoniam unusquisque habeat quod nunquam perdiderit. Quæ quidem nec argumenta dici possunt, argumenta enim dubiæ rei faciunt fidem. Ex his autem nulla fides est quæ in opinione hominum neque in veritate sunt constituta. Dici tamen potest nec illa quidem esse argumenta quæ cum sint necessaria, minime tamen audientibus approbantur. Nam si rei dubiæ sit fides, cogendus est animus auditoris per ea quibus ipse acquiescit, ut conclusioni quoque quam nondum probat possit accedere. Quod si quæ tantum necessaria sunt ac non probabilia, non probat ille qui judicat, necesse est ut ne illud quidem probet quod ex hujusmodi ratione conficitur. Itaque evenit ex hujusmodi ratione, quæ tantum necessaria sunt ac non probabilia, non esse argumenta. Sed non est ita, atque hæc interpretatio non recte probabilitatis intelligentiam tenet. Ea sunt enim probabilia, quibus sponte atque ultro consensus adjungitur, cilicet ut mox ac audita sunt approbentur. Quæ vero necessaria sunt ac non probabilia, aliis probabilibus ac necessariis argumentis antea demonstrantur, cognitaque et credita ad alterius rei de qua dubitatur fidem trahuntur, ut sunt speculationes, id est theoremata quæ in geometria considerantur. Nam quæ illic proponuntur talia non sunt, ut his sponte animus discentis accedat, sed quoniam demonstrantur aliis argumentis, illa quoque scita et cognita, ad aliarum speculationum fidem ducuntur. Itaque quæ probabilia per se non sunt, sed necessaria, his quidem auditoribus quibus nondum demonstrata sunt, ad aliud aliquid approbandum argumenta esse non possunt; his autem qui prioribus rationibus eorum quibus non acquiescebant, fidem ceperunt, possunt ea si quid ambigunt ad argumentum vocari. Sed quia quatuor facultatibus disserendi omne artificium continetur, dicendum est, quæ quibus uti noverit argumentis, ut cui potissimum disciplinæ locorum paretur ubertas evidenter appareat. Quatuor igitur facultatibus, earumque velut opificibus disserendi omnis ratio subjecta est, id est dialectico, oratori, philosopho, sophistæ. Quorum quidem dialecticus atque orator in communi argumentorum natura versatur. Uterque enim sive necessaria, sive minime, probabilia tamen argumenta sequitur. His igitur illæ duæ species argumenta famulantur, quæ sunt probabile ac necessarium, probabile ac non necessarium. Philosophus vero ac demonstrator de sola tantum veritate pertractat, atque sint probabilia sive non sint, nihil refert, dummodo sint necessaria. Hic quoque his duabus speciebus utitur argumenti, quæ sunt probabile ac necessarium, necessarium ac non probabile. Patet igitur in quo philosophus ab oratore ac dialectico in propria consideratione dissideat, in eo scilicet quod illis probabilitatem, huic veritatem constat esse propositam. Quarta vero species argumenti, quam neque argumentum quidem recte dici supra docuimus, sophisticis solet esse attributa. Topicorum intentio est verisimilium argumentorum copiam demonstrare. Designatis enim locis ex quibus probabilia argumenta ducuntur, abundans et copiosa necesse est fiat materia disserendi. Sed quoniam (ut supra dictum est) probabilium argumentorum alia sunt necessaria, alia non necessaria, cum loci probabilium argumentorum ducuntur, evenit ut necessariorum quoque doceantur. Quo fit ut oratoribus quidem ac dialecticis hæc principaliter facultas paretur, secundo vero loco philosophis. Nam in quo probabilia quidem omnia conquiruntur, dialectici atque oratores juvantur; in quibus vero probabilia ac necessaria docentur, philosophiæ demonstrationi ministratur ubertas. Non modo igitur dialecticus atque orator, verum etiam demonstrator ac veræ argumentationis effector habet quod ex positis locis possit assumere, cum intra argumentorum probabilium locos, necessariorum quoque principia traditio ista contineat. Illa vero argumenta quæ necessaria quidem sunt, sed non probabilia, atque illud ultimum genus, scilicet nec probabile nec necessarium, a propositi operis consideratione sejunctum est, nisi quod interdum quidam sophistici loci exercendi gratia lectoris adhibentur. Quocirca topicorum pariter utilitas intentioque patefacta est His enim et dicendi facultas et investigatio veritatis augetur. Nam quod dialecticos atque oratores locorum juvat agnitio, orationi per inventionem copiam præstat; quod vero necessariorum doctrinam locorum philosophis tradit, viam quodammodo veritatis illustrat. Quo magis pervestiganda est rimandaque ulterius disciplina, eaque cum agnitione percepta sit, usu atque exercitatione firmanda. Magnum enim aliquid locorum consideratio pollicetur, scilicet inveniendi vias. Quod quidem hi qui sunt hujus rationis expertes soli prorsus deputant ingenio, neque intelligunt quantum hac consideratione quæratur quæ in artem redigit vim et potestatem naturæ. Sed de his hactenus. Nunc de reliquis explicemus.

LIBER SECUNDUS.

Omnia quidem quæ superioris serie voluminis expedita sunt, minus quibusdam forsitan eruditis supervacanea quodammodo et quasi dependentia videbuntur. Nam cum de differentiis topicis librorum titulum legerint, omissis doctrinæ gradibus statim finem operis attendunt. Mihi autem necessarium videtur quod, nisi sit præcognitum, ad ulteriora discentis animus pervenire non possit, hi quoque qui

nunc omnem primi voluminis disputationem superfluam putant, si cuncta perlegant contextionemque operis mente ac ratione collustrent, desinent profecto judicare superfluum, quod necessario viderint in parte operis collocatum. Atque hæc hactenus. Sed quoniam de his quæ antea posuimus, id est de propositione, quæstione, conclusione, argumento sufficienter dictum est, nunc de argumentatione tractemus. Argumentatio est per orationem argumenti explicatio. Hujus autem species duæ sunt, una quæ syllogismus, altera quæ vocatur inductio. Syllogismus est oratio in qua quibusdam positis est concessis, aliud quiddam per ea ipsa quæ concessa sunt, evenire necesse est, quam sint ipsa quæ concessa sunt. Hujus diffinitionis rationem secundus quidem liber eorum quibus institutionem in Categoricos scripsimus Syllogismos plene continet. Sed propter intellectus facilitatem idem breviter aperiemus exemplo. Sit enim syllogismus hic: omnis homo animal est, omne animal substantia est, omnis igitur homo substantia est. Totum igitur hoc oratio est, in qua positis quibusdam et concessis, id est duabus propositionibus quæ sunt, omnis homo animal est, et omne animal substantia est, per ea ipsa quæ concessa sunt, efficitur aliud aliquod, id scilicet quod est conclusio, omnis igitur homo substantia est. Per propositiones enim quæ concessæ sunt, sequentia necessario conclusionis infertur. Sunt autem propositiones hæ: omnis homo animal est, et omne animal substantia est, atque ex his efficitur aliud quiddam quam sunt ipsa quæ concessa sunt. Concluditur enim: igitur omnis homo substantia est, quod longe diversum est, et ab ea propositione quæ dicit: omnis homo animal est, et ab ea quæ proponit, omne animal esse substantiam. Syllogismorum vero alii prædicativi sunt, qui categorici vocantur, alii conditionales, quos hypotheticos dicimus. Et prædicativi quidem sunt, qui ex omnibus prædicativis propositionibus connectuntur, ut is quem exempli gratia superius annotavi, omnibus enim prædicativis propositionibus texitur. Hypothetici vero sunt, quorum propositiones conditione nectuntur, ut hic: si dies est, lux est; est autem dies, lux igitur est; propositio enim prima conditionem tenet hanc, quoniam ita demum lux est, si dies est. Atque ideo syllogismus hic hypotheticus, id est, conditionalis vocatur. Inductio vero est oratio per quam fit a particularibus ad universalia progressio, hoc modo: Si in regendis navibus non sorte, sed arte, eligitur gubernator; si in regendis equis auriga non sortis eventu, sed artis commendatione assumitur; si in administranda republica non sors principem facit, sed peritia moderandi, similiaque in pluribus conquiruntur, quibus infertur, et in omni quoque re quam quisque regi atque administrari graviter volet, non sorte accommodat, sed arte rectorem. Vides igitur quomodo per singulas res currat oratio, ut ad universale perveniat. Nam cum non sorte regi, sed arte, navim, currum et rempublicam collegisset, quasi in cæteris quoque ita sese res habeat, quod universale erat concludit hoc modo, in omnibus quoque rebus, non sorte ductum, sed arte principem debere præponi. Sæpe autem multorum collecta particularitas aliud quiddam particulare demonstrat, ut si quis sic dicat: Si neque navibus, neque curribus, neque agris sorte præponuntur rectores, ne rebus quidem publicis rectores sorte ducendi sunt. Quod argumentationis genus maxime solet esse probabile, etsi non æquam syllogismo habeat firmitatem. Syllogismus namque ab universalibus in particularia decurrit, estque in eo, si veris propositionibus contexatur, firma atque incommutabilis veritas. At inductio quidem habet maximam probabilitatem sed interdum veritate deficit, ut in hac: Qui scit canere cantor est, et qui luctari luctator est, quique ædificare ædificator est. Quibus multis simili ratione collectis inferri potest, qui scit igitur malum malus est, quod non procedit. Mali quippe notitia deesse bono non potest, virtus enim sese diligit et aspernatur contraria, nec vitare vitium nisi cognitum queat. His igitur duobus velut principiis et generibus argumentandi, duo quidem alii deprehenduntur argumentationis modi, unus quidem syllogismo, alter vero inductioni suppositus; in quibus quidem promptum sit considerare quod ille quidem a syllogismo, ille vero ab inductione ducat exordium, non tamen aut hic syllogismum, aut ille impleat inductionem. Hi autem sunt enthymema atque exemplum. Enthymema quippe est imperfectus syllogismus, id est oratio in qua non omnibus antea propositionibus constitutis infertur festinata conclusio, ut si quis ita dicat: homo animal est, substantia igitur est. Prætermisit enim alteram propositionem qua proponitur, omne animal est substantia. Ergo quoniam enthymema ab universalibus ad particularia probanda contendit, quasi simile syllogismo est; quod vero non omnibus quæ conveniunt syllogismo utitur propositionibus, a syllogismi ratione discedit, atque ideo imperfectus vocatus est syllogismus. Exemplum quoque inductioni simili ratione copulatur et ab ea dissidet. Est enim exemplum quod per particulare propositum, particulare quoddam contendit ostendere hoc modo: Oportet a Tullio consule necari Catilinam, cum a Scipione Gracchus fuerit interemptus. Approbatum est enim Catilinam a Cicerone debere perimi, quod a Scipione Gracchus fuerit occisus. Quæ utraque particularia esse ac non universalia singularium designat interpositio personarum. Quoniam igitur ex parte pars approbatur, quasi inductionis similitudinem tenet id quod exemplum vocamus. Quod vero non plures quibus id efficiat, colligit partes, ab inductione discedit. Ita igitur duæ sunt argumentandi species principales, una quæ dicitur syllogismus, altera quæ vocatur inductio. Sub his autem velut ex his manantia enthymema atque exemplum. Quæ quidem omnia ex syllogismo ducuntur, et ex syllogismo vires accipiunt; sive enim sit enthymema, sive inductio, sive exemplum, ex syllogismo vires quam maxime fidem capit, quod in Prioribus Resolutoriis, quæ Ab Aris-

totele transtulimus, demonstratum est. Quocirca satis est de syllogismo disserere,quasi principali et cæteras argumentationis species continente. Restat nunc quid sit locus aperire. Locus namque est (ut M. Tullio placet) sedes argumenti.Cujus diffinitionis quæ sit vis,paucis absolvam.Argumenti enim sedes partim propositio maxima intelligi potest, partim maximæ propositionis differentia. Nam cum sint aliæ propositiones quæ cum per se notæ sint, tum nihil ulterius habeant quo demonstrentur,atque hæ maximæ et principales vocentur, sintque aliæ quarum fidem primæ ac maximæ suppleant propositiones, necesse est ut omnium quæ dubitantur, illæ antiquissimam teneant probationem, quæ ita aliis facere fidem possunt, ut ipsis nihil notius queat inveniri. Nam si argumentum est quod rei dubiæ facit fidem,idque notius ac probabilius esse oportet quam illud est quod probatur, necesse est ut argumentis omnibus illa maxima fidem tribuant,quæ ita per se nota sunt, ut aliena probatione non egeant. Sed hujusmodi propositio aliquoties quidem intra ambitum argumenti continetur, aliquoties vero extra posita argumenti vires supplet ac perficit.Exemplum quidem est ejus argumenti, quod maximam propositionem tenet hujusmodi. Si enim quæstio an melius sit regnum consulatu,ita igitur dicemus: Regnum diuturnius est quam consulatus,cum utrumque sit bonum; at vero quod diuturnius est bonum eo quod est parvi temporis melius est; regnum igitur melius est quam consulatus. Huic igitur argumentationi maxima propositio, id est locus insertus est, illa scilicet, diuturniora bona sunt melioris meriti quam ea quæ parvi sunt temporis. Hoc enim ita notum est,ut extrinsecus probatione non egeat. et ipsum aliis possit esse probatio. Atque ideo hæc propositio totam continet probationem,et cum inde nascitur argumentum,recte locus,id est argumenti sedes vocatur. Ut vero extra posita propositio maxima vires afferat argumento, tale sit exemplum. Sit propositum demonstrare quoniam invidus sapiens non est. Invidus est qui alienis affligitur bonis; sapiens autem bonis non affligitur alienis; invidus igitur sapiens non est. In hac igitur argumentatione propositio quidem maxima non videtur inclusa,sed argumentationi vires ipsa maxima subministrat. Est enim huic syllogismo fides ex ea propositione per quam cognoscimus,quorum diversa et diffinitio, ipsa quoque diversa esse. Est autem in diffinitione invidi, alienis bonis tabescere, quod quoniam non venit in sapientem, idcirco sapiens ab invido sejungitur. Est igitur uno quidem modo locus (ut dictum est) maxima et universalis, et principalis, et indemonstrabilis, atque per se nota propositio, quæ in argumentationibus, vel inter ipsas propositiones,vel extrinsecus posita,vim tamen argumentis et propositionibus subministrat. Ideo et universales et maximæ propositiones loci sunt dictæ, quoniam ipsæ sunt quæ continent cæteras propositiones, et per eas fit consequens et rata conclusio. Ac sicut locus in se corporis continet quantitatem, ita hæ propositiones quæ sunt maximæ, intra se omnem vim posteriorum atque ipsius conclusionis consequentiam tenent, et uno quidem modo locus, id est argumenti sedes dicitur maxima, principalisque propositio fidem cæteris subministrans.Alio vero modo loci vocantur maximarum differentiæ propositionum,quæ scilicet ab his ducuntur terminis qui in quæstione sunt constituti,de quibus deinceps disserendum est. Cum enim sint plurimæ propositiones quæ maximæ vocantur, hæque sint inter se dissimiles, quibuscunque differentiis inter se discrepant, eas omnes locos vocamus. Nam si ipsæ propositiones maximæ argumentorum loci sunt,et differentias earum argumentorum locos esse necesse est. Nam uniuscujusque substantia ex propriis differentiis constat,ut hominis ex rationalitate, quæ ejus est differentia. Et hi loci qui sunt differentiæ propositionum,ipsis propositionibus universaliores existunt, velut universalior est rationalitas homine. Atque ideo pauciores esse deprehenduntur hi loci qui in differentiis positi sunt, quam propositiones ipsæ quarum sunt differentiæ. Omnia enim quæ universaliora sunt,pauciora semper esse contingit. Et ideo facile sub scientiam cadere possunt,quorum tam multus numerus non est, ut cito a memoria discentis elabantur. Quæ vero sunt hæ differentiæ melius divisione producuntur. In prædicativis autem quæstionibus unus quidem subjectus terminus dicitur,alius prædicatus. Nil quippe in prædicativis quæstionibus aliud quæritur nisi an subjecto prædicatus inhæreat. Quod si inesse constiterit,quæritur itane insit, ut genus, aut accidens, aut ut proprium, aut ut diffinitio. Nam si ostenditur non inesse, de quæstione nihil relinquitur. Nam quod non inest, omnino nec ut accidens, nec ut diffinitio, nec ut genus, nec ut proprium inesse potest. Quod si inesse constiterit, restat quæstio, quisnam modus sit de quatuor inhærendi. Solum vero inesse ad accidens maxime pertinet, nam cum neque ut genus, neque ut diffinitio, neque ut proprium inest,sed inest tamen, ut accidens inesse necesse est.Quæ cum ita sint,eorum locorum quos in maximarum propositionum differentia constituimus facienda divisio est.Per singula vero quæque currentibus manifestius apparebit exemplo, quod maximæ propositiones a suis differentiis distent. Etenim quæstiones, argumenta, propositiones maximas ac principales,locos,earumque differentias,per unumquodque dabimus exemplum. Omnes igitur loci, id est maximarum differentiæ propositionum, aut ab his ducantur necesse est terminis qui in quæstione sunt positi,prædicato scilicet atque subjecto,aut extrinsecus assumantur, aut horum medii qui inter utrosque versantur. Eorum vero locorum qui ab his ducuntur terminis de quibus in quæstione dubitatur, duplex est modus: unus quidem ab eorum substantia, alter vero ab his quæ substantiam eorum consequuntur.

Hi vero qui a substantia sunt, in sola diffinitione consistunt. Diffinitio enim substantiam monstrat, et substantiæ integra demonstratio diffinitio est. Sed id quod dicimus patefaciamus exemplis, ut omnis quæstionum, vel argumentationum, vel locorum ratio colliquescat. Age enim quæratur an arbores animalia sint, fiatque hujusmodi syllogismus: animal est substantia animata sensibilis; arbor vero substantia animata sensibilis non est; arbor igitur animal non est. Hæc de genere quæstio est, utrum enim arbores sub animalium genere ponendæ sint quæritur. Locus qui in universali propositione consistit, hic est cui generis diffinitio non convenit; id ejus cujus ea diffinitio est, species non est. Loci superior differentia, qui locus nihilominus nuncupatur a diffinitione. Vides igitur ut tota dubitatio quæstionis B syllogismi argumentatione tractata sit per convenientes et congruas propositiones, quæ vim suam ex prima et maxima propositione custodiunt, ex ea scilicet quæ negat esse speciem, cui non convenit generis diffinitio, atque ipsa universalis propositio a substantia tracta est unius eorum termini qui in quæstione locati sunt, ut animalis, id est, ab ejus diffinitione quæ est substantia animata sensibilis. Ita igitur in cæteris quæstionibus strictim ac breviter locorum differentiis commemoratis, oportet uniuscujusque proprietatem vigilantis animi alacritate percipere. Hujus autem loci qui a substantia ducitur duplex est modus; partim namque a diffinitione, partim a descriptione argumenta ducuntur. Differt autem diffinitio a descriptione, quod diffinitio genus C ac differentias sumit, descriptio subjecti intelligentiam claudit, quibusdam vel accidentibus efficientibus unam proprietatem, vel substantialibus differentiis præter conveniens genus aggregatis. Sed hæ diffinitiones quæ ab accidentibus fiunt, tametsi videntur nullo modo substantiam demonstrare, tamen quoniam sæpe veræ diffinitionis vice ponuntur, quæ substantiam demonstrant, illæ etiam probationes quæ a descriptione sumuntur, a substantiæ loco videntur assumi; hujus vero tale sit exemplum. Quæratur enim an albedo substantia sit, hic quæritur an albedo substantiæ velut generi supponatur. Dicimus igitur: substantia est quæ omnibus accidentibus possit esse subjectum; albedo autem nullis accidentibus subjacet; albedo igitur substantia non est. Locus, id est, maxima propositio eadem D quæ superius. Cujus enim diffinitio vel descriptio ei quod dicitur species esse non convenit, id ejus quod species esse perhibetur genus non est. Descriptio vero substantiæ albedini non convenit, albedo igitur substantia non est. Loci differentia superior a descriptione, quam dudum locavimus in ratione substantiæ. Sunt etiam diffinitiones quæ non a rei substantia, sed a nominis significatione ducuntur, atque ita rei de qua quæritur applicantur: ut si quæratur utrum philosophiæ studendum sit, erit argumentatio talis: Philosophia autor sapientiæ est, huic studendum nemo dubitat studendum igitur est philosophiæ; hic A enim non diffinitio rei, sed nominis interpretatio argumentum dedit, quo Tullius etiam in Hortensio in ejusdem philosophiæ usus est defensione, et vocatur græce quidem ὀνοματικὸς ὅρος, latine autem nominis interpretatio. Ac de his quidem argumentis quæ ex substantia terminorum in quæstione positorum assumuntur, claris (ut arbitror) patefecimus exemplis. Nunc de his dicendum est qui terminorum substantiam consequuntur. Horum multifaria est diversio, plura sunt enim quæ substantiis singulis adhærescunt. Ab his igitur quæ cujuslibet substantiam comitantur argumenta duci solent, aut ex toto, aut ex partibus, aut ex causis vel efficientibus, vel materia, vel naturali forma, vel fine, et est efficiens quædam causa quæ movet atque operatur, ut aliquid explicetur. Materia vero ex qua fit aliquid, vel in qua fit. Finis propter quod fit. Sunt etiam inter eos locos qui ex his sumuntur quæ substantiam consequuntur, aut ab effectibus, aut a corruptionibus, aut ab usibus, aut præter hos omnes a communiter accidentibus. Quæ cum ita sint, eum prius locum qui a toto fit inspiciamus. Totum duobus modis dici solet, aut ut genus, aut ut id quod integrum ex pluribus partibus constat. Et illud quidem quod ut genus totum est, hoc modo sæpe quæstionibus argumenta suppediat, ut si sit quæstio an justitia utilis sit, fit syllogismus: omnis virtus utilis est, justitia virtus est, justitia igitur utilis est. Hic est quæstio de accidenti, id est an accidat justitiæ utilitas. Locus est is qui in maxima propositione consistit: quæ generi adsunt speciei adsunt. Hujus superior locus est a toto, id est a genere, virtus scilicet, quæ justitiæ genus est. Rursus sit quæstio an humanæ res Providentia regantur, dicemus: si mundus Providentia regitur, homines autem partes mundi sunt, humanæ igitur res Providentia reguntur. Quæstio de accidenti locus: quod toti convenit, id congruit et parti. Supremus locus a toto, id est ab integro quod partibus constat: id vero mundus est, qui hominibus totum est. A partibus etiam duobus modis argumenta nascuntur, aut enim a generis partibus quæ sunt species, aut ab integri, id est totius quæ partes tantum proprio vocabulo nuncupatur, et de his quidem partibus quæ species sunt hoc modo sit quæstio, an virtus mentis bene constitutæ sit habitus. Quæstio est de diffinitione, id est an habitus mentis bene constitutæ sit virtutis diffinitio. Faciemus itaque a speciebus argumentationem sic: Si justitia, fortitudo, moderatio atque prudentia habitus mentis bene constitutæ sunt, hæc autem quatuor virtuti veluti generi subjiciuntur, virtus ergo bene constitutæ mentis est habitus, maxima propositio. Quod enim singulis partibus inest, id toti inesse necesse est. Argumentum vero a partibus, id est a generis partibus, quæ species nuncupantur: justitia enim, fortitudo, modestia, et prudentia virtutis species sunt. Item ab his partibus quæ integri partes esse dicuntur; sit quæstio an sit utilis medicina, hæc in accidentis dubitatione constituta est, dicemus: si depelli morbos salutem-

que servari mederique vulneribus utile est, utilis medicina est; at depelli morbos, servari salutem, mederique vulneribus utile est, utilis igitur medicina est. Sæpe autem et una quælibet pars valet, ut argumentationis firmitas constet, hoc modo, ut si de aliquo dubitetur an sit liber factus; si eum vel censu, vel testamento, vel vindicta manumissum esse monstremus, liber factus ostensus est, atque hæ partes erant dandæ libertatis. Ut rursus si dubitetur an sit domus, quod eminus prospicitur, dicemus quoniam non est: nam vel tectum, vel parietes, vel fundamenta ei desunt, ab una rursus parte factum est argumentum. Licet autem non solum in substantiis, verum etiam in modo, in temporibus, in quantitatibus, in loco, totum partesque respicere. Id enim quod dicimus, semper in tempore totum est. Id quod dicimus, aliquando in tempore pars est. Rursus si simpliciter aliquid proponamus, in modo totum est; si cum adjectione, aliqua pars fit modo. Item si omnia dicamus in quantitate, totum dicimus. Si aliquid a quantitate excerpsimus, quantitatis ponimus partem. Eodem modo et in loco quod ubique est, notum est quod alicubi, pars. Horum autem omnium hæc communiter debentur exempla, a toto ad partem secundum tempus: si Deus semper est, et nunc est, a parte ad totum secundum modum, si anima aliquo modo movetur, et simpliciter movetur, movetur autem cum irascitur, universaliter igitur et simpliciter movetur. Rursum a toto ad partes in quantitate: si verus est Apollo in omnibus vates, verum erit Pyrrhum Romanos superare. Rursus in loco: si Deus ubique est, et hic igitur est. Sequitur locus qui nuncupatur a causis. Sunt vero plures causæ quæ vel principium motus præstant atque efficiunt, vel specierum formas subjectæ suscipiunt, vel propter eas aliquid fit, vel quæ cujuslibet forma est. Argumentum igitur ab efficiente causa, ut si quis justitiam naturalem velit ostendere, dicat: congregatio hominum naturalis est, justitia vero congregatio hominum fecit, justitia igitur naturalis est. Quæstio de accidente, maxima propositio: quorum efficientes causæ sunt naturales, ipsa quoque sunt naturalia. Locus ab efficientibus causis: quod enim uniuscujusque causa est, id eam rem efficit cujus est causa. Rursus si quis Mauros arma non habere contendat, dicet idcirco eos armis minime uti, quod his ferrum desit. Maxima propositio, ubi materia deest, et quod ex materia efficitur, desit. Locus a materia: utrumque vero, id est ab efficientibus atque mater, uno nomine a causa nuncupatur. Æque enim id quod efficit, atque id quod operantis actum suscipit, ejus rei quæ efficitur causæ sunt. Rursus a fine, sit propositum sic, an justitia bona sit, fiat argumentatio talis: si beatum esse bonum est, et justitia bona est, hic enim est justitiæ finis, ut si quis secundum justitiam vivat, ad beatitudinem perducatur. Maxima propositio: cujus finis bonus est, ipsum quoque bonum est. Locus a fine: ab eo quoque quod cujuslibet forma est, ita non potuisse volare Dedalum, quoniam nullas naturali forma pennas habuisset. Maxima propositio: tantum quæque posse quantum forma naturalis sua permisit. Locus a forma: ab effectibus vero et corruptionibus et usibus hoc modo; nam si bona est domus, et constructio domus bona est, et econtrario, si bona est constructio domus, bona est domus. Rursus si destructio domus mala est, bona est domus, et si bona est domus, mala est destructio domus. Et si bonum equitare est, bonus est equus, et si bonus est equus, bonum est equitare. Est autem primum quidem exemplum a generationibus, quod idem ab effectibus vocari potest; secundum a corruptionibus; tertium ab usibus: omnium autem maxima propositio: cujus effectio bona est, ipsum quoque bonum est, et econverso; cujus ecorruptio mala est, ipsum quoque bonum est, et econverso; et cujus usus bonus est, ipsum quoque bonum est, et econverso. A communiter accidentibus argumenta fiunt quoties ea sumuntur accidentia, quæ relinquere subjectum vel non possunt vel non solent, ut si quis hoc modo dicat: Sapientem non pœnitebit, pœnitentia enim malum factum comitatur. Quod quia in sapiente non convenit, ne pœnitentia quidem. Quæstio de accidente. Maxima propositio: Cui non inest aliquid ei, nec illud quod ejus est consequens inesse potest; locus a communiter accidentibus. Expeditis igitur locis his qui ab ipsis terminis in quæstione positis assumuntur, nunc de his dicendum est qui, licet extrinsecus positi, argumenta tamen quæstionibus subministrant. Hi vero sunt vel ex rei judicio, vel ex similibus, vel a majore, vel a minore, vel a proportione, vel ex oppositis, vel ex transumptione. Et ille quidem locus qui rei judicium tenet, est hujusmodi: ut si dicamus id esse quod vel omnes judicant vel plures. Et hi vel sapientes, vel secundum unamquamque artium penitus eruditi. Hujus exemplum est, cœlum esse volubile, quod ita sapientes atque astrologi doctissimi judicaverunt. Quæstio de accidente. Maxima propositio: quod omnibus vel pluribus vel sapientibus hominibus videtur, ei contradici non oportere. Locus a rei judicio. A similibus vero hoc modo: si dubitetur an hominis proprium sit bipedem esse, dicemus: similiter inest equo quadrupes ut homini bipes; non est autem equo quadrupes proprium; non est igitur homini bipes proprium. Quæstio de proprio. Maxima propositio: si quod similiter inest, non est proprium, nec id de quo quæritur esse proprium potest. Locus a similibus. Hic vero in gemina dividitur, hæc enim similitudo aut in qualitate consistit, aut in quantitate; sed in quantitate paritas, id est æqualitas nuncupatur, in qualitate similitudo. Rursus ab eo quod est magis: si quæratur an sit animalis diffinitio, quod ex se moveri possit, dicemus sic: magis oportet animalis diffinitionem esse quod naturaliter vivat quam quod ex se moveri possit; non est autem hæc diffinitio animalis quod naturaliter vivat; nec ea quidem igitur quæ minus videtur esse, quod ex se moveri possit, animalis diffinitio putanda

est. Quæstio de diffinitione. Maxima propositio : si id quod magis videtur inesse non est, nec id quod minus videbitur inesse inerit. Locus ib eo quod magis est. A minoribus vero converso modo. Nam si est hominis diffinitio, animal gressibile bipes, cum id minus videatur esse diffinitio hominis, quam animal rationale mortale, sitque diffinitio hominis ea quæ dicit alias gressibile bipes, erit diffinitio hominis animal rationale mortale. Quæstio diffinitione. Maxima propositio: si id quod minus videtur inesse inest, id quod magis videbitur inesse, inerit. Multæ autem sunt diversitates locorum ab eo quod est magis et minus argumenta ministrantium, quos in expositione Topicorum Aristotelis diligentius persecuti sumus. Item a proportione, ut si quæratur an sorte sint eligendi in civitatibus magistratus, dicamus minime. Quia ne in navibus quidem gubernator sorte præficitur, est enim proportio. Nam ut sese gubernator habet ad navim, ita magistratus ad civitatem. Hic autem locus distat ab eo qui a similibus ducitur. Ibi enim una res unicuilibet alii comparatur. In proportione vero non est similitudo rerum, sed quædam habitudinis comparatio. Quæstio de accidente. Maxima propositio: quod in unaquaque re evenit, id in ejus proportionali evenire necesse est. Locus a proportione. Ex oppositis vero multiplex est locus. Quatuor enim sibimet opponuntur modis, aut enim ut contraria adverso sese loco constituta respiciunt, aut ut privatio et habitus, aut ut relatio, aut ut affirmatio et negatio. Quorum discretiones in eo libro qui de Decem Prædicamentis scriptus est, commemoratæ sunt, ab his hoc modo argumenta nascuntur. A contrariis, si quæratur an sit virtutis proprium laudari, dicam minime, quia nec vitii quidem vituperari. Quæstio de proprio. Maxima propositio: contraria contrariis conveniunt. Locus ab oppositis, id est ex contrario. Rursus in quæstione sit positum, an proprium sit oculos habentium videre. Dicam non, eos namque qui vident, alios etiam cæcos esse contingit. Nam in quibus est habitus, in eisdem etiam poterit esse privatio, et quod est proprium non potest a subjecto discedere. Et quoniam veniente cæcitate visus abscedit, non esse proprium habentium oculos videre convincitur. Quæstio de proprio. Maxima propositio: ubi privatio abesse potest, habitus proprium non est. Locus ab oppositis secundum habitum et privationem. Rursus sit in quæstione propositum, an patris sit proprium procreatorem esse. Dicam recte videri, quia filii est proprium procreatum esse: ut enim sese habet pater ad filium, ita procreator ad procreatum. Quæstio de proprio. Maxima propositio: oppositorum ad se relatorum propria, et ipsa ad se referuntur. Locus a relativis oppositis. Item sit in quæstione propositum an sit animalis proprium moveri. Negetur, quia nec inanimati quidem est proprium non moveri. Quæstio de proprio. Maxima propositio : oppositorum opposita propria esse oportere. Locus ab oppositis secundum affirmationem et negationem. Moveri enim et non moveri secundum affirmationem et negationem sibimet opponuntur. Ex transumptione hoc modo fit, cum ex his terminis in quibus quæstio constituta est, ad aliud quiddam notius dubitatio transfertur, et ex ejus probatione ea quæ in quæstione posita sunt confirmantur, ut Socrates cum quid posset in uno quoque justitia quæreret, omnem tractatum ad reipublicæ translulit magnitudinem, atque ex eo quod illic efficeret, in singulis etiam valere confirmavit. Qui locus a toto forsitan esse videbitur. Sed quoniam non inhæret his de quibus proponitur terminis, sed extra posita res hoc tantum quia notior videtur, assumitur, idcirco ex transumptione locus hic convenienti vocabulo nuncupatus est. Fit vero hæc transumptio et in nomine quoties ab obscuro vocabulo ad notius argumentatio transfertur hoc modo, ut si quæratur an philosophus invideat, sitque incognitum quid philosophi significet nomen. Dicemus ad vocabulum, transferentes notius non invidere, quia sapiens sit. Notius vero est sapientis vocabulum quam philosophi. Ac de his quidem locis qui extrinsecus assumuntur, liquide dictum est, nunc de mediis disputabitur. Medii autem loci sumuntur vel ex casu, vel ex conjugatis, vel ex divisione nascentes. Casus est alicujus nominis principalis inflexio in adverbium, ut a justitia inflectitur juste. Casus igitur est a justitia id quod dicimus juste. Conjugata vero dicuntur quæ ab eodem diverso modo deducta fluxerunt, ut a justitia justum, justus. Hæc igitur inter se et cum ipsa justitia conjugata dicuntur, ex quibus omnibus in promptu sunt argumenta. Nam si id quod juste est bonum est, et quod justum est bonum est, et si qui justus est bonus est, et justitia bona est. Hæc igitur secundum proprii nominis similitudinem consequuntur. Medii vero loci appellantur, quoniam si de justitia quæritur, et a casu vel a conjugatis argumenta ducuntur neque ab ipsa substantia proprie neque conjuncte, neque ab iis quæ sunt extrinsecus posita videntur trahi, sed ex ipsorum casibus, id est quadam ex ipsis levi mutatione deductis. Jure igitur hi loci medii inter eos qui ab ipsis et eos qui sunt extrinsecus collocantur. Restat locus a divisione qui tractatur hoc modo: Omnis divisio vel negatione fit, vel partitione. Negatione fit ut si quis ita pronuntiet: omne animal aut habet pedes aut non habet. Partitione vero velut si qui dividat: omnis homo aut est sanus, aut æger. Fit autem universa divisio vel generis in species, vel totius in partes, vel vocis in proprias significationes, vel accidentis in subjecta, vel subjecti in accidentia, vel accidentis in accidentia. Quorum omnium rationes in eo libro diligentius explicui quem de divisione composui. Atque idcirco inde ad horum omnium cognitionem congrua petantur exemplo. Fiunt autem argumentationes per divisionem, tum ea segregatione quæ per negotionem fit, tum ea quæ per partitionem. Sed qui his divisionibus utuntur, aut directa ratiocinatione contendunt, aut in aliquod impossibile atque inconveniens ducunt, atque ita id quod

nerant,rursus assumunt. Quæ facilius quisque oscet, si prioribus analyticis operam dederit. m tamen talia in præsens præstabunt exempla iam. Sit in quæstione propositum an ulla sit temporis.Quod qui negare volet, id nimirum cinatione firmabit nullo modo esse ortum, id- lirecta ratiocinatione monstrabit hoc modo : ous aut originem habet,aut non. Sed quoniam ius æternus est (id enim paulisper argumenti a concedatur), mundus vero sine tempore esse otuit,tempus quoque æternum est. Sed quod ium est caret origine,tempus igitur originem iabet.At si per impossibilitatem idem deside- ostendi,dicetur hoc modo: Tempus aut origi- habet,aut non.Sed si tempus habet originem, fuit semper. Tempus autem habet originem, gitur quando non fuit tempus.Sed fuisse tem- est significatio,fuit igitur tempus quando non empus,quod fieri non potest.Non est igitur ul- principium temporis.Posito namque ut ab ullo ipium cœperit, inconveniens quoddam atque sibile contingit,fuisse tempus quando non fue- mpus.Reditur itaque ad alteram partem, quod ie careat. Sed hæc, quæ ex negatione divisio im per ea quælibet argumenta sumuntur,fieri t ut utrumque sit,quod affirmatione et nega- dividitur. Itaque sublato uno alterum manet, altero reliquum tollitur,vocaturque hic a di- ie locus medius inter eos qui ab ipso duci so- atque eos qui extrinsecus assumuntur. Cum quæratur an ulla sit origo temporis, sumitur m esse originem, et ex ea per proprium con- ntiam de re ipsa quæ quæritur fit impossibili- et mendacii syllogismus.Quo concluso reditur ius quod verum esse necesse est.Siquidem id ei oppositum est ad impossibile aliquod incon- sque producitur.Itaque quoniam ex ipsa re, a quæritur,fieri syllogismus solet,quasi ab ipsis est deductus,quoniam vero non in eo permanet, oppositum redit,quasi extrinsecus sumitur.Id- ica divisione locus inter utrumque medius collo- Atvero qui ex partitione sumuntur duplici sunt aliquoties enim quæ dividuntur simul esse pos- it si vocem in significationes dividamus, om- mul esse possunt,veluti cum dicimus ample- ut actionem significat,aut passionem, utrum- imul significare potest.Aliquoties veluti nega- modo quæ dividuntur simul esse non possunt, : sanus est aut æger.Fit autem ratiocinatio in quidem modo divisionis, tum quia omnibus quod quæritur vel non adest,tum vero idcirco adesse vel non adesse quod aliis adsit aut mi- Nec in his explicandis diutius laborabimus, res resolutorii vel Topica Aristotelis diligentis im lectoris instruxerint.Nam si quæratur utrum substantia sit, atque hanc divisionem faciat utor:Canis vel latrabilis animalis, vel marinæ s,vel cœlestis sideris nomen est, demonstret- er singula et canem latrabilem substantiam

A esse,marinam quoque belluam et sidus substantiæ posse supponi,monstravit canem esse substantiam. Atque hic quidem ex ipsis in quæstione propositis, videbitur argumenta traxisse.At in talibus syllogi- smis: aut sanus est, aut æger ; sed sanus est, non igitur est æger;sed sanus non est, æger igitur est. Vel ita,sed æger est, sanus igitur non est ; vel ita, sed æger non est,sanus igitur est,ab his quæ sunt extrinsecus sumptus est syllogismus,id est ab oppo- sitis. Idcirco totus hic a divisione locus inter utros- que medius esse perhibetur,qui si in negatione sit constitutus,aliquo modo quidem ex ipsis sumitur, aliquo modo vero ab exterioribus venit. Si vero a partitione ducantur argumenta, nunc quidem ab ipsis,nunc vero ab exterioribus copiam præstant.Et B Græci quidem Themistii diligentissimi scriptoris ac lucidi,et omnia ad facilitatem intelligentiæ revocan- tis talis locorum videtur esse partitio.Quæ cum ita sint,breviter mihi locorum divisio commemoranda est, ut nihil præter eam monstretur esse relictum, quod non intra eam probetur inclusum.De quo enim in qualibet quæstione dubitatur, id ita firmabitur argumentis,ut ea vel ex ipsis sumantur quæ in quæ- stione sunt constituta,vel extrinsecus ducantur,vel quasi in confinio horum posita vestigentur.Ac præter hanc quidem diffinitionem nihil extra inveniri po- test. Sed si ab ipsis sumitur argumentum, aut ab ipsorum necesse est substantia sumatur,aut ab his quæ eam consequuntur,aut ab iis quæ inseparabili- ter accidunt,vel his adhærent,et ab eorum substan- tia separari sejungique vel non possunt, vel non C solent.Quæcunque vero ab eorum substantia ducun- tur, ea aut in descriptione, aut in diffinitione sunt, et præter hæc a nominis interpretatione. Quæ vero ea velut substantiam continentia consequuntur,talia sunt,ut vel generis, vel differentiæ, vel integri, vel specierum,vel partium loco circa ea quæ inquirun- tur assistant. Item vel causæ,vel efficientes,vel ma- teriæ, vel formæ, vel finis, vel effectus, vel corrup- tiones, vel usus, vel quantitates, vel tempus, vel modi.Quod vero proprie inseparabile vel adhærens accidens nuncupatur,id in communiter accidentibus numerabitur. Et præter hæc quidem aliud quod cui- que inesse possit inveniri non potest.Quibus ita po- sitis inspiciamus nunc eos locos quos dudum extrin- secus pronuntiabamus assumi.Ea enim quæ extrin- D secus assumuntur,non sunt ita separata atque dis- juncta, ut non aliquo modo quasi e regione quadam ea quæ quæruntur aspiciant. Nam et similitudines et opposita ad ea sine dubio referuntur quibus similia vel opposita sunt,licet jure atque ordine videantur extrinsecus collocata. Sunt autem hæc, similitudo, oppositio,majus, minus, rei judicium. In similitu- dine enim tum rei similitudo,tum proportionis ratio continetur. Omnia enim similitudinem tenent. Op- posita vero in contrariis, in privationibus, in rela- tionibus,in negationibus constant.Comparatio vero majoris ad minus quædam similium dissimilitudo est.Rerum enim per se similium discretio majus ac

minus facit.Quod enim omni qualitate omnique ratione disjunctum est,id nullo modo poterit comparari.Ex rei vero judicio quæ sunt argumenta quasi testimonium præbent et sunt inartificiales loci,atque omnino disjuncti, nec rem potius quam judicium opinionemque sectantes.Transsumptionis vero locus nunc quidem in æqualitate, nunc vero in majoris minorisve comparatione consistit. Aut enim ad id quod est simile,aut ad id quod est majus aut minus, fit argumentorum rationumque transsumptio.Hi vero loci quos mistos esse prædiximus,aut ex casibus,aut ex conjugatis,aut ex divisione nascuntur.In quibus omnibus consequentia et repugnantia custoditur.Sed ea quidem quæ ex diffinitione,vel genere,vel differentia,vel causis argumenta ducuntur,demonstrativis maxime syllogismis vires atque ordinem subministrant,reliqua verisimilibus ac dialecticis. Atque hi loci qui maxime in eorum substantia sunt de quibus in quæstione dubitatur, ad prædicativos ac simplices, reliqui vero ad hypotheticos et conditionales respiciunt syllogismos.Expeditis igitur locis et diligenter tam diffinitione quam exemplorum luce patefactis, dicendum videtur quomodo hi loci maximarum sint differentiæ propositionum idque brevi,neque enim longa disputatione res eget. Omnes enim maximæ propositiones vel diffinitionem continent, vel descriptionem, vel nominis interpretationem, vel totum, vel partes,vel genus, vel species, vel cætera quibus differunt inter se maximæ propositiones.Nam in eo quod sunt maximæ non differunt, sed in eo quod hæc a diffinitione quidem, illa vero a genere, alia veniunt ab aliis locis,et his jure differre,hique earum differentiæ dicuntur.Sed quoniam divisio Themistii patefacta est, nunc ad M. Tullii divisionem B transeamus.

LIBER TERTIUS.

Quod locorum differentias multipliciter varieque tractamus,nihil mirum diligentibus ingeniis videri debet,cum manifestum sit,unamquamque rem multis sæpe differentiis,atque in varias divisionis figuras posse partiri.Nam quia singulas res non una,sed plures sæpe differentiæ comprehendunt,necesse est, ut secundum differentiarum varietatem fiat diversitas etiam divisionum,ut et numeri nunc eas colligimus differentias,quod alii pares, alii impares,nunc vero quod alii primi atque incompositi,alii secundi atque compositi.Triangulorum etiam multis modis C fieri partitionem geometricæ disciplinæ tenor ostendit.Id tamen in omnibus pervidendum est,ut nihil extra in qualibet divisionis forma relinquatur,nihil ultra superfluum ac præterquam necesse est,aggregetur;quare quid mirum videri debet,si cum antea secundum Themistium locorum differentias dederimus,nunc diversas secundum M.Tullium depromamus ? Cujus proposita breviter partitione, atque exemplis convenientibus expedita,tum demum quo differat,vel quo congruat superius digestæ divisioni, quo etiam altera claudat alteram commemorabo. Nam cum M. Tullius omnem logicam facultatem, quam rationem diligentem disserendi dixit,duas habere partes proposuerit, unam inveniendi, alteram judicandi; cumque locos diffinierit esse argumenti D sedes a quibus scilicet argumenta promuntur,argumentum etiam rationem quæ rei dubiæ faciat fidem, divisionem locorum omnium hoc modo fecit.Ex his, inquit,locis,in quibus argumenta inclusa sunt, alii in ipso hærent de quo agitur,alii assumuntur extrinsecus.Duas igitur locorum species fecit, alios enim in ipsis quæstionum terminis hærere proposuit,alios extrinsecus assumi. Atque eos quidem qui in ipsis hærerent de quibus quæritur,tali divisione partitur. In ipso, inquit, tum ex toto, tum ex partibus ejus, tum ex nota, tum ex his rebus quæ quodammodo *affectæ* sunt ad id de quo quæritur.Extrinsecus autem ea dicuntur quæ absunt longeque disjuncta sunt. Post hæc eum locum qui ab effectis ducitur,in convenientia membra partitus est,hoc modo:alia enim, inquit, sunt conjugata, alia ex genere, alia ex forma,alia ex similitudine, alia ex differentia, alia ex contrario, alia ex conjunctis, alia ex antecedentibus,alia ex consequentibus, alia ex repugnantibus, alia ex causis,alia ex effectis, alia ex comparatione majorum aut minorum aut parium.Quorum quidem omnium et natura breviter attingenda est,et exempla ponenda. Eorum igitur locorum qui in ipso de quo agitur hærent,primum esse dixit a toto. Totum autem uniuscujusque rei in diffinitione constat. Omnis enim diffinitio rei quam diffinit adæquatur; quod si una quæque res tota est (nihil enim integrum esse nisi totum potest),diffinitione quoque totum esse necesse est, id est, quæ totam rei quam diffinit substantiam claudat. Diffinitio vero est oratio quæ uniuscujusque rei quidem esse designat. Ab hac ita ducitur argumentum ut sit quæstio,an arbores quoque sint animalia. Dicam : Animal est est substantia animata sensibilis;arbor non est substantia animata sensibilis;concludam:Non sunt igitur arbores animalia. Quæstio de genere. Maxima propositio: Unde diffinitio abest, inde illud quoque abesse quod diffinitur. Locus a diffinitione. Partes vero sunt,quarum conventu efficitur totum. Partes etiam vocantur quæ dividunt totum,hæ autem species vel formæ nuncupari solent.A quibus hoc modo sumitur argumentum.Ab his quidem partibus,quarum conjunctione componitur totum hoc modo, ut si sit dubitatio an sit anima corporea, partiemur animam velut his tribus partibus,quod vel vegetabilem,vel sensibilem, vel intelligibilem præstet, ut ipsum neque vegetare,neque sentire, neque intelligere corporale est. Cumque nulla sit pars animæ corporalis, omnino anima corporalis non esse monstrata est. Quæstio de genere, id est, an anima cor-

ɔjiciatur ut generi, argumentum a partibus. A
ı propositio : A quibus partes absunt, totum
abesse. Locus a partibus totum conjungen-
em ab his partibus quæ totum dividunt hoc
sit in quæstione an anima secundum locum
ur. Dicam motus secundum locum tres spe-
ıt, crementum, diminutio, permutatio; anima
ue crescit, neque minuitur, neque ab alio
alium transit, non igitur movetur. Quæstio
lente. Maxima propositio, eadem quæ su-
ocus a partibus totum dividentibus. A nota
ntum est, quoties ab interpretatione nomi-
lubiæ fides quæritur, hoc modo, ut si du-
an philosophia sit bonum. Dicemus, philo-
st amor sapientiæ, at id bonum est, philo-
gitur bonum est. Hic igitur rem non diffini- B
sed nomen diffinitione prodidimus. Quæstio
re. Maxima propositio : Nominis interpreta-
m declarari. Locus a notatione. Conjugata
e ab eodem nomine flectuntur, ut a justi-
um, juste. Ab his ita capitur argumentum,
æratur an ridere gaudere sit. Dicemus, Si
udium est, et ridere gaudere est. Quæstio
lente. Maxima propositio : Conjugatorum
ı esse naturam. Locus a conjugatis. Genus
l de pluribus specie differentibus in eo quod
ædicatur. Ab hoc ita ducitur argumentum,
æratur utrum anima numerus sit seipsum
ut Xenocrati placuit. Dicemus, Anima sub-
est, numerus vero substantia non est, igitur
umerus non est. Quæstio de diffinitione,
enere. Maxima propositio : Quorum diversa C
ıera, ipsa esse quoque diversa. Forma est
luribus numero differentibus in eo quod quid
catur. Ab hac fit argumentum hoc modo,
eratur an color in subjecto sit, id approba-
o, quoniam album vel nigrum in subjecto
ɔecie scilicet ad genus deducentes. Quæstio
e. Nam in subjecto esse vel non esse, acci-
substantiam significat, quæ sunt prima
enera. Maxima propositio : In formis spe-
erum proprietates. Locus a forma. Simili-
eadem rerum differentium qualitas. Ab hac
ırgumentum judicatur, ut si quæratur sorte
one rectores civitatibus dandi sunt, nege-
iam ne in navi quidem sorte, sed electione
ector eligitur. Similis est navis quidem ci- D
ıbernator autem magistratui. Quæstio de
e, locus a simili. Maxima propositio : De
s idem est judicium. Item a differentia, ut
ıtur an idem sit rex quod tyrannus. Dice-
ıime, nam in rege, pietas, justitia, mansue-
tyranno cuncta diversa sunt. Quæstio de
ne, locus a differentia. Maxima propositio :
ium rerum non idem esse judicium. Con-
ro quæ Cicero appellat, quatuor modis
ur: aut enim adversa sunt, ut album, ni-
ıt privantia, ut justitia, injustitia; aut re-
dominus, servus ; aut negativa, ut vivere,

non vivere, Ab his omnibus ita argumenta ducun-
tur. Ab adversis : si bona est sanitas, mala est ægri-
tudo; a privantibus: si injustitiam fugimus, justitiam
sequamur; a relativis : quisquis pater esse vult, ha-
beat filium ; a negantibus : non me accusas fecisse
quod me non fecisse defendis. Quæstiones de acci-
dentibus. Maxima propositio : Id adversis, privanti-
bus et negantibus contraria sibi convenire non posse,
in relativis autem absque se relativa esse non posse.
Locus a contrariis, quæ melius opposita vocarentur.
Adjuncta sunt quæ finitimum tenent locum, ita ut
temporibus quoque, tam antecedant, ut amorem
congressio ; tum rei cui adjuncta sunt hæreant, ut
ambulationi pedum strepitus; tum consequantur, ut
atrox facinus mentis trepidatio. Neque hæc neces-
saria sunt, sed frequenter eveniunt. Nam neque qui
congressus est, modis omnibus amavit, et qui con-
gressus non est, uno semel aspectu in amorem in-
cidit ; et ambulante aliquo potest non esse strepitus
pndum, et non ambulante pedes strepere, si uno
eodemque loco consistens pedes moveat ; et trepi-
dare quis, cum nihil atrox fecerit, et non trepidare
qui fecerit : ab his ducetur argumentum, vel cum
amare aliquem suscipiamus, quia fuerit ante con-
gressus, vel ambulasse aliquem in locum, cum pe-
dum strepitus fuerit auditus, vel atrox facinus com-
misisse, quem trepidare videamus, atque in his
quæstiones de accidentibus, locus ab adjunctis.
Maxima propositio: Ex adjunctis adjuncta perpendi.
Antecedentia vero sunt, quibus positis statim ne-
cesse est aliud consequatur, velut cum dicimus si
homo est, animal est. Neque in his temporibus ra-
tio, nec rerum necessitas varia est, sed statim ut
dictum fuerit id quod antecedit, id comitatur quod
subsequens est. Hic vero locus totus in conditione
est constitutus. Posita enim conditione si sit antece-
dens, esse necesse est quod consequitur, hoc modo :
Si peperit, cum viro concubuit, antecedens est pepe-
risse, cum viro concubuisse consequens : nam neque
illud quæritur quid prius tempore sit, quid posterius;
et sæpe ista ita variantur, ut id quod posterius est
tempore, antecedens esse videatur in propositione,
ut peperisse posterius est quam concubisse. Tamen
si peperit, modis omnibus cum viro concubuit, et
hoc præcedente et prius posito, necesse est illud
intelligatur. Aliquoties vero simul sunt, ut : si sol
ortus est dies est ; aliquoties prius est quod præce-
dit, posterius quod consequitur, ut : si arrogans est,
odiosus est; ex arrogantia enim quisque fit odiosus.
Ex antecedenti igitur sumitur argumentum : si pe-
perit, cum viro concubit ; sumo quod antecedit,
at peperit ; concludo quod sequitur, cum viro igitur
concubuit. A consequentibus ita sumo quod sequi-
tur, at non concubuit cum viro, concludo quod an-
tecedit, non igitur peperit. Quæstio est de accidente,
locus ab antecedentibus et consequentibus. Maximæ
propositiones : Posito antecedenti comitari quod
subsequitur, perempto consequenti perimi quod an-
tecedit. Repugnantia vero sunt contrariorum con-

sequentia,ut vigilare,dormire, contraria sunt, stertere dormientibus adjunctum est. Stertere igitur ac vigilare repugnantia sunt,ab his ita fit argumentum: Tune eum dicas vigilare, qui stertat ? Quæstio de accidente, argumentum a repugnantibus. Maxima propositio : Repugnantia sibi convenire non posse. Causa est efficiens, quæ quamlibet rem præcedens efficit, non semper tempore, sed proprietate naturæ,ut sol diem.Ab hac ita sumitur argumentum : Cur esse dubites diem, cum solem in cœlo esse conspicias ? Quæstio de accidente : nam diem esse accidit aeri,id est esse propter solem lucidum ; argumentum ab efficientibus causis. Maxima propositio : Ubi causa est, inde effectum abesse non posse. Effectum est quod efficit causa. Ab hoc ita sumitur argumentum : An tu dubites amasse,quam rapuit ? Quæstio de accidente,argumentum ab effectis.Maxima propositio : Ubi effectus est, causam abesse non posse, veluti non abfuit amor qui fuit causa, cur rapuerit, quod est effectus. Comparatio vero majoris est, quoties id quod minus est majori comparatur. Ab hoc loco ita sumitur argumentum : Si is qui patriam bello persecutus est tandem veniam meruit a civibus, cur non is quoque mereatur qui ob seditionem motam actus est in exsilium ? Quæstio de accidente,argumentum a comparatione majoris. Maxima propositio : Quod in re majore valet, valeat in minore. Minoris est comparatio,quoties major res confertur minori ; atque ex ea capitur argumentum hoc modo : Si Caium Gracchum mediocriter labefactantem statum reipublicæ Scipio privatus interfecit,cur non Catilinam orbem terræ cæde atque incendio vastare cupientem consules persequantur ?Quæstio de accidente, argumentum a comparatione minoris.Maxima propositio: Quod in re minore valet,valeat in majore.Paria sunt quæ ejusdem quantitatis sunt,et semper paritas similitudo est quantitatis. Ab hac ita fit argumentum: Si Demosthenem quis laudare desiderat, cur vituperet Tullium ? Quæstio de accidente, argumentum a comparatione parium. Maxima propositio : Parium idem esse judicium.Restat is locus quem extrinsecus dixit assumi,hic judicio nititur et auctoritate,et totus probabilis est,nihil continens necessarium. Probabile autem est quod videtur vel omnibus, vel pluribus,vel doctis et sapientibus,et inter hos claris atque præstantibus,vel his qui secundum unamquamque artem peritiam consecuti sunt,ut medico in medicino geometræ in geometria. Ab hoc loco tale est argumentum,veluti si dicam : Difficile est cum Carthaginensibus bellum gerere,quoniam id P. Scipio Cornelius Africanus dixit qui sæpe fuerat expertus. Hic vero locus extrinsecus dicitur constitutus, quoniam non de his prædicati vel subjecti sunt termini sumitur, sed ab extrinsecus posito judicio venit ; hic etiam inartificialis et artis expers vocatur, quoniam non sibi hinc ipse conficit argumentum orator, sed peractis positisque utitur testimoniis. Expeditis igitur M. Tullii differentiis quibus ipse a se maximas propositiones,quas locos esse diximus, seA paravit,pertractanda breviter mihi videtur superius digesta partitio,ut ea quæ similia videntur a semetipsis ratione congrua segregentur.Similis enim videtur locus a toto ei qui est a nota, uterque enim in diffinitione est constitutus.Nam interpretatio nominis quædam ipsius nominis diffinitio est. Sed illa eorum maxima est differentiæ,quia locus a toto rem diffinit : a nota vero rem non diffinit,sed nomen interpretatur. Diversa vero sunt res ac nomen. Hoc enim significet, illa significatur. Item locus a partium enumeratione consimilis videtur esse ei qui est a forma.Nam et forma pars est,et qui genus dividit enumerat partes, neque aliter fieri ex forma argumentum potest nisi dividatur a genere ; sumi enim omnino forma non potest, nisi per divisionem. Sed B hic quoque multa est differentia : nam partium enumeratio totas necesse est ut dividat partes, easque universas ad fidem argumentationis assumat, sive illæ partes,sive illæ sint species, ut genus quidem speciebus,totum vero partibus approbetur.In forma vero sufficit ad demonstrandum quod de genere dicitur una quælibet. Item locus a contrario et repugnantibus videtur esse consimilis, sed habet differentiam,quia contraria primis sibimet frontibus opponuntur.Repugnantia vero per conjunctionem contrariorum sibi probantur adversa, ut dormire ac vigilare statim sibi contraria sunt. Stertere vero repugnat vigilationi idcirco quia somno conjungitur. Adjuncta vero et antecedentia et consequentia quasi finitima sunt. Sed distant, quod in adjunctis nulla C est necessitas; in accidentibus vero et consequentibus maxima ; in adjunctis vero tempora nimium valent.Nam quod adjunctum est, id vel præcedere rem solet, vel cum ea uno eodemque tempore esse, vel subsequi posterius.At in antecedentibus nihil horum est, sed non habita temporis ratione mox ut fuerit antecedens, consequens esse necesse est, et si consequens non fuerit,antecedens necesse est interire. Ac de M.Tullii locis sufficienter dictum est, nunc ad Themistii divisionem redeamus,ut quomodo sibi superius digestæ partitiones consentire possint breviter explicemus,ac primum quidem totius partitionis communiter differentias colligamus.Superior divisio docuit alios Themistii esse locos qui in ipsis terminis de quibus quæritur insunt,alios qui extrinsecus D assumuntur, alios qui inter utrosque versantur,ut hic trina intelligatur divisio. At M. Tullii divisio locos bifariam ostendit: Alios enim in eo ipso de quo agitur hærere proponit, alios extrinsecus assumi.Hic igitur omnes eos locos,quos medios Themistius proposuit,his applicuit atque conjunxit qui sunt in ipsis de quibus agitur terminis constituti, et communiter quidem talis divisionum est differentia,quæ clarius apparebit,si singula persequamur. Eos igitur locos,qui positi sunt in terminis, de quibus in quæstione dubitatur, priore partitione Themistius,tum in substantia posuit,tum in substantiæ consequentia. In substantia sunt diffinitio, descri-

ptio, nominis interpretatio. Substantiæ vero consequentia sunt genus, totum, species, pars, causa efficiens, materia, forma, effectus, corruptio, finis, usus, communiter accidentia. Eos vero qui extrinsecus assumuntur, tum in judicio, tum in similitudine, tum in quantitatis comparatione, tum in oppositione, tum in proportione, tum in transumptione separavit. Quos vero inter utrosque posuit, hos in casibus et conjugatis et divisione constituit. Sed M. Tullius eos qui in ipso sunt de quo quæritur, tum ex toto, tum ex partibus ejus, tum ex nota, tum ex his rebus quæ quodammodo affectæ sunt ad id de quo quæritur posuit. Ipsa vero quæ affecta sunt multifaria divisione partitus est, solum vero judicium extrinsecus segregavit, pluresque partes eorum quæ in divisione Themistii posita sunt substantiæ consequentia. Itemque locos medios inter affecta numeravit. In tam vero varia divisione necesse est ut utræque sibi non eadem parte conveniant. Id vero in cunctis multipliciter divisis fieri potest, velut si quis dividat triangulorum formas sic : triangulorum aliæ sunt æquilateræ formæ, aliæ duo tantum latera habentes æqualia, aliæ vero totis inæqualibus lateribus junctæ. Rursus sit ista divisio: ut alias dicat aliquis rectum A habentes angulum, quæ orthogoniæ nuncupantur, alias dicat tribus acutis angulis contineri, quæ sunt oxygoniæ, alias in obtusum angulum tendi, quæ sunt ambligoniæ. Necesse est igitur ut utræque sibi diversa partium ratione conveniant. Nam quod est orthogonium, id semper vel duobus lateribus æqualibus continetur, vel tribus inæqualibus. Sed quod est ambligonium, id vel duobus lateribus continetur æqualibus, vel tribus inæqualibus. Sed quod est oxygonium, id vel tribus lateribus æqualibus, vel duobus inæqualibus continetur. Rursus id quod est æquilaterum semper est oxygonium, id vero quod duobus æqualibus lateribus continetur, vel orthogonium, vel ambligonium, vel oxygonium esse potest. Quod vero tribus inæqualibus continetur lateribus, vel orthogonium, vel ambligonium esse necesse est. B Secundum igitur hunc modum cunctam M. Tullii atque Themistii divisionem a principio pariter ordientes, invicem sibimet clausam esse monstremus, in quibus omnibus et exemplorum et intelligentiæ superius expeditæ præsens debet esse memoria. Disponamus igitur omnem Themistii divisionem, et post hanc subjiciatur Tulliana partitio, ut ea quæ dicenda sunt apertius oculis subjecta clarescant.

Themistii divisio.



In ipso.	Extrinsecus.	Medii.
1 A substantia.	1 A rei judicio.	A casibus.
2 A definitione.	2 A similibus.	A conjugatis.
3 A descriptione.	3 A majore.	A divisione.
4 A nominis interpretatione.	4 A minore.	
5 A consequentibus.	5 Ex oppositis vel contrariis, vel relativis, vel secundum privationem et habitum, vel per affirmationem et negationem.	
6 A toto vel genere.	6 A proportione.	
7 A partibus vel specie.	7 A transumptione.	
8 Ab efficientibus.		
9 A materia.		
10 A forma.		
11 A fine.		
12 A effectibus.		
13 A corruptionibus. Ab usibus.		
14 A communiter accidentibus.		

M. Tullii divisio.



Ab ipso. Extrinsecus.



A toto. Ab antecedentibus.
A partibus. A consequentibus. Ab auctoritate.

A nota.
A conjugatis.
A genere.
A forma.
A similitudine.
A differentia.
A contrario.
Ab adjunctis.
A repugnantibus.
A causis.
Ab effectis.
A comparatione
Vel majorum.
Vel minorum.
Vel parium.

Quibus ita descriptis, nunc quemadmodum Marci Tullii divisio Themistii partitioni conveniat explicemus. Locum igitur quem Cicero dixit a toto, a substantia Themistius esse proposuit. Uterque enim in diffinitione consistit, sive illa substantialis sit, sive descriptio. A partium enumeratione locus ex Ciceronis Topicis positus idem est qui in Themistii divisione inter medios a divisione nominatus est. Quoties enim aliquid esse vel non esse monstrare contendimus, si fidem a partium enumeratione capiamus, id ex divisione necessario faciendum est. Divisio vero aut formarum præcessit, aut partium, quanquam locus qui ex divisione a Themistio inter medios collocatus est, a Cicerone in generis tractatione ponitur. Ait enim Tullius cum de genere loqueretur hoc modo: Commode etiam tractatur hæc argumentatio, quæ ex genere sumitur, cum ex toto partes persequare, hoc modo : si dolus malus est, cum aliud agitur, aliud simulatur, enumerare licet quibus modis id fiat, deinde in eorum aliquem id quod arguas dolo malo factum, includere. Quod genus argumenti imprimis firmum videri solet. A notatione Tullii locus is est qui Themistii a nominis interpretatione. A conjugatis communis est locus, cum Themistius inter medios collocavit. A genere M. Tullius posuit, a toto Themistius. A forma Ciceronis, a parte, id est, specie Themistii. A similitudine communis quidem est, nisi quod M. Tullius sub ea proportionem comprehendit. A differentia M. Tullii, a toto in Themistii divisione, vel a parte intelligi potest: a toto quidem, si sit constitutiva differentia de qua sumitur argumentum, a parte vero si sit divisibilis. A contrario idem locus est, qui apud Themistium ab oppositis dictus est, et extrinsecus constitutus. Ab adjunctis ille est qui in Themistii partitione a communiter accidentibus dicitur inter consequentia substantiæ nominatus. Ab antecedentibus et consequentibus locus multifariam spargitur. Nam et diffinitio et descriptio et antecedere rem et consequi possunt. Itemque nominis interpretatio: item species antecedit, genus consequitur. Causa etiam efficiens antecedit et sequitur effectus; materiam vero sequitur effectus. Communiter accidentia quoque inseparabilia sint, necesse est ut consequantur. Conjugata etiam sese vel antecedunt vel consequuntur itaque hic locus pluribus misus est, et non tam rebus ab aliis omnibus quam tractatione diversus. Ipsa enim consequentis locum alium facit, cum ipsa conditio consequentiæ, vel in diffinitione, vel in descriptione, vel in forma, vel in causa, vel in cæteris posita sit. Repugnantia vero oppositis aggregantur, efficientia causis efficientibus vel materiæ effecta illi sunt consimilia loco quem Themistius posuit a fine; nam causarum effectus finis est. A comparatione majoris vel minoris idem locus est qui apud Themistium inter extrinsecos locos ponitur a majore et minore. A comparatione partium inter eos qui a simili ducuntur esse putandus est. Dictum est enim in quantitate similitudinem esse paritatem. Restat locus utrisque communis, qui est extrinsecus collocatus, quem Cicero, sicut Themistius, a rei judicio esse proposuit. Et M. Tullii quidem divisio superiorem Themistii partitionem tali modo potuerit includere, quod licet in subjecta descriptione prospicere :

Tulliana divisio.

A toto.
A partium enumeratione.
A notatione.
A conjugatis.
A genere.
A forma.
A similitudine.
A differentia.
A contrario.
Ab adjunctis.
Ab antecedentibus.
A consequentibus.

A repugnantibus.
Ab efficientibus.
Ab effectis.
A comparatione majorum.
minorum.
parium.
Ab auctoritate.

Themistii divisio.

A substantia.
A divisione.
A nominis interpretatione.
A conjugatis.
A genere vel a toto.
A parte vel specie.
A simili.
A toto vel a parte.
Ab oppositis.
A communiter accidentibus.
A diffinitione vel descriptione, vel interpretatione, vel specie, vel causa, vel materia, vel communiter accidentibus, vel conjugatis.
Ab oppositis.
A causis.
A fine.
A majore.
A minore.
A similibus.
A rei judicio

Omnis quidem M. Tullii partitio locorum in Themistii divisione superioris descriptionis formula videtur conclusa. Nunc Themistii divisio ad M. Tullii divisionem reducenda est. Cujus quidem multa pars Ciceronis convenit, sicut prior etiam descriptio docet. Quod vero ex Themistii superest divisione, id si ad Tullianæ partitionis ordinem referatur, facili compendio quemadmodum ad se invicem partitiones reducantur ostenditur. Nam continua M. Tullii divisioni ex Themistii locis in superiore descriptione convenerant hi : Ciceronis quidem a toto, Themistii a substantia. A partium

enumeratione Ciceronis, a divisione Themistii. A notatione Ciceronis, a nominis interpretatione Themistii. A conjugatis utrorumque communis. A genere Ciceronis, a toto Themistii. A forma Ciceronis, a parte, id est specie Themistii. A similitudine communis. A differentia Ciceronis, a toto vel a parte Themistii. A contrario Ciceronis, idem apud Themistium ab oppositis. Ab adjunctis Ciceronis, eumdem a communiter accidentibus Themistius posuit. Ab antecedentibus et consequentibus, mixti cum pluribus. A repugnantibus Ciceronis, idem a Themistio ab oppositis dicitur. Ab efficientibus Ciceronis, a causis Themistii. Ab effectis Tullii, a fine Themistii. A comparatione majoris ac minoris M. Tullii, idem sunt a majore ac minore Themistii. A comparatione partium Ciceronis, a similibus Themistii. Cum igitur M. Tullii plena divisio aliquibus membris Themistianæ divisionis aptetur, fieri non potest ut non membra Themistianæ divisionis statim ad Tullianæ convenientia reducantur. Quocirca si quid reliquum est in Themistii divisione quod superiori formulæ non videatur ascriptum, plenæ M. Tullii divisioni poterimus aptare. Invicem enim divisiones alterna reciprocatione conjunctæ sunt.

A Restant autem ex Themistii locis h , ab usibus, ab effectibus, et corruptionibus, et proportione, et transumptione. Quorum quidem ab usibus, si usus alicujus rei semper effector est, ei loco Ciceronis aptandus est quia ab efficientibus nuncupatur. Quod si ipse usus efficitur, ei loco Ciceronis adhibendus est qui ab effectis vocatur. Ab effectibus vero, siquidem efficit aliquid effectus, ab efficientibus causis est; si vero ipse effectus plenum aliquid confectumque demonstrat, is locus est quem ab effectis Tullius dixit. A corruptionibus vero ab efficientibus dici potest. Nam cum omnis generatio efficiat aliquid, id est substantiam formet, corruptio rursus ipsa quoque efficit quiddam, id est substantiali forma spoliat ac privat, velut mors facit corporis dissolutionem. A B proportione vero idem est, quem Tullius a similibus dixit, nam multorum in multis similitudo proportio est. Transumptio vero siquidem ad majora sit, locus a majorum comparatione est; sin vero ad minora, locus est a minorum comparatione; quod si ad paria locus est a parium comparatione. Atque in his omnibus reducendis, tale satis est descriptionis exemplum.

Themistii.		Ciceronis.
Ab usibus	Si ipse usus aliquid efficit.	Ab efficientibus.
	Si ipse usus efficitur.	Ab effectis.
Ab effectibus.	Si effectus aliquid efficit.	Ab efficientibus.
	Si effectus efficitur.	Ab effectis.
A corruptionibus		Ab efficientibus.
A proportione.		A similibus.
A transumptione.	Si sit ad majus.	A comparatione majorum.
	Si sit ad minus.	Minorum.
	Si sit ad par.	Parium.

Ac de dialecticis quidem locis, quantum propositi operis ratio postulat explicuimus. Nunc vero de rhetoricis dicendum videtur quid sint, vel quid a dialecticis discrepare videantur, ad cujus plenam disputationem integrum quarti voluminis spatium reservemus.

LIBER QUARTUS.

Si quis operis titulum diligens examinator inspiciat, cum de Topicis differentiis conscribamus, non id a nobis tantum exspectare debebit, ut locorum inter se dialecticorum, vel etiam rhetoricorum differentias demus, verum id multo magis ut dialecticos locos a rhetoricis segregemus, quod nos efficacius aggredi posse arbitramur, si ab ipsa facultatum natura, disputandi sumamus exordium. Ostensa enim dialecticæ ac rhetoricæ similitudine ac dissimilitudine, ab ipsarum facultatum necesse est formis etiam locorum qui eisdem facultatibus deserviunt communitates discrepantiasque ducamus. Dialectica facultas igitur thesim tantum considerat. Thesis vero est sine circumstantiis quæstio. Rhetorica vero de hypothesibus, id est de quæstionibus circumstiantiarum multitudine inclusis, tractat et disserit. Circumstantiæ vero sunt: quis, ubi, quando: cur, quomodo, D quibus adminiculis. Rursus dialectica quidem si quando circumstantias, veluti personam factumve aliquod ad disputationem sumit, non principaliter, sed omnem ejus vim ad thesim, de qua disserit transfert. Rhetorica vero si thesim assumpserit, ad hypothesim trahit, et utraque suam quidem materiam C tractat, sed alterius assumit, ut proniore in sua materia facultate nitatur. Rursus dialectica interrogatione ac responsione constricta est. Rhetorica vero rem propositam perpetua oratione decurrit. Item dialectica perfectis utitur syllogismis. Rhetorica enthymematum brevitate contenta est. Illud etiam differentiam facit, quod rhetor habet alium præter adversarium judicem, qui inter utrosque disceptet. Dialectico vero ille fert sententiam, qui adversarius est. Ab adversario enim responsio veluti quædam sententia subtilitate interrogationis elicitur. Quæ cum ita sint, omnis earum differentia vel in materia, vel in usu, vel in fine est constituta: in materia, quia thesis atque hypothesi materia quidem utrisque subjecta est; in usibus, quod hæc interrogatione, illa perpetua oratione disceptat, vel quod hæc integris syllogismi, illa vero enthymematibus gaudet; in fine vero, quod hæc persuadere judici, illa quod vult ab adversario extorquere conatur. Quibus ita præcognitis paulo posterius et quæstiones rhetoricas quæ in constitutionibus positæ sunt, et proprii gene-

ris enumerabimus locos. Nunc paulisper mihi videtur de tota admodum breviter facultate tractandum magnum opus atque difficile. Quanta enim sibimet ars rhetorica cognatione jungatur, non facile considerari potest, vixque est etiam ut auditu animadverti queat, nedum sit facile repertu. De cujus quidem rei traditione nihil ab antiquis præceptoribus accepimus. De unoquoque enim præcipiunt, nihil de communi laborantes. Quam partem doctrinæ vacuam, ut possumus, aggrediamur. Dicemus itaque de generis artis, et speciebus, et materia, et partibus, et instrumento, instrumentique partibus, opere etiam officioque actoris et fine, post hæc de quæstionibus ac de locis. Quocirca quod in communi speculandum est, hinc disserendi sumamus exordium. Rhetoricæ igitur genus est facultas. Species vero tres, judiciale, demonstrativum, deliberativum, et genus quidem id esse quod diximus patet. Species autem idcirco sunt quas superius commemoravimus, quoniam in his est tota facultas rhetoricæ. In judiciali genere causarum integra est; item in demonstrativo, vel deliberativo. Sed hæc genera sunt causarum. Omnes enim causæ, vel speciales vel individuæ, sub horum trium generum uno cadunt, ut subjudiciali quidem speciale ut majestatis vel repetundarum. Sub deliberativo vero quæcunque causæ consultationem habent: ut si specialiter accipias de bello vel de pace, si vero individue de bello Pyrrhi vel pace. Eodem modo etiam in demonstrativis, quæcunque veniunt in laudem aut in vituperationem, specialiter quidem, ut laus viri fortis, individue vero, ut laus Scipionis, sub demonstratione ponuntur. Materia vero hujus facultatis est, omnis quidem res proposita ad dictionem. Fere autem est civilis quæstio. In hanc species a rhetorica venientes quasi quædam formæ capiunt sibi materiam, et triplici informatam tenent figuram, quod posterius liquebit, ut civilis quæstio, quæ adhuc informis secundum species erat, fiat accepto fine unicuique specierum rhetoricæ subjecta. Ut informis adhuc civilis quæstio cum acceperit ex judiciali finem justi, fiat ipsa civilis quæstio in judiciali genere constituta. Cum vero ex deliberativo sumpserit utile vel honestum, tunc fiet ipsa civilis quæstio in deliberativo causarum genere constituta. Si vero ex demonstratione sumpserit bonum, tum fit demonstrativa civilis quæstio. Veniunt autem ut in materiam species ex rhetorica, idcirco quod aliter in materia sua quælibet facultas non potest operari, quam si suas adhibeat partes. Absentibus enim cunctis partibus suis rhetorica quoque ipsa est absens. Sed quoniam de speciebus dictum est rhetoricæ, quoniam sunt genera causarum, ita sunt, ut omnium negotiorum quæ in civili quæstione constituta sunt, accepto fine justi, judiciale sit genus; omnium vero quæ constituta sunt in civili quæstione, honestum vel utilem finem ceperunt, deliberativum sit genus; omnium quoque quæ in civili quæstione posita finem honesti tantum bonive sumpserunt, sit demonstrativum genus. Sed de his hactenus. Nunc de partibus rhetoricæ providendum est. Partes enim rhetoricæ sunt quinque, inventio, dispositio, elocutio, memoratio, pronuntiatio. Partes autem vocantur idcirco, quia si aliquid harum defuerit oratori, imperfecta facultas est; atque ideo quæ universam formant oratoriam facultatem, ea partes facultatis ejus dicere jus est. Sed hæ partes quoniam rhetoricæ facultatis sunt, totamque rhetoricam facultatem componunt, necesse est ut ubi fuerit rhetorica integra, ipsæ quoque partes consequantur in propriis speciebus; omnes igitur rhetoricæ partes inerunt rhetoricæ speciebus. Quocirca et his civilibus negotiis tractandis adhibentur, quæ a prædictis speciebus rhetoricæ informatur; æque igitur in judiciali negotio et in deliberativo et demonstrativo, inventio, dispositio, elocutio, memoria, pronuntiatioque conveniunt. Quoniam vero omnis fere facultas instrumento utitur ad faciendum quod potest, erit etiam rhetoricæ facultatis aliquod instrumentum; hoc vero est oratio, quæ partim in civili genere versatur, partim minime. De ea autem oratione nunc loquimur quæ aliquam habet quæstionem, vel quæ ad finem expediendæ quæstionis accommodatur; ea vero oratio quæ in civili genere versatur, continue decurrit; ea vero quæ non est in civilibus causis, interrogatione et responsione explicatur. Sed prior rhetorica, secunda dialectica nuncupatur, quæ hoc superiore differt: primum quod illa civilem hypothesim, hæc thesim considerat; dehinc quod illa continua, hæc intercisa oratione peragitur, et quod rhetorica oratio habet præter adversarium judicem, dialectica vero eodem judice quo adversario utitur. Hæc igitur rhetorica oratio habet partes sex: procemium, quod exordium est, narrationem, partitionem, confirmationem, reprehensionem, perorationem, quæ sunt partes instrumenti rhetoricæ facultatis; et quoniam rhetorica in omnibus suis speciebus inest, eisdem inerunt. Nec potius inerunt quam eisdem ea quæ peragunt administrabunt. Itaque et in judiciali genere causarum necessarius est ordo procemii, narrationis atque cæterorum, et in demonstrativo deliberativoque necessaria sunt. Opus autem rhetoricæ facultatis est docere movereque, quod nihilominus isdem fere sex instrumentis, id est orationis partibus administratur. Partes autem rhetoricæ, quoniam partes sunt facultatis, ipsæ quoque sunt facultates. Quocirca ipsæ quoque orationis partibus quasi instrumentis utentur in partem, atque ut his operentur, eisdem inerit. Nam in exordiis nisi quinque sint prædictæ rhetoricæ partes, ut inveniat, disponat, eloquatur, meminerit, pronuntiet; nihil agit orator. Eodem quoque modo et reliquæ fere partes instrumenti nisi habeant omnes rhetoricæ partes, frustra sunt. Hujus autem facultatis effector orator est, cujus est officium dicere apposite ad persuasionem. Finis autem tum in ipso, tum in altero. In ipso quidem bene dixisse, id est dixisse apposite ad persuasionem; in altero vero persuasisse. Neque enim si qua impediunt oratorem quo minus persuadeat, officio facto, finis non est consecutus,

sed is quidem qui officio fuit contiguus et cognatus, consequitur, facto officio;is vero qui extra continetur,sæpe non consequitur,neque tamen rhetoricam suo fine contentam honore vacuavit : hæc quidem ita sunt mista, ut rhetorica insit speciebus,species vero insint causis. Causarum vero partes status esse dicuntur,quos etiam aliis nominibus,tum constitutiones, tum quæstiones nominare licet;qui quidem dividuntur ita ut rerum quoque natura divisa est.Sed a principio,quæstionum differentias ordinamur:quoniam rhetoricæ quæstiones circumstantiis involutæ sunt omnes,aut in scripti alicujus controversia versantur,aut præter scriptum ex re ipsa sumunt contentionis exordium. Et illæ quidem quæ in scripto sunt,quinque modis fieri possunt. Uno quidem,cum hic scriptoris verba defendat,ille sententiam: atque hoc appellatur scriptum et voluntas. Alio modo, si inter se leges quadam contrarietate dissentiant,quas cum ex adversa parte defendunt,faciunt controversiam:atque hic vocatur status legis contrariæ. Tertio, cum scriptum, de quo contenditur, sententiam claudit ambiguam:hæc suo nomine ambiguitas nuncupatur.Quarto vero,cum ex eo quod est scriptum, aliud non scriptum intelligitur:quod quia per ratiocinationem et quamdam syllogismi consequentiam investigatur, raciocinatio vel syllogismus dicitur. Quinto,cum sermo est scriptus,cujus non facile vis et natura clarescat, nisi diffinitione delecta sit: hic vocatur finis vel inscriptio.Quos omnes a se differre non est nostri operis,verum rhetorici demonstrare; hæc enim speculanda doctis non rudibus discenda proponimus,quamvis de eorum differentia in Topicorum commentis per transitum disseruimus.Earum autem constitutionum quæ præter scriptum in ipsarum rerum contentione sunt positæ, ita differentiæ segregantur, ut rerum quoque ipsarum natura diversa est.In omni enim rhetorica quæstione dubitatur an sit, quid sit, quale sit, et præter hæc, an jure vel more possit exerceri judicium.Sed si factum vel res quæ intenditur,ab adversario negetur, quæstio est utrum sit,ea conjecturalis constitutio nominatur. Quod si factum quidem esse constiterit, quid vere sit id quod factum est ignoretur, quoniam vis ejus diffinitione monstranda est,diffinitiva dicitur constitutio. At si et esse constiterit, et de rei diffinitione conveniat,sed quale sit inquiratur,tunc quia cui generi subjici debeat ambigitur,generalis qualitas nuncupatur.In hac vero quæstione et qualitatis et quantitatis et comparationis ratio versatur. Sed quoniam de genere quæstio est, secundum generis formam in plura necesse est hanc constitutionem membra distribui. Omnis enim quæstio generalis,id est cum de genere et qualitate et quantitate quæritur facti, in duas distribuitur partes.Nam aut in præteritum quæritur de qualitate propositi, aut in præsens, aut in futurum. Si in præteritum, juridicialis constitutio nuncupatur.Si præsentis vel futuri temporis teneat quæstionem negotialis dicitur.Juridicialis vero cujus inquisitio præteritum respicit, duabus partibus segregatur:aut enim in ipso facto vis defensionis inest, et absoluta qualitas nuncupatur,aut extrinsecus assumitur, et assumptiva dicitur constitutio.Sed hæc in partes quatuor derivatur : aut enim conceditur crimen, aut removetur, aut refertur, aut, quod est ultimum,comparatur. Conceditur crimen,cum nulla introducitur facti defensio, sed venia postulatur.Id fieri duobus modis potest,si depreceris, aut purges. Deprecaris,cum nihil excusationis attuleris;purgas, cum facti culpa bis ascribitur quibus obsisti obviarique non possit, neque tamen personæ sint, id enim in aliam constitutionem cadet. Sunt vero hæc imprudentia, casus,atque necessitas. Removetur vero crimen, cum ab eo qui incessitur transfertur in alium.Sed remotio criminis duobus fieri modis potest, si aut causa removeatur, aut factum.Causa removetur, cum aliena potestate aliquid factum esse contenditur. Factum vero cum alius, aut potuisse, aut debuisse facere demonstratur. Atque hæc in his maxime valent, si ejus nominis in nos intendatur actio, quod non fecerimus id quod oportuit fieri.Refertur crimen cum juste in aliquem facimus commissum esse contenditur, quoniam is in quem commissum sit injurius sæpe fuerit, atque in quod intenditur meruit pati. Comparatio est, cum propter meliorem utilioremve,factum quod adversarius arguit commissum esse, defenditur.Horum vero omnium sunt propriæ differentiæ, atque ideo minutissimæ divisiones quas rhetorum in his docendis explicandisque conscripti libri diligentius continent. Sed nos hæc a M. Tullio sumpsisse sufficiat. Ad aliud enim tota operis festinat intentio. De quibus omnibus hoc inspiciendum est modo. M. enim Tullius causarum partes constitutiones esse demonstrat eo loco quo contra Hermagoram nititur, dicens, quod si generis causæ partes non possunt recte putari, multo minus rectæ [F. recte]partis causæ partes putabuntur.Pars autem causæ constitutio omnis est, partes causæ constitutiones esse designans. Quare de re multa quæstio est, quomodo enim partes esse putabantur causæ. Si enim ita partes, ut species quomodo fieri potest ut in una causa plures constitutiones sint ?Nam species sibi invicem impermistæ sunt. At veniunt in causam plurimæ constitutiones, non sunt igitur partes causarum velut species status.Illud quoque quod nulla species aliam sibi opositam speciem ad substantiam juvat, constitutio vero constitutionem confirmat ad fidem. Nec vero fieri potest ut ita sint causarum quasi totius partes, nullum enim compositum ex una parte totum atque integrum esse potest. Ac in causa constitutio una idonea est constituere causam.Quod igitur est dicendum, patet via rationi.Neque enim causæ ejus pars dicitur esse constitutio, quæ in controversiam venit et quam status constituit, cum præsertim qui additur ad causam status, una jam constitutione firmata, non sit principalis,sed accidens,atque in uno negotio tot eveniant controversiæ quod sunt constitutiones, sed quot controversiæ tot causæ.Et licet eas unum contineat negotium, causæ tamen impermistæ

sibimet variantur:ut qui juvenem de lupanari exeuntem vidit, paulo post de eodem loco uxorem suam vidit egressam, accusat juvenem adulterii:hic unum negetium, hoc quod vertitur est, causæ autem duæ : una conjecturalis, si neget se fecisse ; altera diffinitiva, si in lupanari concubitum dicat non posse adulterium putari. Sed neque neganti pars est ejusdem controversiæ conjecturalis status, neque diffinienti diffinitio;totam enim continet causam.Causam autem voco non generaliter sed controversiam aliqua constitutione formatam. Sunt autem constitutionis partes causæ generalis hoc modo: si enim omnis causa conjecturalis esset, nec alius status inveniretur, non esset status conjecturalis causæ pars, sed ipsa causa esset sine dubio conjectura;sed quoniam partim conjectura, partim sine, partim qualitate, partim translatione causæ omnes tenentur,pars est constitutio causæ non ejus quam tenendo informat, sed ejus quam dividit generalis,cujus scilicet quasi membrum aliquod abscindens,suum facit unaquæque constitutio. Sunt igitur partes ut species constitutiones causæ generis, non ejus quam unaquæque tenens informaverit. Quare genus est rhetoricæ facultas. Rhetoricæ vero species tres, judiciale, demonstrativum, deliberativum. Materia autem,civilis quæstio, quæ dicitur causa ; partes hujus materiæ, constitutiones. Rhetoricæ partes, inventio, dispositio, elocutio,memoria,pronuntiatio. Instrumentum, oratio ; instrumenti partes,exordium, narratio,partitio, confirmatio, reprehensio, peroratio. Opus est docere et movere ; actor est orator ; officium bene dicere ; finis tum bene dixisse, tum persuadere:est vero tota rhetorica in speciebus. Species vero ita totam materiam informant,ut tamen vicissim totam sibi vindicent,quod ex hoc intelligi potest,quoniam omnes materiæ partes singulæ species tenent.Nam in judiciali quatuor constitutiones invenies, et in deliberativo demonstrativoque easdem quatuor invenire queas.Unde ostenditur, si omnes partes causæ generalis, quæ est civilis quæstio, singulæ species habent, omnes vero partes causa ipsa est, causam, id est civilem quæstionem a speciebus vicissim vindicari totam eo modo, quo vox uno tempore ad plurimorum aures pervenit cum suis integra partibus,id est elementis, nam eodem tempore tota causa ad diversas species cum suis partibus transit. Sed cum species in materiam venerint, id est in civilem quæstionem,et eam cum suis obtinuerint partibus,inferunt secum etiam ipsam rhetoricæ facultatem.Quare etiam rhetoricæ partes in singulis constitutionibus inerunt. Sed illata materia infert secum instrumentum suum, infert igitur secum orationem, et hæc proprias partes,eritque in constitutionibus tractandis exordium, narratio, et cætera. Sed cum instrumentum venerit in civilem quæstionem,operam quoque suam simul infert;docebit igitur ac persuadebit in omni constitutione.Sed hæc per se venire non poterunt, nisi sit qui hæc moveat velut artifex atque architectus. Hic autem est orator, qui cum ad causam accesserit, faciet officium suum ; bene igitur dicet in omni genere causarum,et in omni constitutione, faciet etiam finem, tum ut bene dixerit in omni constitutione,tum ut persuaserit. De singulis igitur nunc quidem in commune tractavimus.De uno quoque vero separatim post,si erit commodum,disseremus. Atque hæc hactenus. Nunc de inventione tractandum est.Etenim prius quidem dialecticos dedimus, nunc rhetoricos promimus locos,quos ex attributis personæ ac negotio venire necesse est. Persona est, quæ in judicium vocatur, cujus dictum aliquod factumve reprehenditur. Negotium factum dictumve personæ, propter quod in judicium vocatur. Itaque in his duobus omnis locorum partitio constituta est: quæ enim habent reprehensionis occasionem,eadem nisi omnino ad inexcusabilem partem vergunt, defensionis copiam subministrant:ex eisdem enim locis omnis accusatio defensioque consistit.Si igitur persona in judicium vocatur,neque factum dictumve ullum reprehenditur, causa esse non poterit. Nec vero factum dictumve aliquod in judicium proferri potest, si persona non exstet;itaque in his duobus omnis judiciorum ratio versatur, in persona scilicet atque negotio. Sed (ut dictum est) persona est quæ in judicium vocatur, negotium factum dictumve personæ, propter quod reus statuitur ; persona igitur et negotium suggerere argumenta non possunt. De ipsis enim quæstio est. De quibus autem dubitatur, ea dubitationi facere fidem nequeunt. Argumentum vero erat ratio rei dubiæ faciens fidem ; faciunt autem negotio fidem, ea quæ sunt personis ac negotiis attributa. Ac si quando persona negotio faciat fidem, veluti si credatur contra rempublicam sensisse Catilinam, quoniam persona et vitiorum turpitudine denotata, tunc non in eo quod persona est et in judicium vocatur fidem negotio facit, sed in eo quod ex attributis personæ quamdam suscipit qualitatem.Sed ut rerum ordo clarius colliquescat, de circumstantiis arbitror esse dicendum.Circumstantiæ sunt quæ convenientes substantiam quæstionis efficiunt.Nisi enim sit qui fecerit, et quid fecerit, causaque cur fecerit, locus, tempusque quo fecerit,modus etiam facultatesque si desunt, causa non stabit. Has igitur circumstancias in gemina Cicero partitur, ut eam,quæ est quis,circumstantiam in attributis personæ ponat. Reliquas vero circumstantias in attributis negotio constituat.Et primam quidem ex circumstantiis eam, quæ est quis, quoniam personæ attribuit, secat in undecim partes: nomen ut Verres, naturam ut barbarus, victum ut amicus nobilium, fortunam ut dives, studium ut geometer,casum ut exsul, affectionem ut amans,habitum ut sapiens,consilium, facta, et orationes, ea quæ extra illud factum dictumque sunt quod nunc in judicium devocatur. Reliquas vero circumstantias,quæ sunt quid,cur, quomodo, ubi.quando,quibus auxiliis,in attributis negotio ponit ; quid et cur, dicens continentia cum ipso negotio ; cur in causa constituens : ea enim causa

est uniuscujusque facti, propter quam factum est. Quid vero secat in quatuor partes: in summam facti, ut parentis occisio, ex hac maxime locus sumitur amplificationis; ante factum, ut concitus gladium rapuit; dum fit, vehementer percussit; post factum, in abdito sepelivit. Quæ cum omnia sint facta, tamen quoniam ad gestum negotium de quo quæritur pertinent, non sunt ea facta quæ in attributis personæ numerata sunt; illa enim extra negotium, de quo agitur posita, personam informantia, fidem ei negotio præstant de quo versatur intentio; hæc vero facta quæ continentia sunt cum ipso negotio, ad ipsum negotium de quo quæritur pertinent. Postremas vero quatuor circumstantias Cicero ponit in gestione negotii, quæ est secunda pars attributorum negotiis; et eam quidem circumstantiam, quæ est quando, dividit in tempus, ut nocte fecit, et in occasionem, ut cunctis dormientibus; eam vero circumstantiam, quæ est ubi, locum dicit, ut in cubiculo fecit, quomodo vero ex circumstantiis modum, ut clam fecit. Quibus auxiliis circumstantiam, facultatem appellat, ut cum multo exercitu. Quorum quidem locorum, etsi ex circumstantiarum natura discretio clara est, nos tamen benevolentius faciemus, si uberius eorum a se differentias ostendamus. Nam cum ex circumstantiis, alias. M. Tullius posuerit esse continentia cum ipso negotio, alias in gestione negotii. Atque in continentibus cum ipso negotio illum annumeravit locum quem appellavit dum fit, ex ipsa prolationis significatione idem videtur esse locus hic, dum fit, ei qui est in gestione negotii. Sed non est ita, quia dum fit illud est quod eo tempore admissum est dum facinus perpetratur, ut percussit. In gestione vero negotii ea sunt quæ ante factum, et dum fit, et post factum quod gestum est, continent. In omnibus enim tempus, locus, occasio, modus, facultas inquiritur. Rursus dum fit factum est quo administratum est negotium; quæ igitur sunt in gestione negotii, non sunt facta, sed facto adhærentia. Nullus enim tempus, occasionem, locum, modum, facultatem facta esse consenserit, sed (ut dictum est) æque cuilibet facto adhærentia sunt, atque id nullo modo derelinquant, quia quadam relatione subjecta sunt ipsi quod gestum est, negotio. Item ea quæ sunt in gestione negotii sine his quæ sunt continentia cum ipso negotio esse possunt. Potest enim et locus, et tempus, et occasio, et modus, et facultas facti cujuslibet intelligi, etiamsi nemo faciat, quod illo in loco, vel tempore, vel occasione, vel modo, vel facultate fieri posset. Itaque ea, quæ sunt in gestione negotii sine his quæ continentia cum ipso negotio esse possunt, illa vero sine his esse non possunt. Factum enim præter locum, tempus, occasionem, modum, facultatemque esse non poterit, atque hæc quæ in attributis personæ ac negotio constant, veluti in dialeA cticis locis ea quæ in ipsis hærent, de quibus quæritur. Reliqua vero, quæ vel sunt adjuncta negotio vel gestum negotium consequuntur, talia sunt, qualia in dialecticis locis ea quæ secundum Themistium partim rei substantiam consequuntur, partim sunt extrinsecus, partim versantur in mediis; secundum Ciceronem vero inter affecta numerata sunt, vel extrinsecus posita. Sunt enim adjuncta negotio, ipsi etiam æque fidem faciunt quæstioni, affecta quodammodo ad id de quo quæritur, et respicientia negotium de quo agitur. Nam circumstantiæ septem in attributis personæ vel negotio numeratæ sunt. Hæ cum cœperint comparari, et quasi in relationem venire, siquidem ad se continens referatur, vel ad id quod continetur, fit aut species, aut genus. At si ad id referB ratur quod ab eo longissime distet, contrarium; ac si ad finem suum atque exitum referatur, eventus est. Eodem quoque modo ad majora, minora et paria comparantur. Atque omnino tales loci in his quæ sunt ad aliquid considerantur, nam majus et minus, aut simile, aut æque magnum, aut disperatum accidit circumstantiis quæ in attributis negotio atque personæ numeratæ sunt: ut dum ipsæ circumstantiæ aliis comparantur, fiat ex his argumentum dicti factive quod in judicium trahitur. Distant autem a superioribus, quod superiores loci, vel facta continebant, vel factis ita adhærebant, ut separari non possint, ut locus, tempus, et cætera quæ gestum negotium non relinquunt; hæc vero quæ sunt adjuncta negotio non adhærent ipsi C negotio, sed accidunt circumstantiis, et tunc demum argumentum præstant, cum ad comparationem veniunt. Sumuntur vero argumenta non ex contrarietate, sed ex contrario, et non ex similitudine, sed ex simili, ut appareat non ex relatione sumi argumentum, sed ex adjunctis negotio*, et ea esse adjuncta negotio, quæ sunt ad ipsum de quo agitur negotium affecta. Consecutio vero, quæ pars quarta est eorum quæ negotiis attributa sunt, neque in ipsis inest rebus quæ rerum substantiam non relinquit**, neque ex comparatione repetitur, sed rem gestam vel antecedit, vel etiam consequitur. Atque hic totus locus extrinsecus est: primum enim in eo quæritur id quod factum est, quo nomine appellari conveniat, in quo non de re, sed de vocabulo laboratur; qui deinde sint auD ctores ejus facti, et inventionis comprobatores, atque æmuli: id totum ex judicio, et quodammodo testimonio extrinsecus posito ad subsidium confluit argumenti; deinde et quæ ejus rei sit lex, consuetudo, pactio, judicium, sententia, artificium. Deinde quæritur si natura ejus venire vulgo soleant, an insolenter et raro; utrum homines id sua auctoritate comprobare ac defendere in his consueverint, et cætera quæ factum aliquid similiter confestim aut intervallo solent consequi, quæ necesse est extrinsecus

* Hic locus infra, col. 1224, non iisdem verbis resumitur, sic: *ut appareat.* EX REVELATIONE *sumi argum.* IN adjunctis negotio.

** Sensus esse videtur: *nequi i. ip. in red., quod enim ipsis in. red. inest rerum subs.*, etc.

posita ad opinionem magis tendere quam ad ipsam rerum naturam. Itaque in his quatuor licet negotiis attributa dividere, ut sint partim continentia cum ipso negotio, quæ facta esse superius dictum est; partim in gestione negotii, quæ non esse facta, sed factis adhærentia dudum monstravimus; partim adjuncta negotio. Hæc (ut dictum est) partim in relatione pronuntur, partim gestum negotium consequuntur, horum fides extrinsecus sumitur. Ac de rhetoricis quidem locis satis dictum est: nunc illud est explicandum, quæ sit his similitudo cum dialecticis, quæve diversitas, quod cum idonee convenienterque monstravero, propositi operis explebitur intentio. Primo adeo ut in dialecticis locis (sicut Themistio placet) alii sunt qui in ipsis hærent de quibus quæritur, alii assumuntur extrinsecus, alii vero medii inter utrosque locati sunt: sic in rhetoricis quoque locis, alii in personis atque negotio consistunt, de quibus ex adversa parte certatur, alii vero extrinsecus, ut hi qui gestum negotium consequuntur, alii vero medii. Quorum proximi quidem negotio sunt hi qui ex circumstantiis reliqui in gestione negotii considerantur. Illi vero qui in adjunctis negotio collocantur, ipsi quoque inter medios locos positi sunt, quoniam negotium de quo agitur quadam affectione respiciunt; vel si quis ea quidem quæ personis attributa sunt, vel quæ continentia sunt cum ipso negotio, vel quæ in gestione negotii considerantur, his similia locis dicat qui ab ipsis in dialectica trahuntur de quibus in quæstione dubitatur, consequentia vero negotium ponat extrinsecus, adjuncta vero inter utrumque constituat. Ciceronis vero divisioni hoc modo fit similis. Nam ea quæ continentia sunt cum ipso negotio, vel ea quæ in gestione negotii considerantur, in ipsis hærent de quibus quæritur; ea vero quæ adjuncta sunt, inter affecta ponuntur; sed ea quæ gestum negotium consequuntur, extrinsecus collocata sunt. Vel si quis ea quidem quæ continentia sunt cum ipso negotio in ipsis hærere arbitretur, affecta vero esse ea quæ sunt in gestione negotii vel adjuncta negotio, extrinsecus autem ea quæ gestum negotium consequuntur. Jam illæ perspicuæ sunt communitates, quod quidem ipsi pene in utrisque facultatibus versantur loci, ut genus, ut pars, ut similitudo, ut contrarium, ut majus ac minus. De communitatibus satis dictum est. Differentiæ illæ sunt quod dialectici thesibus etiam apti sunt; rhetorici tantum ad hypotheses, id est, ad quæstiones informatas circumstantiis assumuntur; nam sicut ipsæ facultates a semetipsis universalitate et particularitate distinctæ sunt, ita etiam eorum loci ambitu ex contractione discreti sunt. Nam dialecticorum major est ambitus, et quoniam præter circumstantias sunt, quæ singulares faciunt causas, non modo ad theses utiles sunt, verum etiam ad argumenta quæ in hypothesibus posita sunt, eorumque locos qui ex circumstantiis constant claudunt atque ambiunt. Itaque fit ut semper exeat rhetor dialecticis locis, dialecticus suis possit esse contentus. Rhetor enim quoniam causas ex circumstantiis tractat, ex eisdem circumstantiis argumenta persumet, quæ necesse est ab universalibus et simplicibus confirmari, qui sunt dialectici. Dialecticus vero qui prior est, posteriore non eget, nisi aliquando inciderit quæstio personæ, ut cum sit incidens dialectico ad probandam suam thesim causa circumstantiis inclusa, tum demum rhetoricis utatur locis. Itaque in dialecticis locis, si ita contingat, a genere argumenta sumuntur, id est ipsa generis natura. Sed in rhetoricis ab eo genere, quod illic genus est de quo agitur, nec a natura generis, sed a re generis, scilicet ipsa quæ genus est. Sed ut progrediatur, ratio ex ea pendet, quod natura generis ante præcognita est ut si dubitetur an fuerit aliquis ebrius, dicitur, si refellere velimus, non fuisse, quoniam nulla in eo luxuries antecesserit. Idcirco nimirum, quia cum luxuries ebrietatis quasi quoddam genus sit, cum luxuries nulla fuerit, nec ebrietas quidem fuit. Sed hoc pendet ex altero. Cum enim luxuries non fuit, ebrietas esse non potuit. Ex natura generis demonstratur, quod dialectica ratio subministrat. Unde enim genus abest, inde etiam species abesse necesse est, quoniam genus species non relinquit; et de similibus quidem, et de contrariis eodem modo, in quibus maxima est dissimilitudo inter rhetoricos ac dialecticos locos. Dialectica enim ex ipsis qualitatibus, rhetorica ex qualitate suscipientibus rebus argumenta vestigat. Ut dialecticus ex genere, id est ex ipsa generis natura, rhetor ex ea re quæ genus est; dialecticus ex similitudine, rhetor ex simili, id est ex ea re quæ similitudinem cepit. Eodem modo ille ex contrarietate, hic contrario. Omnibus igitur quæ superius proposuimus expeditis, illud arbitror apponendum quod M. Tullius Topica quæ ad C. Trebatium peritum juris edidit, non eo modo quo de ipsis disputari possit disseruit, sed quemadmodum rhetoricæ facultatis argumenta ducerentur, quod in his commentariis diligentius expedivimus qui a nobis in ejusdem Ciceronis Topica conscripti sunt. Quo autem modo de his dialecticis rationibus disputetur, in his commentariis quos in Aristotelis Topica a nobis translata conscripsimus expeditum est.

DE BOETII OPUSCULIS DUOBUS INEDITIS

ET DE (a) COMMENTARIO AD NONNULLA BOETII CARMINA.

Manlii Severini Boetii, cujus erga litteras merita sole meridiano illustriora sunt, complura scripta nondum cum cæteris impressa typis fuerunt, quia vel temporis edacitate videntur consumpta, vel in-

(a) Hunc commentarium infra in appendice dabimus. EDIT.

gratiis in bibliothecarum forulis manu scripta delitescunt. De his tamen mentionem fecerunt bibliographi, quorum diligentiam Petrus Bertius in prolegomenis ad Boetianum de Philosophiæ consolatione opus haud scio an superaverit, etsi ne is quidem cuncta annotavit. Ego vero antiquos codices lustrans nihil diu Boetianum ineditum deprehendebam: nam Vaticani codices, qui permulti Boetium continent, ne illam quidem lacunam explent, qua laborat editus Boetii ad Ciceronis Topica commentarius. Tandem vero aliquando perveterem codicem nactus sum, qui duo inedita tam præclari scriptoris opuscula mihi largitus est.

Porro de horum sinceritate ne dubitarem, testis adfuit utrique lucubrationi Sigebertus Gemblacensis, cujus cap. 37, hæc verba legebam: *Boetius* (præter cætera) *de cognatione dialecticæ et rhetoricæ et distinctione rhetoricorum locorum scripsit.* Et vocabulum quidem *dialecticæ* a Sigeberto vel quovis alio obtrusum est; etenim titulus mei codicis et res ipsa id respuunt; de cætero Sigeberti affirmatio verissima est. Jam cum Sigeberti testimonium adeo sit evidens, miror sane Trithemium cap. 201, ejusque asseclam Bertium præf. cit., a quibus liber tantummodo *de Locis rhetoricis* commemoratur. Et quoniam Bertium coarguere cœpi, dicam insuper, falso ab eo in deperditis Boetii scriptis collocari librum *de Circuli Quadratura*: est enim hic Franconis, qui sæculo XI vixit, fetus, qui quoniam in codicibus post Boetii Geometriam poni solet, ut ex Vaticano quodam exemplari cognosco, idcirco perperam a nescio quo properantis oculi lectore ad Boetium est translatus: isque error in aliorum narrationes, ut fit, migravit.

Age vero nobilis, et fortasse unicus, qui hæc duo opuscula conservat codex, paginarum 562 est, membraneus, sæculo circiter XI scriptus, cujus hæc continentia est. Pag. 8, explicit in Porphyrium isagoge, quæ est propter codicis defectum acephala: ibidemque incipiunt Aristotelis cætegoriæ Boetio interprete. P. 59, Aristoteles Περὶ ἑρμηνείας Boetio item interprete. P. 88, Ciceronis Topica. P. 181, Boetii Topicarum. Differentiarum libri quatuor. P. 223, Introductionis in Categoricos Syllogismos libri duo. P. 300, De Hypotheticis Syllogismis libri tres. P. 401, Liber Divisionum. P. 431, Liber Definitionum Victorini. P. 501, DE RHETORICÆ COGNATIONE. P. 509, LOCORUM RHETORICORUM DISTINCTIO. P. 512, Liber ante prædicamenta.

Insuper scrutanti mihi Boetianos, ut dixi, codices mentem præ cæteris pervetustus quidam defixit, sæculo ferme X scriptus, codex de Philosophiæ Consolatione, non tam ob egregia et vetera ad id opus scholia notabilis (nam hæc sæpenumero in mss. occurrunt) quam ob prolixum quemdam et doctum ad aliquot Boetiani operis carmina commentarium, Bovoni antistiti missum, typorumque luce, ut mea fert opinio, plane dignum. Tres autem fuerunt sæculo decimo Bovones abbates monasterii novæ Corbeiæ ad Visurgim flumen in Saxiona, ut Mabillonius in Actis sanctorum Benedictinorum t. VII, p. 706, diligenter narrat. Jam secundi Bovonis tempore floruit Brunus in nova Corbeia monachus. Quia vero commentarius, de quo loquimur, Bovoni ab auctore B. inscribitur, valde suspicor Brunum esse commentarii parentem, Bovonem autem evasisse deinde episcopum. Præterea, quod in commentario mentio fit barbaricarum incursionum, id apprime ætati illi convenit. Namque apud prædictum Mabillonium t. VI, p. 489, Adamus Bremensis tractum quemdam historiæ (quæ jam intercidit) recitat auctore Bovone Corbeiensi abbate, qui de rebus sui temporis scribens, sic aiebat: *Cum modernis temporibus gravis barbarorum irruptio in omni pene Francorum regno debaccharetur.*

AN. MANL. SEV. BOETII

SPECULATIO DE RHETORICÆ COGNATIONE.

1. Quanta sibimet ars rhetorica cognatione jungatur, non facile considerari potest; vixque est etiam ut auditu animadverti queat, nedum sit facile repertu. Cujus quidem rei errorem divisa de singulis disputatio præceptorum creat: de unoquoque enim præcipiunt, nihil de communi laborantes. Quam partem doctrinæ vacuam, ut possumus, aggrediamur. Dicemus igitur de genere artis, et de speciebus, partibus, instrumento, instrumentique partibus opere etiam, officioque auctoris, et fine. Quocirca quid in commune speculandum est, hinc disserendi sumamus exordium.

2. Rhetoricæ igitur genus est facultas; species vero tres, judiciale (*a*), demonstrativum, deliberativum. Et genus quidem id esse quod diximus, patet. Species autem idcirco sunt quas superius enumeravimus quoniam in his tota rhetorica est. Integra enim vis est rhetoricæ in judiciali genere causarum; integra in demonstrativo vel deliberativo. Sed hæc genera sunt causarum; omnes enim causæ vel speciales vel individuæ sub horum unum trium generum cadunt: ut sub judiciale quidem speciales, ut majestatis vel repetundarum, individuæ vero, ut Cornelii majestatis, vel Verris repetundarum. Cadunt sub deliberativum vero quæcunque causæ consultationem habent, ut si specialiter accipias de bello vel pace; si vero individuæ, ut de bello Pyrrhi vel pace. Eodem modo etiam in demonstrativis quæcunque veniunt in laudem et vituperationem; ut si specialiter, ut laus viri fortis; individuæ

(*a*) Ita loquitur auctor etiam §. 11.

vero, laus Scipionis, sub demonstrativum cadunt.

3. Materia vero hujus facultatis est omnis quidem res proposita ad dictionem; fere autem civilis quæstio. In hanc species a rhetorica venientes quasi quædam formæ capiunt sibi materiam, et tripliciter informatam tenent figura, quod posterius liquebit: ut civilis quæstio quæ adhuc informis secundum species erat, fiat accepto fine unicuique specierum rhetoricæ subjecta. Ut formis adhuc civilis quæstio, cum acceperit ex judiciali finem justi, fiat ipsa civilis quæstio in judiciali genere constituta. Cum vero ex deliberativo sumpserit utile vel honestum, tunc fiat ipsa civilis quæstio in deliberativo causarum genere constituta. Si vero ex demonstratione sumpserit bonum, tunc demonstrativa fit civilis quæstio. Veniunt autem in materiam species ex rhetorica: quod aliter in materia sua quælibet facultas non potest operari, quam si suas adhibeat partes; absentibus enim cunctis suis partibus, rhetorica ipsa quoque est absens.

4. Sed quoniam de speciebus dictum est rhetoricæ, quomodo sunt genera causarum, ita sunt ut omnium negotiorum quæ in civili negotio constituta sunt informata. A fine justo judiciale sit genus. Omnium vero quæ constituta in civili quæstione honestum vel utilem finem ceperunt, deliberativum sit genus: omniumque quæ in civili posita quæstione finem honesti, justi, bonive sumpserunt, sit demonstrativum genus. Sed de his hactenus.

5. Nunc de partibus rhetoricæ providendum est. Partes enim rhetoricæ sunt quinque; inventio, dispositio, elocutio, memoria, pronuntiatio. Partes autem vocantur idcirco, quia si quid harum defuerit oratori, imperfecta facultas est. Atque ideo quæ universa formant oratoriam facultatem, ea partes facultatis ejus dicere nihil absurdum est. Sed hæ partes quoniam rhetoricæ facultatis sunt, totamque rhetoricam facultatem componunt, necesse est ubi fuerit rhetorica, ipsæ quoque subsequantur. At est rhetorica in propriis speciebus integra: omnes igitur rhetoricæ partes inerunt rhetoricæ speciebus. Quocirca etiam his civilibus negotiis tractandis adhibebuntur, quæ a supradictis rhetoricæ speciebus informantur. Æque igitur in judiciali negotio et in deliberativo et in demonstrativo, inventio, dispositio, elocutio, memoria, pronuntiatioque, conveniunt.

6. Quoniam vero omnis fere facultas instrumento utitur ad faciendum quod potest, erit igitur aliquid instrumentum. Hoc vero est oratio, quæ partim in civili genere versatur, partim minime. De ea autem oratione loquimur, quæ habet aliquam quæstionem, vel quæ ad finem expediendæ quæstionis accommodatur. Ea ergo oratio, quæ in civili genere versatur, continue decurrit; ea quæ non est in civilibus causis, interrogatione et responsione explicatur. Sed prior, rhetorica; secunda, dialectica nuncupatur: quæ hoc superiore differt, primum quod illa civiles ὑποθέσεις, hæc (*a*) θέσεις considerat; dehinc quod illa continua oratione, hæc (*b*) intercisa peragitur; et quo rhetorica oratio habet præter adversarium judicem, dialectica vero eodem judice quo adversario nititur (*c*)

7. Hæc igitur rhetorica oratio habet partes sex: procœmium, quod exordium est, rationem, partitionem, confirmationem, reprehensionem, perorationem; quæ partes instrumenti rhetoricæ facultatis, quoniam rhetorica in omnibus suis speciebus inest, eisdem (*d*) inerunt; nec potius inerunt, quam hisdem quæ peragunt administrabunt. Itaque et in judiciali genere causarum necessarius est ordo procœmii et narrationis atque cæterorum, quæ (*e*) in demonstrativo deliberativoque necessaria sunt. Opus autem rhetoricæ facultatis docere et movere: quod nihilominus hisdem fere sex instrumentis, id est orationis partibus, administratur. Partes autem rhetoricæ, quoniam partes sunt facultatis, ipsæ quoque sunt facultates. Quocirca ipsæ quoque orationis partibus quasi instrumentis utentur in partem, atque ut his operentur, eisdem inerunt. Nam nisi adsint (*f*) prædictæ rhetoricæ partes, ut inveniat, eloquatur, disponat, meminerit, pronuntiet, nil agat orator. Eodemque modo eæ (*g*) quæ fere partes instrumenti, nisi habent omnes rationis partes, frustra sunt. Hujus autem facultatis effector orator est cujus est officium dicere apposite ad persuasionem.

8. Finis tum in ipso, tum in altero. In ipso quidem, ut bene dixisse, id est dixisse apposite ad persuasionem: In altero vero, persuasisse. Neque enim si qua impediant oratorum quominus persuadeat, facto officio, finis non est consecutus. Sed is qui officio quidem fuit contiguus et cognatus, consequitur, facto officio; is vero qui extra est, sæpe non consequitur. Neque tamen rhetoricam suo fine contentam honore vacuabit. Hæc quidem ita sunt mixta, ut rhetorica insit speciebus, species vero insint rhetoricæ (*h*). Causarum autem partes status esse dicuntur, de quibus hoc modo dispiciendum est. Quomodo enim partes esse putabuntur causæ, si ita partes ut species? quomodo fieri potest, ut in una causa plures constitutiones sint? nam species sibimet impermixtæ sunt. At veniunt in causam plurimæ constitutiones; non sunt igitur partes causarum, velut species status. Illud quoque quod nulla species aliam sibi oppositam speciem ad substantiam juvat. Constitutio vero constitutionem confirmat ad fidem. Nec vero fieri potest ut ita sint causarum quasi totius partes. Nullum enim compositum ex una parte totum atque integrum esse potest. At in causa (*i*) constitutio una idonea est constituere causam.

9. Quid igitur est dicendum? Patet via rationi.

(*a*) Cod., *illa*.
(*b*) Cod., *illa*.
(*c*) Num pro *utitur*?
(*d*) Ita cod. At infra, *hisdem*.
(*e*) Cod., et pro *quæ*.
(*f*) Cod., *nam in exordiis sint*.
(*g*) Cod., *earum*.
(*h*) Deest in cod. *rhetoricæ*.
(*i*) Cod., *causam*.

Neque enim causæ ejus pars esse dicitur constitutio, quæ in controversiam venit, et quam status constituit : cum præsertim qui additur ad causam status, jam una constitutione firmata, non sit principalis sed accidens ; atque in uno negotio tot veniant controversiæ quot sunt constitutiones. Sed quot controversiæ, tot causæ : et licet eas unum contineat negotium, causæ tamen impermixtæ sibi variantur. Ut qui juvenem de lupanari exeuntem vidit, paulo post de eodem loco uxorem suam vidit egressam, accusat juvenem adulterii. Hic unum negotium quod vertitur est ; causæ autem duæ : una conjecturalis, si neget se fecisse ; altera finitiva, si in lupanari concubitum non dicat posse adulterium putari. Sed neque neganti pars est ejusdem controversiæ conjecturalis status ; neque definienti definitio : totam enim continet causam. Causam autem voco non generaliter, sed controversiam constitutione aliqua firmatam.

10. Sunt autem partes constitutiones causæ generalis hoc modo. Si enim omnis causa conjecturalis esset, nec alius status inveniretur, non esset status conjecturalis causæ pars, sed ipsa causa esset sine dubio conjectura. Sed quoniam partim conjectura, partim sine, partim qualitate, partim translatione, causæ omnes tenentur, pars est constitutio causæ, non ejus quam tenendo informat, sed ejus quam dividit generalis : cujus scilicet quasi membrum aliquod abscidens suum facit unaquæque constitutio. Sunt igitur partes ut species causæ constitutiones generalis, non ejus quam unaquæque tenens informaverit.

11. Quare est genus rhetoricæ facultas. Rhetoricæ vero species tres (*a*), judicialis, demonstrativa, deliberativa. Materia autem civilis quæstio, quæ dicitur causa. Partes hujus materiæ constitutiones. Rhetoricæ partes, inventio, dispositio, elocutio, memoria, actio. Instrumentum, oratio. Instrumenti partes, exordium, narratio, partitio, confirmatio, reprehensio, peroratio. Opera, docere et movere. Actor, orator. Officium hujus, bene dicere. Finis, tum bene dixisse tum persuadere est.

12. Tota rhetorica in speciebus ; species vero ita totam materiam informant, ut tamen vicissim totam sibi vindicent : quod ex hoc intelligi potest, quoniam omnes sibi materiæ partes singulæ species tenent. Nam in judiciali quatuor constitutiones invenies, et in deliberativa demonstrativaque easdem quatuor invenire queas. Unde ostenditur, si omnes partes causæ generalis, quæ est civilis quæstio, singulæ species habent, omnes vero partes causam esse ; ipsam causam, id est civilem quæstionem, ab speciebus vicissim vindicari totam : eo modo quo vox uno tempore ad plurimorum aures pervenit cum suis integra partibus, id est elementis. Nam eodem tempore tota causa ad diversas species cum suis partibus transit.

13. Sed cum species in materiam venerint, id est in civilem quæstionem, et eam cum suis obtinuerint partibus, inferunt secum etiam ipsam rhetoricæ facultatem : quare etiam rhetoricæ partes. In singulis ergo constitutionibus erunt rhetoricæ partes. Sed illata materia rhetorica infert secum instrumentum suum. Infert igitur secum orationem, et hæc proprias partes : eritque in constitutionibus exordium et narratio et cætera. Sed cum instrumentum venerit in civilem quæstionem, operam quoque suam simul infert. Et docebit igitur ac persuadebit in omni constitutione. Sed hæc per se venire non poterunt, nisi sit is qui hæc moveat, velut artifex atque architectus. Hic autem est orator, qui cum ad causam accesserit, faciet officium suum. Bene igitur dicet in omni genere causarum, et in omni constitutione. Orator faciet etiam finem, tum ut bene dixerit in omni constitutione, tum ut persuaserit.

De singulis igitur nunc quidem in commune tractavimus : de unoquoque vero separatim post, si erit commodum, disseremus.

EXPLICIT SPECULATIO COMMUNIS DE RHETORICÆ COGNATIONE.

(*a*) Fit epilogus. Recole autem § 2.

AN. MANL. SEV. BOETII[a]

INCIPIT

LOCORUM RHETORICORUM DISTINCTIO.

1. Persona est quæ in judicium vocatur ; negotium, factum dictumve personæ, propter quod in judicium vocatur persona : et negotium suggerere argumenta non possunt ; de ipsis enim quæstio est. Faciunt autem fidem negotio ea quæ sunt personis ac negotiis attributa. Persona quoque facit negotio fidem, sed non in eo quod persona est, sed in eo quod ex attributis personæ quamdam suscipit qualitatem. Circumstantiæ sunt, quæ convenientes substantiam quæstionis efficiunt. Nisi enim sit qui fecerit, et quod fecerit, causaque cur fecerit, vel locus tempusque quo fecerit, modus etiam facultasque si desint, causa negotiumque non stabit. Has circumstantias in gemina Cicero (*b*) partitur, ut eam, quæ

(*a*) in cod. *Mallii* et mox *Boecii*. Sed rectiorem horum nominum scripturam pono ex antiquissimo Boetii de Consolatione codice Vat. 3363.

(*b*) Confer Cic. Rhet. II, 9 sqq.

est quis circumstantiam in attributis personæ ponat ; sex vero quæ reliquæ sunt,in attributis negotio constituat.Et primam quidem ex circumstantiis, quæ est quis, quam personæ attribuit, secat in undecim partes : nomen, ut Verres ; natura,ut barbarus ; victus,ut amicus nobilium ; fortuna,ut dives; studium, ut geometricus ; casus, ut exsul ; affectio, ut amans ; habitus, ut sapiens ; consilium ; ut imo age,care pater, cervici imponere nostræ ; facta, ut orationes hæ quæ extra illud factum dictumque sunt quod nunc in judicium vocatur.

2. Reliquas vero circumstantias, quæ sunt quid, cur,quando, ubi, quomodo, quibus auxiliis, in attributis negotio ponit.Quid et cur dicens,continentia cum ipso negotio in causa constituens. Quid vero secans in quatuor partes : in summam facti,ut parentis occisio ; ante factum,ut concitus rapuit gladium ; dum fit,vehementer percussit ; post factum, in abdito sepelivit. Quæ omnia cum sint, tamen quoniam ad gestum negotium de quo quæritur pertinent,non sunt ea facta quæ in attributis personæ pertinent,vel numerata sunt. Illa enim extra negotium de quo agitur posita, personam informantia, fidem ei negotio præstant de quo versatur intentio : hæc vero facta quæ continentia sunt cum ipso negotio,ad ipsum negotium de quo quæritur pertinent. Postremas vero quatuor circumstantias Cicero ponit in gestione negotii, quæ est secunda pars attributorum negotiis.Et eam quidem circumstantiam,quæ est quando, dividit in tempus,ut nocte fecit ; et in occasionem, ut cunctis dormientibus. Ubi vero ex circumstantiis locum dicit,ut in cubiculo fecit. Quomodo vero,ex circumstantiis modum,ut clam fecit. Quibus auxiliis,ex circumstantiis facultatem appellat, ut cum multo exercitu.

3. Sed ne id quod dictum est dum fit,idem putetur esse et id quod est in gestione negotii, hæc discretio est, quod dum fit illud est quod eo tempore admissum est dum facinus perpetratur, ut percussio. In gestione vero negotii ea sunt quæ et ante factum,et dum fit,et post factum,quod gestum est contineant. In omnibus enim tempus, occasio, locus, modus, facultas inquiritur. Rursus dum fit, factum est quo administratum est negotium. Quæ vero sunt in gestione negotii, non sunt facta, sed facto adhærentia,et quodammodo subjecta ipsi quod gestum est negotio. Amplius ea quæ sunt in gestione negotii sine his quæ sunt continentia cum ipso negotio esse possunt. Illa vero sine (*a*) his esse non possunt : adjuncta vero negotio, ipsa quoque fidem faciunt quæstioni. Sunt autem ea quodammodo effecta et respicientia negotium quod agitur hoc modo.

4. Nam circumstantiæ septem in attributis personæ vel negotio numeratæ sunt. Hæc cum aliis cœperint comparari et quasi in revelationem venire, fiunt aut genus,aut pars,aut contrarium, aut eventus, aut majus, aut minus, aut simile, aut æque magnum,aut disparatum. Hæc itaque accidunt circumstantiis,quæ in attributis negotiorum numerata sunt ; ut dum aliis comparantur, sumantur ex his argumenta factive dictive,quod in judicium vocatur. Distant autem superioribus,quod superiora vel facta continebant, vel factis ita adhærebant, ut separari non possent : ut locus, tempus, et cætera quæ gestum negotium non omittunt. Hæc vero quæ sunt adjuncta negotio, non inhærent negotio, sed accidunt circumstantiis : et tum demum argumenta præstant, cum in comparationem venerint ea quæ adjuncta sunt negotio.

5. Sumuntur vero argumenta non ex contrarietate, sed ex contrario ; et non ex similitudine, sed ex simili ; ut appareat ex revelatione sumi argumenta, in adjunctis negotio ; et ea esse adjuncta negotio, quæ sunt ad ipsum de quo agitur negotium affecta. Consecutio vero neque in ipsis inest rebus, neque ex comparatione reperitur ; sed rem gestam vel antecedentia consequuntur vel comitantia. Et quoniam facilis eorum locorum est discretio, tractatum hucusque constitui. Explicit.

(*a*) Deest *sine* in cod.

APPENDIX
AD OPERA PHILOSOPHICA BOETII.

AN. MANL. SEV. BOETII
DE DISCIPLINA SCHOLARIUM.

PROOEMIUM.

Vestra novit intentio de Scholarium Disciplina compendiosum postulare tractatum, utinam aspiritus mei parvitate,prout facultas suppedit,ingeniique declivitas. ærumnarumque tenacitas,amicis vestris, o Martiane,petitionibus tentabo acquiescere.Et licet duplici genere commentorum sim impeditus,non tamen omnino diversorum, in quasdam Aristotelis necnon aliorum philosophorum editiones, propriique attenuatus studio,et inhumani regis Gothorum cruciatu corrosus,philosophico me prævenientem consolatu,extremaque profundæ Trinitatis perspicationis permollitus.Quid enim gymnasiorum exercitu lucidius quam in artificiali et naturali progressione debita cognitio,et quam virium intelligentiæ gradualis exhibitio ! Eloquentiæ enim partes decenti artificia-

t naturalium processu, et perspicua intelligen-
nprehensione novimus stabiliri. Imprimis ergo
scilicet puerorum oblectamenta sunt præli-
. Secundo videlicet qualiter adultorum elatio
tratui subjicienda sit, et disciplinæ connecten-
rtio de eorum elatione reprimenda, exemplo-
ɔmmendatione distincte exponendo. Quarto de
ırium sagaci provisione eorumque graduali sta-
Quinto qualiter scholarium venerabilis ac sin-
levotio ad magisterium proferenda sit. Sexto
gistratuum norma trinaque divisione statuque
ubditos modoque docendi præcognito. Hæc
ad intelligentiæ cognitionem suscepimus per-
a, pristinum modum tractandi fere omittentes,
ıam leviori stylo perusi, quoniam in majori
pro rudibus informandis est exsecutio, et tan-
or dilucidandi debet esse translatio.

CAPUT PRIMUM.

ı autem indiscrete impotens septennis infantia
ır ad imbuendum, cavendum est ne membro-
ndecens sit dispositio, ut pote integralium, et
ntemperies, ut pote constringentis hiemis ob-
ɔ, et comburentis æstatis profunditas periculi
ɔt incrementum. Legitur enim Timothei filium
incumbente, castratum, loripedem, gibbo tu-
m, doctrinæ mancipatum, plebeiam exsti-
bjectionem suorumque sociorum detractio-
diculosam. Similiter prætoris suburbani filium
lla instigante litteris vidimus mancipatum,
utem solita non gauderet umbrella, propria
ı destitutus, ictericiæ pœna permollitus, vita-
tandem spiritibus attenuatus, lymphatico
ı occubuit. Ecce quantum difficultatis mem-
n indecens indispositio, et aeris intemperies
tati puerili contulerunt.
ıriorum autem mediocris sit facultas;
ıs autem sit tenuis ejusdemque parcitas;
ium autem similiter absit penuria.
nis igitur figurarum elementa repræsentan-
mprimenda est dilectio, conjungendarumque
rum non parum artificiosa conjunctio. Nec
ɔrioso certamini multum est insistendum, nec
t Servio placet, abeundum, quoniam si visus
multis promptior, in aliis reperitur tunc et
ɔr. Secundum laboriosi certaminis stat ædi-
, in Probi Didimique traditionibus, necnon
n philosophorum quos venerabilis commen-
uctoritas. Animadvertendum est autem in-
nodi ut fideli resolutioni subjaceat lata tra-
et a discentibus idioma verbo tenus explica-
it, fundamenti enim tenacitatem in his opor-
ısistere. Nec menstruoso saltu Phœbes abeun-
ɔst, nec solari cursu tantum confirmandum,
ɔpleto Mercurii intervallo, eodemque fere du-
ɔ diligenter immorandum. Diligentiam enim
ibet operis obtusitas permollitur. Senecæ tra-
inexpletio Lucani, Virgilii prolixitas, et Sta-
ɔanitas, dura Flacci translatio, durior Persii
, Martiani non indigna læsio, Nasonis discre-
nt indaganda memorialique cellulæ commen-
.Cæterorumque philosophorum (prout ingenii
tit capacitas) non sub silentio est prætereunda
itas, ut sic sententiosa dictaminis vigeat se-
s, et metrorum floreat jucunditas. O quam
venerabilis facundia summis desideriis est
anda. Cavendum autem in hujusmodi ne con-
ut Lotario contingebat, ipse enim triginta an-
norantiam suam prædictorum philosophorum
nnasiis tradidit imbuendam. Cum vero dies ut
set mediocribus advenisset, cujus uxor esset
s dubitasse se diutus asserebat, quem in he-
ɔhiorum Virgilii serenitate invenisset. Requisi-
ea quodam suorum discipulorum qualiter pri-
hujus dictionis syllabam magister vertere versu
t, respondit absurdum esse tanti nominis pri-
syllabam abbreviari, sed potius acuto accentu
ıntiari. Ecce quantum duræ cervicis obtusitas

A perdidit temporis et expensæ. Completo autem non indebite hujusmodi gymnasii rudimento, ad majoris inquisitionis scientiæ limina procedendum est. Scientiæ, inquam, quam veri falsique novimus indagatricem, solamque scientiam scientiarum titulo subtilitatis obstipantem subjecta. Hæc est, inquam, scholaris domina, quæ penetranti vestium natura ad scientiarum quarumlibet fastigia præbet incrementa virtutum. Quid autem lucidius cognitione quinque universalium, quæ est trivialium scientiarum magistra, quadrivialiumque potentia, collateralium scientiarum plenitulo? Ad hujus autem imperialis dominæ apicem scandendum est hoc ordine. Imprimis igitur terminorum intrinseca cognitio, eorumque in propositione non latens copulatio, propositionumque non indigna connexio sunt apponenda. Terminorum autem determinationes quas syncategoremata appellamus, memorialiter menti sunt imprimendæ, ut pote quæ sophisticæ non pa-
B rum deserviunt phantasiæ. Horum autem notitiam Trebatium virum meminimus prudentissimum, sed in hoc imperitum, quasi indignam scientiam relatu sub silentio præteriisse. Die autem conflictus adveniente, eumdem miserrime ab his sophistica vincente detentum vidimus, et indecenter a suorum collegio sequestratum. Qui ulterius? angustia pudoris confusus, quod prius censebat indignum eloquio, postea sociatim mendicabat. Hujus autem imperialis dominæ fimbriis dotata ars sophistica, petulanti animo confusa, nugatoriæque loquacitatis eulogio perusa, mulieris fuco vultu perfusa, barbaras nationes obliquo sidere respiciebat, quam in commentariis Alexandri et nostris novimus decoratam, et translatione perfectam summopere esse curandam. Ad istorum et cæterorum perfectionem triplici solemus uti recordatione, quarum prima est vocalis, secunda mentalis, tertia vero communis. Vocalis sophisticum facit, mentalis judicium, communis
C si continuata fuerit facit perfectum. Vocalis cæcitatem, mentalis scientiam, communis usum. Usus autem ad magisterium properare festinat. Sicut enim prudentia sine justitia parum vel nihil prodest, justitia autem sine prudentia multum: sic scientia sine usu prodest parum, usus autem sine scientia prodest multum. Si vero bonæ indolis scientiæ tiunculus totam nequeat seriatim comprehendere orationem, saltem primam capiat pronuntiationem, donec gradatim procedendo continuum producere possit effectum. Visis autem levitatum scientiis, de speculatione Porphyriana quinque universalium quæ ab Aristotele monstra vocantur attendendum est, ad ipsius categorias necessaria, quæ luce expositionis in commentariis nostris bis patefecimus. O quantum utilitatis habetur in his si intrinseca habeatur cognitio! Nonne literalis Sophronici facultas est vitio notanda. Inquam. Nostra quoque volumina styli schemate decorata non sunt omittenda. Aristotelis
D quoque tota succincta brevitas, licet voce tædiosa, non tamen infructuosa: malui enim potius fideli deservire translationi quam arrogantiæ reprehendi temeritate. Quid enim Aristotelis lucida veritate serenius? Nec dum hæc geruntur, grammaticæ fructuositas nullatenus est oblinquenda, per eam enim cujuslibet artis commendabilis redditur possessio jucunda. Rhetoricæque lepos, quadrivialium quoque honor studii comparatione acquisita, pro posse non debent omitti. In his autem studii protervitas florem generat, fructumque parturit si dubitationi permixta fuerit et tempestiva.

CAPUT II.

Visis autem scholarium rudimentis et virtutum incrementis, nunc de eorum subjectione erga magistros breviter est ordiendum, quoniam qui se non novit subjici, non noscat se magistrari. Miserum est enim eum fore magistrum qui nunquam se novit esse discipulum. Debet autem discipuli subjectio in tribus consistere, scilicet in attentione, benevolentia et do-

cilitate. Attentus, inquam, exercitio, docilis ingenio, benevolus animo. Attentus, inquam ad audiendum, docilis ad intelligendum, benevolus ad retinendum. Ista vero tria ad perfectionem concurrunt permutati. Non sit autem scholaris dyscolus. Dicitur enim dyscolus quasi a schola divisus. Schola enim Græce, dicitur vacatio Latine; inde dyscolus; quasi vocatione divisus. Dyscolus autem dicitur ille qui discurrit per vicos, et plateas, et tabernas, et meretricum cellulas, per publica spectacula, per pompas et choreas, et per comessationes, et per publicas cœnas, et hoc vagis oculis, et effrena lingua, petulanti animo, vultu incomposito, omnibus his schola postponitur. Quodam vero tempore cum causa sanitatis recuperandæ, et ob aeris intemperiem, ritusque Gallorum facetos matronarumque pios affatus, nos ad Galliam transtulissemus, multos dyscolos, ut meminimus, visu percepimus in civitate Julii Cæsaris quæ Lutetia Parisiorum dicebatur. Multos autem artes mendicare prospeximus, nullis eis pocula philosophiæ administrantibus, flavosque Britones studii pretio Romam commeantes graviter indoluimus, quia Atheniensium scintillulis minime pascebantur. Tandem autem Gallica lingua Græcari incœperunt Quod si aliquid aliud quam tortuosa volumina Lucretii in partibus suis invenissent, consilio nostro non tantum operis perdidissent. Germanici furoris paucos inspeximus intitulari. Magicæ autem delusionis arte de Iberia multos vidimus magistrari. De nostris autem lippientibus patet et convulsis oculis. Sed hæc hactenus de dyscolo sufficiant. Ne sit autem discipulus violentus erga magistrum. Violentiæ autem Albinus Albei filius procedat in exemplum, qui cum esset filius dilectionis, magis vero infelicitatis præcursor, magistro suo Grillo quandoque balbutienti manus injecit sceleratas, ac canitiem ejus venerabilem fœdo pedum maculavit accessu. Quæ tanti sceleris causa fuit, quia ad primam aeris impressionem totam nequivit comprehendere constitutionem. Proh dedecus, proh fit infelicis discipuli in caput felicitatis accessus! Tam scelerato Nero gaudeat hærede, tam coinquinato Anetus successore. Grillus vero cum Socrate, Senecæ gaudeat appetitu. Non est ergo dignus scientia qui scientiæ insurgit præceptori. Luxuriæ a fervore studeat se discipulus alienare. Quam triplici satirici partitione diviserunt: quamdam in ornatu vestium dicentes consistere, aliam in coitu, tertiam vero gulositatis assistricem. Cujuslibet vero rabie feculenta frequenter novimus laborare subjectos. Contumelioso coitus appetitu sanguineum Lucretii filium, Zenonisque discipulum tota Roma flevit inviscatum, qui tamen clarissimis ortus fuit natalibus, quantitatis proceræ et sanguineæ qualitatis, miræ siquidem eloquentiæ, perspicacis ingenii, sed quotidianis et ultra debitum nuptiis gaudebat, patre pœnam deferente, patrimonium enim parentumque census illicite consumebat, cunctisque zelotypis eminebat. Aleis autem et meretricum cellulis semper inhiabat. Proprio autem adhuc non destitutus pruritu, postea a parentibus ejectus, tandem ab amicis et consortibus destitutus, a creditoribus undique fatigatus, notis et ignotis furtim studuit assistere, crucis ab angustiis a patre creberrime redemptus, ultimo tamen parentis pecunia redimi non potuit. Cruci ergo adductus eumdem ad se venire lacrymis compellebat, osculumque voce querula petebat. Pietatis autem motio ad filii petitionem patrem erexit, erectique filius nasum morsu secuit acutissimo dicens: Quare a meis primis erroribus incastigatus evasi? Utquid magistri mei documentis non obedivi, sociosque meos contempsi? Filii patrem necesse est indulgere castigationi, magistrumque discipuli mores informare. Ecce quantum detestabilis est meretricum incursus Est autem meretrix nonaria inferni janua, via iniquitatis, scorpionis percussio, viscarium scelerum, puteus interitus, et si qua est alterius luxuriæ ignominia, species quælibet alia gravior scelere deteriorque. Interitus autem Hyacinthinus cunctis patet et Jovinus. Et alibi meretricis labia favum distillant, sed absinthium ejus novissima subministrant. Comessationibus et ebrietatibus secunda species luxuriæ dotata, permutatim tanquam causa ad causatum cum prædicta gaudet sustineri. Propter coitum enim fit ebrietas relative, necnon et cæterorum vitiorum genera. Vinum autem modice sumptum intellectui videtur conferre acumen, non autem modice sumptum rationem perturbat, intellectum hebetat, memoriam enervat, oblivionem immittit, errorem infundit, ad ignorantiam perducit. Ubi enim ebrietas, ibi furor dominatur; ubi furor dominatur, ibi nulla sapientia, sed insipientia pervagatur. Hujus autem rationis quotidiana patent exempla, et virtutum detrimenta. Quæ etiam pestis consorte vinoso deterior, quia si studere nequeat, cæteros gymnasiis inhiare volentes corrodit, errorem litis confovet, vel pugnis opem orat. O qualis permixtio studentibus est cum dissoluto! Ejiciat ergo ab integritate consortii tales prudentium discretio ordine irregressibili et hoc tempore determinato. Hæc autem secunda species primæ quandoque præambula, posterioris autem pedisequa appetitiva. O quantum erroris immittit ebrietas in mentem discipuli, nisi freno sobrietatis castigetur ad ungnem! Tertia species luxuriæ est concupiscentia quæ ornatibus inhiat, parentumque progeniei maritata consistit, quibus paupertatis tuta facultas cedit invicta. Hæc autem vestium gaudet varietate frequentiæ, earumque in sigillatione membratim, pectinis beneficio cæsariem polire, et calamistri tortuositate, florumque diversitate seriatim lascivire, gulamque suam fuco perfundere, novaculæque frequenti castigationi inhiare, sinum aromatibus adimplere, gemmatis colla monilibus, Parthorumque cingulis ventrem castigatum plebi ostendere, rostratis tabulatisque calceis ut regina incedere, colloque elato, gutture inflato, supercilio mutilato, oculo impudico, fastuosoque incessu semicirculariter incedere gaudet. Raris autem parumque modestis sermonibus ampullari, appositisque cibariis omnia fastidire, litibus servientes, probris affines, cruciatibus ignotos affligere, ultimo raroque scholis interesse, parumque prodesse, primo eisdem abesse festinat. O qualis quantaque vitiorum est permixtio! Cum quodam tempore me Athenis causa discendi recepissem, Ganymedem Pyrrhi dictatoris filium omnibus prædictis laborantem inspexi, qui quandoque pedulis limbatis, quandoque caligis maculatis, per horam cedrinis tibiis elatus, nudisque pedibus præcessit, ariopagumque ut stomachatus impetiit, cauteque sæpissime providi ne mihi insurgeret, quia alienigena eram. Quid plura dicam? ad tantam licet invitus devenit inopiam, quod ea quæ prius fastidiendo contempsit, mendicans corrogando composuerit fortunæ meatu permutato. Sed hæc hactenus sufficiant.

CAPUT III.

Cum autem discipulus ad perfectionem tendere teneatur, affectivam causam perfectionis, ut pote continuitatis constantiam, prout facultas suppetit, menti dinoscatur imprimere. Quid enim in dilectionis opusculo lucidius constantia, quid inconstantia nequius? prima parit, secunda parta dissolvit; prima procedit, secunda retrocedit; prima colligit, secunda collecta dispergit. Cum autem gymnasiis insudare decrevissemus, magistratusque vicem dignum duximus obtinere, filium inconstantiæ, imo ut verius dicam ipsammet inconstantiam, fortuna nostris assignabat præceptis imbuendum. Qui satiricis inhiabat atramentis mensurnus, historiographis persæpe diurnus, elegiacis annus; ratione vero disserendi Aristotelem lamentabatur nocturnus, in editionibus, philosophicis mensurnus, duodecimque tabularum compilationibus quasi instantaneus, omnibus siquidem in brevi exstiterat fastiditus. Si vero librorum inspectionum eorumque scripturæ aliquantulum indulsis-

set, quam plures per horum inspexisset, nulliqueliceat brevissimo tempore manus imponeret perficientes. Tandem mercator incœpit esse navigio. Primæ vero noctis spatio nauseæ in hiatum sentina cogente provocatus, et demum ponti insultu perterritus inundantis, hortulanus esse cupiebat. Deficiente vero legumine militiæ se transtulit exercitui; visis autem hostium incursibus fugæ terga commendabat. Cratonisque studiis tutius inhiabat, cujus semicirculi capacitas multis formidabat quæstionibus. Superioris vero circuli latitudo zodiaci formata planitie drachmis arrisit septemplicibus. Prima vero litteralis protractio quæsivit utrum cœli empyrei dominatio terrenitatis aliqua participe natura possit obfuscari. Secunda, utrum spirituum vitalis servitus terrenæ fœcis ambitu queat naturæ subsidio denigrari. Tertia autem, an Judaicæ trinæ divisioni polorum, an Aristotelicæ simplici acquiescendum sit partitioni. Quarta, si Judaicæ an termini sint ex ipsis, an in ipsis, an quilibet sigillatum, et si Aristotelicæ cum partes totius localiter moveantur, quare totum non movetur. Quinta, cur continua elementorum sit transmutatio, et an eadem sunt quæ primo fuerunt elementa, an alia consistant. Sexta, cum unum elementorum contrarium, ut aqua, accidentalem accipiat qualitatem, ut caliditatem, quare non ignis accidentalem accipiat frigiditatem. Septima, an aliquazona a nostra sit habitabilis, quæ habitantium primæva nativitas, quis accessus eorum, qualisque recessus permutatio. Circuli vero mappa secundi novenaria oculos intuentium detinebat inspectione. Quarum prima, zodiaci latitudine modificantem, continebat circulorum qualitatem inspective, colorumque terminos diffinitive, totiusque formæ quantitatem progressive. Secunda; an stellæ fixæ sint in cœlo superiori, an, in propriis circulis commeantes, planetarum ad instar prævagari discernantur. Tertia, an cometæ prodigialiter rubentes, circulariter cum cæteris planetis percurrant, an destructivæ creaturæ in suum chaos revertantur, natura permissione naturantis. Quarta, an inferioris naturæ complexionata virtutem sive eclipsim contrahant ex planetis, an ex primis generantibus. Si ex planetis, an secundum necessitatem, an secundum eventum. Si vero ex generantibus, cum unum generantium sit album et aliud nigrum, quare generatum ex his album et nigrum non est, et quare generatum quando in extremitatibus assimilatur patri, in cæteris parturienti, quandoque neutri generantium. Quinta, quæ proportio motus ad motum per planetas, et quæ eorum connexio. Sexta, cum Saturnus inter planetas sit senissimus, Venusque benignissimus, an benignitas unius malignitatem retardet alterius ex opposito advenientis. Septima cum caurus naturaliter frigidus et siccus sit, quare nobis contrarius apparet. Octava, quæ sit elementorum connexio proportionalis, Nona, quis sit solis et lunæ meatus et effectus. Ultima semicirculi planities proponebat, cur tremor in terris, cur concremat aera fulgur, cur maris exundat rabies, gustusque malignus, quæ sit natura pennatorum æstivalium, in hieme deficientium, et conversim; quid grandinis rotunditas, nivis prolixitas, nebulæ potentia; an virtus lapidum ex complexione sit, an ex materia; an adamantina attractio ex componentibus simul sit, an ex unius incursu tantum; quid pluviæ dulcedo, putei hiemalis caliditas, æstivalis frigiditas, visus triplex emissio, colorumque concretio. Cum igitur istarum quæstionum difficilium solutio animum mutationis non posset adimplere, uxori proposuit subjugari prædictis postpositis. Visis undique virginibus, in tædium ductus parentibus sic respondit: Improbo corruptas, lectos detestor aniles. Nil mihi cum torva virgine, solus ero. Spretisque prædictis ut pote solutionibus quæstionum difficilibus, Ptolemæi de cætero præceptis, inquit, insistam. Sed signorum gradus planetarumque discursus sine turris altitudine facili visu comprehendi non possunt, quid de cætero faciam? Miserum est me esse hominem, utinam humanitatem exuere possem, et asinitatem induere, specie hominis permutata! Sit ergo discipuli summa magistratui subjectio, exercitii attentio cum animi benevolentia et ingenii docilitate, specierum luxuriæ evitatio, felicisque constantiæ debita professio.

CAPUT IV.

Omnia siquidem superius expedita de scholarium informatione sunt infixa, nunc de eorum sagaci provisione breviter est tractandum. Cum ergo humani corporis complexio phlegmate, sanguine, cholera et melancholia consistat suffulta, ab aliquo prædictorum necesse est quemlibet elicere præeminentiam. Melancholico vero pigritiei timoriquesubjecto, locis secretis et angulosis strepituque carentibus, lucisque parum recipientibus, studere est opportunum, saturitatemque declivem serasque cœnas præcavere, potibusque mediocribus gaudere ad naturæ studium prout studii desiccatio exegerit; plenaria potus receptione ad mensuram confoveri, ne nimii studii protervitas phthisim generet, anhelam thoracisque strictitudinem. Phlegmaticus vero licet strepitu vigentibus ædibus, lucisque capacissimis præceptis studiis potest informari; poculis plenioribus potest sustentari, cibariis omnigenisque confoveri, venereoque accessu, si fas est dicere, mensurnus permolliri deberet. Sanguineus autem, cujus complexionis favorabilior est compago, omnibus ædibus vel locis potest adaptari, quem ludendo sæpius novimus confoveri gravissima quæstione, quam si obliquantibus hirquis parietes solus occillaret. Tamen in hoc semper non est confidendum, hunc cibariis leviоribus potibusque gratissimis decet hilarari. Cholericus vero pallidæ effigiei plerumque subjectus solitudini supponatur, ne nimii strepitus auditu bilem infundat in totam cohortem, sicque magistratus venerabilem lædat majestatem. O quam magistratus læsio vitanda est! Hunc cœna grandiori novimus sustentari, potuque fortiori deliniri. Cavendum est autem ne litis horror potus administratione istius rabidis mentibus extrahatur. Si autem qualitates assignare ignorans sit societas, theoricos consulat seque sic cognoscat. Pluribus vero mentibus intimatum est gnothiselithos. Felicisque discipuli discretio, magistratui gaudeat subjici, eumque metuendo diligat, fidelisque existat. Nec ei, sub picturatæ dilectionis obtuitu, Albinus existat detrahendo. Quid enim detractore nequius? Væ magistratus detractori! Etiamsi fuerint mille cum eo venienti magistro assurgat, pro loco et tempore salutando caputque inclinet, eumque, si jubeat, assequatur, mansionique ejus, si possit, se inserat cohabitando, ut sic castigatus non solum se remordeat, verum etiam si locus adfuerit ad eum confluat inquirendo. Si autem discipulus magistro suo semper, ut necessarium est, nequeat exhibere præsentiam, tum propter mansionis distantiam, tum propter alterius rei causam, dictatas semper lateri suo habeat promptiores schedulas, de quibus diligenter imprimat quod conscientiæ propriæ noverit intimatum, ejusque explicite inquirat dubitatum. Cum autem indiscrepans conveniensque adfuerit connexio commensalium annua, vel citior secundum propositum commorandi voluntas, salis, lignorumque in æstate fragmenta, autumnoque copiam vindemiæ in messe trituram, in Capricorno congeriem carnium conferat. O quam proficiens est sanitatique consentaneum secundum facultatem in unum componere, ne artocopi mucore anxionarius anhelitum infirmet, et vini insipidi acor cordis secreta confundat, carnium lanistæ rancor, salisque tritura fetor inclusus intestina corrumpat, lignorumque defectus membra contrahat, et quod deterius est, ne assiduis incursibus ingrassetur anxionarius! Magna vero discipuli est commoditas, prout facultas suppetit, magistratui necessaria exhibere, ne dum ejus inhiat executioni, rerum venalium indulgeat

comparationi. O quam absurdum est magistratus egestas! Lotricum autem vetularum remotio summopere estappretianda,earumque accessus quanto rarior tanto salubrior,ne dum venerit suggerat aliquid inquinatum,vel mancipio aliquid extrahat permollito. Quoniam mancipiorum raro invenitur clementia, rariorque in agonia constantia reperitur. Væ seducenti mancipio in quo plenarie confidit dominantis dilectio! Quid est tali fœdius et quid tanto scelere gravius? Hospitium mundum, supellex munda et thorax dealbatus,mancipii prudentia rerum exitus considerantis, sedulitati dominicæ semper assistentis, decenti vultu sunt componenda.Quid mancipio subtrahente fœdius? Cunctos terreat infelix Elimax, ab elimando dictus, nomen ex re contrahens, qui cum Nicostrati munera suscepisset,primo ei vultu servivit blandiori,omnia ad nutum administrans,fidelisque per omnia existens, fideliorem se promittens, quidquid Nicostrati fidelitas possedit ipsius commissum est infidelitati. Quid plura? cum nequissimi Elimacis infelix providentia cuncta vidisset sibi suppeditari, carnium alimenta,pisciumque fomenta, cæterarum rerum venalium commercia, cuncta in duplo quam essent appretiata dominicis auribus intimabat,sicque totius substantiæ exhausit incrementa,Nicostratumque in summam traxit egestatem, et creditorum diuturnam exclamationem. Qua nihil amarius menti imprimitur.Væ creditoris insaniei! Maxima vero Nicostrati penuria eum in mancipii erroris cognitionem perduxit. Tarde vero Elimacem super errore suo convenit; quo audito statim in contumeliosa verba prorupit, dominique in visceribus mucronem sepelivit, et quæ prius obmiserat secum asportavit, dominicumque corpus canibus reliquit devorandum. En quantum detestabilis proditoris impietas scelus perpetravit. Servus bilinguis procul expellatur,et ipsius nequitia statim deponatur,licet consanguinitatis proximitate conjunctus existat.Servorum siquidem crudelitate multos vidimus sociorum incurrere jacturam.Creditoribus autem summa exhibeatur debiti commendati, dieique præfixæ semper pro posse debiti fiat solutio. Scholari vero cui pleno cornu copia non arrisit, o quam dulcis est creditoris translatio affiniumque suffragii exhibitio! Prudentis etiam scholaris constantia semper aliquo consorte gaudeat speciali,cui propriam possit detegere conscientiam, qui nubila existente fortuna diligenter subveniat, morboque vigente sedulum se exhibeat.Et si tetra mortis caligo adfuerit superstites facultates disponat,si vero vivus evadat, ab eo possit sustentari,pasci, deliniri et consolari, cubitum duci, diversis etiam partibus procurari; vigente autem valetudine libellis gaudeant permutatim, quæstiunculis certatim, commendabili recordatione gradatim, castigationis felicitate conversim, diversis etiam variisque jocorum generibus dulciter obsequendo. Sicque inter eos mutuæ dilectionis permaneat integritas, ut primævi temporis ros sit instillans, in medio inundans, in fine vero inebrians existat. Quid dulcius, quid præclarius, quid certe melius? præstantis enim amoris nulla favoris adoptio præstat finem. Invidia vero, si secundum quid evenerit, in discendo videlicet,gratuita est; simplex autem proprii auctoris consumptiva est. Cum autem parentis mei providentia ejus colloquio, ut assolet, diebus paucis promittens consolari,ait, Athenas studii ob causam me misisset,unicum custodem vitæ meæ inveni nomine Favonium, non a vento, sed a favore denominatum. Hic cum me inspexisset itinere fatigatum,diversa considerantem,creberrime suspirantem, quæsivit cujas essem, secumque me adduxit, curialiter consolans,breviter inquirendo si ob studii causam illuc venissem,cujusque professionis essem, *cujusque* facultatis, post triduum, nomina vicorum *ostendendo*, angiportorum confraga, dicens · Hic *vigent præsagia* Chaldæorum,Ptolemæi non latens gloria, Aristotelis sincera veritas, Platonis probata divinitas, Zenonis concretio, Peribonii dilectio, Pythagoræ promissio,Homeri Ilias, et labor Theseos, Euclidis theoremata, Daretis porismata, Hippocratis scritinia; hic viget ariopagi efficacia, legem peritia, hippodromi confusa gloria, circi victoria,palæstræ potentia,cestus fulminatio,missilium elatio, nautarum exclamatio, juventæ pervagatio, choreæ conventio.Cum ergo hæc et alia multa Favoni mihi intimasset liberalitas, quænam mihi esset facultas quæsivit,quantæque expensæ loculi mihi posset sufficere numerositas, cujusque disciplinæ esset mihi promptior mentis intentio. Omnibus sibi igitur per ordinem responsis, quoddam memoriæ dignum amicis auribus instillavit,quod scilicet parcitati pecuniæ diligenter insisterem,quoniam pudori consentaneum est stulte commissa dilapidare, cogenteque necessitate pudore me repatriare confusum. Aliud etiam nova via rationis exorbitans propalavit,ut si alicujus disciplinæ me insererem, prius diligenter inspicerem si bonis moribus obediret,liberalium artiumque ubertate titulis polleret,remotaque omni negligentia suæ professionis,ut per triduum eum diligenter audirem,cunctaque considerarem, ut si bonus esset, licet balbutiens,non tamen ab eo discederem. Feliciter autem bis et aliis secretis instructus,annis duobus de viginti Atheuis convalui, quidquid mali expertus ad boni tamen vestigia semper fui anhelans. Non enim est dignus dulcoris acumine qui amaritudinis nequivit inviscari gravamine.Herodiani,Aristotelisque disciplinæ semper adhærens,aliorumque scintillulas diligenter menti meæ commendavi.Ne paupertatis facultati præsentis operis deroget simplicitas, confundat desperatio affligat desolatio, quoddam cunctorum naturæ commune dignum duximus examini committendum. Cum autem scholaris egestas diverso procedat intuitu, tum propter affinium tenacitatem,tum propter eorum inundantis procellæ penuriam,tum propter vitrici juvaminis inconstantiam,tum propter germanæ nobilitatis instantiam, tum propter ipsius primogeniti militiæ nimiam incuriam, tum propter familiaris adustionis versutiam, generali stemate perusi dignum duximus consulendum. Parentum detestabilis aduncа tenacitas precum instantia permollitur,tædiosisque affatibus plerumque dissolvitur,fletibusque tempestivis delinitur promissis fallacibus plerumque excitatur,munusculis affectuosis dissolvitur, adulatione si tempestiva fuerit perforatur,si minus solidatur, adamantina licet fuerit, exemplari commonitu destituitur, aliorumque rogatibus excitatur.Inundantis procellæ penuriæ per laboris incrementa proprii obtemperandum est scriptitando,trituras colligendo, areas mundando, ad tempus serviendo. Si tamen ingeniosa scribendi facultas motum coegerit voluntarium,necessitatis stimulum dignum duximus inhibere. Cavendum est tamen ne deliciosus mentem excitet appetitus,lucrumque enervet Sirenosum communiter scribentium,prodiga raroque fidelis defraudet adulatio,familiarisque sinistra visu vel auditu ebibat quidquid scribentis dextra permolitur. Glebeonis nequitia non obstante,parentelæ gratia quantum discendi incommodum virtutumque decrementum mihi contulit sub Herodiano militanti! Deficiente plerumque paterni sensus iguiculo,more prætaxato mœrorem cautius duximus mitigare, aliquid imprimendo arbitrantes tutius egere,quam velle longi laboris itinera repatriando invitus arripere. Affinibus intimavit Glebeonis nequitia me pestiferis scriptorum sedibus imbui,lucroque seducenti diutius gloriari. Ad malum plerumque parentis promptior intentio igne evaporavit intrinseco solitoque privavit subsidio,et priusquam exitus acta probasset, non declinavit amentia,precumque in nullo profecit instantia, post bimatum delatoris notoria traditio remansit,sed non inulta recessit.Obsequio vitrici si nequeat consolari facultas,minus derogetur,tractuque tempestivo com

minantur utjocosa Proculi docettransactio. Germani festivantis incuria exemplari mitigetur eulogio, ipsius quepropinquitatis admonitu corrigatur versutia, vel amentia deprimatur. Germanæ nubilibus annis affini quanto citius obtemperandum est, ne per incuriæ vitium rosa primula pollice carpatur indigno. O quam sorori commendanda pudoris professio, dolendaque contrarii commissio, veluti vultum deturpantis, pudore plena pulpæ resecatio! Obtemperandæ germanitatis insigna secundi Theophrasti Symmachum œconomum sub silentio committendum non est, qui, utroque parentum viam universæ canis ingresso, imminentis infamiæ germanæ constantiam dotis beneficio maritavit, seque fortunæ meatibus obnixe commendavit. Elisiæ marito naufragiis surrepto Symmachum fratrem soror insequebatur. Elisia in multis serviendo, meritorum simulacra cuncta Symmacho ministrabat. Nam propriæ carnis illecebris dum deesset facultas, secretius florem exponebat. Maluit enim incuriæ vitio clam Elisia succumbere quam fraternæ fœdus constantiæ se viva dirumpere, nec ab incœptis retrograda permansit, quousque inchoata fine terminavit idoneo. Tenacitatis industriæ rudimento adustioni domesticæ succurrendum est, ne mutuatæ pecuniæ diligentia bilem infundat, alterius eam vel rei afflictus casum conferat, quidquid sub his fiat. caute conferendum est ne pusilla rerum tenacitas vultum ruboris judicio in posterum obstipet, tabulatæenim plerumque fortia unius scintillulæ Lesione ruere dignoscuntur. Quid de Calvo milite luce sapientiæ prædito senserit canities cognoscatur, qui, primævo militiæ flore transitum faciendo, latenter sub Birrho amphoram quamdam secum detulit, mancipiique gratiæ commendavit, statuque levi permutato alterius vicem elegit cohortis, de ollaque fictili cocum convenit. Rixæ rancorisque fremo dissoluto, indigne cocus rancorem perferens canitiem fictili percussit, quæ licet postmodum hedera decorata esset, nullus tamen de cætero succi connexui pristinum statum potuit revocare læsionem, ex incursu fictilis proba sibi simulque stirpi contrahendo. Sit ergo tuta paupertatis facultas, munda, parvoque contenta, incursus viriliter perferens ad summa semper anhelans, omnibus obediens. Et sit prompta famulatui, et ad loquendum tarda, fidelis in obsequio, integra amore, dulcisque colloquio, cardis tumorositate carena, quoniam ejus oppositum cum eo commorari non appretiatur. Licet enim a multis destituitur laboris retributio, tamen ab aliquo promerebitur favoris adoptio. Nonne in modico plerumque lapsu contingit, quod anno nequit produci circulo? Adulatoris officio, delatorisque consortio, pro loco negotioque temporis exterminatis.

CAPUT V.

Cum ad magistratus excellentiam bonæ indolis adolescens velit ascendere, necessarium est ut tria genera statuum, quæ in assignatione probabilitatis innuit Aristoteles, diligenter intelligat. Sunt autem quidam vehementer obtusi, alii mediocres, tertii excellenter acuti. Nullum vero vehementer obtusorum vidimus unquam philosophico nectare vehementer inebriari. Istis autem mechanica gaudet maritari, mediocribus politica. Excellenter vero auctorum tres invenimus partitiones, quorum quidam sunt excellenter acuti, alii mediocres, tertii excellentissime acuti. Excellenter acutis gaudet œconomica, mediocribus vero sub lunari globo physica, apothecariorumque practica. Excellentissime acutis, quos maxime Aristoteles notos secundum philosophiam vocat, universalium per experimenta singularium arridet cognitio; hæc trivialium domina est, quadrivialium potentia. o quam est felix exhibitio! Mediocritatis tamen extrema partitio, bonos perfectosque licet sibi quandoque comparavit cum sudore, magistratus tamen dotati sunt honore consumpto flore juventæ. Istis siquidem prædictis hoc modo est ordinandum: primo ut sciat quisque ad tanti nominis pertineant reverentiam, ut quæ scita sunt exprimere noscat, et ne scriptorum commissioni se totaliter committat, ut Lucretius, qui cujuslibet quæstionis modum propositæ inquirendo, dimisso comitatu schedulis confluebat. Secundo ut librorum copiam suæ acquirat exercitationi, ut cum opus fuerit eos consulat. Nec omnino eis credat, ut Jugo qui Montani sui magistri monitis in tantum confisus est, quod omne verbum ab ipsius ore progressum quaternullis exarabat et tanquam sacrum existimabat, nil aliud quam magistri vicem in scholis obtinens prædicabat, unde multoties pudore confusus inclusus abibat. Quippe miserrimi est ingenii semper inventis et non inveniendis uti, stultus est magistratus orationibus omnino confidere, sed primo credendum est, donec videatur quid sentiat; postea fingendum est eumdem in docendo errasse, ut si forte reperire queat quid commissæ objiciat sedulitati. Tertio ut quosdam habeat quos secreta doceat, librosque legat, aliisque redumentis informet, ut sic intellecta sciat, scitaque exprimere discat, et expressione frequenti usum comparet, usus magisterium propinat: alios namque docere est propriæ facultati indulgere. Quarto ordinandum est ut hos aliosque sibi allicat, ut cum opportunitas magistrandi fuerit, eorum intreseco gaudeat aspectu. Quid turpius quam primo inceptionis tempore solus destitui, ut Flavus, qui ob sui generis imperium gazæque dominantis opulentiam cunctos sibi credidit subjugari, tempore vero concursus elapso, raro reperit sodalem qui lege conductionis adhæsit licet invitus, minas omnigenas regaliter addendo? Generositati tamen consentaneum est secundum duplicem partitionem affinitatis, magistrantis saltem ad tempus fovere præsentiam. Quinto ut quorum gratia coronandus est, in favore illorum scholas semper peripatetice obambulet, curialiterque opponat, protervientesque acriter remordeat, diligentiusque pro tempore respondeat, ne si muta fuerit voluntas, ignorantiæ imputetur cæcitati vel arrogantiæ temeritati. Multoesiquidem ob responsionis protervitatem speculantium, licet invite, vidimus præcipitio frui, non enim discentis interest probris affatibus et contumeliosis regentem incitare. Nec licet summa familiaritate conjunctis fuerit ipsius docentis secretis, nisi jussus debet inhiare, jussus vero invite. Nonne Fontini protervitas Zenocratis scrutinia aperuit, edocta publice prius inspexit, seque magistrari credidit, si omnem Zenocratis abstulisset Minervam, qua ablata Zenocrates studere desiit, ablatisque Fontinus uti nesciens, phrenesi laborabat grandiori? Proprio ergo discipulus labori confisus alieno nunquam invidebit honori. Cum autem dies summæ promotionis adfuerit, brevi stemmate compendiosoque affatu veneranda commendetur sociorum collectio, sicque ad honoris initialis incrementa intrepide procedendum est, decenti ornatu, festivo apparatu, si facultas suppetat, cunctis vel ad libitum ejusdem saltem professionis splendide procurato. Caute tamen considerandum est cautiusque investigandum ante magisterii elationem, ut primi anni decursu propria possit sustentari si opus fuerit facultate. Turpe est enim ob reverentiam tanti nominis prima forte mendicare, ut Strictonius, qui omnibus ad magisterium pertinentibus, venerabiliter exsecutus, luce cœpit tertia mendicare, tantique ausus mox eum pœnituit. Quid mirum? quasi instantaneus delusus abcessit, tanti honoris fastigia nunquam de cætero confessus. O quam felicis exitus veneranda est commendatio!

CAPUT VI.

Expeditis his quæ ad scholarium eruditionem digesta sunt, dilucidandi moderatione observata, nec angariare lectorem sermonis brevitate curamus, nec dilatione confundere, nunquam lucidiori stylo

leviorique stemmate perusi, quoniam non solum discretis, verum etiam rudibus ænigmatis seric postposita commendatur. Nunc ad magistrorum venerabilem properandum est majestatem. Magistrorum autem talis habeatur divisio. Tantorum quidam duabus urbibus cæteris fulgentioribus, scilicet Romæ et Athenis, commorantur, ulterius nusquam procedentes, nisi quantum fortuna succedit eis ut altius venerentur. Alii prædictorum omittentes fastigia locorum, oppidorum adjacentium quærunt emolumenta tum propter novercam disciplinæ egestatem, tum propter natalis patriæ dulcorem renitentem. Tam istorum quam aliorum quidam ratione pulchræ denominationis imperium assumunt, ut honorificentur. Alii ratione intelligentiæ ignorantia eorum ne confundantur. Tertii subtilius speculantes propter utriusque partis incrementa magistralia contrahunt paludamenta. Talium namque quicunque venustatis assumptæ debitique officii velit emolumenta prosequi, in universa morum honestate oportet ut polleat præclarius, ut si utique in sermone verax, in judicio justus, in consilio providus, et in commisso fidelis, constans in vultu, pius in affatu, virtutibus insignitus, bonitateque laudabilis existat; si quid vero contrarii acciderit, humanæ fragilitatis appetitu accidere solet. Conversatione etiam sit bonus, nulla siquidem res est magis perniciosa discipulo, vita magistri contumeliosa: infusa enim videntur sæpissime confundi ex fetido vase, quia fetidum vas aquas infusas corrumpit. Hæc autem ad animæ docentis informationem digesta sunt; nunc de cæteris primariis, non dico de primo primis, sed de secundo primis disserendum est. Tenetur quoque doctor eruditus esse, mansuetus, rigidus, antiquus non annis, non negligens, nec arrogans. Sit, inquam, eruditus. Prius enim oportet ut discat quam doceat. Trivii siquidem comparationem doctrinæ novimus assistricem. Valde vero absurdum est et iniquum, ut imperiti peritis, novelli antiquis, rudesque præferantur emeritis. Mansuetus : quoniam quandoque discipulorum elationem pati opportunum est, ergo mansuetudine utendum est. Magister Franco in immansuetudine prodeat in exemplum, qui ob discipulorum suorum nobilitate sua utentium irrefrenabilem arrogantiam laqueo se suspendit ; sapientius autem egisset si mansuetudine usus fuisset. Rigidus : in scholarium enim amplexu rigore frui commodissimum est, ut sic errantibus vindictam imponat, sophistarum lites dissolvat, oblatrantes remordeat, obloquentes reprimat, protervientes castiget, totamque determinationem dialecticam faciat. Antiquus vero non annis, sed perpetua scientia ; si vero utrumque adfuerit, sanior conditio erit. Non negligens: quoniam sicut in unoquoque opere mater invenitur constantia, ita universæ doctrinæ et disciplinæ noverca est negligentia. Opportunius enim esset mechanicæ deservire arti quam negligentiæ jugo onerari. Non sit arrogans: quoniam vivax pauperum scintillula exstinguitur magistrantis arrogantia, voluntasque discendi divitibus sequestratur, quoniam arrogantis magistri sedulitas nunquam fideliter hominem instruxit. Hi sunt qui id quod sciunt humiliter docere contemnunt, et quæ ratione sapiunt recte monstrare nequeunt, quoniam in fastigio positi mentes mœrentium descipiunt, nec in datorem scientiæ causam referunt, sed propriam in se respiciunt excellentiam. Hi etiam sunt qui fimbrias dilatant, phylacteria magnificant, in publicis spectaculis eminentiora sedilia quærunt, et ab omnibus *rabbi* nomine vocari et salutari desiderant. Tales siquidem omnium bonorum collectio, jure sedulitatis ablato, a se relegabit. Cum autem bonæ inquisitionis tiro legendi causa scholas intraverit, rigore intrinsecus assumpto, considerandum est ut auroræ tempore continuo submissa voce incipiat ore rotundo mediocriter ascendendo nisi magna urgeat necessitas exspectando. Quoniam si magistratus diligentis aliquos ultra debiti temporis spatium exspectare præsumpserit, hos siquidem pigritiei mora confundit, iræque se rancore commiscuit. Cum autem pigritiei discipulus, dormitationis artifex, magistri noverit sedulitatem, aut maturius festinabit, aut pudore confusus in hujus opprobrium dormitabit. Sed non faciat ut Assucrus poeta præcipit, quem Dromonis Castoris discipuli pigrities nequivit in risum excitare. Eo vero more quotidiano ad primam stertente, unguibus scabris membratim musicum melos agentibus oculisque lippientibus lucemque explorantibus matutini laboris in scholisque ne res peragatur consortibus advenientibus sic dicebat: Lucis rubore diei aurorane adhuc confunditur? Illis itaque negantibus, mediam partem diei creberrime somnolentus explevit gratias Deo agendo, maluit enim sani capitis habere duritiem quam insani peritiam. Si vero meridianæ disputationi plerumque adesset, nativum morem excedere nesciens, naso vigilante stertebat, affinibusque ob porcinæ corrosionis strepitum præbebat fastidia. Dum aliquando olera secundas ejus delicias hauriret, ora hiatui, lumina somno commisit. Manus vero, licet sordida, in catino aliquid prendebat, sed sopor ei nocivus exstitit, dum cibaria incarcerare quæsivit. Ad quem fructum maturitatis, o Marciane sociorum carissime, creditis hunc pervenire, vestra siquidem novit intentio? Si disserendi causa meridianus doctor studium adierit, cavendum est ne sophistico polleat apparatu, nec tetris moveatur difficultatibus sed studiosa præmeditatione omnibus armatus, intrepidus, adeat lites, easque facili mente componat, et illud quod quisque objecerit ita memoriæ disponat, ut detegendi tempore a via rationis non discedat, sed ordine competenti ænigmata dilucidandi moderatione assumpta explicite dissolvat. Si vero maxima, ut assolet, discretorum mentibus contigerit dubitatio in disserendo studiis utendum est deliberando, et quod naturalibus motibus mens exagitata dictaverit, conscientiæ in crastinum proferendum est. Eodemque modo si difficillimum quid quisquis præmeditatus fuerit discretioni est commendandum: facilius enim disserendo, plerumque difficultatis scintillula invenitur quam si studii observationi committeretur, quoniam non in altero tantum scientiæ veritas reperitur, ut dicit Aristoteles. Animadvertendum est etiam quod tribus modis in traditionibus uti solet discretorum cognitio. Novis siquidem et inusitatis editionibus gloriari, veteribus tetrisque discipulorum mentes palliare, vetustissimis tamen innovatis et tanquam propriis rivis manantibus credentium intelligentias excitare. Si quis vero horum discipulorum sagacitate oblectaverit, archischolari jungendus est, ut vel eis recordationis seriem fideliter imprimat vel exarandi diligentiam commendet. Magnum siquidem in his utilitatis fomentum colligetur. Ut autem ad magistratus apicem tempore perveniat discipulus, studio continuitatis immorandum est, recessuque secretiori, licet sanguineus existat, insistendum est, ne strepitus assistentium mentem habetet, vel migrantium rixa confundat intellectum, nullis vinculis vitales spiritus impedientibus. Honestati enim consentaneum est ut secreta rimando solitarius magister existat magis quam libellos extrahendo cunctis præsentiam suam exhibeat : nonne detractionis filius magistri sedulitatem libros extrahentem aspiciens, quidin quantum utique meditaretur? Si vero primævo tempore magistrantis diligentia copiam discentium non habuerit, idcirco non tepescat, nec spe deposita evanescat, sed tanto acrius studiis insistat, seque in conflictu strenue præbeat, ut sic licet cum paucis honorem contingat. Paucorum enim consortio multos delinitos profunditatis studio vigente frequenter vidimus strenue intitulari. Nonne Theophrastus subtilitatis artifex paucorum suffultus ornatu, spe defraudatus regendi, curam objecit, quod tamen inconsulte egit ? consultius enim egisset si se studii observantiæ commendabilem exhibuisset. Muneribus tamen magistri Leontini discretio multo-

rum sibi acquisivit consortium. Pulchrius enim sic egere censuit quam discentium cœtu destitui. Pietatis vero ambitu scholarium rector delinitus, discipulorum corda paupertate degentium studioseque discentium mulcere tenetur, videlicet cibariis, calceis, vestibus saltem tritis, si facultas suppetit, cæterisque donatis subveniat, consilioque, ut decet, concitativo. Quæ enim præclarior natura quæve suavior quam veris scholaribus erogatio? Præclarius est enim confovere scholarem his in quibus est minima donantis exhibitio, maxima vero pauperis recipientis promptitudo, quam histrionum et meretricum detestabiles incursus deliniri. Nubila licet quandoque fortuna existat, non tamen magistrantis cura desperet, sed semper curialiter se regendo incursus viriliter perferat, dulcius exspectando. Proh Coriandi pudenda transactio! Si autem ob festivi temporis impulsum deliciarum loca visitare placuerit, semper cœtus sui nobiliores, formaque eminentiores, docentis secum habeat discretio, ne quasi destitutus solatio a multis videatur, vel ne in periculum exciletur. Maronis saltus felicium discipulorum privari cœtu indoluit. Licet autem in scholis rigidus existere debeat, tamen ingressu salutando devotus permaneat, in sermone jucundus transmigrantibus, comes alludentibus fidelis admonitu commorantibus, castitate cautus affinibus, ne suspirantis nasi fetorem si quis adfuerit, amicabilis ebibat affinitas. Extrema præsentis voluminis exstat compilatio de magistrantibus, quos liberalibus noverca disciplinis egestas fines compulerit invadere alienas. Et de illis quos naturaliter patriæ revocat dulcedo, aliquid sub compendio dicamus. Cum ob egestatis causam repellendæ lucri quærat quis odorem dulcissimum, considerandum est ut salvo magistratus honore parcitati quantum queat insistat, vestibus mediocribus inhiet, et scholarium regirini præcipue indulgeat, puerisque primo præbeat vultum benignum, parentibusque eorum benigniorem affatum, docendique auditum spondeat benignissimum, ut sic non solum puerorum corda permolliat, verum etiam parentum pecuniam extrahat, famamque efferat, scholæ vero jura regulariter defendet, ordine docendi prius edocto putatur. Eisdem etiam aliquantulum adultis rigidum se exhibeat, ipsorumque ora ad recte loquendum componat, digitosque ad scribendum constringat, ad legendum omnino conformet, rigore justitiæ comitante, ut sic non solum in doctrina, verum etiam in facetia conveniat ludendique spatium tempestive concedat, docendique beneficia nullo casu subtrahat. Si vero contumacem superbumque invenerit, dulciter castiget, exemplaque morum proponat quibus reprimatur, alioquin parentum assensu virgis affligetur, ut sic ad unguem castigatus evadat, ne desperatus in ignominiam cadat. Cum autem magistrantis dilectio ætate infrigidatos statualesque planeticos scholastici introitus habuerit participes, si correctionis lima apud eos uti nequiverit, senio confectis arridendum est, statualibus ingemiscendum, planeticisque favoris simulacro est congaudendum. Calamistratos cirris hirsutis perurat, fucoque perfusos lacrymis irrigantibus gulam perfundat, mollesque caute ejiciat ne mentis suæ reatum commoti participent. Animadvertendum est etiam quod quorum erogatione laboriosum delmitur certamen, in illis doctrinalis comprobetur effectus, rerum namque effectus exhibitione operis declaratur. Ordine autem competenti vicissim sunt convocandi, ut fideli scrutinio pateat quid subministrantium labor diurnus erogaverit. Subministrantium enim curæ non semper est confidendum, quoniam illorum cupiditas fractis assibus plerumque permollitur, aut spe defraudata tepescit fidelitas, aut ut videantur fideles crudescit potestas. Sicuti vero paupertati felici misericorditer deferendum est, sic non minus ipsius eruditionibus attentius est insistendum. Cum autem cœna pauperior adfuerit, commensalibus est eroganda facultas, familiaribus complicibusque vicinitatis invitæ porrigenda, ne familiaris vox secreta revelet detrahendo, vel multiplicitatis anus prodiga propinquat anui annectendo. Quid autem anu conscia futilius? Proterva in minimis procul absit rapacitas, et fame noverca et adunca tenacitas. Cavendum est etiam ne puerorum pulveri feculento plus quam triennio ibidem alludat, licet maxima comitum gazæve adfuerit affluentia, consideraque amoris opulentia, nisi honoris promotio vigeat in amore vel facultatum elatio in honore. Cum autem ob dulcoris patriæ delicias, parentumque venerabiles aspectus, regendi curam quis acceperit in natalis soli confinio, pomposo affatu insistendum est. Caute splendideque procurationi vicissim est arridendum, vestiumque varietate gaudendum, quoniam vestis polymitæ venustas, annulorumque insignia, multos aliud quam veritas exigit cogunt obtinere. Ornatus, favor, affatusque lepos, quam plurimos comparatos sensu, erroneo Homerum excedere visu compellunt, ordine tamen docendi prætaxato diligenter observato. Jocorum quoque damnosa libido attentius ablata sit, ut quod raro contingit provincialis honor, famam efferat in tituli commendationem. Quanto magis vero venustatis titulus surrexerit, tanto magis subditorum insistendum est favori, ut quod proprii oris nequit efferri tumultibus, ipsorum tempestivis erogetur affatibus, ut non solum in morum dulcedine, verum etiam propriæ facultatis acumine commendabilis inspectetur. Cum autem tam morum quam facultatis in publicum evenerit commendatio, cavendum est ne incestus caput obstipet, adulterium era confundat, illicitique malignitatis fetor famam bonam denigret, ne rosæ vernum emittentes odorem videantur exspirare, et lilia sudore castitatis quæsita decrescere videantur. Venerabilis Cratonis effigies propriæ facultatis complicibus, aliis etiam qui eum unico aspectu attigerant, mœroris causam præbuit et incrementum, qui Castoris in diversorio ob Eufrasiæ uxoris suæ delicias obdormivit, amplexando repertus est, capillis tractus, verbere castigatus, vulnere laceratus, sale fricatus, urina servorum perfusus, angulis ejectus, trabibus erectus, tandem lassatis tortoribus genitalibus privatur, sterquilinio suppositus, transeuntibus expositus: plebis abjectio, discipulorum desolatio, commilitonum opprobrium crudumque ac crudele, miserum ac misserimum cunctis exstitit doloris spectaculum, affinitatis gratia parentelæque gloria in nullo sibi proficientibus. Licet enim prima quandoque salva fiant indicia, ultima vero alterius saporis inquinamenta permanebunt, etc.

Consiliabar item gnatorum solvere carmen,
Obliqua facie surdus ab arce vehor.
Non pudeat struxisse dolos ex aggere sato,
Rumiferos sonitus dum movet ampla seges.
Aderat interdum rabies contermina ponto.
Dum loquor, ex quarto capite confer opus.
Vos precor, o juvenes quibus est celebranda juventus,
Suggerat innocuos nunc mea lyra modos.

IN BOETIUM DE CONSOLATIONE PHILOSOPHIÆ

LIB. III, METR. IX,

COMMENTARIUS.

O qui perpetua mundum ratione gubernas,
Terrarum cœlique sator, qui tempus ab ævo
Ire jubes, stabilisque manens das cuncta moveri (*a*);

Amantissimo atque desiderantissimo, ætate filio, professionis et consanguinitatis jure dulcissimo fratri, meriti et ordinis sublimitate reverentissimo domino Bovoni antistiti, indignus fratrum in nova Corbeia Christo servientium famulus B., temporalis et æternæ vitæ omne bonum optat in Domino.

1. Præcepit caritas vestra ut obscurum quemdam locum ex libro Boetii, quem viva vobis voce quondam exposui, etiam scripto explanarem. Parui, fateor, prompta voluntate, sed idcirco cum inmodica difficultate, quoniam inter innumeras occupationes, imo miserias et ærumnas, quas inter civilia bella et paganorum, ut prophetice loquar, velociores aquilis incursiones, sine cessatione patimur, omnino vix animum ad scribendum appuli. Terrebat insuper ipsa materia officio meo propositoque contraria, quia de Platonicorum magis dogmatum vanitate quam de doctrinæ evangelicæ veritate necessario erant aliquanta dicenda. Sed vehemens ardor dilectionis vestræ, quem longinqua nimis terrarum intercapedine nos absentia separans non minuit, sed de die in diem aucto desiderii mœrore accendit, compulit me ut voluntati vestræ obsequi etiam ultra vires conarer. Nec me reprehendent, arbitror, quod de sæcularium auctorum libris aliqua protulerim, cum et præcipui doctores nostri hoc refellendi causa frequenter egerint; sicut medici non solum salubria quæ sumantur alimenta commendant, sed et noxia quæ vitentur insinuant: monstrantes herbas utiles; produnt etiam lethiferas, ne miseros fallant aconita legentes. Quid quod etiam de venenis serpentum pretiosa confici dicunt antidota? Hinc antiquitus illi periti incantatores artis suæ lucra captabant: hinc pharmacopolæ negotii sui quæstum cepere non modicum.

2. Sic te, præsul egregie et spiritalis animarum archiater, et salutaria scire decet ut suadeas, et noxia ut prohibeas. Nam neque sanctus Augustinus de Civitate Dei contra paganos scribens, spurcissimos eorum atque turpissimos ritus tam vehementer redarguere posset, nisi eos plenissime nosset, nec contra Manichæos tam elegantes scriberet libros, si eorum nequissimos ignorasset errores. Unde nihil tibi nocere credo hæc pauca de philosophicis legere dogmatibus, quæ multo parcius quam susceptæ rei necessitas postulabat, me attigisse protestor. Atque id summopere quæso, ut cum aliquo peritissimo et vobis familiarissimo hunc quem direxi libellum secreto perscrutari dignemini, ut si aliquid utilitatis habet, nemini denegetur; si parum aut nihil, nemini postea publicetur.

3. Quisquis illorum Boetii versuum intelligentiam indagare cupit, quorum mihi expositionem tua sanctitas, venerande præsul, injunxit, imprimis admonendus est non solum in his versibus, sed et in multis locis ejusdem operis, quod Consolationis philosophiæ titulo prænotatur, quædam catholicæ fidei contraria reperiri: quod ideo mirum est, quia libellum quemdam ejusdem auctoris de sancta Trinitate valde præclarum legi, et alium contra Eutychen et Nestorium hæreticos, quos ab eodem esse conscriptos, quisquis aliis ejus libris legendis operam impendit, ut ego ab adolescentia feci, ex ipso elegantis styli quodam proprio nitore, indubitanter agnoscit. Quod tamen utcumque se habeat, certum est eum in his libris nihil de doctrina ecclesiastica disputasse, sed tantum philosophorum et maxime Platonicorum dogmata legentibus aperire voluisse. Unde se ubique interrogantem, ipsam vero philosophiam respondentem docentemque introducit: ipsamque in libro tertio pro reperienda sede summi boni rerum omnium Patrem his verbis invocasse describit.

4. *O qui perpetua mundum ratione gubernas,*
Terrarum cœlique sator....

et reliqua.

Quamvis hic sator pro conditore non proprie, sed metaphorice positum videatur, tamen hoc auctores ita frequenter utuntur. Unde et Virgilius in Bucolicis canit. magnum per inane coacta semina terrarumque animæque marisque et liquidi simul ignis. Ergo si elementorum exordia recte semina dicuntur, recte etiam ipsorum conditor sator appellatur.

5. *Qui tempus*, etc. Apparet in his verbis nihil aliud significari nisi æternitatem immutabilitatemque Creatoris, temporalitatem vero et mutabilitatem creaturæ: nam ævum propter æternitatem posuit. Ac primo sciendum philosophos ita definisse ut sit æternum quod nec initium nec finem habet, hoc est nec incipit nec desint. Quod autem incipit et non desinit, sed manet immortale, sempiternum vocant. Cum autem vellet exprimere quod tempus ab æternitate incipit, valde vigilanti et proprio sermone usus est dicens, *tempus ab ævo ire jubes*. Omne enim tempus momentis suis velociter transit; æternitas vero Creatoris in se stabilis manens, nullis temporum incrementis moveri vel major fieri potest. Omnis autem creatura, ex quo creata est, cœpit esse quod non erat, et exinde per singula momenta majus in essentia sua habere temporis spatium. Habere autem majus minusve alicujus rei quam habebat, sicut et esse quod non erat, motus quidam est: unde videtur dicta mutatio quasi motatio. Universa igitur creatura, ex quo esse cœpit, quoddam temporis iter arripuit. Porro Creator omnium immobilis manens et æternus temporalia, ac immutabilis mutabilia condens, dat cuncta moveri: quoniam incorporea creatura movetur tempore non loco, corporea vero et loco et tempore. Quod si cui minus perspicuum videtur, legat libros sancti Augustini de Genesi ad litteram, ubi de his motibus creaturarum enucleatissime disputat.

6. *Quem non externæ pepulerunt causæ.* Diu inter summos philosophos quæsitum est de his causis, propter quas Deus mundum condere voluerit; sed tandem eis visum est, quod et nostri sequuntur auctores, solam bonitatem Creatoris tantæ rei causam fuisse, qua voluit rationalem creaturam suæ beatitudinis ex ejus contemplatione participem fieri: reliquum vero mundi ornatum partim ad obsequium generis humani, partim ad ostensionem æternæ sapientiæ suæ, qua condidit omnia bona valde, ut ex eorum consideratione ad intelligentiam et laudem ipsius humanæ mentis erigeretur intentio.

7. *Tu cuncta superno ducis ab exemplo.* Antequam de his disseram, aliquid de Platonis dogmate insinuandum est, quam Boetius in hoc opere specialiter sequitur: unde in hoc eodem libro dicit, *Platoni, inquam, vehementer assentior.* Hic igitur trinitatem quamdam in principio fuisse asserit, et suis auditoribus id credere persuasit, Deum, exemplar, et

(*a*) Vide reliqua tomo præcedenti, col. 758.

materiam: Deum,omnium creatorem: exemplar,ad cujus speciem universa formaret:materiam,ex qua cuncta crearet. De materia superius dixit, *materiæ fluitantis*:exemplar hic exprimit cum dicit,*tu cuncta superno ducis ab exemplo.* Hoc est illud Platonis dogma, de quo beatus Hieronymus in prologo Genesis loquitur: nam cum LXX interpretes præcavisse diceret ne Ptolemæus unius Dei cultor apud Judæos quoque duplicem divinitatem deprehenderet: hoc, ait, ideo maxime faciebant, quia in Platonis dogma cadere videbatur. Itaque ubi sacratum aliquid Scriptura loquitur de Patre et Filio et Spiritu sancto aut aliter interpretati sunt,aut omnino tacuerunt: hoc utique metuentes,ne si in divinis Libris mysterium Trinitatis idem Ptolemæus inveniret, hanc eamdem esse quam Plato docuit existimans:in ejus errorem vehementius traheretur. Proinde quemadmodum quilibet artifex quodcunque opus fabricare disponit, prius ejus formam et singularum partium similitudinem in animo gerit,et quodam cogitationis intuitu contemplatur;eodem modo ipse Deum futuri mundi speciem et imaginem æternaliter in mente gessisse asserebat. Et hoc est quod dicit: *pulchrum mundum pulcherrimus*,etc. Ut et in toto et in partibus suis mundi machinam juberet esse perfectam.

8. *Tu numeris elementa ligas*, etc. Quanta de numerorum potentia,et per ipsos facta divinitus elementorum coaptatione, imo totius mundi fabrica, Græcorum philosophi, et eorum excellentissimus Plato in Timæo disputaverit,in Latinis sæpe auctoribus invenimus, qui ea inde translata tractantes,ad magnum hoc eruditionis perfectum pertinere arbitrati sunt. Ex quibus hoc tantum quod huic expositiunculæ sufficit,hic inserendum putavi. Ambrosius Macrobius, qui somnium Scipionis a Cicerone descriptum in duobus libris insigniter exposuit, in priori libro ita dicit: *Scimus secundum Platonem,id est secundum ipsius veritatis arcanum,illa forti inter se vinculo colligari,quibus interjecta medietas præstat vinculi firmitatem. Cum vero medietas ipsa geminatur, ea quæ extima sunt non tenaciter tantum, sed etiam insolubiliter vinciuntur. Primo ergo ternario contigit numero ut ter duo summa medium quo vinciretur acciperet. Quaternarius vero duas medietates primus omnium nactus est, quas ab hoc numero Deus mundanæ molis artifex conditorque mutuatus, insolubili inter se vinculo elementa devinxit : sicut in Timæo Platonis asseritum est, non aliter tam controversa sibi ac repugnantia et naturæ communionem abnuentia permisceri,terram dico et ignem.potuisse,nisi duobus mediis reris et aquæ nexibus jungerentur.* In his Macrobii verbis patet, nisi fallor, quid sit *numeris elementa ligas.*

9. Quod autem sequitur, *ut frigora flammis*,etc., facile intelligi potest:eodem enim numero quo ipsa elementa,etiam ipsorum differentiæ constant. Nam et ipsæ sunt quatuor, frigus et calor, siccitas et humor:quæ dum binæ per singula elementa invicem coeunt, aptam quamdam concatenationem etiam ipsorum quæ contraria videntur efficiunt. Verbi gratia,ut a terra quæ infima est incipiam, hæc natura est sicca et frigida:cui quoniam aer humidus et calidus contrarius est, media in eos posita est aqua frigida et humida, quæ terræ frigore aeri humore connectitur. Item quia igni calido et sicco aquarum natura frigida et humida repugnat, his interjectus aer,aquis humore,igni calore copulatur. Ignis quoque sicut a terra calore disparatur, sic ei siccitate concordat. Omnia igitur elementa cum differentiis suis certa numerorum lege variata atque disposita,dum contraria concordant,et repugnantia fœderantur, indissolubili sibimet nexu ligata junguntur. Unde nullum fere terrenum corpus,quandiu naturalem sui statum obtinet,absque istorum coaptatione consistit. Quod quia pene omnibus patet,huic demonstrationi supersedendum arbitror.

(a) Sit venia temporibus.

10. Hoc sane attentius intuendum est, quod sequitur, *ne purior ignis evolet*,etc. Nam sicut terra et ignis præ cæteris elementis ipsa loci positione maxime sejuncta sunt, cum terra infima, ignis horum altissimus sit,ut pote cujus est naturalis locus in æthere, quem igneæ constat esse naturæ, quem etiam omnis flamma sursum tendens videtur appetere; ita etiam aliis quibusdam, præter illas quas supra diximus,differentis maxime dissociantur; hoc est levitate et gravitate, puritate et crassitudine. Nam horum elementorum ignis purissimus est et levissimus; terra plus quam cætera densitatis et ponderis habere cognoscitur. Igitur ne horum quoque tanta diversitas ignem penitus terramque implicabili repugnantia separaret,geminata est procurata medietas,quæ,ut supra ostensum est,insolubili vinculo solet extrema connectere,aqua scilicet et aer; quæ utriusque illius contrarietatis apto quodam participio temperata,levitatem ignis terreno ponderi conciliarent. Habent enim utraque et aliquid levitatis cum igne, et cum terra aliquid gravitatis. Sed aer levitate sua igni vicinior est, aqua terreno ponderi magis appropinquat.

11. Sed tamen quantum interest inter aquam et aerem causa densitatis et ponderis,tantumdem inter aerem et ignem est. Et rursus quod interest inter aerem et aquam causa raritatis et levitatis,hoc interest et inter terram et aquam. Itemque quod interest inter terram et aquam causa densitatis et ponderis, hoc interest inter aquam et aerem : et quod inter aquam et aerem, hoc inter aerem et ignem. Nec solum sibi vicina et cohærentia comparantur, sed eadem alternis saltibus custoditur æqualitas. Nam quod est terra ad aerem, hoc est aqua ad ignem. Et quoties verteris,eamdem reperies jugabilem competentiam,qua inter se æquabiliter diversa sociantur. Et hoc quod ait, *ne purior*, id est levior ignis evolet,ac penitus dissocietur a terra: aut terra pondere suo mersa, et reliquis non cohærens elementis, a propria decidat stabilitate

12. Nam terram esse in medio totius cœlestis sphæræ, velut centrum,in medio circuli,ipsumque cœlum cum sideribus æquis ex omni parte spatiis a terra distare,omnes astrologiæ testantur auctores. Quod si ita est,necesse est terram undique aut aquis aut aere circumtegi. Unde nisi per divinam potentiam disposita elementorum connexione teneretur, necessario ut illi putabant a suo statu quadam demersione laberetur. Quod per hoc intelligi voluit quod ait, *aut mersas deducunt pondera terras.* Sed cum nos secundum astronomiæ præceptores de ambitu cœli, quo terram, licet per amplissima et immensurabilia spatia putant undique circumcingi,aliquid disputamus,absit ut nos quisquam vel hoc contentiose astruere,vel antipodarum fabulas recipere arbitretur,quæ sunt fidei Christianæ omnino contraria (a). Quapropter etiam sequentia istorum versuum, quibus philosophia velut ipsam Divinitatem invocando alloquitur,cum ingenti scrupulo tractare aggredimur:maxime quia hæc ad instructionem religiosæ conversationis fideique non pertinent. Et quoniam a scrutandis divinæ legis arcanis,quorum dulcedine piæ mentes in hac vita satiari non possunt his inutilibus vel ad modicum intenti præpedimur; tamen si dulcissimæ dilectionis vestræ voluntati satisfecero,nequaquam inutiliter laborasse me existimo: præsertim cum sicut sæpe dicenda sunt salutaria quæ teneantur,sic interdum dicenda sunt etiam noxia quæ vitentur. Sic igitur sequentes versiculos cum quanta potero brevitate transcurram, ut non quod nobis approbandum sectandumve sit,sed quod philosophia Boetii senserit, intelligi faciam.

13. *Tu triplicis medium.* etc. Philosophi unam totius mundi magnam videlicet animam ducentes multa de ejus divina quadam natura atque potentia non secundum veritatem, sed secundum opinionum sua-

rum commenta dixerunt. Quæ quoniam a nostris dogmatibus aliena sunt, prout necessitas hujus expositionis exigit, strictim attingenda, et transeunter commemoranda sunt. Nam sicut anima cujuscunque hominis totum implet corpus, vitalem motum membris omnibus præstet, ita hanc animam per omnem mundani corporis molem diffusam omnibus totius mundi, ut ita dixerim, membris suum cuique motum subministrare putaverunt. Nam et Maro id ipsum sentire videtur, quem constat in philosophicis disciplinis, quantum ad Epicuream sectam pertinet, fuisse pertissimum ; cujus insignis expositor Servius sextum Æneidos librum explanaturus sic exorsus est : *Totus quidem Virgilius scientia plenus est, in qua hic liber possidet principatum.* In hoc libro dicit illa notissima: principio cœlum ac terras camposque liquentes — lucentemque globum lunæ Titaneaque astra — spiritus intus alit, totamque infusa per artus — mens agitat molem. Ecce quam Boetius animam dicit, Virgilius spiritum, et post paulum mentem vocat. Et quod hic dicitur *animam cuncta moventem per consona membra resolvis*, ibi significatur in his verbis, totam infusa per artus mens agitat molem.

14. De hujus animæ generatione in præfato Macrobii libro nostris auribus inusitata de Timæo Platonis excerpta leguntur: ex quibus hic non verba per ordinem, sed verborum sensum paucis absolvam. Legitur ibi quod Deus abundanti majestatis fecunditate de se mentem creaverit, quæ νοῦς vocatur : deinde ex hac mente anima mundana creata sit; cujus generationem per quamdam numerum virtutem idem Plato dicit imperio Creatoris effectam : nam monade, inquit, in vertice locata, terni numeri ex utraque parte fluxerunt; ab hac pares, ab illa impares. Item post monadem a parte altera duo ; inde quatuor, deinde octo. Item primus par, et primus tetragonus ; a pari et primus κύβος, hoc est primus numerus, a pari solidam figuram efficiens. Ab altera vero parte tria, deinde novem, tum septem et viginti : primus videlicet impar, et primus tetragonus ab impari, et primus κύβος ab impari. Hæc de Platonicis sint dicta figmentis.

15. Restat ut cur eamdem animam triplicis naturæ Boetius dixerit, explicare conemur. Aiunt enim quod habeat ex mente, de qua nata est, rationem, et ex sua natura vim præbendi sensus præbendique incrementi seminarium. Horum primum λογικόν, id est rationale, dicitur ; secundum αἰσθητικόν, id est sensibile ; tertium φυτικόν, quo intelligitur natura plantandi et augendi corpora. Dicitur et alio modo secundum quosdam auctores triplicis naturæ secundum humanæ animæ similitudinem, id est ut sit rationalis, concupiscibilis, irascibilis. Sed priorem sententiam magis mihi videtur sensus hujus auctoris intendere. Nam illo modo ut cuncta moveat, se per cuncta diffundit, ut primo cœlestia universorum siderum corpora (nam et ipsa a Deo suas quasdam animas accepisse putant) velut mentis capacia pura et integra ratione, certoque moveri faciat ordine. Deinde qui terrenorum corporum, quæ ab illa animari autumant, tres ordines sunt, in primo ipsorum, qui est hominum, tria illa simul agnoscuntur, quia et ratione utuntur, et sensibus vigent, et habent crescendi propagandique naturam. In secundo ordine, qui est bestiarum et pecorum et quorumlibet animantium, quoniam ratione carent, duo tantum ex his inveniuntur, sentire et crescere. Tertius ordo terrenorum et corporum in arboribus et herbis est, quæ carent tam ratione quam sensu : et quia crescendi tantummodo usus in his viget, hac sola parte vivere dicuntur.

16. Igitur si verum philosophi dicunt, anima mundi secundum triplicem sui naturam tribus modis omnia movet, ratione, sensu, incremento. Sed cœlestia corpora, sola stabili ratione movet ; terrenorum *infima, solo* incremento; terrenorum prima, id est humana, omnibus præfatis tribus modis; media, hoc est brutorum animalium, duobus. Porro quod hic membra mundi consona dixit, vel simpliciter accipiendum quod sibi congrua et convenientia sint, et singula in suo loco et ordine pulchra vel apta minime a se discordent ; aut intelligendum est hoc eum exprimere voluisse, quod maximis mundi partibus, id est septem planetarum circulis, maximam quamdam consonantiam licet a nostris auribus procul remotam inesse dicunt, eo quod ipsæ planetæ, quæ altiori circulo feruntur, acutioris soni melodiam suo concitent cursu; quæ vero inferiores sunt, gravius resonent; omnes tamen unam musicæ modulationis harmoniam consonent. Cujus rei tractatui majus et otium et temporis spatium quam nunc habeamus, impendendum est, et his tantum, qui naturam musicæ artis scire desiderant, utilis esse dignoscitur. Scimus tamen summos philosophos de horum circulorum intervallis et consonantia disputationem multorum voluminum edidisse.

17. Jam ergo videamus sequentia Boetii dicta, quibus adhuc mira quædam de hac anima commenta proponit dicens : *quæ cum secta duos*, etc. De hac animæ sectione in duos orbes posset esse aliquanta dubietas, nisi ipse hanc absolveret subjungens, *simili convertit imagine cœlum.* Apparet enim eum hoc dicere quod ipsa primum divisa in duos orbes moveatur, et cum impetu quodam rotetur ; atque ita molem cœli secum in eosdem orbes trahat atque convertat. Qualiter autem cœlum in duos sibi contrarios orbes circuitusque volvatur, omnium oculis, sed non omnium intellectui patet. Est autem unus sic notissimus cœli circuitus quo videmus ætherem cum infixis sibi omnibus sideribus ab oriente volvi in occidentem ; ita ut nobis in ipso mundi vertice positum polum intuentibus, omnes stellæ videantur in dextris oriri, in sinistris occidere, præter illas quæ intra arcticum circulum continentur: nam ipsæ nunquam kosmi compatiuntur occasum, solo abscinduntur heliako.

18. Altera vero cœli conversio est, quam nobis planetarum, id est errantium siderum, cursus demonstrat; quæ quamvis in cælo non sint infixæ, sed sub cælo et contra cœlum ferantur, nemo tamen eas dubitat cœli sidera nominare. Hoc itaque cœlum, quo illæ feruntur, aerem multi vocant; licet sic hoc aere qui avium volatus sustinet, sicut natura multo sublimius, ita incomparabili puritate lucidius: cujus conversio contra illud superius ab occasu semper fit in orientem, meridianam scilicet plagam intuentibus a dextra in sinistram. Denique quod ipsæ sicut et cætera per diurna vel nocturna spatia ab oriente procedere et in occasum vergi videntur, inde fit quod vehementior ætheris volubilitas eas velut invitas secum trahit; ipsæ tamen momentis omnibus in contrarium quasi retrogradiuntur : quod in luna, quæ ex illis septem infima et terræ proxima minorem omnibus circulum et ideo celeriorem permeat cursum, manifestissimum est, cum nova circa solis occasum vix apparet, sequenti vespere jam lucidior magis ab occidente recessit. Atque hic ejus ab occasu recessus æquis quotidie spatiis in tantum augetur, ut quarto decimo die, toto jam superiore hemisphærio decurso, ipso sole in occasum demerso plena in oriente lampade procedere videatur.

19. De solis autem per eamdem viam cursu, id est per zodiacum æquis signorum duodecim spatiis dimensum, quoniam omnibus vel tenuem computi et astrologiæ scientiam habentibus res nota est, superfluum reor aliquid dicere. Sed neque de reliquis quinque, Saturni scilicet stella, et Jovis, Martis, et Veneris, atque Mercurii, ullam mentionem facere, quidquam ad hoc opus pertinet; præter ad hoc tantum demonstrandum, quod cum duo circuitus siderum sibimet adversi cognoscantur, hæc septem loci situ inferiori, et omnibus aliis contrario cursu vagari, ab his qui diligenter inspiciunt comprobantur. Opor-

tet igitur in hoc loco rei veritatem acriter intendere, et hanc philosophicis longe separare figmentis, ut istam cœli ac siderum mirabilem in diversa circumvolutionem non ignotæ nobis mundi animæ,sed omnipotentis Dei ineffabili fieri virtute credamus.Sane quod illa anima dicitur,*in semet reditura meat*,hoc significat quod omnis ille motus per eosdem circuitus semper repetitur;et quodcunque spatium permeasse videtur, ad id ipsum ineundum festinat, ut iterum vadat.Omnis enim circulus quoties in orbem rotatur, in se ipse revolvitur.A quo non dissonat quod in Salomone legitur:Gyrans gyrando vadit spiritus, et in circulum suum revertitur.

20.Nec hoc prætereundum quod ait,*mentem profundam circuit*:significat enim mentem homini divinitus datam,sed corporea cogitationis mole depressam et aggravatam,ut ait Cicero in libris de Republica (*a*) *videri sibi hominem a natura non ut a matre, sed ut a noverca generatum, corpore nudo, fragili et infirmo; animo autem anxio ad molestias, humili ad timores,molli ad labores,prono ad libidines:in quibus esset velut obrutus quidam divinus ignis ingenii et mentis.*Ecce in quo profundo mens posita,data sibi divinitus ingenii profunditate circumeuntem se contrariis duobus itineribus cœli circuitum perspexit, attendit, numeris et intelligentia comprehendit.Ut merito profunda dicatur,quæ sine profunda cogitatione talia investigare non potuit.Nam utroque modo mens humana profunda dicta intelligi potest, et a profunditate sensus et ingenii, et quia terra inhabitatione deprimitur,cum ex omni parte sursum a terra æqualis sit altitudo ad cœlum,et cœlo deorsum nihil profundius noverimus quam terram.Secundum hanc ergo locorum positionem omnis altitudo et cœlum, omnis profunditas refertur ad terram : et idcirco hoc magis ad præsentem sensum videntur respicere ; quia tota illa utriusque orbis revolutio profunditatem terræ circuire cognoscitur. Unde fit ut ipsa inaccessibilis et celerrima tam immensæ molis vertigo,vehementi tractu suo velut quodam impetu omnia crassa et gravia ex omni parte terri cogat in terram,quæ sola manet in medio immobilis quasi centrum.Omnis enim sphæra dum æquo libramine volvitur,nihil in ea est immobile præter centrum. Ipsa autem terra non movetur, quia necesse est ut circa aliquid immobile sphæra moveatur:qui motus omnia,quæ densitatis aliquid habent, deorsum trahens,procul a superioribus cœli partibus removet,ita ut etiam nubes non altius quam decem stadiis a terra dicantur posse levari.

21. Sequitur,*tu causis animas*.etc.Horum intellectus verborum magis est fugiendus quam expositione pandendus: nam explicita ratione maximæ mundi animæ, nunc de statu minorum animarum incipit loqui,easque factas eisdem quibus et illam asserit causis.Sed hoc de ipsis intelligi vult,quod minime recipit fides Christiana,eas videlicet a prima sui conditione in cœlo positas ex contemplatione mentis divinæ beate vixisse;deinde quasdam ex his in corpora humana delapsas,iterum post resolutionem eorumdem corporum terrenis purgatas vitiis originem suam repetere, et in cœlum redire,atque,ut Virgilius ait, rursus in corpora velle reverti.Dignitatem vero primæ conditionis his verbis exprimit:*Provehis, et levibus sublimes curribus aptas.* Hoc itaque significans, quod incorporeæ levitate naturæ velut quibusdam curribus in sedes sidereas provehantur.Quod autem dicit,*in cœlum seris*,de mundi luminaribus cuntisque sideribus intelligi vult,quæ cœlo inserta vivere et ratione uti, affirmare nitebantur.

22. Porro *in terram seris* de humanis tantum dictum est animabus,quas,ut dixi,et de cœlo demissas in corpora,et quia igneæ sunt, ut aiunt,naturæ eadem natura reducente, illuc eas, licet post longa

A putant tempora,reverti.De quarum descensu ad terras,inanissimas texunt fabulas,quomodo terrenorum desiderio corporum incipiant a divinæ mentis contemplatione dilabi: deinde per zodiacum ad septem sphæras planetarum devenientes,ex singulis earum singulos motus quos in exercitio terrenæ vitæ sint habituræ sortiantur: videlicet in Saturni sphæra ratiocinationem,in Jovis vim agendi,in Martis animositatis ardorem, in Solis sentiendi opinandique naturam, desiderii vero motum in circulo Veneris, pronuntiandi interpretandique scientiam in orbe Mercurii, naturam plantandi et augendi corpora in ingressu, inquiunt, globi lunaris exercent. Sed quis tam demens est ut hæc monstruosa commenta procul a fide sua non removeat? Scire tamen ea vel ad hoc tantum prodest,ne quis dum hæc a doctissimis auctoribus aliis verbis expressa legerit, non hoc, sed aliud aliquid quod verum sit,eos dicere existimans, in errorem dulci sermonum compositione ducatur.
B Ecce enim dum idem Boetius in quinto hujus operis libro dicit humanas animas liberiores esse,necesse est,cum se in mentis divinæ speculatione conservant, minus vero cum dilabuntur ad corpora, minusque etiam cum terrenis artubus colligatur; quis hoc eum de descensu animarum in corpora dicere intelligeret,nisi hanc philosophorum sectam prius compertam haberet?

23. Sane quia superius cœlestium corporum, id est siderum, vitas quasdam vel animas hic auctor commemoravit,non est prætereundum quod de præcipuis mundi luminaribus sole et luna etiam nostri quidam auctores hoc senserunt,quod in consummatione mundi receptura sint præmium laboris sui. Nam sanctus Hieronymus in libro nono explanationis in Isaiam prophetam ubi exponit hunc versiculum (*b*), *Et erit lux lunæ sicut lux solis. et lux solis erit septempliciter sicut lux septem dierum*,inter cætera ita dicit: *Erit lumen lunæ sicut lumen solis,quando*
C *dederit Dominus cœlum novum et terram novam, et transierit habitus mundi hujus,ut luna et sol laboris sui et cursus sui præmium consequantur: etenim expectatio creaturæ revelationem filiorum Dei exspectat quia et ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis in libertatem filiorum Dei: licet ea quidam organa lucis intelligentes, insensibilia esse contendunt. Luna ergo solis fulgorem accipiet. Nec mirum hoc de clarissimo sentire elemento,cui principatus noctis est traditus, cum de sanctis quoque scriptum sit, fulgebunt justi quasi sol: et sol septuplum lumen accipiet, sicut lux septem dierum,quando ab initio conditus mundus.*

24. Hæc sancti Hieronymi dicta, quoniam in aliis nostris auctoribus aliquid tale non legimus,et ipse quoque contraria quosdam sentire non tacuit,contentiose defendenda non arbitror. Nam nullam penitus rationalem creaturam a Deo in principio conditam secundum Scripturarum auctoritatem intelligo præter angelos et homines.Porro vel angelicum vel
D humanum spiritum his sideribus esse permixtum aut in eis conversari, non videtur omnino credibile. Unde sufficiat nobis scire quod Scriptura loquitur a Deo facta esse duo magna luminaria: naturam vero illorum altius velle scrutari, temerarium est.Pauci vero versus qui restant expositione non indigent, quoniam in eis pura et aperta ad Deum oratio funditur.Fateor tamen videri mihi quædam in his verba philosophorum redolere venenum; sed quoniam ea catholicæ aures rectius accipere et in meliorem partem interpretari solent,et ob hoc fidei non nocent, id gratanter accipio, atque de his censui reticere. Habes, domine desiderantissime, qualem tenuitas ingenii mei componere potuit,explanationem super obscuros Boetii versus:in qua si quisquam aliquid utilitatis invenerit,merito gratificabitur jussioni tuæ.

(*a*) In editione mea lib. III,1.Nostrum tamen auctorem ex Augustino potius referente,quam ex ipso Tullio, sumpsisse hunc locum puto.

(*b*) Cap. XXX, 26, in libri fine.

OPERUM PARS SECUNDA.

OPERA THEOLOGICA.

IN LIBROS SEQUENTES MONITUM.

Libros quæstionum Anitii, quos exhortationibus precibusque multorum suscepimus explanandos, altissimos rerum de quibus in eis agitur themate, obscurissimos earumdem rerum subtilitate, probatissimos tamen operis absolutione cognovimus. Quid enim altius infinito? Quid ineffabili inscrutabilique subtilius? Quid autem probabilius eo quod cum inexpugnabilibus rationibus constet, summis tamen acceleberrimis auctoribus nititur? Deus enim, de quo his agitur libris, magnitudine interminabilis, contemplatione incomprehensibilis, sermone inexplicabilis, recte intelligitur, et laudabiliter prædicatur. Cujus tamen quædam arcana antiqui videntes, ipso inspirante, intellexerunt et tam rerum quam verborum figurationibus variis, sui temporis rudibus insinuaverunt. Posteri vero aliter quidem, sed eodem sensu locuti; illarum ænigmata figurationum consultissimis interpretationibus, declaraverunt; et non modo auctoritate sua, verum etiam rationibus quas vel theologiæ majestas sibi proprias vindicat, vel humanæ philosophiæ ad ipsam qualiscunque proportio communes admittit, confirmaverunt. Itaque prædictus auctor, tanquam videntium a secretis hæc arcana non nesciens, contra quorumdam prava dogmata hæreticorum pauca de illis scripsit; ea tamen scribendi qualitate, qua negligentibus et præsumptuosis additum ad intelligentiam obstruat, studiosis vero atque intelligentibus attentionem quidem moveat, sed pulsantibus animorum vehementi applicatione aperiat. Brevis enim sine sua amplificatione oratio; latebrosa disserendi tacita ratione dissertio; obliqua schemate sensuum, aut verborum lexis; nova, præter grammaticorum regulam, syntaxis: insciis et superbis illis, quibus sunt articulatæ, sensus obducunt; sapientibus vero, et his maxime qui sacras Scripturas veneratione colunt, usu assiduo et vigilanti attentione inspiciunt, eos intus videre permittunt. Convenienter ergo hujusmodi secretis, et ut ita dicatur significationis absconditæ verbis, quibus examinet scios et inscios, humiles et superbos, secreta theologiæ altioris Anitius tangit. Digne vocatus Anitius fortitudine, Severinus gravitate, opitulatione Boetius, meritis Manlius. Nos vero auctoritate nostra nihil afferre, sed quos præcedente significatione percepimus sensus auctoris, referre volentes, illius non modo dicta, verum etiam dictorum rationes attendimus; et ne vel timiditatis angustia nos ad silendum penitus strangulare, vel temeritatis audacia ad garriendum luxare putetur, illorum quæ auctorem sensisse cognovimus, nec nihil dicimus, nec nihil tacemus. Sed cum duo sint videntium genera, unum videlicet auctorum qui sententiam propriam ferunt, alterum lectorum, alii sint recitatores qui eadem auctorum verba et ex ipsorum causis eisdem pronuntiant, alii interpretes qui obscure ab auctoribus dicta notioribus verbis declarant: nos in genere lectorum, non recitatorum, sed interpretum officio fungentes, verborum transpositiones in ordinem, schemata in consequentiam, novitates in regulam, addentes singulorum causas, reducimus. Adulta vero proqualitate operis divisionum aut diffinitionum omnibus aut aliquibus partibus, aut quorumdam extra sumptorum comparationibus, aut etiam positarum ab auctore dictionum casibus, aut earumdem significationum multivocis pluribus, aut rationum inductionibus explanamus, sollicite circumspicientes ne a liquo sensu ab authencitis sanctarum divinationum scriptoribus recedamus. Quæ autem a nobis scripta sunt, bene exercitatis lectoribus non modo rationibus firma, verum etiam scripturis authenticis adeo consona esse videntur, ut nostra non tam inventa quam furta esse credantur.

QUOMODO TRINITAS UNUS DEUS

AC NON TRES DII.

(a) AD Q. AUR. SYMMACHUM V. C. ET ILLUSTRISSIMUM EXCONSULEM ORD. ATQUE PATRICIUM SOCERUM SUUM.

PROOEMIUM.

Investigatam diutissime quæstionem, quantumnostræ mentis igniculum illustrare lux divina dignata est, formatam rationibus litterisque mandatam, offerendam vobis communicandamque curavi, tam vestri cupidus judicii, quam nostri studiosus inventi. Qua in re quid mihi sit animi quoties stylo excogitata commendo, cum ex materiæ difficultate, tum ex eo quod raris, id est vobis tantum colloquor, intelligi potest, neque enim famæ jactatione et inanibus vulgi clamoribus excitamur; sed si quis est fructus exterior, hic non aliam potest nisi materiæ similem spe-

(a) Titulum hunc integrum ex bibl. Regiæ vetustiori et ex S. Victoris optimæ fidei codd. descripsimus et præfiximus, qui ex omnibus scripturam hanc soli retinuerant.

rare sententiam. Quocunque igitur a vobis dejeci oculos, partim ignava segnities, partim callidus livor occurrit; ut contumeliam videatur divinis tractatibus irrogare, qui talibus hominum monstris non agnoscenda hæc potius quam proculcanda projecerit. Idcirco stylum brevitate contraho, et ex intimis sumpta philosophiæ disciplinis novorum verborum significationibus velo; ut hæc mihi tantum vobisque, si quando ad ea converteritis oculos, colloquantur; cæteros vero ita submovemus, ut qui capere intellectu nequiverint, ad ea etiam legenda videantur indigni. Sed ne tantum a nobis quæri oportet quantum humanæ rationis intuitus ad divinitatis valet celsa conscendere: nam cæteris quoque artibus idem quasi quidam finis est constitutus, quousque potest via rationis accedere. Neque enim medicina semper ægris affert salutem, sed nulla erit culpa medentis, si nihil eorum quæ fieri oportebat, omiserit, idemque in cæteris. At quantum hæc difficilior quæstio est, tam facilior esse debet ad veniam. Vobis tamen etiam illud inspiciendum est an ex beati Augustini scriptis semina rationum aliquos in nos venientia fructus extulerint; ac de proposita quæstione hinc sumamus initium.

CAPUT PRIMUM.

Sententia catholica de Trinitate et unitate Dei.

Christianæ religionis reverentiam plures usurpant; sed ea fides pollet maxime ac solitarie, quæ cum propter universalium præcepta regularum, quibus ejusdem religionis intelligatur auctoritas; tum propterea quod ejus cultus per omnes pene mundi terminos emanavit, catholica vel universalis vocatur: cujus hæc de Trinitatis unitate sententia est. Pater, inquiunt, Deus, Filius Deus, Spiritus sanctus Deus; igitur Pater, Filius, Spiritus sanctus unus, non tres Dii. Cujus conjunctionis ratio est indifferentia. Eos enim differentia comitatur, qui vel augent vel minuunt, ut Ariani, qui gradibus meritorum Trinitatem variantes distrahunt, atque in pluralitatem diducunt. Principium enim pluralitatis, alteritas est; præter alteritatem enim nec pluralitas quid sit intelligi potest. Trium namque rerum vel quotlibet tum genere tum specie, tum numero diversitas constat: quoties enim idem dicitur, toties diversum etiam prædicatur. Idem vero dicitur tribus modis: aut genere, ut idem homo quod equus, quia his idem genus, ut animal; vel specie, ut idem Cato quod Cicero, quia eadem species ut homo; vel numero, ut Tullius et Cicero quia unus est numero. Quare diversum etiam vel genere, vel specie, vel numero dicitur; sed numero differentiam accidentium varietas facit: nam tres homines neque genere, neque specie, sed suis accidentibus distant. Nam si vel animo cuncta ab his accidentia separemus, tamen locus cunctis diversus est, quem unum fingere nullo modo possumus: duo enim corpora unum locum non obtinebunt, qui est accidens, atque ideo sunt numero plures, quoniam accidentibus plures fiunt.

CAPUT II.

Substantia divina forma est.

Age igitur ingrediamur et unumquodque ut intelligi atque capi potest dispiciamus; nam, sicut optime dictum videtur, eruditi est hominis unumquodque ut ipsum est, ita de eo fidem capere tentare. Nam cum tres sint speculativæ partes, naturalis, in motu, inabstracta, ἀνεπεξαίρετος, id est inseparabilis; considerat enim corporum formas cum materia, quæ a corporibus actu separari non possunt, quæ corpora in motu sunt, ut terra deorsum, ignis sursum fertur, habetque motum forma materiæ conjuncta. Mathematica, sine motu, inabstracta: hæc enim formas corporum speculatur sine materia, ac per hoc sine motu; quæ formæ, cum in materia sint, ab ea separari non possunt. Theologica, sine motu, abstracta atque separabilis: nam Dei substantia, et materia et motu caret. In naturalibus igitur rationaliter, in mathematicis disciplinaliter, in divinis intellectualiter versari oportebit, neque diduci ad imaginationes, sed potius ipsam inspicere formam, quæ vere forma nec imago est, et quæ esse ipsum est, et ex qua esse est; omne namque esse ex forma est: statua enim non secundum æs, quod est materia; sed secundum formam, quæ in eo insignita est, effigies animalis dicitur, ipsumque æs non secundum terram, quod est ejus materia, sed dicitur secundum æris figuram. Terra quoque ipsa non secundum informen materiam κατὰ τὴν ὕλην dicitur, sed secundum siccitatem gravitatemque, quæ sunt formæ. Nihil igitur secundum materiam esse dicitur, sed secundum propriam formam. Sed divina substantia sine materia forma est, atque ideo unum est, et id quod est. Reliqua enim non sunt id quod sunt: unumquodque enim habet esse suum ex his ex quibus est, id est ex partibus suis; et est hoc atque hoc, id est partes suæ conjunctæ, sed non hoc vel hoc singulariter: ut cum homo terrenus constet ex anima corporeque, corpus et anima est, non vel corpus vel anima. In parte igitur non est id quod est. Quod vero non est ex hoc atque hoc, sed tantum est hoc, illud vere est id quod est; et est pulcherrimum fortissimumque, quia nullo nititur. Quocirca hoc vere unum, in quod est, neque nullum in eo aliud præterquam id quo nullus numerus enim subjectum fieri potest: forma enim est, formæ vero subjectæ esse non possunt. Nam quod cæteræ formæ subjectæ accidentibus sint, ut humanitas, non ita accidentia suscipit eo quod ipsa est, sed eo quod materia ei subjecta est. Dum enim materia subjecta humanitati suscipit quodlibet accidens, ipsa hoc suscipere videtur humanitas. Forma vero, quæ est sine materia, non poterit esse subjectum, nec vero inesse materiæ; neque enim esset forma, sed imago. Ex his enim formis quæ præter materiam sunt, istæ formæ venerunt quæ sunt in materia et corpus efficiunt: nam cæteras, quæ in corporibus sunt abutimur, formas vocantes, dum imagines sunt; assimilantur enim formis iis quæ non sunt in materia constitutæ. Nulla igitur in eo diver-

sitas, nulla ex diversitate pluralitas, nulla ex accidentibus multitudo, atque idcirco nec numerus.

CAPUT III.

In divina substantia non est numerus.

Deus vero a Deo nullo differt, ne vel accidentibus, vel accidentalibus differentiis in subjecto positis distat. Ubi vero nulla est differentia, nulla est omnino pluralitas, quare nec numerus; igitur unitas tantum. Nam quod tertio repetitur Deus, cum Pater et Filius et Spiritus sanctus nuncupatur, tres unitates non faciunt pluralitatem numeri in eo quod ipsæ sunt, si advertamus ad res numerabiles, ac non ad ipsum numerum: illic enim unitatum repetitio numerum facit. In eo autem numero qui in rebus numerabilibus constat, repetitio unitatum atque pluralitas minime facit numerabilium rerum numerosam diversitatem. Numerus enim duplex est: unus quidem quo numeramus, alter vero qui in rebus numerabilibus constat. Etenim unum res est unitas, qua unum dicimus. Duo rursus in rebus sunt ut homines vel lapides; dualitas nihil, sed tantum dualitas, qua duo homines vel lapides duo fiunt: et in cæteris eodem modo. Ergo in numero quo numeramus repetitio unitatum facit pluralitatem; in rerum vero numero non facit pluralitatem unitatum repetitio: velut si de eodem dicam, gladius unus, mucro unus, ensis unus, potest enim tot vocabulis gladius agnosci. Hæc enim unitatum repetitio iteratio potius est, non numeratio; velut si ita dicamus, ensis, mucro, gladius, repetitio quædam est ejusdem, non numeratio diversorum: velut si ita dicam, sol, sol, sol, non tres soles effecerim, sed de uno toties prædicaverim. Non igitur si de Patre ac Filio et Spiritu sancto tertio prædicatur Deus, idcirco trina prædicatio numerum facit: hoc enim illis, ut dictum est, imminet, qui inter eos distantiam faciunt meritorum. Catholicis vero in differentia constituentibus, ipsamque formam, ut est, esse ponentibus, neque aliud esse quam est ipsum quod est opinantibus, recte repetitio de eodem, quam enumeratio diversi videtur esse cum dicitur, Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus sanctus, atque hæc Trinitas unus Deus, veluti ensis atque mucro, unus gladius: velut sol, sol, sol, unus sol. Sed hoc interim ad eam dictum sit signicationem demonstrationemque, qua ostenditur non omnem unitatum repetitionem numerum pluralitatemque perficere. Non vero ita dicitur, Pater ac Filius et Spiritus sanctus quasi multivocum quiddam: nam mucro et ensis et ipse est et idem; Pater vero ac Filius et Spiritus sanctus, idem equidem est, non vero ipse. In qua re paulisper considerandum est. Requirentibus enim, Ipse est Pater qui Filius? Minime, inquiunt. Rursus, Idem alter qui alter? negatur. Non est igitur inter eos in omni re indifferentia. Quare subintrat numerus, quem ex subjectorum diversitate confici, superius explanatum est. De qua re breviter considerabimus, si prius illud, quemadmodum de Deo unumquodque prædicatur, præmiserimus.

CAPUT IV.

Quomodo Deus sit in prædicamentis.

Decem omnino prædicamenta traduntur quæ de rebus omnibus universaliter prædicantur, id est substantia, qualitas, quantitas, ad aliquid, ubi, quando; habere, situm esse, facere, pati. Hæc igitur talia sunt, qualia subjecta permiserint: nam pars eorum in reliquarum rerum prædicatione substantia est, pars in accidentium numero est. Atque hæc cum quis in divinam verterit prædicationem, cuncta mutantur quæ prædicari possunt. Ad aliquid vero omnino non potest prædicari; nam substantia in illo non est vere substantia, sed ultra substantiam. Item qualitas et cætera quæ evenire queunt: quorum, ut amplior fiat intellectus, exempla subdenda sunt. Nam cum dicimus Deus, substantiam quidem significare videmur, sed eam, quæ sit ultra substantiam; cum vero justus, qualitatem quidem, sed non accidentem, sed eam quæ sit substantia, et ultra substantiam; neque enim aliud est Deus quod est, aliud quod justus est, sed idem est esse Deo quod justo. Item cum dicitur magnus vel maximus, quantitatem quidem significare videmur, sed eam quæ sit ipsa substantia talis qualem esse diximus ultra substantiam: idem est enim esse Deo quod magno. De forma enim ejus superius demonstratum est, quoniam is sit forma et unum vere, nec ulla pluralitas. Sed hæc prædicamenta talia sunt, ut, in quo sunt, ipsum esse faciant quod dicitur; divise quidem in cæteris, in Deo vero conjuncte atque copulate, hoc modo: nam cum dicimus substantia, ut homo vel Deus, hoc ita dicitur quasi illud de quo prædicatur ipsum sit substantia, ut substantia homo vel Deus. Sed distat, quoniam homo non integre ipsum homo est ac per hoc nec substantia. Quod est enim, aliis debet quæ non sunt homo: Deus vero, hoc ipsum quod est Deus est; nihil enim aliud est nisi quod est, ac per hoc ipsum Deus est. Rursus, justus, quod est qualitas, ita dicitur quasi ipse hoc sit de quo prædicatur, id est si dicamus, homo justus, vel Deus justus, ipsum hominem vel Deum justos esse proponimus; sed differt, quoniam homo alter, alter est justus; Deus vero, idem ipsum est quod est justum. Magnus etiam homo vel Deus dicitur, atque ita quasi ipse sit homo magnus vel Deus magnus; sed homo tantum magnus, Deus vero ipsum magnus existit. Reliqua vero neque de Deo, neque de cæteris prædicantur: nam, ubi, vel de Deo, vel de homine prædicari potest; de homine, ut in foro; de Deo, ut ubique: sed ita, ut non quasi ipsa sit res id quod prædicatur, de qua dicitur. Non enim ita homo dicitur in foro esse, quemadmodum esse albus vel longus, nec quasi circumfusus et determinatus proprietate aliqua, qua designari secundum se possit, sed tantum quod sit illud aliis informatum rebus, per hanc prædicationem ostenditur. De Deo vero non ita: nam quod ubique est, ita dici videtur, non quod in omni sit loco (omnino enim in loco esse non potest), sed quod ei omnis locus adsit ad eum capiendum, cum ipse non suscipiatur in loco;

atque ideo nusquam in loco esse dicitur, quoniam ubique est, sed non in loco. Quando vero eodem prædicatur modo, ut de homine, heri venit ; de Deo, semper est. Hic quoque non quasi esse aliquid dicitur illud ipsum de quo hesternus dicitur adventus, sed quid ei secundum tempus accesserit prædicatur. Quod vero de Deo dicitur, semper est; unum quidem significat, quasi omni præterito fuerit, omni quoque modo sit præsenti, omni futuro erit. Quod de cœlo et de cæteris immortalibus corporibus secundum philosophos dici potest. At de Deo non ita, semper enim est, quoniam semper præsentis est in eo temporis, tantumque inter nostrarum rerum præsens, quod est, nunc, ad divinarum, quod nostrum nunc quasi currens tempus facit et sempiternum, divinum vero nunc permanens, neque movens sese atque consistens, æternitatem facit. Cui nomini si adjicias semper, facies ejus quod est nunc jugem indefessumque ac per hoc perpetuum cursum, quod est sempiternitas. Rursus, habere vel facere, eodem modo : dicimus enim, currit vestitus, de homine ; de Deo, cuncta possidens regit. Rursus nihil de eo quod est esse de utrisque dictum est. Sed hæc omnis prædicatio exterioribus datur, omniaque hæc quodam modo referuntur ad aliud; cujus prædicationis differentiam sic facilius internoscimus : qui homo est, vel Deus, refertur ad substantiam qua est aliquid, id est homo vel Deus ; qui justus est, refertur ad qualitatem, qua scilicet est aliquid, id est justus ; qui magnus, ad quantitatem, qua est aliquid, id est magnus. Nam in cæteris prædicationibus nihil tale est. Qui enim dicit esse aliquem in foro, vel ubique, refert quidem ad prædicamentum quod est ubi, sed non quo aliquid est, velut justitia justus. Item cum dico currit vel regit, vel nunc est, vel semper est, refertur quidem vel ad facere, vel ad tempus ; si tamen interim, divinum illud semper, tempus dici potest, sed non quo, ut aliquo, aliquid est, velut magnitudine magnum : nam situm passionemque requiri in Deo non oportet; neque enim suni. Jamne patet quæ differentia sit prædicationum ? quod aliæ quidem quasi rem monstrant, aliæ vero quasi circumstantias rei ; quodque illa quidem ita prædicantur, ut esse aliquid rem ostendant: illa vero, ut non esse, sed potius extrinsecus aliquid quodam modo affigant. Illa igitur quæ aliquid esse designant secundum rem, prædicationes vocentur, quæ cum de rebus subjectis dicuntur, vocantur accidentia, secundum rem ; cum vero de Deo, qui subjectus non est, secundum substantiam rei prædicatio nuncupatur.

CAPUT V.

Quomodo Deus in relatione.

Age nunc de relativis speculemur, pro quibus omne quod dictum est sumpsimus ad disputationem. Maxime enim hæc non videntur secundum se facere prædicationem, quæ perspicue ex alieno adventu constare perspiciuntur. Age enim quoniam dominus ac servus relativa sunt, videamus utrumne ita sit, ut secundum se sit prædicatio, an minime. Atqui si auferas servum, abstuleris et dominum ; at non etiamsi abstuleris albedinem, abstuleris quoque album. Sed interest, quod albedo accidit albo, qua sublata perit nimirum album. At in domino, si servum auferas, perit vocabulum quo dominus vocabatur. Sed non accidit servus domino, ut albedo albo, sed potestas quædam qua servus coercetur, quæ quoniam sublato deperit servo, constat non eam per se domino accidere, sed per servorum quodammodo extrinsecus accessum. Non igitur dici potest prædicationem relativam quidquam rei de qua dicitur secundum se, vel addere, vel minuere vel mutare. Quæ tota non in eo quod est esse consistit, sed in eo quod est in comparatione aliquo modo se habere ; nec semper ad aliud, sed aliquoties ad idem. Age enim stet quisquam, ei igitur si accedam dexter, erit ille sinister ad me comparatus, non quod ille ipse sinister sit, sed quod ego dexter accesserim. Rursus ego sinister accedo, item fit ille dexter, non quod ita sit per se dexter, velut albus ac longus, sed quod me accedente fit dexter, atque id quod est, a me et ex me est, minima vero ex sese. Quare quæ secundum rei alicujus, in eo quod ipsa est, proprietatem, non faciunt prædicationem, nihil alternare vel mutare queunt, nullamque omnino variare essentiam. Quocirca si Pater ac Filius ad aliquid dicuntur, nihilque aliud, ut dictum est, differunt, nisi sola relatione, relatio vero non prædicatur ad id de quo prædicatur quasi ipsa sit et secundum rem de qua dicitur, non faciet alteritatem rerum, de qua dicitur, sed, si dici potest, quo quidem modo id quod vix intelligi potuit, interpretatum est personarum. Omnino enim magna regulæ est veritas, in rebus incorporalibus, distantias effici differentiis, non locis. Neque accessisse dici potest aliquid Deo, ut Pater fieret ; non enim cœpit esse unquam Pater, eo quod substantialis quidem ei est productio Filii, relativa vero prædicatio Patris. Ac si meminimus omnium in prioribus de Deo sententiarum, ita cogitemus, processisse quidem ex Deo Patre Filium Deum, et ex utrisque Spiritum sanctum. Hos, quoniam incorporales sint, minime locis distare, quoniam vero Pater Deus et Filius Deus et Spiritus sanctus Deus, Deus vero nullas habet differentias quibus differat a Deo, a nullo eorum differt. Differentiæ vero ubi absunt, abest pluralitas : ubi abest pluralitas, adest unitas : nihil autem aliud gigni potuit ex Deo, nisi Deus, et in rebus numerabilibus repetitio unitatum non facit modis omnibus pluralitatem. Trium igitur idonee constituta est unitas.

CAPUT VI.

Quomodo unitas et trinitas in Deo.

Sed quoniam nulla relatio ad seipsum referri potest ; idcirco quod ea secundum seipsum est prædicatio quæ relatione caret, facta quidem est trinitatis numerositas in eo quod est prædicatio relationis ; servata vero unitas in eo quod est indifferentia vel substantiæ, vel operationis, vel omnino ejus quæ

secundum se dicitur prædicationis. Ita igitur substantia continet unitatem, relatio multiplicat trinitatem: atque ideo sola sigillatim proferuntur atque separatim quæ relationis sunt. Nam idem Pater qui Filius non est, nec idem uterque qui Spiritus sanctus. Idem tamen Deus est, Pater et Filius et Spiritus sanctus; idem justus, idem bonus, idem magnus, idem omnia, quæ secundum se poterunt prædicari. Sane sciendum est, non semper talem esse relativam prædicationem, ut semper ad differens prædicetur: ut est servus ad dominum, differunt enim. Nam omne æquale æquali æquale est, et simile simili simile est, et idem ei quod est idem idem est: et similis est in Trinitate relatio, Patris ad filium et utriusque ad Spiritum sanctum; ut ejus quod est idem ad id quod A est idem. Quod si id in cunctis aliis rebus non potest inveniri, facit hoc cognata caducis rebus alteritas. Nos vero nulla imaginatione diduci, sed simplici intellectu erigi, et ut quidque intelligi potest, ita aggredi etiam intellectu oportet.

Sed de proposita quæstione satis dictum est. Nunc vestri normam judicii exspectat subtilitas quæstionis: quæ utrum recte decursa sit, an minime, vestræ statuet pronuntiationis auctoritas. Quod si sententiæ, fidei fundamentis sponte firmissimæ, opitulante gratia divina, idonea argumentorum adjumenta præstitimus, illuc perfecti operis lætitia remeabit, unde venit effectus. Quod si ultra se humanitas nequivit ascendere, quantum imbecillitas subtrahit, vota supplebunt.

GILBERTI PORRETÆ COMMENTARIA.

IN LIBRUM DE TRINITATE.

Omnium quæ rebus percipiendis suppeditant rationum, aliæ communes sunt multorum generum, aliæ propriæ aliquorum. Et communes quidem sunt ut quidquid inest alicui, ab eodem diversum esse necesse est. Hoc in omni rerum genere verum est. Quod autem dicitur species nunquam de suo genere prædicari, diffinitionum genus recipit, non divisionum. Nam sicut in diffinitiva demonstratione species genere; sic in divisiva genus specie declaratur. Hanc autem rationum omnium communitatem vel proprietatem non nescit quisquis rerum diligens inquisitor non eas transeunter aspexit; sed mentis acie fixa notatas, et ejusdem judicio comprehensas, primum apud se servandas memoriæ tradidit. Deinde ne aliqui eas vel oblivione prorsus periisse, vel intra silentium languere putarent, sæpe aut in scenis sophistarum variis conformationibus, causa tamen exercitii ludens, aut seriis philosophiæ officiis inter ejus conscios agens, eas exposuit. Nam, verbi gratia, in civilium genere sicut pro Sexto Roscio, aut pro Marco Marcello, serius orator Tullius; sic et Quintilianus, et Seneca, et Menander, oratorum sophistæ atque conformatores: primus, in causarum; secundis, in declamationum; tertius, in comœdiarum fictis; de his tamen quæ fieeri poterant argumentis, ex rhetoricarum principiis rationum locuti, eas se præ mente habuisse, et non levi affectione, sed quodam difficili movendo scientiæ habitu tenuisse, testati sunt. Similiter et alii in facultatibus suis, aut theoremata mensurarum, aut axiomata ponderum, aliorum nominum communes multorum, sive proprias aliquorum generum rationes, se firma scientia tenere, et vigilanter attendere docuerunt; vel serio philosophantes, vel inter sophistas sese conflictis similitudinibus exercentes. Qualiter factum est ut nec proprias, ultra suorum generum terminos, usurparent; nec communes multorum ad eorum aliqui coarctarent, ac per hæc in singulis facultatibus fines suos officia invenirent. Quisquis vero hanc rationum differentiam vel omnino nescit vel attendere negligit, sæpe præter officium causam casui committit; ideoque fine carens officii vel contrarietatis alicujus, in quam nescius cecidit, admiratione dubius fluctuat, quod periculosum est; vel quadam securitate præsumens, imo præsumptione securus, sententiam falsitatis affirmat, quod damnosum est; et omni genere vocis effuso, cum immoderatione gestus et vultus, in grege imperitorum non sine illorum detestatione qui aliter sentinut, clamat, quod impudentissimum est. Quales fuerunt Ariani, et Sabelliani, et alii multi, qui naturalium B proprias rationes theologicis communicaverunt, et utrisque communes distraxerunt ab invicem. Est enim proprium naturalium quod sicut numero diversorum proprietates diversæ sunt, ita quoque subsistentiæ numero sint diversæ, et quod una singularis subsistentia non nisi unum numero faciat subsistentem: ut Platonis et Ciceronis non solum accidentales proprietates, verum et substantiales, quibus ipsi sunt, verbi gratia, vel diversa corpora, vel diversi homines, diversæ sunt, et quæcunque singularis proprietas Platonem corpus esse, vel hominem, eadem nullum alium esse, facit idem. Nam etsi generationis propagatio generato dat esse corpus ab ea singulari corporalitate transfusi sanguinis, a qua generans fuerat corpus; fit tamen decisione discessio, qua et generans ab illius corporis quod deciso sanguine retinet subsistentia, et generatus ab illius quod deciso sanguini fomentis temporalibus additur, aliud ab invicem corpus fit. C Has igitur naturalium rationes recte, sicut videtur, intelligentes, Arius, Ethius, Eunomius, itemque Noetus, Sabellius, Praxeas, Hermogenes, et Priscillianus, et alii multi, sed eorumdem naturalium proprias esse minime attendentes, in theologica usurpaverunt; et quoniam unius principii ex quo, et per quem, et in eo quo sunt omnia, non nisi una est essentia, quæ Græce dicitur οὐσία putaverunt quod sicut unus est solus Deus, ita quoque solus unus sit Deus. Hunc autem Arius vocat Patrem, de quo vera quidem ratione dicit, Pater est solus Deus; sed rationis usurpatione dicit etiam, solus Pater est Deus. Ex quo infert quod neque Christus neque Spiritus sanctus est veritate essentiæ Deus, et dicit Christum esse creaturam, Spiritum vero sanctum esse creaturam creaturæ. Quæ secutus Ethius, et ejusdem Ethii discipulus Eunomius, asserit dissimilem per omnia Patri Filium, et Filio Spiritum sanctum. Noetus vero atque discipulus ejus Sabellius, Praxeas et Hermogenes, et Priscillianus illum unum D quem solum putat Arius esse Deum, ex ejusdem extra proprium genus rationis phantasia, solum similiter asserunt esse Deum; sed in hoc ab Ario differunt, quod solum illum unum putant esse Patrem et Filium et Spiritum sanctum, contra illam quæ nullum rerum genus excipit rationem: quæ est diversarum personarum diversa propria uni convenire non posse; et quidem multa omni genere tuo a se diversa, et diversorum generum propria, uni convenire possunt. Ut longitudo et scientia, quæ omni genere suo diversa, et proprietate diversis generibus sunt addicta, quia longitudo soli corpori, scientia vero soli

spiritui, uni homini, qui simul est et corpus et spiritus, simul conveniunt. Sed diversarum personarum diversa propria unius esse non possunt : quoniam unum aliquod, etsi ex diversorum partibus generum, et diversarum proprietatum, non tamen ex diversis personis integrum constat. Omnis enim persona recte intelligitur per se una : et hi quidem omnes de divinitatis singularitate recte sentientes, juxta naturalium rationem opinati sunt, non modo quod unus sit Deus solus, verum etiam quod solus unus sit Deus. Quidam vero alii recte intelligentes Patrem et Filium et Spiritum sanctum diversis proprietatibus diversas numero esse personas, nec solum Patrem esse Deum, sed et Filium esse Deum, et Spiritum sanctum esse Deum : tamen illa naturalium propria ratione decepti, qua dicitur, quod sicut numero diversorum proprietates diversæ sunt, ita etiam eorumdem subsistentiæ numero sunt diversæ, dixerunt, non ejusdem, sed similis essentiæ Patrem et Filium et Spiritum sanctum esse. Macedonius autem recte sentiens Patrem et Filium unius ejusdemque esse substantiæ vel essentiæ, et ambos esse unum Deum, Spiritum vero sanctum dicunt non esse Deum ; sed quoniam Spiritus sanctus est utriusque communiter, opinatur divinitatem utriusque esse Spiritum sanctum, et nullam habere substantiam. Aliqui vero sic Deum asserunt esse conformem, ut unius diversis essentiis tanquam diversis partibus assignent, alii quidem quod Pater est, alii vero quod Filius est, alii vero quod Spiritus sanctus est, idem ipse unus et solus : ut omnipotentiæ dedunt, quod ipsa est Pater : sapientiæ, quod est Filius ; bonitati, quod est Spiritus sanctus : et hoc quoque ex illa naturalium ratione, quod unius subsistentis diversis subsistentiis diversa addicta sunt, ut unius hominis corporalitati, color ; sensibilitati, passio ; rationalitati, discretio : sic igitur rationum extra proprium genus abusionibus in diversa dogmata, id est opiniones falsitatis, illi quos exempli gratia commemoravimus, et alii multi detrusi sunt ; et quod pejus est, contra catholicam de numero personarum, et de ipsarum simplici atque singulari essentia fidem, quodam præsumptionis instinctu confidenter locuti, errores suos veritatem esse dixerunt. Quidam vero nequaquam a catholica recedentes, et de numero personarum essentiæ singularitate sane credentes, ex veris antecedentibus rationibus veritatis falsa posse deduci, mirati sunt ; et quomodo, salvis prædictis rationibus veritatis, sint unius simplicis essentiæ ac singularis diversæ personæ, et diversarum personarum una singularis et simplex essentia, humiliter quæsierunt. Illorum ergo detestabiles errores Boetius volens destruere, et humilium infirmitatem juvare, Symmacho et quibusdam aliis sapientibus scribit de trium numero personarum simplici ac singulari essentia, et de tribus unius essentiæ numero diversis personis, et utrumque rationibus ostendit, sed secundum diversarum genera facultatum diversis. Nam primo theologicis essentiæ singularitatem atque simplicitatem ; deinde naturalibus numerabilemque personarum diversitatem monstrat. Unde recte intelligi poterit prænominatos hæreticos, ex eo quod naturalium proprias rationes theologicis communicaverunt, esse deceptos.

Investigatam.] Præmittit prologum, in quo quamvis illud de quo locuturus est obscurum sit, et plurimis ad cognoscendum difficillimis rebus implicitum, minime tamen verbis apertis esse locuturum promittit : sicut ab oratoribus, cum genus causæ obscurum est, fieri solet ; imo ut rei de qua loquitur dignitatem celet indignis, nec eam plena verborum exerit expositione, et si quid sermo loquentis auditoris intelligentiæ prodit, mox injectu novæ significationis obducit. Sed attentionem maxime movet, tum rei ipsius magnitudine, tum verborum, quemadmodum diximus, brevitate atque obscuritate. Benevolentiam vero comparat, et ab ipsius rei dignitate, et a sua persona, cum sine arrogantia dicit se ea in quibus diu cogitavit scripsisse, et ab illorum quibus scribit persona, cum contemptis cæteris, sui studii opus dicit se desiderantissime ipsorum offerre auctoritati, atque ab eis sententiam velle judicii. A sui ergo negotii laude incipiens, ait : Investigatam, etc. Hic commemorandum est quod ex affirmatione et ejus contradictoria negatione quæstio constat. Non tamen omnis contradictio quæstio est. Cum enim altera contradictionis pars esse vera, altera vero nulla prorsus habere argumenta veritatis videtur, ut, omnis homo est corporeus, non omnis homo est corporeus ; itemque, nullus homo est lapis, quidam homo est lapis ; aut cum neutra pars veritatis et falsitatis argumenta potest habere, ut, astra paria sunt, astra paria non sunt : tunc contradictio non est quæstio ; cujus vero utraque pars argumenta veritatis habere videtur, quæstio est. Hoc autem tribus modis contingere potest, videlicet aut sophistica univocorum, æquivocorum, modorum, partium, temporum, atque relationum multiplicitate, aut orandi qualitate, aut rationum ex quibus sermo fit genere. Et quidem sex generum multiplicitates sophisticæ, arte et usu sophistarum pluribus notæ sunt. Qualitas autem orandi vel in rerum atque dictionum consequentia, vel in earumdem tropis attenditur : quorum si unum in affirmatione est, alterum in negatione, utraque vera potest esse : ut, dies est lætus, vera est tropo μετωνυμίας, id est conversione nominis ejus quod fit ad id quod facit. Item, dies non est lætus, vera est, si quis rerum istarum naturalem convenientiam neget. Diversorum vero generum diversis rationibus utraque similiter vera est : ut, quod supra diximus, nulla species de suo genere prædicatur, in diffinitionum genere verum est ; item omnis species de suo genere prædicatur, in divisionum genere verum est. Ex horum itaque occulta multiplicitate locorum, aut arte deductis, aut casu venientibus argumentis, quæstio in ambiguitatem adducitur, idcoque non nisi eorum quæ ad eos pertinent locos divisione dissolvitur. Cum igitur utraque pars contradictionis habere veritatis argumenta videtur, diligentissime vestigandum est quæ horum universalitas locorum propositas multiplicitatis dictiones contineat, ut, hoc cognito, quæ per divisionem, et per quam divisionem exeri debent, et partibus quæstionis aptari, possit cognosci. Quod ad hanc de singularitate ac simplicitate essentiæ Patris et Filii et Spiritus sancti, et de ipsorum secundum diversas proprietates numerali diversitate quæstionem, cujus utraque pars veritatis habere argumenta videtur, Boetius investigasse dubium esse non debet, quandoquidem ait : Investigatam. Nec sine studii diligentia, quoniam sit : Diutissime. Tot enim multiplicium locos cito pertransire non potuit, et an significatio, an modus, an quod aliorum fecerit quæstionem, perpendere. Sed et cum in aliis intelligentiam excitet rei certa proprietas, aut certa vocis positio, ut cum dicitur, homo albus : quoniam certum est albedinem corporalitatis propriam esse, potest putari dictum esse secundum aliquam humani corporis partem. Aut cum dicitur, canis est sensibilis, quoniam certum est cujus speciei sit, quæcunque qualitas significatur hac voce ; quamvis nesciat auditor ex cujus illarum sensu hoc dictum sit, scit tamen quod non nisi de eo qui illarum aliquam habet in multiplicitate, quam diversorum generum diversæ faciunt rationes, quæ adeo sunt occultæ, ut semper earum genera, sæpe vero et ipsæ et earum genera penitus taceantur, longiorem investigationis laborem esse contingit : ut in hac quæstione, non significationibus, non modis, non partibus, non temporibus, non relationibus, non denique orandi qualitatibus implicita, sed diversorum generum rationibus diversis, quæ in utrisque partibus quæstionis hujus adeo taciturnitas occuluerat, ut et propter hanc

occultationem, quæstionem istam se investigasse diutissime recte dixerit.

Eam ergo formatam, rationibus, etc.] Quæstio informis est, dum adhuc in incognito loco manens indigesta multiplicitas, formam veritatis, ut cujus partis contradictionis sit nesciatur, obducunt. Cum vero loco exposito ipsa quoque de loci universalitate educitur, et per divisionem significatio et modus exeritur ; et hæc, vel quæ cætera ostendit divisio partibus quæstionis aptantur, ut plene cognosci possit, forma veritatis excluditur· Accedit tamen ad formam quod hæc partium divisionis partibus quæstionis aptatio argumentis firmatur. Convenit enim ut quæstio, sicut argumentis in dubitationem adducitur, ita quoque argumentis certa reddatur. Hanc igitur quæstionem sic investigatam, non quidem quod investigatione quidquid ad ejus pertineret solutionem invenerim, sed tantum quantum lux divina dignata est nostræ mentis igniculum, id est quantum naturali ingenio meo divina gratia splendore suo dignum duxerit ostendere ; hanc, inquam, rationibus, qualiter dictum est, formatam, litterisque mandatam, id est scriptam, vobis offerendam, mecumque communicandam curavi. Qualiter autem et quare communicandam supponit : tam vestri cupidus judicii, id est circumspecti examinis, quam nostri studiosus inventi. Quanto etenim studio ad inveniendum per quid hanc solverem quæstionem me applicui, tanta cupiditate vestræ auctoritatis sententiam super hæc habere volui.

Qua in re, etc.] Dicens investigatam, et diutissime, et rationibus formatam, rei magnitudine attentionem movet. Hic benevolentiam comparat a sua persona, de factis et de negotiis suis sine arrogantia, dicens, quasi, Vobis communicandam offero. Qua in re quid animi, id est quis animus mihi sit, scilicet quorum favorem quæram, quoties commendo stylo, id est quoties scribo aliqua diu excogitata, potest intelligi cum ex ipsa materia, hoc est, cum rerum de quibus semper scribo difficultate, tum ex eo quod colloquor raris, id est vobis tantum, tibi scilicet Symmacho, cui fere omnia scripta mea examinanda offero, atque aliis prudentibus paucis. Neque enim excitamur ad aliquid optime faciendum jactatione famæ et inanibus clamoribus vulgi : hac scilicet causa, ut fama nostra ad exteros transeat, et inter nostros, sicut solet facere comicos et cæteros qui delectare volunt poetas, scenicus nos et theatralis applausus extollat. Sensus : Non exteriori favore, sed conscientiæ secreto delector. Sed et si quis est nobis fructus exterior ex aliorum judicio, hic non potest sperare aliam sententiam nisi similem materiæ, id est, non potest sperare ex aliquorum sententia, nisi ex talium quale est ipsa rerum de quibus agitur materia, sedicet quorum auctoritati quædam dignitas inesse cognoscitur, ex virtutis excellentia atque singularitate : sicut materiæ quædam inest dignitas ex sui magnitudine et incomparabili proprietate. Hic captat ab illorum quibus scribit persona benevolentiam : quorum auctoritatem volens intelligi singulariter excellentem, ait :

Quocunque igitur, etc.] Quasi. Ut materiæ similem possim sperare sententiam, vobis tantum colloquor : ab aliis igitur similis sperari non potest. Nam quocunque, id est ad quoscunque alios, quos meorum tractatuum faciam judices, a vobis non dico convertit sed dejeci : id est, declinavi oculos, occurrit mihi partim ignava segnities, id est homines segnitie ignavi, et ignavia segnes ; partim callidus livor, id est callidi et invidi, adeo ut videatur contumeliam irrogare, id est inferre divinis tractatibus, quicunque talibus non dico hominibus, sed hominum monstris, quos scilicet corporis quidem figura exterior homines esse ostendit, sed interioribus quæ prædicta sunt vitiis mentis magis sunt bellue, hæc non agnoscenda, id est examinanda potius apposuerit, quam tanquam porcis proculcanda, id est despicienda projecerit. Quisquis ergo philosophiæ secreta talibus pandit, ut ita dicatur, ipsam prostituit, et quantum in se est dignitatem ejus minus admirabilem facit. Quod quoniam multiloquis et sermone trivio contingere solet, idcirco stylum brevitate contraho, id est, quod de hac sentio quæstione, plena expositione non explico, sed decurtatis scripturæ notis significo : et sumpta ex philosophiæ disciplinis, non dico exterioribus physicæ, vel interioribus mathematicæ, sed intimis theologiæ, novorum verborum novis significationibus velo, qualia sunt, homo non est id quod est; et homo magnus non est ipsum homo, nec ipsum magnus. Hic movet attentionem : Hæc autem et brevitate contraho, et novitate velo : ut hæc, scriptura brevitatis et novitatis, mihi vobisque tantum, si quando ab aliis studiis vestris ad ea convertitis oculos, non tam nota quam nutu colloquantur. Cæteros vero ab his ita submovemus scriptis, ut quicunque semiplena et inusitata significatione commoti, nequiverint ea capere intellectu, non eo quem scripta faciunt, sed eo potius ex quo facta sunt, ad ea non modo judicanda, verum etiam legenda videantur indigni. Tria quippe sunt, res, et intellectus, et sermo. Res intellectu concipitur, sermone significatur. Sed neque sermonis nota quidquid res est potest ostendere, neque intelligentiæ actus in omnia quæcunque sunt ejusdem rei offendere, ideoque nec conceptus omnia tenere. Circa conceptum etiam remanet sermo. Non enim tantum rei significatione vox prodit, quantum intelligentia concipit. Similiter et scripturæ significatio ad auctoris sui conceptum se habet. Unde manifestum est quod qui audit vel legit, oratoris quidem seu scriptoris conceptum ex his quæ significatio prodit perpendit, sed de re non nisi ex ejusdem oratoris seu scriptoris sensu recte decernit. Ideo ab hujus sui tractatus lectione illos merito arcet, qui scriptoris intellectum, ex quo fit sermo sive scriptura, contemnunt, et ad rei judicium significationem sufficere putant ; vel si quid ad quod significatio certa non dirigitur attendunt, non tam referre quæ veritati quam afferre quæ significationi conveniant gestiunt. Sed et quoniam adusque rei plenitudinem intellectus nequit attingere, etiam illos qui ex auctoris intellectu verba vel scripta dijudicant, monet ne illum de re perfecte scripsisse, et quidquid ipsa est dixisse, existiment ; sed ex his quæ concipi possunt scriptorum seu dictorum perfectionem metiantur. Ait ergo :

Sed et tantum, vel *sane tantum*, vel, *sed ne tantum*, etc.] Quasi : Illos submovemus ab his scriptis, qui ea intellectu capere nequierint. Sed et illis qui intellectu capere potuerint dicimus, ne tantum, etc., vel, sane tantum, etc. ; vel, sed ne, id est, tantum, etc. Est enim hoc loco *ne* confirmativa conjunctio : qualiter et Virgilius ponit, dicens :

> Tantane me tenuit vivendi, nate, voluptas,
> Ut pro me hostili paterer succumbere dextræ?

Hic enim *ne* pro *etiam* dicunt. In pluribus quoque aliis locis invenitur *ne* confirmativa. Sic igitur et hoc loco confirmativa ponitur, ut sit sensus : Sed ne tantum, hoc est, sed etiam tantum quæri a nobis oportet, id est, eos qui scripta nostra intellectu, ex quo sunt scripta, capere poterunt, tantum convenit a nobis quærere, quantum intuitus humanæ rationis valet conscendere ad celsa divinitatis, quasi, ad quæ non omnino aspirat, etsi aliquid de ipsa tanquam per speculum videt. Quod scripto commendare, est scribendi officium debito fine perficere. Hoc autem e cæteris intelligi potest. Nam cæteris quoque artibus idem quasi quidam finis est constitutus : eousque scilicet actu prosequi, quousque via rationis potest accedere. Quo actu etsi minime id propter quod fit evenit, non tamen minus ars finem habet officii. Non enim, sicut Marcomannus rhetor existimat, ea juslibet artis finis putandus est esse rei eventus propter quem fit.

Neque enim medicina semper ægris affert salutem, propter quam fit. *Sed nulla erit culpa medentis.*] Id est, ars habet debitum finem, si nihil eorum quæ fieri oportebat, id est quæ ars facienda docebat, omiserit. Idemque est in cæteris artibus. Sicut enim medicinæ officium est apponere ad salutem, sic finis officii est non sanare absolute, sed appositura sanare. Similiter et hic aucioris officium est, multiplicitatem qua quæstionem implicitam intellectus videt, ad eam dissolvendam dividere. Finis autem est non simpliciter dico dissolvere, sed divisione dissolvere ; et in cæteris quidem, si quem Marcomannus finem putat, non evenit, auctor faciendo quod convenit veniam promeretur. At quanto hæc quæstio difficilior est, quia occultarum diversitate rationum implicita, tanto facilior debet esse ad veniam. Vobis tamen : quasi, si in re adeo difficili ars caret eventu, facilis venia mihi debetur. Non tamen ex meis omnia quæ ad hanc quæstionem solvendam inducuntur. Vobis enim etiam illud inspiciendum est et attentissime notandum, an semina, id est principia rationum venientia in nos ex scriptis beati Augustini, extulerint aliquos fructus : quasi, auctore Augustino scripsi. Nam quæcunque de hac quæstione dixi, quamvis ab ejus verbis dicendi differant qualitate, sensu tamen conveniunt, et ex intellectu quo se scripsisse significat deducta sunt. Ac de proposita quæstione hinc sumamus initium.

Christianæ religionis, etc.] Religio juris naturalis prima species a pluribus ponitur, secundum quam in humanis officiis justitiæ virtus exhibet Deo quod ad ipsius singularem pertinet dignitatem : sicut in eisdem eadem, secundum cæteras ejusdem generis species, quæ sunt, pietas, gratia, vindicatio, observantia, veritas, reddit hominibus quod ad eorumdem sub ipso ordinatissimam pertinet diversitatem. In quibus tamen omnibus ipsa justitia, secundum jus religionis, causam refert ad Deum, et hic unus officiorum omnium finis quaslibet juris partes facit esse virtutes. In religione prima est fides, quæ quidem generaliter est veritatis cujuslibet rei cum assensione perceptio ; sed ad quorumdam maxime perceptionem invisibilium hoc nomen per excellentiam usus contraxit, ut scilicet fides dicatur, qua rationalis mens vere et cum assensione percipit id quod est omnium esse, et eum quo ab omnibus honorandus est cultum, et quæ Græce ipsius præmia cultorum unitas sperat. Est etiam in religione metus et caritas divina, et hujusmodi alia, in quibus ipsa religio Christiana multum est reverenda. Sed ejus reverentiam plures usurpant, dicentes si Christianam religionem habere, non modo non timentes divinam super se potestatem, aut non amantes divinam erga se bonitatem ; verum etiam de his quæ ad fidem pertinent non recte credentes. Sed ut de cæteris taceamus, ea fides maxime ac solitarie pollet, item singulari ac summa dignitate est reverenda, quæ vel Græce καθολικὴ, vel Latine universalis vocatur ; et hoc duabus de causis, tum scilicet propter præcepta universalium regularum, id est propter universales regulas præceptorum : quæ hoc loco dicuntur universales, quia non uni populo, sicut lex filiis Israel ; nec uni sexui, sicut circumcisio masculis ; sed omni populo, omni sexui, omni denique ætati, atque conditioni indicuntur. Una enim fides, unum baptisma, unus sacrificii ritus, una caritas, una spes omnibus prædicatur : quibus regulis præceptorum ejusdem Christianæ religionis intelligatur, id est intelligi potest, auctoritas, id est principalitas. Tum propterea quod ejus fidei cultus, quo scilicet fides illud esse ex quo est, quidquid est, veneratur, per omnes pene mundi terminos emanavit, id est, usque ad fines orbis pervenit.

Cujus hæc, etc.] Christianorum fide commendata, quid de Patris et Filii et Spiritus amborum essentia et proprietatibus ipsi sentiant, dicit. Et primo singularem et simplicem esse trium essentiam dicit eos A sentire, et quod recte sentiant, theologicis rationibus probat. Quasi : Fides universalis maxime pollet. Cujus fidei sententia de Trinitatis, id est trium numero diversarum personarum, unitate, id est singularitate secundum essentiam, hoc est, quæ sequitur. Inquiunt enim fideles : Pater est Deus, Filius est Deus, Spiritus sanctus est Deus ; atque inferunt : Igitur Pater, et Filius, et Spiritus sanctus, sunt unus singularitate essentiæ Deus, non tres Dii, id est, sunt unum omnium esse, non tria. Et attende quod non secundum naturalium, sed secundum theologicorum propriam rationem hæc inferunt. Nam secundum naturalium rationem, quæ est numero diversorum diversas numero esse naturas, contra evenit, ut : Plato est homo, Cicero est homo, Aristoteles est homo. Igitur Plato, et Cicero, et Aristoteles sunt tres homines, non unus singularitate subsistentiæ homo. Cum enim dicitur : Plato est homo, Cicero est homo, Aristoteles est homo, non solum de alio, sed B et singularitate sui, aliter dicitur secunda affirmatione quam prima, et aliter tertia quam prima, vel secunda. Quamvis enim secunda et tertia primæ prædicativum repetant nomen, rem tamen prædicatam non repetunt ; sed quamvis conformes, tamen diversas : imo quia conformes, ergo numero diversas a se invicem naturas de numero a se diversis affirmant, et hæc trium de tribus prædicatorum necessaria differentia non patitur hanc adunationem, ut dicatur, Plato, et Cicero, et Aristoteles, sunt unus singulariter homo. Cum vero dicitur, Pater est Deus, Filius est Deus, Spiritus amborum est Deus : quamvis de numero diversis, tamen non diversa dicuntur ; et sicut nominis, ita etiam rei prædicatæ repetitio facta est ; et hæc unius de tribus prædicati necessaria indifferentia permittit, imo exigit, eadem tria ad hujus ter prædicatæ essentiæ singularitatem conjungi, ita : Pater, Filius, amborum Spiritus, sunt unus singulariter Deus. Recte ergo hanc fidelium illationem C ex theologicorum propria indifferentiæ ratione commendans ait :

Cujus, etc.] Quasi : Fideles divisim dicunt : Pater est Deus ; item Filius est Deus ; item Spiritus sanctus est Deus. Atque inde conjunctim inferunt : Igitur Pater, Filius, Spiritus sanctus sunt unus Deus. Utique non sine ratione, quippe cujus conjunctionis ratio [*Supp.* sit] illius quam de diversis agendo divisim de ipsis affirmant essentiæ unius indifferentia. Quamvis aliqui sint qui diversis enuntiationibus illis putant sicut de diversis, ita quoque diversa dici : qui scilicet, Filium aut Spiritum sanctum opinantur, aut alium a Patre, aut aliter quam Patrem Deum dici. Eos enim procul dubio comitatur differentia, qui cum alium alii conferunt, vel augent, alium dicendo majorem ; vel minuunt, alium dicendo minorem. Verbi gratia, ut Ariani, qui Trinitatem, id est hos tres quorum unus Pater, alius Filius, alius Spiritus sanctus vocatur, variantes quibusdam gradibus meritoD rum, atque dicentes Patrem esse majorem Filio, et Filium Spiritu sancto, distrahunt, id est, non modo personalium proprietatum, verum etiam naturarum numero distinguunt : dicentes, solum Patrem veritate essentiæ Deum, Filium vero creaturam, et Spiritum sanctum creaturæ creaturam. Quæ nimirum diversitas ex meritorum gradibus necessario intelligitur, qui nisi in diversis, etiam ejusdem generis, natura esse non possunt. Neque enim homine homo major aut dignior esset, nisi naturæ diversitate alter ab altero aliud esset. Cum igitur Ariani Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum gradibus varisnt meritorum, eosdem necessario naturarum differentia distrahunt, atque in eam, quæ secundum formam generis est, pluralitatem diducunt. Illorum igitur opinione, cum Pater dicitur Deus, et Filius dicitur Deus, et Spiritus sanctus dicitur Deus, Filius intelligendus est alius Deus quam Pater, et Spiritus sanctus alius Deus quam Filius, vel Pater ; neque hanc posse fieri conjunctionem, qua dicitur, Pater et Filius et Spiritus sanctus

sunt unus Deus ; sed intelligendum quod ipsi sunt plures dii, quandoquidem Filius alter Deus quam Pater, et Spiritus sanctus alter Deus quam Filius, vel Pater. Omnis enim quæ vero nomine dicitur pluralitatis principium est alteritas, quæ est dualitatis. Præter hanc enim dualitatis alteritatem, nec etiam intelligi potest quid sit pluralitas : quoniam omnis pluralitas aut tota est dualitas, aut constat ex dualitate. Binarius enim, non nisi ex uno et altero constat ; ternarius vero, ex binario et uno : quaternarius autem ex duobus binariis : et deinceps omnis numerus partem habet binarium.

Trium namque, etc.] Dixerunt pluralitatem esse ex alteritate. Nunc secundum quæ sit alteritas sive pluralitas in naturalibus, juxta quorum rationem Ariani Patrem et Filium et Spiritum sanctum numero distrahunt naturarum divisione demonstrat, Quasi : Pluralitas est ex alteritate : vere. Nam vel ex generis, vel ex speciei, vel ex numeri alteritate. Trium namque, vel quatuor, vel quinque, vel quotlibet rerum subsistentium diversitas constat, tum genere, tum specie, tum numero. Quod ex comparatione oppositi probat ita : Quoties enim dicitur idem, toties etiam diversum prædicatur. Idem vero dicitur tribus prædictis modis : scilicet, vel genere, vel specie, vel numero. Genere, ut idem est homo quod equus : quia hominis et equi idem est genus, verbi gratia, ut animal. Diversæ etenim subsistentiæ, ex quarum aliis homines, et ex aliis equi, sunt animalia, non imitationis, vel imaginaria, sed substantiali similitudine ipsos qui secundum eas subsistunt faciunt esse conformes. Item specie idem dicitur : ut, idem est Cato quod Cicero, quia scilicet, et Catonis et Ciceronis eadem species est, verbi gratia, ut homo. Diversæ namque subsistentiæ, quæ una sunt species, quarum alia Cato, alia Cicero homo est, eosdem substantialiter faciunt similes. Numero autem idem dicitur, quod quamvis multis appelletur nominibus, tamen secundum eamdem singulariter qualitatem, ut, Tullius et Cicero, quia videlicet ex una singulariter qualitate ex qua hæc uni sunt indita nomina, non dico sunt, sed est numero unus cui indita sunt.

Quare, etc.] Quasi : Quoties idem, toties diversum dicitur. Idem autem tribus modis. Quare diversum etiam eisdem tribus, id est, vel genere, vel specie, vel numero dicitur. Unde manifestum est idem atque unum, ideoque diversum et alterum in naturalibus multipliciter dici. Unum enim vel idem subsistens aliquando dicitur unius tantum naturæ singularitate : ut, Cicero unus homo et idem quod Tullius, imo idem qui Tullius ; et Plato unus rationale, et idem quod suus, imo qui suus spiritus. Quoniam et Plato et suus unde ipse constat spiritus sunt unum rationale, non diversarum rationalitatum, quarum una Platonis, altera species ejus esse fingatur conformitate, sed unius ejusdemque singularitate. Quæ unitas numerum collectione unitatum, rationis proportione corporalium, omnino non recipit. Nam Tullius et Cicero neque duo neque diversa sunt. Plato vero et ejus spiritus diversa quidem sunt, sed non duo. Diversa vere, quoniam Plato est quidquid est naturaliter spiritus ejus, non autem spiritus ejus est quidquid est ipse ; et ratione omnino diversa sunt, quia Plato ex spiritu constat, et Platonem spiritus suus constituit. Duo vero prorsus non sunt, eo quod similitudine aliquorum, quorum alterum de Platone, alterum de spiritu ipsius dicatur, quid duo sint assignari non potest : hæc vero unitas non unio vocatur. Si quis igitur ab hoc uno diversum aliquid in naturalibus cogitet, rationis proportione convenit, ut omnis similitudinis et dissimilitudinis ratione semota, aliud naturæ quoque singularitate unum illi opponat : ut huic homini hunc alium hominem, vel hunc lapidem. Dicuntur etiam multa subsistentia unum et idem, non naturæ unius singularitate, sed multarum, quæ ratione similitudinis fit, unione. Hac enim plures homines unus vel idem homo, et plura animalia unum vel idem animal esse dicuntur. Ab hoc ergo uno diversum quis cogitans, oportet ut non modo essentia, verum etiam dissimilitudine oppositum comparet, et comparatione opponat : ut equum homini, et lapidem animali ; et hæc genere vel specie diversa dicuntur et altera, sicut illa quæ diversarum naturarum adunat conformitas, genere vel specie unum dicuntur. In hac, quam facit unio, unitate semper est numerus, non modo subsistentium, verum etiam subsistentiarum. Sicut enim non nisi numero diversa, ita non nisi secundum numeros diversa possunt esse conformia. Non enim similiter esset homo Cato sicut Cicero, nisi subsistentiæ quibus uterque aliquid est, essent etiam numero diversæ, earumque numeralis diversitas eos numero facit esse diversos. Hanc autem in naturalibus numeralem non modo subsistentium, verum etiam subsistentiarum diversitatem, eorum quæ adsunt subsistentiis illis in eisdem subsistentibus, accidentium dissimilitudo non quidem facit, sed probat ; et tamen quia numeralis diversitatis aliquorum accidentium dissimilitudo semper est comes, hæc junctissimæ proprietatis consortio pro eo quod dicere debuit probat, dicit, facit, consecutus adjungit. Sed eam quæ est in numero differentiam, dissimilium accidentium varietas facit ; vere. Nam generum vel specierum dissimilitudo taliter in ipsorum unione diversa non dividit. Verbi gratia, tres homines non dico subsistentiis unius generis vel unius speciei, sed neque genere neque specie, id est nulla subsistentiarum dissimilitudine, sed suis accidentibus dissimilitudinis distant. Nem, sicut jam dictum est, ut aliqua subsistentium genere vel specie diversa dicantur, oportet eorum subsistentias etiam dissimilitudine esse diversas. Cum autem absque dissimilitudine est earum diversitas, juxta illarum numerum, mo ex illarum numero est subsistentium numerus. Quæ quoniam etiam aliqua dissimilitudine diversa accidentia semper comitantur, hujus consortii, sicut dictum est, ratione numeralem subsistentium differentiam, accidentium varietas rectissime facere dicitur, sine quibus in subsistentibus subsistentiæ omnino esse non possunt. Nam, ut in cæteris jam positi exempli inductione hoc apertius et probabilius sit, etsi non quidem re, sed vel, id est saltem animo, ab his scilicet tribus hominibus separemus cuncta accidentia, fingentes eis nulla omnino alia inesse : tamen locus non quantitatis, quo locale per se aliquid dicitur, sed collationis localium, quo ipsorum quodlibet collatorum localium recte locatum appellatur, cunctis etiam dissimilitudine, si non generis, saltem speciei, diversus est, quem nullo modo possumus fingere, vel unitate singularitatis, vel unione specialissimæ similitudinis unum. Duo enim corpora non obtinebunt locum singularitate aut specie unum sibi invicem collatorum. Atque ideo tres quos exempli gratia posuimus homines sunt conformantium ipsos subsistentiorum numero plures : quoniam scilicet aliquibus etiam dissimilitudine diversis accidentibus plures fiunt, id est, hac accidentium diversitate propria, adunatarum similitudine subsistentiarum, plures esse probantur.

Age igitur, etc.] Supra cum dixisset, Pater est Deus, Filius est Deus, Spiritus sanctus est Deus, intulit dicens : Igitur Pater, Filius, Spiritus sanctus, sunt unus Deus : et quod hoc secundum theologiæ fecerit rationem, ostendit cum supposuit : Cujus conjunctionis ratio est indifferentia. Arianos autem dixit in eam, quæ in forma generis, imo in genere formæ est, pluralitatem, Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum distrahere ; et quod hoc ex naturalium fecerint ratione, declaravit, cum dixit : Principium pluralitatis alteritas est. Atque hanc subsistentium alteritatem ex subsistentiarum dissimilium seu similium diversitate esse docuit, cum eam genere, vel specie, vel numero constare subjunxit. Ex qui-

bus theologiæ atque physicæ aliquas rationes manifestum est esse diversas. Ideoque trium prædictorum, id est Patris, et Filii, et Spiritus sancti, unam singularem ac simplicem essentiam, qua unusquisque illorum est, id quod est theologicis rationibus demonstraturus, eas a naturalium rationibus per hoc esse diversas ostendit, quod alii speculationi naturalia, alii theologica supponit. Quod quoniam expositis speculationum partibus melius intelligi potest, quot ipsæ sunt juxta rerum sibi subjunctarum proprietates enumerat, et ad quam propria theologicorum pertineat ratio monstrat. Quasi : Catholicæ fidei, secundum theologiæ proprias rationes, sententia hæc est, quod et divisim vere dicitur, Pater est Deus, Filius est Deus, Spiritus sanctus est Deus ; et conjunctim, Pater, Filius, Spiritus sanctus sint unus Deus. Arianorum vero, secuudum naturalium rationes, sententia est, quod Pater quidem solus veritate substantiæ dicitur Deus, sed neque Filius neque Spiritus sanctus veritate substantiæ vel divisim Deus, vel conjunctim unus cum Patre Deus dicuntur. Age igitur, ingrediamur et dispiciamus, id est incipiamus, et diversis speculandi modis aspiciamus unumquodque, id est naturalis et theologica, prout potest intelligi atque capi, id est, naturalia suo modo, et theologica suo ; et si quid aliud ad perfectionem sui continebit speculationum divisio. Quod utique ita facere debemus. Nam, sicut optime dictum videtur a Cicerone, eruditi est hominis unumquodque ut ipsum est, id est, sicut rei proprietas exigit, ita de eo fidem capere tentare, id est, ea speculatione illud considerare, cui ipsum quod considerandum proponitur certæ differentia rationis addicitur. Non enim indiscrete cuilibet speculationi quælibet pertinent.

Nam cum tres sint speculativæ partes, etc.] Scientiæ multorum sunt generum. Aliæ namque sunt theoricæ, id est speculativæ, ut illæ quibus intuemur an sint, et quid sint, et qualia sint, et cur sint singula creata ; aliæ vero sunt practicæ, id est activæ, ut illæ quibus potius inspectionem scimus operari : ut medici, magi, et hujusmodi alii. Ut autem de practicis taceamus, speculativæ ex his quæ per ipsas inspicimus contrahunt appellationem, et vocantur aliæ quidem physicæ, id est naturales ; aliæ vero ethicæ, id est morales ; aliæ autem logicæ, id est rationales : et ut item morales atque rationales prætereamus, illarum quæ uno nomine naturales dicuntur, quæ etiam usu majore speculativæ vocantur, tres partes sunt : una quæ universali omnium nomine specialiter dicitur naturalis ; alia, quæ mathematica ; tertia, quæ theologica. Has describit per motum atque separationem, et eorum contraria, binas in singularum notionibus differentias ponens. Ait ergo : Naturalis dicitur quæ est in motu atque inabstracta, quod Græce dicitur ἀχώριστος, hoc est inseparabilis. Et quare inabstracta, vel inseparabilis, supponit : considerat enim corporum formas cum materia, quæ formæ a corporibus non possunt separari, non dico ratione, sed actu. Hic dicendum quod materia multiplex nomen est, et forma similiter. Origo namque sive initium rerum, quod Plato vocat necessitatem, et fraudem, et receptaculum, et matriculam, et gremium, et matrem, et sinum, et locum totius generationis ; auditores vero ejus appellant ὕλην, id est silvam, ipse Plato nominat primam materiam ; eo quod in ea formantur quæcunque recipiuntur ab ea : cum tamen ipsa nullam ex eis contrahat formam. Quatuor etiam elementa, quæ in illa mutuam habent concretionem, ex majoris atque obtinentis cuncta vocabulo cognominantur materiæ, et cæteræ deinceps in genere corporum secundum species suas diversæ : ut æs, cera, lapis, et quæ hujusmodi aliæ dicuntur materiæ. Ad generales quoque et speciales subsistentias, quæ subsistentium in quibus sunt esse dicuntur, eo quod eis ut sint aliquid conferunt, ejusdem nominis, id est materiæ, alia fit denominatio.

A Nam et ipsæ eorum quæ sibi adsunt, et quodammodo potius ipsas sequuntur, dicuntur subjectæ materiæ : eo quod omne quod ex hujusmodi esse est, aliquid natura ab eodem contrahit, ut posteriorum quod per illud suscipit sit ratione materia. Verbi gratia : quoniam corporalitas quæ est esse corporis in quo est, et qua ipsum est aliquid naturaliter, id est corpus eidem confert, ut figurarum, et hujusmodi aliorum, quæ causa corporalitatis et ejus addicta potestati, cum eadem in se habet, sit materia, ipsa quoque earumdem materia dicitur. Inde est quod diffinitiva demonstratio hujusmodi esse primum exerit, deinde quæ illius accommodata sunt potestati, adjungit : Ut si quæratur quæ est statua, primum dicitur æs, vel marmor, vel hujusmodi ; deinde quæ illud quodlibet esse comitantur, juxta quod statuæ ex comparatione alterius quæsita proprietas exigit, numerantur. Forma quoque multipliciter dicitur. Nam essentia Dei, quo opifice est quid-
B quid est aliquid, et quidquid est esse, unde illud aliquid est, et omne quod sic inest ei quod est aliquid, ut ei quod est esse adsit, prima forma dicitur. Quatuor quoque sinceræ substantiæ, ignis, aer, aqua, terra : non quidem quæ in silva mutuam concretionem habere prædicta sunt, sed quæ ex silva et intelligibili specie sunt, e quibus demum hæ materiæ sensiles, igneæ, aeriæ, aquatiles, terreæ, deductæ sunt, corporum scilicet, quæ nutriculæ omnia continentis suscipit sinus, exemplaria eorumdem corporum, εἴδεαι Græce, Latine vero formæ cognominatæ sunt. Illud etiam quorumlibet subsistentium quodlibet esse, ex quo unumquodque eorum est aliquid, et quod eorum quæ sibi adsunt, ut prædictum est, materia, eorumdem subsistentium dicitur forma, ut corporalitas omnium corporum. Dicitur etiam forma illud quartum genus qualitatis, quod est corporum figura, et cætera quæ ita subsistentibus insunt, ut eorum potentiam sequantur, ex quibus aliquid sunt.
C Ex his manifestum est quod materiarum alia informis, et ideo simplex, ut ὕλη ; alia formata, et ideo non simplex, ut corpora. Multiplex enim esse ipsorum, et quæ plurima illi adsunt in ipsis, illa nequaquam sinunt esse simplicia, et hæc utraque tantum materiæ appellantur. Quæ vero sunt esse subsistentium, et materiæ dicuntur et formæ, divisim tamen, eorum scilicet quæ sibi adsunt materiæ, et eorum quæ ex eis sunt aliquid formæ. Similiter formarum alia nullius materiæ, et ideo simplex, ut opificis essentia, qua ipse vere est. Neque enim ipsa ex multis essentiis constat, neque illi in opifice adsunt aliqua, quorum opifex, vel ipsa esse, vel dici possint aliqua ratione materia. Illæ quoque sinceræ substantiæ quæ corporum exemplaria sunt, sine materia formæ sunt, et ideo simplices. Non enim sunt id quod esse dicuntur ex multiplici essentia, nec eidem assistunt in eis quorum illæ vel ipsa possint esse materiæ. Nam quod sensilibus inesse dicuntur, non
D ideo est quod illis insunt atque hæreant inabstracte, qualiter corporalitas inest corpori ; sed quia cum ab eis abstractæ sint, et eis minime concretæ, tamen quasi e regione appositæ, ut ab illis tanquam exemplaribus sensilia tanquam imagines ab opifice deducantur, deductionis consortio, non modo sensilibus ipsæ, sed et ipsis sensilia inesse dicuntur. Quæ vero sunt subsistentium esse, sicut jam dictum est, non modo formæ, sed etiam materiæ nuncupantur. Figuræ vero sensilium, et cætera quæ in subsistentibus eorumdem esse sequuntur, formæ tantum cognominantur, et non materiæ. His itaque divisis, addendum est quod primaria materia, id est ὕλη, et primariæ formæ, id est οὐσία opificis, et sensilium εἰδέαι, eo quod simplices sunt et abstractæ : non enim vel illa formis, vel istæ materiis debent quod sunt : omni motu carent. Quæ vero inabstracta a se invicem atque concreta sunt, id est sensilia, moventur. Formæ vero sensilium, quamvis inabstractæ, ideoque motum habentes, si tamen abstractim at

tendantur, hac vere abstractorum imitatione sine motu esse dicuntur. Non enim tantum sicuti sunt, verum etiam aliter quam sint, res aliquæ sæpe vere concipiuntur. Propter quod etiam ipsa animi speculatio dividitur, et vel ex his quæ inspicit, vel ex modo inspiciendi cognominatur. Cum enim nativa, sicut sunt, id est concreta et inabstracta, considerat, ex sua quidem propria potestate, qua humano animo datum est ex sensuum atque imaginationum præeuntibus adminiculis reri sensilia, ratio dicitur; sed ex his quæ considerat, nativis scilicet inabstractis et motum habentibus, naturalis, et in motu et inabstracta cognominatur: et quod ex hac causa sit hæc nuncupatio, manifeste demonstrat, dicens: Considerat enim corporum formas, id est figuras, et hujusmodi alias, non modo in materia cui insunt, sed et cum materia cui in illa adsunt, atque ex hoc subsistentium omnium concretio dicitur. Creatio namque subsistentiam inesse facit, ut id cui inest, ab ea aliquid sit. Concretio vero eidem subsistentiæ naturas posterioris rationis accommodat, ut id cui cum illa insunt, simplex non sit. Quæ quoniam esse non possunt, nisi sic subsistentibus insint, ut eorumdem subsistentiis adsint, inabstractæ dicuntur. Unde ait: Quæ posterioris rationis formæ a corporibus non possunt separari, non disciplinali ratione, sed actu, id est, ut quod sunt dum concretæ sunt, retineant separatæ. Ex eadem concretione contingit corporum motus, cum scilicet concretas vicissitudo decedentium succedentiumque commutat. Quæ enim concretione non simplicia sunt, videlicet corpora, in motu sunt: ut verbi gratia, in motu qui est secundum locum, apparet, cum ponderositatis suæ proprietate, et terra deorsum fertur, et ignis sursum, habetque motum; non illa quæ est subsistentium esse, unde unumquodque eorum aliquid est prima materia, sed quæ illi materiæ in eisdem subsistentibus concretione est forma conjuncta. Alia vero speculatio, quæ nativorum inabstractas formas aliter quam sint, id est abstractim considerat, ex fine quo illud facit, Græce quidem μαθηματικὴ, Latine vero disciplinalis vocatur. Recte utique. Cum enim sint inabstractæ, id est, cum nisi in concretione non sint, quid tamen ibi sint oportet intelligi: neque enim rationalis speculatio perfecte id quod est esse aliquid capit; disciplinalis quoque id unde illud est quid sit firmiter teneat, verbi gratia, non propendit ratio quid sit esse corpus, et esse coloratum et esse latum, nisi disciplina quid sit corporalitas, quid color, quid latitudo cognoscat. Quod fieri non potest, nisi hæc inabstracta atque concreta, et ab eo in quo sunt, et a se invicem abstrahat et discernat. Ex hoc ergo quod inseparabilia ad hoc separat, ut eorum natura perspici et proprietas valeat comprehendi, mathesis sive disciplina vocatur, inabstracta quidem, eo quod inseparabilia sunt, quæ nisi separatim non perspicit. Hæc enim formas corporum speculatur sine materia, non dico speculatur esse sine materia, sine motu tamen. Si enim concretio his quæ sunt confert motum, convenit ut separatio his ex quibus sunt tollat motum: non tamen quod motabilia careant motu, sicut inabstracta non possunt abstrahi, sed quod, sicut dictum est, mathesis ea sine materia speculatur, ac per hoc speculatur sine motu. Rei etenim actus formas semper continet inabstractas. Unde supponit, quæ formæ cum in materia sint, id est in corporibus, ab his corporibus separari non possunt. Ideoque quod mathematica speculatio dicitur, inabstracta ab actu rei: quod vero sine motu, a modo speculandi metonymica denominatio est. Tertia vero speculatio, quæ omnia nativa transcendens, in ipso eorum quolibet principio, scilicet vel opifice, quo auctore sunt; vel idea, a qua tanquam exemplari deducta sunt; vel ὕλῃ, in qua locata sunt, figit intuitum, per excellentiam intellectualis vocatur. Quod enim simplex sine motu et semper est, verius percipitur quam vel rationali opinione, imo opinabili ratione, quæ non semper et in motu sunt, sensilia scilicet, percipi possunt; vel disciplinali eorumdem formæ inabstractæ, ideoque in motu, separatim atque sine motu possint attendi. Ab ipsius autem rei quæ percipitur natura, theologica; et a proprietate, sine motu, abstracta atque separabilis cognominatur. Recte utique. Nam Dei substantia, id est Deus vel divinitas, et materia caret et motu, id est, nec Deus nec ejus essentia potest esse materia. Neque enim ea qua ipse est essentia, quæ Græce οὐσία dicitur, potest esse non simplex, neque in eo eidem essentiæ adesse aliud aliquid potest quo ipse sit. Non enim Deus simplex esset, si vel ejus essentia constaret ex multis essentiis, vel eidem formæ adessent in illo, quarum vel ipse Deus vere esset, vel ejus essentia ratione diceretur subjectæ materiæ: et hæc quidem est, ex rerum quæ percipiuntur diversitate, speculationum diversitas. Quamvis igitur rerum speculationibus subjectarum aliquæ sint rationes communes, plurimas tamen proprias esse necesse est. Ac per hoc in naturalibus, quæ sicut sunt percipi debent, scilicet concreta et inabstracta, oportebit philosophum versari rationabiliter: ut scilicet posito nomine, quo et id quod est et id quo est significatur, ea vi mentis qua concreta reri debent, diligenter attendat quid proprie sibi, vel quod est, vel quo est, concretionis consortio exigat, et quid cæterarum speculationum locis communicet. In mathematicis vero ubi inabstracta aliter quam sint, id est abstractim attenduntur, oportebit eum versari disciplinabiliter, ut scilicet cum ea quæ nisi subsistentibus insint, omnino nihil sunt separatim ab eis cum ceperint: sic eorum propria ad disciplinam faciendam attendat, ut communes sibi cum cæteris speculationibus rationes ad ipsa minime contrahat. In naturalibus enim dicitur homo species generis, id est animalis aut corporis. In mathematicis vero non generis, sed individuorum tantum species dicitur homo. Ideoque naturalis concretionis proprietate dicitur genus de specie prædicari. Mathematicæ vero abstractionis proprietate non genus, sed generis genus, de ea quæ non generis, sed individuorum tantum species est, vere et consequenter prædicari conceditur. In divinis quoque, quæ non modo disciplina, verum etiam re ipsa abstracta sunt, intellectualiter versari oportebit, id est, ex propriis rationibus theologicorum illa concipere, et non ex naturaliter concretorum, aut disciplinaliter abstractorum proprietatibus judicare. Quod autem hoc ita velit intelligi, aperit, cum subjungit: Neque oportebit diduci ad aliqua creata, quæ vere existentium sunt imaginationes, sed potius ipsam ex suis rationibus inspicere singularem ac simplicem formam.

Quæ vere, etc.] Hucusque speculativæ scientiæ partes, et quibus quæ speculari conveniat, ostendit. Nunc quod Patris et Filii et Spiritus amborum una sit singularis et simplex essentia, qua sola unusquisque illorum est id quod est, theologica utens speculatione, demonstrat: ut per hoc catholici, qui dicunt, Pater est Deus, Filius est Deus, Spiritus sanctus est Deus, et inde inferunt: igitur Pater, et Filius, et Spiritus sanctus sunt unus Deus, non tres Dii, recte secundum propriam eorum de quibus loquuntur rationem inferre intelligantur. Quasi, in divinis oportebit ipsam intellectualiter inspicere formam, quæ vere forma est. Ac si dicat: Multa sunt quæ vocantur formæ, ut corporum figuræ, et alia quæ in subsistentibus creatione seu concretione fiunt, quibus id cui insunt, aut aliquid est, aut aliquid esse doctrinæ ordine demonstratur; sed hæc omnia per se habent sua ex quibus aliqua ratione deducuntur, aut ad illa spectant principia, ideoque mutuata ab alio, nuncupatione potius quam rationis veritate, formæ nominantur. Essentia vero quæ principium est, omnia creata præcedit, illis omnibus ut esse dicantur impertiens, et a nullo alio ut ipsa sit sumens,

ideoque vero nomine forma, neque imago est ; et cum de ea quis loquens dicit, essentia est, sic debet intelligi : Essentia est illa res quæ est ipsum esse, id est quæ non ab alio hanc mutuat dictionem, et ex qua est esse, id est quæ cæteris omnibus eamdem quadam extrinseca participatione communicat. Non enim de qualibet suæ essentiæ proprietate dicitur est, sed ab eo qui non aliena, sed sua essentia proprie est, ad illud quod creata ab ipso forma aliquid est, et ad ipsam creatam formam, et denique ad omnia quæ de ipsis vere dicuntur (quoniam ex eo tanquam ex principio sunt), dictio ista transumitur, ut de unoquoque divinæ formæ participationem recte dicatur est ; quod non omnino a naturalium ratione diversum est. Namque et in naturalibus omne subsistentium esse ex forma est, id est de quocunque subsistente dicitur est, formæ quam in se habet participatione dicitur. Sicut ex his exemplis potest intelligi. Statua enim dicitur esse statua, non secundum æs, quod ex forma quæ æris est esse ejus est, id est statuæ materia ; sed secundum illam formam qua humano artificio in eo ære animalis effigies insignita est, hoc est, ad designandum, et qualiter potest imaginari similitudine demonstrandum verum animal, cujus imago efficia est. Ipsumque æs dicitur æs, non secundum terram, quod, id est quæ terra ex forma qua terra est, terra est ejus, id est æris materia ; sed potius secundum æris figuram, quæ, cum lapis solvitur calore, in ipso creatur. Terra quoque ipsa dicitur terra, non κατὰ τὴν ὕλην, id est non secundum silvam. Κατὰ namque *secundum*, ὕλη vero *silva* interpretatur : τὴν autem articulus est. Vel non ἀπὸ τῆς ὕλης, id est, non silva. Nam ἀπὸ præpositio *ab* : τῆς (sicut dictum) est articulus : ὕλης *silvæ*. Hæc est illa prima materia quam Pluto receptaculum vocat, in qua, sicut supra commemoravimus, formantur quæcunque recipiuntur ab ea, cum tamen nullam ex eis ipsa contrahat formam, et est omnino informis. De hac igitur ait, quod non secundum eam terra dicitur terra, sed secundum eas, quæ sunt formæ ipsius terræ. Verbi gratia ; secundum siccitatem gravitatemque ipsius. Ex is igitur manifestum est quod nihil omnino secundum materiam, quæ prædicatæ formæ subest, dictione qua illa forma exponitur, esse dicitur ; sed tantum secundum eam ex qua rei proposita est appellatio, rei ipsius propriam formam.

Sed divina, etc.] Quod formam divinam vocaverat esse omnium, ostendit non abhorrere a naturalibus, quorum omnium esse ex forma est. Nunc ad hoc quod cœperat redit, et eam vere unam ex comparatione naturalium, quorum nullum suæ naturæ simplicitate est unum demonstrat. Quasi : Quod unumquodque subsistentium aliquid est, est ex propria forma, quæ inest materiæ ; sed quod eorumdem, vel quorumlibet aliorum unumquodque, non dico naturali vel etiam mathematica speculatione est aliquid, sed theologica dico, simpliciter est ex forma, quæ non est in materia. Quia revera divina substantia est forma sine materia. Nam neque ὕλην, tanquam sui principium, et materiam in qua eam esse necesse sit, habere potest οὐσία principit ; neque sic inest principio, id est Deo, ut posterioris rationis naturas aliquas, vel se componentes, vel sibi adjacentes, habeat in illo, ex quibus ipse sit, et quarum ex causa prioris ad cujus pertineant potestatem materia esse possit. Ipsa enim et principio caret et compositione, nec est quo sit principium ex quo, et per quod, et in quo sunt omnia, nisi ipsa : atque ideo vere est unum, et adeo simplex in se, et sine his quæ adesse possunt solitarium, ut recte de hoc uno dicatur, quod de ipso principio cujus οὐσία est dicitur, scilicet, est id quod est. Sicut enim non est quo Deus sit, nisi simplex atque sola essentia, id est οὐσία, sic non est unde οὐσία ipsa sit, nisi quoniam eo simplex et solus Deus est. Unde etiam usus loquendi est, ut de Deo dicatur, non modo Deus est, verum etiam Deus est ipsa essentia. Recte utique. Si enim de aliquo, qui non modo sapiens, sed etiam coloratus, et magnus, et multa hujusmodi est, ex sapientiæ præ cæteris omnibus abundantia dicitur, tu quantus quantus es, totus es sapientia : tanquam nihil aliud sit quod sibi esse conferat, nisi sola sapientia ; multo proprius Deus, cui diversa non conferunt ut sit, dicitur ipsa essentia, et aliis nominibus, id est, ut Deus est ipsa divinitas sua, ipsa sua sapientia, ipsa sua fortitudo, et hujusmodi alia.

Reliqua enim, etc.] Quasi : Divina substantia est id quod est. Reliqua enim, id est, sive quæ subsistunt, sive quæ in eis sunt, non sunt id quod sunt, scilicet, non est simplex aut solitarium illud unde quodlibet eorum esse aliquid dicitur. Cujuslibet enim subsistentis tota forma substantiæ non simplex est. Atque illorum quæ toti ipsi vel singulis ejus partibus adsunt accidentium, multo numerosior est multitudo, quæ tamen omnia de subsistente dicuntur : ut de aliquo homine tota forma substantiæ, qua ipse est perfectus homo, et omne genus omnisque differentia, ex quibus est ipsa composita, ut corporalitas et animatio, et hujusmodi aliæ, et denique omnia quæ vel toti illi formæ adsunt, ut humanitati risibilitas : vel aliquibus partibus ejus, ut color qui corporalitati, et scientia quæ adest rationalitati, et hujusmodi alia infinita. Ipsorum quoque quæ de subsistente dicuntur, ab efficiendo natura est multiplex. Nam et ea quæ est tota forma substantiæ hominis, non modo ex eo quod ipsa tota eum in quo est facit hominem, sed et ex eo quod alia parte sui eumdem facit animatum, alia sensibilem, alia rationalem, recte dicitur esse aliquid ; et ejus quælibet pars, aut quod parti totive concretum est accidens quodlibet, et communiter cum multis, et dissimiliter a multis, ab efficiendo similiter aut dissimiliter esse aliquid dicitur, ut rationalitas alicujus, et generaliter qualitas, et specialiter rationalitas dicitur, quoniam et eum qualem facit, sicut et quælibet aliæ qualitates ea in quibus sunt faciunt qualia ; et rationalem, sicut et cæteræ rationalitates eos in quibus sunt faciunt rationales. Albedo quoque alicujus et qualem, sicut omnes qualitates ; et coloratum, sicut omnes colores ; et album, sicut omnes aliæ albedines, eum in quo est facit. Et ideo generaliter cum qualitatibus qualitas, cum solis coloribus color dicitur, et cum solis albedinibus specialiter albedo. Atque adeo multa sunt quæ de istis dicuntur, ut sæpe etiam efficiendi ratione a coaccidentibus ad ea quibus coaccidunt, denominativa transumptio fiat, ut linea est longa, albedo est clara. Sic igitur aut non simplex, aut non solitarium est illud unde quodlibet eorum quæ sunt aliquid est. Unumquodque enim eorum, id est, et subsistentium, et subsistentiarum, et eis accidentium, habet esse suum ex his ex quibus est ; et qualiter hoc velit intelligi, videtur explanare, cum ait, id est ex partibus suis. Quod ex quo sensu dicat, diligenter est attendendum. Quoniam, sicut supra, cum de hujus operis qualitate loqueretur, promisit, stylum brevitate contrahit, et intelligentiæ faciem quam verborum novitate velaverat, dicens : Reliqua non sunt id quod sunt, et quia aliquatenus detegere velle videtur, cum ait : Unumquodque enim habet esse suum ex his ex quibus est, sequenti quæ videtur explanatione dicere, qua eam penitus expositurus exspectabatur (ne ipsius dignitas indignis prostituatur), potius obducit, cum addit, id est ex partibus suis. Et quidem pronominis atque nominis infiniti vaga significatio, quorum altero quod vult intelligi quasi demonstrat, altero refert, dicens : Ex his et ex quibus ; etsi animum lectoris in eo quod est esse proprietatis aut generis, certa notatione non figat ; non tamen ab eo avertit. Explanationis vero suppositæ nomen finitum quod dicit, id est ex partibus suis, cum ab eo quod est esse penitus removet. Nihil enim est esse ejus cujus pars est. Esse namque et id quod eo est, nullo prorsus conveniunt genere. Pars autem et id cujus est pars

multis generibus etiam singulariter unum sunt. Imo omne genus partis ejus quod ex ea constat genus esse necesse est. Item quidquid est alicujus esse, aut est tota substantia illius cujus dicitur esse, aut pars ejus quod est tota substantia ; et tota quidem substantia species quæ de eo dicitur est. Pars vero ejus quod est totum esse, genus est aut differentia quæ speciem ipsam constituit. Nulla autem pars ejus cujus est pars species aut genus aut differentia esse potest. Ideoque nulla pars est esse illius cujus est pars. Cum ergo dixerit, unumquodque habet esse suum ex his quibus est, quod recte potest intelligi, scilicet ex specie, quæ est totum esse, et ex genere, et ex differentia, quod etsi non totum, tamen est aliquid esse ; cur, tanquam hoc explanans, supponit, id est ex partibus suis ? Sed videamus sequentia, forsitan per illa melius ex quo hæc dicta sunt sensu patebit. Prosequitur etenim dicens :

Et est hoc atque hoc.] Quod quis interpretans convenienter posset dicere, id est, habet esse ex his diversis, et hæc diversa intelligere, vel diversa genera, vel diversas differentias, vel diversas species, vel genus et differentiam, vel in ipsa quæ genus aut speciem facit unione, numeralem saltem diversitatem attenderet. Sed ipse iterum hæc quæ non sunt esse in explanatione nominans, ait, id est partes suæ. Sive autem partes (quod dicere videtur) sint esse illius quod constat ex eis, sive quid aliud, certum est quod simplex aut solitarium non est. Quod ipse recte sentiens, addit, conjunctæ ; et quod ex hoc sensu addat, aperit dicens : Sed non hoc vel hoc singulariter, id est, non quodlibet solum facit id quod est aliquid sit, imo multa sunt quorum unumquodque hoc facit. Et quæ multa exemplo aperit. In quo simul adverti poterit ex quo sensu cum dixisset, unumquodque habet esse suum ex his ex quibus est, supposuit, id est ex partibus suis ; et item cum dixisset, est hoc atque hoc, subdidit, id est partes suæ. Ait enim, ut cum homo terreus constet ex anima corporeque, hoc est subsistens ex subsistentibus, est idem homo et corpus et anima, id est, eo quod est esse corporis, ex quo compositus est, est etiam ipse corpus, et eo quod est esse animæ, est ipse quoque anima. Et hoc nimirum volebat intelligi cum dicebat, unumquodque est ex partibus suis, et est partes suæ. Qui loquendi usus est sæpe, cum naturaliter inabstracta prout sunt rationalis speculatio concipit. Sic enim dicitur de specie quædam secunda substantia prædicari. Non enim hic intelligendum est de eo quod species est aliquid prædicari, sed de subsistente potius in quo est subsistentia specialis ; nec de eo id quod est secunda substantia, quod scilicet solum subsistens est, quod omnino impossibile est prædicari, sed quæ in eo est subsistentia ; et ad hunc modum plurima dicuntur, ut cum diversa sint esse, et id quod est, alterius nomine posito, non illi sed alteri conveniant quæ dicuntur. Ex hoc itaque consortio dixit, unumquodque habet esse suum ex partibus suis, et est partes suæ : quamvis non ipsas, sed quæ ipsarum sunt esse velit intelligi, id est, subsistentias, quæ illius etiam, quod ex partibus constant, sunt esse. Quidquid enim est esse cujuslibet, partis ejus etiam, quod ex illa parte constat, est esse, et de eo sicut de parte vere dicitur. Quod ex eorum propriis patenter ostenditur. Color enim qui soli adest corporalitati, tam de homine qui constat ex corpore, quam de ipso quod eum constituit corpore, vere prædicatur ; et rationalitas quæ genus spiritum sequitur, et scientia soli rationalitati accommoda, similiter tam de homine qui constat ex spiritu, quam de ipso ex quo constat spiritu, vere dicitur. Non solum enim corpus ex quo constat homo coloratum est, sed et homo ipse qui constat ex eo coloratus est. Et cum homo et corpus ex quo ipse constat diversa sint, adeo quod corpus ex quo homo constat non est homo, non tamen sunt diversa corpora, aut diversa colorata, sed unum, non universalium conformitate, imo singularitate subsistentiæ corpus, et unum accidentis singularitate coloratum. Similiter non solum spiritus ex quo constat homo rationalis aut sciens est, sed et homo qui ex eo constat, rationalis aut sciens est. Cumque homo et spiritus ex quo ipse constat diversi sint, adeo quod spiritus ex quo homo constat non est homo, non tamen sunt diversi spiritus, aut diversi rationales, aut diversi scientes, sed unus, non universalium conformitate, imo subsistentiæ singularitate spiritus, et unius potentiæ singularitate unus rationalis, et unius accidentis singularitate unus sciens. Illa autem dialecticorum maxima propositio per se nota est, qua dicunt : De quocunque prædicatur id quod soli alicui adest proprium, de eodem prædicatur id cujus est proprium. Quoniam igitur color qui soli illi adest unde est corpus quidquid vere dicitur corpus, non modo de hominis illa parte quæ corpus est, sed etiam de homine prædicatur, necesse est ut etiam illud esse corporis, cui soli adest color, id est corporalitas, non modo de hominis illa parte, verum etiam de homine prædicetur. Et quoniam rationalitas quæ soli illi adest unde est spiritus quidquid vere spiritus, et scientia, quæ soli illi adest unde est rationale quidquid recte dicitur rationale, non modo de hominis illa parte quæ spiritus est, sed etiam de homine prædicatur, necesse est ut etiam illa subsistentia spiritus, cui soli rationalitas adest, id est ipsa (si quis eam ita nominare velit) spiritualitas, non modo de hominis illa parte, sed etiam de ipso homine recte prædicetur. Est igitur homo corpus, non ab eo ex quo ipse constat corpore, sed ab illius corporis esse. Est et idem homo spiritus, non ab eo ex quo ipse constat spiritu, sed ab illius spiritus esse. Itaque esse hominis non simplex aut solitarium est. Est enim, sicut dictum est, et corpus ab esse corporis sui, ex quo ipse constat, et anima ab esse animæ suæ, ex qua scilicet ipse constat, non vel corpus tantum vel anima tantum. Putant quidam imperiti ex hoc, quod ait : Non vel corpus vel anima, quod nec etiam dici horum alterum sine altero liceat, id est, quod non sit vera dictio, si quis dicat, homo est corpus, non addens, et anima ; aut si dicat, homo est anima, non addens, et corpus. Opinantes quod ex quo diversa, ut unum componant, conjuncta sunt, esse utriusque adeo sic ex illa conjunctione confusum, ut sicut cum album et nigrum permiscentur, quod ex illis fit nec album nec nigrum dicitur, sed cujusdam alterius coloris ex illa permixtione provenientis : ita quod ex diversis constat, neutrius deinceps suscipiat nomen, sed sit aliquid ex eo quod ex permixtione provenit ; et ex hoc sensu dictum esse, homo est corpus et anima, non quod ipse sit corpus vel anima, sed quod ipse sit quiddam quod provenit ex permixtione quæ ex corporis et animæ conjunctione contingit. Sed quod non semper contingat ex conjunctione confusionis permixtio, in eo libro quem contra hunc errorem Eutychis scribit, satis disputabitur. Hic autem ubi simplex, aut non solitarium, unde unumquodque est aliquid demonstratur, dicimus quod sicut de homine, et conjunctim, homo est coloratus et sapiens, et disjunctim, homo est coloratus, item homo est sapiens, verum est ; ita et conjunctim, homo est corpus et anima, et disjunctim, homo est corpus, et item homo est anima, verum est juxta prædictam dialecticorum regulam : de quocunque prædicatur proprium, et illud cujus est proprium. Ideoque in eo quod ait : non vel hoc vel hoc, et speciuliter non vel corpus vel anima, non ex eo sensu intelligendum est quod una dictio sine alterius additione vera non sit, sed quod nec illud unum nec alterum ad faciendum hominem, de quo etiam solitarie dicitur esse aliquid, solitarium esse non possit. Aliud enim est solitarium esse, aliud solitarium dici. Non enim solitarium esse necesse est,

quod solitarium dicitur : et quod solitarium esse impossibile est, non est impossibile solitarium dici. Et hi quidem qui dictionem utramque dicunt non posse fieri solitariam, in argumentum sui erroris, verisimiliter prædictam albi et nigri confusionem sibi cæterisque minus intelligentibus videntur assumere. Sed illi qui alteram exsufflant, cum recipiant alteram, adeo sine argumento erroris sui garriunt, ut non modo contra veritatem, verum etiam contra se ipsos, hoc dicant. Concedunt namque, homo est corpus, abominantes, homo est anima vel specie. Nec tamen cogitant qua ratione unius partis esse ejus quoque quod ex ea constat sit esse, et de ea prædicari per se possit, cum esse partis alterius neque sit esse ejusdem quod similiter constituit, neque de eo dici possit : præsertim cum et hujus generis, quod de composito prædicari negant, propriam potentiam, id est rationalitatem, et accidentalem affectionem, id est scientiam, de ipso vere affirmari concedant. Nam quod eorum aliqui dicere gestiunt, aliam rationalitatem quam illam quæ est humani spiritus de homine dici, et similiter scientiam aliam, et aliam corporalitatem quam quæ humani corporis est, ita contemnimus, ut tacendo quod contra hoc dici potest omnino prætereamus. Contra illud vero quod nobis opponunt, spiritum hominis esse incorporalem, hominem tamen non esse incorporalem, ac per hoc non esse verum, quidquid de parte affirmatur, de eo quoque quod ex ea compositum est, affirmari, respondemus, cum dicunt, spiritus est incorporalis, negare potius ab eo quod ad generis pertinet potestatem, quam naturam spiritus de ipso affirmare. Omnis enim privatio quod debetur naturaliter, removet. Nec nos dicimus a toto ex necessitate removendum quidquid removetur a parte, sed quidquid de parte naturaliter, idem et de composito affirmandum.

In parte igitur.] Quasi : Homo est et corpus et anima. In parte igitur una non est id quod est in altera, scilicet, aliud numero saltem est esse partis unius, a quo compositum quoque aliquid est, et aliud alterius partis esse, a quo similiter ipsum compositum est, et conjunctim sive disjunctim esse aliquid dicitur. Nec modo substentium ex diversis subsistentibus compositorum, ut est homo vel lapis, verum etiam simplicium, ut est hominis anima, quæ subsistens ex nullis subsistentibus constat, et omnium subsistentiarum, vel affectionum accidentalium, et denique omnium quæ sic sunt ex principio, ut non sint principium, qualiter prædictum est, multa sunt ex quibus unumquodque est aliquid. Ac per hoc vera ratione nullum eorum est id quod est. Quod vero non est ex hoc atque ex hoc, id est non ex diversis, sed tantum est ex hoc, scilicet, cujus est unum solum quod sit, illud vere est id quod est, non aliud ab eo, ut Deus, vel ejus divinitas. Non enim est a divinitate aliud quo Deus sit; nec est unde divinitas ipsa sit, nisi quod ea Deus est ; et quodlibet hoc ita singularitate et simplicitate generis singulariter et simpliciter unum, est pulcherrimum propria summæ dignitatis specie, fortissimumque sua incomparabili potestate. Quod recte de ipso dicitur, quia hoc nullo cujus egeat adminiculo nititur.

Quocirca.] Quasi : Quandoquidem quod tantum hoc vere est id quod est, quocirca hoc vere est unum, et tale unum, in quo nullus est essentiarum numerus, quia nullum in eo aliud esse præterquam id unum quo solus est. Vere : etenim neque eo quod juxta principalem suam essentiam in se aliquid habeat, subjectum fieri potest. Quare? Est enim forma, et quod per hoc recte probaverit illud non posse subjectum esse, per se nota mathematicorum propositione declarat, dicens : Formæ vero subjectæ esse non possunt, id est, juxta aliquam quam in se habeant subsistentiam nullum accidens in se suscipiunt. Nam si quis opponat quod cæteræ formæ, quas mathematica speculatio abstractim attendit, subjectæ sint accidentibus, et hoc etiam exemplo demonstret, dicens : ut humanitas, dicimus verum esse quod dicit, non tamen ex eo sensu quo homo suscipere dicitur. Non enim humanitas ita suscipit accidentia, sicut homo, scilicet eo quod ipsa humanitas ab aliqua subsistentia, quam in se habeat, aliquid est juxta cujus principalitatem ejus in se habeat proprietate quadam accommoda accidentia, sed eo quod ei, scilicet humanitati, subjecta, et per eamdem illorum nuncupata materia, ex ipsa est aliquid, ut quæ illi proprietate dat adesse concretio, cum ipsa possit suscipere. Nam quidquid vero nomine subjectum accidentibus et eorum materia dicitur, oportet ut primum si non tempore, saltem ratione, sit ex aliqua subsistentia, ut per hoc ejusdem habeat propria. Quoniam vero, qualiter dictum est, subsistentia causa est ut id quod per eam est aliquid suis propriis sit subjectum, ipsa quoque per denominationem eisdem subjecta dicitur, et eorumdem materia. Dum enim materia, quæ subsistit subjecta humanitati, id est in se habens humanitatem suscipere in se aliquod, ei accidens ipsa humanitas quodammodo videtur, imo ea quæ fit ab effectu ad causam denominatio, hoc suscipere dicitur. Forma vero quæcunque est sine materia, nec etiam μετωνυμικῶς poterit esse subjectum : nec vero inesse materiæ. Nam etsi contingat ut inesse dicatur, ut sæpe in theologicis scripturis dicitur divinitas inesse Patri, aut ideæ elementis, non tamen ut materiæ. Divinitas enim in Patre dicitur esse, ut essentia in eo qui vere est ; et ideæ in elementis, ut exemplaria in his quæ sunt earumdem imagines. Nam neque ideæ in elementis, neque οὐσία in Patre creatæ subsistentiæ sunt, quibus in ipsis accidentia concreta sint : quorum ex earum causis ipsa sint, et ex effectu illæ dicantur materiæ. Itaque nec Pater aliquorum prorsus, nec elementa ex ideis materiæ sunt accidentium. Ideoque neque οὐσία neque εἰδέαι cognominantur materiæ : et quare forma, quæ est sine materia, non modo non sit, sed nec denominatione cognominetur materia, ostendit dicens : Neque enim esset vero nomine forma, sed potius imago. Recte utique. Ex his enim formis quæ sunt præter materiam, id est ex sinceris substantiis, igne scilicet et aere, et aqua, et terra, non utique his quæ in ὕλῃ habent mutuam concretionem, sed quæ sunt ex silva et intelligibili specie, quæ sunt ideæ sensilium, istæ formæ quæ sunt in materia, et ei quod est esse materiæ advenientes, corpus efficiunt, quadam exempli ab exemplari suo conformativa deductione veneruut. Ac per hoc illæ sinceræ ideæ, id est exemplares, et vero nomine formæ vocantur. Nam cæteras quæ in corporibus sunt vocantes formas, hoc nomine abutimur, dum non ideæ, sed idearum sint εἰνόνες, id est imagines, quod utique nomen eis melius convenit. Assimilantur enim non quidem plena in tota sui substantia, aut in parte suæ substantiæ semiplena substantiali similitudine : quia æternis temporalia nullatenus possunt conferri, sed quadam extra substantiam imitatione his formis quæ non sunt in materia constitutæ, sinceris; scilicet, sicut dictum est, substantiis et æternis ideis.

Nulla igitur, etc.] In præcedentibus cum dixisset, quod non est hoc atque hoc, sed tantum est hoc, illud vere est id quod est, intulit : Quocirca hoc vere unum, in quo nullus numerus, et ad hoc rerum probandum, dixit : Neque enim subjectum fieri potest. Hoc igitur ostenso, iterum infert idem, quasi : Quandoquidem id quod est tantum, hoc neque subjectum est, neque in subjecto, igitur in eo nulla prorsus est ex differenti esse diversitas, nulla ex hac diversitate pluralitas, nulla etiam ex accidentibus multitudo ; atque idcirco nec ille quem diversorum, nec ille quem unius diversum esse, vel diversum accidens, vel esse et accidens, solet facere numerus. Nam diversum saltem numero vel etiam dissimilitudine esse, et ei accidens semper est diversorum, ut hominum non dissimilitudine, sed solo numero diversum est

omne esse. Accidentia vero quædam numero solo : ut duorum alborum, albedo et albedo ; quædam etiam dissimilitudine, ut albi et nigri. Albedo et nigredo diversa sunt ; hominum vero atque equorum plurimum esse et ei accidens non solo numero, sed etiam dissimilitudine diversum est. Unius quoque ut cujuslibet hominis et esse plurimum est, et accidentia plurima ; nec modo numero sub uno genere, verum etiam dissimilitudine aliquorum generum suorum seu omnium inter se diversa : ut animatio, sensibilitas, rationalitas, colores, lineæ, et hujusmodi. Deus vero a Deo, id est Filius et Spiritus sanctus a Patre, vel Spiritus sanctus a Filio, nullo horum differt. Quod ideo dico, ne Deus et Deus distent, id est distare intelligantur, aliquibus positis in Deo tanquam in subjecto : scilicet ne intelligantur distare differentiis cujuslibet rationis, hoc est vel accidentibus vel substantialibus : quas quoniam sicut et accidentia alicujus certi generis potestati ratio proprietatis addicit, in eodem in quo genus ipsum est, tanquam in subjecto esse dicuntur, quamvis et ipsæ, quia id quod est totum esse constituunt, in subjecto esse recte negentur. Nam quod in Patre nec plurales essentiæ, nec pluralia accidentia, nec accidens cum essentia sint, nullus ignorat, qui qua ratione Pater id quod est esse dicatur, non nescit. Idem et de Filio ejus, et de utrorumque Spiritu intelligi convenit. Ubicunque vero, id est, sive in uno sive in multis, nulla est vel essentiæ et essentiæ, vel accidentis et accidentis, vel essentiæ et accidentis differentia, nulla est omnino unde vel illud unum vel illa multa intelligantur esse pluralitas. Quare nec aliquis eorum quæ vel illi uni vel illis multis esse quod sunt conferant numerus. Igitur tam multorum quam unius unitas essentiæ, id est una essentia tantum, qua vel Pater, vel ejus Filius, vel amborum Spiritus est, et est unum, et est id quod est, qua etiam simul et æqualiter ipsi, et sunt, et sunt unum, et sunt id quod sunt. Essentia namque illorum quæ Græce οὐσία dicitur, et essentia est, et singularis est, et simplex est. Ideoque et horum quilibet per se et omnes simul dicuntur, et esse, et esse unum, et esse id quod sunt. Nec moveat aliquem quod sicut in naturalibus cum tres sint, Plato, Aristoteles, Cicero, et juxta illorum numerum trina sit hominis nuncupatio, quoniam et Plato est homo, et Aristoteles est homo, et Cicero est homo, et hæc trina nuncupatio in quemdam sub eodem nomine numerum componatur, secundum quem recte Plato, Aristoteles, Cicero, tres homines esse dicuntur : non tamen similiter (quamvis sint tres) Pater, Filius, Spiritus sanctus, et juxta horum numerum actu dicendi, trina sit nuncupatio Dei, quoniam et Pater est Deus, et Filius est Deus, et Spiritus sanctus est Deus ; non, inquam, trina hæc nuncupatio componi potest in aliquem sub hoc nomine numerum, ut scilicet recte dici possit, Pater, Filius, Spiritus sanctus, sint tres Dii. Nam quod de his ter dicitur homo, propter formarum, quæ de illis in uno nomine dicuntur, diversitatem, singulares quæ per se factæ sunt appellationes aggregantur in numerum, ut quoniam unusquisque a sua quæ non est alterius subsistentia dicitur homo, ipsi simul dicantur esse tres homines. Et quamvis ratione significationis illius qua nomen quodlibet appellativum quale aliquid significare dicitur, repetitio ejusdem nominis fiat, rerum tamen eodem nomine est prædicata numeralis diversitas. Quod vero tertio repetitur hoc nomen, quod est Deus, cum et Pater nuncupatur Deus, et Filius nuncupatur Deus, et Spiritus sanctus nuncupatur Deus, sicut nominis ratione significandi, sic et rei illius, ex qua horum quisque dicitur Deus, ratione propositi repetitio fit. Ideoque isti quod ex repetitione videntur tres unitates, non facient pluralitatem numeri, id est numeralem pluralitatem, in eo quod ipsi sunt sicut videntur esse tres. Non enim vere sunt tres. Quod nimirum ex comparatione intelligere possumus, si scilicet advertamus ad res numerabiles, id est ad ea ex quorum diversitate solet numerus esse, ac non advertamus ad ipsum numerationis, quare ipsa aut imitatione multitudo exponitur, numerum. Illic enim, id est numerationis expositione, sæpe quidem diversitas rerum multarum, quandoque vero unius tantum repetitio, quemdam quasi diversarum unitatum numerum facit. In eo autem qui non imitatione dicitur numero, sed rerum vera ex proprietatibus diversitate in rebus ipsis ex illa diversitate numerabilibus constat, illam, quæ vere est, numerosam diversitatem rerum vere numerabilium minime facit unius repetitio, quæ fit tanquam multarum unitatum numeratio, atque tanquam ex rerum diversitate pluralitas. Quasi : Sed potius rerum diversa proprietas numerosam facit diversitatem rerum. Ex his igitur apparet, quod cum numerando dicimus, unus, unus, unus, vel homo, homo, homo, vel hujusmodi, aut eo intellectu diversarum proprietatum quarum semper comes est diversitas unitatum, hoc dicimus, aut unius repetitione quæ numerum imitatur.

Numerus enim duplex est, id est loquendi usu dupliciter dicimur : unus quidem numeratio, quo scilicet numeramus ; alter vero, etc.] Dicendo unus et alter, non vult intelligi eum quo numeramus ab eo qui in rebus numerabilibus constat, rei proprietate semper esse diversum. Eo namque numeramus qui in rebus numerabilibus constat. Sed ideo dicunt unus et alter, quoniam alia ratio est numerum rebus inesse, alia res ipsas numero numerare. Numerationis quoque diversi modi, fit enim numeratio quandoque distributione, quandoque collectione. Nam et qui dividit numerat, unde numerus dicitur quorumlibet diversorum ex diversis inter se proprietatibus multitudo ; et qui colligit numerat, unde numerus dicitur quantitatis acervus atque unitatum collectio. Distributione numeramus, cum dicimus unus, unus ; et hoc duobus modis, scilicet vel unitatis ipsius, vel ejus quod ab ipsa unum est significatione. Unitatis ipsius significatione cum ipso ejus nomine plusquam semel dicimus, unus, unus, vel unitas, unitas ; ejus vero significatione, quod ab ipsa unitate unum est ; vel diversa penitus unumquodque tantum semel dicimus ; vel quæ significandi ratione sunt eadem dicimus plusquam semel, et penitus quidem diversa numeramus ; vel cum dicimus homo, beryllus, in quibus tam ea quæ sunt, quam ea ex quibus sunt distributione numerata intelliguntur ; vel cum dicimus homo albus, ubi non qui est homo vel albus, sed ipsa quæ est homo singularis humanitas, et singularis albedo, qua idem est albus, numerata sunt. Quæ vero significandi ratione eadem sunt, plusquam semel dicendo numeramus distributione. Vel ea quæ vere est sicut dicitur distributio : ut cum de Platone et Cicerone loquentes dicimus, homo, homo, numerantes tam illos qui sunt quam diversas humanitates, ab altera quarum alter, et alter ab altera dicitur homo. Vel ea quæ non vere est, sed quadam imitatione dicitur distributio. Ut cum unum solum quod est, et unum solum unde illud est. Verbi gratia : Ciceronem et ejus singularem aliquam proprietatem intelligentes, dicimus uno nomine, homo, homo : vel diversis, Marcus Tullius Cicero : et ensis, gladius, mucro ; aut diversa quæ supra, unde tamen unum sunt intelligendo : ut cum dicimus album, album, loquendo de corpore ex quo constat homo, et de homine ipso qui constat ex eo. Item rationale, rationale, loquendo et de spiritu hominis, et de homine qui constat ex eo. Hæc autem quæ non vere est, sed imitatione dicitur distributio, vero nomine iteratio vocatur, seu repetitio. Collectione vero numeramus, cum uno nomine simul et semel dicimus, vel plures unitates, ut duo ; vel plura una, ut homines, qua semper et ea quæ sunt, et ea ex quibus sunt, sub uno illorum nomine, vel naturaliter communi, vel multiplici numerantur : et hæc quidem quæ collectione fit numeratio, ex distributionis partibus constat. Sed et hujus [F. hoc] diligenter est attendendum. Nam partes illius distri-

butionis quæ numerantur tam nominibus quam proprietatibus diversa, et ea quæ sunt, et ea ex quibus sunt, ut homo beryllus; vel qua non id quod est, sed ea ex quibus est, ut homo albus; vel partes illius quæ imitatione dicitur distributio, nulla cujuslibet propositi nominis pluralitate collectio numerat. In illis enim duabus diversitas absque unione, in hac tertia unitas absque diversitate collectionis numerationem fieri non permittit. Itaque relinquuntur collectioni partes illius distributionis, qua illa quæ significandi ratione eadem sunt plusquam semel dicendo, ut de diversis homo, homo, tam ea quæ sunt, quam ea ex quibus sunt numeramus. Quæ igitur duabus prioribus re et nomine diversa distribuuntur, unum scilicet et aliud unum, non facit collectio duo aliquid, et quod tertia repetitur bis unum, non est nisi unum: sed quæ sub eodem nomine quarta distribuuntur, vere propter rerum quæ sunt, et ex quibus sunt, proprietatem diversam, unum et aliud unum, et propter ejusdem nominis significationem eamdem, bis unum, duo aliquid sunt, ut homo homo, homines duo. Sic igitur numerus unus et idem est, et qui in rebus est, et quo numeramus, vel colligendo, vel distribuendo, vel veri nominis distributione, vel repetitione. Sed quoniam, sicut prædictum est, alia ratio est in rebus ipsis numerum consistendi, alia res ipsas eodem numerandi, recte dividens ait: Unus quidem est quo numeramus, alter vero qui in rebus numerabilibus constat, vere diversus ab his in quibus est. Etenim quod est unum, res est unitati subjecta, cui scilicet vel ipsa unitas inest, ut albo; vel adest, ut albedini. Unitas vero est id quo ipsum cui inest, et ipsum cui adest, dicimus unum: ut album unum, albedo una. Rursus ea quæ dicimus esse duo in rebus sunt, id est, res sunt dualitati similiter subjectæ, quæ duæ sunt: ut homines duo, vel lapides duo. Dualitas vero nihil est, id est, non est aliquid cui vel adsit vel insit dualitas, quia nihil ei aut inesse aut adesse potest, sed tantum est dualitas qua duo homines vel duo lapides fiunt duo. Sicut enim qualitate, non ipsa, sed subjectum cujus ipsa, quale est: ita quantitate non ipsa, sed quod ei subjectum est, quantum est. Ideoque non unitas ipsa, sed quod ei subjectum est, unum est; nec dualitas ipsa, sed quod ei subjectum est, recte dicitur duo. Quamvis tropo quo nomen effectus ad causam transumitur, unitas ipsa una, et dualitas ipsa, id est unitas et unitas, duo dicatur; et eodem modo est in cæteris numeris, id est ternario et quaternario, et deinceps. Nam vere omnis numerus non numeri ipsius, sed rerum sibi suppositarum est numerus, quas, sicut sæpe jam diximus, vel collectione, quæ semper vere pluralitatis est, et eorum quæ sunt, et eorum ex quibus sunt, numeramus; vel distributione, quæ non semper. Ergo in numero qui dicitur numeratio, quo scilicet numeramus, sæpe, sicut prædictum est, repetitio unius quasi multarum unitatum eam quæ sola imitatione dicitur pluralitatem facit. In rerum vero numero qui vere est ex ipsarum rerum proprietate diversa, non repetitio unius quæ est, quasi sit unitatum multarum, pluralitatem facit: ut si de eodem in vocis materia, non in rerum significatione diversis nominibus dicam, gladius unus, mucro unus, ensis unus: et recte præmisi, si de eodem dicam. Quoniam enim hoc quodlibet nomen naturaliter est commune multorum, et quæ sunt, et ex quibus sunt, possunt quidem ex intellectu diversorum hæc eadem aut diversa proferri, tamen ex intellectu unius dici: eo quod potest unus singularis gladius, et ab una singulari natura tot vocum diversitate vocabulis appellatus, agnosci. Hæc enim quæ forte diversarum unitatum putari potest numeratio, non est numeratio multarum, sed potius est unius tantum iteratio. Et repetit idem exemplum, dicens: Velut si ex intellectu unius tantum, et quod est, et quo est, ita dicamus voce diversis nominibus, ensis, mucro, gladius, repetitio est quædam ejusdem, non numeratio diversorum; et alio exemplo, quo tam vox quam significatio eadem est, idem ostendit dicens: Velut si communem naturaliter appellationem usu contrahens, ad unum ex illius tantum intellectu dicam, sol, sol, sol, non eorum quæ sunt, et eorum quibus sunt pluralitate tres soles numeratione effecerim, sed tantum de uno quod est, et tantum unum quo est repetitione toties idem ter prædicaverim.

Non igitur, etc.] Ab exemplis infert, quasi: Dicendo diversis non significatione sed voce nominibus, ensis, mucro, gladius; et uno tam voce quam significatione nomine: sol, sol, sol, non facit numerum prædicatio repetitione trina. Similiter ergo si et de Patre, ac de Filio ejus, et de amborum Spiritu sancto tertio prædicetur Deus, non idcirco trina hæc prædicatio prædicatorum numerum facit. Hoc enim, id est hoc numero rerum, hoc nomine quod est Deus, prædicatarum trina prædicatio illis solis, ut prædictum est, imminet, id est, esse videtur, qui inter eos, id est, Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum, sua opinione faciunt quamdam distantiam meritorum, quibus Patrem Filio, et Filium Spiritu sancto majorem esse dicunt. Catholicis nihil vero constituentibus hac differentia meritorum, id est non continentibus ex hac, quæ ab aliis fingitur, meritorum diversitate, prædicatorum hoc nomine quod est Deus, diversitatem, ipsamque prædictam formam ponentibus esse, ut ipsa est, id est, unam singulariter esse, neque esse aliud quam est ipsum quod est, id est, omnino simplicem οὐσίαν esse opinantibus, esse recte videtur de eodem prædicato facta repetitio, potius quam diversi prædicati enumeratio, cum dicitur, Pater est Deus, Filius est Deus, Spiritus sanctus est Deus. Non enim diversæ essentiæ his tribus propositionibus prædicatæ sunt. Atque hæc trinitatis, id est hi tres quibusdam proprietatibus a se invicem diversi, sunt singulariter et simpliciter unus Deus: velus ensis, atque mucro, una singulari prædicata nominum qualitate unus singulariter gladius. Item velut sol, sol, sol, una singulari forma, unus sol.

Sed hoc interim, etc.] Hucusque singularem ac simplicem Patris et Filii et Spiritus amborum essentiam qua unusquisque illorum et est, et Deus est, et tres sunt unus Deus, theologicis rationibus ostendit. Nunc diversis proprietatibus esse diversos eosdem, quorum non nisi singularis ac simplex est essentia, naturalium rationibus demonstrare vult. Quæ illorum in hac unitate diversitas, ut aliquatenus possit intelligi, genera naturalium prædicamentorum omnia commemorat, et quæ, et qualiter de creaturis, et de Deo dicantur, præmittit. Attendendum vero quam artificiose transit ad eorumdem ostendendam diversitatem, quorum unitatem ostenderat, occasione videlicet exemplorum quæ ad intelligendam unitatem induxerat. Dixerat enim: Cum dicitur Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus sanctus, repetitio de eodem magis quam enumeratio diversi videtur: et ne quis dubitaret, multivoci atque univoci comparatione firmaverat, dicens: Velut ensis, mucro, gladius; velut sol, sol, sol. Sed in his tam ejus quod est quam ejus quo est repetitio facta est. Cum vero dicitur Deus, Deus, Deus, primum de Patre, secundum de Filio, tertium de Spiritu sancto: quod et ipse aperit, dicens: Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus sanctus, eorum quidem qui sunt Deus numeratio facta est, ejus vero quo sunt Deus, repetitio. Sed hoc divisione melius intelligetur. In naturalibus enim aliud est quod est, aliud quo est. Item aliud numeratio, aliud iteratio. His igitur sibi invicem junctis, quatuor partium divisio nascitur. Nam vocum dictione, aut utraque scilicet, et quæ sunt, et quibus sunt numerantur, aut utraque repetuntur; aut repetuntur quæ sunt, sed numerantur quibus sunt; aut numerantur quæ sunt, sed repetuntur quibus sunt. Utraque numerantur sæpe diversis nominibus, ut homo, lapis; sæpe eodem, ut de Platone et Cicerone, homo, homo, vel homines. Utraque repetuntur sæ-

pe diversis nominibus propriis, ut Marcus, Tullius, Cicero : vel appellativis, ut ensis, gladius, mucro ; sæpe eodem proprio, ut Cicero, Cicero ; vel appellativo, ut sol, sol. Repetuntur vero quæ sunt, sed numerantur quibus sunt, ut si quis de uno homine (verbi gratia) de Platone dicat, animal rationale. Numerantur autem quæ sunt, sed repetuntur quibus sunt, ut si quis de diversis, verbi gratia, de anima hominis et de homine qui constat ex ea, dicat rationale rationale. His ita divisis, si quis horum aliquid ex aliorum comparatione volens intelligi, dicat animal rationale, numeratio est, sicut homo, lapis, recte dicit : nam etsi tam ea quæ sunt quam ea quibus sunt numerantur, cum dicitur homo, lapis ; cum vero dicitur animal rationale, non quidem id quod est, sed ea quibus est numerantur : non minus tamen similitudo comparationis in his propter quæ fit comparatio manet. Vere etenim his duobus nominibus, quibus dicitur animal rationale, ea quibus unum aliquod est numerata sunt, sicut illis duobus, quibus dicitur homo, lapis, et ea quæ sunt, et ea quibus sunt, numerata sunt. Item recte comparat, qui ait : Sicut numeratio est cum de Platone et Cicerone dicitur homo, homo, vel de solo Platone, animal rationale : ita numeratio est, cum dicitur rationalis anima, rationalis homo. Nam etsi non id quo sunt, id est rationalitas, tamen ea quæ sunt, id est anima et homo, numerata sunt quodammodo, cum dicitur de diversis homo, homo, tam ea quæ sunt quam ea quibus sunt, et cum de uno dicitur animal rationale, sola ea quibus illud est numerantur. Similiter si quis repetitionis comparatione repetitionem velit intelligi, recte quodlibet trium prædictorum generum repetendi comparat, sive ejusdem sive alterius generis repetitioni, id est, si ei quod tantum repetit id quo est, ut rationalis anima, rationalis homo, comparet ; vel id quod ejusdem rationis aliquid repetit, scilicet id quo est, ut longum corpus hominis, longus hamo ; vel id quod diverse rationis, scilicet id quod est, ut animal rationale : vel et ejusdem et diversæ, id est utrumque tam id quod est quam id quo est, ut Cicero, Cicero. Erraut tamen aliqui in comparationibus, imo ex comparationibus, cum aut si quid in eis est dissimile, illas omnino abjiciendas existimant, aut in his propter quæ non sit illarum inductio, easdem usurpant, ut Sabelliani, qui cum audiunt unius substantiæ tres esse personas, et propter eam quæ ex illarum proprietatibus est diversitatem, aut æqualitatem, aut comparationem, aut coæternitatem, aut processionem ostendendam, inductas similitudines legunt, scilicet : vel unius animæ mentem, notitiam, amorem ; vel unius mentis memoriam, intelligentiam, voluntatem ; vel unius radii splendorem et calorem, vel hujusmodi alias, putant, quod sicut unus solus est radius, de quo dicuntur calor et splendor ; aut una sola est mens, de qua et memoria, et intelligentia, et voluntas ; aut una sola anima, de qua et mens, et notitia, et amor : ita quoque unus solus subsistens sit, qui cum sit natura Deus, idem ipse personalibus proprietatibus sit et Pater, et Filius, et Spiritus sanctus. Quos hic ipse error patenter ostendit omnino nescire hujus nominis, quod est substantia, multiplicem in naturalibus usum, videlicet, non modo id quod est, verum etiam id quo est, hoc nomine nuncupari, et prorsus ignorare qua ratione dicatur personalis quæcunque sic appellatur alicujus proprietas, et quod eadem alia ratione singularis, alia individua, alia personalis vocetur, quæ suo loco distinguenda posterius reservamus. Nunc tamen interim de comparationum inductionibus, qualiter sint accipiendæ, et de Sabellianorum, qui ex comparationibus, et hujus nominis, quod est substantia, multiplicitate contingere potuit, errore, commemoravimus : ne quis eos secutus ex multivoci, quod est ensis, mucro, gladius, aut univoci, quod est sol, sol, sol, comparationibus, quibus et quod est, et quo est, id est, et subsistens et subsistentia iterata significa- A tione repetitur, in eo quod de Patre, et Filio, et amborum Spiritu, dicitur Deus, Deus, Deus, subsistentis unius putet esse factam repetitionem ; sed tantummodo subsistentiæ, quæ de diversis, id est, Patre, et Filio, et ipsorum Spiritu, una et individua prædicatur, cujus tantum repetitionem ex comparationibus se voluisse intelligi, et hac de causa comparationes induxisse, auctor ipse aperit, dicens : Sed hoc quod inducimus, ensis, mucro, gladius, et sol, sol, sol, interim, cum scilicet nondum quibus proprietatibus diversi, sed quo unum sunt, Pater, et ejus Filius, et amborum Spiritus, vestigamus, dictum sit, id est, dictum esse accipiatur, ad eam significationem demonstrationemque, id est ad demonstrativam significationem, qua non modo verbis significatur, sed etiam comparationum proportione ostenditur, non omnem, quæ significatione sit unitatum repetitionem, rerum ipsarum diversitate numerum pluralitatemque, id est, vere numerosam pluralitatem perficere. Non vero ita dicitur aliquod unum, et B ab aliquo uno, Pater, ac Filius, ac Spiritus sanctus, quasi quiddam multivocum : imo hæc diversorum et ex diversis sunt nomina. Nam mucro, et ensis, et idem gladius est subsistentiæ singularitate, et ipsa proprietate. Pater vero, ac Filius, ac Spiritus sanctus, idem sunt : ita verbo plurali quod est *sunt*, de Patre, et Filio, et Spiritu sancto, qui numero plures sunt, deberet eam qua ipsi sunt quod sunt essentiam prædicare : quoniam non quod dicitur, sed de quo dicitur, juxta grammaticorum regulam, est verbi persona. Ideoque cum de uno dictio est, verbo singulari sive unum sive multa dicuntur : ut Plato est homo, vel Plato homo est albus. Cum vero multorum enumerationem sequitur dictio, verbo plurali de illis tam unum quam plura enuntiantur : ut Plato et Cicero sunt rationales, et Plato et ejus spiritus sunt unum rationale. Sic igitur quoniam enumeratio hæc, Pater, ac Filius, ac Spiritus sanctus, dictionem præcesserat, sequi debuit, idem sunt. Quia C tamen una singularis et individua est essentia, qua illi plures sunt idem, verbi numerum non suppositorum pluralitati, sed illius quæ de ipsis dicitur essentiæ referens unitati, ut non tam verbi ex essentia, quam essentiæ ex verbo singularitas intelligeretur, ait : Pater ac Filius ac Spiritus sanctus idem equidem est, οὐσίας, id est essentiæ, quæ de ipsis vere dicitur, singularitate ; non vero est ipse, scilicet non est his subjecta nominibus ὑπόστασις una, id est subsistens unus et solus, una et solitaria proprietate, qui et Pater, et Filius, et Spiritus sanctus sit diversa ratione. Non enim Pater et Filius et Spiritus sanctus sunt ὁμοϋπόστατοι, sed ὁμοούσιοι, videlicet non unius subsistentis vel essentis, sed unius subsistentiæ vel essentiæ. Quod autem dico non unius subsistentis vel essentis, non ideo dico, quod velim intelligi illos tres unum subsistentem vel essentem non esse, nam vere sunt unus subsistens vel essens, una quæ D sunt οὐσίᾳ ; sed quod nunquam de aliquo illorum sit ea quæ de alio prædicatur personalis proprietas. Unde supponit : In qua re, id est, an de uno solo hæc diversa dicantur, paulisper ex catholicorum auctoritate considerandum est. Aliquibus enim requirentibus a catholicis, an ipse est Pater qui est Filius, inquiunt catholici : Minime ipse est Pater qui et Filius. Rursus aliquibus requirentibus ab eisdem catholicis an alter illorum sit idem, non dico singularitate, quod alter, sed subsistentis unius proprietate, qui alter, negatur ab eis. Ex hoc igitur manifestum est quod non in omni re est inter eos indifferentia. Quamvis enim in eo quo sunt, id est essentia, quæ de illis prædicatur, sit eorum indifferentia, est tamen ipsorum per quædam, quæ de uno dici non possunt, ideoque quæ de diversis dici necesse est, differentia. Quare, scilicet secundum eorum diversitatem, subintrat eorum de quibus illa dicuntur numerus : ut qui unius essentiæ singularitate quæ de ipsis dicitur sunt unum, diversis, quas de uno dici

non convenit, proprietatibus, plures numero sint. Quem numerum confici, id est probari ex subjectorum sive subsistentium dicas, sive subsistentiarum inter se substantialiter conformium, illa quam dissimilitudo accidentium facit diversitate, superius, cum de naturalium numerali ageremus pluralitate, explanatum est. De qua re, id est de illorum numero, qui una singulari ac simplici, et ab omnibus illis quæ priorum potestatem posteriora comitantur, solitaria essentia sunt singulariter ac simpliciter unus et tantummodo Deus, breviter considerabimus, si priusquam hoc consideremus, præmiserimus illud, quemadmodum unumquodque quod de Deo dicitur, et de ipso prædicatur.

Decem, etc.] Hic commemerandum est, quod cum facultates secundum genera rerum de quibus in ipsis agitur diversæ sint, id est, naturalis, mathematica, theologica, civilis, rationalis : una tamen est, scilicet naturalis, quæ in humanæ locutionis usu promptior est, et in transferendorum sermonum proportionibus prior. Nam, verbi gratia, quantum et quale in naturalibus recte dicuntur : ut quantus et qualis homo vel lapis ; hæc eadem ab ipsis naturalibus, proportionis alicujus habita ratione, ad cætera transferuntur : ut dicatur et in mathematicis quanta et qualis linea, et in theologicis quantus et qualis Deus, et in civilibus quanta et qualis præpositura, et in rationalibus quanta et qualis honestas. Similiter etiam illa quæ sunt a rationibus naturalium : ut contrarium dicitur primum et proprie in naturalibus album nigro ; deinde in mathematicis albedo nigridini, et in theologicis aut civilibus malum bono ; et in rationalibus falsum vero. Et ad hunc modum plurima naturalium propria, sumpta ex ipsis proportionis aliqua ratione, ad alia transferuntur. Hunc igitur verborum usum philosophus iste non modo ex quotidiana omnium hominum locutione, verum etiam ex scripturarum quæ a diligentissimis atque probatissimis viris editæ sunt, auctoritate accipiens, cum ostendisset secundum quid Pater, et ejus Filius, et amborum Spiritus, unum sunt, et dicturus esset secundum quæ ipsi, qui sine numero sunt unus, plures etiam numero sunt, quoniam et id secundum quod unum sunt, et ea secundum quæ sunt plures de ipsis prædicantur, recte omnium genera naturalium prædicamentorum enumerat ; et quæ ex quo sensu, vel de subsistentibus, vel de Deo dicantur, divisione declarat. Ait ergo : Traduntur a philosophis, maxime ab Aristarcho et Aristotele, prædicamenta numero suorum generum decem omnino, præter quæ scilicet in nulla facultate aliquid prædicatur, et quæ de rebus omnibus universaliter, id est, nullo de quo aliquid dici conveniat excepto, vel proprie vel transumptione aliqua prædicantur ; et quæ illa sint, supponit.

Id est substantia, etc.] Hoc nomen quod est substantia non a genere naturalium, sed a communi ratione omnium quæ sunt esse subsistentium, inditum est, non solum illis quæ sunt esse in subsistentiis, sed etiam illis quorum ipsæ sunt esse in omnibus subsistentibus. Quoniam tamen omnium, id est et corporalium et incorporalium subsistentium, quod ab illorum subsistentia communi generalissimum esse nomen non habetur, sæpe Latini hoc pro eo ponunt. Unde et in Isagogi Porphyrius, ubi ait : Substantia est quiddam, supponit, et ipsa est genus. Quem iste sequitur : pro omnium subsistentium generalissimo, ait, substantia. Qualitas vero in mathematicis omnium qualitatum generalissimum est, et quantitas omnium quantitatum. Et sunt quod dicuntur, non a causis quæ in ipsis intelligantur, sed ab efficiendo ea in quibus sunt subsistentia, ille quidem qualis, iste vero quanta. Et attendendum quod si dixisset quale et quantum, non minus convenientia posuisset exempla. Qualitas enim et quale etsi diversa sunt, non tamen diversa genera. Similiter quantitas et quantum. Unde et reliqua genera, non mathematicæ abstractionis, sed naturalis participationis nominibus exemplat. Non enim ait, relatio, sed ad aliquid, quod de relatione dici non potest. Nulla namque relatio, sed id tantum de quo ipsa prædicatur, ad aliquid est : sicut nulla qualitas qualis est, sed id tantum de quo dicitur ipsa ; ipsa, inquam, non ejus genus ; de quocunque enim aliquid prædicatur, impossibile est genus ejusdem prædicari. Ideoque qualitas est qualitas genere cujuslibet qualitatis, quale vero est quale qualitate cujuslibet generis. Ac per hoc nullum quale qualitas est, et nulla qualitas qualis. Similiter nullum quod est ad aliquid relatio est, et nulla relatio est ad aliquid. Sed, sicut dictum est, id de quo ipsa dicitur, est ad aliquid, id est relatum. Ipsa vero est relatio, non relatum, et tamen idem genus relatio et relatum. Ubi quoque et quando, et habere, et situm esse, et facere, et pati, nomina sunt generalissima, non eorum quæ prædicantur, sed eorum de quibus prædicantur. Ideoque a prædicamentis generum, non a generibus prædicamentorum dicuntur. Non enim in loco locus est, nec in tempore tempus, nec habet habitus, nec sistitur situs, nec facit actio, nec patitur passio ; sed quæ subjecta sunt eis, dicuntur ex ipsis, et in loco, et in tempore esse, et habere, et sisti, et facere, et pati.

Hæc igitur, etc.] Prædicamentorum omnium decem genera posuit, nunc eadem non dico genera, sed prædicamenta omnia, in duobus locis naturalium colligit, quæ sunt, substantia et accidens. Quidquid hoc est subsistentium esse, eorumdem substantia dicitur. Quod utique sunt omnium subsistentium speciales subsistentiæ, et omnes ex quibus hæ compositæ sunt, scilicet, eorumdem subsistentium, per quas ipsa sibi conformia sunt, generales, et omnes per quas ipsa dissimilia sunt, differentiales. Hæc vero quæ a logicis dicuntur subsistentiæ sive substantiæ, si quis quærat quid sint apud mathematicos genere, respondemus, simplices quidem alicui novem generum supponi, ut animatio supponitur habitui, rationalitas qualitati ; compositas vero, ut est humanitas, et cæteræ speciales, quas ex generalibus atque differentialibus constare nullus ignorat, dicimus esse eorumdem generum quorum simplices illæ sunt quæ ipsas componunt : ut humanitas genere est quod animatio, et item quod rationalitas ; et similiter secundum cæteras sui partes est eadem quidquid sunt ipsæ. Et sic quidem aliqua prædicamentorum, quæ abstractio mathematica suis supponit generibus, logici subsistentias sive substantias appellant, cætera vero omnia quorumlibet generum, accidentia nominant. Sed quoniam hæc ex logica ratione prædicamentorum nomine sunt, attendendum est, quorum substantiæ sint illa prædicamenta quæ dicuntur substantiæ, et quorum sint accidentia illa quæ vocantur accidentia ; et dicimus quod subsistentiæ, et eorum quorum sunt esse dicuntur substantiæ, ut corporalitas omnium corporum est substantia (scilicet eorum est illud esse quo unumquodque ipsorum est aliquid), et eorum quæ cum non sint aliquorum esse, tamen id quod est esse sequuntur : ut eadem corporalitas colorum substantia est, non scilicet eo quod ipsa sit illud esse colorum, quo quilibet illorum sit aliquid, sed quod nisi per eam nullus color dici de corpore possit. Accidentia vero de illis quidem substantiis quæ ex esse sunt, aliquid dicuntur, sive in eis creata, sive extrinsecus affixa sint, sed eis tantum quæ esse sunt, accidunt, quia illis recte non inesse, sed adesse dicuntur. Unde his duobus omnium prædicamentorum locis naturalium, id est substantiæ et accidenti, ipsa prædicamenta auctor supponens, ait : Hæc igitur prædicamenta talia sunt relationibus logicæ facultatis, qualia illa subjecta de quibus ea convenit dici permiserint. Nam pars eorum prædicamentorum est loco rationis substantia, non modo in subsistentium suppositione, qua quorum sint esse manifestatur, ut Plato est corpus ; verum etiam in reliquarum rerum prædicatione, qua quid adsit ei quod est esse complexionis consequentia declaratur : ut corpus est co-

loratum. Pars vero prædicamentorum loco rationis est in numero accidentium : scilicet cum de subsistentibus dicantur, tamen eorum subsistentias comitantur. Et sic quidem naturalium genere quæcunque prædicantur naturalium propriis rationibus, subsistentiæ vel accidentia nominantur. At cum quis converterit hæc prædicamenta in divinam prædicationem, cum scilicet de Deo prædicari dicantur, sive substantiæ, sive qualitates, etc., cuncta quæ prædicari possunt imitantur ; id est, quamvis quod de Deo prædicatur nominatur substantia, vel qualitas, vel quantitas, vel aliquo naturalium nomine appelletur, non tamen est quod dicitur, sed aliqua rationis proportione ita nominatur ; ad aliquid vero, id est relatio, non omnino, id est nequaquam sicut id quo Deus est, potest de ipso prædicari.

Nam substantia.] Quasi : Vere quæ de Deo prædicantur, non sunt quod nominantur. Nam quæ vocatur ejus substantia, in illo quidem de quo prædicatur est, sed non in eo vere est substantia, id est, non ea veritate rationis qua dicitur substantia quodlibet illud esse, quo subsistens est aliquid, est substantia quod in eo est, sed aliqua rationis proportione vocatur substantia. Verbi gratia, corpus est aliquid, id est, est corpus et coloratum et lineatum. Sed quo sit corpus, quo coloratum, quo lineatum, dividendum est ; et est quidem corporalitate corpus, coloratum colore, linea lineatum. Sed adhuc dividendum est, quibus hæc rationum locis contineantur ; et dicimus quod non corporalitas colorem aut lineam, sed color et linea corporalitatem sequuntur. Non enim hæc corporalitatis, sed horum corporalitas causa est. Qua ratione illa corporis est esse, hæc vero in eodem corpore illi adsunt. Ideoque primum illa, deinde quod ea corpus est, vera ratione est horum substantia. Hæc vero primum corporalitas, et per eam corporis accidentia : his enim vere substat, et corporalitas cui adsunt, et corpus cui insunt, id vero quod est Deus, quod est, non modo in se simplex est, sed etiam ab his quæ adesse subsistentiis solent, ita solitarium est, ut præter id unum proprietate, singulare dissimilitudine individuum, quo est, aliud aliquid quo esse intelligatur prorsus non habeat, ideoque nec ipsum, nec quo Deus est subjectionis ratione aliquibus substat. Quapropter nequaquam rationis proprietate vocatur substantia, sed quoniam eo Deus proprie est, recte nominatur essentia. Quia tamen non est tanta dictionum copia, ut quæque suis possint nominibus designari (sicut prædiximus), humanæ locutionis usus ab aliis, et maxime a naturalibus, ad alias facultates, ex aliqua rationis proportione, nomina transfert. Ut quoniam, sicut dicimus, corpus, album magnum, corpus substantia, album qualitate, magnum quantitate ; ita quoque dicimus Deus, justus, maximus : quasi dictum sit, Deus substantia, justus qualitate, maximus quantitate ; dicimus nomina, cum substantia Deum, qualitate justum, quantitate maximum nominamus, cum tamen nihil horum rationis aut generis proprietate, sed tantum proportionali transumptione dicamus. Quod igitur in illo substantiam nominamus, non est subjectionis ratione quod dicitur, sed ultra omnem quæ accidentibus est subjecta substantiam est essentia, absque omnibus quæ possunt accidere solitaria omnino. Item qualitas, et cætera quæ evenire queunt, ut quantitates non sunt in Deo quod vocantur. Quorum omnium ut fiat amplior intellectus, exempla subdenda sunt : quæ sunt hujusmodi, nam cum sive de Patre, sive de Filio, sive de amborum Spiritu loquentes, dicimus Deus, videmur eam, qua horum trium quilibet est, significare substantiam, et significamus quidem, sed non eam quæ illius sit rationis cujus sunt quæ in naturalium genere appellantur hoc nomine, imo eam quæ sit principalis et æterna essentia, ultra omnem naturalium quæ ex tempore initium habet substantiam. Cum vero de quolibet eorum dicimus justus, qualitatem significare A videmur, et qualitatem quidem vocamus id quo justus dicitur ; sed tamen non ratione mathematicorum accidentem, sed potius eam quæ sit substantia, non quidem subjectionis ratione, sed, sicut prædictum est, ultra eam quæ a subjectione vocatur substantiam.

Neque enim.] Quasi : Vere non qualitate, sed qua dictum est substantia, de illorum quolibet dicimus justus. Neque enim aliud est quod ipse est, aliud est quod justus est. Videlicet non est aliud quo justus, ab eo quo ipse est, sed potius idem est Deo esse, quo justo : scilicet eodem quo est, justus est. Item cum dicitur magnus vel maximus, per hoc quod magnitudo quantitatis propria est, quantitatem significare videmur : et significamus quidem, sed non accidentem, imo eam quæ sit ipsa substantia, utique talis qualem esse diximus, scilicet ultra substantiam. Vere utique. Idem enim est esse Deo, quod magno, id est, quilibet horum trium, eodem quo est, magnus est.

De forma enim, etc.] Quasi : Quod in eo qualitas B sive quantitas vocatur, non est quod dicitur, sed illa quam diximus singularis, et simplex, ac solitaria ab omnibus quæ accidere solent essentia ; et sic rectissime vocatur quidquid in eo quasi post substantiam tanquam forma diversa ab eadem substantia prædicatur. Superius enim hoc idem demonstratum est de forma ejus, quoniam scilicet is, id est Deus, sit vera forma, et ejus singularitate unum vere, et adeo simplex in se, et ab his quæ solent adesse solitarium, quod nec ex ejus partibus, nec ex illis accidentibus est ejus, qui propter hoc est id quod est, nulla pluralitas.

Sed hæc, etc.] Quasi : Substantiæ, qualitates, quantitates dicuntur, quæ prædicantur sive de subsistentibus his, seu de Deo. Sed diligenter attendendum est, quod alio sensu quam cæterorum generum prædicamenta de ipsis dicuntur. Nam hæc prædicamenta talia sunt, ut ex his de quibus prædicantur insint, et ut etiam illud ipsum in quo sunt faciant C esse quod dicuntur. In cæteris quidem, quæ non sunt Deus, divise, id est, ut prædicando multa quibus est ia de quo loquimur, ita partiatur, ut unum prædicando, alia plurima, quæ de ipso prædicari possunt, relinquat. In Deo vero conjuncte atque copulate, hoc est, ut prædicatio quælibet, sive qua substantiam, sive qua qualitatem, sive qua quantitatem dicimus prædicatam, nihil quo sit is de quo loquimur, prædicandum dimittat : hoc modo : nam cum dicimus aliquid est substantia, aut aliquid est homo vel Deus, hoc ita dicitur, quasi ipsum de quo hæc vel illa prædicatur substantia, sit substantia, id est eum de quo dicitur faciat esse quod dicitur, scilicet faciat ut illud sit substantia, hoc est, sit homo vel Deus. Quod utique facit. Sed quamvis dicendi modus idem sit, cum de aliquo dicitur est homo, et de aliquo dicitur est Deus, sensu tamen ex quo dicitur, alterum dictorum ab altero distat. Quoniam scilicet is qui prædicatur esse homo, quamvis sit homo, non tamen est integre hoc ipsum quod prædicatur homo, id est non toto quo D est prædicatur esse quod est in eo quod dicitur homo esse ; sed qui hoc de aliquo dicit, plurima, quibus idem ipse est, de ipso adhuc dicenda, id est qualitates, quibus est qualis, et quantitates, quibus est quantus, relinquit. Ac per hoc nec in eo quod dicitur esse substantia plene prædicatur totum quo est. Quod enim est cum eo quo est, hoc aliis debet quæ non sunt homo, id est quæ nequaquam prædicat qui dicit est homo. Ille vero de quo dicitur est Deus, est perfecte hoc ipsum quod dicitur esse, scilicet Deus, id est nihil prorsus quo ipse sit de ipso adhuc dicendum relinquit. Ipse enim nihil aliud est prorsus, nisi id solum singulare et simplex quod ipse est. Nihil scilicet quo ipse sit habet, nisi singularem simplicemque essentiam. Ea namque et est, et Deus est. Ac per hoc, quia videlicet qui de illo dicit est Deus, nil quo ipse sit dimisit, recte potest dici quod ille est hoc ipsum solum quod prædicatur esse, cum de ipso dicitur est Deus : et hoc quidem sensu, prædi-

camentum quod nominatur substantia, sive de Deo, sive de cæteris prædicatur. Rursus cum aliquis dicitur esse justus, eo quod in mathematicis est qualitas genere, ita, id est hoc sensu dicitur, quasi ipse de quo hæc qualitas prædicatur, sit vera essendi ratione hoc quod esse dicitur. Idem verbi gratia : si dicamus homo est justus, vel Deus est justus, proponimus ipsum esse hominem vel Deum : non extrinseca rei minime inhærentis ipsi de quo eam prædicamus participatione, sed vere esse justos. Sed quamvis in hoc sensu rei vera essendi ratione, et de homine, et de Deo prædicatæ proprio utraque conveniat, differt tamen una ab alia ; in eo quod altera nulla, altera plurima, quibus illud de quo loquimur vere esse prædicari potest, dimittit. Cum enim dicitur, est homo justus, non dicitur esse justus toto quo ipse est, sed divise justitia sola dicitur esse justus. A qua non modo sui proprietate, verum etiam specie atque genere multa diversa sunt, quibus idem eadem ratione est, ut forma ipsa, qua homo est. Nam vere, ut novis loquar verbis, alter homo, alter est justus, id est aliud est id quod est homo, aliud id quo est justus. Cum vero dicitur, Deus est justus, toto eo quo ipse est dicitur esse justus. Nec aliquid prorsus quo ipse sit dictio hæc dimittit. Nam Deus, idem ipsum est quod est justum, id est eodem quo est Deus, est justus. Dicitur etiam esse magnus idem homo vel Deus ; atque ita, id est hoc sensu dicitur uterque esse magnus, quasi ipse homo sit vera ratione essendi magnus ; vel quasi ipse Deus vera ratione essendi sit magnus. Sed sicut de qualitate atque substantia dictum est, differt hæc dictio ab ea in hoc quod eorum quibus homo est divisio sit, cum dicitur, homo est magnus. Hæc enim propositione non toto quo ipse est et dicitur magnus esse, sed multis aliis dimissis, quibus similiter est, proponitur homo tantum esse magnus. Illa vero qua proponitur Deus magnus, nihil quo Deus sit dimittit : quoniam Deus ipsum magnus existit, id est eodem est magnus quo Deus : et hæc quidem, id est substantiæ, qualitates, quantitates, sunt talia, quibus vere sunt quæcunque his esse proponuntur, ideoque recte de ipsis prædicari dicuntur. Reliqua vero septem generum accidentia, neque de Deo, neque de cæteris vera essendi ratione prædicantur. Nam ubi, id est locus potest quidem prædicari, vel de homine, vel de Deo ; de homine, ut cum dicimus, homo est in foro ; de Deo, ut cum dicimus, Deus est ubique. Sed ita dicitur vel homo esse in foro, vel Deus esse ubique, ut quamvis in prædicando ea dicatur est, non tamen ita dicatur quasi ipsa res de qua dicitur sit id, id est habeat esse eo quod prædicatur. Nam est quidem quidquid in loco est : sed tamen illud esse in loco, non est esse, quomodo quod est quale vel quantum est, et esse quale vel quantum est esse ; ut homo, qui est albus, vel longus est, et eum esse album vel longum est esse. Sed esse in foro, non est esse, quamvis qui in foro est, vere sit. Non enim ita, id est eo vere essendi sensu dicitur, homo est in foro, quemadmodum, id est, quo vere essendi sensu dicitur idem esse vel albus vel longus. Nam cum dicitur esse in foro, intelligitur quidem circumfusus et determinatus ; nec tamen hoc esse quasi ex proprietate aliqua, qua possit secundum se designari, id est sine exeunte et ad aliud extra se facta collatione sui monstrari : sicut absque sui ad alterum comparatione per se designatur esse humana forma homo, qualitate corporis albus, quantitate ejusdem corporis quæ vocatur linea, longus. Econtra quod dicitur circumfusus et determinatus, id eo quod dicitur esse in foro, non per se dicitur, sed collatione sui ad illa quibus extra se circumdatus continetur, et offendens in ea suorum finibus intervallorum, determinatur. Quod tamen, id est esse in foro, extrinsecis scilicet circumfusus et determinatus minime prædicaretur, si non prius suis esset per se proprietatibus informatus. Sic igitur per hoc quod dicitur homo esse in foro, nequaquam homini inhærens, qua ipse vere sit, proprietas, grammaticorum vel dialecticorum propria significatione, notatur : sed per hanc prædicationem hoc tantum, quod per naturam oportet esse, prius ex consortio consequentis ostenditur, scilicet quod illud quod circumfusum et determinatum per esse in foro dicitur, rebus aliis quam sint circumfusio vel determinatio, vere sit informatum ; et hoc quidem sensu, locus de homine prædicatur : de Deo vero non ita, id est hoc sensu. Nam quod dicitur Deus ubique est, ita, id est hoc sensu dici videtur, scilicet non quo sit in omni loco, id est quod circumfusus contineatur, aut offendens in aliqua exteriora intervallaris ejus protensio terminetur. Omnino enim ex hoc circumfusionis atque determinationis sensu in loco esse dici non potest. Sed hoc sensu dicitur esse ubique, quod omnis quorumlibet locus ei adsit, ad eum intra se sine termino capiendum, cum ipse tamen, non tanquam circumfusus, aut exterioribus terminatus, suscipiatur in aliquorum extra positorum loco. Atque ideo, quia scilicet, nec circumfusis aliis extra se circumpositus, nec suorum quasi spatiorum finibus determinatus est, nusquam ut in loco esse dicitur, quoniam revera ubique totus est, sed, sicut dictum est, non ut in loco. Quando vero, id est, illud quod non quantitatum genere, sed ex ipsorum quæ quantitates sunt collatione dicitur tempus, prædicatur eodem modo quo et ille qui non genere quantitatum, sed eorum qui sunt quantitates sibi invicem collatione facta, dicitur locus : ut de homine dicitur, heri venit ; de Deo dicitur, semper est. Nam hic quoque, sicut et in prædicatione loci, illud ipsum de quo dicitur hesternus adventus, non hac dictione dicitur vera essendi ratione, quasi esse aliquid (quamvis illud cujus est herternus adventus multis quæ de illo per se dicuntur sit aliquid), sed potius hac dictione prædicatur quid aliud ei, facta collatione quadam extrinsecus secundum tempus, et tempus suum, scilicet secundum adventum, et illius secundum aliquid quod tunc vere de eo poterat dici, accessit. Ut sit sensus, verbi gratia : Heri dum sol ascendebat, homo venit, vel hujusmodi aliud. Atque ad hunc modum aliud alicui, secundum tempus et tempus idem vel diversum, confertur. Quod vero de Deo dicitur semper est, usu quidem quo de naturalibus hoc philosophi prædicant, significat unum tantum. Nam de quocunque naturalium dicitur semper est, ità intelligitur quasi dicatur : Quod omni præterito fuerit, omni et præsenti est, quoquo scilicet modo illud quodlibet præsens sit, omnique similiter futuro erit, id est, dum fuerunt quæque cætera, et dum quælibet sunt, et dum quælibet erunt, et fuit, et est, et erit. Ex his potest intelligi, cum in naturalibus, et in mathematicis, et etiam in pluribus aliis dicitur, erit, fuit, vel hodie est, vel cras erit, vel semper est, neque absolutam, neque simplicem esse intelligentiam. Intelligitur enim diversorum temporum collatio atque collectio. Nam qui dicit de aliquo, heri fuit album, tempus quo illud heri fuisse album prædicat, nullis quidem instantibus, nullis futuris, nec omnibus præteritis, sed his tantum temporibus confert, quibus vel idem secundum alia, vel quæcunque cætera secundum quælibet intra ejusdem diei finem atque initium, sive simul, sive succedendo aliis alia fuerunt hesterna. Qui vero dicit de aliquo, hodie est album, tempus quo id hodie albere proponit, nullis quidem præteritis, nullis futuris comparat ; sed solis tamen omnibus his temporibus, quibus vel idem secundum alia, vel quæcunque alia secundum quælibet sunt hodierna. Similiter qui dicit de quolibet, cras erit album, omnium aliorum et ejusdem secundum cætera, quibus erunt, crastina colligens tempora, cras erit album, significat. In his ergo collationibus confert ejus tempus quod dicendo non omnium, sed multorum tempora colliguntur, quibus aliud aliquod tempus confertur. Nihil enim in quolibet rerum genere sibi ipsi potest conferri : unde si dicatur, Plato sedet dum sedet, ridiculum est. Qui autem, exceptis tribus quæ philosophi ponunt princi-

piis, id est, οὐσία, εἰδέα, ὕλη, de aliquo dicit semper est, universorum quæ fuerunt, et sunt, et futura sunt, universa tempora colligere : scilicet et illa omnia quibus vel fuit, vel est, vel erit, quod semper esse proponit ; et aliorum omnium nomina, quibus quocunque modo vel fuerunt, vel sunt, vel futura sunt, et his illa confert dicendo, semper est. Cum enim, sive præteritorum inter se, vel cum cæteris, sive præsentium, sive futurorum, similiter facta collatio, multa colligendo plura relinquit : ut cum dicitur heri, hodie, cras, pridie, perendie, horno, ante, post, nunc, olim, modo ; et si quod aliud est, quod proprie vel præsens, vel præteritum, vel futurum, vel communiter horum quodlibet significetur, collatio hæc qua dicitur nunquam, vel semper est, sicut dictum est, omnino nullum relinquens, omnium omnia tempora colligit. Unde recte ait :

Quod cum dicitur aliquid semper esse, significatur quod omni præterito, etc.] Quod, id est, semper esse ex hoc collationis atque collectionis sensu, potest secundum philosophos dici, et de cœlo et de cæteris corporibus perpetuitate sui motus immortalibus. Cujuslibet enim illorum id quo est aliquid nequaquam est solitarium : imo sunt in quolibet illorum diversa, non modo proprietatibus, verum etiam generibus : quorum aliquibus decedentibus alia succedunt, ac per hoc temporum diversitate, et esse, et moveri dicuntur. Nam juxta numerum rerum quæ durant temporibus, ipsorum quoque quibus durant, est temporum numerus : quorum tamen aliqua decedentium et succedentium continuatione, vel simul essendi consortio uniuntur, ac per hoc multa tempora unum tempus, id est, unus annus, unus mensis, unus dies, una hora, unum momentum dicuntur. At de Deo non ita dicitur, semper est, et intelligitur quidem collatio atque collectio, sed differt. Nam in cæteris quæ dicuntur semper esse, tempora temporibus conferuntur. In hoc vero æternitas temporibus. Deus enim est quod est, non mora temporis, sed æternitatis. Cætera vero quæ quolibet modo sibi invicem adunantur, scilicet vel intrinseco concretionis, vel extrinseco cujuslibet appositionis habitu, moris temporum, quas diversorum diversis habitibus diversas ipse horum omnium auctor accommodat, durant. Excedit etiam omnia tempora hæc æternitatis Dei ad illa facta collectio. Dicitur enim Deus semper esse, non modo quia fuit omni præterito, est omni præsenti, erit omni futuro ; verum etiam ante et post omnia tempora, vel et actu et natura, vel saltem natura temporalium. Nam omne quod fuit, vel est, vel erit, essendi initium vel habuit, vel habet, vel habebit ; finem vero quantum ad actum quidem non omnia, sed quantum ad naturam, et ad illius quo auctore sunt potestatem, omnia habent. Æque etenim universa subjecta ejus potestati sunt, ut scilicet, sicut quæcunque non fuerunt, possunt fuisse, et quæcunque non sunt, vel non erunt, possunt esse ; ita etiam quæcunque fuerunt, possunt non fuisse, et quæcunque sunt vel erunt, possunt non esse. Naturaliter enim nullum intervallum unus simpliciter terminat finis. Unde et intervallum vocatur, quod scilicet diversis interjacens terminis, eorum pluralitate vallet. Sic enim et γραμμή, hoc est linea diversis punctis ; et ἐμιστολή, hoc est diversis superficies γραμμαῖς ; et στερεόν, hoc est solidum diversis ἐπιπέδοις, et interjacens vallatur, et vallatum interjacet. Similiter ergo, quoniam æterna lege naturæ sancitum est, ut constet genitum nihil, temporum quoque intervalla non uno, sed diversis terminantur, essendi videlicet naturali statione atque inchoatione. Quidquid enim mora temporis non dico actualiter, sed naturaliter durat, naturaliter et inchoat, et est, et desinit. Quod vero mora æternitatis durat, sicut non actu, ita nec natura incipit, vel desinit esse. Ideoque nec intervallum potest vocari, et sine aliquorum decedentium et succedentium motu, est omni temporali intervallo protensior. Cum ergo semper esse dicitur Deus, esse quidem οὐσία, semper vero æternitate, intelligitur æternitatis cum temporibus hoc sensu facta collatio, ut hac dictione, quæ est semper, dictum accipiatur eum fuisse non modo dum fuerunt, quæ fuisse dicuntur, verum sine aliqua vel actuali, vel naturali inchoatione, antequam fuerint et esse dum quæque præsentia sunt, vel actu, vel saltem natura ; et futurum esse non modo dum erunt, quæ futura sunt, sed etiam sine actuali vel naturali termino : potius quam sive actu, sive saltem natura non erunt. Et sic quidem excedit tempora æternitatis, ad ipsa, dictione quæ de Deo dicitur, semper facta collatio. Collectio vero omnia quibus vel fuerunt, vel sunt, vel futura sunt, vel actu, vel natura, universorum tempora colligit ; qui ad ipsa consortio collationis respiciens, ait : Deus semper est. Sed quoniam non sunt multa, vel simul, vel decedentium, vel succedentium continuatione, quibus Deus sit, nulla est etiam multitudo morarum quibus illud esse quod significamus cum dicimus Deus est, duret. Ideoque qui dicit, Deus semper est, quamvis eorum quibus confert temporalium morarum infinitam multitudinem colligat, multitudinem tamen illarum quibus duret illud quod confert (quia nulla est), nullatenus colligere potest. Deus enim semper est, quoniam semper quod cum temporalibus temporalia conferuntur, utrorumque collatorum tempora colligit : hic ubi æternus temporalibus confertur, in eis quidem, quibus confertur, diversitas præteritorum, et præsentium, et futurorum omnium collecta intelligitur. In eo autem quo confertur, quamvis ipse fuisse, esse, futurus esse dicatur, quia tamen eadem, et singulari, et simplici mora æternitatis intelligitur fuisse, et futurus esse, qua hoc instanti esse, absque cujuslibet diversitatis collectione præsentis est temporis ; utque apertius ex comparatione intelligatur quod dicitur, inter nostrarum, id est temporalium rerum ac divinarum præsens, quod utrumque est, nunc idem significatur, hac dictione, qua dicitur nunc, tantum interest, quod nostrum nunc, id est quorumlibet naturalium instans, facit rerum naturali saltem decessione et successione, vel earum quæ actu non moventur cum illis quæ actu moventur consortio, quasi currens tempus, et collectione diversarum inter se morarum sempiternitatem. Divinum vero nunc, id est instans, quod significatur cum dicitur Deus nunc est : vere permanens, neque ulla rei qua intelligitur Deus esse, actuali vel naturali decessione et successione movens sese, atque ita consistens, quod et cum dicitur Deus fuit, Deus erit, eadem singulari mora fuisse, et futurus esse proponitur : quæ, cum dicitur Deus est, cogitatur, æternitatem facit. Non enim ejus qoo fuisse dicitur abscessu, vel ejus quo futurus esse proponitur accessu, sed ejus quo dicitur esse permanentia, sicut esse, ita fuisse ut futurus esse pronuntiatur. Ac per hoc sicut est una singularis, et individua, et simplex, et solitaria essentia, qua æternus ipse fuit, est, erit Deus : ita est una, singularis, et individua, et simplex, et solitaria mora, quæ vocatur æternitas, qua Deus ipse fuit, est, et erit æternus. Ipse namque et est, et est Deus, et æternus. Sed et est, et est Deus, essentia. Est vero æternus mora. Et sic quidem hoc nomine quod est nunc, cum dicitur, Deus est nunc, una tantum singularis intelligitur mora, quæ vocatur æternitas, qua etiam sine principio fuisse, et sine fine futurus prædicatur. Cum vero de aliquo temporali proponitur, ut homo nunc est, vel cœlum nunc est (quoniam hæc non uno tantum, sed pluribus, vel simul, vel decedentium et succedentium naturali saltem motu sunt), non est tantum una, sed plures moræ, quarum sæpe aut diversæ simul, aut quandoque una, quandoque alia est, quibus vel qua illud quodlibet nunc esse pronuntiatur, nunc eadem sæpe, sed alia fuisse, alia futurum esse. Cui nomini, scilicet nunc, quod hoc, de quo dictum est æternitatis unius de Deo, temporum multorum de temporalibus sensu dicitur (si loquendo de tempora-

libus adjiciasemper), facies hanc propositionem, ejus quod est nunc illarum morarum, quæ subsunt hoc nomine locutionum vicissitudo commutat, omnium decedentium et succedentium, motu quasi cursum quemdam jugem, sine intermissione, indefessumque, sine terminatione, ac per hoc perpetuum, quadam æternitatis imitatione : quod, id est, quæ cursus perpetuitas, collectione morarum quibus sit motus, est vero nomine sempiternitas. Differt tamen a perpetuitate, quoniam hoc nomine quod est perpetuitas intelligitur sine collatione collectio; hoc vero, quod est sempiternitas, cum collectione; collatio æternitatis autem nomine neutrum, id est, neque collatio neque collectio. Sicut enim prædictum est, una singulari, et individua et simplici, et solitaria mora quæ vocatur æternitas, Deus prædicatur proprie æternus : hæc et sine principio, et decisione et continuatione ideo carere dicitur, quia Deus ea qua fuit, et est, et erit, essentia simplici, nec actu, nec natura desinit esse, vel cœpit ; pro hac tamen perpetuitas et sempiternitas, quoniam utraque sui cursus interminabilitate eam quæ sine motu est interminabilem instantiam æternitatis imitatur, sæpe ponitur, cum scilicet Deus perpetuus ac sempiternus vocatur.

Rursus, etc.] Quod nulla res sit aliquid, vel loco quo homo, et hujusmodi alia esse alicubi, et Deus ubique esse dicitur ; vel tempore quo homo, et hujusmodi quodlibet esse aliquando, et Deus semper esse pronuntiatur, hucusque dixit. Nunc de habitu et actione idem dicit ita : Rursus, habere et facere, id est habitus et actio, eodem modo quo locus et tempus de Deo et aliis prædicantur. Verbi gratia etenim de homine dicimus, prædicando habitum, vestitus ; prædicando actionem, currit. De Deo vero, prædicando habitum, cuncta possidens, et prædicando actionem, regit. Ecce quod his verbis, rursus quasi prout de eo loco et tempore diximus, nihil de utrisque, id est neque de homine neque de Deo dictum est : ita quod dictio intelligenda sit de eo quod est esse, id est ex hoc sensu, quod vestitum esse, vel currere hominem, sit ipsum aliquid esse ; et quod Deum possidere cuncta vel regere, sit eum aliquid esse ; quamvis qui vestitus est vel currit, sit aliquid, et qui cuncta possidet vel regit, aliquid sit. Sed omnis hæc habituum atque actionum prædicatio exterioribus datur. Utque hoc aliis verbis dicatur : Hæc omnia, id est et habitus et actiones, de quibus nunc loquimur, et loca et tempora, de quibus prædiximus, quodammodo referuntur ad aliud, id est aliis quam his quibus quodlibet subsistens est aliquid, putat mens rationalis aliquod subsistentium, vel esse alicubi, vel esse aliquando, facere aliquid ; et Deum vel ubique, vel semper esse, vel possidere vel regere quæ possidet aut regit. Nam etsi quis naturalem habitum cogitet, quem multi philosophi dixerunt esse substantiam, et ejus vel accessu generationem, vel abscessu corruptionem contingere : ut animatum, manutum, capitatum, et hujusmodi, nec eo etiam id cujus ad aliud concursu vocatur habitus, esse aliquid intelligitur. Nam etsi esse hominem, quod est esse, aliquid confert, vel aufert partim animatum, partim capitatum, partim manutum, minime tamen vel corpus, cui conjungitur anima ; vel truncus humani corporis, cui conjungitur caput ; vel lacertus, cui conjungitur manus, et quorum concursu in homine quodlibet prædictorum dicitur habitus, hac junctura est aliquid. Quod est autem ex alterius ad alterum concursu in eo qui constat ex eis, ipse qui constat hæc habere dicatur, ut animatus ab habendo junctam corpori animam, et capitatus ab habendo junctum trunco humani corporis caput, et manutus ab habendo manum junctam lacerto : ex his patet, quæ toto aliquo ita sunt aliquid, ut non sit aliqua pars eorum, ad quam solam, dum illorum quidlibet eo toto esse aliquid cogitat, intuitu mentis aspiciat. Ut si quis animam spiritum esse cogitet, nequaquam hoc cogitando hoc eam esse secundum aliquam ejusdem partem existimat. Unde manifestum est quod ipsa non ab habende in se spiritum, spiritus est ; similiter et homo non ab habendo in se hominem, homo est. Sic ergo prædicatio alia est, qua vere inhærens inhærere prædicatur ; alia quæ quamvis forma inhærentium fiat, tamen ita exterioribus datur, ut ea nihil alicui inhærere intelligatur. Cujus prædicationis differentiam, quod scilicet alia sit inhærentium, alia non inhærentium, sic idem conductis in unum utrisque jam positis exemplis, facilius internoscimus. Attende quod non ait noscimus, sed internoscimus. Nam in oppositis, et maxime illis quæ ut ad aliquid, aut ut habitus et privatio, aut ut affirmatio et negotio opponuntur, quoniam unius ratio quodammodo pendet ex altero, et vicissitudine nunc hoc, nunc illud attendenti facilius contingit utriusque cognitio, et manifestius patet differentia, si utriusque in sui ad se comparationem propositis, ab uno eorum aliquid removetur, ut alteri conferatur; aut uni confertur, ut ab altero removeatur. Ut in his, qui homo est ; ut Plato, vel Cicero, vel Typhon ; vel qui Deus est, ut Pater, vel Filius, vel Spiritus sanctus. Quod dicitur illorum quilibet esse homo, vel illorum quilibet esse Deus, refertur ad substantiam, non quæ est, sed qua est, id est, non ad subsistentem, sed ad subsistentiam. Non enim subsistens tantum, sed etiam subsistentia appellatur substantia, eo quod utraque accidentibus, diversis tamen rationibus substant. Subsistens igitur est substantia, non qua aliqua rerum est aliquid : nihil enim subsistente est aliquid, sed est illa substantia quæ est aliquid. Subsistentia vero est substantia, non cui quid nitatur, quo ipsa aliquid sit, sed qua solum subsistens est aliquid, id est, est homo, vel est Deus, ut quilibet illorum prænominatorum. Similiter qui justus est, hoc quod dicitur esse justus, refertur ad qualitatem, id est intelligitur esse justus qualitate, non quæ aliquo sibi nitente sit aliquid, sed qua scilicet subsistens, cui ipsa nititur, est aliquid, id est, vera ratione essendi est justus. Eodem modo qui est magnus, hoc quod dicitur esse magnus, refertur ad quantitatem, non quæ alio quolibet aliquid sit, sed qua subsistens, cui nititur ipsa, est aliquid, id est vera essendi ratione est magnus : quod secundum quantitates spatiorum, id est linearum, superficierum, soliditatum, intelligitur esse. Nihil enim vel puncto, vel unitate, vel numero, vel loco, vel tempore magnum est. Hæc ergo sunt, id est, subsistentiæ, qualitates, quantitates, spatiorum quibus solis subsistens esse aliquid prædicatur. Nam in cæteris, id est cæterorum prædicationibus, nihil tale est, id est nullo aliorum, hoc est, neque quantitatibus illis, quibus nihil est magnum, neque aliorum generum prædicamentis subsistens est aliquid. Etenim, verbi gratia, qui dicit aliquem in foro esse, ut hominem ; vel esse ubique, ut Deum, refert quidem ad prædicamentum quod est ubi, id est loco, qui ex collatione solet accipi accidente, hoc esse intelligit; sed non quo loco aliquis ille, id est, vel homo, quem esse in foro ; vel Deus, quem esse ubi dicit, vera essendi ratione est aliquid, velut vere est justus, justitia. Item cum dico, currit homo, vel regit Deus, vel homo nunc est, vel Deus semper est, refertur quidem vel ad facere, ut currit, et regit ; vel ad tempus, ut nunc, et semper. Sed tamen illud divinum tempus, id est æternitas simplex, interim, dum scilicet quod cogitamus propriæ significationis verbis explanare non possumus, et aliqua proportionis ratione verba transferimus, potest dici semper, quod verbum non modo ex collationis, sed etiam collectionis dicitur sensu. Sed non ; quasi : refertur quidem *currit* et *regit* ad *facere*, *nunc* et *semper* ad *tempus* ; quoniam actione currit vel regit, tempore nunc vel semper est. Sed non quo aliquo istorum, id est, vel cursu homo, vel regimine Deus, vel tempore homo, vel Deus, est aliquid, velut uterque ipsorum est magnitudine aliquid, id est magnus. Similiter habitus nulli eorum

quorum concursu dicitur habitus, esse aliquid confert : de quo id non recapitulat, ubi, exempli gratia, cætera de quibus magis videbatur rememorat. De relatione idem inferius latius dicturus est. Situs quoque et passio illis de quibus prædicantur, non confertur aliquid esse, quoniam ipsis et maxime Deo non insunt : nam situm passionemque requiri in Deo non oportet ; neque enim in Deo sunt, sicut nec in cæteris subsistentibus.

Jamne, etc.] Hucusque prædicationum differentiam exemplis prædicamentorum diversi generis demonstravit, unde generaliter concludit prædicationes differre aliis verbis, eamdem differentiam replicans. Ait ergo : Jamne patet, his quæ posita sunt exemplis, quæ sit omnium prædicationum differentia ? Quasi : Patet utique hoc, quod scilicet aliæ quidem earum quasi monstrant rem, id est, esse quidlibet eo quo est ; aliæ vero non rem, id est, non esse quidquam eo quo est, sed quasi quasdam circumstantias rei. Loca, tempora, actiones, passiones, habitus, situs, recte vocat rei circumstantias : quoniam quamvis esse in loco, vel in tempore, non sit esse aliquid, tamen nihil est in loco vel in tempore, nisi ipsum sit aliquid. Similiter quamvis agere, vel pati, vel habere, vel sisti, non sit esse aliquid, tamen quidquid agit, vel patitur, vel habet, vel situm est, est aliquid. Quoniam ergo nihil est loco, nec tempore nec actione, nec passione, nec habitu, nec situ, tamen ea de quibus hæc prædicantur sunt subsistentiis et qualitatibus omnia, aliqua vero etiam intervallorum suorum quantitatibus, patet quod hæ tres prædicationes rem, illæ vero rei circumstantias demonstrant, quodque illa tria ita prædicantur, ut rem subsistentem eis esse aliquid ostendant. Illa vero alia prædicantur quidem, sed non ita ut rem subsistentem eis esse aliquid ostendant, sed potius extrinsecus, id est ex aliorum collationibus, et diversæ rationis consortiis accommodatum aliquid quodammodo affigant. Non igitur hæc secundum rem, sed recte extrinsecus comparatæ prædicationes dicuntur. Illa vero quæ id de quo dicuntur, id est subsistens, designant, non aliis e regione, sed se ipsis prædicatis esse aliquid, vocantur secundum rem prædicationes, quæ secundum rem prædicationes, cum dicuntur de rebus causa suarum subsistentiarum, quibus in illis adsunt sibi subjectis, vocantur quidem accidentia, eo quod rerum illarum subsistentiis adsunt ; sed tamen secundum rem, eo quod ipsis subsistentibus ipsa quoque insunt, et eadem esse aliquid faciunt. Cum vero dicuntur de Deo, qui quoniam simplex est, non est accidenti subjectus, nuncupatur prædicatio, non modo secundum rem, verum etiam secundum substantiam illius de qua dicitur rei.

Age nunc, etc.] Hucusque prædicamenta secundum diversas prædicandi rationes divisit ; nunc secundum quam harum rationum relationes prædicentur, ostendit. Ait ergo : Age nunc speculemur de relativis, id est videamus qua ratione prædicantur relationes de his quæ referuntur per eas. Ipsæ namque sunt pro quibus, id est, ut qualiter ipsæ prædicantur intelligatur, omne quod dictum est de prædicamentorum atque prædicandi diversitate, sumpsimus ad disputationem ; et dicimus relationes de his quæ per eas referuntur relativis relationis nominibus sic prædicari, qualiter loca, et tempora, et cætera quæ prædiximus rei circumstantias, et extrinsecus afugi, scilicet his de quibus prædicantur minime conferre ut aliquid sint : quamvis quidquid eis refertur non esse aliquid non possit. Maxime enim hæc, id est relativa, non videntur facere prædicationem secundum se, id est, nullo eorum sic prædicatur relatio, ut id de quo prædicatur, ea esse aliquid intelligatur : quippe quæ perspicue ex alieno adventu constare perspiciuntur. Recte ait, et ex alieno et constare. Nam vera diffinitione non secundum se, sed potius aliorum ; nec modo dicuntur, sed etiam quæcunque *ad aliquid sunt*. Age enim quoniam dominus et servus relativa nomina sunt, quibus de his quæ ad aliquid sunt relationes prædicantur, videamus utrumne prædicatio eorum ita sit, ut secundum se sit, an minime secundum se, sed ex alieno adventu. Atqui hoc ex comparatione alicujus secundum se prædicamentorum, et alicujus ex alieno adventu extrinsecus affixorum intelligi poterit. Si enim intellectu alicui auferas esse servum, non dico auferes, sed eodem intellectu jam abstuleris alium quoque esse dominum : eo quod dominus servi dominus ita dicitur, quod non modo qui dominus est habet servum, sed etiam esse dominum est habere servum. At opponit quis, dicens : Cum album albedine album sit, nonne similiter etiam si auferas albedinem, in eodem abstuleris quoque album ? Respondemus utique, sublata albedine, album quoque in eodem esse sublatum, sicut sublato servo, dominus quoque in eodem sublatus est. Sed quamvis hæc sese consequuntur, similiter tamen interest, id est, consequendi ratio ex connexorum inter se diversa ratione differt, quod scilicet ipsa albedo albi, accidit ipsi albo. Non enim aliquid aliud albedine intelligitur, quod cum acciderit albo, ejus gratia dicatur albedo esse albi ; sed ideo dicitur albi albedo, quoniam ipsa albedine album est. Qua sublata, id est, cujus ipsius non alterius rei abscessu, perit nimirum album. At in domino non est ita sicut in albo : si enim auferes, sicut dictum est, aliquem esse servum, perit quidem vocabulum, quo alter aliquis vocabatur dominus, id est alter aliquis desinit esse dominus ; sed servus non accidit domino, id est non ideo, cum aliquis desinit esse servus, alter desinit esse dominus, quod servitus ita accidat domino, sicut albedo accidit albo ; sed ratione quæ in civilibus consideratur, domino accidit quædam potestas, qua servus, ne ultra quod debet præsumat, coercetur. Quæ potestas domino accidens, quoniam deperit, id est a domino recedit, sublato servo, id est sublata servitute ab altero, constat eam potestatem, non dico non accidere, sed non per se accidere domino, sicut albedo albo : sed per accessum servorum quodammodo, id est ratione alia quam accessus locorum, vel temporum, vel habituum, vel quorumlibet aliorum contingat extrinsecus comparatum.

Non igitur.] Quasi : Quandoquidem extrinsecus accessu comparato relatio prædicatur, igitur non potest dici prædicationem relativam, id est relationem prædicatam, vel addere secundum se quidquam rei de qua dicitur, vel minuere secundum se, vel mutare secundum se. Quæ relativa prædicatio tota consistit, sicut prædictum est, non in eo quod est esse (quoniam nulli confert aliquid esse), sed potius consistit in eo tantum quod est habere se ad aliud, in comparatione alterius ad alterum. Nec quolibet, sed aliquo modo se habendi, id est, non quo modo locorum vel temporum, quod jam prædictum est, vel aliorum extrinsecus affixorum comparationibus et de quibus hæc prædicantur, se habent ; sed quod sese habent ad se, quæ hoc ipsum quod sunt aliorum vere et dicuntur et sunt, habentque sæpe vicissitudinem quasi commutationis cujusdam, illa quæ relationum accessu se habent ad se, sæpe vero non habent. Pater enim cujuslibet, ejusdem filius esse non potest, et alicujus duplum, non potest ejusdem esse dimidium : et hoc modo multa referuntur, quæ omnia ideo ad aliud hoc loco se habere dicuntur, quoniam earumdem relationum commutatione vicem sibi comparationis talibus relationibus collata, non reddit. Nec tamen ita semper absque vice commutationis relata se habent ad aliud, sed aliquoties facta relationum commutatione, se habent ad idem : quod hoc exemplo potest videri. Age enim stet quisquam, si igitur accedam ei stanti dexter, erit ille ad me comparatus sinister. Erit quidem dico, non tamen ex hoc sensu quod ille ipse vera essendi ratione, id est aliqua re sibi inhærente, sit quod dicitur, id est sinister ; sed ideo quod ego illi jam ex sibi vere in-

itibus perfecte subsistenti, extrinsecus acces- A sensum mentis in eo, quod non nisi ex parte concio,
dexter. Rursus eadem, id est me ipsi et ipsum potest, laborare. Ut ergo non tam ex rationis pleni-
commutatis relationibus comparo, ut qua ille tudine, quam ex ejus aliqua, sicut dictum est, pro-
se habebat, ea nunc ad eumdem me habeam : portione intelligatur, hujus nominis, quod est per-
ego ad illum me habebam, ea nunc ad me idem sona, a naturalibus ad theologica facta transsumptio
beat. Nam ego accedo ad eum sinister. Ecce dicendum videtur, quæ subsistentium qua ratione
lle ad me se habet, sed relatione illi opposita, vocantur personæ. Quod ut facilius possit intelligi
ad me prius habebat. Modo enim fit ad me, illa quæ superius huic loco distinguenda reservavi-
dicatur esse dexter, non quidem ex hoc intel- mus, distinguamus, scilicet quod alicujus proprie-
quod per se, id est vera essendi ratione, et tas, alia ratione singularis, alia individua, alia per-
i inhærente, ita sit, quod dicitur scilicet dex- sonalis vocatur. Quamvis enim quidquid est indivi-
elut qualitate sibi inhærente est albus, ac quan- duum est singulare, et quidquid est persona est sin-
sibi inhærente est longus ; sed ideo quod me gulare et individuum,non tamen omne singulare est
secus accedente ad eum, qui jam ex sibi vere individuum, nec omne singulare vel individuum est
entibus subsistebat, ipse si dexter. Atque id persona.In naturalibus enim quidquid est, alio quam
ex dexter a me, et si magis placet dici, ex ipsum sit aliquid est : et quoniam id quo est aliquid
t, id est, ex hoc mei ad ipsum accessu, quo singulare est, id quoque quod eo est aliquid singu-
oque fio magis quam sim, nec ut sim sinister. lare est. Nam plura numero sicut uno singulari non
e vero est dexter ex sese, id est, aliquo quo sunt aliquid, ita unum aliquid sine numero esse non
aliquid, vel esse possit. Ideoque esse dextrum B possunt. Itaque singularitate ejus quo est, singulare
istrum neque addit aliquid ei de quo dicitur, est etiam id quo est, aliquid est. Sæpe autem di-
inuit illud, nec mutat aliquo modo. Quare cer- versa numero singularia secundum aliqua eorum
st quod ea quæ non faciunt prædicationem, quibus sunt, conformia sunt. Ideoque non modo illa
quæ non prædicantur secundum proprietatem, quæ sunt, verum etiam illa quibus conformia sunt,
ta sit rei alicujus quod de illa dicatur, in eo unum individuum sunt. Ac per hoc neutrum illorum
ipsa est, id est qua prædicata, id de quo præ- quibus conformia sunt, illa quæ sunt individuum est.
r sit aliquid, nihil prorsus queunt alternare, Si enim dividuum facit similitudo, consequens est
nalibet veri nominis mutatione mutare, nul- ut individuum dissimilitudo. Attendendum vero,
e omnino essentiam variari. Nam de quocun- quod ea quibus id quod est, est aliquid, aut simplicia
cuntur hæc, minime conferunt, ut id de quo sunt, ut rationalitas, aut composita, ut humanitas.
ur sit eisdem aliud, quam erat antequam de Simplicia omnia vel actu vel natura conformia sunt,
erentur. ideoque nulla eorum vera dissimilitudinis ratione
circa, etc.] Ab eo loco ubi dixit, decem om- sunt individua. Composita vero, alia ex aliquibus
rædicamenta traduntur, hucusque omnia præ- tantum, alia ex omnibus ; quæ non ex om-
enta, tum secundum genera ipsorum, tum se- nibus, similiter sicut et simplicia vel actu vel natura
m rationes prædicandi, illa sive de creatis his conformia sunt, atque per hoc nulla eorum sunt in-
tentibus, sive de Deo, divisit. Nunc ad id pro- dividua. Restat igitur ut illa tantum sint individua,
uod de prædicamentorum et prædicandi diffe- quæ ex omnibus composita, nullis aliis in toto pos-
interseruit, redit, et dicit, qualiter Pater, et C sunt esse conformia, ut ex omnibus quæ et actu et
et Spiritus sanctus, qui sine numero unum natura fuerunt, vel sunt, vel futura sunt, Platonis
sint etiam numero plures. Quasi : Quandoqui- collecta Platonitas. His ita se habentibus, addendum
ulla illorum quæ non prædicantur de re in eo est quod omne subsistens multorum, quibus est, id
psa, sit, id de quo prædicantur alternare pos- est generis et differentiæ, et accidentis, concretione
quocirca si Pater ac Filius dicuntur ad ali- subsistit, ac per hoc aliquo alioque est aliquid. Neque
t utique vere dicuntur, nihilque aliud, id est necesse est rem illam quæ sic aliquid est, ideo aliam
naturæ prædicamento, ut dictum est, diffe- esse, quoniam non tantum aliquo aliquid, sed etiam
nisi sola ratione, qua et ad Filium Pater, et alio aliud ; et item alio aliud, aliquid est. Ut anima
rem Filius dicitur : relatio vero non prædica- Platonis non modo genere spiritus est, quod est eam
id de quo prædicatur, quasi id ipsa relatione esse aliquid, verum etiam alio, id est rationalitate
de re de qua dicitur, nequaquam prædicatur aliud est, id est rationalis, atque multis aliis aliud
sdicatione quæ vocatur prædicato secundum et aliud est, non tamen idcirco alia est, nam aliis
uia id de quo prædicatur, vel esse, vel aliquid atque aliis aliud est, atque aliud ipsa. Sed converso
a non potest : manifestum est quod relatio generaliter dici potest, quod quæcunque res subsi-
iciet illam alteritatem, quæ dicitur rerum, id stens alii collata ab ea est alterutrius numero alia,
m quam ea faciunt quæ secundum rem præ- nullo illorum est aliquid, quorum quolibet illa a qua
dicuntur, et quorum quolibet id de quo præ- est alia, aliquid est. Nam etsi utræque subsistunt
r aliquid est; sed potius, si dici potest, faciet aliquibus ad se invicem ejusdem similitudine nun-
atem, quæ dicitur personarum. Nec hanc in- D quam tamen ejusdem essentiæ singularitate. Res
tationem aliquis tanquam verbum profanæ no- enim a re nunquam dicitur alterutrius numero alia,
exsufflet: quoniam quidem id, scilicet hanc nisi omnibus quibus est, sit ab ea diversa. Sic igitur
et Filii alteritatem, qua Pater, et est, et di- unaquæque res a qualibet alia, quodlibet eorum qui-
alter a Filio, et Filius alter a Patre, nulli us bus aliquid est per se, ab ea qua alia est, aliquid
alis prædicamenti nisi relationis tantum diver- est. Et quoniam quidquid aliquid est, ejus quo est
, eo modo nunc interpretatus sum, dicens, singularitate unum est, sicut res ab aliquo alia per
alteritatem esse personarum, quomodo ab aliis se aliquid est, ita quoque per se una est. Hac itaque
us ante me interpretatum est. Quod tamen vix ratione et hæc qualitas ab alia qualitate per se una
igi potuit, et ideo ego id expressurus et dictu- est, et hic qualis alio quali per se unus est. Non ta-
ersonarum præmisi, si dici potest. Attende men hæc ratio sufficit, ut res quælibet sic per se
iam recte ait, si dici potest, et item quod vix una nominetur persona. Multæ enim sic per se unæ,
igi potuit. Nec ait, dici non potest, sed, si dici in uno sunt : ut in homine uno corpus et anima, et
t. Nec item ait, non intelligi potuit, sed, vix in- omnia quibus illa sunt.Quamvis igitur anima hominis
i potuit. Quibus verbis ostendit, neque dictio- nullo illorum aliquid sit, quibus ejus corpus aliquid
hanc a nostræ locutionis usu omnino abhorrere, est, ideoque a corpore alia et per se una sit, quia
s rem omnino ab humanæ intelligentiæ sensu tamen et illis omnibus quibus anima, et illis omni-
tam : sed ex aliqua rationis proportione tran- bus quibus et corpus aliquid est, unus qui ex his
tum sermonem, rem ipsam sicut est, minime constat homo est aliquid : neutrum illorum, id est,
explicare, et præter rationis plenitudinem nec corpus hominis, nec ejus anima nominatur per-

sona, quia non omnino per se sunt. Quæ etsi omnibus quibus sunt aliis alia a se sint, in uno tamen sunt homine, qui est quidquid sunt corpus et anima, et aliud quam sunt corpus et anima. Corpus vero et anima non sunt quidquid est ipse homo. Plato vero a Cicerone ita est alius, quod et nullo illorum alter quibus alter est, et omnino nihil est, quod sit omnibus his quibus uterque est. Ideo a Cicerone Plato, et a Platone Cicero, et quilibet eorum ab universis, a quibus similiter differt vere per se unus, vera ratione persona est. Et quæcunque cætera a se invicem eodem modo sunt alia, id est, quodlibet animal et quælibet arbor, et hujusmodi infinita : quamvis ad rationales tantum subsistentias hoc nomen quod est persona, philosophorum usus contraxerit, sicut in libro contra Nestorium et Eutychen dicetur : et in naturalibus quidem sic est per se una, quæcunque res persona vocatur, ut scilicet et cujuslibet illorum quibus est singularitate una sit, et dissimilitudine illius quo nulli a se alii potest uniri individua, et nullo illorum quibus ipsa est aliquid, simul et singulariter illa sit, quæ in naturalium genere ab eadem est alia. Simul dicimus, quoniam ab aliquo generatus, aliquo singulariter, etiam eodem est quo et genitor ejus, sed non in eodem tempore. Ea namque paterni sanguinis corporalitate genitus aliquid est, qua singulariter genitor ejus, non dico adhuc est, sed fuit aliquid. Singulariter vero dicimus, quoniam multorum quibus est conformitate, idem sunt ea quæ ab eadem re sunt alia. In naturalium autem genere dicimus, quoniam in mathematicis et aliis generibus plura, et a se invicem, et a naturalibus ita sunt alia, quod et proprietat bus diversis diversa una sunt, et dissimilitudine diversa individua, et quodcunque unum illorum est, nullum aliorum est, et tunc personæ non sunt, ut cujuslibet personæ ex omnibus collecta proprietas In theologicis vero certum est quod et Pater alius est a Filio, et a Spiritu sancto, et Filius a Patre alius et a Spiritu sancto, et Spiritus sanctus a Patre et a Filio alius, et quod unusquisque horum trium est illa singulari, ac simplici, et individua, et sola οὐσία, id est essentia, hoc quod est, qua alius est, unus et simplex, et individuus, et absque diversæ essentiæ consortio Deus, ita quod ipsi tres simul sunt unus essentiæ proprietate, simplex sine illius compositione, individuus ipsius dissimilitudine, et ejusdem ab aliis essentiis solitudine, ipsum Deus. Ex his ergo manifestum est, hoc nomen quod est persona, theologicis minime convenire secundum plenitudinem ejus, aliqua nomen est rationis : sed ex proportione, quæ in ejusdem rationis parte convenit, a naturalibus ad illa esse transumptum. Quod enim de naturalibus dictum est, personam aliquam ita esse per se unam, ut nullo illorum quibus est ipsa sit alia, non convenit theologicis personis, imo eodem quo est una, est alia. Sunt tamen quædam quæ sicut in naturalibus, ita et in theologis uni convenire non possunt; imo sicut ipsa sunt ad se invicem alia, ita de aliis a se invicem dicuntur, ut generatio, nativitas, atque connexio ; hæc enim de uno eodemque dici non possunt; non enim genitor natus est, nec natum genitori connectit, neque natus est genitor, nec natum genitoremque connectit ; et qui ab utroque procedens eorumdem connexio est, neuter horum est, id est nec natus nec genitor, sed alius est qui est genitor, alius est qui est genitus, alius qui est genitoris natique connexio. Sic igitur theologica cum naturalibus in parte rationis illius, id est personalitatis, ad cujus plenitudinem naturalibus hoc nomen inditum est, convenire intelliguntur, et in parte differre. In quo maxime illud est attendendum, quod naturales personæ his quibus unaquæque aliquid est, prius a se invicem sunt aliæ, ut his per hæc a se aliis, deinde hujusmodi extrinsecus affixa prædicamenta dicantur : quorum oppositione, etsi non *sint alia, recte* tamen eorum quibus sunt, oppositione *probantur* esse alia. Theologicæ vero personæ, quoniam ejus quo sunt singularitate unum sunt, et simplicitate id quod sunt, essentiarum oppositione a se invicem aliæ esse non possunt, sed harum quæ dictæ sunt extrinsecus affixarum rerum oppositione, a se invicem aliæ et probantur et sunt. Ideoque nomen et numerum personarum in theologicis, et tam ineffabile verbis, quam incomprehensibile ratione secretum auctor admirans, alteritatem illam, qua Pater, et Filius, et Spiritus sanctus a se invicem alii sunt, appellaturus personarum, recte præmisit, si dici potest, et quod vix intelligi potuit.

Omnino enim, etc.] Quod alteritas hæc, qua Pater, et Filius, et Spiritus sanctus a se invicem esse alii prædicantur, non sit rerum, id est non sit secundum res illas quibus aliquid sint ea de quibus ipsæ dicuntur sed potius secundum relationes sit, adhuc demonstrat. Nam quæcunque sive corporalia sive incorporalia distant, his quibus sunt, sive substantialibus sive accidentalibus, distant. Et corporalia quidem etiam locis his qui ex comparatione intelliguntur, id est, quibus corpus aliquod citra corpus aliud, vel ultra, vel extra vel intra, vel hujusmodi esse dicitur, distant. Incorporalia vero nunquam locis, sed solis his quibus dictum est differentiis. Omnino enim magna veritas regulæ, id est magnæ veritatis regula est, in rebus incorporalibus, non locis sed differentiis, quibus eis subjecta subsistunt, effici vel numerales, vel individuales, vel personales distantias. Tallium enim differentiarum diversa proprietas, plures numero, et dissimilitudo individuas, et inconvenientia, qua uni convenire non possunt, personas esse facit : cujusmodi differentiarum pluralitas, in Patre, et Filio, et Spiritu sancto, qui non nisi una essentia sunt esse non potest. Certum est enim quod non sunt substantialibus pluribus, neque vero accidentalibus : non enim potest vere dici Deo aliquid secundum tempus accessisse, ut fieret Pater, vere. Non enim Pater cœpit unquam alicujus accessu esse Pater, sicut nunquam alicucujus abscessu cœpit esse. Hoc autem dico eo quod substantialis est ei, id est Patri, productio Filii, scilicet id in quod ex se Filium generatione produxit, non nisi substantia est. Sane aliter, quoniam in naturalibus sit generatione productio. Homo namque filium suum generatione non modo in hominem subsistentiis, verum etiam in coloratum, et longum, et hujusmodi accidentibus affectum produxit. Ideoque naturalis generationis productio partim substantialis, partim accidentalis est, maxime cum ipsa generatione aliquibus, quibus ante non erat accidentibus generans, sive generatus esse incipiant. In theologicis vero ea quæ est generatione productio, non nisi substantialis est : Pater enim Filium, non nisi in id quo ipse Pater substantiali essentia semper erat, id est, in Deum generatione produxit : qua utique productione neuter esse aliquid cœpit. Nam et Filius semper est, quod a Patre nativitatem acceperit ; et hoc quidem sensu dictum intelligitur : Substantialis est Patri productio Filii. Et per hoc recte monstratum quod alteritas personarum theologicarum non est rerum id est non secundum aliqua quibus ipsæ sunt. Cæterum hoc nomen quod est productio, non est divinæ essentiæ nomen, quoniam solus Pater dicitur ex se generatione Filium produxisse. Essentia igitur qua Filium esse Deum generatione dedit, substantialis est, non modo ei qui genuit, sed etiam Filio ejus, et Spiritui, qui ab utroque procedit. Relativa vero est prædicatio Patris, qua scilicet dicitur Pater solus ille qui genuit.

Ac si meminimus, etc.] Quæ superius de Patris, et Filii, et Spiritus sancti secundum essentiam unitate, et eorumdem relationes numerali diversitate diffusius, et quibusdam aliis, horum tamen causa, interpositis dixerat, hic breviter recapitulat. Quasi : Pater, et Filius, et Spiritus sanctus, non nisi relationibus differunt. Ac si meminimus omnium, quæ in prioribus hujus scilicet operis partibus de Deo dicta sunt sem-

tentiarum, ita, sicut nunc breviter dicemus, cogitemus, ex Deo quidem Patre Filium Deum processisse, et ex utrisque processisse Spiritum sanctum Deum : cogitemus videlicet hos minime locis distare. Quæ utique recta est cogitatio, quoniam incorporales sunt : quoniam vero, scilicet quod Pater est Deus, et Filius est Deus, et Spiritus sanctus est Deus (*supple*), cogitemus, Deus vero nullas omnino neque similium neque dissimilium essentiarum habet differentias, quibus differat a Deo : scilicet, vel Deus Pater a Deo Filio ; vel idem Deus Pater a Deo Spiritu sancto ; vel Deus Filius a Deo Spiritu sancto. Sensus : cogitemus quod quilibet trium a nullo eorum, eo quo ipsi sunt, differt. Ubicunque vero absunt hujusmodi differentiæ, abest illa, quæ secundum earum diversitatem solet esse pluralitas. Ubi autem abest hæc pluralitas, adest essentiæ unitas, qua essentiæ unitate unusquisque eorum qui est ea, et etiam omnis simul sunt unius. Ideoque et Pater est unus Deus, et Filius est unus Deus, et Spiritus sanctus unus est Deus : et Pater et Filius et Spiritus sanctus simul, non nisi unus Deus.

Nihil autem.] Quasi : Ubi abest pluralitas, adest unitas. In his autem de quibus nunc sermo est, non est omnino alia unitas, nisi quæ est ex singularitate divinitatis. Nam ex Deo nihil aliud gigni potuit nisi Deus. Qui tamen a Patre nec est alius Deus nec ipse, nec ab utroque procedere potuit, nisi Deus. Qui tamen nec alius ab eis Deus est, nec ipsi. Dicitur autem Deus, Deus, Deus, distributione quidem illorum qui sunt Deus : quia primum de Patre, secundum de Filio, tertium de Spiritu sancto dicitur. Ejus vero quo sunt Deus, non distributione, sed distributionis imitatione, quæ proprius dicitur repetitio unitatum, quam distributio. Quæ repetitio in rebus numerabilibus non facit modis omnibus, nullo modo facit pluralitatem eorum quæ repetuntur.

Trium igitur.] Quasi : Quandoquidem Deus, Deus, Deus, illorum quidem qui sunt Deus distributio est, ejus vero quo sunt Deus repetitio : Igitur trium, id est Patris, et Filii, et Spiritus sancti, idonee constituta est essentiæ unitas. Sed quoniam nulla relatio potest ad seipsam referri, id est, quoniam nulla relatione aliquid ad se potest referri, sed semper ad aliud, idcirco quod ea prædicatio quæ relatione caret, id est qua non refertur ad aliquid, secundum seipsam est, facta quidem est illa quæ dicitur Trinitatis, hoc est trium numerositas, in eo, id est secundum id quod est prædicatio relationis; servata vero earumdem unitas in eo, id est secundum id quod est indifferentia : scilicet vel substantiæ unius, quæ tribus illis dicitur ; vel operationis unius, quæ æqualiter ipsi operantur ; vel omnino indifferentia ejus prædicationis, quæcunque dicitur secundum se, id est qua vel οὐσία ipsa prædicatur, ut Deus, vel secundum οὐσίαν quodlibet extrinsecus affixorum : ut semper esse, vel ubique, vel operari. Sic enim hoc loco intelligenda est secundum se prædicatio dici, qua scilicet, sicut dictum est, vel ipsa essentia, vel secundum eam aliquid prædicatur, sive hoc per se, sive ad aliud dicatur : per se quidem, sicut illa quæ posuimus, scilicet semper esse, vel ubique, vel operari ; ad aliud vero, ut auctoritas et principalitas, quæ sicut ipsa essentia indifferenter, et ideo singulariter de tribus dicuntur. Nam et unusquisque illorum trium, et omnes simul sunt omnium creaturarum unus auctor et unum principium. Quam auctoritatis atque principalitatis indifferentiam, ex οὐσίας ipsorum, secundum quam de illis prædicantur, indifferentia, esse putamus. Unde et secundum personalitatis rationem, quæ proprietatum secuta differentiam de unoquoque illorum non relative, sed per se prædicatur, minime illa est indifferentia, ut et unusquisque per se, et tres simul sunt una persona. Pater namque quoniam Deus est, creaturarum omnium auctor et principium est ; similiter et Filius, et Spiritus sanctus. Quia vero idem Pater proprietate dicitur, qua Pater, qualiter in præcedentibus diximus, alius a Filio et Spiritu sancto est, persona est, similiter et Filius, et Spiritus sanctus, idcirco Pater, et Filius, et Spiritus sanctus, omnium non tres auctores, sed unus solus auctor sunt ; nec tria principia, sed unum solum principium ; non vero simul omnes una persona, sed tres personæ. Ex his quidem rationibus intelligimus de Patre, et Filio suo, et amborum Spiritu, auctoritatem atque principalitatem, non pluraliter, sed singulariter prædicari, scilicet propter essentiæ, secundum quam de illis dicuntur, singularitatem. Personalitatem vero econtra, id est, non singulariter de illis collectis, sed pluraliter dici, propter proprietatum scilicet, quibus a se invicem alii sunt, diversitatem. Unde recte inferens, ait : Ita igitur, id est per hæc manifestum est quod substantia, quæ Græce οὐσία dicitur, continet unitatem, id est facit ut Pater, et Filius, et Spiritus sanctus sint ipsa essentia : et ejus singularitate Deus unus, magnus unus, bonus unus, et hujusmodi ; atque his quæ secundum essentiam prædicantur, dominus unus, auctor unus, principium unum. Relatio vero multiplicat trinitatem, id est eos qui essentiæ singularitate sunt unus ; relationum quæ de eodem dici non possunt, diversitate facit eos multos, et specialiter tres. Atque ideo, quoniam scilicet rationes quas de diversis dici necesse est, faciunt multos, sola illa prædicamenta quæ dividentis relationis sunt, proferuntur singillatim atque separatim, id est, de quo dicitur unum, non dicitur aliud. Nam non est idem Pater qui Filius, id est, ille qui est Pater non est Filius ; et ille qui est Filius non est Pater ; nec idem uterque qui Spiritus sanctus ; nec ille qui est Pater, est ille qui utrorumque, id est, Patris dicitur, et Filii, et Spiritus sanctus ; nec ille qui est Filius, est ille ipse qui dictus est Spiritus sanctus ; nec ille amborum Spiritus sanctus est aliquis illorum a quibus procedit, id est, nec est Pater, nec Filius. Tantum Pater, et Filius, et Spiritus sanctus sunt idem Deus, idem justus, idem bonus, idem magnus, denique idem omnia illa quæ secundum se poterunt prædicari : ita plurali verbo debuit dicere, sunt, quoniam illi de quibus unam essentiam tot nominibus, id est, Deus bonus, magnus, prædicabat, relationum diversitate plures sunt. Dixit tamen,est, verbi singularitate juxta οὐσίας, quam prædicabat, metiens unitatem. Qui loquendi usus sæpe in humana pagina invenitur : ut iræ amantium, redintegratio amoris est. Non ait sunt pluraliter, quod tamen deberet, quoniam nomen quod verbi personam simul et numerum juxta grammaticorum regulam continebat, pluraliter præmiserat dicens, iræ. Sed ait singulariter, est, propter hujus nominis, quod est redintegratio, singularitatem, quod tamen non propter verbi personam et numerum, sed propter qualitatem qua fit demonstratio, positum intelligitur. Similiter dictum est : Omnia Cæsar erat, et multa hujusmodi.

Sane, etc.] Dixit quod Pater et Filius et Spiritus sanctus, secundum id quo sunt id quod sunt, omnino idem sunt, qualia in subsistentium genere ad se referri non possunt. Quæcunque enim subsistentium ad se invicem referuntur, his quibus sunt differunt. Ut tamen quali potest similitudine hoc quod est ineffabile innuat, Patrem scilicet, et Filium, et Spiritum sanctum, qui eo quo sunt idem sunt diversis relationibus ad se referri, ait :

Sane, etc.] Quasi ; Pater, cum quo Filius idem est, prædicatur relative ad Filium Pater. Quod utique convenienter potest : nam sane sciendum est, etiam in rebus creatis prædicationem relativam, qua scilicet aliquid referri ostenditur, non semper talem esse, ut semper ad aliquod tam nomine quam re differens prædicetur, scilicet ut est servus ad dominum. Hæc enim nomina et res illis significare, id est servitus et dominium, et illa de quibus ipsæ prædicantur, differunt. Sed (sicut dictum est) non semper ad ista differens fit precatio relativa : nam omne

æquale æquali æquale est, et simile simili simile est. Quæ videlicet ejusdem nominis sunt relationes. Ipsæ quoque quantitates et qualitates, secundum duas ea in quibus sunt æqualia sunt, atque similia : et si illa proprietate qua subjectorum suorum altera quidem hujus, altera vero illius propriæ sunt, diversæ intelligantur : non tamen adeo diversæ sunt, sicut dupli et dimidii, et cæterorum inæqualium quantitates : aut sicut albi et nigri, vel trianguli et quadrati, et cæterorum contrariorum seu disparatorum qualitates. Et ut ab apposito exemplo non recedamus, quantitates et qualitates secundum quas æqualia et similia dicuntur, non adeo diversæ sunt, sicut potestas et vilitas, secundum quas ille dominus, iste vero servus dicuntur, sed quodammodo unum sunt, non quidem ea quæ ex singularitate est unitate, sed ea quæ ex proportione comparatur unione. Sed et ubi non unio collectionis, sed unitas proprietatis est, fit quandoque prædicatio relativa, ut idem ei, quod est idem, idem est, non modo identitate unionis, ut homo, idem quod homo est, nam Plato et Cicero unione speciei sunt idem homo, verum etiam identitate, vere et quæ ex proprietate est unitatis ; ut rationale idem quod rationale est, veluti anima hominis, et ipse homo, non unione speciei, sed unitate proprietatis, sunt unum rationale, cum tamen partialitatis et totalitatis relationibus se ad sese invicem habeant. Anima enim pars hominis est, et homo totum animæ, quamvis homo sit quidquid est anima. Nam etsi anima non omnino est id quod homo, homo tamen est idem quod anima. Et ut veniamus ad id propter quod de taliter indifferentium relationibus diximus, in hac maxime de qua agimus Trinitate, id est in his tribus, Patre scilicet, et Filio, et Spiritu sancto, similis est relatio : videlicet Patris ad Filium, et item utriusque ad Spiritum sanctum ; similis, inquam, ut ejus quod est idem, ad id quod est idem : quomodo scilicet, sicut in his quæ dicta sunt, non aufert relationem illa qualiscunque eorum identitas, ita Patris ad Filium, et utriusque ad Spiritum sanctum relationem, non aufert hæc, quæ tres singulariter unus Deus sunt eorum identitas. Id autem, scilicet vel referri aliqua inter se, quæ omnibus quibus sunt invicem idem sunt ; vel quæ referuntur invicem idem esse omnibus quibus sunt, non potest inveniri in cunctis aliis rebus, id est, nullæ aliæ res sunt, in quibus hoc possit inveniri. Quod si hoc est, ut utique est, quod in nullis aliis hoc inveniri possit, revera facit hoc alteritas, quæ est cognata caducis rebus. Non enim sine illorum quibus sunt alteritate diversa sunt a se quælibet subsistentia, nec nisi hac alteritate diversa possunt ad se invicem referri. Cum vero hac alteritate omnia quæ in his caducis ad se referuntur, a se sint altera, nos qui ex horum aliqua proportione theologica cogitamus, nulla imaginatione ab his quæ theologicorum sunt propria debemus diduci, ut scilicet, quoniam naturalia nomina ad theologica transferentes, dicimus Patrem ad Filium, et Filium ad Patrem, et Spiritum sanctum ad utrumque, et utrumque ad Spiritum sanctum referri, putemus eos aliquibus eorum quibus sunt ad se invicem alteros ; sed potius a proprietate naturalium recedentes, oportet nos erigi intellectu simplici, ut scilicet horum trium, quamvis ad se relatorum, et relationum proprietatibus diversorum, intelligamus unam solam simplicemque, qua unusquisque est, et omnes simul sunt unus, et simplex Deus, essentiam, et nullatenus alterius alteram, et alterius alteram. Et denique quicunque sive theologicum, sive naturale; sive quodlibet aliud (prout potest intelligi) ita etiam aggredi intellectu oportet, ne quem in proportionum comparationibus, extra illa propter quæ comparationes inducuntur, aliqua phantasia imaginationis decipiat. Sed de proposita quæstione, qua ex principiis naturalium rationum quæsitum est, an sit una essentia eorum qui proprietatibus invicem a se sunt alii, et an proprietatum diversitas facit a se invicem alios, quorum non est diversa essentia ; et theologicis rationibus demonstratum, quod qui a se invicem alii sunt, non nisi una singulari et individua omnino, et simplici essentia sunt idipsum quod sunt ; naturalibus vero, quod qui una essentia sunt id quod sunt, proprietatum diversitatibus, absque illa quæ vere nomine alteritas vocatur, a se invicem alii sunt, satis dictum est. Nunc, o Symmache, et quicunque alii sapientes quibus hanc quæstionis investigationem vestri judicii cupidus offerendam curavi, subtilitas formatæ rationibus quæstionis, exspectat normam, id est regulam vestri judicii, cujus quasi quadam appositione hæc quæ de quæstione dicta sunt, vere et ordine congruo esse dicta monstratur. Quod et ipse supponit dicens : Quæ, videlicet quæstionis subtilitas, utrum recte an minime ordine et perfectione rationum decursa sit, id est, adusque terminum explanationis deducta, statuet sola vestræ pronuntiationis auctoritas. Quod si, divina gratia opitulante, argumentorum idonea adjumenta præstitimus catholicorum sententiæ, sponte, id est sine rationum argumentis, firmissimæ, fundamentis fidei, id est, quoniam in fide fundatæ, lætitia perfecti operis nostri illuc remeabit, unde venit effectus, id est in eo lætabimur, Deo, scilicet Trinitate, quo auctore perfecimus. Quod si humanitas, id est humanæ naturæ infirmitas, nequivit ascendere ultra se, ut scilicet ineffabilia ex rationum locis ostenderet, quantum intelligentiæ imbecillitas perfectioni operi subtrahit, tantum incomprehensibilibus semper hærentis voluntatis vota supplebunt.

AN. MANL. SEV. BOETII

UTRUM PATER ET FILIUS AC SPIRITUS SANCTUS DE DIVINITATE SUBSTANTIALITER PRÆDICENTUR LIBER.

AD S. JOANNEM DIACONUM ECCLESIÆ ROMANÆ [a].

Quæro an Pater et Filius ac Spiritus sanctus de divinitate substantialiter prædicentur, an alio quolibet modo ; viamque indaginis hinc arbitror esse sumendam, unde rerum omnium manifestum constat exordium, id est ab ipsis catholicæ fidei fundamentis. Si igitur interrogem an qui dicitur Pater sub-

(a) Eo tempore Eccl. Romanæ diaconum, postea vero, nimirum anno 523, ejusdem pontificem ; qui postquam ex Oriente Theoderici ad Justinum legatus rediit, Ravennæ ab eo custodiæ traditus, paulo post amicum Boetium, similem ob causam, similem pal-

mam adeptus est. Unde antiquarius Boetii exscriptor (ea enim scriptura fuit eorumd. opt. codicum), ut eum ἰδίως designaret, *sanctum* appellavit ; quemadmodum et Anastasius Bibliothecarius in ejus Vita : quem, ut obiter moneam, in Vita Boetii emendantes

stantia sit, respondetur esse subtantia. Quod si quæram an Filius substantia sit, idem dicitur: Spiritum quoque sanctum substantiam esse nemo dubitaverit. Sed cum rursus colligo, Patrem, Filium, Spiritum sanctum, non plures, sed una occurit esse substantia; una igitur substantia trium nec separari ulo modo, aut disjungi potest, nec velut ex partibus in unum conjuncta est, sed est una simpliciter. Quæcunque igitur de divina substantia prædicantur, ea tribus oportet esse communia; idque signi erit, quæ sint, quæ de divinitatis substantia prædicentur, quod quæcunque hoc modo dicuntur de singulis in unum collectis, tribus singulariter prædicabuntur hoc modo si dicimus, Pater Deus est, Filius Deus est, Spiritus sanctus Deus est; Pater, Filius ac Spiritus sanctus unus Deus est. Si igitur eorum una deitas, una substantia est licet Dei nomen de divinitate substantialiter prædicari. (*a*) Ita, Pater veritas est, Filius veritas est, Spiritus sanctus veritas est: Pater, Filius et Spiritus sanctus, non tres veritates, sed una veritas est. Si igitur una in his substantia, una est veritas, necesse est veritatem substantialiter prædicari: de Bonitate, de incommutabilitate, de justitia, de omni potentia ac de cæteris omnibus, quæ tam de singulis, quam de omnibus singulariter prædicamus, manifestum est substantialiter dici. Unde apparet ea quæ cum in singulis separatim dici convenit, nec tamen in omnibus dici queunt, non substantialiter prædicari, sed alio modo: qui vero iste sit, posterius quæram. Nam, qui Pater est, hoc vocabulum non transmittit ad Filium, neque ad Spiritum sanctum; quo fit ut non sit hoc nomen substantiale inditum: nam si substantiale esset, ut Deus, ut veritas, ut justitia, ut ipsa quoque substantia, de cæteris diceretur. Item Filius solus hoc recipit nomen, neque cum aliis jungitur, sicut in Deo, sicut in veritates sicut in cæteris quæ superius dixi. Spiritus quoque sanctus non est idem qui Pater ac Filius. Ex his igitur intelligimus Patrem, Filium ac Spiritum sanctum non de ipsa divinitate substantialiter dici, sed alio quodam modo. Si enim substantialiter prædicaretur, et de singulis et de omnibus singulariter diceretur; hæc vero ad aliquid dici manifestum est: nam et Pater, alicujus pater est; et Filius, alicujus filius; et Spiritus, alicujus spiritus: quo fit ut nec trinitas quidem substantialiter de Deo prædicetur. Non enim Pater Trinitas, qui enim Pater est, Filius ac Spiritus sanctus non est; nec Trinitas Filius, nec Trinitas Spiritus sanctus secundum eumdem modum sed Trinitas quidem in personarum pluralitate consistit, unitas vero in simplicitate substantiæ. Quod sit personæ divisæ sunt, substantia vero indivisa, necesse vocabulum quod ex personis originem capit, id ad substantiam non pertinere. At Trinitatem personarum diversitas fecit; Trinitas igitur non pertinet ad substantiam. Quo fit ut neque Pater, neque Filius, neque Spiritus sanctus, nec Trinitas de Deo substantialiter prædicentur, sed ut dictum est, ad aliquid. Deus vero, veritas, justitia, bonitas, omnipotentia, substantia, immutabilitas, virtus, sapientia, et quidquid hujusmodi excogitari potest, substantialiter de divinitate dicuntur. Hæc si se recte et ex fide habent, ut me instruas peto; aut si aliquare forte diversus es, diligentius intuere quæ dicta sunt; et fidem, si poteris, rationemque conjunge.

ex ejusd. Anastasii vet. cod. ms. scripsimus defunctum VI *cal. Junii*, ut et habet Breviarium Rom., non XV Ex eodemque Anastasii cod. corpus ejus Romæ *calendis Junii* susceptum reposuimus, non VI cal., ut in impressis erat; qui dies mortis ejus fuit.

(*a*) Ea verba dum exponit Gilbertus Porretanus, episcopus Pictaviensis, in eum errorem lapsus est quem damnavit concilium Remense anno 1148, et ipse agnovit. Qualis fuerit, qui verba ejus refert D. Bernardus, sic recenset serm. 80 super Cantica: *Si quid itaque*, inquit, *de Deo proprie dici possit, rectius congruentiusque dicetur, Deus est magnitudo bonitas, justitia, sapientia, quam Deus est magnus, bonus, justus aut sapiens. Unde non immerito nuper in concilio quod papa Eugenius Remis celebravit, tam ipsi quam cæteris episcopis perversa visa est et omnino suspecta expositio illa in libro Gilberti episcopi Pictaviensis, quo super verba Boetii de Trinitate, sanissima quidem atque catholica, commentabatur hoc modo*: Pater est veritas, id est verus; Filius est veritas, id est verus; Spiritus sanctus est veritas, id est verus, et hi tres simul non tres veritates, sed una veritas, id est unus verus: *O obscuram perversamque explanationem! Quam verius saniusque per contrarium ita dixisset: Pater est verus, id est veritas: Filius est verus, id est veritas; Spiritus sanctus est verus, id est ipsa veritas! Quod quidem fecisset, si sanctum dignaretur Fulgentium imitari, qui ait: Una quippe veritas unius Deus, non patitur servitium atque culturam Creatoris creaturæque conjungi.* Fusius rem omnem narrat Gofridus Vitæ ejusd. D. Bernardi cap. 5, lib. III.

GILBERTI PORRETÆ COMMENTARIA

IN LIBRUM DE PRÆDICATIONE TRIUM PERSONARUM.

Ex illius, de qua Symmacho Boetius scripserat, quæstionis investigatione, satis manifestum erat, prædicamenta naturalium generibus rationibusque diversa, quarumdam propositionibus, rationum ad theologica transferri, et de Deo quoque, quemadmodum et de subsistentibus, alia quidem secundum se, alia vero ex collatione alterius ad alterum; et eorum quæ secundum se alia quasi rei circunstantias demonstrantia qualia sunt, etiam quæcunque dicuntur, ex collatione prædicari. Quia tamen aliqui sensu parvuli, audientes quod Deus est simplex ipsum, et quæcunque de eo nominum diversitate dicuntur: ut Deus, unus, æternus, persona, principium, auctor, Pater, Filius, connexio, et hujusmodi alia: ejusdem naturæ ejusdemque rationis esse ita accipiunt, ut et essentia qua dicitur esse Deus, sit et unitas, qua unus est; et æternitatis, qua æternitas est, et similiter cætera: et econverso, ipse etiam Pater sit paternitas, et unus unitas, et æternus æternitas; et conversim, et eodem modo in aliis omnibus quæ

de ipso quacunque ratione prædicantur. Scribit idem Boetius Joanni Romano diacono de illis specialiter, quæ nominibus his, Pater, Filius, Spiritus sanctus, prædicantur. Ostendit autem illa et de diversis prædicari, et esse diversa non modo a se invicem, verum etiam ab essentia, quæ diversis nominibus una de eisdem dicitur, de quibus et illa diversa salva Dei simplicitate dicuntur. Quamvis autem hæc diversitas, aut non posse penitus, aut vix posse monstrari videatur, tamen quia naturalium leges theologica speculatio non omnino admittit, tum quia, sicut dictum est, in simplici Deo nomen cujuslibet diversitatis, error parvulorum abhorret, non tamen eam sicut in re propter difficultatem obscura et propter obscuritatem difficili fieri solet, multis vel probatarum scripturarum testimoniis persuadet, vel necessariarum inventionum connexionibus probat, vel eorum quæ incidenter, et quasi a latere disputationis emergere possent amplificatione, explanat; sed quia nec malevolus, nec tardus est suus, cui scripsit, auditor, sola propria unumquodque prædicandi ratione demonstrat. Illius enim proprietas prædicationis, qua de quo unum prædicatur horum, aliud prædicari non potest, satis patenter ostendit: non modo inter se, verum etiam ab omnibus illis quæ de illorum substantiis communiter dicuntur, et ab eo maxime, quod unum de tribus multis nominibus substantialiter prædicatur, hæc esse diversa. Est autem hæc diversitas non modo numero, quo scilicet hoc est unum, quodlibet vero illud aliud est unum, verum etiam natura generis, et loco rationis. Sed de naturali, atque ea quæ secundum genus est, diversitate modo facens, eam quæ secundum rationem est prius vestigat, circa finem illam quæ secundum genus est, quam numeralis ex necessitate sequitur, commemoraturus. Igitur tanquam in sophistarum scena, vere dubiis indubius ipse se-e conformans, ait:

Quæro an Pater et filius et Spiritus sanctus,] id est horum nominum illa significata, quæ diversis rationibus grammatici qualitates, dialectici categorias, hoc est prædicamenta, vocant, prædicentur substantialiter, id est, an juxta proportionem eorum quæ in naturalibus vocantur esse subsistentium, prædicentur de Divinate, id est de illis qui, quoniam sola Divinitate sunt id quod sunt, non modo Deus, verum etiam Divinitas appellantur, an non substantialiter prædicentur de ea: sed alio modo. Addit quolibet, quoniam in naturalibus, a quibus ad theologicam hujusmodi verborum ex alicujus rationis proportione translatus est usus, non unus solus prædicandorum est modus. Nam illorum etiam quæ non sunt aliquorum esse, quædam secundum se, id est, non ex aliqua collatione intelliguntur: ut album nullius collatione dicitur album; alia vero sic prædicantur, quod eorum prædicatione ea de quibus prædicantur, aliis conferuntur: ut locus, quo aliquid dicitur esse ultra; et tempus, quo dicitur hodiernum; et habitus, quo dicitur galeatum: et relatio, qua dicitur tale vel tantum. His enim omnibus quædam alia subintelliguntur. Item horum alia secundum rem, ut idem album; alia affixa extrinsecus, ut idem locus, et cætera quæ modo dicta sunt, et aliorum generum alia. His et aliis qui secundum divisiones aliarum possunt ostendi modis, de subsistentibus multa dicuntur. Ideoque cum hæc ad theologica transferuntur, ibi quoque ea prædicandi modus est multiplex.

Viamque etc.] Quasi: Tanquam sophista quæro, an substantialiter, an alio modo, et quo alio, hæc prædicta de Deo, id est de his qui sunt unus Deus, imo una divinitas, prædicantur. Tanquam vero serius demonstratur, quod horum de his verum sit, indagare magnopere curo, viamque indaginis arbitror esse sumendam hinc, unde omnium rerum manifestum, hoc est manifeste firmum constat exordium, id est ab ipsis catholicæ fidei fundamentis. In cæteris facultatibus, in quibus semper consuetudini, regulæ generalitas atque necessitas accomodatur, A non ratio fidem, sed fides sequitur rationem. Et quonam in temporalibus nihil est quod mutabilitati non sit obnoxium, tota illorum consuetudini accommodata necessitas nutat. Nam in eis quidquid prædicatur necessarium, vel esse, vel non esse quodam modo, nec esse, nec non esse necesse. Non enim absolute necessarium est, cui nomen necessitatis sola consuetudo accomodat. In theologicis autem ubi est veri nominis atque absoluta necessitas, non ratio fidem, sed fides prævenit rationem. In his enim non cognoscentes credimus, sed credentes cognoscimus. Nam absque rationum principiis fides concipit, non modo illa quibus intelligendis humanæ rationes suppeditare non possunt, verum etiam illa quibus ipsæ possunt esse principia. Spiritus enim qui ex Deo est dat hanc ipsi fidei præ rationibus dignitatem, et in theologicis, et etiam in his quæ infra theologica sunt, naturalibus scilicet, et hujusmodi aliis quorum rationibus philosophorum fidem spiritus B hujus mundi supposuit. Nam et in naturalibus et in aliis, omnem rationem spiritualium fides antevenit, ut fide magis priusquam ratione omnis judicent. Ac per hoc, non modo theologicarum, sed etiam omnium rerum intelligendarum, catholica fides recte dicitur esse exordium, sive nulla incertitudine nutans, sed etiam de rebus mutabilibus certissimum atque firmissimum fundamentum. Ab hoc ergo exordio seu fundamento prædictæ indaginis, viam inchoans, ait:

Si igitur interrogem, etc.] Quæsivit an Pater, et Filius, et Spiritus sanctus de his de quibus dicuntur, substantialiter prædicentur, an quo alio modo. Quæ quæstio non est simplex, sed ex diversis quæstionibus juncta. His enim verbis de tribus illis diversa quæsisse intelligitur: primum, an substantialiter, an non substantialiter, prædicentur, sed alio modo quam substantialiter. Denique quo alio. Sed videtur primo quærere debuisse, an prædicentur, an non. Quod et recte quæsisse posset, quoniam omnium rerum alia C prædicantur, aliæ non prædicantur. Quod si non prædicari constaret, nihil quærendum relinqueretur. Si vero constaret prædicari, recte quæreret quomodo prædicarentur, scilicet an substantialiter, an alio modo. Et si non substantialiter, sed potius alio modo, restaret quærendum quo alio. Ipse vero, prætermissa prima quæstione, eo quod omnibus certum est illa a quibus trina horum nominum appellatio est prædicari, secundam ac tertiam in una conjungit. Sed in indagatione qua utrarumque decutit dubitationem, eas dividit: et primum, quid de illa qua quæritur an substantialiter, an non substantialiter prædicentur sentiendum sit, aperit ea ratiocinatione quam Cicero simplicem conclusionem appellat, quæ est hujusmodi: Quidquid de Deo substantialiter prædicatur, id et de Patre, et de Filio, et de Spiritu sancto, et divisim de quolibet, et simul de omnibus dicitur. Nullum autem horum a quibus tres illæ sunt appellationes, scilicet Pater, Filius, Spiritus sanctus D prædicatur de omnibus, vel singillatim, vel simul Nullum igitur horum substantialiter prædicatur. Hujus autem ratiocinationis primam partem, quam dialectici propositionem vel sumptum, rhetores expositionem nominant, catholicæ fidei auctoritate confirmat. Ab hac igitur, inquit, viam indaginis sumens, si interrogem an ille qui dicitur Pater sit secundum οὐσίαν sui substantia, id est essensive subsistens, respondetur catholicæ fidei auctoritate, quod vere est substantia. Quod si quæram an ille qui dicitur Filius substantia sit, ejusdem catholicæ fidei auctoritate, idem dicitur: videlicet, est substantia. Spiritum quoque sanctum nemo catholicæ fidei dubitaverit, id est dubitare poterit, esse substantiam. Sic igitur de singulis per se atque divisim prædicatur substantia; nec modo divisim de singulis, sed et collectim de tribus eadem prædicatur substantia, cum enim rursus colligo, simul supponens Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum, eadem fide non plures numero essentiarum, sed essentiæ unius singu-

laritate, et omnino sine numero una occurit, qua ipsi dicuntur esse substantia, ideoque vere esse una substantia. Manifestum est igitur quod horum trium est una substantia tantum, quæ Græce quidem οὐσία dicitur, Latine vero, sicut dictum est, substantia vel subsistentia, vel, ut expressius dicatur, essentia : quod nec separari ullo modo aut disjungi potest, nec velut partibus in unum conjuncta est. Quod enim essentia dicitur una, singularitate seu proprietate rei quæ de ipsis prædicatur, intelligendum est non diversorum unione, quæ sæpe multa unum dici contingit ; vel conformitate aliqua, qualiter plures homines dicuntur unus homo, quoniam scilicet qui suis subsistentis, quæ a mathematicis nominari possunt humanitates, sunt homines, et earum numerali diversitate plures, earumdem conformitate similes, et similitudine sunt conformes ; vel integritate, qualiter corpus et anima dicuntur unum animal, non quidem quod hæc ex quibus animal constat, sint aut esse possint animal (nunquam enim partes alicujus sunt a tota forma totius), sed quod ipsum animal, quod ex eis constat, est animal, a forma quæ ex omnibus illius animæ atque illius corporis subsistentiis constat, quæ etiam singularum partium singulæ de eo quod sine alterius, vel utrarumque confusione constat, ex partibus prædicantur. De quo in expositione libri qui contra Eutychen scriptus est, plenius dicetur. Sunt et aliæ rerum inter se ex suis proprietatibus diversarum, secundum alia ipsarum consortia, uniones. Sed has, quas, ut videtur, contra quorumdam errores, divinæ essentiæ unitate auctor removet, ut hujus operis qualitati explanatio responderet, tacitis cæteris quæ huic loco non faciunt, commemorare curavimus. Quidam enim hæretici, quorum errorem, ipsius erroris tacito auctore, commemorat Epiphanius, dicunt Filium simul essentiæ * cujus et Pater est. In quo partim consentiunt Arianis, partim dissentiunt ab eis, ideoque Semiariani vocantur. Nam Ariani, quibus Eunomius consentit, tam unione diversarum essentiarum quam unius essentiæ singularitate, negant Patrem et Filium unius esse substantiæ. Quia namque creatura suo principio nec similis esse potest, Filium, quem illorum dogma creaturam esse tota sui natura confirmant, Patri omnino dissimilem putant. Hi vero Semiariani, Filium et Patrem esse unius substantiæ, secundum quidem essentiæ singularitatem, negant, sed secundum diversarum essentiarum conformitatem affirmant. Sic ergo substantiam, hoc est essentiam Patris et Filii, quæ singularitate intelligitur unam, quodammodo disungunt et separant, qui unione similitudinis unam putant. Sicut enim ipsa quæ sunt similia, sic et illa secundum quæ sunt similia, necesse est esse diversa. Alii autem hæretici, quos similiter tacito auctore Philaster commemorat, sic triformem asserunt Deum, ut quædam pars ejus sit Pater, quædam Filius, quædam Spiritus sanctus, hoc est, quod Dei unius partes sunt, quæ istam faciunt trinitatem, vel ut ex his tribus partibus compleatur Deus, nec sit perfectus in seipso vel Pater, vel Filius, vel Spiritus sanctus. Juxta quem errorem quidam legentes in Patre Filium esse, interpretantur hoc tanquam in majore vase vas minus. Unde Philaster μεταγγισμονίτας hos vocat. Nam ἄγγος Græce, vas dicitur Latine : μεταγγισμός autem introitum vas unius in alterum. Hi ergo substantiam, hoc est essentiam Dei sua opinione velut partibus in unum conjungunt. Si enim Deus ex partibus conjunctus est, essentia quoque qua ipse est ex illis essentiis quibus Dei partes sunt, conjuncta est. Quoties enim subsistens ex subsistentibus conjunctum est, necesse est ejus totum esse, id est illam qua ipsum perfectum est subsistentiam ex omnium partium suarum omnibus subsistentiis esse conjunctam. Non tamen ex converso dicimus, quod quoties alicujus esse constat ex multis, ipsum quoque quod eo est, constet similiter ex multis. Contingit enim subsistens esse simplex, id est ex subsistentibus minime esse conjunctum, cum tamen ejus esse sit multiplex : ut anima simplex est, multis tamen subsistentiis aliquid est. Qualiter et aliqui Deum multiformem opinantes, potentiam, sapientiam, bonitatem, tanquam diversas, uni simplici Deo attribuunt, et ipsum unum eumdemque Deum secundum potentiam esse Patrem, secundum sapientiam esse Filium, secundum bonitatem esse Spiritum sanctum, quibus possunt vitreis tamen non tam argumentis quam argutiis asserunt. Hos itaque omnes destruit cum ait : Nec separari ullo modo aut distingui potest, illa una trium qua sunt essentia, nec velut ex partibus in unum conjuncta est ; sed potius est una simpliciter, qua illi tres sunt unum, et simplex, et omnino id quod sunt. Non enim est aliud quo sint, nisi illa individua et simplex essentia. Illa autem de tribus communiter, et divisim, et collectim (sicut dictum est) prædicatur. Igitur quod de divina substantia, id est de Deo substantialiter prædicatur, id tribus, id est Patri, et Filio, et Spiritui sancto, oportet esse commune. Ita singulariter debuit dicere, quod et prædicatur, et id et commune : quoniam, sicut dictum est, non nisi unum est, quod de his substantialiter dicitur. Quia tamen id quarumdam rationum proportionibus, sæpe diversis significandi modis ostenditur, id est, vel ad genera, vel ad qualitatum, vel ad quantitatum mutationem, cum dicimus, Deus bonus, magnus, et hujusmodi aliis nominibus significatur, pluraliter dixit : Quæcunque, et prædicantur, et ea, et communia. Nec mirum si in theologicis, ubi cognatos rebus de quibus loquimur, non possumus habere sermones ; sed ad illa significanda illos qui sunt cæterarum facultatum ex aliqua rationis proportione, transumimus, multis nominibus et diversis modis idem significamus, cum in naturalibus, ubi non est tanta inopta nominum, idem sæpe faciamus : ut corpus, corporale, corporeum, idem sed diverso modo significant. Item animal animale, et homo humanum, et hujusmodi plurima.

Idque signi erit, etc.] Quasi : Quæcunque de divina substantia prædicantur, tribus communia sunt. Idque signi, id est hoc signum erit, per hoc scilicet probabiliter intelligi poterit, quæ sint illa quæ de Divinitatis subsistentia, id est de Deo substantialiter prædicentur, quod scilicet quæcunque, etc. Quod ait signum, a rhetoribus sumit. Cicero namque inter illa probabilia inventa, quæ fere fieri solent, signum ponit : quod quidem id cujus dicitur signum, quoquo modo significari dicit, sed majoris testimonii, et gravioris confirmationis indigere : qualiter et hoc loco prædicationis de tribus simul et divisim, de singulis singulariter factæ communitas, substantialitatis ejusdem dicitur prædicati signum. Sic enim cruor, fuga, pallor, pulvis, et his similia, quorumdam factorum signa quidem sunt, quæ in continentibus cum negotiis, vel in gestionibus negotiorum fieri solent, tamen infirma, quoniam et præter negotia, quibus attribuntur, contingunt : sic ista prædicandorum, et de tribus divisim, et conjunctim communitas, substantialitatis prædicatorum signum quidem est, quoniam multis hoc convenit communiter, prædicatis, infirmum tamen, quoniam aliqua sunt quæ et de singulis divisim et conjunctim de tribus tam rei quam nominis singularitate communiter prædicantur, quæ illorum substantiæ esse non possunt, quia non secundum rem, sed extrinsecus affixa prædicamenta sunt, ut principalitas et actio. Nam et per se verum est, Pater est principium, et item per se Filius est principium, et iter per se Spiritus sanctus est principium ; et etiam Pater simul, et Filius, et Spiritus sanctus sunt unum principium. Sic et per se Pater est factor, et item Filius est factor, et item Spiritus sanctus est factor ; et etiam simul Pater, et Filius, et

* Forte legendum *similis* pro *simul*. Judicent doctiores.

Spiritus sanctus sunt unus factor. Neque tamen principalitas, neque actio est eorum qua sunt id quod sunt essentia, sed qui essentia sua sunt id quod sunt, relatione quæ vocatur principalia, referentur ad creaturas, et dicuntur earum principium, actione vero facere ipsa dicuntur. Et attendendum quod non cœperunt esse principium, facere vero cœperunt. Ex quibus apparet quædam esse quæ æternaliter, alia quæ secundum tempus tribus istis communiter conveniunt, nec tamen de ipsis substantialiter prædicantur. Ideoque communitas prædicatorum infirmum signum est substantialitatis eorum. Ad demonstrandum ergo quæ sint quæ de Deo substantialiter prædicantur, valet quidem communitas prædicationis : quoniam omnium substantialium prædicatio tribus est revera communis ; sed indiget ipsa substantialitas testimonio alterius rationis, et loco gravioris ad confirmationem inventi, quoniam non omnia quæ communiter de his dicuntur, necesse est de ipsis substantialiter dici. Unde et auctor iste cum dixisset, idque, hoc est prædicationis communitas, signum erit, quæ sint quæ de Divinitatis substantia prædicentur ; non ait quod quæcunque de tribus in unum collectis singulariter prædicantur, dicuntur de singulis hoc modo, id est substantialiter, quod falsum esset ; sed potius ait : Quæcunque de singulis, id est per se dicuntur, hoc modo, id est substantialiter de tribus etiam in unum collectis, hoc est simul suppositis, singulariter prædicabuntur. Quod exemplorum quoque testimoniis confirmatur, hoc modo. Si scilicet dicimus divisim, Pater Deus est, item Filius Deus est, item Spiritus sanctus Deus est, collectim quoque, Pater Filius Spiritus sanctus unus Deus sunt. Hoc enim exemplo patet, Deitatem, quæ de singulis divisim prædicatur, de eisdem simul collectis prædicari. Igitur una Deitas eorum, id est, Patris, et Filii, et Spiritus sancti, id est (ut utique est) una eorumdem substantia, illa quæ Græce quidem οὐσία dicitur, Latine vero essentia, manifestum est quod Dei nomen, id est Deitatem, hoc nomine quod est Deus, licet prædicari substantialiter de Divinitate, id est de Deo, de Patre videlicet, et de Filio, et Spiritu sancto. Ita, id est, sic Deitatem, quæ substantialiter prædicatur, diximus et divisim de singulis, et collectim de tribus prædicari Similiter diximus veritatem, quæ eorumdem essentia est, nec alia quam Divinitas, de illis et divisim et collectim prædicari. Nam et divisim Pater veritas, id est verus est ; item Filius veritas, id est verus est ; item Spiritus sanctus veritas est, id est verus est : et collectim, Pater, et Filius, et Spiritus sanctus non sunt tres veritates, sed sunt una singulariter et simpliciter veritas, id est unus verus. Ita pluralitati personarum verbi pluralitatem reddere debuit, et dicere, sunt : jam propter prædicatæ veritatis singularitatem, singulariter dixit, est. Ecce hoc item exemplo patet veritatem, quæ de singulis prædicatur divisim, de eisdem simul collectis prædicari. Igitur una veritas horum si est (ut utrique est) in his una substantia, hoc est essentia, necesse est eamdem veritatem de ipsis substantialiter prædicari de bonitate quoque, et de incommutabilitate, et de justitia, et de omnipotentia, ac de de cæteris omnibus, quæ tam de singulis divisim, quam simul de omnibus prædicamus singulariter. *Supple :* Idem dicimus quod de Deitate et de veritate dictum est, quod videlicet si sunt (ut utique sunt) una horum trium, substantia, manifestum est ea, imo sub multorum diversitate nominum id de ipsis substantialiter dici.

Unde, etc.] Hucusque catholicæ fidei auctoritate confirmavit illam suæ ratiocinationis partem qua dicitur : Quidquid de Deo substantialiter prædicatur, id et de Patre, et Filio, et de Spiritu sancto, et divisim, et simul suppositis, singulariter dicitur. Nunc assumpturus quod nullum eorum a quibus tres illæ sunt appellationes, id est, Pater, et Filius, et Spiritus sanctus, neque divisim, neque simul de omnibus dicitur, et conclusurus : nullum igitur eorum substantialiter prædicatur, et hoc per singula demonstraturus, prius tacitis nominibus istis, id est, Pater, Filius, Spiritus sanctus, generaliter ait, ea, et quæ in quorum generalitate hæc specialia continentur. Tanquam igitur assumptionis atque conclusionis locum breviter suæ ratiocinationi interserens, generaliter ait : Unde apparet ea. Quasi diceret : Deitas, veritas, bonitas, et quæcumque cætera de tribus substantialiter prædicantur, de illis omnibus et divisim et conjunctim suppositis dicuntur. Unde apparet ea generaliter quæcunque sint, quæ cum in singulis separatim dici convenit, nec tamen eo quod singulari nomine in omnibus dici queunt, non substantialiter prædicari, sed potius alio modo. Qui vero iste modus sit, posterius quæram.

Nam qui, etc.] Quasi : Vere quæcunque de quolibet istorum trium separatim dicta, non de omnibus eodem singulari nomine dicuntur, non substantialiter prædicantur de ipsis. Nam, ista scilicet, Pater, Filius, Spiritus sanctus, quæ si prædicantur de singulis, quod non de omnibus, minime substantialiter prædicantur, quod sine ambiguitate certum est. Ille etenim qui est Pater, hoc vocabulum quo ipse Pater vocatur, non transmittit ad Filium, neque ad Spiritum sanctum : ut scilicet, vel qui Filius est, vel qui Spiritus sanctus est, eodem vocabulo nominetur Pater. Quo fit ut hoc nomen quod est Pater, ei qui solus dicitur Pater, non sit inditum substantiale, id est, res quæ hoc nomine prædicatur, non est ejus de quo prædicatur substantia, vere. Nam si esset substantiale hoc nomen, id est res quæ eo prædicatur, ut Deus, id est Deitas, ut veritas, ut justitia, ut ipsa quoque substantia, id est ut οὐσία : quoniam hoc nomine quod est substantia prædicamus, de cæteris quoque, id est Filio et Spiritu sancto diceretur. Item Filius solus recipit hoc nomen, quod est Filius. Neque enim cum aliis, id est, Patre et Spiritu sancto illud jungit, id est hoc nomine ; neque ille qui Pater est, neque qui Spiritus sanctus est, dicitur esse Filius : sicut in Deo, id est in hoc nomine quod est Deus, sicut in veritate, id est in hoc nomine quod est veritas, sicut in cæteris nominibus quæ superius diximus, quibus una οὐσία, quæ illis significatur, de tribus quorum est essentia divisim et collectim prædicatur. Ille quoque qui etsi cum Patre et Filio non modo ab οὐσία Spiritus, sed etiam ab usu muneris, qui ex tribus æqualiter est, vel ab æternitate qua semper sunt, quod οὐσία sua sunt, sanctus vocatur tamen horum nominum appellationibus ad proprietatem, qua ab eodem Patre et Filio intelligitur, alias contractis nominatur. Spiritus sanctus non est idem qui Pater ac qui Filius est. Deinde suam ratiocinationem concludit, et ait : Ex his igitur, id est, quandoquidem quidquid de Deo substantialiter prædicatur, ut et de Patre, et de Filio, et de Spiritu sancto, et divisim, et simul suppositis singulariter dicitur : neque vero Pater, neque Filius, neque Spiritus sanctus, de eisdem omnibus vel divisim vel simul suppositis dicitur, recte intelligimus Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum, id est ea a quibus tres istæ sunt appellationes, non substantialiter dici de ipsa Divinitate, id est de illis qui, quoniam sola Divinitate sunt non modo Deus, verum etiam Divinitas appellantur, sed potius alio quodam qui jam exponetur modo, ea intelligimus dici. Si enim, quasi : Recte intulimus hæc non substantialiter dici. ex eo quod non de omnibus vel divisim, vel simul suppositis, Patre, et Filio, et Spiritu sancto, dicuntur ; si enim quodlibet horum substantialiter prædicaretur, certum est quod et de singulis divisim, et de omnibus simul suppositis singulariter diceretur : quoniam omnium illa qua sunt substantia, est tantummodo una.

Hæc vero ad aliquid dici.] Dixit hæc non substantialiter dici, sed alio modo. Nunc quis ille modus sit,

aperit dicens : Manifestum vero est hæc dici ad aliquid, id est secundum ea quæ his nominibus prædicantur, id est secundum ea quæ his nominibus prædicantur, illos de quibus dicuntur hoc ipsum quod his prædicatis sunt aliorum esse, vere. Nam et Pater alicujus, id est Filii est Pater ; et conversim, Filius quoque alicujus, id est Patris est Filius. Spiritus etiam alicujus, id est Patris aut Filii, imo et Filii et Spiritus, id est connexio.

Quo fit, etc.] Hic commemorandum videtur quod unitas omnium a se divisorum in quolibet facultatum genere prædicamentorum comes est. Nam de quocunque aliquid prædicatur, id prædicato quidem est hoc quod nomine ab eodem sibi indito, et verbi substantivi compositione cujus adminiculo prædicatur, esse significatur, sed unitate ipsi coaccidente est unum : ut album albedine quidem album est, sed unitate coaccidente albedini, unum, et simul albedine et ejus comite unitate est album unum. Quapropter cum multa prædicantur de uno, quodam modo illud unum est multa, quoniam scilicet est multis. Quamvis enim non sit numerus ejus quod multis est, est tamen numerus, et eorum quorum unoquoque est, et unitatem illis accidentium, quarum unaquæque unum est. Cum vero unum prædicatur de multis, multa sunt unum : et cum multa de multis, multa sunt multa. Nam juxta numerum eorum quæ prædicantur unorum, est etiam earum quæ illis accidunt, per quamdam conformationem numerus unitatum : et caret unitas numero, cum illius unius prædicati cui coaccidit, nullus est numerus. Quoniam ergo paternitas, et filiatio, et connexio, diversa sunt, oportet unitates quoque quæ illis adsunt, a se invicem esse diversas. Et quia quamvis substantiæ substantialia, aut accidens adsit, ut corporalitati animatio, et color accidenti, tamen non potest adesse substantia, unitates quæ adsunt paternitati, et filiationi, et connexioni, quibus sunt tria non modo hæc prædicata, verum etiam illa de quibus ipsa prædicantur, id est, Pater, et Filius, et Spiritus sanctus, nequaquam poterunt esse substantiæ. Unde et auctor recte infert dicens : Quo fit ut nec Trinitas quidem de Deo substantialiter prædicetur. Quod et ex eo manifestum est, quod non de unoquoque illorum, id est, Patre, et Filio, et Spiritu sancto divisim dicitur. Pater enim non est Trinitas, id est Pater non est tres isti, vere. Ille enim qui est Pater, Pater quidem est ; sed non est Filius ac Spiritus sanctus. Quæ approbatio omnino necessaria est : quomodo enim unitates solis his quæ prædicantur adsunt, nec nisi secundum prædicata de subjectis aliquibus dici possunt, impossibile est eas illis quibus adesse debent absentibus prædicari. Non ergo potest esse unus Filius, qui non est Filius, nec unus Spiritus sanctus, qui non est Spiritus sanctus. Secundum eumdem modum nec Filius est Trinitas, id est, non est tres isti, quoniam qui est Filius, Filius quidem est, sed non est Pater, nec est Spiritus sanctus ; neque Spiritus sanctus est Trinitas, id est non est tres isti : quoniam qui Spiritus sanctus est, id est connexio, hoc proprium, nomen habet : alia vero duo non recipit, id est, non est Pater, neque Filius. Quoniam vero una sola Divinitas trium est, necesse est ut qui illa sunt Deus, unitate, quæ secundum eam est, sint unus, et simul Divinitate, et illa quæ secundum ipsam est unitate, sint unus Deus. Sunt igitur et Pater et Filius et Spiritus sanctus, et tres et unus. Sed, sicut dictum est, Trinitas, quidem consistit in pluralitate personarum, id est unitatum numerus de illis prædicatur secundum numerum proprietatum, quæ et a se invicem diversæ sunt, et ita de diversis prædicantur, quod nunquam de aliquo plenitudine proprietatis, quæ colligatur ex his et ex aliis prædicamentis omnibus, uno dicuntur. Unde quilibet eorum ab alio sua proprietate per se unius, id est alia persona est. Unitas vero eorumdem consistit in substantiæ, id est οὐσίας, quæ de ipsis prædicatur, simplicitate : videlicet unitas de illis prædicatur, secundum singularem et simplicem qua sunt id quod sunt, suam essentiat.

Quod si, etc.] Adhuc idem dicit, quod scilicet hæc quæ tribus non sunt communia, id est, Pater, Filius, Spiritus sanctus, et Trinitas, minime substantialiter prædicantur : quæ vero sunt substantiæ, communiter de ipsis dicuntur. Quasi Trinitas in personarum diversitate, unitas in substantiæ simplicitate consistit. Quod si Pater, et Filius, et Spiritus sanctus sunt divisæ personæ (ut utique sunt), proprietatibus quæ de uno dici non possunt ; substantia vero, id est οὐσία, qua sunt id quod sunt, indivisa sit, necesse est, id vocabulum quod capit originem ex personis, id est quod ex personali proprietate, vel una, ut Pater, vel duabus ut, procedens, quod non de Patre, sed de Filio, et de Spiritu sancto dicetur ; vel emittens quod non de Spiritu sancto, sed de Patre et Filio prædicatur ; vel omnibus, ut tres, quod de nullo divisim, sed de omnibus collectim enuntiatur, ad substantiam, id est essentiam, qua sunt, non pertinere, id est minime substantialiter prædicari. At Trinitatem, id est unitates quibus collectim dicuntur esse tres, facit diversitas illa proprietatum ex quibus est diversitas quæ dicitur personarum. Quoniam ergo illæ proprietates non sunt substantiæ, quod ex eo maxime certum est, quia non singulariter dicuntur de omnibus divisim et collectim suppositis, multo magis non pertinet ad substantiam, id est non est substantialis Trinitas, videlicet unitates, quibus illæ proprietates, et illi quorum ipsæ sunt, numerantur, quæ nec prædicantur simul omnes, nec divisim de singulis. Ut enim item itemque dicatur, illa est certissima regula qua dicitur, non esse substantiam, quidquid de tribus divisim et simul suppositis non prædicatur. Quod fit ut neque Pater, neque Filius, neque Spiritus sanctus, id est quælibet istarum proprietatum a quibus hæc sunt indita nomina, neque Trinitas, qua secundum eas Pater, et Filius, et Spiritus sanctus sunt tres, de Deo, scilicet Patre, et Filio, et Spiritu sancto, substantialiter prædicetur ; sed potius (ut supra dictum est) ad aliquid. Quoniam revera Pater et Filius paternitate et filiatione inter se referuntur, et Spiritus sanctus ad eosdem se habet connexione. Trinitas vero qua ipsi dicuntur tres, ipsa quidem non est relatio (omnis enim numerus est per se), sed relationum in quibus ipsi referuntur comes est. Ideoque ipsarum consortio dicitur ad aliquid prædicari. Deus vero, id est Divinitas, quæ hoc nomine intelligitur, et veritas, et justitia, et bonitas, et omnipotentia, et substantia, et immutabilitas, et virtus, et sapientia, et quidquid hujusmodi id est diversum quidem nomine, idem vero re excogitari potest de Divinitate, id est, de Patre, et de Filio, et de Spiritu sancto substantialiter dicuntur : cum una οὐσία dicuntur vel divisim, vel simul Deus, verus, justus, bonus, omnipotens, subsistens, immutabilis, fortis, sapiens, et hujusmodi allis ab eadem οὐσία nominibus esse id quod sunt, prædicantur.

Hæc si, etc.] Quasi : Quod Pater, et Filius, et Spiritus sanctus non de Divinitate substantialiter prædicantur, mihi videor prædictis ratiocinationibus quæ ex catholica fide habent initium, demonstrasse. Tuum tamen, o Joannes, super his judicium exspecto. Si ergo hæc se habent recte secundum locos rationum theologicis convenientium, et si etiam rationes sunt ex fide, id est juxta catholicam fidem, peto ut tuæ contestationis auctoritate me instruas, id est, in eorum quæ dicta sunt intelligentia confirmes. Aut si forte diversus es a me, aliter sentiendo de aliqua re, id est de aliquo prædictorum, peto ne rationi per fictam fidem, vel fidei per fabricatam rationem præjudices, sed ligentius, id est, valde diligenter intuere, quæ dicta sunt, vel esse catholicæ fidei, vel ex his quæ tenet fides catholica, sequi : et, si utcunque poteris, fidem rationemque conjunge, ut scilicet primum ex fide auctoritas rationi, deinde ex ratione assensio fidei comparetur.

QUOMODO SUBSTANTIÆ IN EO QUOD SINT, BONÆ SINT CUM NON SINT SUBSTANTIALIA BONA, LIBER,

AD JOANNEM DIACONUM ECCLESIÆ ROMANÆ.

Postulas ut,(a)ex hebdomadibus nostris,ejus quæstionis obscuritatem,quæ continet modum quo substantiæ in eo quod sint, bonæ sint, cum non sint substantialia bona,digeram et paulo evidentius monstrem ; idque eo dicis esse faciendum, quod non sit omnibus notum iter hujusmodi scriptionum. Tuus vero testis ipse sum, quam hæc vivaciter fueris ante complexus. Hebdomadas vero ego mihi ipse commentor, potiusque ad memoriam meam speculata conservo,quam cuiquam participo, quorum lascivia ac petulantia nihil a joco risuque patitur esse disjunctum. Proinde tu ne sis obscuritatibus brevitatis adversus, quæ cum sint acarni lida custodia, tum id habent commodi, quod his solis, qui digni sunt, colloquuntur. Ut igitur in mathematica fieri solet, cæterisque etiam disciplinis, proposui terminos regulasque quibus cuncta quæ sequuntur efficiam. Communis animi conceptio est enuntiatio, quam quisque probat auditam. Harum duplex modus est: nam in una communis est, ut omnium hominum sit, velut si hanc proponas : Si duobus æqualibus æqualia auferas, quæ relinquuntur æqualia esse; nullus id intelligens neget. Alia vero est doctorum tantum, quæ tamen ex talibus communis animi conceptionibus venit, ut est : Quæ incorporalia sunt, in loco non esse, et cætera, quæ non vulgus, sed docti comprobant. Diversum est, esse, et id quod est : ipsum enim esse nondum est ; at vero quod est, accepta essendi forma, est atque consistit. Quod est, participare aliquo potest ; sed ipsum esse, nullo modo aliquo participat : fit enim participatio cum aliquid jam est ; est autem aliquid, cum esse susceperit. Id quod est, habere aliquid præterquam quod ipsum est, potest ; ipsum vero esse, nihil aliud præter se habet admixtum. Diversum est, tantum esse aliquid, et esse aliquid in eo quod est : illic enim accidens, hic substantia significatur.

Omne quod est, participat eo quod est esse, ut sit: alio vero participat, ut aliquid sit: ac per hoc, id quod est, participat eo quod est esse, ut sit; est vero, ut participet alio quolibet. Omne simplex, esse suum, et id quod est unum habet. Omni composito aliud est esse,aliud ipsum est. Omnis diversitas discors, similitudo vero appetenda est ; et quod appetit aliud, tale ipsum esse naturaliter ostenditur,quale est illud hoc ipsum quod appetit. Sufficiunt igitur quæ præmisimus ; a prudente vero rationis interprete suis unumquodque aptabitur argumentis.

Quæstio vero hujusmodi est : Ea quæ sunt, bona sunt ; tenet enim communis sententia doctorum, omne quod est ad bonum tendere ; omne autem tendit ad simile : quæ igitur ad bonum tendunt, bona ipsa sunt ; sed quemadmodum bona sint inquirendum est, utrumne participatione, an substantia. Si participatione, per se ipsa nullo modo bona sunt : nam quod participatione album, est, per se in eo quod ipsum est, album non est, et de cæteris qualitatibus eodem modo ; si igitur participatione, bona sunt, ipsa per se nullo moda sunt; sed concessum est. Non igitur participatione sunt bona, sed substantia : quorum vero substantia bona est, id quod sunt bona sunt, id autem quod sunt habent ex eo quod est esse. Esse igitur ipsorum bonum est : omnium igitur rerum ipsum esse, bonum est. Sed si esse bonum est, ea quæ sunt, in eo quod sunt, bona sunt; idemque illis est esse, quod bonum esse: substantialia igitur bona sunt, quoniam non participant bonitatem. Quod si ipsum esse in eis bonum est, non est dubium quin substantialia, cum sint bona, primo sint bono similia, ac per hoc, ipsum bonum erunt : nihil enim illi præter seipsum simile est ; ex quo fit ut omnis quæ sunt, Deus sint, quod dictu nefas est. Non sunt igitur substantialia bona, ac per hoc, non in his est esse bonum ; non sunt igitur, in eo quod sunt, bona ; sec nec participant bonitate, nullo enim modo ad bonum tenderent ; nullo igitur modo sunt bona.

Huic quæstioni talis poterit adhiberi solutio. Multa sunt quæ cum separari actu non possint, animo tamen et cogitatione separantur, ut cum triangulum vel cætera a subjecta materia nullus actus separat, mente tamen segregans ipsum triangulum proprietatemque ejus præter materiam speculatur. Amoveamus igitur primi boni præsentiam paulisper ex animo, quod esse quidem constat, idque ex omnium doctorum in doctorum quæsententia, barbararum quoque gentium religionibus cognosci potest. Hoc igitur paulisper amoto, ponamus omnia esse, quæ sunt, bona ; atque ea consideremus quemadmodum bona esse possent, si a primo bono minime defluxissent. Hinc intueor, aliud in eis esse, quod bona sunt, aliud quod sunt : ponatur enim una eademque substantia bona esse, alba, gravis, rotunda : tunc aliud esset illa ipsa substantia, aliud ejus rotunditas, aliud color, aliud bonitas ; nam si hæc singula idem essent quod ipsa substantia, idem esset gravitas quod color, quod bonum,et bonum quod gravitas; quod fieri natura non sinit. Aliud igitur tunc in eis esset esse, aliud aliquid esse ; ac tunc bona quidem essent,esse tamen aliquid esse; ac tunc bona quidem essent,esse modo essent non a bono, ac bona essent, ac non idem essent quod bona, sed eis aliud esset esse. aliud bonis esse ; quod si nihil omnino aliud essent

(a) Nimirum partiturus erat breviores has scriptiones suas per hebdomadas, sicut Titus Livius divinum opus suum per decades, Sabellicus per enneades.

nisi bona, neque gravia, neque colorata, neque spatii dimensione distantia, nec ulla in eis qualitas esset, nisi tantum bona essent, tunc non res, sed rerum viderentur esse principium ; nec potius viderentur, sed videretur : unum enim solumque est hujusmodi, quod tantum bonum, aliudque nihil sit ; quæ quoniam non sunt simplicia, nec esse omnino poterant, nisi ea id quod solum bonum est, esse voluisset. Idcirco quoniam esse eorum a boni voluntate defluxit, bona esse dicuntur ; primum enim bonum quoniam est, in eo quod est, bonum est ; secundum vero bonum, quoniam ex eo fluxit cujus ipsum esse bonum est, ipsum quoque bonum est. Sed, ipsum esse omnium rerum ex eo fluxit quod est primum bonum, et quod bonum tale est, ut recte dicatur, in eo quod est, esse bonum. Ipsum igitur esse eorum bonum est ; tunc enim, in eo quod essent, non essent bona, si a primo bono minime defluxissent.

Qua in re soluta quæstio est : idcirco enim licet in eo quod sunt, bona sunt, non sunt tamen similia primo bono : quoniam non quoquo modo sint res, ipsum esse earum bonum est ; sed quoniam non potest esse ipsum esse rerum, nisi a primo esse defluxerit, id est a bono : idcirco ipsum esse bonum est, neque est simile ei a quo est. Illud enim quoquo modo sit bonum est, in eo quod est ; non enim aliud est præterquam bonum ; hoc autem, nisi ab illo esset, bonum fortasse esse posset ; sed bonum, in eo quod est, esse non posset. Tunc enim participaret forsitan bono ; ipsum vero esse quod non haberent a bono, bonum habere non possent. Igitur sublato ab his primo bono mente et cogitatione, ista licet essent bona, tamen, in eo quod essent, bona esse non possent ; et quoniam actu non potuere existere, nisi illud ea quod vere bonum est, produxisset, idcirco et esse eorum bonum est, et non est simile substantiali bono id quod ab eo fluxit : et nisi ab eo fluxisent, licet essent bona, tamen in eo quod sunt, bona esse non possent ; quoniam et præter bonum et non ex bono essent, cum illud ipsum bonum primum et ipsum esse sit, et ipsum bonum, et ipsum esse bonum. At nonne etiam alba, in eo quod sunt, alba esse oportebit ea quæ alba sunt, quoniam ex voluntate Dei fluxerunt, ut essent alba ? minime. Aliud est enim esse, et aliud alba esse : hoc ideo, quoniam qui ea ut essent efficit, bonus quidem est, minime vero albus. Voluntatem igitur boni comitata sunt, ut essent bona, in eo quod sunt ; voluntatem vero non albi non sunt comitata, ut talis ejus esset proprietas, ut esset album in eo quod est ; neque enim ex albi voluntate defluxerunt. Itaque quia voluit esse ea alba, qui non erat albus, sunt alba tantum ; quia vero voluit ea esse bona, qui erat bonus, sunt bona, in eo quod sunt. Secundum hanc igitur rationem, cuncta oportet esse justa, quoniam ipse justus est, qui ea esse voluit. Ne hoc quidem, nam bonum esse, essentiam, justum vero esse, actum respicit : idem autem est in eo esse, quod agere, idem igitur bonum esse quod justum. Nobis vero non est idem esse quod agere, non enim simplices sumus : non est igitur nobis idem bonis esse, quod justis ; sed idem nobis est, esse omnibus bonis, in eo quod sumus. Bona igitur omnia sunt, non etiam justa : amplius bonum quidem generale est, justum vero speciale, nec species descendit in omnia. Idcirco alia quidem justa, alia aliud : omnia vero bona.

GILBERTI PORRETÆ COMMENTARIA

IN LIBRUM QUOMODO SUBSTANTIÆ BONÆ SINT.

Quod Græce φιλοσοφία, Latine amor sapientiæ dicitur, cujus quidem tota species philosophis, id est amatoribus sapientiæ placet, sed non cuilibet totam ostendunt. Attendunt enim in ipso quo sunt, id est hominum genere, plurimos, qui tanquam bruta animalia sese totos sensibus aut imaginationibus dederunt ; multos vero qui primo quasi rationis motu ad ea quæ præter sensus et imaginationes concipi debent, contendunt. Illos ergo philosophi omnino contemnunt ; hos autem quibusdam elementis, et quasi nutibus exteriorum significationum erudiunt : et hi quidem hac disciplina, quæ Græce dicitur σχολή, significationibus acceptis fari gestiunt. Sed quoniam id præter dicendi rationes tentant, sæpe in errores labuntur, sæpe autem incongrua aut imperfecta, aut superabundanti oratione balbutiunt. Quorum aliquos, vel negligentiæ torpor, vel ingenii hebetudo, in his quibus consueverunt exteriorum significationum detinent elementis. Alios vero ad ipsam rerum veritatem, quam ultra significationes mentis acies naturaliter sentit, ejusdem veritatis cupiditas trahit : hos quoque philosophi propriis sibique convenientibus officiis destinant. Nam hebetes illos, inculto et (ut ita dicatur) rusticano sermone, quo sensus magis quam evolvatur involvitur, semper laborare permittunt : spectabilem vero sapientiæ formam illis nequaquam exponere prostituunt. Alios vero ad ipsam quamdam quæ vocatur rationum via dirigunt : non tamen ad eam æque omnes admittunt. Plures enim communibus, et quæ omnibus notæ sunt rationibus, tanquam publica via currentes, ad imaginem ejus, quæ in naturalium concretionibus quodammodo adumbratur, adducunt. Multos vero his naturalium speculis assuetos, ad ea quæ a concretionibus altior disciplina, quæ Græce dicitur μάθησις, abstrahit, vocant : ut ibi naturam rerum et proprietatem, ac per hoc sapientiæ speciem, quæ in hujusmodi magis resultat, purius comprehendant. Paucos vero quos intentiore studio vident attentos, et mentis acie perspicaciores, nec tam laudis propriæ levitate subvehi, quam veritatis ipsius specie trahit, vere dignos quibus sapientiæ dignitas exeratur, in quoddam quasi diversorium extra publicam rationalium viam, et θεωρήματα sive ἀξιώματα, hoc est speculationes sive dignitates disciplinalium, ducunt. Ubi quodam quasi sinu secreti, sapientiæ ipsius quamdam præ cæteris dignitatem illis ostendunt. Hanc igitur illi pauci ea in mentis acie quæ intellectus vocatur, diu multumque in omni rerum genere, videlicet et in naturalibus, et in mathematicis, et maxime in theologicis intuentes, miratur ejus rationes ab aliorum rationibus esse diversas, nec quibus

explicari possunt, cognatos esse sermones; et si quando proportione rationis alicujus ad eam ab aliis contingat, imo necesse sit verba transumi, inextricabiles admodum quæstiones præstare. Hæc igitur sunt sapientiæ in qualibet facultate, sed maxime in theologiga paucis nota secreta, quorum quia gloria dignitatis summorum etiam philosophorum trahit admirationem, ab ipsis παράδοξα vocantur : et quia præstant quæstiones, quando translatis dictionibus proponuntur, ἐμβλήματα vel ἐνθυμήματα, hoc est propositiones, dicuntur. Quoniam vero hæc altior intelligentia percipit per excellentiam ἑβδομάδες, hoc est conceptiones, nominantur : utique longe diversæ ab illis conceptionibus quæ ἐνθυμήματα appellantur. Est enim quodam argumentationis genus, quoniam ante conclusionem λόγος cum λόγῳ, id est sermo cum sermone assumptio, scilicet cum propositione conjungitur : ideoque tota illa oratio συλλογισμός, id est collocutio dicitur. Est vero aliud argumentationis genus, quo ante conclusionem aliquid quidem dicitur, sed aliud quod similiter dictione exponendum erat, in anima absque dictione tenetur : ut, est homo, igitur est animal. Hic enim ex eo quod dictum est, est homo ; et ex eo quod absque dictione cogitatur, scilicet, homo naturaliter esse animal, conclusum est, est animal. Idcirco tota oratio ab illa parte antecedentis, quæ sine expositione tenetur in anima, ἐνθύμημα vocatur. Sunt et alia ἐνθυμήματα, quæ aut juxta qualitatem summarum oratoriarum aliquid menti relinquunt, ut mater diligit ; aut inclusione aliquo sub interrogatione posito contrarium intelligi volunt, ut quod scis prodest, et quod nescis non obest. Sed nulla talibus conceptionibus dignitas inest. Non enim a ratione et consuetudine vulgaris etiam sermonis discedunt, eoque magis illas in mente tenet orator, quod superfluum apud se judicat, eas omnibus notas oratione proponi. Quæ vero hebdomades appellantur, a sensu simplicium omnino procul sunt : et qui in plurimis studuerunt,et sophisticis etiam exercitationibus probati paruerunt, earum miraculo commoventur, et sicut prædictum est, ad ipsarum contemplationem non nisi paucos eosque valde probatos admittunt. Hujusmodi multas præmente Boetius sapientiæ amator habet, et Romano Joanni diacono diu pulsanti,dignoque cui aliquando aperiretur, qualiter poterat in naturali, ideoque composito fabricatoque sermone, aliquas exerebat. Inter quas una erat qua dicebatur ea quæ sunt,esse bona in eo quod sunt,cum tamen non sint substantialia bona. Quam admirationem quidem venerabatur Joannes, sed a veritate sensus illius, quarumdam rationum qui videbatur in ea conflictus, ejusdem intelligentiam excludebat. Hunc ergo conflictum, rogatus ab eo Boetius primum illi proposuit : ut ea quæ sunt, non modo in eo quod sunt, verum etiam nullo modo esse bono, quarumdam phantasiis rationum conclusii. Deinde totam hujus ænigmatis nubem divisione decussit, et sic ad hebdomadis, hoc est, conceptionis dignitatem, intelligentiam ejus admisit.

Postulas etc.] Quid Joannes diaconus petat, et quid se facturum super hoc Boetius spondeat, tanquam brevi prologo, quo attentionem ejus quæ informando solvendoque emblemate magis erat necessaria, moveat, præmittit ;et ait: Postulas, quasi rem a nobis tuæ amicitiæ debitam, ut unam ex hebdomadibus nostris, videlicet obscuritatem quæstionis ejus quæ continet modum, quo scilicet substantiæ, id est quæ in naturalibus res subsistentes dicuntur, bonæ sint, in eo quod sint, cum non sint substantialia bona, hoc est, cum bonitas ipsa non sit eorum de quibus prædicatur subsistentium esse, digeram quod est, et paulo post evidentius, hoc est aliquatenus evidenter monstrem, videlicet quibus argumentis affirmatio, quibusque negatio probari posse videatur, et quo multiplicitatis loco divisio, veræ scientiæ error cedat, exponam. Dicisque id esse faciendum, id est, quæstionis hujus obscuritatem ita esse digerendam, ideo quod non omnibus notum sit iter hujusmodi scriptionum, id est,non multi sunt qui de hujusmodi scribere consueverint, aut etiam scribendi noverint rationem. Nam etsi hos, quos graves locos vocabant, suis quandoque orationibus insuruerint, ut Socrates et Cato, et alii multi, minime tamen his tractandis operam dabant. Quod vero hoc scriptionum iter paucis notum sit, et te vere attendisse, et eam etiam , ne usu communi, si scilicet a pluribus hujusmodi tractarentur, vilescerent, tam valde placuisse, exempla tua ad me, ut de hac scriberem quæstione, directa comperi. Nam ex his quæ in ea legi, ego ipse sum tuus testis, quam vivaciter antehac fueris complexus, id est, tibi placuerint : hæc sedicet paucis, sicut dictum est, notum esse iter hujusmodi scriptionum ; et tu quidem de prædicta hebdomade digerenda sic postulas. Ego vero ipse, et hanc, et alias hebdomades commentor quidem, id est, in mentem frequenter comminiscor, sed hoc mihi tantum. Quod est, speculataque ad memoriam meam conservo, potius quam participo, id est communico cuiquam illorum, quorum lascivia interior ac exterior petulantia, nihil patitur esse conjunctum, id est perfectum in se et allis congruum, quod Græci dicunt ἁρμονικόν. Quod utique provenit non ab animi ratione, sed a joco lasciviæ risuque petulantiæ suæ. Tales namque sua tantum inventa solent laudare, cæterorum vero vituperare, et tanquam nullius sint, deridere. His ergo sapientiæ secreta, quoniam propter eos qui digni videntur omnino tacere non possumus, aliqua de locis multiplicatis conformata specie veri, aut saltem aliqua verborum contractione obducimus. Prohinc moneo, tu ne sis adversus obscuritatibus brevitatis, id est, quæ ex brevitate contingere possunt. Quæ cum sint, contra obliquos obtrectatorum morsus, arcani fida custodia, quod non mediocriter utile est, tum etiam commodi, id est, hoc commodi naturaliter habent, quod colloquuntur cum his solis qui quatenus possunt convenientium rationum via vestigant, et indeficientium studiorum impendio comparant conceptionum arcana, qui vere digni sunt intromitti ad ea.

Ut igitur, etc.] Quasi : Postulas ut digeram, et evidentius monstrem obscuritatem quæstionis, etc. Ut igitur tuæ satisfaciam postulationi, feci sic, ut fieri solet in mathematica maxime disciplina, id est arithmetica, geometrica, musica, astronomica, et in cæteris etiam pluribus disciplinis : ut in prædicamentis et analyticis, in quibus quædam secuturis tractatibus necessaria præponuntur, videlicet præposui terminos regulasque. Eosdem quos vocat terminos, vocat etiam regulas, sed regulas quidem, quoniam locali similitudine multa continent, terminos vero, quoniam ex eorum principiis demonstratio propositorum deducitur, et eorum postremis inductionibus tanquam finibus terminatur. Hos igitur sive terminos sive regulas præposui, quibus efficiam cuncta quæ sequuntur, id est, quibus et propositam hebdomadem abduci in dubitationem ostendam, et ex multiplicitatis loco diviso ipsam confirmem.

Communis, etc.] Prima quam ponit regula, omnium quæ sequuntur, imo omnium cujuscumque facultatis sint generalium sententiarum, quas etiam hoc loco conceptiones vocat, est locus. Ut enim de positivis grammaticæ facultatis regulis taceamus, certum est, quod et qui vocantur communes loci rhetorum, et maximæ propositiones dialecticorum, et theoremata geometrarum, et axiomata musicorum, et generales sententiæ ethicorum seu philosophorum, continentur universitate hujus regulæ, qua dicitur : Communis animi conceptio est enuntiatio, quam quisque probat auditam, non unius tantum, sed communis animi, id est multorum animorum vocat eam de qua nunc loquitur conceptionem · quoniam scilicet, quæ infinitarum, singularium, concessarum, seu dubiarum localis est ratio, plurimis vel natura, vel opifice logica notam adeo esse convenit, ut cum ad aliquid confirmandum

adducetur, testimonio probationis non egeat. Unde et alibi indemonstrabilis, et per se nota dicitur, et hic, enuntiatio, quam quisque probat auditam. Ideo namque aut cæteris inventis sæpe interseritur, aut orationibus jam perfectis atque terminatis exponitur, quoniam vel naturaliter, vel ex logica disciplina illis cum quibus sermo conseritur, est omnino indubia. Nec te moveat quod conceptio dicitur enuntiatio, aut si etiam converso, enuntiatio dicatur conceptio, quoniam et quod concipimus enuntiamus, et quod enuntiamus concipimus. Harum autem quæ ita communes animi dicuntur conceptionum duplex est modus. Nam una ita communis animi est, ut omnium sit, id est ut omnes homines hanc naturaliter noverint ; veluti si hanc conceptionem geometricam proponas, qua dicitur : Si duobus æqualibus æqualia auferas, quæ relinquuntur æqualia esse nullus intelligens, id est nullus sanæ mentis homo, id neget. Omnes enim etiam præter logicam disciplinam, id verum esse naturaliter cognoscunt. Alia vero ita communis animi est, quod non omnium hominum, sed doctorum tantummodo est, quæ tamen venit ex talibus conceptionibus, quæ qualiter prædictum est, communis sunt animi ; ut est hæc : Quæ incorporalia sunt, in loco non esse. Hæc enim non quidem ejus, quæ dicitur logicæ rationis universitate, locus est, sed ex logicæ loco veniens, naturalis. Est namque dialecticorum omnibus nota topica generalis, quod soli alicui proprium est, id sine eo esse non potest : ut color, quia soli corpori accidit, non nisi in corpore est. Ex hujus igitur loci universitate omnibus etiam hominibus naturaliter cognita, venit hæc conceptio sive enuntiatio naturalis, qua dicitur, quæ incorporalia sunt, in loco non esse. Locus enim, et quo locale, et quo locatum aliquid vere intelligitur, solis corporibus accidit. Sotidi namque intervalli circumscriptio, quæ in genere quantitatum locus vocatur, in solis corporibus est. Itaque et ille locus, qui ex quadam intervallorum ad se invicem ordinabili collatione, collocatio nominatur, tantum corporum est, secundum quam generaliter quidem locata, specialiter vero intra et extra, ultra et citra, subter et supra, et hujusmodi, corpora ipsa sola recte dicuntur ; et hæc quidem collocatio universis mundanæ machinæ partibus convenit. Ipsa vero secundum se totam utique localis est : quoniam intervallaris ejus protensio suis quibusdam terminis retinetur, quod est circumscribitur. Quia tamen propter ipsam non est aliud corpus, nec extra, nec intra, nec ultra, nec citra, nec subter, nec supra, nec juxta, nec circa aliquid esse, nec hujusmodi aliqua prædicamenta recipere ; ideo nec secundum se totam locata esse potest : atque in hoc cum incorporalibus convenit, quæ quia non sunt localia, nequaquam locata intelligi possunt. Sed sicut dictum est, quamvis illa maxima propositio, et topica generalis, ex qua naturalis hæc venit, et in qua cum infinitis aliis continetur, omnibus etiam naturaliter nota sit, hæc tantum quæ modo venit, tantummodo doctorum dicitur esse. Recte utique : cæteri namque usu verborum, qui sæpe ex aliqua causa extenditur ultra naturam, decepti, ex eodem sensu dictum accipiunt : Anima est intra corpus animalis, et extra corpus lapidis, et linea sita in corpore, et extra animam est, et hujusmodi, ex quo sensu corpus aliquid intra vel extra aliud corpus est, audiunt. Docti vero, quos una facies diversarum dictionum non decipit, sensus ipsos qui sub eadem dicendi diversi sunt qualitate, dividunt, ideoque quod aliis minime videtur, cognoscunt. Hæc est igitur communis animi illa conceptio, sive enuntiatio, quæ doctorum tantummodo est, et cætera hujusmodi quæ non vulgus comprobant, sed multo usu diversarum disciplinarum, et tam exemplis quam rogulis docti.

Secunda regula : *Diversum est, esse, et id quod est. Ipsum enim esse, nondum est ; at vero quod est, accepta essendi forma, est atque consistit.*] Hic notandum videtur, quod diversorum philosophorum in diversis facultatibus usu diverso, esse, et esse aliquid, diversum dicuntur. Nam in theologica, divina essentia, quam de Deo prædicamus, cum dicimus, Deus est, omnium creatorum dicitur esse. Cum enim dicimus corpus est, vel homo est, vel hujusmodi, theologici hoc esse dictum intelligunt quadam extrinseca denominatione ab essentia sui principii. Non enim dicunt corporalitate corpus esse, sed esse aliquid, nec humanitate hominem esse, sed esse aliquid, et similiter unumquodque subsistens, essentia sui principii prædicant non esse aliquid, sed esse. Illa vero quæ in ipso creata est subsistentia non esse, sed esse aliquid. Et ad eumdem modum quidquid operante summo principio est, eadem principali, et increata essentia dicunt esse, suo vero quolibet genere aliquid esse. Illorum vero philosophorum quibus suæ facultatis genera sunt, sola illa quæ ex principio esse cœperunt ; alii quælibet illa orationum suarum themata, id est materias, de quibus loquuntur, eodem quo dicunt esse, dicunt etiam esse aliquid : unde etiam hoc verbum, est, dicunt de omnibus æquivoce prædicari. Alii vero dividunt, et ea quæ subsistunt dicunt esse subsistentiis, et esse aliquid his quæ subsistentias comitantur, intervallaribus scilicet mensuris et qualitatibus. Cæteris vero septem generum prædicamentis eadem subsistentia nec esse, nec aliquid esse concedunt. Similiter et nullum illorum quæ abstractio mathematica ab his de quibus prædicantur dividit, vel esse, vel aliquid esse consentiunt. Ergo cum dicitur diversum esse, et id quod est, secundum theologicos quidem intelligitur esse id quod est principium, id quod est vero, illud quod est ex principio ; sed secundum alios philosophos, esse subsistentium solæ illorum quæ prædicantur subsistentiæ ; quæ vero sunt, ea tantum quæ illas in se habendo subsistunt. Sic ergo et secundum theologicos, et secundum alios philosophos recte potest dici : diversum est esse, et id quod est. Sed et hanc regulam, et cæteras quæ sequuntur præter septimam, tam usu theologicorum quam aliorum philosophorum, hoc loco accipi debere, sequentia nos docebunt. Nos tamen omnes præter illam septimam, ut significantius demonstrarentur, in naturalibus exemplabimus. Ait ergo : Diversum est esse, id est subsistentia, quæ est in subsistente, et id quod est, id est subsistens in quo est subsistentia : ut corporalitas et corpus, humanitas et homo, vere. Ipsum enim quod per abstractionem quodammodo ab illo in quo est intellectus separet esse, nondum est. Non ait : non est, sed nondum est ; dum enim ipsam illam simplicem puramque formam ut in seipsa est intuemur, quod est eam aliter quam sit attendere, quodammodo non est, eo quod non qualiter attenditur, est. Etsi enim abstractim attenditur, est tamen inabstracta. At vero id quod est, accepta in se forma essendi, id est, ea quam abstractim intellectus concipit, subsistentia, quæ acceptio dicitur, generatio est, atque materiæ, quæ ὕλη dicitur, formæque hujus, quæ Græce οὐσιωδὴς vocatur, concursum, opifice illa forma quæ nominatur οὐσία, juxta exemplar illius quæ dicitur εἰδέα, εἰκὼν, hoc est illius exemplaris exemplum et imago consistit : ut corpus, eo quod ut esse corporalitatem habet, est corpus ; et homo, eo quod humanitatem.

Tertia regula : *Quod est, participare aliquo potest sed ipsum esse, nullo modo aliquo participat ; fit enim participatio cum aliud jam est ; est autem aliquid, cum esse susceperit.*] Sensus : id quod est, hoc est subsistens, quod ea quam in se habet, subsistentia est, potest participare aliquo, id est cum ipsa subsistentia, aliquid aliud quod ad potentiam subsistentiæ illius pertineat, in se potest habere : ut corpus quod corporalitate, quam in se habet, est, cum ea colorem etiam, et lineam, et diversorum generum qualitates, et quantitates alias ad corporalitatis potentiam pertinentes, quibus ipsum quale et quantum est, in se habet. Sed ipsum esse, id est subsistentia, quæ ines

subsistenti, nullo modo participat aliquo. Quippe quod in se non habet esse quo sit, nullo modo cum esse potest, habere in se quo quale vel quantum sit. Esse namque subsistentia est, non substantia. Ita cum esse non possit in se habere, quo sit, nec participatione aliud aliquid in se habebit, vere : cum enim aliquid, id est subsistens jam est aliqua subsistentia, tunc fit alterius naturæ ad illius subsistentiæ potentiam pertinentis, participatio, qua subsistens ipsum quale vel quantum sit. Est enim in his quæ prædicantur quidam ordo non temporis, sed rationis, quo naturaliter id quod est esse, præcedit ; et quod proprietatis cuidam ratione illi addictum est, sequitur. Ac per hoc cum jam aliquid est, deinde quo esse cum suo participet, quæritur. Est autem illud, cum aliquid, sicut in secunda regula dictum est, esse, hoc est essendi formam susceperit.

Quarta regula : *Id quod est, habere aliquid præterquam quod ipsum est, potest ; ipsum vero esse, nihil aliud præter se habet admixtum.*] Hæc regula quodam modo præcedentis sensum explanat. Ideo namque id quod est participare aliquo dictum est, quoniam id ipsum quod est, potest habere aliquid præterquam illud sit, quo ipsum quod est, est, id est præterquam sit esse, quo ipsum est : ut corpus præter corporalitatem, cum ipsa qua est corporalitate habet colorem. Ipsum vero esse idcirco nullo modo aliquo participat, quoniam nihil aliud præter se habet, cum eo quo forte fugatur esse, in esse admixtum.

Quinta regula : *Diversum est, tantum esse aliquid, et esse aliquid in eo quod est : illic enim accidens, hic substantia significatur.*] Sicut prædiximus, ea quæ subsistunt, quidam philosophorum dicunt esse solis subsistentiis, et esse aliquid quibusdam, quæ alia sunt a subsistentiis, videlicet solis accidentibus. Secundum hunc usum hoc loco solum subsistens solis accidentibus esse aliquid dicitur. Dicimus etiam, quoniam id quod est aliquid, quandoque dicitur esse aliquid in eo quod est, et hoc quoque duobus modis, quandoque vero ita simpliciter esse aliquid, quod nullo modo in eo quod est. Verbi gratia : Aliquod opus, et æreum dicitur, et humanum, et triangulum. Sed æreum atque humanum, in eo quod est, diversa tamen ratione ; triangulum vero, nulla ratione in eo quod est, sed tantum triangulum. Et æreum quidem dicitur esse, in eo quod est, quoniam eo ipso quo est, suo scilicet genere dicitur æreum. Humanum vero dicitur esse, in eo quod est, non quidem quoniam sit humanum genere quo ipsum est, sed quoniam hoc ipsum quod opus esse æreum prædicatur, ideo humanum est, quia auctor ejus, vere in eo quod est idem genere proprio humanus est, siquidem ministro ac per hoc quodam modo auctore homine accessit lapidi color, quo solutus est, et ita æs factus est. Triangulum vero idem utique opus dicitur, sed nulla ratione in eo quod est. Neque enim quod est triangulum, eo ipso quo est, id est genere suo est triangulum. Neque vero ideo quod esse illius, id scilicet, quo ipsum opus est dicatur triangulum, eo quod auctor ejus, id est homo sit triangulus. Ideoque sola accidente figura, quæ scilicet nec operis nec auctoris est esse, triangulum dicitur. Unde manifestum quod diversum est, esse aliquid tantum, id est, cui cum prædicatur esse aliquid, non potest addi in eo quod est ; et esse aliquid in eo quod est, id est, cui dicitur esse aliquid, potest addi in eo quod est, vere. Illic enim, id est cum de quolibet dicitur, est aliquid, ita quod non potest addi, in eo quod est, significatur esse accidens, id quo ita esse aliquid dicitur : ut quod opus dicitur esse triangulum. Hic vero id cum de quolibet dicitur, est aliquid, ita quod potest addi, in eo quod est, significatur esse substantia, hoc est subsistentia, id quo ita esse aliquid dicitur. Sed vel ipsius esse subsistentia, quod proponitur esse aliquid, ut opus est æreum ; vel illius esse substantia, quo auctore est esse illius, quo aliquid esse proponitur, per quod tam esse illius, quam illud ipsum eadem auctoris subsistentia esse aliquid affirmatur, ut, opus est humanum.

Sexta regula : *Omne quod est, participat eo quod est esse, ut sit ; alio vero participat, ut aliquid sit : ac per hoc id quod est, participat eo quod est esse ut sit : est vero, ut participet alio quolibet.*] Supra in regula tertia qua dictum est, quod est, participare aliquo potest, participationem dicebat, id quod est cum suo esse, aliud habere quiddam. Unde in quarta aperte dicebat : Id quod est, habere aliquid præterquam quod ipsum est, potest. In quo etiam et in eo quod in tertiæ clausula ponebat dicens : Est autem aliquid cum esse susceperit, et in hue secundæ subjungens, quod est, accepta essendi forma est, patenter ostendit, quoniam habere ipsum esse, participatio est. Utrumque igitur habitum, videlicet, et quo habetur ipsum esse, et quo aliud aliquid cum ipso ab uno solo, id est ab eo quod est, in hac sexta regula manifeste participationem appellat, et ait : Omne quod est, scilicet omne subsistens, participat eo quod est ejus esse : non quidem ut eo sit aliquid, sed ad hoc tantum ut eo sit. Cum eodem vero idem subsistens quodam alio participat, ut eo sit aliquid. Sed illa participatio, qua eo quod est esse participat, natura prior est ; altera vero posterior, unde infert : Ac per hoc ; quasi : Quia videlicet non potest esse aliquid nisi prius naturaliter sit, id quod est, sicut dictum est, participat eo quod est esse, ut sit. Est vero naturaliter prius, ut deinde participet alio quolibet quo aliquid sit.

Septima regula : *Omne simplex esse suum, et id quod est unum habet.*] Hoc in solis theologicis exemplari potest. Nam omnia naturalia non modo creata, sed etiam concreta sunt. Mathematica vero, etsi nec re, nec proportione dicuntur habere in se quo sint, vel aliquid, aliqua tamen eorum ut suæ rationis partibus constant, ut illa quæ ex omnibus tam in natis quam extrinsecus affixis colligitur, primarum substantiarum plena proprietas, et ea subsistentia specialis, quæ ex generali et ejus potentiis constat. Horum quoque, et omnium aliorum, quæ quoniam hujusmodi partes non habent, simplicia vocantur, effectus est multiplex : Deus vero omnino est simplex ; nam quoniam non habemus illi cognatos quibus de ipso loquamur sermones, a naturalibus ad ipsum verba transumimus, dicentes : In Deo est essentia qua ipse est, et potentia qua potens est, et sapientia qua sapiens est, et hujusmodi ; non tamen cogitamus ab essentia, qua illum esse prædicamus, potentiam aut sapientiam ejus, quibus quasi esse aliquid dicimus eum, de quo omnino nec scimus, nec scire possumus, quid sit in illa ratione esse diversam. Et tanta in illo est, sub hac horum nominum diversitate, non dico rerum unio, sed rei singularis, et simplicis, et individuæ unitas, ut de eo vere dicatur : non modo Deus est, Deus est potens, Deus est sapiens, verum etiam Deus est ipsa essentia, Deus est ipsa potentia, Deus est ipsa sapientia, et hujusmodi. Ipse enim solus quidquid est juxta hujusmodi nominum diversitatem, ex unius numeris ejus, quod est Spiritus sanctus, usu diverso nostrorum, vere est in eo quod est, et ipsum quod est. Quicunque vero diverso prædicti muneris usu, vel potens, vel sapiens, vel hujusmodi est, est quidem hoc qualitercunque in eo quod est, sed nullo modo est ipsum quod est : pluribus enim est, et pluribus aliquid est, ipse vero eodem quo est, aliquid est, et est vere in eo quod est, et vere id quod est ; ideoque recte dictum videtur, omne simplex esse suum, et id quod est unum habet. Id est, si quis de eo quod vere est simplex, dicat est, et item dicat est aliquid, nullus intelligere debet, quod secunda oratione prædicaverit, de ipso aliquid proprietate aliqua diversum ab eo, quod prædicaverat in prima. Ut si vel de Patre, vel de Filio ejus, vel de utrorumque Spiritu, dicat quis, est, ita : Pater est, Filius est, utrorumque Spiritus est, et postea de eodem Patre, vel de eodem Filio, vel de eodem amborum Spiritu dicat, est aliquid, ita : Pater est potens,

Filius est potens, Spiritus amborum est potens, nulla ratione intelligi debet aliud esse quod est, et aliud esse quo potens est, quoniam et Patri, et Filio et amborum Spiritui idem omnino est, et esse, et potentem esse ; similiter illorum trium cuilibet idem est esse, et sapientem esse ; item cuilibet illorum idem est esse, et bonum esse, et hujusmodi : quod in non simplicibus quod sunt omnia quæ creata subsistunt, minime verum est.

Unde et octava regula est : *Omni composito aliud est esse, aliud ipsum est.*] Duobus modis compositio accipitur : unus est, quo subsistens aliquod ex subsistentibus inter se diversis, et a quibus compositum ipsum aliud est, dicitur esse compositum : ut homo, qui ex carnibus et ossibus, vel ex corpore et spiritu compositus est. De quo composito non dubium est plurima prædicari, nam et omne quo quodlibet componens est, et quo aliquid est, et esse, quod ex omni componentium esse et aliis quibusdam componitur, quo et ipsum compositum subsistens est, et omne quo idem juxta compositum esse aliquid est, de ipso homine prædicatur : ut homo est carnes et ossa, est corpus et spiritus, est coloratus, et intelligere potens est homo, et aptus ad ridendum, et hujusmodi plurima. Alius vero compositionis est modus, quo non quidem subsistens ex subsistentibus (nam quantum ad hoc simplex est), sed et multis quorum unoquoque est, et multis quorum unoquoque aliquid est, ejus constat proprietas : ut hominis spiritus, qui unus et simplex, quantum ad hoc quod non ex diversis subsistentibus constat, et multis subsistentiis est, et multis earum accidentibus aliquid est : ideoque compositus, nec ipsum quod est. Non enim in eo compositionem attendimus : quoniam aliud est quod est, aliud quo est. Nam si quemadmodum quod est, unum tantum est, ita quoque unum simplex tantum esset, quo et esset, et aliquid esset, nulla ratione compositum esset. Itaque quoniam alio est, alio aliquid est, etiamsi non ex diversis subsistentibus constet, subsistens ipsum concretum atque compositum est. Quoniam ergo omne subsistens tale est, generaliter, ait, omni composito, id est omni subsistenti, aliud est esse quo scilicet est : ipsum vero est aliud alio quodam, quo scilicet aliquid est.

Nona regula : *Omnis diversitas discors, similitudo vero appetenda est : et quod appetit aliud, tale ipsum esse naturaliter ostenditur, quale est hoc ipsum quod appetit.*] Diversitati identitas contraria est : similitudo vero repugnans. Idcirco, quamvis quibuslibet rationibus idem dicitur, hisdem diversum quoque dicatur, tamen hoc loco in ea ratione in qua similitudo intelligitur, diversitatem intelligendam docuit, cum præmisso quod omnis diversitas discors, non subjunxit, identitas vero, sed potius, similitudo vero, etc. Similitudo dicitur quædam ex proportione contrariorum aut parium, aut sub eamdem rationem cadentium comparatio. De qua nihil ad præsentem locum. Est etiam alia ad hunc pertinens locum, quæ proprius dicitur similitudo, quæ scilicet est quædam unio diversorum. Unio dico, non unitas, et quædam, non quælibet. Illam enim, quæ vero nomine dicitur unitatem, sola naturæ singularis proprietas facit, quæ natura quandoque in uno tantum est, ut quælibet illa qua supercœlestis spiritus aliquis, unum aliquid est : quandoque in multis, quæ etsi non alterutrius, saltem alterius numero constat esse diversa. Ut quælibet humani corporis natura, quæ non modo in corpore hominis, verum etiam in ipso qui ex corpore constat, videlicet in homine esse dicitur, et de ipso homine prædicatur, cum tamen corpus hominis atque homo, non et corporis et hominis, sed tantummodo hominis numero differant. Non enim corpus hominis est naturæ suæ proprietate aliud unum quam homo : sed homo multarum naturarum suarum proprietatibus est aliud unum quam hominis corpus. Unde homo et corpus ex quo ipse constat, non sibi unita, sed vere unum atque idem dicuntur, non tamen quod corpus illud omnino sit idem quod homo, sed quod homo idem omnino quod corpus illud est. Unio vero semper illorum est, quæ diversa sunt utriusque numero : sed hæc est modis ex diversitate rationum diversis. Aliter namque sibi unita dicuntur materia atque forma, ut quodam rationali habitu unum subsistens sit ; aliter pars et pars, ut quod constat ex eis, naturali aut rationali habitu unum totum sit, aut aliarum rationum consortiis : ut in civilibus, aut linguæ, aut ritus, aut legis, aut loci, aut affectus, unius consortio dicantur multi una gens, unus populus, unus conventus, unum cor, et hujusmodi, de quibus omnibus nihil ad præsentem locum. Sed est quædam alterutrius numero diversorum unio, quam conformitatis ratio facit, quæ ad præsentem pertinet locum. Hæc unio similitudo vocatur, et est vel secundum naturam, vel secundum quædam extrinseca. Secundum naturam vero dupliciter : aut enim secundum propositæ naturæ plenitudinem, et dicitur substantialis similitudo : qualiter album albo simile est, et homo homini ; aut secundum propositæ naturæ partes aliquas, et vocatur imaginaria similitudo : qualiter humana pictura vero homini dicitur similis. Illa vero quæ est secundum extrinseca, dicitur imitatio : qualiter artifex aliquis alii artifici, vel homo Deo, juxta voluntatem ejus aliquid faciendo, dicitur similis. Itaque contra hanc, quæ est similitudinis, unionem dissimilitudinis diversitatem volens intelligi, ait : Omnis diversitas dissimilitudinis est discors. Sese et enim quodammodo abhorrent fugiuntque contraria. Unde et in mundana sphæra, ignis, qui est acutus, subtilis, et mobilis, est supremus : terra vero est extrema, quæ est obtusa, corpulenta et immobilis. Similitudo vero appetenda est, imo appetitur. Unde et in eadem mundana sphæra, aer et aqua, ita sunt media, quod igni aer, quam aqua similior : quoniam similiter substilis et mobilis, illi propinquior est. Sic et terræ aqua loco quam aer est vicinior : quoniam ipsa quoque similitudine est illi quam aer conjunctior. Inde est quod si quis supra ignem terram locare laboret, propria alterutrius ponderositate, et ignem sursum levitas subvehit, et terram deorsum gravitas sidit. Similiter et de sub aqua ve terra invento meatu, sua ponderositate aer exploditur, et ad ignem usque contendens sub ipso retinetur, et aqua super aerem vel ignem posita, propria similiter ponderositate deorsum versus usque ad terram liquitur, ibique retenta, super ipsam locatur. Fugit enim unumquodque quidquid in genere suo dissimilitudine a se diversum est : accedit vero ad id quod quallcunque dissimilitudine sibi conforme est, et e converso qualitercunque conforme est, quod accedit. Unde subdit : et quod appetit aliud, eo ipso quod appetit, ostenditur ipsum esse naturaliter tale aliqua superius diversarum similitudinum specie, quale est hoc ipsum, videlicet illud aliud, quod appetit.

Sufficiunt igitur, etc.] Regulas sive terminos, quibus ea quæ sequuntur efficiat, hucusque proposuit. Quibus quoniam et propositam hebdomadem in dubitationem adducere, et quod de illa sentit se posse confirmare non dubitat, ait : Sufficiunt igitur, ad ea quæ sequuntur efficienda, hæc quæ præmisimus. Quæ tamen quibus secuturæ demonstrationis, sive inventis, sive conclusionibus possint aptari, ego propter illos, quorum petulantia nihil patitur esse conjunctum, studens obscuritatibus brevitatis, minime notavi : ut dicerem hoc vel illud, ex hujus vel illius regulæ ratione constare. A prudente vero interprete rationis, qui scilicet ex ipsis inventis et forma ratiocinationis locos ipsos rationales, a quibus hæc sunt deducta, prudenter animadvertit, unumquodque prædictorum suis aptabitur argumentis, id est, ad quam earum quæ prædictæ sunt regularum, illud vel illud pertinent, assignabitur.

Quæstio vero, etc.] Demonstraturus quod ea quæ sunt in eo quod sunt, bona sunt, cum non sint substantialia bona, prius quærit ea quæ sunt, an bona sint an non. Quæ quæstio, ut non confuto nomine, et sola præter rationis veritatem forma, qualiter a sophistis fieri solet, nuncupari quæstio videatur, ex utriusque partis suæ, prout videtur, firmamentis eam in dubitationem adducit. Et primum probat illam partem qua dicitur, ea quæ sunt, bona sunt, deinde illam qua dicitur, ea quæ sunt, bona non sunt. Et sic occasione solvendæ quæstionis istius, occultum propositæ hebdomadis sensum, qualiter a sapiente percipi possit, exponit. Ostendit enim non modo esse bona ea quæ sunt, verum etiam qualiter bona sunt. In quo, non esse quidem substantialia bona, et tamen in eo quod sunt, esse bona diffinit. Ait ergo : Quæstio vero hebdomadis hujusmodi est, id est, per hanc quæstionem aliam, et his quæ nunc dicentur argumentis, in ambiguitatem adducitur. Dico quod ea quæ sunt, id est, quæ subsistunt (quod sic intelligendum ex sequentibus patet), bona sunt. Certum est enim, et hoc tenet communis sententia, non quidem omnium hominum, sed omnium doctorum, videlicet, omne quod est ad primum summumque bonum tendere. Quamvis enim aliter et aliter, aliorum et aliorum, tamen omnium ad id quod est summum perfectumque bonum, festinat intentio. Nam irrationalis creatura, ut bruta animalia, imo insensata, ut arbores et herbæ, et etiam inanimita, ut lapides, naturaliter ad summum bonum, quod vere et proprie, et est, et unum est, tendunt, cum utcunque suoque, quo sibi a summo opifice datum est, modo, et ut sint, et ut unum sint, cupiunt, et ne hoc omnino amittant, resistunt Rationalis vero creatura non modo sicut cætera naturaliter, verum etiam officio facit, cum non tantum esse, vel unum esse cupit : sed etiam suum principium vitæ moribus colit, et mentis intelligentia recolit, et toto caritatis nisu, ut ipsum sibi detur in præmium, petit. Ideoque hanc doctorum sententiam, qua dicitur : omne quod est ad bonum tendere, multis atque firmissimis rationibus nixam, nullum prorsus contrarium concutit, imo quidquid forte, sicut id quod dicitur malum, ab ea dissentire videtur, si quis diligentius altiusque attendat, omnino consentit. Addit : Omne autem tendit ad sibi simile. Similitudo, sicut prædiximus, aut proportionis comparatio, aut numero diversorum quædam unio est. Hanc igitur quæ dicitur unionis, hoc loco volens intelligi, ait : Omne quod est, id est omne subsistens tendit ad id quod sibi unione quadam simile est. Quæ etiam omnium doctorum est communis sententia. Hæc enim philosophorum omniumque ethicorum regula est conceptioque communis. Ex qua, et ex præmissa, quæ tantum est ethicorum, hac scilicet, omne quod est tendit ad bonum, posset inferre : Omne quod est simile bono est ; sed quoniam hoc illis præmissis satis manifestum erat, dimisit. Ne tamen bipertita remaneret ratiocinatio, juxta Ciceronis præceptum hujus consequens infert, et ait : Quæcunque igitur sunt, ipsa bona sunt ; sed hoc inferendo, primam in eodem ipso repetit propositionem, dicens : Quæ ad bonum tendunt. Notandum est hujus ratiocinationis necessitatem ex prima atque ex nona regula esse. Quod enim ait tenet communis sententia doctorum, tanquam modus suppositus est illi primæ regulæ qua dictum est : Communis animi conceptio est enuntiatio quam quisque probat auditam. Assumptio vero qua dixit, omne autem tendit ad simile, ad illam partem nonæ regulæ spectat, qua dictum est : Similitudo vero appetenda est.

Sed quemadmodum, etc.] Quæstionis partem illam quæ est : Ea quæ sunt, bona sunt, hucusque probavit. Nunc ingreditur demonstrare partem alteram, quæ est : Ea quæ sunt, bona non sunt. Quasi : Ea quæ tendunt ad bonum, bona sunt. Sed inquirendum est quemadmodum sint bona, videlicet, utrumne participatione, an substantia. Hic substantiam vult intelligi, non id quod est, sed ipsum esse, id est non subsistens, sed ipsam subsistentiam quam subsistens in se habendo, quod est ea participando, subsistit. Nam et in sexta regula aperte dicitur : Omne quod est, participat eo quod est esse. Quod tamen subsistens non ea participet, videtur sentire cum ait : Utrumne participatione, an substantia ? Quasi : Quæ non habetur participatione. Ad quod dicimus, quod participatio, sicut et in his quæ præmissæ sunt regulis significatum est, pluribus dicitur modis. Cum enim subsistens in se aliquid, ut naturam, qua sit, vel aliquid sit, habet, dicitur quod ipsum ea natura participat. Natura vero quæ quoniam inest subsistenti, dicitur ab eo participari, alia ita prima est, ut nullam præ se, quam sequatur, nisi primordialem habeat causam : ut ea quæ omni subsistenti inest, generalissima subsistentia, alia hujus primæ quodammodo comes est, et post causam primordialem, illam quoque ita causam habet, ut ad potentiam ejus ipsa pertineat, et proprietate qua sine ea esse non possit, adhæreat. Tales sunt omnes differentiæ illæ quæcunque vel huic generalissimo proximæ cum ipso quædam contractionis similitudinis constituunt genera, quæ a logicis, subnaturali, quæ ab ipsis est subsistentium appellatione, subalterna vocantur ; vel subalternis similiter adhærentes, quamlibet sub ipsis subsistentiam specialem componunt. Hæ omnes non modo habitu illo quo inhærent subsistenti, verum etiam illo quo generibus ejus prædicta potestate atque proprietate adhærent, dicuntur haberi, ac per hoc duplici ratione participantur. Quoniam tamen harum accessione subsistens, in quo habent fieri, generatur, et decessione corrumpitur, non tam participatione quam substantia, sicut genera ipsa quibus adsunt, vel species de quibus sunt subsistenti inesse dicuntur. Sed præter has alia quædam esse disciplinalis scientia mathematicorum attendit, quas logici Græce συμβεβηκότα, Latine accidentia vocant : quæ scilicet sunt differentiæ non modo generum, sed etiam differentiarum,et specierum potestati proprietati addicta sunt, et nec species subsistentium, nec specierum partes esse possunt : idecque nullo modo esse sunt subsistentium, sed ab ipsis tam omni genere quam proprietate, et ab ipsorum omni esse, sæpe omni genere, semper tota proprietate diversa sunt. Quæ proprie secundum participationem, et nullo modo secundum se, id est tanquam esse de illis dicuntur. Unde recte ait : Ea quæ sunt, si participatione sunt bona, nullo modo per se, id est sua, quam sunt subsistentia, bona sunt. Quod exemplo manifestum esse potest. Nam quod participatione est album, quod utique est omne album : albedo enim de subsistente, ut accidens ejusdem subsistentiæ prædicatur, per se videlicet in eo quod ipsum est, hoc est sua qua ipsum est subsistentia, album non est. Albedo enim nequaquam albi subsistentia est; et de cæteris quæ illi quod est esse accidunt, qualitatibus, eodem modo intelligendum est. Similiter igitur ea quæ sunt, si ea quam modo intelligi volumus, hoc est accidentali participatione sunt bona : ipsa per se, id est ea quæ ipsorum subsistentia intelligatur, nullo modo bona sunt. Et si hoc est, ut utique est, quod ea quæ sunt, non per se bona sunt : non igitur ad illum summum bonum, quod vere per se bonum est, tendunt. Hic quoque notandum est, ex tertia, et quarta, et sexta regulæ quibusdam partibus, tanquam ex rationalibus locis deductam esse et divisionem, qua dixit: An participatione an substantia ea quæ sunt, bona sunt ; et consequentiam, quæ est: Si participatione, per seipsa nullo modo bona sunt. Quod enim aliud sit ex participatione esse, aliud vero ex substantia, manifeste docuit in tertia regula, dicens : Fit participatio cum aliquid jam est; et in quarto ubi ait: Id quod est habere aliquid, præter quam quod ipsum est, potest. Et in fine sextæ : Cum de omni quod est, loquens dixit. Est vero ut participet alio quolibet. Sed quod ex consequenti prioris

consequentiæ in secunda intulit : Non igitur ad bonum tendunt, spectat ad nonæ regulæ primam partem, quæ est : Omnis diversitas discors.

Sed concessum, etc.] Dixit quod ea quæ sunt, si participatione bona sunt, per seipsa bona non sunt, et si per seipsa bona non sunt, non tendunt ad bonum. Nunc assumit oppositum ultimi consequentis, et ait : Sed tendunt ad bonum. Nec hoc probatione eget, qui jam, inquit, doctorum quorum hæc est sententia communis irrefragabili auctoritate concessum est, ubi ad probandum quod ea quæ sunt, bona sunt, inductum est.

Non igitur, etc.] Hic argumentationem opposito prioris antecedentis concludentis ; quasi : Ea qua sunt, si participatione bona sunt, per seipsa bona non sunt : et si per seipsa bona non suut, non tendunt ad bonum ; sed tendunt ad bonum ; non igitur participatione bona sunt, sed potius substantia, hoc est subsistentia : quoniam nihil est medium inter has duas, eorum quæ de quolibet subsistente naturaliter dicuntur, rationes. Quidquid enim naturaliter de ipso dicitur, aut ut ejus esse prædicatur de illo, aut ea quæ dicta est participatione. Ideoque bonitas si non participatione necesse est prædicetur ut esse, quorum vero substantia bona est, id est quorum bonitas est subsistentia, id quod sunt, bona sunt, id est, bonitas est id quod sunt. Id quod sunt autem, id est quod recte de eis dicitur, sunt, habent ex eo quod illorum est esse, juxta sextæ regulæ partem illam quæ est : Omne quod est, participat eo quod est esse ut sit. Ex his igitur convenienter infertur quod bonum, id est bonitas ipsa, quæ dicuntur bona, est esse ipsorum. Manifestum est igitur quod bonum est, ipsum esse omnium rerum, id est quod bonitas omnium de quibus prædicatur, est esse. Sed si bonum, id est, bonitas, qua ea quæ sunt bona dicuntur, est eorum esse, tunc ea quæ sunt, bona sunt, ita ut dicantur non simpliciter tantum, bona snut, verum etiam cum adjectione, ita bona sunt, in eo quod sunt. Quod vere aliud est, quam si ita dicerentur bona, ut non posset addi in eo quod sunt, secundum quintam regulam, quæ est : Diversum est tantum esse aliquid, et esse aliquid in eo quod est ; quamvis quod dicitur, in eo quod est, diversis modis intelligatur ; videlicet quid sit quidem esse, sed vel quod sit esse ipsius de quo prædicatur : ut cum opus dicitur æreum in eo quod est, vel quod sit esse illius, quo auctore et esse ipsius est, quod aliquid est, et ipsum quod est aliquid : ut cum opus dicitur humanum in eo quod est. In quo illud diligenter est attendendum, quod cum id quod prædicatur illius est esse de quo prædicatur, ut in eo quod dicitur opus est æreum, dici potest, non modo opus est æreum in eo quod est, sed etiam operi idem est esse, quod æreum esse. Nec dico operi idem est æreum esse quod esse, sed idem est esse, quod esse æreum : quoniam id quo est æreum, non est totum esse, etsi totum sit esse. Semper enim totum generis est illius, cujus generis est, esse, sed nunquam est totum esse, quoniam ejus generis plures divisæ potentiæ, imo omnes quæ cum ipso genere speciem componunt, ejus cujus et ipsum generis, sunt esse. Itaque si bonitas est esse ipsorum quæ bona sunt, recte de ipsis dicitur, sunt bona, in eo quod sunt. Idque ita, quod illis idem esse quod bonis esse, id est, quod bona esse ; sic enim intelligendum est : quamvis casuum servata similitudine bonis disserit, sicut illis secundum illud :

Mediocribus esse poetis
Non di, non homines, non concessere Camenæ.

Quamvis enim sensus sit, non concessere poetis mediocres esse, tamen casui reddens, dixit, mediocribus, sicut dixit, poetis.

Substantialia igitur.] Quasi : Quandoquidem ea quæ sunt, ita bona sunt, quod non modo in eo quod sunt, bona sunt, sed etiam idem eis est esse, quod bonis esse : igitur sunt substantialia bona, id est, bonitas de illis prædicatur substantialiter ; quoniam, sicut dictum est, quæ non tantum bona sunt, sed etiam in eo quod sunt, bona sunt : et hoc quoque ita, ut idem eis sit esse, quod bonis esse, non participant bonitate, ea qua dictum est participatione, scilicet sicut opus æreum sua triangulatione. Quod si ipsum bonum, id est, bonitas ipsa, qua bona sunt, est in eis eorum esse, tunc revera non est dubium quin scilicet quod cum sint, etc., vel quin cum sint bona, sint similia primo substantiali bono : cujus scilicet bonitas vere est ejus essentia. Si enim bonitas sic eorum quæ bona sunt, sicut primi boni est essentia, manifestum est, quod similiter sunt bona, sicut primum bonum est bonum. Ac per hoc, id est secundum hanc rationem, erunt ipsum bonum primum : et unde hoc, supponit : Illi enim primo bono, nihil substantiali similitudine simile est præter se ipsum. Quod addit præter se ipsum, non ideo addit, quod velit intelligi ipsum primum bonum sibi aliqua ratione simile esse. In nullo enim rerum genere aliquid sibi simile dicitur ; omne namque simil ahi a se simile est. Nec modo diversa sunt quæ sunt similia, sed etiam secundum quæ sunt similia. Sed hic est usus quidam loquendi, ut dicamus summo bono nihil simile præter ipsum, volentes intelligi nihil omnino sibi simile esse. Velut si absente domino dominus dicat, qui non est hic intus dominus præter me ? Qui enim hoc dicit, non vult intelligi se dominum esse, sed tantummodo eum qui dominus est abesse. Sic igitur et iste dicens, nihil est simile primo bono præter seipsum, non vult intelligi, quod ipse sibi similis sit, sed quod illi similitudine substantiali nihil possit conferri ; potiusque si quid illi forte substantialiter simile videtur, sit essentiæ proprietate quod ipsum est, quam ei conformitate diversæ essentiæ comparetur. Ex quo fit ut omnia quæ sunt, Deus sint. Non enim dubium est quin si sint illud primum bonum, sint unum simplex. In septima vero regula aperte dictum est quod omne simplex esse suum, et id quod est unum habet. Unde certum est quoniam ei quod est primum bonum, quod simplex esse, ab omnibus conceditur, idem est esse, quod bonum esse : et ita idem Deum esse, quod Bonum. Quod de quolibet composito, cui secundum octavam regulam aliud est esse, aliud ipsum est, dictu etiam nefas est. Secundum hoc igitur patet, quod non sunt substantialia bona, id est quod minime ea quæ sunt, substantialiter bona dicuntur. Ac per hoc bonum, id est bonitas, qua esse bona prædicantur, non est in eis ut esse. Videtur igitur quod non sunt bona in eo quod sunt. Sed et illud in præcedentibus probatum videtur : quod nec participant bonitate, id est quod nec accidentali participatione bona sunt. Nullo enim modo, sicut prædictum est et videtur, ad bonum tenderent. Si igitur nec substantia, nec participatione sunt bona, nullo modo sunt bona. Illic conclusa est altera pars quæstionis, qua quæsitum est ea quæ sunt an bona sint, an non sint : quam deinceps ita solvit, quod ejus etiam, de qua Joannes quærebat hebdomadis occultum sensum prudenter intelligentibus aperit, id est, ea quæ sunt non modo esse bona, verum etiam in eo quod sunt, esse bona, cum tamen non sint substantialia bona, ostendit. Ait ergo :

Huic quæstioni, etc.] Quasi : Hanc quæstionem, qua quæritur ea quæ sunt, an sint bona, an non sint bona, his quæ diximus argumentis, in dubitationem adduci posse videtur. Sed huic quæstioni poterit adhiberi solutio talis qualis scilicet sequitur ; et a generali mathematicorum conceptione incipiens, ait : Multa, imo omnia quæ sine motu inabstracta dicuntur, sunt ; quæ cum ab eis in quibus sunt actu separari non possunt (ut scilicet sine illis sint), animo tamen et cogitatione, id est animi cogitatione separantur : ut et eorum quæ ita separantur, et eorum a quibus separantur, natura atque proprietas comprehendatur. Ut triangulum, hoc est qualitatem qua concidente superficiei subjecta utrique materia triangula est : vel cætera quæ in cujuslibet generis

corpore sunt, actu quidem a subjecta sibi materia nullus separat : quoniam secundum hoc inabstracta sunt, mente tamen, id est cogitatione segregans ipsam a subjecta materia, speculatur disciplinaliter præter materiam : non dico esse præter materiam sed divisum a materia, ipsum qui præter materiam esse non potest, triangulum, id est qualitatem qua corpus triangulum, proprietatemque ejus ; ut sit sensus : triangulum proprietatemque ejus, id est trianguli proprietatem, vel ex proprietate triangulum, quod idem est, speculatur ; et sic quidem inabstracta abstrahunt mathematici. Igitur nos quoque ethici eos in nostra facultate imitatione secuti, primum bonum ab his quæ ex ipso fluxerint bonis, paulisper, id est, donec ad finem suum ratio perducatur, animi cogitatione amoveamus. id est, non esse bonum illud a quo fluxerunt qualem positione, quod per rerum naturam nullo modo fieri potest, ad præsens consentiamus : et hic quidem est sensus. Sed pro eo quod debuit dicere primum bonum ab eis, quoniam animo et præsenter, id est, donec sicut dictum est, suum finem habeat ratio, hæc amotio fit, ait : Primi boni præsentiam amoveamus ab animo quod primum bonum esse quidem, hoc est vere esse constat. Idque, scilicet illud vere esse, potest cognosci : cum ex sententia omnium hominum, id est doctorum indoctorumque, quoniam hæc est vere, juxta primæ regulæ primum modum, ita communis animi conceptio, ut etiam sit indoctorum, scilicet Deum esse, tum quoque ex religionibus, id est, ex metu et cæremoniis barbararum gentium.

Hoc igitur.] Quasi : Primum bonum sic amoveamus ab eis quæ sunt bona. Hoc igitur primo bono sic ab eis paulisper amoto, iterum aliud ponamus, id est omnia quæ sunt, id est vere subsistunt, ponamus esse bona ; atque his duobus positis, ea ipsa quæ bona dicimus, consideremus quemadmodum, hoc est qualiter possent esse bona : si ut essent minime defluxissent a primo bono, hoc est si illorum esse, esse, quidem est subsistentia, eo essent, non tamen auctore vel opifice primo bono. Hinc, id est ex hoc ipso quod dicimus, omnia quæ sunt, ponamus esse bona, intueor in eis aliud esse quod bona sunt, aliud vero quod sunt, id est alio esse, alio esse bona. Si enim eodem essent quo sunt bona, nequaquam ab eo quod vere sentimus, id quod positive consentimus, divideremus. Quod utique facimus dicentes : Ea quæ sunt, id est quæ recte intelligimus esse, ponamus, amoto primo bono, esse bona. Quasi : Quod quidem non sunt, sed positive quodammodo consentimus. Nec dubitandum est illa alio esse, alio bona esse. Ut enim hoc ex aliis quoque clarum sit, substantia, id est res vere subsistens, una eademque subsistentiæ suæ proprietate, ponatur a nobis, quod modo omnia quæ sunt, amoto primo bono ponebantur, videlicet esse bona : ponatur etiam quod cætera non ponebantur, scilicet esse alba, et gravis, et rotunda.

Tunc aliud. etc.] Quasi : Illo quod diximus amoto, hæc ponere debuimus. Nam si ita ponueremus, tunc manifeste pateret, tam de bonitate quam de cæteris, quod aliud esset ipsa illa substantia, id est quod aliud esset id quod subsistens est : aliud ejus rotunditas, qua rotundum est ; aliud gravitas, qua grave est ; aliud color, quo album est ; aliud bonitas, qua bonum est vere. Nam si hæc singula non generali unione, sed ea quæ ex proprietate rei singularis est unitate, idem omnino essent quod ipsa substantia, id est, id quo subsistens est idem, similiter ex proprietatis unitate esset gravitas quod color, et quod rotunditas, et quod bonum, id est bonitas ; et bonum idem quod gravitas, et similiter in cæteris. Quod fieri, id est hæc idem esse proprietate, natura non sinit, quæ non modo proprietatibus, sicut fieri solet sub eodem genere, verum etiam diversitate generum ista divisit.

Aliud igitur, etc.] Quasi : Si ita ponemus, hæc ***essent diversa*** **ab eo quo subsistens est ; tunc igitur ab** omnium subsistentium esse, bonitates qua ea quæ sunt bona sunt, simili ratione essent diversa. Et ita juxta sextam regulam quæ est : Omne quod est participat eo quod est esse ut sit, alio vero participat ut aliquid sit ; et juxta octavam, quæ est : Omni composito aliud est esse, aliud ipsum est : rectissime diceretur, quod in eis aliud esset ea esse, aliud aliquid esse, id est esse quidem subsistentiis, aliquid vero esse bonitate. Ac tunc essent quidem bona, bonitate qua, sicut dictum est, aliquid essent, minime tamen ipsum bonum, id est ipsam bonitatem haberent, ut esse quo essent. Igitur si amoto (qualiter dictum est) primo bono, ullo modo essent, secundum positionem, qua hoc paulisper consensimus, non a bono quidem essent bona, ac tamen essent bona. Ac non idem essent quod bona, id est, non idem esset eorum esse, quod eorumdem bonitas. Sed juxta prædictas regulas, id est, sextam et octavam, aliud esset, eis esse, aliud vero bonis esse, id est aliud esset ea esse, aliud ea esse bona. Quod si nihil omnino aliud essent nisi bona, scilicet neque essent ponderositate gravia, neque qualitate colorata, neque aliqua spatii, id est longitudinis vel latitudinis, dimensione vel altitudinis distenta, nec ulla omnino in eis qualitas (supple) nec quantitas esset, nisi tantum bonitas, qua essent bona, adeo ut juxta septimam regulam, quæ est : omne simplex esse suum, et id quod est, unum habet, idem esset ea esse, et bona esse, tunc non secundum illorum proprietates diversas, quibus solent esse diversa subsistentia, viderentur esse diversæ numero res ; sed viderentur esse principium omnium rerum. Nec potius dicendum est pluraliter, ***viderentur***, sed singulariter, ***videretur***. Recte utique. Unum enim solumque est hujusmodi bonum, quod tantum sit bonum, nihilque aliud sit quoniam vere simplex est ; ideoque secundum septimam prædictam regulam, idem est illi esse, quod bonum esse. Subsistentia vero talia sunt, quod unumquodque illorum et pluribus est, et pluribus aliquid est. Ideoque non simplex, sed compositum est, cui secundum octavam regulam, aliud est esse, aliud ipsum est. Neque vero in uno tanta multitudo, et illorum quibus sit, et illorum quibus aliquid sit, esse posset : nisi unum principium hæc in illo junxisset. Sicut enim a genuino nativum, ab æterno temporale, ab uno alterni : sic a simplici auctore quodlibet compositum esse oportet. Quæcunque igitur subsistentia, quoniam, sicut dictum est, tam multa in se habendo, non simplicia sunt : dico quod non modo non esse composita, sed nec esse omnino poterant : nisi voluisset esse ea, et quod sunt esse, id quod ita est bonum, quod est solum bonum, et nihil aliud quam bonum. Et idcirco, videlicet quoniam quodlibet eorum esse, id est, non modo id quod est, et aliquid est, itemque id quo est, vel quo aliquid est ; verum etiam illud et esse et aliquid esse a boni voluntate defluxit, denominative bona esse dicuntur. Sicut opus æreum quod est suo genere quo est, et triangulum sua qualitate qua aliquid est, etiam denominative humanum, ab esse illius quo secundum aliquam rationem auctore, et æreum et triangulum est. Sicut enim duobus modis dicitur humanum : primum scilicet generis proprietate, ut animal humanum ; et secundum denominatione, quoniam ex eo fluxit cujus humanum est esse, ut opus humanum, ita duobus modis dicitur bonum : primum scilicet bonum, quod est vere bonum, quoniam est bonum in eo quod est, scilicet suæ essentiæ veritate ; secundum vero bonum, ipsum quoque bonum est, non quidem suæ essentiæ veritate, sed quamdam denominatione quæ Græce μετωνυμία vocatur. Unde manifestum est, juxta naturalium regulam, eum supra divisisse, cum ait : Ea quæ sunt bona, quæro an participatione an substantia bona sunt. Quidquid enim naturaliter de subsistente dicitur, aut ejus subsistentia, aut ejus accidens, recte intelligitur. Præter hæc tamen de ipsa extra naturalium facultatem plurima dicuntur, inter quæ illa

etiam sunt, quæ de eodem denominative prædicantur. Quo prædicandi modo ethici omne creatum bonum esse enuntiant, denominatione videlicet, quæ ideo fit, quoniam id quod ita dicitur bonum, et ut esset, et ut aliquid esset, fluxit ex eo vere auctore, et causa cujus ipsum esse bonum est, id est cujus ipsa bonitas essentia est. Sed non modo id quod est, et aliquid est, itemque vel id quo est, vel id quo aliquid est, verum etiam illud ipsum esse omnium rerum, quod significamus cum de aliquo dicimus, est, vel aliquid est, ex eo veri nominis auctore et opifice fluxit, quod est primum bonum, et quod vere tale bonum est : ut illud dicatur ita esse bonum, quod recte possit addi, in eo quod est : quoniam non alienæ, sed suæ substantiæ bonitate bonum est. Hoc igitur quod habet a sua substantia nomen, ad ea quæ ex ipso fluxerunt, denominative transumptum est, ut dicatur, quod non modo quæ sunt, et aliquid sunt, itemque ea quibus sunt, vel aliquid sunt, sed etiam ipsum eorum esse, quod significatur cum dicitur sunt, vel aliquid sunt, bonum est. Hæc autem a primi boni essentia, ad esse illorum quæ sunt, et aliquid sunt, transumptiva denominatio, sed denominativa transumptio, facit ut non modo sint bona, sed etiam in eo quod sunt, bona sunt quæcunque hac denominatione sunt bona. Tunc enim, quamvis bonitas eorum quæ sic bona dicuntur, non sit essentia, recte tamen additur in eo, ut dicatur, in eo quod sunt, bona sunt, quandoquidem hæc ab illa denominatione translata bonitas, est auctoris eorum, id est primi boni, essentia.

Qua in re, etc.] Superius cum recte probasset quod ea quæ sunt, bona sunt, volens videri astruere posse quod ea quæ sunt, bona non sunt, a divisione incœpit et quæsivit : Utrumne participatione an substantia bona essent. Deinde divisionis hujus utramque partem forma indirectarum ratiocinationum improbavit, cum ipsis quadam positione antecedentibus, primum ex una recte, deinde ex alia, per quædam multiplicia inventa, ex artis sophisticæ locis deducta, impossibilia intulit, in prima quidem, quod non tendunt ad bonum ; in secunda vero, quod Deus sit. Quæ quoniam esse non possunt, primum intulit partium divisionis prædictæ contraria ; deinde utramque rationem, in eo quod volebat videri, conclusit : videlicet quod nullo modo sunt bona. Quoniam ergo ratiocinationum partes per se veræ, artis sophisticæ multiplici unione atque unita multiplicitate, neque sunt, neque non videntur sibi regulariter connexæ : ut connexionis figuram præter rei veritatem esse ostenderet, multiplicia inventa per modos suarum significationum divisit. Ait enim bonum duobus modis accipi, ac per hoc, id quoque quod huic additur nomini, cum proponitur : est bonum in eo quod est, multipliciter dici. Est enim, inquit, primum bonum, est et secundum : primum, quod est solum bonum, et aliud nihil ; secundum vero, quod ut esset quidquid est, a primi boni voluntate defluxit. De utroque tamen dicitur, quod ei idem est esse, quod bonum esse, et quod est bonum, in eo quod est. Sed hoc quoque modo diverso : nam primum dicitur esse bonum in eo quod est, quoniam bonitas est ejus essentia ; secundum vero dicitur esse bonum in eo quod est : non quidem, quoniam bonitas sit ejus essentia, sed quoniam qui fecit, ut id esset quidquid est, est bonus essentia, cui substantialiter simile esse illud secundum non potest. Qua in re utraque quæstio, id est, et ea qua quærebatur an ea quæ sunt, bona sint, et ea propter quam hæc fiebat, scilicet an ea quæ sunt, bona sint in eo quod sunt, cum non sint substantialia bona, divisione hujus nominis, quod est bonum, et hujus quod dicitur in eo quod est, soluta est. Nam cum duobus modis bonum dicatur, scilicet vel ita ut ejus quod dicitur bonum, ipsa bonitas sit essentia, vel denominatione ideo facta, quod omne illius esse fluxit ab eo cujus est essentia bonitas, manifestum est quoniam ea quæ sunt, etsi non eo modo quo primum bonum est bonum, id est substantia, nec etiam participatione ; tamen alio modo, ac per hoc bona sunt, et ideo non recte superius illum intulisse, cum dixit : Si neque substantia, neque participatione, nullo igitur modo bona sunt. Similiter etiam, quamvis non eo modo quo primum in eo quod sunt, tamen alio modo, ac per hoc, ipsa quoque in eo quod sunt. Atque ideo illum supra non recte dixisse : si in eo quod sunt, bona sunt ; substantialia igitur bona sunt, et primo bono similia. Neque enim ideo erunt substantialiter similia primo bono, quoniam in eo quod sunt, bona sunt. Quæ tamen in secunda ratiocinatione sophistice formabatur connexio. Licet enim in eo quod sint, bona sint, tamen idcirco evenit quod non sint similia primo bono, quoniam non quoquo modo res sint, verum est, quod ipsum earum esse, bonum est. Quasi : Verum quidem est quod ipsum esse earum bonum est, sed non quolibet modo verum est. Non enim idcirco verum est, quod bonitas sit eorum subsistentia, qua naturaliter sint ; sed idcirco potius vere dicitur, quod ipsum earum esse, bonum est, quoniam non potest esse ipsum rerum quodlibet esse, nisi defluxerit a prime esse, id est primo bono. Nec est substantialiter simile ei primo a quo est. Illud enim primum esse quoquo modo sit, quidquid prædicetur esse, bonum est : ita quod in eo quod est. Posset addere, et ita quod idem est ei esse, quod bonum esse. Recte utique, quoniam sequitur : Non enim aliud est ipsum præterquam bonum : videlicet, non est ab ejus bonitate alia quæ de ipso prædicetur essentia. Simplex enim est, quod juxta septimam regulam esse suum, et id quod est unum habet. Hoc autem rerum quodlibet esse, nisi esset ab illo primo bono, id est, si amoto quod illud primum a quo est, non est bonum, fortasse posset esse bonum, qualiter id quod est, est album, vel grave, vel rotundum ; sed non posset esse bonum in eo quod est, vere. Tunc enim, nisi videlicet esset ab illo id quod quoquo modo esset prædicatur, forsitan participaret bono, id est participatione esset bonum, sicut album, vel hujusmodi. Bonum vero quod haberet, non posset habere, tanquam haberet ipsum esse, id est, in ea ratione qua suum quodlibet esse habet : scilicet in eo quod est, quandoquidem non haberet a bono, id est quoniam non esset bonum id a quo haberet. Manifestum est igitur quod, primo bono mente et cogitatione, hoc est mentis cogitatione, ab his ita sublato, ut non esse bonum cogitatione ponatur, id a quo sunt, quidquid sunt : ista quæ sunt ab eo, licet essent bona, tamen non possent esse bona in eo quod essent. Et ideo econtrario patet, quod quoniam non potuere actu existere, nisi illud quod vere bonum est, ea produxisset, id est nisi esset vere bonum, quod est produxit : idcirco, et bonum ipsum est eorum esse, id est, ita de eis dicitur, sicut esse, scilicet in eo quod sunt bona esse. Ac per hoc, illi primo bono ad quod tendunt, quoquo modo similia, et tamen id quod ab eo fluxit bonum, non est substantialiter simile primo substantiali bono. Idem bonum quidem est, et in eo quod est, bonum est ; sed hoc denominative, non substantialiter. Et nisi ab eo primo bono hujusmodi quæcunque bona fluxissent, licet (sicut prædictum est) essent bona, tamen non possent esse bona in eo quod sunt : et quare, supponit : quoniam et præter bonum et non ex bono essent bona, cum tamen illud ipsum primum bonum vere est, et hoc ita ut et ipsum esse sit, et ipsum bonum, et econverso, bonum sit ipsum esse.

At nonne etiam, etc.] Superius cum bonum in primum et secundum divideret, dixit quod secundum bonum est bonum, quoniam ex eo fluxit cujus ipsum esse bonum est. Et idcirco de ipso quoque secundo quod de primo dicitur, scilicet quod ipsum etiam in eo quod est, bonum est. Certum est autem, quæcunque sunt, quidquid sunt, ex eadem causa sunt, scilicet quoniam ex eodem principio, ut essent,

fluxerunt. Ac per hoc, id quo sunt, quidquid illud sit, in eo quod sunt, esse videntur. Unde recte quærit dicens : At etiam cum dicimus alba, nonne ea quæ alba sunt, eadem ratione oportebit esse alba, in eo quod sunt, quo scilicet ut essent alba, ex voluntate ejusdem principii, hoc est Dei, fluxerunt ? Et respondet, minime. Et quare minime ? ita ait : Aliud enim est eis esse, aliud alba esse. Hic casum nominativum, sicut superius dictum est, et sensus et verbum exigit demonstrationis : sed consequentiam casus ad casum hic quoque servans, ait : Aliud albis esse. Hoc autem, quod videlicet aliud eis est esse, aliud album est, cum his quæ bona sunt, idem sit esse, et bonis esse, ideo est, quoniam qui ea quæ bona dicuntur, et alba effecit, ut essent quidquid sunt, bonis quidem est, minime vero est albus. Hoc igitur, scilicet ut essent bona ea quæ sunt, comitatum est voluntatem boni, ac per hoc dicuntur esse bona, in eo quod sunt. Voluntatem vero non albi est quidem comitata talis proprietas ejus, quod est, ut videlicet esset album, sed non ut hoc esset in eo quod est. Et quare supponit : Neque enim ut essent alba, defluxerunt ex voluntate albi. Unde recte infert, dicens : Itaque, quia scilicet voluit ea esse alba, qui erat non albus, hoc est, quia erat non albus, qui ea voluit esse alba, sunt alba tantum, id est, et non in eo quod sunt. Quia vero voluit ea esse bona, qui erat bonus, hoc est, quia erat bonus, qui ea voluit esse bona, sunt bona : ita quod potest addi, in eo quod sunt. Est enim denominatio, quod dicuntur esse bona, sicut quod dicuntur esse, quandoquidem ille a quo sunt, et bona sunt, sic vere et substantialiter bonus est, sicut vere et substantialiter est. Quod vero sunt alba, proprietas, non denominatio est, quoniam ille a quo sunt alba, non sic substantia albus est, sicut substantia est.

Secundum hanc igitur.] Supra cum dixisset, ea quæ sunt, bona esse, et adjecisset, in eo quod sunt, hujusque adjectionis causam reddidisset, quoniam a primo bono fluxerunt, quæsivit cur etiam dicuntur esse alba ; non additur, in eo quod sunt, quandoquidem ut essent alba, ex eadem causa fluxerunt. Et respondit, quoniam ille a quo sunt bona et alba, bonus est, sed non albus. Nunc vero ex eo quod dixerat supra : secundum bonum ideo bonum est, quoniam ex eo fluxit, cujus esse bonum est, posset putari similiter omnia esse justa, quoniam ab illo fluxerunt qui vere justus est ; quærit et ait : Igitur, si scilicet ea quæ sunt bona sunt, eo quod bonus est ille qui ea esse voluit, quæro an secundum eamdem rationem, id est secundum ejusdem rationis proportionem, cuncta quæ sunt, oportet esse justa, quoniam videlicet ipse justus est, qui ea esse voluit ? Et respondet : Nec hoc quidem oportet, sicut scilicet nec illud oportere prædictum est, quod videlicet ea quæ sunt alba, sint alba in eo quod sunt, quoniam ut essent alba ex voluntate Dei fluxerunt.

Nam bonum esse, etc.] Hic dicendum videtur, quod bonum duobus modis dicitur : uno quidem secundum se, altero vero secundum usum, qui ex eo quod secundum se bonum dicitur, provenit ; ideoque illud absolute, sicut et quando dicitur esse ; hoc vero non absolute, sed quadam ad alium, cui ex illo bono aliquis usus provenit, comparatione. Nam de multis ita dictum invenitur, hoc illi bonum est, vel ad hoc bonum est. Nec modo de creaturis, verum etiam de Deo, qui cum per se bonus sit, est etiam bonus nobis. Sicut ergo ab eo qui vere est, denominative de quolibet, secundum ethicos aut theologicos, per se prædicatur est, ita quoque secundum eosdem de quolibet per se prædicatur bonum. Sed si aliud bonum esse affirmetur, hoc, sicut dictum est, non per se, sed ex alterius ad alterum collatione ; et ideo magis, vel minus, vel bonum æque, aliud alio vel etiam seipso nunc magis quam prius : et Deus omnibus melior, imo omnium optimus intelligitur. Justum vero nequaquam secundum se de his quæ sunt prædicatur, sed semper aut ex agendi virtute, aut ex actu virtutis, hoc nomen accipitur. Et ex agendi quidem virtute, cum bene, cum constitutæ mentis habitu quis justus vocatur, cum vero talis habitus officio et officii proprio fine quid facit, virtutis actu justus appellatur. Nec tantum ipse qui facit, sed etiam id quod fit, quadam denominatione justum dicitur. Sed et cum impius remissione dicitur justus, hoc quoque fit actu justificantis, cui tamen idem est esse quod justum esse, et secundum aliquam rationem idem esse quod agere. Ex his manifestum est hoc nomen nec solis, nec omnibus creaturis inditum esse, quandoquidem et Deus justus vocatur, et non nisi rationales creaturæ, et earum aliqua opera : et hæc, qualiter dictum est, vel agendi virtute, vel actu virtutis, vel præter hæc etiam gratia justificantis, vel nominis hujus transumptiva denominatione, justa dicuntur. Itaque longe aliter dicitur aliquid justum esse quam bonum. Nam bonum esse, secundum illum modum quo secundum se, sive de Deo vere, sive de quolibet alio denominative dicitur bonum, essentiam, qua Deus id quod est bonus est, respicit ; quam auctor omnium, eo quod ab ipso fluxerunt, sicut vere ipse esse quod de eo prædicatur, cum dicitur Deus est, omnibus communicat, ita ut non modo bona, sed etiam in eo quod sunt, et ut eis idem sit esse quod bonis esse, bona dicantur. Justum vero esse, nullo modo essentiam, sed actum tantummodo, vel justificantis, vel agendi virtutem habentis, vel officio et fine agentis, respicit, atque ideo, quæ justa dicuntur, neque in eo quod sunt justa sunt, neque illis idem est esse quod justis esse, in eo autem secundum quamdam rationem idem est esse quod agere. Quamvis enim ipse qui omnium principium est, nunquam quidem esse, facere vero quandoque cœperit, quia tamen in eo virtus faciendi nunquam esse cœpit, dicitur quod in eo idem est esse quod agere : eadem igitur ratione idem est illi bonum esse quod justum esse. Nobis vero (qui non tam ab ejus virtute quam ab ejus actu, imo ab effectu, qui ipso nos justificante, vel mentem nostram ab agendi officio, et fine officii bene constituente, vel ipsam mentem ad sic agendum movente, provenit, dicimur justi) non est idem esse quod agere ; et quare, supponit : Non enim sumus simplices, quasi, sicut ille, sed compositi, ut videlicet ille, juxta septimam regulam, esse suum, et id quod est, recte intelligatur unum habere ; nos vero, juxta octavam, esse aliud, aliud aliquid esse. Nobis igitur, secundum eamdem octavam regulam, non idem est esse bonis, quod justis. Sed quoniam, cum dicuntur esse ab eo qui vere est, denominative hoc dicimus, certum est ex supradictis, quod nobis omnibus quæcunque scilicet sumus, idem est esse in eo quod sumus. Quoniam igitur nobis quoque, secundum quamdam rationem, sicut illi secundum aliam, idem est esse quod bona esse, manifestum est, quoniam omnia quæ utique sumus, in eo quod sumus, sumus bona ; non vero etiam justa omnia, sed aliqua, quoniam non quod sumus, vel bona sumus, etiam justa.

Amplius, etc.] Ostendit non omnia esse justa. Ex quo sine dubio intelligi potest, proportionem rationis supradictæ non recte collatam, qua dicendum videbatur, quod sicut omnia bona sunt, quoniam ipse bonus est qui ea esse voluit, ita omnia essent justa, quoniam ipse justus est qui ea esse voluit. Item propter idem, ut scilicet illa proportio minime recte comparata videatur, probat quod cum omnia bona sunt, non tamen sunt omnia justa ; et ait : Amplius quod non omnia justa sunt, cum tamen omnia bona sint, ostendimus ex hoc quoque quod bonum quidem apud ethicos generale est, eo quod omnino conformi denominatione convenit omnibus ; justum vero, quoniam justum esse, idem secundum aliquid est quod bonum esse (cum non idem sit bonum esse quod justum), speciale est. Nec vero

species, quæ secundum regulam dialecticorum et rhetorum genus dividit, descendit in omnia : ut scilicet de omnibus quæ supponuntur generi, prædicetur. Ideirco omnium quæ sunt, secudum eorum regulas, alia quidem sunt justa, secundum unam speciem boni ; alia sunt aliud, secundum ejusdem generis aliam ; omnia vero, secundum harum specierum genus, sunt bona.

AN. MANL. SEV. BOETII

BREVIS FIDEI CHRISTIANÆ COMPLEXIO.

Christianam fidem Novi ac Veteris testamenti pandit auctoritas ; et quamvis nomen ipsum Christi vetus intra semet continuerit instrumentum, eumque semper significaverit adfuturum, quem tradimus per partum Virginis jam venisse, tamen in orbem terrarum ab ipsius nostri Salvatoris mirabili manasse probatur adventu. Hæc autem religio nostra, quæ vocatur Christiana atque Catholica, his fundamentis principaliter nititur, asserens : Ex æterno, id est ante mundi constitutionem, ante omne videlicet quod temporis potest retinere vocabulum, divinam Patris, ac Filii, et Spiritus sancti, exstitisse substantiam : ut Deum dicat Patrem, Deum Filium, Deum Spiritum sanctum ; non tamen tres Deos, sed unum. Patrem itaque habere Filium ex substantia sua genitum et sibi nota ratione coæternum, quem Filium eatenus confitetur fides, ut non sit idem qui Pater, neque Patrem aliquando fuisse Filium, ne rursus in infinitum humanus animus divinam progeniem cogitaret ; neque Filium in eadem natura qua Patri coæternus est, aliquando fieri Patrem, ne rursus in infinitum divina progenies tenderetur ; sanctum vero Spiritum, neque Patrem esse neque Filium, atque ideo nulla natura neque genitum neque generantem, sed a Patre quoque procedentem et Filio. Quis sit tantum processionis istius modus ita non possumus evidenter dicere, quemadmodum generationem Filii ex paterna substantia non potest humanus animus æstimare. Hæc autem ut credantur, vetus ac nova informat instructio : de qua, velut arce religionis nostræ, multi diversa, et humaniter, atque ut ita dicam, carnaliter sentientes, adversa locuti sunt : ut Arius, qui, licet Deum dicat Filium, minorem tamen Patre multipliciter et extra Patris substantiam confitetur. Sabelliani iquoque non tres existentes personas, sed unam ausi sunt affirmare : eumdem dicentes Patrem esse qui Filius est ; eumdemque Filium qui Pater est ; atque Spiritum sanctum eumdem esse qui Pater et Filius est ; ac per hoc unam dicunt esse personam, sub vocabulorum diversitate signatam Manichæi quoque, qui duo principia, sibi coæternæ et adversa, profitentur, unigenitum Dei esse non credunt : indignum enim judicant, si Deus habere filium videatur, nihil aliud cogitantes nisi carnaliter ; ut quia hæc generatio duorum corporum commixtione procedit, illic quoque indignum esse intellectum hujusmodi applicare : quæ res eos nec Vetus facit recipere Testamentum, neque in integro Novum. Nam sicut illud omnino error eorum non recipit, ita ex virgine generationem Filii non vult admittere, ne humano corpore polluta videatur Dei fuisse natura. Sed de his hactenus ; suo enim loco ponentur sicut ordo necessarius postularit.

Ergo divina ex æterno natura, et in æternum sine aliqua mutabilitate perdurans, sibi tantum conscia voluntate sponte mundum voluit fabricare, eumque cum omnino non esset, fecit ut esset ; nec ex substantia sua protulit, ne divinus natura crederetur ; neque aliunde molitus est, ne jam extitisset aliquid quod ejus voluntatem existentia propriæ naturæ juvaret, atque esset, quod neque ab ipso factum esset, et tamen esset ; sed verbo produxit cœlos, terram creavit, ita ut cœlesti, habitatione dignas cœlo naturas efficeret, ac terræ terrena componeret. De cœlestibus autem naturis, quæ universaliter vocantur angelicæ, quamvis illic distinctis ordinibus pulchra sint omnia, pars tamen quædam plus appetens quam ei natura atque ipsius auctor naturæ tribuerat, de cœlesti sede projecta est. Et quoniam angelorum numerum, id est supernæ illius civitatis, cujus cives angeli sunt, imminutum noluit conditor permanere, formavit ex terra hominem atque spiritu vitæ animavit, ratione composuit, arbitrii libertate decoravit, eumque, præfixa lege paradisi deliciis constituit, ut, si sine peccato manere vellet, tam ipsum quam ejus progeniem angelicis cœtibus sociaret : ut quia superior natura per superbiæ malum ima petierat, inferior substantia per humilitatis bonum ad superna conscenderet. Sed ille auctor invidiæ non ferens hominem illuc ascendere, ubi ipse non meruit permanere, tentatione adhibita fecit etiam ipsum ejusque comparem, quam de ejus latere formator generandi causa produxerat, inobedientiæ supplicüs subjacere, ei quoque divinitatem promittens adfuturam, quam sibi dum arroganter usurpat, elisus est. Hæc autem revelante Deo Moysi famulo suo comperta sunt, cui etiam humani generis conditionem atque originem voluit innotescere, sicut ab eo libri prolati testantur. Omnis divina auctoritas his modis constare videtur, ut aut historialis modus sit, qui nihil aliud nisi res gestas enuntiet, aut allegoricus, ut non illi possit historiæ ordo consistere, aut certe ex utrisque compositus, ut et secundum historiam et secundum allegoriam manere videatur. Hæc autem pie intelligentibus et veraci corde tenentibus satis abundeque relucent. Sed ad ordinem redeamus.

(a) Opusculum hoc, quod nunc primum publici juris facimus, Boetii esse, ipse orationis stylus et mysteriorum religionis Christianæ series compendiosa sic confirmant, ut addere minime necesse sit exstare ejus nomine illud in meo, Fossatensi, Regio et S. Victoris codicib., ut eos taceam ex quibus idem jam olim monuerat Tritemius, qui librum *de Fide* vocat.

Primus itaque homo ante peccatum cum sua conjuge incola Paradisi fuit : at ubi aurem præbuit suasori et conditoris præceptum neglexit attendere, exsul effectus, terram jussus et excolere, atque a Paradisi sinu seclusus, in ignotis partibus sui generis posteritatem transposuit, atque pœnam, quam ipse primus homo prævaricationis reus exceperat, generando transmisit in posteros. Hinc factum est ut et corporum atque animarum corruptio et mortis proveniret interitus ; primusque mortem in Abel filio suo meruit experiri, ut quanta esset pœna, quam ipse exceperat, probaret in sobole. Quod si ipse primus moreretur, nesciret quodammodo, ac, si dici fas est, nec sentiret pœnam suam ; sed ideo expertus in altero est, ut quid sibi jure deberetur contemptor agnosceret et dum pœnam mortis sustinet, ipsa exspectatione fortius torqueretur. Hoc autem prævaricationis malum quod in posteros naturaliter primus homo transfuderat, quidam Pelagius non admittens, proprii nominis hæresim dedicavit, quam catholica fides a consortio suo mox repulisse probatur. Ab ipso itaque primo homine procedens humanum genus, ac multiplici numerositate succrescens, erupit in lites, commovit bella, occupavit terrenam miseriam, qui felicitatem Paradisi in primo patre perdiderat. Nec tamen ex his defuerunt quos sibi Conditoris gratia sequestraret, ejusque placitis inservirent ; quos licet meritum naturæ damnaret futuri tamen sacramenti et longe postmodum proferendi faciendo participes, perditam voluit reparare naturam. Impletus est ergo mundus humano genere, atque ingressus est homo vias suas, qui malitia propriæ contumaciæ despexerat Conditorem. Hinc volens Deus per justum potius hominem reparare genus humanum, quam manere protervum, pœnalem multitudinem, effusa diluvii inundatione, excepto Noe justo homine cum suis liberis atque his quæ secum in arcam introduxerat, interire permisit. Cur autem per arcæ lignum voluerit justos eripere, notum est divinarum Scripturarum mentibus eruditis ; et quasi prima quædam mundi ætas diluvio ultore transacta est.

Reparatur itaque humanum genus, atque propriæ naturæ vitium, quod prævaricationis primus auctor infuderat, amplecti non destitit ; crevitque contumacia quam dudum diluvii unda puniverat, et quæ per numerosam annorum seriem permissa fuerat vivere, in brevitate annorum humana ætas addicta est ; maluitque Deus non jam diluvio punire genus humanum, sed eodem permanente eligere viros per quorum seriem aliqua generatio commearet, ex qua nobis Filium proprium vestitum humano corpore, mundi in fine concederet. Quorum primus est Abraham, qui cum esset ætate confectus, ejusque uxor decrepita, in senectute sua repromissionis largitione habere filium meruerunt. Hic vocatus est Isaac, atque ipse genuit Jacob. Idem quoque duodecim patriarchas, non reputante Deo in eorum numero quos more suo natura produxerat. Hic ergo Jacob cum filiis ac domo sua transigendi causa Ægyptum voluit habitare ; atque illic per annorum seriem multitudo concrescens cœperunt esse suspicioni Ægyptiacis imperiis, eosque Pharao magna ponderum mole premi decreverat et gravibus oneribus affigebat. Tandem Deus, Ægyptii regis dominationem despiciens, diviso mari Rubro, quod nunquam ante natura ulla cognoverat, suum transduxit exercitum, ductore Moyse et Aaron. Postea igitur, pro eorum egressione altis Ægyptus plagis vastata est, cum nollet dimittere populum. Transmisso itaque, ut dictum est, mari Rubro, venit per deserta eremi ad montem qui vocatur Sinai, ibique universorum conditor Deus volens sacramenti futuri gratia populos erudire, per Moysen data lege constituit quemadmodum et sacrificiorum ritus et populorum mores instruerentur ; et cum multis annis multas quoque gentes per viam debellassent, venerunt tandem ad fluvium qui vocatur Jordanis, duce jam Jesu filio Nave, atque ad eorum transitum quemadmodum aquæ maris Rubri, ita quoque Jordanis fluenta siccata sunt ; perventumque est per eam civitatem quæ nunc Hierosolyma vocatur. Atque dum ibi Dei populus moraretur, post judices et profetas, reges instituti leguntur : quorum post Saulem primatum David de tribu Juda legitur adeptus fuisse. Descendit itaque ab eo per singulas successiones regium stemma, perductumque est usque ad Herodis tempora, qui, primus ex gentibus, memoratis populis legitur imperasse. Sub quo exstitit beata Virgo Maria, quæ de Davidica stirpe pervenerat, quæ humani generis genuit Conditorem. Hoc autem ideo, quia multis infectus criminibus mundus jacebat in mortem, electa est una gens, in qua Dei mandata clarescerent ; ibique missi prophetæ et alii sancti viri, per quorum admonitionem ipse certe populus a tumore pervicaciæ revocaretur ; illi vero, eosdem occidentes, in suæ nequitiæ perversitate manere voluerunt.

Atque jam in ultimis temporibus non prophetas neque alios sibi placitos, sed ipsum Unigenitum suum Deus per virginem nasci constituit, ut humana salus, quæ per primi hominis inobedientiam deperierat, per hominem Deum rursus repararetur ; et quia exstiterat mulier quæ causam mortis primo viro suaserat, esset hæc secunda mulier quæ vitæ causam humanis visceribus apportaret. Nec vile videatur quod Dei Filius ex virgine natus est, quoniam præter naturæ modum conceptus et editus est. Virgo itaque de Spiritu sancto incarnatum Dei filium concepit, virgo peperit, post ejus editionem virgo permansit, atque hominis factus est idemque Dei filius ; ita ut in eo et divinæ, naturæ radiaret splendor, et humanæ fragilitatis appareret assumptio. Sed huic tam sanæ atque veracissimæ fidei exstiterant multi qui diversa garrirent ; et, præter alios, Nestorius et Eutyches repertores hæreseos exstiterunt : quorum unus hominem solum, alter Deum solum putavit asserere, nec humanum corpus, quod Christus induerat, de humanæ subtantiæ participatione venisse. Sed hæc hactenus.

Crevit itaque secundum carnem Christus ; baptiza-

tus est, ut qui baptizandi formam erat cæteris tributurus, ipse primus quod docebat exciperet. Post baptismum vero elegit duodecim discipulos, quorum unus traditor ejus fuit ; et, quia sanam doctrinam Judæorum populus non ferebat, eum, illata manu, crucis supplicio peremerunt. Occiditur ergo Christus, jacet tribus diebus ac noctibus in sepulchro ; resurgit a mortuis, sicut, ante mundi constitutionem, ipse cum Patre decreverat ; ascendit in cœlos, ubi, in eo quod Filius Dei est, nunquam defuisse cognoscitur ; ut assumptum hominem, quem diabolus non permiserat ad superna conscendere, secum Dei Filius cœlesti habitationi sustolleret. Dat ergo formam discipulis suis baptizandi, docendi salutaria, efficientiam quoque miraculorum, atque in universum mundum ad vitam præcipit introire, ut prædicatio salutaris non jam in unam tantum gente, sed orbi terrarum prædicaretur. Et, quoniam humanum genus naturæ merito, quam ex primo prævaricatore contraxerat, æternæ pœnæ jaculis fuerat vulneratum, nec saluti suæ erat idoneum, quod eam in parente perdiderat, medicinalia quædam tribuit sacramenta : ut agnosceret aliud sibi deberi per naturæ meritum, aliud per gratiæ donum ; ut natura nihil aliud nisi pœnæ submitteret, gratia vero, quæ nullis meritis attributa est, quia nec gratia disceretur si meritis tribueretur, totum quod est salutis suæ afferret.

Diffunditur ergo per mundum cœlestis illa doctrina, adunantur populi, instituuntur Ecclesiæ, fit unum corpus quod mundi latitudinem occuparet ; cujus caput Christus ascendit in cœlos, ut necessario caput

A suum membra sequerentur. Hæc itaque doctrina et præsentem vitam bonis informat operibus, et post consummationem sæculi, resurrectura corpora nostra, præter corruptionem ad regna cœlestia pollicetur, ita ut qui hic bene, ipso donante, vixerit, esset in illa resurrectione beatissimus ; qui vero male, miser post munus resurrectionis adesset. Et hoc est principale religionis nostræ, ut credamus, non solum animas non perire, sed ipsa quoque corpora quæ mortis adventus resolverat, in statum pristinum futura beatitudine reparari. Hæc ergo Ecclesia catholica, per orbem diffusa, tribus modis probatur existere. Quidquid in ea tenetur, aut auctoritas est Scripturarum, aut traditio universalis, aut certe propria et particularis instructio ; sed

B auctoritate tota constringitur, universali traditione majorum nihilominus tota, privatis vero constitutionibus et propriis informationibus unaquæque vel pro locorum varietate, vel prout cuique bene visum est, subsistit et regitur. Sola ergo nunc est fidelium exspectatio, qua credimus ad futurum finem mundi, omnia corruptibilia transitura, resurrecturos homines ad examen futuri judicii, recepturos pro meritis singulos, et in perpetuum atque in æternum debitis finibus permansuros ; solumque esse præmium beatitudinis, contemplationem Conditoris ; tantam duntaxat, quanta a creatura ad Creatorem fieri potest : ut ex eis, reparato angelico numero, superna illa civitas impleatur, ubi rex est Virginis Filius ; eritque gaudium sempiternum, delectatio, cibus, opus (*a*), laus perpetua Creatoris.

(*a*) Beatos laudare in cœlo Deum receptissima præsertim apud Christianos sententia est, ex admiratione nimirum divinitatis et bonitatis ejus : quæ laus cum summa angelorum beatorumque Dei contemplatione conjuncta est. Illorum enim, ait Athanasius, opus unicum est, Ὕμνος ἀληκτος καὶ αἶνος ἄπαυστος τῆς μεγαλοπρεπείας τοῦ Θεοῦ, *Hymnus perpetuus et laus magnificentiæ Dei indefessa ;* nec horum minus : *Nam maxima et unica sanctis est requies, in cœlo laudem summæ Trinitatis, quæ Deus est, indefessa voce dicere,* inquit Junilius Africanus, si modo is est. Nec tantum in cœlo beatorum opus illud est, sed et mortalium in terris hominum esse debet : quod non ex innumeris solum sacri Codicis Patrumque testimoniis, verum et ex his ethnici, sed sapientissimi viri Epicteti, apud Arrianum verbis convincere est : Εἰ γὰρ νοῦν εἴχομεν, ἄλλο τί ἔδει

C ἢ ἡμᾶς ποιεῖν καὶ κοινῇ καὶ ἰδίᾳ, ἢ ὑμνεῖν τὸ Θεῖον, καὶ εὐφημεῖν, καὶ ἐπεξέρχεσθαι τὰς χάριτας ; *Nam si sani essemus quid nobis aliud agendum erat et publice et privatim, quam numen celebrandum et laudandum, et grates persolvendæ ?* et Τί γὰρ ἄλλο δύναμαι γέρων χωλὸς, εἰ μὴ ὑμνεῖν τὸν Θεόν ; εἰ γοῦν ἀηδὼν ἤμην, ἐποίουν τὰ τῆς ἀηδόνος· εἰ κύκνος, τὰ τοῦ κύκνου νῦν δε λογικός εἰμι· ὑμνεῖν με δεῖ τὸν Θεόν. Τοῦτό μου τὸ ἔργον ἐστὶ, ποιῶ αὐτὸ, οὐδ' ἐγκαταλείψω τὴν τάξιν ταύτην, ἐφόσου ἂν δίδοται, καὶ ὑμᾶς ἐπὶ τὴν αὐτὴν ταύτην ᾠδὴν παρακαλῶ : *Quid enim possum aliud senex claudus, nisi celebrare laudibus Deum ? quod si luscinia essem, luscinix officio fungerer : si olor, oloris. Nunc rationis cum particeps sim, Deus mihi celebrandus est : hoc meum munus est, hoc exsequor : neque stationem hanc deseram, quoad licuerit, et vos ad eamdem hanc cantilenam exhortor.*

AN. MANL. SEV. BOETII

LIBER DE PERSONA ET DUABUS NATURIS CONTRA EUTYCHEN ET NESTORIUM,

AD JOANNEM DIACONUM ECCLESIÆ ROMANÆ.

PROŒMIUM.

Anxie te quidem diuque sustioni, ut de ea quæ in conventu mota est quæstione loqueremur. Sed quoniam et tu, quominus venires, occupatione distractus

D es, et ego in crastinum constitutis negotiis implicabor, mando litteris quæ coram loquenda servaveram. Meministi enim, cum in concilio legeretur (*a*) epistola, recitatum Eutychianos ex duabus naturis Christum legatos ei præfuerit. Deinde qui hic agi de ejusdem epistola Chalcedone Romam missa existimat, cum econtrario Roma Constantinopolim ad Flavianum

(*a*) Nec quod non est somniat Martianus Rota, qui in Vita Boetii asserit Leonem pontificem Romanum interfuisse concilio Chalcedonensi, cum tantum per

consistere confiteri, in duabus negare; Catholicos vero utrique dicto fidem præbere; nam et ex duabus eum naturis consistere, et in duabus apud veræ fidei sectatores æqualiter credi. Cujus dicti novitate percussus, harum conjunctionum, quæ ex duabus naturis vel in duabus consisterent, differentias inquirebam, multum scilicet referre ratus, nec puto inerti negligentia prætereundum, quod episcopus scriptor epistolæ, tanquam valde necessarium, præterire noluisset. Hic omnes, apertam esse differentiam, nec quidquam in eo esse caliginis, inconditum confusumque strepere; nec ullus in tanto tumultu, qui leviter attingeret quæstionem, nedum qui expediret, inventus est. (*a*) Assederam ego ab eo quem maxime intueri cupiebam, longius, atque adeo, si situm sedentium recorderis, aversus pluribusque oppositis, ne si ægerrime quidem cuperem, vultum nutumque ejus ascipere poteram, ex quo mihi aliqua ejus darentur signa judicii. Atque ego quidem nihil cæteris amplius afferebam, imo vero aliquid

A etiam minus; nam de re proposita, æque nihil cum cæteris sentiebam: minus vero quam cæteri afferebam, falsæ scilicet scientiæ præsumptionem. Tuli ægre rrime, fateor, compressuque indoctorum grege co nticui, metuens ne jure viderer insanus, si sanus inter furiosos haberi contenderem. Meditabar igitur dehinc omnes animo quæstiones, nec deglutiebam quod acceperam, sed frequentis consilii iteratione ruminabam. Tandem igitur patuere pulsanti animo fores, et veritas inventa quærenti, omnes nebulas Eutychiani reclusit erroris. Unde mihi maxime subiit admirari, quænam hæc indoctorum hominum esset audacia, qui inscientiæ vitium præsumptionis atque impudentiæ nube conantur obducere, cum non modo sæpe id quod proponitur ignorent, verum in hujusmodi contentionibus ne id quidem B quod ipsi loquuntur intelligant; quasi deterior fiat inscientiæ causa dum tegitur. Seb ab illis ad te transeo, cui hoc, quantulumcunque est, examinandum prius perpendumque transmitto. Quod si recte se

missa, postea ab universo concilio Chalcedonensi approbata laudataque sit. Postremo qui hoc loco de eo concilio loqui Boetium credat, quod in urbe tumultuantibus Acephalis convocatum est: cui si quod fuit (nullum autem fuit), Boetium non interfuisse ex eo constat, quod eum tunc vix natum putamus, cum ea hæresis anno præcipue 482, non in Occidentali, sed Orientali Ecclesia, recruduit. Cum igitur aliter se res habeat, tractatum de Duabus Naturis et una Persona Christi anno ejusdem 512 scripsisse, ejusque occasionem hanc fuisse, probabilis conjectura est. Anastasius imp. Arianus in Orientales episcopos catholicos depositione, carcere, exsilio sæviebat. Illi ubi se religionemque ca- C tholicam perdi perditumque iri vident, ab Symmacho papa opem auxiliumque scripta epistola longe doctissima, quæ apud Baronium est, petunt. Eam acceptam Symmachus habito Romæ conventu seu concilio episcoporum, qui tum in Urbe erant, virorumque aliorum religionis amantium, inter quos Symmachus et Boetius fuere, legit. Dum examinatur et ad ea verba ventum: *Nos enim, o sanctissime et beatissime Symmache, eumdem esse existimamus ex duabus naturis et in duabus naturis; et non (sicut illi dicunt) ex duabus naturis unam naturam post adunationem, in duabus autem subsistentibus naturis cum unitate non pati confiteri; ut se Arianorum doceant esse imitatores, dicentium per Filium glorificari Patrem, cum Filio autem non pati se eum glorificari. Sed, sicut contra illos docuerunt fratres tui sanctissimi Patres, Per quem et Cum quo æqualiter pati dicere nos: quia Per quem, humanitatem; Cum quo, divinitatem significantes magni Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi; si nunc illis Ex duabus quidem naturis dicentibus, In duabus autem non confitentibus; nos Ex duabus et In duabus pariter dicimus. Ex duabus enim dicentes, ex quibus subsistit unitas; In duabus autem, in quibus visus, visus est et palpatus et assumptus post passionem et resurrectionem confitemur, et in quibus veniet judicaturus vivos et mortuos.* Plurimi ex iis, haud satis in rebus theologicis eruditi, de ea re cum disseruissent, neque eam vel leviter attigissent, quid de ea quæstione sentiret Boetius ad Joannem Romanæ Ecclesiæ tunc diaconum, postea ejusdem pontificem, contra Nestorium, qui duabus naturis personas totidem adjungebat; et Eutychetem, qui naturam ac personam unicam tuebatur, perscripsit. Ejusmodi vero conventus seu concilia in Urbe fieri solita (ubi aderant episcopi eminentesque e clero, sed et senatores plerique ac alii viri graves, qui ob pietatem singularem *religiosi* dicebantur, quorum in conspectu si quid in religione difficultatis se per id tempus offeret, aut si quod pium scriptum ab eruditis edendum esset recitaretur), cum multa probare possunt, tum ea operum Aratoris subscriptio; cujus partem D. Sirmondus jam olim ad Ennodium publicaverat, quam integram ex veteri nostro codice descripsimus. *Beato Petro adjuvante oblatus est hujusmodi codex ab Aratore inl. ex com domesticor. ex com. privatar. subdiacono sanctæ Ecclesiæ Romanæ, apostolico viro papæ Vigilio, et susceptus ab eo* VII *idus Aprilis in presbyterio ante Confessionem beati Petri, cum ibidem plures episcopi, presbyteri, diaconi et clerici pars maxima interessent. Quem cum ibidem legi pro aliqua parte fecisset Surgentius vir venerabilis primicerius scholæ notariorum, in scriniis dedit ecclesiæ collocandum. Cujus beatitudinem litterati omnes doctissimi continuo rogaverunt ut eum juberet publice reciturl. Quod cum fieri præcepisset in ecclesia beati Petri quæ vocatur ad Vincula, religiosorum turba convenit, atque eodem Aratore reciante disjunctis diebus ambo libri* VII *vicibus sunt auditi: cum unius medietas libri tantummodo teyeretur, propter repetitiones assiduas, quas cum favore multiplici postulabant. Eadem hæc repetitio facta est his diebus: Prima id. Aprilis; secunda* XV *cal Maii; quarta vero* III *cal. Junias, tertio anno post consulatum Basilisci* V. C., *indictione* VII, seu potius *Basilii*: hoc est nimirum anno 544.

(*a*) Symmacho nimirum socero suo, quem utraque lingua eruditum, sæculares sacrasque omnes disciplinas scientiasque callentem, scriptorum suorum passim censorem constituit Boetius. Gravitatis sapientiæque summæ testatur Ennodius Parænesi didascalica, ubi elogium ejus hoc reperias: *Patricii Festus et Symmachus, omnium disciplinarum materia et constantes forma sapientiæ, ab urbe sacratissima non recedunt. In ipsis est nobilis curiæ principatus; quos vidisse, erudiri est. Non apud eos sermo de ludicris, nec pantomimorum vix ignoscendæ commemoratio. Illi auram popularem per pudoris detrimenta non capiunt: contenti rectis magis placere, quam plurimis, sortiuntur de innocenti actione testimonium. Istorum quamvis in omnibus jussa sequenda sint, est tamen in illis et magistra taciturnitas, et eruditi forma silentii.* Pietatem ejus defensus ab eo contra Laurentium schismaticum Symmachus papa sensit; qua de re ad eum Avitus Viennensis scribit. Quare non mirum si *sanctus* ab ipso ejus genero, *vir* etiam *totus ex sapientia virtutibusque factus*, denique *pretiosissimum generis humani decus* vocatur.

habere pronuntiaveris, peto ut mei nominis hoc quoque inseras chartis; sin vero vel minuendum aliquid, vel addendum, vel aliqua mutatione variandum est, id quoque postulo remitti meis exemplaribus, ita ut a te revertatur transcribendum, quæ ubi ad calcem ducta constiterint, tum demum ejus cujus soleo judicio censenda transmittam. Sed quoniam semel res a collocutione transfertur ad stylum, prius extremi sibit contrarii Nestorii atque Eutychis submoveantur errores; post vero, adjuvante Deo, Christianæ medietatem fidei temperabo. Quoniam vero in tota quæstione contrariarum sibimet hæreseon de personis atque naturis debitatur, hæc primitus definienda sunt et propriis differentiis segreganda.

CAPUT I.

Natura quid sit.

Natura igitur aut de solis corporibus dici potest, aut de solis substantiis, id est corporeis atque incorporeis, aut de omnibus rebus quæ quæcunque modo esse dicuntur. Cum igitur tribus modis natura dicit possit, tribus modis sine dubio definienda est. Nam si de omnibus rebus naturam dici placet, talis definitio dabitur quæ res omnes quæ sunt possit includere. Erit ergo hujusmodi: Natura, est earum rerum quæ, cum sint, quoquomodo intellectu capi possent. In hac igitur definitione et accidentia et substantiæ definiuntur; hæc enim omnia intellectu capi possunt. Additum vero est quoquomodo, quoniam(*a*) Deus et materia integro perfectoque intellectu intelligi non possunt, sed, aliquo tamen modo cæterarum rerum privatione capiuntur. Idcirco vero adjunximus, quæ cum sint, quoniam etiam ipsum nihil significat aliquid, sed non naturam. Neque enim quod sit aliquid, sed potius non esse significat: omnis vero natura est; et si de omnibus quidem rebus naturam dici placet, hæc sit naturæ definitio, quam superius posuimus; sin vero de solis substantiis natura dicitur, quoniam substantiæ omnes aut corporeæ sunt aut incorporeæ, dabimus definitionem naturæ substantias significantis hujusmodi: Natura est vel quod facere, vel quod pati possit: pati quidem ac facere, ut omnia corporea atque corporeorum anima; hæc enim in corpore et a corpore, et facit et patitur; facere vero tantum, ut Deus cæteraque divina. Habes igitur definitionem ejus quoque significationis naturæ, quæ tantum substantiis applicatur.

A Qua in re substantiæ quoque est reddita definitio: nam si nomen naturæ substantiam monstrat, cum naturam descripsimus, substantiæ quoque est assignata descriptio. Quod si naturæ nomen, relictis incorporeis substantiis, ad corporales usque, ut corporeæ tantum substantiæ naturam habere videantur, sicut Aristoteles cæterique ejusmodi et multimodæ philosophiæ sectatores putant, definiemus eam ut hi etiam qui naturam non nisi in corporibus esse posuerunt. Est autem ejus definitio hoc modo: Natura est motus principium, secundum se, non per accidens. Quod motus principium dixi, hoc est, quoniam corpus omne habet proprium motum, ut ignis sursum, terra deorsum. Item, quod per se principium motus naturam esse proposui et non per accidens,

B tale est, quoniam lectum quoque ligneum deorsum ferri necesse est, sed non deorsum per accidens fertur. Idcirco enim quia lignum est, quod est terra, pondere et gravitate deducitur; non enim quia lectus est deorsam cadit, sed quia terra est, id est quia terræ contingit ut lectus esset. Unde fit ut lignum naturaliter esse dicamus, lectum vero artificialiter. Est etiam alia significatio naturæ, per quam diversam dicimus esse naturam auri atque argenti, in hoc proprietatem rerum monstrare cupientes; quæ significatio naturæ definietur hoc modo: Natura est unamquamque rem informans specifica differentia. Cum igitur tot modis vel dicatur vel definiatur natura, tam Catholici quam Nestorius, secundum ultimam definitionem, duas in Christo naturas esse

C constituunt, neque enim easdem in Deum atque hominem differentias convenire.

CAPUT II.

Persona quid sit.

Sed de persona maxime dubitari potest, quænam ei definitio aptari possit. Si enim omnis habet natura personam, indissolubilis nodus est, quænam inter naturam personamque possit esse discretio; aut si non æquatur persona naturæ sed infra terminum spatiumque naturæ persona subsistit, difficile dictu est ad quas usque naturas persona perveniat, id est quas naturas conveniat habere personam, quas a personæ vocabulo segregari; nam illud quidem manifestum est, personam subjectam esse naturæ, nec præter naturam personam posse prædicari. Investiganda igitur sunt hæc inquirentibus hoc

(*a*) Ita omnes libri vett. mss., non *Deus et natura*. Deum enim perfecto intellectu cognosci minime posse nostra fatetur cognoscendi eum imbecillitas: verumque est illud Joannis, Θεὸν οὐδεὶς πώποτε τεθέαται, *Deum nemo vidit unquam*. D. quoque Paulus decernit nos quidem Deum nunc videre seu cognoscere, sed δι' ἐσόπτρου ἐν αἰνίγματι, *per speculum in ænigmate*: Τὰ γὰρ ἀόρατα αὐτοῦ τοῖς ποιήμασι νοούμενα καθορᾶται, ἥ τε ἀΐδιος αὐτοῦ δύναμις καὶ θειότης, *Invisibilia enim ipsius*, inquit idem, *per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur; sempiterna quoque ejus virtus et divinitas*. Deum etiam Platoni εὑρεῖν οὐ ῥᾴδιον, *invenire difficile*. Qui vero sit materia nemo quoque mortalium perfecte novit; fateturque omnis philosophia eam nullo posse aut sensu aut intel-

D lectu percipi. Ea Platoni et Aristoteli non σῶμα, sed σωματική; Zenoni ἀΐδιος vocatur, quod οὔτε πλείων γιγνομένη, οὔτε ἐλάττων, *neque crescat, neque decrescat*. Cujus a Platone in Timæo (quoniam non scitur nisi quatenus est formarum subjectum ac locus; ideoque non per se, sed per aliud cognoscitur) dicitur non haberi scientia nisi λογισμῷ τινι νόθῳ, *ratione qualum adulterina*. Et Aristoteli similiter scibilis est, sed κατ' ἀναλογίαν, *secundum proportionem seu comparationem*. D. quoque Augustinus lib. XIII Confess. affirmat *humanam cogitationem*, postquam in materiæ investiganda cognitione diu multumque versata fuerit, hoc tantum proficere, *ut conetur eum vel nosse ignorando, vel ignorare noscendo*.

modo : quoniam præter naturam non potest esse persona, quoniam quæ naturæ dicuntur, aliæ substantiæ sunt, aliæ accidentes, et videmus personam in accidentibus non posse constitui ; quis enim dicat ullam albedinis, vel nigredinis, vel magnitudinis esse personam ? relinquitur ergo ut personam in substantiis dici conveniat. Sed substantiarum aliæ sunt corporeæ, aliæ incorporeæ ; corporearum vero aliæ sunt viventes, aliæ minime. Viventium aliæ sunt sensibiles, aliæ minime ; sensibilium aliæ rationales, aliæ irrationales ; rationalium vero alia immutabilis atque impassibilis per naturam, ut Deus ; alia per creationem mutabilis atque passibilis, nisi impassibilis gratia substantiæ ad impassibilitatis firmitudinem permutetur, ut angelorum atque animæ rationalis. Ex quibus omnibus, neque in non viventibus corporibus personam dici posse manifestum est, nullus enim lapidis ullam dicit esse personam ; neque rursus eorum viventium quæ sensu carent, neque enim ulla persona est arboris ; neque vero ejus quæ intellectu ac ratione deseritur, nulla est enim persona equi vel bovis, cæterorumque animalium, quæ muta ac sine ratione vitam solis sensibus degunt. At hominis dicimus esse personam, dicimus Dei, dicimus angeli. Rursus substantiarum aliæ sunt universales, aliæ particulares. Universales sunt quæ de singulis prædicantur, ut homo, animal, lapis, lignum cæteraque hujusmodi quæ vel genera vel species sunt : nam et homo de singulis hominibus, et animal de singulis animalibus, lapisque ac lignum de singulis lapidibus ac lignis dicuntur. Particularia vero sunt quæ de aliis minime prædicantur, ut Cicero, Plato, lapis hic unde hæc Achillis statua facta est ; lignum hoc unde hæc mensa composita est. Sed in his omnibus nusquam in universalibus persona dici potest, sed in singularibus tantum atque in individuis : animalis enim vel generalis hominis nulla persona est, sed vel Ciceronis vel Platonis vel singulorum individuorum personæ singulæ nuncupantur.

CAPUT III.

Differencia naturæ et personæ.

Quocirca si persona in solis substantiis est, atque in his rationalibus, substantiaque omnis natura est, nec in universalibus, sed in individuis constat, reperta personæ est igitur definitio : Persona est naturæ rationalis individua substantia. Sed nos hac definitione eam quam Græci ὑπόστασιν dicunt terminavimus. Nomen enim personæ videtur aliunde traductum ; ex his scilicet personis quæ in comœdiis tragœdiisque eos quorum interest homines repræsentabant. Persona vero dicta est a personando, circumflexa penultima. Quod si acuatur antepenultima, aperto a sono dicta videbitur. Idcirco autem a sono, quia in concavitate ipsa major necesse est volvatur sonus. Græci quoque has personas πρόσωπα vocant, ab eo quod ponantur in facie atque ante oculos obtegant vultum, παρὰ τοῦ πρὸς τοὺς ὤπας τίθεσθαι. Sed quoniam, personis inductis, histriones, individuos homines, quorum intererat, in tragœdia vel comœdia ut dictum est, repræsentabant : id est, Hecubam, vel Medeam, vel Simonem, vel Chremetem, idcirco cæteros quoque homines, quorum certa pro sui forma esset agnitio, et Latini personam, et Græci πρόσωπα nuncupaverunt. Longe vero illi signatius naturæ rationalis individuam subsistentiam ὑποστάσεως nomine vocaverunt ; nos vero, per inopiam significantium vocum, translatitiam retinuimus nuncupationem, eamque quam illi ὑπόστασιν dicunt, personam vocantes. Sed peritior Græcia sermonum, ὑπόστασιν vocat individuam subsistentiam ; atque, ut Græca utar oratione, in rebus quæ a Græcis agitatæ Latina interpretatione translatæ sunt, Αἱ οὐσίαι ἐν μὲν τοῖς καθ' ὅλου εἶναι δύνανται, ἐν δὲ τοῖς κατὰ μέρος μόνοις ὑφίστανται : id est, Essentiæ in universalibus quidem esse possunt, in solis vero individuis et particularibus substant. Intellectus enim universalium rerum ex particularibus sumptus est. Quocirca cum ipsæ subsistentiæ in universalibus quidem sint, in particularibus vero capiant substantiam, jure subsistentias particulariter substantes ὑποστάσεις appellaverunt. Neque enim pensius subtiliusque intuenti idem videbitur esse subsistentia quod substantia ; nam quod Græci οὐσίωσιν vel οὐσιῶσθαι dicunt, id nos substentiam vel subsistere appellamus ; quod vero illi ὑπόσθασιν vel ὑφίστασθαι, id nos substantiam vel substare interpretamur. Subsistit enim, quod ipsum accidentibus, ut possit esse, non indiget : substat autem id quod aliis accidentibus subjectum quod dam, ut esse valeant, subministrat ; sub illis enim stat, dum subjectum est accidentibus. Itaque genera vel species subsistunt tantum, neque enim accidentia generibus speciebusve contingunt. Individua vero, non modo subsistunt, verum etiam substant : nam neque ipsa indigent accidentibus, ut sint ; informata enim sunt jam propriis et specificis differentiis et accidentibus, ut esse possint ministrare dum sunt scilicet subjecta. Quocirca εἶναι atque οὐσιῶσθαι, esse atque subsistere ; ὑφίστασθαι vero, substare intelligitur. Neque enim verborum inops Græcia est, ut Marcus Tullius alludit ; sed essentiam, subsistentiam, substantiam, personam totidem nominibus reddit : essentiam quidem οὐσίαν, subsistentiam vero οὐσίωσιν, substantiam ὑπόστασιν, personam πρόσωπον appellans. Ideo autem ὑποστάσεις Græci individuas substantias vocaverunt, quoniam cæteris subsunt, et quibusdam quasi accidentibus suppositæ subjectæque sunt ; atque idcirco nos quoque eas substantias nuncupamus, quasi suppositas, quas illi ὑποστάσεις, cumque etiam πρόσωπα nuncupent easdem substantias, possumus nos quoque nuncupare personas. Idem est igitur οὐσίαν esse quod essentiam, idem οὐσίωσιν quod subsistentiam, idem ὑπόστασιν quod substantiam, idem est πρόσωπον quod personam. Quare autem de irrationalibus animalibus Græcus ὑπόστασιν non dicat, sicut nos de eisdem nomen substantiæ prædicamus, hæc ratio est, quoniam nomen hoc melioribus applicatum est, ut aliquis, id quod est excellentius, tametsi non descriptione na-

turæ et secundum id quod subsistere, ὑφίστασθαι, atque substare est; at certe ὑποστάσεως vel substantiæ vocabulis discerneretur. Est igitur et hominis quidem essentia, id est οὐσία, et subsistentia, id est οὐσίωσις, et ὑπόστασις, id est substantia, et πρόσωπον, id est persona: οὐσία quidem atque essentia, quoniam est; οὐσίωσις vero atque subsistentia, quoniam in nullo subjecto est; ὑπόστασις vero atque substantia, quoniam subest cæteris, quæ subsistentiæ non sunt, id est οὐσιώσεις: est πρόσωπον atque persona, quoniam est rationabile individuum. Deus quoque et οὐσία est et essentia; est enim, et maxime ipse est, a quo omnium esse proficiscitur. Est οὐσίωσις, id est subsistentia; subsistit enim nullo indigens, et ὑφίστασθαι, substat enim. Unde etiam dicimus unam esse οὐσίαν vel οὐσίωσιν, id est essentiam vel subsistentiam deitatis; sed tres ὑποστάσεις, id est tres substantias. Et quidem, secundum hunc modum, dixere unam Trinitatis essentiam, tres substantias, tresque personas. Nisi enim tres in Deo substantias ecclesiasticus loquendi usus excluderet, videretur idcirco de Deo dici substantia, non quod ipse cæteris rebus quasi subjectum supponeretur, sed quod idem omnibus uti præsset, ita etiam quasi principium subesset rebus, dum eis omnibus οὐσιῶσθαι, vel subsistere subministrat.

CAPUT IV.

Contra nestorium, unam esse personam.

Sed hæc omnia idcirco sint dicta, ut differentiam naturæ atque personæ, id est οὐσίας atque ὑποστάσεως monstraremus: quo vero nomine unumquodque oporteat appellari, ecclesiasticæ sit locutionis arbitrium. Hoc interim constet, quod inter naturam personamque differre prædiximus, quoniam Natura est cujuslibet substantiæ specificata proprietas; Persona vero, rationabilis naturæ individua substantia. Hanc in Christo Nestorius duplicem esse constituit, eo scilicet traductus errore, quod putaverit in omnibus naturis posse dici personam. Hoc enim præsumpto, quoniam in Christo duplicem naturam esse censebat, duplicem quoque personam esse confessus est. Qua in re eum falsum esse, cum definitio superius dicta convincat, tum hæc argumentatio evidenter ejus declarabit errorem. Si enim non est Christi una persona, duasque naturas esse manifestum est, hominis scilicet atque Dei (nec tam insipiens quisquam, ut utramlibet earum ratione sejungat), consequitur ut duæ videantur esse personæ: est enim persona, ut dictum est, naturæ rationabilis individua subsistentia. Quæ est igitur facta hominis Deique conjunctio? Num ita quasi cum duo corpora sibimet apponuntur, ut tantum locis juncta sint, et nihil in alterum ex alterius qualitate perveniat? quem conjunctionis modum Græci κατὰ παράθεσιν vocant. Sed si ita humanitas divinitati conjuncta est, nihil horum ex utrisque confectum est, ac per hoc nihil est Christus. At si, duabus personis manentibus, ea conjunctio, qualem superius diximus, facta est naturarum, unum ex duobus effici nihil potuit: omnino enim ex duabus personis nihil unquam fieri potest. Nihil igitur unum secundum Nestorium Christus est, ac per hoc omnino nihil: quod enim non est unum, nec esse omnino potest; esse enim atque unum convertitur, et quodcunque est, unum est; etiam ea quæ ex pluribus conjunguntur, ut acervus, chorus, unum tamen sunt. Sed esse Christum manifeste et veraciter confitemur: unum igitur esse dicimus Christum. Quod si ita est, unam quoque Christi sine dubitatione personam esse necesse est: nam si duæ personæ essent, unus esse non posset; duos vero esse dicere Christos, nihil est aliud, nisi præcipitatæ mentis insania: cur enim omnino duos audeat Christos vocare, hominem unum, alium Deum? vel cur eum qui Deus est Christum vocat, si eum quoque qui homo est Christum est appellaturus, cum nihil simile, nihil habeant ex copulatione conjunctum? Cur simili nomine diversissimis abutatur naturis, cum si Christum definire cogitur utrisque (ut ipse dicit) Christis, non possit unam definitionis adhibere substantiam? Si enim Dei atque hominis diversa substantia est, unumque in utrisque Christi nomen, nec diversarum conjunctio substantiarum, unam creditur fecisse personam, æquivocum nomen est Christi, et nulla potest definitione concludi. Quibus autem nuquam Scripturis nomen Christi geminatur? Quid vero novi, per adventum Salvatoris, effectum est? nam catholicis et fidei veritas et raritas miraculi constat. Quam enim magnum est, quamque novum, quod semel nec ullo alio sæculo possit evenire, ut ejus, qui solus est natura Deus, cum humana, quæ ab eo erat diversissima, conveniret; atque ita, ex distantibus naturis, una fieret copulatione persona. Secundum Nestorii vero sententiam, quid contigit novi? Servant, inquit, proprias humanitas divinitasque personas. Quando enim non fuit divinitatis propria humanitatisque persona? quando vero non erit? vel quid amplius in Jesu generatione contigit, quam in cujuslibet alterius, si, discretis utrisque personis, discretæ etiam fuere naturæ? Ita enim, personis manentibus, illic nulla naturarum potuit esse conjunctio, ut in quolibet homine, cujus cum propria persona subsistat, nulla est ei, excellentissimæ substantiæ, conjuncta divinitas. Esto vero, Deum ipsum Christi appellatione cur vocet, cur vero non elementa quoque, ipea simili audeat appellare vocabulo, per quæ Deus mira quædam quotidianis motibus operatur? An quia irrationabiles substantiæ non possunt habere personam, quæ Christi vocabulum excipere possit? Nonne in sanctis hominibus ac pietate conspicuis apertus Divinitatis actus cognoscitur? Nihil enim interert cur non sanctos quoque viros eadem appellatione dignetur, si, in assumptione humanitatis, non est una in conjunctione persona. Sed dicat forsitan, illos quoque Christos vocari: fateor, sed ad imaginem veri Christi. Quod si nulla ex homine atque Deo una persona conjuncta est, omnes ita veros Christos arbitrabimur, ut hunc qui ex Virgine genitus creditur: nulla quippe in hoc adunata persona est, ex Dei at-

que hominis copulatione ; sicut nec in eis qui Dei Spiritu de venturo Christo prædicebant, propter quod etiam ipsi quoque appellati sunt Christi. Jam vero sequitur, ut personis manentibus nullo modo a divinitate humanitas credatur assumpta : omnino enim disjuncta sunt, quæ æque personis naturisque separantur ; prorsus, inquam, disjuncta sunt ; nec magis inter se homines bovesque disjuncti, quam divinitas in Christo humanitasque discreta est, si permansere personæ. Homines quippe ac boves una animalis communitate junguntur : est enim illis secundum genus communis substantia, eademque in universalitatis collectione natura. Deo vero atque homini quid non erit diversa ratione disjunctum, si, sub diversitate naturæ, personarum quoque credatur mansisse discretio ? Non est igitur salvatum humanum genus, nulla in nos salus Christi generatione processit, tot prophetarum Scripturæ populum illusere credentem ; omnis Veteris Testamenti spernatur auctoritas, per quam salus mundo Christi generatione promittitur. Non autem provenisse manifestum est, si eadem in persona est quæ in natura diversitas : eumdem quippe salvum fecit, quem creditur assumpsisse ; nulla vero intelligi potest assumptio, si manet æque naturæ personæque discretio. Igitur qui assumi manente persona non potuit, jure non videbitur per Christi generationem potuisse salvari. Non est igitur, per generationem Christi, hominum salvata natura ; quod credi nefas est. Sed quanquam permultæ sint quæ huno sensum impugnare valeant atque perfringere, de argumentorum tamen copia hæc interim libasse sufficiat.

CAPUT V.

Contra Eutychen, corpus Christi ex Maria vere assumptum.

Transeundum quippe est ad Eutychen, qui cum a veterum orbitis esset evagatus, in contrarium cucurrit errorem ; asserens, tantum abesse ut in Christo gemina persona credatur, ut ne naturam quidem in eo duplicem oporteat confiteri ; ita quippe esse assumptum hominem, ut ea sit adunatio facta cum Deo, ut natura humana non manserit. Hujus error ex eodem quo Nestorii fonte prolabitur : nam sicut Nestorius arbitratur non posse esse naturam duplicem, quin persona fieret duplex, atque ideo, cum in Christo naturam duplicem confiteretur, duplicem credidit esse personam, ita quoque Eutyches non putavit naturam duplicem esse sine duplicatione personæ ; et cum non confiteretur duplicem esse personam, arbitratus est consequens esse ut una videretur esse natura. Itaque Nestorius recte tenens duplicem in Christo esse naturam, sacrilege confitetur duas esse naturas, Eutyches vero recte credens unam esse personam, impie credit unam quoque esse naturam. Qui convictus evidentia rerum, quandoquidem manifestum est aliam naturam esse hominis, aliam Dei, ait duas se confiteri in Christo naturas ante adunationem, unam vero post adunationem. Quæ sententia non aperte quod vult eloquitur. Ut tamen ejus dementiam perscrutemur, adunatio hæc aut tempore generationis facta est, aut tempore resurrectionis. Sed si tempore generationis facta est, videtur putare et ante generationem fuisse humanam carnem, non a Maria sumptam, sed aliquo modo alio præparatam ; Mariam vero Virginem appositam, ex qua caro nasceretur quæ ab ea sumpta non esset ; illam vero carnem, quæ ante fuerit, esse divisam atque a divinitatis substantia separatam ; cum ex Virgine natus est, adunatam esse Deo, ut una videretur facta esse natura. Vel si hæc ejus sententia non est, illa esse poterit dicentis, duas ante adunationem, una post adunationem, si adunatio generatione perfecta est, ut corpus quidem a Maria sumpserit, sed, antequam sumeret, diversam deitatis humanitatisque fuisse naturam : sumptam vero unam factam, atque in divinitatis cessisse substantiam. Quod si hanc adunationem non putat generatione, sed resurrectione factam, rursus id duobus fieri arbitrabitur modis : aut enim genito Christo et non assumente de Maria corpus, aut assumpta ab eadem carne, usque dum resurgeret, duas quidem fuisse naturas, post resurrectionem unam factam : de quibus illud disjunctum nascitur, quod interrogabimus hoc modo : Natus ex Maria Christus aut ab ea carnem humanam traxit, aut minime. Si non confitetur ex ea traxisse, dicat quo homine indutus advenerit ; utrumne eo qui diciderat prævaricatione peccati, an alio ? Si eo de cujus semine ductus est homo, quem vestita divinitas est ? Nam si ex semine Abrahæ atque David et postremo Mariæ, non fuit caro illo qua natus est, ostendat ex cujus hominis sit carne derivatus : quoniam, post primum hominem, caro omnis humana ex humana carne deducitur. Sed si quem dixerit hominem, a quo generatio sumpta sit Salvatoris, præter Mariam Virginem, et ipse errore confunditur, et ascribere mendacii notam summæ Divinitati, illusus ipse, videbitur ; quando quod Abrahæ atque David promittitur in sanctis divinationibus, u ex eorum semine toti mundo salus oriatur, aliis distribuit : cum præsertim si humana caro sumpta est, non ab alio sumi potuerit nisi unde etiam procreabatur. Si igitur a Maria non est sumptum corpus humanum, sed a quolibet alio, per Mariam tamen es procreatum, quod fuerat prævaricatione corruptum, superius dicto repellitur argumento. Quod si non eo homine Christus indutus est qui pro peccati pœna sustinuerat mortem, illud eveniet, ex nullius hominis semine talem potuisse nasci, qui fuerit sine originalis pœna peccati. Ex nullo igitur talis sumpta est caro, unde fit ut noviter videatur esse formata. Sed hæc aut ita hominum visa est oculis, ut humanum putaretur corpus, quod revera non esset humanum, quippe quod nulli originali subjaceret pœnæ ; aut nova quædam vera, nec pœnæ peccati subjacens originalis ad tempus hominis natura formata est. Si verum hominis corpus non fuit, aperte arguitur mentita divinitas, quæ ostenderet hominibus corpus, quod cum verum

non esset, tum fallerentur hi qui verum esse arbitrarentur. At si nova veraque non ex homine sumpta caro formata est, quo tanta tragœdia generationis? ubi ambitus passionis? Ergo quippe, ne in homine quidem, non stulte fieri puto, quod inutiliter factum est. Ad quam vero utilitatem facta procreabitur tanta humilitas Divinitatis, si homo, qui periit, generatione ac passione Christi salvatus non est, quoniam negatur assumptus? Rursus igitur, sicut ab eodem Nestorii fonte Eutychis error principium sumpsit, ita ad eumdem finem relabitur, ut secundum Eutychen quoque non sit salvatum genus humanum: quoniam non is qui æger esset, et salvatione curaque egeret, assumptus est. Traxisse autem hanc sententiam videtur, si tamen hujus erroris fuit, ut cruderet non fuisse corpus Christi vere ex homine, sed extra atque a Deo in cœlo formatum; quoniam cum eo in cœlum creditur ascendisse, quod exemplum continet tale, non ascendit in cœlum, nisi qui de cœlo descendit.

CAPUT VI.

Quod nec divinitas in humanitatem, nec humanitas in divinitatem translata est, nec utraque permixta.

Sed satis de ea parte dictum videtur, si corpus quod Christus excepit, ex Maria non credatur assumptum. Si vero assumptum est ex Maria neque permansit perfecta humana divinaque natura, id tribus effici potuit modis: aut enim divinitas in humanitatem translata est, aut humanitas in divinitatem, aut utræque in se ita temperatæ sunt atque commixtæ, ut neutra substantia propriam formam teneret. Sed in divinitas in humanitatem translata est, factum est, quod credi nefas est, ut in humanitatem, non immutabili substantia permanente, divinitas verteretur; et quod passibile atque mutabile naturaliter existeret, id immutabile permaneret: quod vero immutabile atque impassibile naturaliter creditur, id in rem mutabilem verteretur. Hoc igitur fieri nulla ratione contingit; sed humana forsitan natura in deitatem videatur esse conversa. Hoc vero qui fieri potest, si divinitas in generatione Christi et humanam animam suscepit et corpus? Non enim omnis res in rem omnem verti ac transmutari potest: nam cum substantiarium aliæ sint corporeæ, aliæ incorporeæ, neque corporea in incorpoream, neque incorporea in eam quæ corpus est, mutarit potest. Nec vero incorporea in se invicem formas proprias mutant: sola enim mutari transformarique in se possunt, quæ habent unius materiæ commune subjectum; neque hæc omnia, sed ea quæ in se et facere et pati possunt. Id vero probatur hoc modo: neque enim potest æs in lapidem permutari, nec vero idem æs in herbam, nec quodlibet aliud corpus in quodlibet aliud transfigurari potest, nisi et eadem sit materia rerum in se transeuntium, et a se et facere et pati possint: ut cum vinum atque aqua miscentur, utraque sunt talia, quæ actum sibi passionemque communicent. Potest enim aquæ qualitas a vini qualitate aliquid pati, atque idcirco si multum quidem fuerit aquæ, vini vero paululum, non dicuntur immista, sed alterum alterius qualitate corrumpitur. Si quis enim vinum fundat in mare, non mistum est mari vinum, sed in mare corruptum, idcirco quoniam qualitas aquæ, multitudine sui corporis, nihil passa est a quælitate vini, sed potius in seipsam vini qualitatem propria multitudine commutavit. Si vero sint mediocres sibique æquales, vel paulo inæquales naturæ, quæ a se facere et pati possint, illæ miscentur et mediocribus inter se qualitatibus temperantur. Atque hæc quidem in corporibus, neque his omnibus, sed tantum quæ a se (ut dictum est) et facere et pati possunt, communi atque eadem materia subjecta. Omne enim corpus quod in generatione et corruptione subsistit, communem videtur habere materiam; sed non omne ab omni, vel in omni, vel facere aliquid vel pati potest. Corporea vero in incorporea nulla ratione poterunt permutari, quoniam nulla communi materia subjecta participant, quæ susceptis qualitatibus in alterutram permutetur: omnis enim natura incorporæ substantiæ nullo materiæ nititur fundamento; nullum vero corpus est, cui non sit materia subjecta. Quod cum ita sit, cumque ne ea quidem quæ communem materiam naturaliter habent, in se transeant, nisi illis adsit potestas in se et a se faciendi et patiendi, multo magis in se non permutabuntur, quibus non modo communis materia non est, sed cum alia res materiæ fundamento nititur, ut corpus, alia omnino materiæ subjecto non egeat, ut incorporeum. Non igitur fieri potest ut corpus incorporalem speciem permutetur; nec vero fieri potest ut incorporalia in sese commistione aliqua permutentur. Quorum enim communis nulla materia est, nec in se verti ac permutari queunt. Nulla autem est incorporalibus materia rebus: non poterunt in se igitur invicem permutari. Sed anima et Deus incorporeæ substantiæ recte creduntur: non est igitur humana anima in divinitatem, a qua assumpta est permutata. Quod si neque corpus, neque anima in divinitatem potuit verti, nullo modo fieri potuit ut humanitas converteretur in Deum. Multo minus vero credi potest ut utraque in sese confunderetur, quoniam neque incorporalitas transire ad corpus potest, neque rursus e converso corpus ad incorporalitatem: quandoquidem nulla his materia subjecta communis est, quæ alterutris substantiarum qualitatibus permutetur. At hi ita aiunt: Ex duabus quidem naturis Christum consistere, in duabus vero minime. Hoc scilicet intendentes, quoniam quod ex duabus consistit ita unum fieri potest, ut illa ex quibus dicitur constare non maneant; veluti cum mel aquæ confunditur, neutrum manet, sed alterum, alterius copulatione corruptum, quiddam tertium fecit: ita illud quidem quod ex melle atque aqua tertium fit, constare ex utrisque dicitur, in utrisque vero negatur: non enim poterit in utrisque constare, quando utrorumque natura non permanet. Ex utrisque enim constare potest, licet ea ex quibus conjungitur, alterutra qualitate corrupta sint. Ex utrisque vero hujusmodi constare non poterit, quo-

niam ea quæ in se transfusa sunt, non manent, ac non sunt utraque quibus constare videatur, cum ex utrisque constent in se invicem qualitatum mutatione transfusis. Catholici vero utrumque rationabiliter confitentur ; nam et ex utrisque naturis Christum et in utrisque consistere ; sed id qua ratione dicatur, paulo posterius explicabo : nunc illid manifestum est convictam esse Eutychis sententiam eo nomine quod, cum tribus modis fieri possit ex duabus naturis una subsistat, ut aut divinitas in humanitatem translata sit, aut humanitas in divinitatem, aut utraque permista sint, nullum horum modum fieri potuisse superius dicta argumentatione declaratur.

CAPUT VII.

Christum in utrisque et ex utrisque naturis consistere.

Restat ut, quemadmodum catholica fides dicat, et in utrisque naturis Christum et ex utrisque consistere, doceamus. Ex utrisque naturis aliquid consistere, duo significat : unum quidem, cum ita dicimus aliquid ex duabus naturis jungi, sicut ex melle atque aqua. Id autem est ut ex quolibet modo confusis, vel si una vertatur in alteram, vel si utræque in se misceantur invicem, nullo tamen modo utraque permaneant : secundum hunc modum Eutyches ait ex utrisque naturis Christum consistere. Alter vero modus est ex utrisque consistendi, quod ita ex duabus junctum est, ut illa tamen, ex quibus junctum esse dicitur, maneant, nec in alterutra vertantur, et cum dicimus coronam ex auro gemmisque compositam. Hic neque aurum in gemmas translatum est, neque in aurum gemma conversa, sed utraque permanent, nec formam propriam derelinquunt. Talia ergo, ex aliquibus constantia, in his constare dicimus, ex quibus consistere prædicantur : tunc enim possumus dicere coronam gemmis auroque consistere : sunt enim gemmæ atque aurum, quibus corona consistat ; nam in priore modo, non est mel atque aqua in quibus illud, quod ex utrisque jungitur, constet. Cum igitur utrasque manere naturas in Christo fides catholica confiteatur, perfectasque easdem persistere, nec alteram in alteram transmutari, jure dicit et in utrisque naturis Christum, et ex utrisque consistere : in utrisque quidem, quia manent utræque ; ex utrisque vero, quia utrarumque adunatione manentium una persona fit Christi. Non autem secundum eam significationem ex utrisque naturis Christum junctum esse fides catholica tenet, secundum quam Eutyches pronuntiat. Nam ille talem significationem conjunctionis ex utraque natura, sumit, ut non confiteatur in utrisque consistere, neque utrasque manere : catholicus vero eam significationem ex utrisque consistendi sumit, quæ illi sit proxima, eamque conservet, quæ in utrisque consistere confitetur. Æquivocum igitur est, ex utrisque consistere, ac potius amphibolum et gemina significatione diversa designans : una quidem significatione, non manere substantias, ex quibus illud quod copulatem est dicatur esse conjunctum ; alio modo significans ita ex utrisque conjunctum, ut utraque permaneant. Hoc igitur expedito æquivocationis atque ambiguitatis nodo, nihil est ultra quod possit opponi, quin id sit quod firma veraque fides catholica continet : Eumdem Christum hominem esse perfectum, eumdem Deum, eumdemque, qui homo sit perfectus atque Deus, unum esse Deum ac Dei Filium ; nec quaternitatem trinitatis astrui, dum homo additur supra perfectum Deum, sed unam eamdemque personam numerum trinitatis explere : ut cum humanitas passa sit, Deus tamen passus esse dicatur ; non quod ipsa deitas humanitas facta sit, sed quod a deitate fuerit assumpta. Item qui homo est, Dei filius appellatur, non substantia divinitatis, sed humanitatis, quæ tamen divinitati naturali uninate conjuncta est. Et cum hæc ita intelligentia dicerdantur permisceanturque, tamen unus idemque et homo sit perfectus et Deus : Deus quidem, quod ipse sit ex Patris substantia genitus ; homo vero, quod ex Maria sit Virgine procreatus. Itemque qui homo, Deus, eo quod a Deo fuerit assumptus ; et qui Deus, homo, quoniam vestitus homine sit : cum in eadem persona aliud sit divinitas quæ suscepit, aliud, quam suscepit, humanitas ; idem tamen Deus atque homo est. Nam si hominem Christum intelligas, idem homo est atque Deus ; quoniam homo ex natura, Deus assumptione. Si vero Deum intelligas, idem Deus est atque homo, quoniam natura Deus est, homo assumptione. Fitque in eo gemina natura geminaque substantia, quoniam homo Deus : unaque personas, quoniam idem homo atque Deus. Mediaque hæc est inter duas hæreses via, sicut virtutes quoque medium tenent. Omnis enim virtus in medio rerum decore locata consistit, siquidem vel ultra, vel infra, quam opotuerit, fiat, a virtute disceditur : mediotatem igitur virtus tenet. Quocirca si quatuor hæc neque ultra esse possunt, ut in Christo ; aut duæ naturæ sint duæque personæ, ut Nestorius ait ; aut una persona unaque natura, ut Eutyches ait ; aut duæ naturæ, sed una persona, ut catholica fides credit ; aut una natura duæque personæ. Cumque duas quidem naturas duasque personas in ea quæ contra Nestorium dicta est responsione convicerimus, unam vero personam unamque naturam esse non posse, Eutyche proponente, monstraverimus, neque tam amens quisquam hucusque exstiterit, ut unam in eo naturam crederet, sed gemina esse personas ; resta ut ea sit vera, quam fides catholica pronuntiat, geminam substantiam, sed unam esse personam. Qui vero paulo ante diximus Eutychen confiteri duas quidem in Christo ante adnationem naturas, unam vero post adunationem, cumque hunc errorem duplicem interpretaremur celare sententiam, ut hæc adunatio aut generatione fieret, cum ex Maria corpus hominis minime sumeretur, aut sumpto quidem ex Maria per resurrectionem fieret adunatio, de utrisque quidem partibus idonee, ut arbitror, disputatum est. Nunc quærendum est quomodo fieri potuerit ut duæ naturæ in unam substantiam miscerentur.

CAPUT VIII.

Quis fuerit status vitæ Christi.

Verumtamen est etiam nunc et alia quæstio quæ ab his inferri potest, qui corpus humanum ex Maria sumptum esse non credunt, sed alias fuisse sequestratum, præparatumque quod in adunatione ex Mariæ utero gigni atque proferri videretur. Aiunt enim, si ex homine sumptum est corpus, homo vero omnis ex prima prævaricatione non solum peccato et morte tenebatur, verum etiam affectibus peccatorum erat implicitus, eaque illi fuit pœna peccati, ut cum morte teneretur obstrictus, tamen esset reus etiam voluntate peccandi; cur in Christo neque peccatum fuit, neque voluntas ulla peccandi? Et omnino habet animadvertendam dubitationem talis quæstio. Si enim ex carne humana Christi corpus assumptum est, dubitari potest quænam hæc caro quæ assumpta sit esse videatur: cum quippe salvavit quem etiam assumpsit. Sin vero talem hominem assumpsit qualis Adam fuit ante peccatum, integram videtur humanam assumpsisse naturam, sed tamen quæ medicina penitus non egebat. Quomodo autem fieri potest ut talem assumpserit hominem qualis Adam fuit, cum in Adam potuerit esse peccandi voluntas atque affectio? unde factum est ut etiam prætergressis divinis præceptis inobedientiæ delictis teneretur astrictus. In Christo vero ne voluntas quidem ulla creditur fuisse peccandi: cum præsertim si tale corpus hominis assumpsit quale Adæ ante peccatum fuit, non debuerit esse mortalis, quoniam Adam, si non peccasset, mortem nulla ratione sensisset. Cum igitur Christus non peccaverit, quærendum est cur senserit mortem, si Adæ corpus antequam peccaret assumpsit. Quod si talem statum suscepit hominis, qualis Adæ post peccatum fuit, videtur etiam in Christo non defuisse necessitas ut et delictis subjiceretur et passionibus confunderetur, obductisque judicii regulis bonum a malo non sincera integritate discerneret, quoniam has omnes pœnas Adam delicti prævaricatione suscepit. Contra quos respondendum est, tres intelligi hominum posse status. Unum quidem Adæ ante delictum, in quo tametsi ab eo mors aberat; nec adhuc ullo se delicto polluerat, poterat tamen in eo voluntas esse peccandi; alter vero est in quo mutari potuisset, si firmiter in Dei præceptis manere voluisset: tunc enim addendum foret ut non modo non peccaret, aut peccare vellet, sed nec posset quidem aut peccare, aut velle delinquere. Tertius status est post delictum, in quo mors illum necessario secuta est, et peccatum ipsum voluntasque peccati. Quarum summitatum atque contrariorum hæc loca sunt, is ille status qui A præmium esset, si in præceptis Dei Adam manere voluisset; et is qui pœnæ fuit, quoniam manere noluit: in illo enim nec mors esset, nec peccatum, nec voluntas ulla peccandi; in hoc vero, et mors et peccatum, et delinquendi omnis affectio, omniaque in perniciem prona, nec quidquam in se opis habentia, ut post lapsum posset assurgere. Ille vero medius status, in quo præsentia quidem mortis vel peccati aberat, potestas vero utriusque constabat, inter utrumque statum est collocatus. Ex his igitur tribus statibus Christus corporeæ naturæ suæ singulas quodammodo indidit causas: nam quod mortale corpus assumpsit, ut mortem a genere humano fugaret, in eo statu ponendum est quod post Adæ prævaricationem pœnaliter inflictum est. Quod vero non fuit in eo voB luntas ulla peccati, ex eo sumptum est statu, qui esse potuisset, nisi voluntatem insidiantis fraudibus applicasset. Restat igitur tertius status, id est medius: ille scilicet qui eo tempore fuit cum nec mors aderat, et adesse poterat delinquendi voluntas. In hoc igitur Adam talis fuit, ut manducaret ac biberet, ut accepta digereret, ut laberetur in somnum, et alia quæ ei non defuerunt, humana quidem sed concessa, et quæ nullam pœnam mortis inferrent. Quæ omnia habuisse Christum dubium non est: nam et manducavit et bibit et humani corporis officio functus est. Neque enim tanta indigentia in Adam fuisse credenda est, ut, nisi manducasset, vivere non potuisset; sed si ex omni quidem ligno escam sumeret, semper vivero potuisset, bisque non mori: idcirco Paradisi fructibus indigentiam explebat. Quam indiC gentiam fuisse in Christo nullus ignorat, sed potestate, non necessitate. Et ipsa indigentia ante resurrectionem in eo fuit; post resurrectionem vero talis exstitit, ut ita illud corpus immutaretur humanum, sicut Adæ, præter prævaricationis vinculum, mutari potuisset; quodque nos ipse Dominus Jesus Christus votis docuit optare, ut fiat voluntas ejus sicut in cœlo et in terra, ut adveniat ejus regnum et nos liberet a malo. Hæc enim omnia illa beatissima humani generis fideliter credentium immutatio deprecatur.

Hæc sunt quæ ad te fidei meæ credulitate scripsi. Qua in re si quid perperam dictum est, non ita sum amator mei, ut ea quæ semel effuderim, meliori sententiæ anteferre contendam. Si enim nihil est D ex nobis boni, nihil est quod in nostris sententiis amare debeamus. Quod si ex illo cuncta sunt bona, qui solus bonus est, illud potius bonum esse credendum est, quod illa incommutabilis bonitas atque omnium bonorum causa perscribit.

GILBERTI PORRETÆ COMMENTARIA

IN LIBRUM DE DUABUS NATURIS ET UNA PERSONA CHRISTI.

Non sum nescius oratores ingeniis acutos, arte peritos, et inter sophistas diu multumque exercitatos, in suo, hoc est civili themate genera causarum diligenter attendere, et pro rerum dignitate vel indigni

tate, obscuriora quidem plurimis sive inductionibus sive ratiocinationibus ostendere; minus autem obscura paucorum vel exemplorum vel enthimematum commemoratione transire; in his vero quæ manifesta sunt, omne argumentationum genus, et silendo contemnere, et contemnendo silere. Quod et nobiles philosophi in facultatibus suis fecisse noscuntur. In his enim in quibus intelligentia, multarum qui videtur rationum conflictus, obducitur, pluribus demonstrationibus quæstionum partes improbant falsas, veras confirmant. In illis vero in quibus quæstionis pars altera paucis hisque infirmis, vix a rationibus nutat, ad ipsius falsitatem, et alterius veritatem demonstrandam, non multum laborant. Si autem contradictionis pars altera nulla omnino veritatis habere rationes, ideoque altera nullus egere videtur, brevioribus verbis ea quæ de rebus intelliguntur, sine aliqua suppositione rationis exponunt; et si quis de hujusmodi, vel ab eis exigat, vel ipse afferat rationes, silendo contemnunt. Quia tamen quidam imperiti, eoque magis se aliquid esse jactantes, quo nihil sunt, contra manifestissimam garriunt veritatem, et tanquam excellentes hebdomades, et admiratione digna paradoxa, ea quæ præter aliquam rationis similitudinem aperte falsa sunt contentiosis clamoribus asserere gestiunt, coguntur philosophi sese confirmare sophistis, et quandoque rationibus pluribus, tanquam dubia, quæ omnino sunt indubia demonstrare. Nec dicenda sunt eorum de hujusmodi argumenta nugatoria atque superflua. Quoniam sicut sapientibus per ea quibus utraque pars contradictionis probari posse videtur argumenta affirmatio et ejus negatio in dubitationum adducitur, sic insipientibus per eorum præsumptionem qui sibi apud illos auctoritatem impudentia vindicant: non dico quod in dubitationem veniat propositio, quoniam vulgum dubitatio præterit, sed quod ab eis falsum pro vero et impossibile juratur pro necessario. His itaque rationibus, quibus certa tanquam dubia serio demonstrantur, minus eruditis consulitur, dum iis talium hominum rationibus impudentia retunditur, et præsumptione comparata auctoritas annullatur. Quod Boetius sana invisibilium fide catholicus, vera rerum cognitione philosophus, recte considerans quæ certa erant de unitate personæ et diversitate naturæ Christi, multis rationibus demonstravit, contra Nestorium episcopum et ἀρχιμανδρίτην. Quorum Nestorius personæ, Eutyches vero naturæ significationem ignorans, alter adversus alterum, et utrique adversus fidem catholicam et philosophicas rationes, quæ Christianæ fidei fundamento de personæ unitate et naturarum in Christo diversitate nituntur, impudentissime garriebant. Nestorius enim, non intelligens quibus rationibus hoc nomen quod est persona cuilibet inditum sit, Christum ex duabus constare personis mentiebatur. Eutyches vero in Christo naturarum diversitatem, postquam Verbum caro factum est, et habitavit in nobis, omnino negabat. De naturarum autem diversitate Nestorius contra Eutychen, et de personæ unitate contra Nestorium Eutyches, non tam, ut videtur, rationis motu quam naturæ casu vera profitebantur. Qualiter somniantes sæpe inter plurima quæ confusis loquendi elementis balbutiunt, in aliqua veritatis verba sine sensu mentis suæ omnino inarticulata quadam vi naturæ prorumpunt. Recte (non ut sapientibus quæstionis alicujus purget ambignum, sed ut a simplicibus auctoritatem ac per hoc errorem removeat præsumentium ea quæ de diversitate personarum et naturæ unitate in Christo Nestorius et Eutyches non rationis alicujus specie tracti, sed sola præsumptione corrupti, ingenii opinione decepti, aperte falsa dicere, et quod impudentius est, scribere non erubuerunt) Boetius firmis et manifestis rationibus improbat, et ecclesiasticam fidem, quæ inter has duas hæreses media est, de unitate personæ et diversitate naturæ Christi confirmat. Dirigit autem hoc opus Joanni Romano diacono. Et

A quia tam philosophis ratione quam catholicis fide certa sunt quæ demonstrat, nec novis, nec decurtatis (ut solet) verbis suam quasi paucis cognoscendam sententiam velat, sed elegantia puri apertique sermonis rem tractat.

Anxie te quidem, etc.] Præmittit longum, in quo scribendi causam modumque declarat, procœmium. Movet autem attentionem, non quia nova aut incredibilia, sed quia magna, et ad Deum universamque Ecclesiam pertinere, illa de quibus agit significat. Benevolentiam vero ab adversariorum persona comparat, adducens eos in odium per hoc quod præsumptionem ipsorum, et in contemptionem per hoc quod inscientiam eorumdem commemorat. A sua quoque et ab auditorum persona benevolentiam captat, cum de facto atque officio suo sine arrogantia faciens mentionem, Joannem, cui scribit, sui operis correctorem, et Symmachum, cui idem opus destinat, judicem constituens laudat. Ubi vero de quibus, et
B quo ordine agit, aparte et breviter exponit; auditorem docilem reddit. Causa scribendi talis est. In quodam concilio cui Boetius atque Joannes intererant, cum lecta esset cujusdam episcopi epistola continens hæresim Eutychianam, cumque contentiosis confusisque clamoribus Eutychiani atque catholici adversus se disceptassent, Boetius Joannem, ut de his quæ audierant cum ipso conferret, die illo dia et post diutius exspectavit. Sed tunc illius, postmodum vero suis negotiis impedientibus, ejus colloquio frui nullatenus potuit; et idcirco quæ verbis præsens voluerat, litteris absens significare curavit. Quod ita ait: Anxie te quidem, desiderit passione, diuque temporis longitudine sustinui, id est longi desiderii quasi fasce gravatus exspectavi te, hac utique causa, ut ego et tu simul inter nos loqueremur de ea, quæ non tam inter sapientes pugnantibus contra se rationibus vere est, quam inter insipientes eorumdem opinione præter aliquem rationum conflictum dicitur, quæstione:
C quæ quorumdam de se præsumentium, quo sibi apud idiotas vindicant auctoritatem, fastu mota est in conventu.

Sed quoniam, etc.] Quasi: Ut de quæstione loqueremur, te quidem sustinui. Sed et tunc post exspectationem meam non sumus locuti. Nam tu occupatione tuorum negotiorum distractus es; et ad præsens non poterimus colloqui, quoniam ego quoque in crastinum, id est in futurum, implicabor negotiis ad agendum a me constitutis. Quoniam ergo occupatione tua non potuimus, mea non poterimus habere ferias inter nos colloquendi, absens mando tibi litteris quæ de illa quæstione coram præsens, scilicet præsenti loquenda, tuum ad me adventum exspectando servaveram. Et quæ sint illa commemorat dicens: Meministi enim, ut puto, cum epistola episcopi legeretur in concilio, recitatum esse: Eutychianos, id est Eutychis sectatores confiteri Christum consistere ex naturis ante incarnationem
D duabus; negare autem post incarnationem consistere in duabus; catholicos vero utrique dicto fidem adhibere. Nam et confiteri eum ex duabus ante incarnationem; et æqualiter, hoc est similiter in duabus post incarnationem naturis consistere atque credi.

Cujus dicti, etc.] Quasi: Recitatum est Eutychianos confiteri Christum ex duabus, non in duabus naturis consistere. Cujus dicti profana novitate ego percussus, id est tanquam impactione subitanea, animi passione commotus, inquirebam, hoc est inquirere cœpi mihi tanquam aliis loquens, et meipsum interrogans, differentias harum conjunctionum, id est compositionum rerum naturalium: quæ videlicet conjunctiones tales essent, quod conjuncta consisterent ex duabus naturis, ita quod non in duabus: quæ tales, quod ita ex duabus, quod etiam in duabus. Nec sine causa has differentias inquirebam. Ad has enim inquirendas, episcopi, qui recitatam in conventu epistolam scripserat, auctoritas

compulsus sum. Ratus scilicet multum referre, id est, multum utile esse, nec inerti negligentia prætereundum. Quasi: Sed multa animi vigilantia attendendum id quod episcopus. Quasi: Cujus sententia tam auctoritate quam ratione firma controversiam omnem decidere, et deliberationibus certissima dictione finem constituere debeat scriptor epistolæ. Quasi: Qui non subitaneo animi motu in transitoria verba prorumpat, sed circumspecto rationis intellectu judicium paginæ semper mansuræ commendet, tanquam valde necessarium, et ad conjunctionis hujus rationem intelligendam præcipuum præterire noluisset.

Hic omnis, etc.] Quasi: Recitatum est in concilio Eutychianos confiteri Christum consistere ex duabus naturis, non in duabus: hic, id est tunc cum hoc recitatum esset, omnes strepere cœperunt, id est strepebant ipso corporis motu, testantes præcipitatæ mentis insaniam, et confuso clamore dicentes: apertam esse hanc differentiam, et recte dictum ex duabus, non in duabus naturis Christum consistere, et adeo apertum esse: quod cum in cæteris aliqua aperta sint, aliqua non, in ea (quæ his verbis significabatur differentia, quibus dicebatur, ex duabus non in duabus) nec etiam quidquam, nedum plurimum esse caliginis, id est obscuritatis, inconditum, quod nulla ratione pateret, confusumque quod aliqua ratione esse, aliqua non esse, videretur.

Nec ullus, etc.] Quasi: Apertam esse differentiam omnes clamabant; nec ullus inventus est in tanto sine ratione garrientium tumultu, qui vel, etiam leviter, alicujus rationis imaginatione attingeret quæstionem, nedum qui divisione multiplicium expediret. Assederam ego in illo conventu ei quem maxime intueri cupiebam, Symmacho, sed longius, id est multum longe, atque ab eo aversus: quod intelligere potes, si recorderis situm in illo conventu sedentium, pluribusque inter me et illum sedentibus mihi oppositis, nec poteram, siquidem ægerrime, hoc est multo affectu cuperem, vultum nutumque ipsius aspicere, ex quo vultus nutusque aspectu darentur mihi aliqua signa judicii ejus, id est mihi significaretur quid ipse de prædicta differentia judicaret.

Atque ego, etc.] Quasi: Cæteri quæstionem non attingebant, et tamen apertam differentiam esse clamabant. Atque ego quidem nihil amplius cæteris afferebam. Imo vero aliquid etiam minus, vere nihil amplius. Nam de re proposita, id est de conjunctionum prædicta differentia, æque cæteris, id est sicut cæteri, nihil sentiebam. Minus vero, sicut dictum est, quam cæteri ipse afferebam: et quid illud sit, supponit, scilicet præsumptionem falsæ scientiæ. Quia non præsumebam quæ nesciebam asserere. Fateor, tali ægerrime quod de re proposita nihil sentiebam. Cumque illud quærere ab aliis vellem, indoctorum illa quæ prædicta est tumultuosa garrulitate compressus, conticui: metuens ne jure viderer insanus, si veritatem investigando contenderem haberi sanus inter furiosos, qui sine ratione quod non intellexerant, imo nec intelligere poterant, asserebant.

Meditabar igitur.] Quasi. Conticui. Dehinc igitur meditabar in animo omnes, quotquot ex verbis recitatæ in prædicto conventu epistolæ, seu de naturis, sive de personis, sive de horum vel unitate, vel diversitate, non tam sophistica verborum multiplicitate, vel rationum secundum genera sua diversitate emerserant, quam ingeniorum corruptione atque desipientium hominum præsumptione contigerant, quæstiones. Nec deglutiebam attentionis meæ neglectu quod acceperam eo, qui significatione solet contingere, primo sensu, et, ut ita dicatur, imaginario intellectu; sed id ruminabam iteratione frequentis consilii. Hinc etenim catholicorum confessione, inde vero contradicentium multitudine et auctoritate, de re manifesta deliberandum putavi, et consultis rationibus deliberationis finem quæsivi. Meo igitur animo his rationibus crebro pulsanti tandem patuere fores, id est nec multitudo nec auctoritas catholicis contradicentium obstitit, et sic veritas catholicæ confessionis, mihi quærenti, hoc est, aperuit omnes nebulas; id est obscuritates Eutychiani erroris. Veritatis enim per rationes manifestatio, Eutychis et sectatorum ejus errorem, et erroris causas ostendit. Unde, id est ex qua veritatis catholicorum et erroris Eutychianorum inventione maxime subiit mihi, id est meo animo sine præmeditatione subrepsit, admirari quænam esset hæc, id est tanta audacia hominum indoctorum, qui vitium suæ inscitiæ conarentur obducere, id est occultare nube præsumptionis atque impudentiæ, hoc est impudenti præsumptione. Cordis enim elatione de his intus præsumunt et immoderata vocis et corporis pronuntiatione foris impudenter ostantant, quæ nesciunt; unde adjungit: Cum sæpe non modo ignorent id quod ab aliis proponatur, verum in hujusmodi clamosis contentionibus, quibus dictio dictione, ideoque significatio significatione confunditur, ne id quidem quod ipsi loquantur intelligant.

Quasi, etc.] Sicut dictum est, præsumptionis et impudentiæ nube vitium inscitiæ suæ conantur obducere, quasi non fiat deterior causa inscitiæ, dum ipsa inscitia tegitur. Simplex etenim causa est quodlibet ignorandi, proprii negligentia studii: duplex vero est ideoque deterior, cum propriæ negligentiæ additur contemptus alienæ doctrinæ. Sed ab impudentibus illis ad te humilem transeo, cui hoc quantulumcunque, quod contra prædictum Eutychen, et etiam contra Nestorium scripsi, transmitto examinandum perpendenduumque. Ordo conversus, pro perpendendum examinandum. Perpendendum videlicet eorum quæ scripta sunt attento intuitu, examinandumque rationis judicio, priusquam vel Symmacho judicandum, vel aliis legendum exponam. Quod si pronuntiaveris se habere recte et orandi regula et veritatis sententia, peto ut hoc quoque sicut cætera quæ tibi scribo inseras chartis, hoc est libris mei nominis. Si vero vel minuendum est, quod verbis aut sensu abundet aliquid; vel addendum, quod similiter verbis aut sensu minus sit, vel aliqua mutatione similiter verborum, aut sensus variandum; postulo id quoque remitti meis exemplaribus, a quibus libri alii transcribendi sunt. Ita videlicet ut a te revertatur absque correctione alia transcribendum. Quæ ubi ad calcem, hoc est ad fidem ducta; sensus: Postquam perfecte correcta, et deinceps nulla correctione mutanda constiterint, tum demum transmittam, censenda ejus, hoc est Symmachi, judicio, cujus judicio soleo quæque censenda transmittere. Et quidem dum verbis de quibuslibet agitur: primo, cum quarumdam amplificationum adjunctionibus et crebris præter ordinem sensuum atque verborum repetitionibus dicuntur. Deinde si ita contigerit, ut inveniat finem suum oratio, ea quæ diffuse atque confuse dicta sunt, epilogi brevitate in ordinem rediguntur. Sed quoniam res nequaquam toties scribitur quoties dicitur, imo a collocutione semel transfertur ad stylum, hoc est, multipliciter dicta, simpliciter scripturæ mandatur: ac si dicat, breviter et ordinabiliter in scriptura quidque digeritur, ideo et in hoc opere in quo de natura atque persona contra Nestorium et Eutychen scribimus: ut ordine suo unumquodque tractetur, prius submoveantur errores Nestorii atque Eutychis. Errores dico extremi, quod est, sibique contrarii. Post vero, adjuvante Deo, omnium solo auctore, temperabo, hoc est nihil minus vel amplius quam huic nostro proposito convenit, ponens, mediocriter explanabo medietatem Christianæ fidei. Ac si dicat: Non utique omnes fidei partes, sed hanc tantummodo quæ inter prædictos errores extremos contrariosque media est; de personæ videlicet Christi unitate, cum Eutyche contra Nestorium, et de naturarum in Christo diversitate, cum Nestorio contra Eutychen. Quoniam vero in tota illa, de qua hic agendum est, quæstione αἱρεσίων hoc est hæresum

sibimet contrariarum, dubitatur de naturis atque de personis. Hæc scilicet naturæ atque personæ primitus diffinienda sunt, et a se invicem segreganda propriis differentiis, per quas intelligi possit: non tam quare his nominibus appellentur ea quibus indita sunt, quam ea ad quæ philosophorum usus ipsa contraxerit: quamvis hujus nominis, quod est persona, in sequentibus quodam modo causam apertat.

DE NATURA.

Natura igitur, etc.] Prius naturam, deinde personam, ipso tanquam noto nomine naturæ diffinit. Recte utique, quia naturalium omnium, ideoque omnium personarum, quæ ex naturis aliquid sunt, secundum philosophos naturæ sunt esse. Omne vero esse, eo quod est, naturaliter prius est. Hic commemorandum videtur quod Marcus Tullius ait his verbis: Ipsam naturam diffinire difficile est. Partes autem ejus enumerare eas, quarum ad hanc præceptionem indigemus, facilius est. Quod recte ait. Natura enim multiplex nomen est, adeo quod, non solum multimodis, verum etiam multis significationibus de rebus diversorum in diversis facultatibus etiam generum dicitur. Nam et philosophi, et ethici, et theologici, usu plurimo ponunt hoc nomen. Ideoque et hoc loco Boetius non ipsam generaliter diffinit naturam, sed ejus quæ ad suum pertinere videntur propositum partes enumerat, dicens: Natura igitur aut de solis corporibus dici potest, aut de solis substantiis, id est corporeis aut incorporeis, aut de omnibus rebus quæ quocunque modo esse dicuntur. Substantias vult intelligi hic ea quæ subsistunt, non substantias quibus subsistunt. Res autem quæ quocunque modo esse dicuntur, et subsistentes et subsistentias, et eis accidentes, Deum quoque, et ὕλην intelligit, ut ex sequentibus patet. Cætera vero quæ vel ethicæ vel logicæ sunt facultatis, ad hanc divisionem minime pertinere videntur. Hic diligenter est attendendum quod subsistens cum subsistentia vel accidentibus nullo prorsus genere seu ratione convenit. Nam et subsistens et subsistentia dicuntur substantiæ, vel subjecta, alia tamen atque alia ratione. Multo magis ergo Dei, et primordialis materiæ, cum substentibus et subsistentiis et accidentibus nulla est generis aut rationis communio. Unde manifestum est quod nomen naturæ nequaquam omnium horum generalis topica, id est locus, potest intelligi, ideoque nec omnia nominis hujus una diffinitione possunt concludi; unde ait: Cum igitur natura possit dici, quantum ad præsens opus commemorare nunc convenit, tribus modis, id est cum tria quæ prædicta sunt naturæ nomine tribus appellentur modis, tribus sine dubio modis diffinienda est.

Nam si de omnibus, etc.] Converso ordine quod ultimum in divisione posuerat, primum diffinit; ait enim: Si de omnibus rebus naturam dici placet (ut multis placuisse philosophis legimus), talis diffinitio dabitur, quæ res omnes quæ sunt possit includere. Hic dicendum est quod diffinitionum aliæ sunt quibus ostenditur non modo quod esse dicitur, verumetiam esse quod dicitur; aliæ vero quibus tantum quod esse dicitur, et nequaquam esse quod dicitur. Hac enim diffinitione, homo est animal rationale, non solum quod res sit homo, sed etiam esse homo monstratur. Non solum enim qui est homo, est animal rationale, sed etiam hoc esse hominem est, esse videlicet animal rationale. Illa vero diffinitione qua dicitur: differentia est, qua abundat species a genere, ostenditur quæ res sit differentia, non tantum ostenditur esse differentia. Res enim qua species abundat a genere, sine dubio differentia est; non tantum hoc est, eam esse differentiam, ea videlicet a genere speciem abundare. Hujusmodi diffinitionibus naturam diffinit, quibus scilicet, quæ *res sint* naturæ, non tantum esse naturæ demonstrantur. Si ergo de omnibus rebus (sicut prædictum est) naturam dici placet, erit hujusmodi naturæ diffinitio. Natura est earum rerum, id est hæ res sunt naturæ, quæ cum sint, quoquomodo intellectu capi possunt. Hac igitur diffinitione quæ res sint naturæ, non tamen eas esse naturas, monstratum est. Non enim, hoc est eas esse naturas intellectu scilicet capi posse. Quomodo vero res multiplex nomen est, quas hac diffinitione contineri vult intelligi, aperit dicens: In hac igitur diffinitione diffiniuntur et accidentia et substantiæ: non quoniam (sicut dictum est) hæc posse intellectu capi, sic hæc esse naturas; sed quoniam hæc sunt quæ intellectu capi possunt, unde supponit. Hæc enim omnia, id est accidentia et substantiæ tam subsistentes, in quibus accidentia sunt, quam subsistentiæ, quibus adsunt, intellectu capi possunt. Deinde cur adjecerit quoquomodo, et quæ cum sint, explanat dicens:

Additum vero et quoquomodo, etc.] Sciendum quod animi motus, quandoque in id quod est, quandoque vero in id quod non est, offendit: et ita vel quod est, vel quod non est, concipit. Sed ejus quod non est quicunque conceptus opinio dicitur: ut bicorporis Centauri, et tricorporis Chimæræ. Conceptus ejus vero quod est conceptus, secundum rei quæ concipitur genus modosque concipiendi dividitur. Nativa namque per aliquam sui vel efficientem vel efficiendi proprietatem concipiuntur, ut album per albedinem, et albedo per naturam faciendi album. Nihil enim naturalium nisi per causam, et nihil mathematicorum nisi per efficiendi potestatem concipi potest. Sed sicut in sentiendis exterioribus primo hæsitat sensus, deinde in id quod sibi subjectum est certus figitur: ita quoque animus illius in quod proprio motu intenditur naturam primo mixtim atque confuse cogitat; deinde ab aliis in quæ simul cum ea offenderat quadam propria rationis abstractione illam separat, et ipsam sicut est fixa acie notat, et in his quidem quæ sentiuntur exterius hoc clarum est. Nisus enim qui colorum adminiculis, seu figurarum, bis subjecta corpora sentit, rubeum et subrubeum, si motu suo simul in eos offendat, primo nequaquam, deinde vix discernit. Similiter album et subalbum, et hujusmodi alios. Figuras quoque (verbi gratia) aute longiorem et parie longiorem usus tanto minus discernit, quanto minore parte alter alterum vincit. Auditus etiam φθόγγους illos, quorum proportionem partis brevissime differentia facit, aut nullatenus aut vix dividit. Omnium enim proportionalium similitudo minoribus differentiis conjunctior est, sicut majoribus dissimilitude remotior. In his vero quæ interius sentit, animus, non modo rerum similitudo, verum etiam multitudo facit, ut primo id in quod agit tanquam præsagos perpendat, deinde quadam attentione magis magisque percipiat, nondum tamen et assentiat. Et hæc præsaga perpensio, vel sine assensione perceptio, quia non est ejus quod non est, non vocatur opinio: sed quoniam est ejus quod est, cujus tamen veritatem nondum tenet assensio, per quamdam nominis translationem vocatur imaginatio. Imago namque res est, non tamen veritas illius cujus imago est: ideoque rei perceptio sine veritatis illius assensione recte dicitur imaginatio. Si vero id quod intra similitudinem rerum aut multitudinem primo perpendit, deinde percipit ab ipsis similibus aut aliter multis delegerit, et fixa mentis acie ipsius proprietate notata perceptioni assenserit, intellectus vocatur. Recte utique. Tunc enim vere in animo rei similitudo esse dicenda est, cum deintra cætera rem adminiculo suæ proprietatis selegerit, ac per hoc præcedenti perceptioni assenserit; et natura quidem eorum quibus aliquid sunt, ficta vero eorum quibus aliquid esse finguntur adminiculis concipiuntur. Gemina vero quæ sunt nativorum principia, Deus scilicet, et primordialis materia, longe aliter. Non

enim sunt aliquid hujusmodi subsistentiis, vel quantitatibus, vel qualitatibus quibus vel nativa vere sunt aliquid; vel quæ neque sunt aliquid, neque sunt, tanquam aliquid sint finguntur. Deus enim est essentia, non est aliquid, nec esse aliquid fingitur creata subsistentia; ac per hoc nihil eorum quæ subsistentias comitantur in illo esse potest. Itaque etsi magnus est, non tamen hoc est quantitate; etsi qualis est, non tamen qualitate; etsi durat, non tamen tempore. Unde humani animi motus agens in ipsum concupiendum nihil hujusmodi invenire potest quod ejus conceptui admiuiculetur; ideoque ipsum comprehendere per ea quibus sit aliquid, et aliquid esse fingatur, nullatenus valet. Deintra cætera tamen, per horum omnium ab illo remotionem, ipsum selegens, et eum vere esse cum assensione percipiens, qualitercunque intelligit. Sed quoniam nulla ejus proprietate, vel quid sit genere, vel quantus mensura, vel qualis forma est, vel hujusmodi percipit, ipsum minime comprehendit. Nam intelligibilis quidem est, non vero comprehensibilis. Similiter incomprehensibilem tamen intelligibilem esse primordialem materiam, in qua natura omnia ab opifice facta sunt, philosophis visum est; et sic quidem illa quæ non sunt, opinione; quæ vero sunt, imaginatione vel intellectu concipiuntur. Imaginatio tamen et intellectus in multis scripturis dicuntur opinio. Similiter opinio et imaginatio dicuntur intellectus. Unde et in hac diffinitione naturæ, qua dixit: Natura est earum rerum quæ intellectu capi possunt, tanquam natura universalius prædicavit de ea, intellectu capi posse. Nam secundum regulam dialecticorum, si vere universalis affirmative in eadem quantitate conversa falsa est, prædicatum ejusdem vere abundat subjecto. Ut omnis homo corporeus est: hæc universalis affirmatio vera est. Omne corporeum homo est, falsa est. Unde manifestum est quod corporeum homine plus est, et abundat. Similiter omnis natura intellectu capi potest, hæc universalis affirmatio vera est. Omne quod intellectu capi potest natura est, falsa est. Unde certum est quod intellectu capi posse universalius est, quam natura. Sicut enim vere, sic et ficte, proprietatis adminicula cæterorumque sive quæ sunt, sive quæ fingi possunt, remotiane selegens animus, aliquid quod non est capit. Ideoque quod opinatur intelligere dicitur. Quod quoniam neque est, neque aliquid est, nullo modo natura est. Idcirco cum diffinitionem naturæ incœpisset ab universali, dicens: natura est earum rerum quæ intellectu capi possunt, recte contra ficta, quæ etiam (sicut dictum est) intellectu capi possunt, et natura non sunt, addidit, quæ cum sint. Quoniam vero illa quæ sunt, sæpe imaginatione confusa, sæpe propter adminiculum proprietatis rei ipsius in quam intenditur animus concipit, qualiter vellet accipi, quod præmiserat, intellectu capi possunt, explanavit, dicens: quoquomodo, id est sive imaginatione sive per solam cæterorum remotionem absque proprietatis rei ipsius quæ cogitatur conceptu, sive fixo et etiam per proprietatis conceptum integro perfectoque intellectu. Quod et ipse exponens, ait: Additum vero est quoquomodo. Quare? Quoniam Deus nativorum omnium opifex, et primordialis materia, quæ Græce dicitur ὕλη. Latine silva, in qua ab opifice universa creata dicunt philosophi, non possunt intelligi integro perfectoque, hoc est integritate perfecto et perfectione integro intellectu. Integer et perfectus est intellectus, qui rem non sola cæterorum remotione, sed etiam rei ipsius aliqua proprietate cum assensione concipit. Qualiter Deus et quæ dicta est primordialis materia non possunt intelligi. Quamvis enim horum conceptionem constituat et figat mentis assensio, tamen non hoc aliquibus eorum sibi notis proprietatibus facit, sed sola illorum quæ cæteris rebus conveniunt remotione. Unde supponit: Sed aliquo. Quasi: Deus et materia integro perfecto**A**que intellectu intelligi non possunt, sed tamen aliquo modo videlicet cæterarum omnium rerum, id est cæteris conveuientium privatione capiantur, hoc est, cum mentis assensione percipiuntur. De imaginatione, qui est unus modus intelligendi, quo scilicet res etiam suæ proprietatis nota, sed sine assensione percipitur; et de perfecto intellectu, qui et proprietate et assensione constituitur, tacet. Quoniam explanatio quæ fit exemplo non omnes partes enumerat, sed paucis, et his maxime per quas cæterse intelliguntur, exemplat. Ut hoc loco satis apparet, perfectum intellectum debere vocari intellectum, cum etiam imperfecto hoc nomen conveniat.

Idcirco vero, etc.] Cur in diffinitione naturæ apposuerit, quoquomodo, exposuit. Nunc vero cur adjunxerit, quæ cum sint, ostendit, et ait: Idcirco vero adjunximus, quæ cum sint, ut divideremus naturam ab his quæ non sunt: quæ tamen in hoc cum natura conveniunt, quod intellectu capi possunt. **B** Nam, sicut prædictum est, illa etiam quæ non sunt intellectu capi possunt: quoniam etiam hoc ipsum nomen infinitum nihil pro substantia significat aliquid, sed non naturam. Pro substantia dicimus: quoniam pro qualitate significat, et quod est natura, et quod non est natura. Significat enim eamdem qualitatem quam hoc nomen infinitum aliquid, cujus sine dubio qualitas est, et quæ est, et quæ non est. Sensus: Aliquid et nihil apud grammaticos eamdem omnino qualitatem significant, substantiam vero omnino non eamdem. Est enim utriusque nominis hujus qualitas, quidquid eorum quæ sunt est; et quidquid eorum quæ non sunt fingitur qualitas. Sed hujus nominis quod est aliquid substantia est, et id quod est, et id quod fingitur, sed non est. Hujus vero quod est nihil, id solum quod fingitur, et nequaquam aliquid est. Nam etsi sit, si tamen non est aliquid aut natura aut efficientia, nihil est: ut ὕλη, quæ secundum philosophos est, sed nequaquam **C** aliquid est: quoniam neque natura est aliquid, ut album est, quale qualitate; neque efficientia, ut albedo est qualitas, eo quod facit quale. In modo etiam significandi qualitatem eamdem hæc nonima differunt. Nam aliquid unam alicujus eorum quæ sunt vel finguntur qualitatem veram vel fictam dictionali significatione suæ similiter veræ vel fictæ substantiæ confert. Nihil vero ab ea quæ non est vera, sed est ficta substantia, quamlibet veram fictamve removet qualitatem. Quod enim nihil dicitur, nulla neque veræ neque fictæ efficientiæ qualitate affici significatur. Nullum enim fictum, id quod fingitur, est. Idcirco recte hoc infinitivo abnegativo, quod est nihil, etiam ficta qualitas ab ejusdem nominis abesse substantia significatur; unde supponit: Neque enim significat hoc nomen nihil quod aliquid, id est substantia nominis, sit aliquid ejusdem nominis qualitate; sed potius significat substantiam suam non esse aliquid ea a qua nomen est qualitate. Omnis **D** vero, etc. Quasi: Hoc nomen nihil significat non esse, omnis vero natura est. Deberet concludere syllogismum ita. Non est ergo natura quod pro substantia significat nihil. Sed quoniam his quæ dicta sunt præmissis, est hæc certa conclusio, tacet. Et sic de omnibus quidem rebus, id est substantiis et accidentibus, et etiam de Deo et materia, naturam dici placet, hæc sit naturæ diffinitio quam videlicet superius proposuimus. Sin vero prout quibusdam visum est, non de omnibus rebus, sed de solis substantiis subsistentibus, intellige natura, dicitur, quoniam omnes substantiæ subsistentes, aut corporeæ sunt, aut incorporeæ, dabimus diffinitionem naturæ significantis substantiae, id est secundum illam significationem hujus nominis qua res subsistentes significare dicitur. Quæ diffinitio est hujusmodi: Natura est, vel quod facere vel quod pati possit. Hæc conjunctio, vel, hoc loco subdisjunctive posita est: utrumque enim significat; unde supponit:

Pati quidem ac facere, etc.] Perfecta vero esset divisio, si ita dixisset, vel quod facere et non pati, vel quod pati et non facere ; vel et quod pati et facere, vel quod nec facere nec pati potest. Sed diligenter attendendum est quod facere et pati multipliciter dicuntur. Nam quorumdam philosophorum usu, facere solis vitalibus convenit, id est Deo et spiritibus, et animalibus, et eorum animabus. Pati vero, solis sensibilibus : ut animalibus, et eorumdem animabus, et quibusdam spiritibus. Aliorum vero philosophorum usu, facere ac pati omnibus corporalibus et sensibilium convenit animabus. Nam et corporalia omnia, et corporalium animæ quorumdam, quæ per generationem vel per corruptionem fiunt, causæ sunt ; ideoque et ipsa facere, et quæ ipsorum actus suscipiunt, pati dicuntur. Hoc igitur Boetius secutus, ait : Pati quidem ac facere, quod est, natura potest, ut omnia corporea, atque corporeum anima. Et de corporeis quidem hoc certum est, quod et faciunt, et patiuntur ; de corporeorum vero anima, quæ incorporea substantia est, etsi non adeo certum, tamen eam et facere et pati verum est. Hæc enim in corpore præter corporis causam, et etiam a corpore, hoc est corporis causa, et facit et patitur. Non solum enim extra corpora, sed etiam in corporibus manentes animæ rationales, non corporis vi, sed rationis proprio actu intelligunt. In sentiendis vero corporibus, seu visu, seu auditu, seu gustu, seu aliis hujusmodi sensibus, etsi animæ sensibilitas ista propria sit, quia tamen his sensibus non nisi corpora, nec nisi corporeis instrumentis possunt sentiri, a corpore dicitur anima habere quod sentit, et multo scripturarum usu sensus ipsi dicuntur corporei. Similiter non modo extra corpora, verum etiam in corporibus, non corporum, sed sua tantum natura animæ delectationum aut tristitiarum passionibus afficiuntur. Certum est etiam quod ex corporum qualitate seu inæqualitate quædam animæ passiones contingunt, ut obripilatio calorque febrilis. Ideoque animæ propriæ passiones a corporibus ei esse, et etiam corporales vocantur.

Facere vero, etc.] Pati ac facere omnia corporea possunt, et corporeorum anima ; facere vero tantum, et non pati, id quod est, natura potest : ut Deus cæteraque divina. Divina hoc loco dicere videtur quæque perpetua, quæ semel creata deinceps generatione seu corruptione in nullo mutantur, sicut et de æterno principio, scilicet Deo, certum est, qui nec per generationem cœpit, neque per corruptionem desinit aliquid esse. Hæc igitur quia non mutantur, nequaquam patiuntur. Facit tamen ut auctor omnium Deus, cæteraque divina, vel causa, vel ministerio plurima faciunt. Nulla enim est cujuslibet agentis per actionem mutatio ; ideoque immutabilis Deus, et quæ non mutantur perpetua faciunt tantum, nullatenus patiuntur.

Habes igitur, etc.] Secundum significationem naturæ, qua de omnibus et solis substantiis naturæ nomen dicitur, naturam divisione diffinivit, dicens : Naturam esse, vel quod facere, vel quod pati potest. Ratio autem divisionis, sicut prædictum est, quatuor exigit partes, ita : Natura est vel quod facere et non pati, vel quod pati et non facere, vel quod et pati et facere, vel quod nec pati nec facere potest. De duabus autem divisionis hujus partibus, videlicet de eo quod et facere et pati, et quod et facere et non pati potest, exempla posuit. De eo autem quod pati et non facere, vel quod nec pati nec facere potest, nihil dicit. Ideo utique, quia nullum subsistens est, quod pati tantum et non facere, vel quod nec pati nec facere possit. Omne etenim subsistens aut temporale est, aut perpetuum, aut æternum. Sed omne temporale, sicut dictum est, et facere et pati ; omne vero perpetuum et æternum facere et non pati potest. Quapropter cæteris duabus divisionis partibus, nullum omnino subsistens relinquitur. Breviter ergo commemoratis, secundum quam naturæ significationem ejusdem nunc dederit diffinitionem, transit ad diffiniendam eumdem naturam, secundum aliam quam superius in divisione primam posuerat ipsius significationem, dicens : habes igitur diffinitionem ejus quoque significationis, id est secundum eam significationem naturæ quæ tantum substantiis applicatur. Qua in re quia scilicet quod ea diffinitione de natura dictum est, nonnisi substantiis convenit, in hac diffinitione naturæ substantiæ quoque est reddita diffinitio. Diligenter attende quod ait, naturæ diffinitione diffinitam esse substantiam. Nam et ipse cur hoc dixerit, ostendit, dicens : Nam si nomen naturæ substantiam monstrat, quod utique quorumdam (sicut dictum est) usus habet, cum naturam descripsimus, substantiæ quoque reddita est descriptio. Quod vere et sine aliqua dubitatione fatendum esset, si naturæ atque substantiæ nomina in ejusdem substantiæ appellatione, et ab eadem qualitate essent multivoca. Quod minime sunt. Nam etsi horum nominum eadem secundum aliquos intelligatur substantia, nunquam tamen eadem qualitas. Aliud enim est esse naturam, aliud esse substantiam ; sicut aliud est esse hominem, aliud esse risibilem : quamvis eadem substantia et homo sit, et risibilis. Sicut ergo alia diffinitio est hominis atque risibilis, sic naturæ atque substantiæ eadem diffinitio esse non potest. Cum igitur a diversis qualitatibus diversivoca nomina sint natura atque substantia, quærendum est qua ratione horum eamdem dixerit esse diffinitionem. Cum enim quatuor sint species nominum : videlicet univoca, æquivoca, multivoca, et diversivoca ; univoca quidem et multivoca una diffinitione, æquivoca vero et diversivoca, diversis diffinitionibus demonstrantur. Sed hæc quæ in diversivocis et diffinitionum diversitas, eorumdem unam eamdemque diffinitionem esse non prohibet. Non enim diversis tantum, sed etiam una diffinitione diversivoca declarari minime ambigit, quisquis ea quæ prædicta sunt de diffinitionibus recolit. Quod videlicet aliæ sunt quibus ostenditur, non modo quod esse dicitur, verumetiam esse quod dicitur ; aliæ vero quibus tantum quod esse dicitur, et nequaquam esse quod dicitur. Si enim diversivoca primo diffinitionum genere demonstranda sunt, diversis hoc necesse est diffinitionibus fieri. Si vero altero, possunt una diffinitione monstrari. Unde quamvis natura atque substantia a diversis rationibus indita sint nomina diversa, recte tamen illorum una esse descriptio dicitur : quia scilicet id quod est natura atque substantia, non vero esse natura vel esse substantia declaratur. Et siquidem, qualiter dictum est, natura describitur, si vel de omnibus rebus, vel de solis substantiis hoc nomen dicatur. Quod si relictis incorporeis substantiis naturæ nomen neque ad corporales contrahitur, ut scilicet tantum corporeæ substantiæ naturam habere videantur, et naturæ nomine appellentur, sicut putant Aristoteles cæterique et ejusmodi, in est Aristotelicæ et multimodæ philosophiæ sectatores : diffiniemus eam ita etiam ut hi diffinierunt qui naturam, id est naturæ nomen et significationem, nonnisi in corporibus esse sua opinione atque sententia posuerunt. Est autem ejus secundum hanc corporum significationem diffinitio, hoc modo : Natura est motus principium per se et non per accidens. Hic commemorandum videtur quod Aristoteles ait : sex esse species motus, * [quæ sunt species motus], quæ sunt, generatio, corruptio, augmentum, diminutio, alteratio, secundum locum mutatio. Harum quinque, non solum corporeorum sunt, sed etiam incorporeorum. Generatio namque est ingressus in substantiam. Ideoque quidquid per creationem incipit alicujus generis esse, id recte dicitur generari : quod utique omnibus temporalibus atque perpetuis convenit. Hæc enim omnia non semper fuerunt ; ideoque quidquid secundum quodlibet genus sunt, per generationem hoc esse cœperunt. Quoniam vero æterna positum lege est ut constet genitum nihil, corruptionis etiam motus creatis omnibus tam incorporalibus quam corporalibus naturaliter conve-

* Redundare videntur quæ inter uncinos posuimus.

nit. Sicut enim omne genuinum incorruptibile, sic omne nativum est corruptibile. Augmentum quoque et diminutio, corporalibus et incorporalibus non modo subsistentibus, sed etiam subsistentiis et eis accidentibus convenit. Sunt enim augmentum et diminutio, et secundum spatii quantitatem, et secundum temporis, et secundum numeri. Quæ secundum spatii quantitatem sunt, id est secundum lineam, vel superficiem, vel soliditatem, vel locum, corporalibus tamen conveniunt. Quæ vero secundum temporis aut numeri quantitatem, conveniunt omnibus illis quorum sunt et tempus et numerus, quæ vere sunt omnium tam incorporalium quam corporalium nativorum. Sed et alteratio non solum corporalibus, sed etiam incorporalibus substantiis convenit. Fiunt enim etiam in anima quædam qualitates, quas Aristoteles vocat habitus, et dispositiones, atque passibiles qualitates, et passiones. Motus vero qui est secundum locum nonnisi corporeorum est. Quia namque locus, qui genere quantitas appellatur, solis corporalibus convenit, eidem coaccidens locus nonnisi corporalium esse potest. Itaque natura secundum illos qui hoc nomen non nisi in corporibus posuerunt, per motum diffiniens, illum tantum qui solis corporibus convenit, localem videlicet, intelligi, cum ait: Natura est motus principium. Nam, sicut dictum est, ille solus corporum proprius est: et generaliter quidem motus localis corporalibus, ejus vero species corporum speciebus, prædicta proprietate redduntur. Unde etiam ostendens singulorum quæ in diffinitione posuit causas, ait: Quod motus principium dixi. Quasi: Quod per motum naturam descripsi, hoc est, ideo scilicet feci, quoniam corpus omne secundum speciem sui cujus est elementi habet proprium motum; atque hoc exemplis declarat, dicens: Ut ignis, proprio hujus generis secundum speciem motu, movetur sursum, terra vero deorsum. Nam in sphæra mundana, ignis supremus est, et terra extrema. Propter quod si vel ignis infra supremum, vel terra supra extremum locum, aliqua causa est cogantur, sibi dimissa elementa propriis ponderositatibus petunt, ignis quidem superiora, terra vero inferiora. Item quod proposui naturam esse principium motus, per se et non per accidens, quod scilicet in diffinitione naturæ præmisso quod ipsa sit principium motus, addidi, per se et non per accidens, tale est. Quasi: Hoc quid sequitur exemplo intelligi poterit. Quoniam lectum quoque ligneum, sicut et de terra dictum est, si aliqua vi in aere sit, sibi dimissum deorsum ferri necesse est. Sed cum sit et lectus et ligneus: ligneus quidem per subsistentiam, lectus vero per accidens subsistentiæ, non per accidens, quo dicitur lectus, fertur deorsum; Quasi: sed per eam cui adest subsistentiam.

Idcirco enim quia lignum est, quod est terra, etc.] Recte cum dixisset quia lignum est, addidit, quod est terra: quoniam quæ specialibus subsistentiis dicuntur accidere, non tam ipsis quam ipsarum aliquibus partibus, imo ideo ipsis quoniam ipsarum partibus addicuntur. Ut cum speciali subsistentiæ, qua hominis sumus adesse dicuntur in nobis color, sanitas, atque scientia: ideo utique hæc dicuntur, quoniam ejus partibus proprietatis ratione, color scilicet corporalitati, sanatis sensibilitati, scientia rationalitati conveniunt. Similiter ergo hujus specialis subsistentiæ, qua lectus est lignum, illi parti qua idem est terra convenit ferri deorsum. Ideo namque quia lectus lignum est, imo quoniam hujus speciei parte terra est, pondere et gravitate, id est pondere gravitatis diducitur. Unde manifestum est quod non per accidens deorsum fertur. Non enim quia lectus est, deorsum cadit, sed (sicut diximus) quia de terra est. Sicut enim dicitur album multum, eo quod superficies multa sit; et actio longa, eo quod tempus longum sit, id est, non quoniam albedinis aut actionis, sed potius quoniam superficiei vel temporis causam multitudo vel longitudo sequatur: ita lectus deorsum cadere dicitur, non quoniam eum esse lectum, sed quoniam eum esse terram causa cadendi fit. Et si quis quærat. Cur ergo causæ hujus nomine tacito, quod est terra vel lignum, dicitur lectus cadit? Potest responderi: Quia etiam esse lectum eidem convenit causæ, id est quia terræ vel ligno accidentaliter contigit, ut lectus esset. Non vero semper rerum consequentia verbis exponitur, ut scilicet in propositionibus suis causis prædicamenta reddantur: imo vero sæpe fit verborum ea quæ a dialecticis dicitur accidentalis et tantum vera connexio, cum scilicet causarum consequentibus prædicandis, fit suppositio rerum, sive earumdem aliis consequentibus: ut, durum est album; sive alienis contrario causis ab his quæ prædicantur, ut quoddam rationale est album, rationalitas enim, quamvis multorum causa sit, nequaquam tamen colorum est causa; sive alienarum consequentibus causarum, ut quoddam musicum est album. Nam scientia musicæ, nec albedinis causa est, nec ejus sequitur causam, quam in solo corpore esse certum est. Albedo enim tantum corporis affectio est, imo fit in spiritu scientia musicæ, et rationalitatis in eo sequitur causam. Similiter ergo, cum dicitur lectus deorsum fertur, accidentalis connexio est, in eo utique connexionum accidentalium genere, quod et id quod prædicatur, et quo suppositio fit, ejusdem causæ principio redditur, id est speciei qua lectus lignum est, vel generi quo terra est. Itaque quamvis lectus deorsum ferri vere dicatur, non tamen hujus motus principium, id est causa est esse lectum, sed potius esse terram genere, vel esse lignum hujus generis specie. Habet autem ea, quam nunc exemplavimus, naturæ diffinitio, id quod motus principium est esse naturam. Unde fit ut lectum, qui deorsum ferri dicitur, dicamus esse naturaliter; lignum vero lectum esse, non naturaliter, sed potius artificialiter.

Est etiam, etc.] Hucusque naturam diffinivit, et secundum illum hujus nominis usum quo de solis corporibus, et secundum illum quo de omnibus subsistentibus, et secundum illum quo de omnibus substantiis et accidentibus et etiam horum principiis, dicitur. Sed attendendum quod a principiis quæ nulla creationis nativitate procedunt ab aliquo, hujus nominis appellatio est omino remota. Nativis autem, secundum grammaticæ denominationis proprietatem, qua nomen ab aliqua dictione, non sine rei significatæ participatione assumitur, magis accedit, et a nativo natura vocatur, quamvis non omnibus nativis hoc nomen recte convenire intelligatur. Videtur enim id quod natura dicitur alicujus esse natura. Unde illa quæ vere sunt aliqua, hoc est quæ, aliis quanquam ipsa sint, vere subsistunt: non sunt aliquorum naturæ, sed eorum potius aliqua sunt naturæ. Non enim corpus aut spiritus, aliquorum, sed magis corporis aut spiritus, aliqua sunt naturæ; et puto quod hoc nomen eorum subsistentiis, quam subsistentiarum accidentibus accommodatius convenit. Quamvis enim accidentia et nativa sint, et aliquorum sint, eorum videlicet quibus insunt vel adsunt, vel quolibet modo extrinsecus affliguntur; quia tamen non sunt subsistentium esse, et ideo illorum nec accessu generatio, nec accessu corruptio fieri potest, raro usu logicæ subtilioris vocantur naturæ. Quæ vero in ea ratione nativa sunt, quod nativorum subsistentium esse sunt, et eis adeo insita, ut aut in eis perpetuo maneant, aut suo abscessu illa corrumpant, proprius et usu plurimo dicuntur naturæ. Horum etiam, quoniam ratione quædam præcedunt, quædam vero sequuntur, et proprietatis ratione priorum addicta sunt potestati, non tam priora posteriorum, quam posteriora priorum appellantur naturæ, ut differentiæ generum. Recte utique, quoniam et nativæ sunt, et aliquorum sunt, et eorum in quibus sunt accessu ipsarum generatio semper, corruptio sæpe contingit; et in subsistentibus quibus insunt, generum quibus adsunt, sicut jam dic-

tum est, potestatem sequuntur. Quam hujus nominis, quod est natura, proprietatem auctor considerans ait: Est autem alia significatio naturæ, ea videlicet per quam usu multorum dicimus diversam esse naturam auri atque argenti: in hoc non subsistens corporeum, id est non ipsum quod est aurum vel argentum; non ipsam quæ ex genere et differentia constat, subsistentiam specialem, qua est aurum vel argentum; non generalem, quæ quodam modo principium est specierum, qua utrumque horum est vel metallum, vel terra, vel corpus, vel hujusmodi alia; non aliquod eorum quæ subsistentiis adsunt, et insunt subsistentibus accidentium; non denique horum aliquod æternum principium volentes intelligi, sed potius naturæ nomine monstrare cupientes, rerum quæ generibus et speciebus suis sunt aliquid, vel generum ipsorum atque specierum substantialem proprietatem. Qualis est (verbi gratia) rationalitas, Illæc enim neque subsistens est, neque genus, neque species, neque accidens subsistentis, neque cujuslibet horum æternum principium, sed potius specierum, quas cum genere ipsa constituit, vel generis cujus in subsistente vel subsistentis specie sequitur potestatem, consubstantialis proprietas. Hæc igitur est propria naturæ significatio, quæ diffinietur, id est secundum quam significationem natura diffinietur, hoc modo: Natura est unamquamque rem informans specifica differentia. Secundum hanc diffinitionem, nullum principium, nullum subsistens corporeum vel incorporeum, nullum genus vel species subsistentis, nullum omnino accidens appellatur natura. Nam secundum philosophos ὕλη, quæ silva dicitur, primordialis scilicet materia omnium quidem secundum illos formarum receptaculum est, nihil vero ipsa informat. Auctor quoque omnium Deus, et si a theologicis secundum aliam rationem universorum a se creatorum natura, et degentis recte creaturæ rationalis forma dicatur: nequaquam tamen secundum illam rationem qua subsistentium formas logici vocant, ipsas eorum quibus aliquid sunt generales, aut speciales, aut differentiales subsistentias, aut secundum quartum genus qualitatis, etiam quasdam accidentales, ipsa est forma. Subsistens vero corporeum sive incorporeum prædictas quidem, quibus est aliquid, in se formas habet: ipsum autem nihil informat. Species vero illa quæ specialissima dicitur, etsi individuorum sit, aut etiam generis forma, in describendis tamen individuis vicem tenet materiæ, et nullius potest esse specifica. Generalis quoque subsistentia quamvis subsistentium in quibus est forma sit, et minoris quam ipsa sit similitudinis formas constituit, tamen in diffinitionibus specierum substantiva significatione præposita, similitudinem quamdam materiæ habet, nec alicui præ se generi a quo tota substantia sui diversa sit, in diffinitionibus sine accidentali connexione addici potest: ideoque nullum recte genus ad intelligendam ipsius speciem format. Forma vero illa quæ genere qualitas ab Aristotelæ dicitur, quoniam ratione accidentalis est, specifica esse non potest. Idcirco nullum horum quæ dicta sunt secundum prædictam diffinitionem natura est. Relinquitur ergo naturæ nomen specificis differentiis, quæ et naturæ sunt, et aliquorum sunt, subsistentium videlicet, in quibus sunt et quorum formæ et esse sunt, et specierum quarum partes constitutivæ sunt, et generum quorum potestati ratione proprietatis addictæ, eorum quoque in specierum diffinitionibus formæ sunt.

Cum igitur, etc.] Quasi: Nomen naturæ aut de rebus omnibus, aut de solis subsistentibus, aut de solis corporibus, aut de solis specificis differentiis dicitur. Cum igitur natura tot modis, vel diversorum usu diverso dicatur, vel etiam diffiniatur, tam catholici quam Nestorius recte constituunt, id est sine aliqua suæ perceptionis hæsitatione dicunt duas naturas esse in Christo, non secundum aliquam trium præmissarum diffinitionum, quibus vel res omnes, A vel tantum subsistentes, vel tantum corporeæ diffiniuntur esse naturæ; sed secundum ultimam diffinitionem, qua solis specificis differentiis naturæ convenit nomen. Diligenter tamen attendendum est quod, quoniam specifica differentia cum genere constituit speciem, cujuslibet specialis subsistentia simplex esse non potest: Dei vero essentia omnino simplex est. Nulla enim ratione intelligenda est ex diversis esse composita. Unde et in primo libro recte ipse id quod est esse dicitur. Non est ergo Deus aliquid vel speciali, vel specifica subsistentia. Ideoque etsi Dei ab homine altera dicitur esse natura, nullo modo tamen intelligenda est generis forma, et quæ ipsi generi forma, et quæ ipsi generi in constitutione speciei juncta sit, specifica differentia. Quod igitur auctor ait, tam catholicos quam Nestorium secundum ultimam naturæ diffinitionem duas in Christo constituere naturas, sic intelligendum videtur: quod quamvis non sit altera Dei, altera hominis specifica differentia; sed hoc tamen dicitur altera, B quod quæ est hominis specifica, non est Dei; et quæ est Dei non specifica, non est hominis. Qui locutionis usus sæpe in humana etiam pagina invenitur. Nam Aristoteles cum in Prolegomenis Categoriarum dixisset: Diversorum generum et non subalternatim positorum diversæ sunt species et differentiæ, hoc exemplavit dicens, ut animalis, et scientiæ. Et cum enumerasset quasdam differentias, quæ vere sunt animalis, nullas enumeravit scientiæ, nec potuit, quoniam eorum quæ inabstracta, separatim tamen ab eis in quibus sunt, speculatur mathematica disciplina, nullum genus est quod dividat, nulla species quam constituat specifica forma. Non enim sunt aliquid subsistentiis mathematica inabstracta. Cum igitur (sicut dictum est) enumerasset differentias animalis, non subjunxit: Hæ vero sunt scientiæ; sed ait: Scientiæ vero nulla est harum, qui tamen dixerat diversorum generum esse diversas, etc. Similiter hic cum auctor dixisset, quod catholici C atque Nestorius duas in Christo secundum ultimam diffinitionem naturas constituunt, non ait: Hæ etenim sunt hominis, hæ vero Dei; sed potius ait: Neque enim easdem in Deum atque hominem differentias convenire (*subaudi*) catholici Nestoriusque constituunt. Quod dicens vult intelligi: Non quod aliæ sunt hominis, aliæ Dei naturæ specificæ, sed quod quæ sunt hominis, nequaquam sunt Dei; qui tamen duas naturas esse in Christo, et secundum ultimam naturæ diffinitionem dixerat.

DE PERSONA.

Sed de persona, etc.] Hucusque nominis hujus, quod est natura, quantum ad hoc opus pertinebat, significationes divisit, et secundum unamquamque quid sit natura diffinivit, et ex quo sensu catholici atque Nestorius naturam velint intelligi, docuit. Nunc quibus rebus nomen personæ conveniat, primo rerum ipsarum divisione vestigat; deinde ratione diffinitionis D et usu, et etiam nominis ipsius interpretatione declarat. Quasi: Quomodo natura diffiniatur, propter diversorum usus diversos dubium est. Sed de persona maxime dubitari potest, quænam videlicet et diffinitio ei possit aptari; et quæ dubitationis sit causa, supponit.

Si enim, etc.] Natura, sicut dictum est, aut de solis specificis differentiis, aut de solis corporibus, aut de omnibus substantiis, aut de omnibus rebus dicitur. Persona vero, aut de his quibus convenit, aut de his quibus non convenit, nomen naturæ prædicatur. Sed de his quibus secundum quamlibet prædictarum significationum nomen naturæ prædicatur persona, aut de omnibus aut aliquibus. Sed si omnis natura habet personam, id est si de omnibus quæ secundum quamlibet prædictarum, ut dictum est, significationum dicuntur **natura**, prædictarum persona. Sensus: Si omnis **natura est persona**, indissolubilis nodus est, id est vix aut nequaquam in-

telligi poterit quænam discretio possit esse inter naturam et personam. Nam etsi secundum qualitates diversas diversivoca nomina sunt natura atque persona, et secundum hoc sit naturæ atque personæ multa discretio, et illæ diffinitiones diversæ quibus ostendatur, non modo quod dicitur esse natura vel persona, verum etiam esse quod dicitur: idem tamen erit quod utroque nomine appellabitur, et id nulla diffinitio ostendere poterit esse diversum, sicut id quod est, homo est risibile, et econverso, cum tamen aliud sit esse hominem, aliud esse risibilem. Aut si non æquatur persona naturæ, ut de eodem hæc duo nomina conversim dicantur, sed infra terminum spatiumque naturæ persona subsistit, id est, si non de omnibus, sed de aliquibus naturis persona dicitur, difficile dictu est, propter diversorum usus diversos, usque ad quas naturas persona perveniat; et quo intellectu hoc sit accipiendum exponit, id est quas naturas conveniat habere personam, quas a personæ vocabulo segregari; Sensus: de quibus scilicet naturis prædicetur nomen personæ, et de quibus non prædicetur. Nam illud quid quod forte quis cogitet, videlicet quod nomen personæ de nullo prorsus cui secundum aliquam significationem nomen naturæ conveniat prædicetur, nihil est. Manifestum est enim naturam subjectam esse personæ, id est nec personam ullo modo posse prædicari, præter naturam, hoc est nisi de eo quod secundum aliquam significationem naturæ dicatur. Quoniam igitur neque de nullis, neque de omnibus naturis prædicatur persona, sed secundum aliquam supradictarum naturæ significationum de aliquibus tantum: hæc aliqua ab inquirentibus quæ illa sint vestiganda sunt hoc modo: per divisionem videlicet naturalium. Nam, sicut dictum est, persona præter naturam esse non potest, imo quidquid est persona, necesse est ut secundum aliquam naturæ significationem dicat natura. Sed naturæ (secundum illam diffinitionem qua dicitur esse natura earum rerum quæ, cum sint, quoquomodo intellectu capi possunt) aliæ sunt substantiæ, aliæ accidentes; et videmus personam in accidentibus non posse constitui, id est nullum accidentium esse personam. Quis enim dicat esse ullam personam albedinis, vel nigredinis, vel magnitudinis? Hoc est, quis potest dicere quod albedo, vel nigredo, vel magnitudo sit persona? Ac si dicat, nullus. Hæc enim quandoque sunt personarum, ideoque nunquam personæ. Quidquid enim est, sive pars, sive natura, sive in quocunque genere vel ratione proprietas alicujus personæ, nunquam potest esse persona.

Relinquitur ergo.] Quasi, præter naturam non potest esse persona; naturarum autem aliæ sunt substantiæ, aliæ sunt accidentes. Accidentes vero non possunt esse personæ. Quod quoniam ita est, relinquitur ergo ut personam in substantiis dici conveniat, hoc est solas substantias esse personas; sed non omnes. Ideoque adhuc divisione vestigat, quæ substantiæ sint personæ. Et attende quod substantias vult hoc loco intelligi, non subsistentias, sed quæ subsistunt. Quod ex eis quæ sequuntur apparet; ait enim: Substantiarum aliæ sunt corporeæ, aliæ incorporeæ. Corporearum vero, aliæ sunt viventes, aliæ minime. Viventium corporearum, hoc ita debere intelligi exemplis quæ sequuntur patebit, viventium (inquam) aliæ sunt sensibiles, aliæ minime; sensibilium aliæ sunt rationales, aliæ irrationales.

Rationalium vero, etc.] Attende, quod in præcedentibus subdivisionibus priorum divisionum omnium genera subintelligi voluit; in hac autem qua sequitur divisione, non modo illa quæ corporea sunt, nec etiam illa tantum subsistentia quæ accidentibus subjecta sunt, verum etiam incorporea subsistentia, et horum omniumque principium; ait enim: Rationalium vero alia est immutabilis atque impassibilis per naturam, ut Deus; alia per creationem quidem mutabilis atque passibilis (nisi gratia impassibilis substantiæ, hoc est principalis essentiæ, quæ Deus est, ad impassibilitatis firmitudinem permutetur), ut angelorum, hoc est cœlestium spirituum natura, atque natura humanæ animæ. Deus enim nullo modo mutari potest, nec ullo animalis passionis affici sensu. Cœlestes vero spiritus qui ei assistunt, non sunt stabiles, sed naturaliter corruptibiles, et similiter humanæ animæ. Quidquid enim, cum non esset, per divinam potentiam esse poterat, idem etiam per eamdem potentiam, dum est, non esse potest. Non enim immutabilis esset divina potentia, si quod cœpit esse, non esse non posset: quandoquidem cum non erant, non esse poterat. Sed, sicut dictum est, aliqua mutabilium in eo quod per creationem facta sunt ita divina gratia firmat ut deinceps nequaquam mutentur, ac per hoc incorruptibilia immortaliaque dicuntur.

Ex quibus omnibus, etc.] Quasi: Naturæ partes prædictis divisionibus ostendimus. Ex quibus omnibus divisionibus manifestum est, neque in non viventibus corporibus posse dici personam. Nullus enim dicit esse ullam personam lapidis, neque rursus eorum viventium quæ sensu carent. Nulla enim persona est arboris, neque vero ejus rei viventis atque sensibilis quæ intellectu ac ratione deseritur. Nulla est enim persona equi vel bovis, cæterorumque animalium quæ naturaliter muta ac sine ratione vitam solis sensibus degunt. Diligenter attende quod ait, nullam lapidis vel arboris esse personam, non modo secundum philosophorum usum, verum etiam secundum rei, qua recte persona est appellanda, proprietatem, hoc eum dixisse. Nulla namque ratione potest esse persona ex quo totum continuum vel actu vel potentia constat. Cujus rei ratio in sequentibus dicetur. Quod vero ait nullam equi vel bovis vel quorumlibet irrationalium animalium esse personam, non secundum rationis hujus qua quilibet est persona proprietatem, sed tamen secundum usum philosophorum, qui hæc, cum recte possent, noluerunt tamen appellare personas, dixit. Quod et ipse in sequentibus aperte dicturus est.

At hominis, etc.] Quasi: Mutorum animalium nullam usu philosophorum dicimus esse personam. At hominis dicimus esse personam: dicimus etiam Dei, dicimus angeli. Hoc est, cujuslibet cœlestis spiritus, et naturaliter, et usu philosophorum dicimus esse personam.

Rursus substantiarum, etc.] Quia non omnibus, sed tantum quibusdam naturis, illis videlicet quæ substantiæ sunt; sed neque his omnibus, sed aliquibus convenit dici personas: divisit naturas atque substantias pluribus differentiis, et quibus secundum divisiones illas conveniat, quibusque non conveniat dici personas, etiam exemplis ostendit. Nunc rursus substantias propter idem dividit. Sed attende quod cum superius subsistentes tantum et solis naturalibus, nunc et subsistentes et subsistentiam rationalibus atque topicis differentiis dividit, et ait: Rursus substantiarum aliæ sunt universales, substantialis formæ similitudine; aliæ sunt particulares, id est individuæ plenarum proprietatum dissimilitudine. Quæ vero sunt universales, quæve particulares, descriptionibus et exemplis demonstrat, dicens: Universales sunt quæ plures secundum se totas, inter se suis effectibus similes, de pluribus singulis, subsistentibus inter se vere similibus, prædicantur: ut, homo, animal, lapis, lignum, cæteraque hujusmodi. Quæ quantum ad subsistentias, quæ horum nominum sunt qualitates, vel genera sunt, ut animal, lapis, lignum; vel species, ut homo. Nam et homo, videlicet subsistentia specialis, quæ est hujus nominis qualitas una quidem conformitate, sed plures essentiæ singularitate, de singulis hominibus, et animal de singulis animalibus, lapisque ac lignum de singulis lapidibus ac lignis, generaliter dicuntur. Particularia vero, id est individua, quæ sua dissimilitudine ea quæ similitudo substantialis facit dividua

partiuntur, sunt illa quæ ita de uno dicuntur, quod de aliis numero ab illo uno minime prædicantur: ut Cicero, Plato, et lapis hic unde hæc Achillis statua facta est, et lignum hoc unde hæc mensa composita est. Attende quod quibusdam particularibus a propria qualitate sua propria nomina posita sunt, quæ omnia vult intelligi, cum ait: ut Cicero, Plato. Quibusdam vero non sunt posita, sed per demonstrativum pronomen, et nomen appellativum intelliguntur, cum dicitur hic lapis, hoc lignum, et hujusmodi.

Sed in his, etc.] Quasi: Substantiarum aliæ sunt universales, aliæ particulares. Sed in his omnibus universalibus scilicet et particularibus, supple, si quis quærat quibus nomen personæ conveniat. Dico quod nusquam in universalibus, hoc est in nullo universalium persona dici potest, sed in singularibus tantum; atque in his non nisi actu et natura individuis. Diligenter attende quod, cum dixerit personam in singularibus dici, adjecit atque individuis, innuens utique non omnem singulare individuum esse. Sicut enim omnis quidem persona individuum est, non vero omne individuum est persona: ita quoque omne individuum est singulare, non autem omne singulare est individuum. Quidquid enim est, singulare est; sed non quidquid est, individuum est. Singularium namque alia aliis sunt tota proprietate sua inter se similia, quæ simul omnia conformitatis hujus ratione dicuntur unum dividuum, ut diversorum corporum diversæ qualitates tota sua specie æquales; alia vero ab aliis omnibus aliqua suæ proprietatis parte dissimilia, quæ sola et omnia sunt hujus dissimilitudinis ratione individua, ut hic lapis, hoc lignum, hic equus, hic homo. Quorum aliquibus, sicut dictum est, personæ convenit nomen; nulli vero universalium.

Generalis enim animalis, vel generalis hominis, nulla persona est; sed vel Ciceronis, vel Platonis, etc.] Attende individuorum quæ ponit exempla. Non enim ait, sed vel hujus lapidis, vel hujus ligni, cum tamen supra particularium, quæ individua volebat intelligi, ponens exempla, dixisset, ut hic lapis, hic lignum. Hujusmodi namque individua nequaquam possunt esse personæ; et quare non possunt, paulo post dicetur; sed Ciceronis, vel Platonis, vel hujusmodi singulorum individuorum, personæ singulæ nuncupantur.

Quocirca, etc.] Quibus rebus nomen personæ conveniat, hucusque rerum ipsarum divisione vestigavit. Nunc diffinitione declarat, in qua diligenter est attendendum, quid secundum rationem, quid secundum philosophorum usum dicatur. Breviter ergo commemorans, quibus superiorum divisionum partibus nomen personæ dixerit convenire, ad ipsam diffiniendam transit, et ait: Quocirca si scilicet persona in solis substantiis, id est subsistentibus est, ut utique vera ratione est, atque in his, non nisi rationalibus, ut multorum usu dicitur, substantia vero omnis tam subsistens quam subsistentia quorumdam usu natura est, nec constat aliqua ratione vel usu in universalibus, sed tantum est in individuis, præmissis divisionibus reperta est personæ diffinitio hæc. Persona est naturæ rationalis individua substantia. Secundum hanc diffinitionem, humana anima videtur esse persona. Non enim, sicut quidam dixerunt, est ἐντελέχεια, hoc est forma, sed potius substantia, id est subsistens, habens in se formas, et diversorum generum accidentia, est, et naturæ rationalis. Intelligit enim atque discernit et separata a corpore et in corpore posita: usque adeo quod homo, qui ex anima constat et corpore, sicut proprio corporis spatio distenditur, ita propria animæ potentia discernit. Est etiam cujuslibet hominis anima sub genere spiritus, et animæ specie sua, qua ab omnibus quæ non sunt illa anima, dividitur proprietate individua. Sic igitur anima, quæ hominis est pars constitutiva, videtur recte esse persona. Hoc tamen impossibile esse, per hoc intelligitur, quod nulla persona pars potest esse personæ. Omnis enim persona adeo est per se una, quod cujuslibet plena et ex omnibus quæ illi conveniunt collecta proprietas, cum alterius personæ similiter plena, et ex omnibus collecta proprietate de uno vere individuo prædicari non potest. Ut Platonis et Ciceronis personales proprietates, de uno individuo dici non possunt. Tota vero animæ Platonis proprietas, id est quidquid de ipsa naturaliter affirmatur, de ipso Platone prædicatur. Naturaliter dicimus, quoniam quod non naturaliter de anima dicitur, non necesse est de Platone prædicari. Ut topica ratio, qua Platonis anima pars ejus vocatur, de ipso Platone minime dicitur. Dicimus etiam affirmatur, quia quod ab anima Platonis negatur, non necesse est ab ipso negari. Ut si dicatur anima esse incorporea, quo privatorio nomine corporum subsistentia, quæ est corporalitas, removetur ab ea, non ideo Plato incorporeus esse dicitur. Et sic quidem humana anima secundum prædictam diffinitionem videtur esse persona. Ut ergo pugnas verborum sensuum convenientia dirimat, dicendum est quod sicut individuum non modo actuali, verum etiam naturali similitude; ita quoque individuum non modo actuali, verum etiam naturali dissimilitudine dicitur. Quidquid enim confert habitus, tollit privatio. Hoc autem clarius erit exemplis. Homo et sol a grammaticis appellativa nomina, a dialecticis vero dividua vocantur. Plato vero et ejus singularis albedo, ab ejusdem grammaticis propria, a dialecticis vero individua. Sed horum homo tam actu quam natura appellativum vel dividuum est; sol vero natura tantum, non actu. Multi namque non modo natura, verum etiam actu, et fuerunt et sunt, et futuri sunt, substantiali similitudine similiter homines. Multi quoque nunquam actu, scilicet, semper natura similiter soles. Sicut enim homo non a tota unius hominis, sic neque sol a tota hujus quæ videmus solis proprietate nomen est. Sed homo quidem ab aliquibus hominum subsistentiis tam actu quam natura; sol vero ab aliquibus non actu, sed sola natura inter se invicem tota substantia formæ similibus nomina sunt. Fuerunt enim qui jam non sunt, et erunt qui nondum sunt, vel fuerunt, et nunc sunt tam actu quam natura homines infiniti; ideoque ipsorum formæ multæ similiter natura, et actu, et fuerunt, et erunt, et sunt, a quibus hic ipsarum plena inter se conformitate, vere dividuum nomen hominibus ipsis inditum est. Unus vero actu solus est sol, præter quem nullus actu, vel fuit, vel est, vel erit. Quamvis natura et fuerunt, et sunt, et futuri sunt infiniti, idcoque infinite sola natura subsistentiæ, inter se sola natura conformes, a quibus hic vere dividuum et universale nomen est. Sicut enim veri individui plena proprietate nulla pars neque actu neque natura conformis esse potest, ita secundum plenæ proprietatis quamlibet partem naturalis saltem similitudo est. Unde Platonis ex omnibus quæ illi conveniunt collecta proprietas nulli neque actu neque natura conformis est, nec Plato per illam; albedo vero ipsius, et quæcunque pars proprietatis ejus, aut natura, et actu, aut saltem natura intelligitur esse conformis. Ideoque nulla pars proprietatis cujuslibet creaturæ naturaliter est individua: quamvis ratione singularitatis individua sæpe vocetur. Illa vero cujuslibet proprietas, quæ naturali dissimilitudine ab omnibus quæ actu vel potestate fuerunt, vel sunt, vel futura sunt, differt, non modo singularis aut particularis, sed etiam individua vere et vocatur et est. Nam individua dicuntur hujusmodi, quoniam unumquodque eorum ex talibus consistit proprietatibus, quorum omnium cogitatione facta collectio nunquam in alio quolibet alterutrius numero particularium naturali conformitate eadem erit. Hac igitur ratione Platonis tota forma, nulli neque natura conformis, vere est individua. Omnis vero pars ejus, singularis quidem est, non autem vere individua, quoniam multis est saltem natura conformis. Itaque

anima ejus, cujus tota forma pars est, formæ Platonis, non vero nomine dicitur individua. Ideoque quamvis ipsa sit rationalis naturæ substantia, nequaquam tamen potest esse persona; et generaliter, sicut dictum est, nulla cujuslibet personæ pars est persona; quoniam partis ejus ex omnibus quæ ipsi convenire intelliguntur collecta proprietas, naturaliter est individua. Ex his ergo intelligitur quia persona adeo est per se una, quod ejus tota proprietas nulli prorsus secundum se tota similitudine conferri potest, nulli ad constituendam personalem proprietatem conjungi.

Sed nos hac diffinitione, etc. Hucusque et divisionibus vestigavit, et diffinitione, partim ex natura, partim ex usu sumpta, docuit quibus rebus nomen personæ conveniat. Nunc hujus nominis causam, quare videlicet id, cui prædicta diffinitio convenit, nominetur persona, ostendit. Quasi : Persona est naturæ rationalis individua substantia. Sed diligenter est attendendum quod hac diffinitione terminavimus, non eam quam Græci πρόσωπον, sed eam potius quam usu ὑπόστασιν dicunt. Nomen enim personæ videtur ad unde quadam translationa traductum, scilicet ex his personis quæ in recitandis comœdiis tragœdiisque repræsentabant eos qui, hoc est qualiter, secundum ætatis, aut sexus, aut conditionis differentiam et proprietatem interest, tristes aut lætos, divites aut pauperes, nobiles aut ignobiles, et hujusmodi homines. In comœdiis vero et tragœdiis convenienter et proprie dicta est persona a personando, circumflexa tamen penultima, secundum illam quæ est dictionum accentibus regulam qua dicitur : Quod in trisyllabis et tetrasyllabis, et deinceps, si ultima correpta fuerit, penultima vero longa natura, ipsa penultima circumflectetur, cæteræ vero gravabuntur. Unde hoc nomen quod est persona, minime a personando dictum videtur. Hujus enim nominis quod est sonus, prima syllaba naturaliter est correpta, ideoque acuto pronuntiatur accentu, secundum regulam qua dicitur : quod in disyllabis, si prior naturaliter correpta fuerit, ipsa acuetur, altera vero gravabitur.

Quod si.] Quasi : Hoc nomen est persona a personando dicitur, quod tamen minime verum esse videtur, eo quod penultima syllaba tanquam naturaliter longa, ante correptam circumflectitur. Quod si antepenultima acuatur, secundum regulam qua dicitur : In trisyllabis et tetrasyllabis, et deinceps, si penultima correpta fuerit, antepenultima acuetur, cæteræ vero gravabuntur, apertissime a sono persona dicta esse videbitur. Idcirco autem, quæ in comœdiis tragœdiisque recitandis repræsentationem quamlibet faciebat, persona a sono dicta videbitur, quia concavitate ipsa larvæ ad repræsentandam personam ante faciem positæ, major necesse est sonus volvatur : quod utique conveniebat, propter eos qui in amphitheatro his quæ dicebantur erant attenti. Græci quoque has comœdiarum tragœdiarumque recitandarum personas vocabant πρόσωπα : non quidem a sono, qui vere major fiebat larvæ quæ ante faciem ponebatur concavitate ; sed ab eo quod larvæ illæ concavæ ad majorem sonum faciendum ponantur in facie atque ante oculos intuentium eas, obtegant vultum loquentium inter ipsas. Quod et Græcis verbis, ait ita : Παρὰ τοῦ πρὸς τοὺς ὤπας τίθεσθαι, quod est ab ante faciem ponendo. Παρὰ namque sonat *ab;* πρός sonat *in* vel *ante;* ὤπας sonat *faciem;* τίθεσθαι *ponendo.* Τοῦ vero et interim τούς articuli sunt. Quoniam ergo πρὸς sonat *in* vel *ante*, ὤπας vero sonat *faciem :* πρόσωπα sine dubio sonat *in facie* vel *ante faciem.* Itaque hæc duo nomina videlicet persona et πρόσωπα, recte illorum qui in amphitheatris diversos homines larvarum atque sonorum diversitate repræsentabant sunt nomina. Unum quidem a sono qui fiebat concavitate larvæ ante faciem positæ, id est persona ; alterum vero ab ante faciem posita larva, a cujus concavitate sonus fiebat, id est πρόσωπα.

A Sed quoniam, ut dictum est, inductis voce et forma diversis personis, histriones in tragœdia vel comœdia individuos homines, quorum intererat, repræsentabant, id est, exempli gratia, in tragœdia quidem Hecubam, vel Medeam, in comœdia vero vel Symonem, vel Chremetem : idcirco cæteros quoque homines, quorum esset, id est esse posset certa agnitio, pro sui cujusque naturali dissimilitudine, vere individua forma nuncupaverunt, id est, non naturali neque propria, sed nuncupativa et impropria appellatione nominaverunt, et Latini personam, et Græci πρόσωπα. Longe vero melius, et secundum rei veritatem signantius, illi, id est Græci, naturæ rationabilis individuam substantiam nomine ὑποστάσεως, contracta tamen ab aliis pluribus quibus hoc nomen naturaliter convenit appellatione, vocaverunt. Nos vero Latini per inopiam vocum proprie res ipsas significantium translativam retinuimus nuncupationem, eam videlicet quam illi, id est Græce recte dicunt ὑπόστασιν, nomine quod est a sono personam vocantes.

B

Sed peritior, etc.] Quasi : Quam nos supra diffinivimus, personam naturæ rationalis individuam esse substantiam, quidam Græcorum vocant ὑπόστασιν. Sed illa quæ est sermonum peritior Græcia, vocat ὑπόστασιν, non modo rationalem, verum etiam non rationalem quamlibet et individuam substantiam. Atque uti Græca oratione utar in rebus, in his videlicet quæ a Græcis diu agitata, postea Latina interpretatione translata sunt : Αἱ οὐσίαι ἐν μὲν τοῖς καθ' ὅλου εἶναι δύνανται, ἐν δὲ τοῖς κατά μέρος μόνοις ὑφίστανται : Id est, Essentiæ in universalibus quidem esse possunt, in solis vero individuis et particularibus substant. Quæ nimirum translatio verbi ad verbum facta est. Nam αἱ articulus est, οὐσίαι essentiæ, ἐν in, μὲν quidem, τοῖς articulus, καθ' ὅλου secundum totum : pro quo, quia omne universale totum est, ponit universalibus, εἶναι esse, δύνανται possunt, ἐν in, δὲ autem, τοῖς articulus, κατὰ μέρος secundum partem : pro quo, quia omne particulare atque individuum dicitur pars, ponit individuis et particularibus, μόνοις solis, ὑφίστανται substant. Ex his itaque verbis Græcis, et ea quæ secuta est Latina interpretatione, manifestum est non modo rationale, verum etiam non rationale naturæ individuam substantiam, ὑπόστασιν dici. Non solum enim rationalium, sed etiam non rationalium substantiarum individuarum universalia quædam sunt, quæ ab ipsis individuis humana ratio quodammodo abstrahit, ut eorum naturam perspicere et proprietatem comprehendere possit. Vera etiam ratione intellectus universalium rerum ex quibuslibet, id est, non tam rationalibus quam irrationalibus particularibus sumptus est, id est res universales intellectus ex quibuslibet particularibus sumit.

C

Quocirca videlicet cum ipsæ substantiæ in universalibus quidem (sicut ex prædictis Græcorum verbis et Latina interpretatione intelligitur) *sint, in particularibus vero non dico sint ; sed dico capiant substantiam, jure*, etc.] Attendit quod cum superius dixerit essentias, nunc dicit substantias in particularibus esse. Quia namque et esse, et id quod est, cujusdam consortii ratione sine se esse non possunt, ut corporalitas et corpus. Actu namque corporalitas nihil est, nisi sit in corpore, et corpus non est quod vocatur, nisi in ipso sit corporalitas, quæ est ejus esse : recte supposito quodlibet horum duorum nominum, hic est essentia vel substantia. sensus illius quæ sequitur dictionis ad eorum quodlibet aut consequenter, aut accidentaliter redditur. Recte ergo cum dixisset essentiæ in universalibus sunt, in particularibus substant, dicit etiam substantiæ in universalibus sunt in particularibus capiant substantiam, id est substant : et est sensus : Universalia quæ intellectus ex particularibus colligit, sunt, quoniam particularium illud esse dicuntur quo ipsa particularia aliquid sunt. Particularia vero non modo sunt, quod

D

utique ex hujusmodi suo esse sunt, verum etiam substant, quoniam eorum quæ universalibus adsunt accidentium, eadem in se vel extrinsecus sibi affixa recipiendo, subjecta sunt. Jure igitur substantias particulariter substantes, ὑποστάσεις appellaverunt. De quocunque enim dicitur est, aut est ipsa aliquorum essentia, aut ex essentia. Quod vero aliquid substare dicitur, accidentibus debet. In se namque vel affixa sibi extrinsecus habendo accidentia, illud substat. Attende quod cum prius dixerit, essentiæ in particularibus substant, deinde ex eodem sensu substantiæ in particularibus capiunt substantiam, nunc idem voleus intelligi, ait subsistentias particulariter substantes, cum tamen aliud sit essentia, aliud subsistentia, alind substantia. Neque enim, ut nunc de essentia taceamus, pensius, id est certius subtiliusque juxta rerum proprietates et dictionum causas intuendi, idem v debitur esse subsistentia quod substantia. Quod ex Græcorum verborum diversitate potest intelligi. Nam quod Græci dicunt οὐσίωσιν, vel οὐσιῶσθαι, id nos substantiam vel subsistere appellamus. Quod vero illi ὑπόστασιν vel ὑφίστασθαι, id nos substantiam vel substare interpretamur. Et quare illud subsistentiam vel id substantiam dicamus, rationem subjungit. Subsistit enim illud, et quadam ratione est per se, quod non indiget accidentibus ut esse possit; imo accidentia, eo quod hac ratione subsistere et per se esse dicitur, adeo indigent, quod nisi illa adsint, nulli inesse possunt. Omne etenim accidens, alicujus subsistentiæ additum est potestati; et ideo accidens vocatur, quoniam illi adest, cum alicui substantium inest: ut color adest corporalitati, ut insit corpori. Substat autem id, quod aliis, id est accidentibus quoddam subjectum, ut esse possint, subministrat: ut corpus colori. Et recte dico substat; quodammodo enim sub illis stat, dum secundum rationabilem quemdam ordinem subjectum est accidentibus, quæ in se juxta subsistentias, quibus solis conveniunt, recipit.

Itaque, etc.] Quasi: Subsistit, quod ipsum accidentibus, ut possit esse, non indiget. Itaque genera et species, id est generales et speciales subsistentiæ, subsistunt tantum, non substant vere. Neque enim accidentia generibus speciebusve contingunt. Ut quod sunt accidentibus debeant. Non enim ipsa genera vel species indigent accidentibus ut sint. Individua vero subsistunt quidem vere. Nam neque ipsa individua, sicut neque genera, neque species indigent accidentibus ut sint. Et quare individua quoque non indigent accidentibus ut sint, supponit: Informata enim sunt jam propriis et specificis differentiis per quas subsistunt. Non modo autem subsistunt, verum etiam substant individua, quoniam et accidentibus ut esse possint ministrant: dum sum scilicet subjecta eis accidentibus, tanquam illorum, secundum rationabilem rerum creatarum ordinem, causæ atque principia. Quocirca ut ex Græcæ linguæ copia rerum diversitas magis appareat, dicimus, quod εἶναι atque οὐσιῶσθαι Græce, Latine intelligitur esse atque subsistere; ὑφίστασθαι vero intelligitur substare. Neque enim, ut Marcus Tullius figurato scommatis morsu in speciem laudis quadam urbanitate alludit, Græcia est inops verborum; sed hic quatuor nomina: essentiam, subsistentiam, substantiam, personam, totidem nominibus reddit: essentiam quidem appellans οὐσίαν; subsistentiam vero, οὐσίωσιν; substantiam, ὑπόστασιν; personam, πρόσωπον. Ut autem ad id propter quod rerum nominumque prædictam divisionem fecimus, revertamur: ideo, sicut dictum est, Græci quaslibet individuas substantias appellaverunt ὑποστάσεις, quoniam cæteris subsunt; et qualiter velit intelligi quod ait, subsunt, et quæ sint illa cætera, eumdem repetens sensum, explanat et ait: Quasi suppositæ subjectæque sunt quibusdam quæ in se vel extrinsecus affixa habere dicuntur accidentibus. Idcirco nos quoque Latini eas nuncupamus substantias, quasi A supposita, imo quasi ὑποστάσεις, hoc est substantes. Cumque etiam Græci easdem individuas substantias, quamvis non omnes, sed tantum rationales, sicut dictum est, ab ante faciem ponendo nuncupent πρόσωπα; nos quoque Latini a sono possumus nuncupare personas. Sicut igitur ex prædictis manifestum est, idem est esse οὐσίαν quod essentiam; idem est esse οὐσίωσιν quod subsistentiam; idem esse ὑπόστασιν quod substantiam; idem esse πρόσωπον quod personam.

Quare autem, etc.] Quod peritior sermonum Græcia, non modo rationalem, verum etiam irrationalem individuam substantiam vocet ὑπόστασιν, a cæteris quæ aliorum nominum sunt rebus eam dividens, ipsius nominis vi et proprietate ostendit, quoniam videlicet a substando, et Græcus ὑπόστασιν, et Latinus substantiam dicat. Recte utique, quoniam sicut rationalis, ita et irrationalis ὑπόστασιν sive substantia his quæ in se vel affixa extrinsecus habet accidentibus substat: postea tamen idem nomen a B genere ad speciem Græcorum usus contraxit, rationalem tantum substantiam ὑπόστασιν nominans, cum tamen Latinorum usus nomen substantiæ, juxta naturam et vim dictionis ipsius, in omnibus quæ substant accidentibus adhuc retineat. Si quis autem quærat quare Græcus nunc non dicat ὑπόστασιν de irrationalibus animalibus, sicut nos Latini de iisdem irrationalibus nomen substantiæ prædicamus, respondemus quod hoc ratione est, quoniam scilicet nomen ὑπόστασις quod nunc usu, sicut diximus, nomen est melioris naturæ, a genere universorum substantium contractum, applicatum est ad speciem rationabilium, ut id quod est excellentius, videlicet rationalis substantia aliqua descriptione discerneretur: tametsi non descriptione naturæ secundum id quod vere est ὑφίστασθαι atque substare (secundum hoc enim quodlibet eorum quæ substant accidentibus posse intelligi), at certe, hoc est certe tamen vocabulis, C id est usu vocabulorum ὑποστάσεως, vel, si Latino dici placet, substantiæ, a non rationalibus discerneretur quibus tamen secundum naturam convenit, tam Græci quam Latini interpretatio nominis. Sunt enim hujusmodi multa nomina quæ, cum per naturam significationis suæ possint plurimis convenire, usu tamen non de omnibus illis, sed tantum de quibusdam dicuntur.

Est igitur, etc.] Quasi: Hoc quoniam diximus, et apud Græcos et apud Latinos est diversitas rerum et nominum, οὐσία, οὐσίωσις, ὑπόστασις, πρόσωπον, essentia, subsistentia, substantia, persona, quæ tamen de uno vel homine, vel angelo, vel Deo dicuntur; est igitur et hominis quidem essentia, id est, οὐσία; et subsistentia, id est οὐσίωσις; et ὑπόστασις, id est substantia; et πρόσωπον, id est persona. Et unde certum sit hæc esse hominis, ostendit dicens: Οὐσία quidem atque essentia, quoniam est specialis conformitatis immutabilis; οὐσίωσις vero atque subD sistentia est hominis, quoniam in nullo subjecto est homo, id est subsistentia, qua ipse et est et dicitur homo, non habet præ se cui adsit in eo qui ab ipsa homo est. Ὑπόστασις vero atque substantia est hominis, quoniam subest cæteris quæ non sunt subsistentiæ, id est quæ non sunt οὐσιώσεις. Sensus: Subest accidentibus, quoniam accidentia sic in eo sunt, quod in ipso præ se cui adsint naturaliter habent. Est etiam ejusdem hominis πρόσωπον atque persona, quoniam ipse est secundum naturalem proprietatis suæ dissimilitudinem individuum, et non irrationale cui per naturam convenire potest, sed rationale, ad quod usus nomen ὑποστάσεως et personæ contraxit. Non solum autem homini, sed et angelo, sicut supra dictum est, nomen personæ convenit: quoniam similiter est rationale individuum; et eadem ratione cætera, id est οὐσία vel essentia, οὐσίωσις vel subsistantia, ὑπόστασις vel substantia, illi conveniunt. Nam et specialis conformitatis immutabilitate quisque supernorum spiri-

tuum est: et quoniam specialis ejus subsistentia non habet præ se cui adsit, in nullo subjecto est, et ea subsistit, et subest accidentibus quæ in ipso aliqua naturaliter illis priora sequuntur. Sed de angelo tacet, quia non de illius, sed tantum de hominis atque Dei natura atque persona in hoc opere agitur. Ideoque cum essentiam et cum hominis esse dixisset, dixit etiam eadem esse Dei. Quod utique sunt, quamvis non omnia eadem qua sunt hominis ratione. Nam essentia, qua hominis esse dicitur, propter universalium quæ de ipso prædicantur subsistentiarum immutabilem conformitatem, de Deo quoque, sed nequaquam subsistentiæ suæ immutabili similitudine dicitur. Non enim sunt diversæ essentiæ inter se substantiali conformes, quarum una de Patre, alia de Filio ejus, alia de Spiritu amborum dicatur. Sic enim essent Pater, et Filius ejus, et amborum Spiritus multi dii, et non unus singulariter et individualiter Deus; quamvis etiam de unoquoque homine dicatur est, nunquam tamen dicitur quod sit ipsa essentia, quomodo multorum universalium, qua diximus similitudine, est. Dei vero non nisi una singularis et individua essentia est, quæ de Patre, vel de Filio, vel de amborum Spiritu prædicatur, cum dicitur, Deus est. Ideoque dicimus non solum Deus est, verum etiam Deus est essentia; et ex hoc intellectu, ait: Deus quoque, id est, Pater, vel ejus Filius, vel amborum Spiritus, et οὐσία est, et essentia, recte utique. Sine principio enim, et sine fine, unus et individuus, et simplex Deus est. Et cum omnia quæ ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt, ideo etiam a theologicis dicantur esse quoniam ipso solo auctore sunt, maxime tamen ipse est a quo omnium esse proficiscitur, hoc est, quoniam quæcunque vel subsistentiis, vel accidentibus, vel propriis effectibus, vel logicis rationibus, vel moribus, aliquid esse dicantur, ipso auctore sunt, quod esse dicuntur. Est etiam οὐσίωσις, id est subsistentia, vere. Subsistit enim per se nullo indigens. Nulli enim tanquam accidens adesse potest divina essentia. Dicitur et ὑφίστασθαι, id est subsistere, recte utique. Quamvis enim divinæ essentiæ nihil ut accidens adsit in Deo, tamen subsistat omnibus, quorum est vera causa, verum esse et verum principium. Si enim inter creata alia aliorum, et causæ, et esse et principia, ideoque subjecta dicuntur, multo rationabilius Deus, qui non habet præ se alterius quam quæ ipse est essentiæ causam, sive esse, sive principium, et est omnium creatorum vera et unica causa, et verum esse, et verum principium, eisdem substare dicitur. Sunt autem tres unius quidem singularis, simplicis, individuæque essentiæ, sed proprietatibus diversi, Pater videlicet, et ejus Filius, et amborum Spiritus: quorum unusquisque omnium creatorum est et causa, et esse principium, et simul una causa unum esse principium. Unde etiam dicimus unam esse οὐσίαν vel οὐσίωσιν, id est essentiam, vel subsistentiam Deitatis, hoc est Deitatem; sed tamen tres ὑποστάσεις, id est tres substantias. Non quidem quod illi qui sunt tres, diversis proprietatibus suis sint, et creatorum tres causæ, vel tria principia; sed quod horum trium unusquisque et causa, et esse, et principium omnium est, et hac ratione illis omnibus subsistens. Sed sicut quamvis non nisi una sit trium divinitas, et una æternitas, si tamen dicatur tres personæ divinæ et æternæ, recte divinitatis et æternitatis, salva singularitate, pluralitas adjectorum nominum, id est divinæ et æternæ, redditur pluralitati nominum quibus in eadem orationis parte adjiciuntur, id est tres et personæ, quæ vere rerum et vocum numero pluralia sunt: ita quamvis non nisi una eorumdemque ratio, qua unusquisque illorum est per se, et etiam tres vi simul omnium creatorum sunt una causa, unum esse, unum principium, salva tamen hujus rationis singularitate, pluralitas horum nominum, id est, ὑποστάσις, vel substantes, recte redditur pluralitati hujus nominis, quod est tres, cui in eadem orationis parte adjiciuntur. Et quidem secundum hunc modum Latini dixere unam esse Trinitatis, hoc est, Patris, et Filii ejus, et Spiritus amborum, essentiam, tres substantias, tresque personas. Trium utique prædictorum essentiam unam singularem et individuam esse; et eosdem tres unius essentiæ tres esse personas, et rerum veritas, et theologica ratio, et auctoritatis ecclesiasticæ usus habet. Sed quoniam et subsistere et substare ex unius subsistentiæ, diversis tamen rationibus, id quod eadem subsistentia aliquid est vere dicitur, ut homo. Subsistit enim homo: quoniam subsistentia qua est et qua dicitur homo, id est humanitas, nulli in homine in quo est tanquam accidens adest. Substat vero, quoniam eidem subsistentiæ in eodem homine multorum generum accidentia adsunt, nec rerum veritate, nec usu philosophorum dicitur multæ substantiæ, quod per unam singularem unius speciei subsistentiam substat. Unus enim homo, una singulari humanitate plurimis eidem accidentibus substans, per ipsam non nisi unus homo, et una substantia dicitur. Quæ vero pluribus ejusdem speciei subsistentiis subsistere et substare dicuntur, numero plures substantiæ sunt, et dicuntur. Ut pluribus humanitatibus, plures homines, et substantiæ. Similiter ergo cum unusquisque trium prædictorum una sola essentia sit, et tres simul non nisi eadem sint: quamvis pluribus imo omnibus quæ creata sunt, qualiter supra dictum est quoniam scilicet sunt eorum principium, substent, non tamen erunt plures substantes vel substantiæ, sed unum tantum substans vel substantia: quoniam et secundum suæ qua sunt essentiæ unitatem, omnium sunt unum tantum principium. Si vero essent plures illorum trium essentiæ, quarum una Pater, alia Filius, alia amborum Spiritus essent, sicut hominum multæ unius speciei subsistentiæ sunt, quarum una unus, alia alius est homo, tunc, secundum essentiarum pluralitatem, Pater, et Filius, et eorum Spiritus, essent multa creatorum principia. Ideoque multi substantes illis et eorum multæ substantiæ, sicut, secundum subsistentiarum ejus speciei pluralitatem, plures homines plures accidentibus quæ subsistentiis adsunt substantes et eorumdem substantiæ. Sed quia theologica ratione, Patris, et Filii et Spiritus sancti, non nisi una singulariter et individualiter essentia, ideoque non nisi rerum omnium unum possunt esse principium, qua principalitatis suæ ratione rebus illis humanæ philosophiæ verbo subesse vel substare dici possunt, ecclesiasticus loquendi usus tres in Deo substantias dici excludit. Nisi enim hanc de Deo Patre, et Filio, et Spiritu sancto, substantiarum pluralitatem excluderet, imo reciperet quod ex illa pluralitate forte posset intelligi, scilicet quod a diversis essentiis essent, et ab una esset Pater unum principium, et ab alia Filius aliud principium, et ab alia Spiritus eorum aliud principium, recte videretur de unoquique in illa pluralitate, qua illi essent tres substantiæ, quod modo videtur in ea quæ propter unitatem essentiæ trium est singularitate, videlicet de Deo Patre, vel de Filio, vel de Spiritu sancto, dici substantia: non idcirco quidem quod ipse supponeretur cæteris rebus, quasi subjectum videlicet, ut id ipso essent, et essentiæ suæ, qua ipse est, imo quæ ipse est, accidentes adessent, sicut in homine ejusdem subsistentiis adsunt diversorum generum accidentia; sed potius idcirco quod idem Deus Pater, vel Filius, vel Spiritus sanctus, uti præesset omnibus rebus, ita etiam subesset eisdem videlicet quasi principium, quod utique vere est, dum eis omnibus οὐσιῶσθαι vel subsistere subministrat.

Sed et hic, etc.] Quoniam loquendo de essentia, subsistentia, substantia, a proposito suo, quo naturæ atque personæ differentias se demonstraturum proposuerat, recessisse videtur, hæc quæ de illis dicta sunt, dicit ad horum differentias pertinere. Quasi: De essentia, subsistentia, substantia, multa dicta sunt;

sed hic omnia idcirco dicta sint, id est, volo hac intentione dicta putari, ut monstraremus differentias naturæ atque personæ, id est οὐσίας atque ὑποστάσεως. Quo vero nomine unumquodque, id est οὐσίαν vel ὑπόστασιν, oporteat apud Latinos appellari, videlicet an quod Græce οὐσία dicitur, Latine dicatur essentia, sive subsistentia, sive natura; et quod Græce dicitur ὑπόστασις Latine appelletur subsistens, sive substantia, sive persona, sit arbitrium ecclesiasticæ locutionis, id est eorum arbitrio relinquatur qui ecclesiasticæ locutionis usum noverunt. Hoc tamen interim constet indubium, quod prædiximus differre, hoc est diversum esse inter naturam atque personam: quoniam scilicet secundum ultimam supradictarum naturæ significationum natura est cujuslibet substantiæ specificata proprietas. Alia verba ponit, quam supra posuerit; idem tamen est sensus. Superius enim ait: Natura est unamquamque rem informans specifica differentia. Sed quod ibi dixit, unamquamque rem, hic dixit, cujuslibet substantiæ. Hanc enim volebat intelligi æquivoco nomine quo dicebat rem. Quod vero ibi dixit specifica differentia, hic dicit, specificata proprietas, recte utique. Nam et ibi quam nominabat differentiam, paulo ante vocaverat proprietatem dicens: Dicimus diversam esse naturam auri atque argenti, in hoc proprietatem rerum monstrare cupientes.

Persona vero, etc.] Quasi: Natura est cujuslibet substantiæ specificata proprietas. Persona vero est rationabilis naturæ individua substantia.

Hanc in Christo, etc.] Hucusque naturam atque personam propriis differentiis diversas esse ostendit. Nunc Nestorii et Eutychis errores ponere, et submovere ingreditur; et primo Nestorii errorem ostendit et destruit. Quasi: Persona est naturæ rationabilis individua substantia. Hanc personam scilicet Nestorius opinione sua constituit esse duplicem in Christo: unam videlicet Dei, alteram hominis. Dicit enim in Christo unam personam esse, quæ est Deus; alteram quæ est homo: et ex his duabus Christum esse conjunctum. Eo scilicet errore ad hoc dicendum traductus, quod putaverit posse dici personam in omnibus quoquomodo diffiniantur naturis, hoc est, quia putavit quod omnis natura dicatur etiam persona. Hoc enim præsumpto, quoniam duplicem naturam esse in Christo recte conebat, duplicem quoque personam in ipso esse confessus est. Qua in re eum falsum esse superius dicta diffinitio personæ, quæ est, naturæ rationalis individua substantia, convincit. Quia non habet diffinitio pluraliter: persona est individuæ substantiæ, sed singulariter, individua substantia. Cum autem hæc personæ diffinitio eum falsum esse convincat, tum hæc quæ sequitur argumentatio evidenter declarat ejus errorem.

Vere. Si enim, etc.] Argumentatio hic qualitate dicitur ὑπόθεσις per quemdam quasi consensum, genere autem est syllogismus, specie vero hypotheticus. Non enim aliquo extra sumpto, partem suam confirmat, sed quasi adversarii dicto sui, quod est Christi unam non esse personam, consentiat, partem illam sumit, ut quod ex ea falsum sequatur ostendat. Quo destructo, partis suæ manifesta veritate argumentationem concludit; ait ergo:

Si non est Christi una persona, sequitur, etc.] Sed quia Nestorius, qui omnem naturam putat esse personam, ex numero naturarum metitur numerum personarum, addit ante sumpto, duasque in Christo naturas esse manifestum est, hominis scilicet atque Dei; et quia nondum satis præmissum est, ut quod illaturus est necessario inferat, adhuc addit: Nec tam insipiens erit quisquam, ut qui, hoc est aliquo modo utramlibet earum, id est aliquam duarum, hominis videlicet atque Dei naturarum a ratione sejungat, dicens unam quidem illarum duarum naturarum esse personam, alteram vero non; sequitur ut duæ in ipso videantur esse personæ, id est ut Christus non sit una persona, A sed duæ. Quod falsum esse, sicut prædictum est, diffinitio personæ superius dicta convincit. Est enim persona, ut dictum est, naturæ rationabilis individua subsistentia. Si autem Christus est duæ personæ, quæ est igitur hominis Deique facta conjunctio? Num scilicet ita facta est, quasi, id est sicut fit cum duo corpora, id est vel duo lapides, vel duo ligna, vel lapis et lignum, vel hujusmodi alia corpora sibimet apponuntur, ut videlicet tantum locis illa corpora juncta sint, id est et ex alterius qualitate nihil perveniat in alterum? quem conjunctionis modum Græci vocant κατὰ παράθεσιν hoc est secundum appositionem. Nam κατὰ Græce, secundum Latine, κατὰ ad, θέσις positio. Diligenter attende quod his verbis breviter et obscure significatum est, diversos scilicet esse conjungendi quælibet modos. Ait enim quod duo corpora ita sibi conjunguntur, quod in alteram nihil ex alterius pervenit qualitate. In quo innuit, quod etiam ita sibi invicem aliqua conjunguntur, ut in alteram B ex alterius qualitate aliquid perveniat. Niger enim lapis albo lapidi appositus, loco quidem alter alteri juxta est, sed neque qui niger est albi qualitate dicitur albus, neque qui est albus, nigri qualitate dicitur niger. Ligno autem ferrum vel aurum apponitur, et dicitur quidem appositionis habitu lignum ipsum ferratum vel auratum; sed nondum ferri vel auri qualitas prædicatur de ligno. Contingit tamen in hujusmodi appositionibus etiam alterius ad alterum quadam denominatione qualitatis nomen transumi, ipsam vero qualitatem nequaquam in altero fieri, ut in vestium seu armorum appositionibus, Vestis enim sorde vel pulchritudine, et armorum pictura, sordidus, aut pulcher, aut pictus, is cui hæc apponuntur dicitur, cum tamen in illius substantia hæc minime fiant. Est autem cum non modo nomen alterius denominatur in alterum, verum etiam reipsa qualitas alterius fit in altero: ut dulcedo vel aciditas appositorum fit in vase, vel pomi odor in manu. Sed in his omnibus C attendendum est, quod non fit aliquod unum ex eo quod apponitur, et ex eo cui apponitur. Non enim est aliquid unum naturaliter ex appositis sibi lapidibus, albo et nigro; neque ex ligno et ferro, vel ex ligno et auro, neque ex homine et ejus vel veste, vel armis; neque ex pomo et manu. Ex carne autem et ossibus, et quibusdam aliis fit unum corpus animalis, et ex corpore et anima unum animal. Ut ergo melius intelligi possit in qualibet persona illorum ex quibus ipsa constat compositio, altius incipiendum est. Omne quod est, aut simplex aut compositum est. Quid autem sit simplex, et quid compositum, in libro qui est de bonorum Hebdomade, dictum est. Ibi namque septimo præpositorum termino, sive regula, simplex ita diffinit: Simplex est quod esse suum et id quod est unum habet. Octavo vero termino, de eo quod est compositum, ait: Omni composito aliud est esse, aliud ipsum est. Hæc autem ex quo sensu accipienda sunt, dictum est; unde manifestum est unum esse aliquid in quo diversa sibi invicem conjuncta dicuntur, cui uni sunt esse omnes D speciales, et hæ ex quibus speciales constant subsistentiæ illorum quæ in ipso sibi invicem conjunguntur, et præter has illæ etiam quæ in eodem creantur ex habitu conjunctorum. Ut homini, qui ex corpore et spiritu sibi conjunctis unus est, sunt esse omnes corporis atque spiritus subsistentiæ, et aliæ quædam quæ in ipso ex eorum fiunt concursu. Idem vero homo, ex his quæ subsistentiis adsunt qualitatibus, et mensuris intervallaribus, aliquid est. Et quoniam hominis ex corpore et spiritu compositio ita sit, quod nec utrumque nec alterum in eo confunditur, omnes illæ quas modo diximus subsistentiæ et qualitates et intervallares mensuræ, imo etiam intervallarium termini, de ipso homine recte dicuntur. Hæc enim spiritus corporisque conjunctio compositio est, non commistio. Non enim omnis compositio commistio est, sicut non omnis conjunctio compositio est. Omnis vero commistio compositio est

Unum enim aliquid in esse mista componunt; sed vel alterius vel utriusque qualitates aliquas mixtura confundit. Ut cum album nigrumque miscentur, neque componentia neque compositum albi et nigri retinent qualitates, sed alterius speciei afficiuntur colore. Quæ vero sine commistione fit compositio, ipsis componentibus suas quascunque naturas, et ut eædem dicantur de composito, facit, sicut corporis et spiritus naturæ, non modo de corpore et spiritu, verum etiam de homine vere dicuntur, et aliæ quædam quæ in ipso, sicut dictum est, ex eorum fiunt ad compositionem concursu. In quo diligenter est attendendum quod etsi quandoque non ejusdem sint generis, quæ sibi in compositionibus conjunguntur, semper tamen in aliquo sunt ejusdem rationis. Quamvis enim corpus et spiritus diversi generis sint, in hoc tamen sunt ejusdem rationis, quod utraque his quæ prædicantur supposita sunt, ipsa vero impossibile est prædicari. Nunquam enim id quod est prædicatur, sed esse et quod illi adest, prædicabile est et sine tropo, non nisi de eo quod est. Simplices quoque subsistentiæ diversorum suntgenerum: ut rationalitas, animatio; una tamen eorum est ratio, qua eorum quæ sunt esse dicuntur; ideoque id quod est totum esse componunt. Esse vero et id quod est, nec ejusdem sunt generis, nec ejusdem sunt rationis; et idcirco illorum conjunctio compositio esse non potest. Quodam tamen rationali habitu interveniente, unum quiddam est, sive simplex, sive compositum: quod ita mens concipit, ut in eo id quod est et esse, vel quod ei adest genere et ratione, esse diversa cum assensione percipiat. Videt enim in illo uno, et ipsum esse quo id quod est sit, et etiam id quod est, quod illo esse sit. Videt et quædam alia quæ proprietatis ratione adsunt quidem ipsi esse, insunt vero, vel extrinsecus affiguntur ei quod est. In hoc igitur uno id quod est habet esse quo est, et ea quæ ipsum esse quoquomodo sequuntur. Ipsum quoque esse et ea quæ ipsum sequuntur habent id quod est, de quo vere dicantur. Quæ nisi diversa essent, habere haberique non possent. Nihil enim omnino vel esse in se, vel habere se potest, nec aliquo modo sibi conjungi; diversa igitur inter se sunt quæ sibi invicem conjunguntur. Sed si omni genere omnique ratione, etsi in uno, conjunguntur, minime tamen vel in eo commisceri vel illud componere possunt. Ex his igitur apparet diversus esse modos diversa sibi invicem conjungendi; et quandoque unum esse in quo diversa sibi conjunguntur, quandoque vero non esse unum. Unum quoque in quo diversa conjunguntur, quandoque simplex esse, quandoque compositum; in eo autem quod compositum est, quandoque alterum, quandoque utrumque, quandoque neutrum componens commistione confundi; quæ autem omni genere omnique ratione a se diversa sunt, nequaquam sibi; componi; compositum quoque a componentibus nunquam omni genere, nedum omni ratione posse esse diversum: imo si sine commistione est compositio, quorum sunt naturaliter generum componentia, eorumdem quoque esse compositum. Sed hæc omnia non nisi de rebus creatis intelligi volumus. In theologicis enim aliqua quidem similiter, aliqua vero aliter esse, sequentia nos docebunt. Non enim omnia neque nulla quæ in naturalibus aut mathematicis intelliguntur, in theologicis accipienda sentimus; ideoque subtilissimæ atque exercitatissimæ philosophiæ esse, communes utrieque et proprias singulorum rationes notare. Et hæc quidem propter imperitos, qui diversarum facultatum rationes, aut communicant proprias, aut appropriant communes, tetigimus; nunc ad propositum redeuntes, dicimus quod cum tot sint rerum sibi invicem conjungendarum modi, illam conjunctionem, quæ est naturarum duarum, divinæ scilicet et humanæ, in Christo, inferius contra Eutychen non esse per commistionem: hic vero contra Nestorium non esse, per appositionem, ostendit. Quasi; Quæro num Dei hominisque A conjunctio κατὰ παράθεσιν, hoc est secundum appositionem, facta sit.

Sed si ita, id est secundum appositionem humanitas divinitati conjuncta est, etc.] Diligenter attendendum est quod cum dixerit, quæ est facta hominis Deique conjunctio, nunc non dicit homo Deo, sed humanitas divinitati conjuncta est. Per quod innuit quod cum dicebat hominis Deique, volebat intelligi humanitatis divinitatisque. Recte utique quoniam et catholicos et Nestorium secundum illam naturæ significationem, qua diffinitur: Natura unamquamque rem informans specifica differentia, duas in Christo naturas constituere superius dixerat. Neque vero aliter intelligi potest quæ dicitur in Christo hominis Deique facta conjunctio. Est enim regula generalis, non uni tantum rerum aliquarum addicta generi, nec uti tantum facultati, sed in omni facultate et omni rerum genere per se nota et necessaria, quod videlicet quæcunque sibi invicem conjuncta sunt, inter se suis B proprietatibus sunt diversa. Non igitur illi qui Deus est, ille qui homo est, in Christo potest esse conjunctus. Non enim est in Christo qui homo sit; sed ipse sicut est Deus essentia, ita est homo subsistentia. Ipse vero sibi conjunctus esse non potest, quoniam non est a se sui proprietate diversus. Cum ergo dicitur hominis Deique in Christo facta conjunctio, ab eo qui est homo, ad id quo homo est, id est ad hominis naturam et subsistentiam, quæ vocatur humanitas, quam et mathematica speculatio ab eo qui homo est abstrahit, concedere debet et dicentis et audientis intelligentia, et illam credere in Christo, qui solus est Deus et homo, divinitati esse conjunctam. Illud enim lectoris vigilantia debet attendere acceptis dictionum significationibus, quibus significatorum propositi conveniat ratio, et de quibus interpres id quod dictum est intelligendum explanet; verbi gratia: si quis dicat, homo est risibilis; item, homo est individuorum forma: hominis nomen quidquid in una id C in altera affirmatione significat, id est, et id quod intelligitur homo, et id quo esse debet homo Quorum significatorum illud, quod primum exposuimus, grammatici vocant substantiam. Illud vero quod secundo exposuimus, cujuscunque generis sit in omni facultate, qualitatem appellant. Sed in prima affirmatione non id quo est homo, id est nominis qualitas, sed is qui ea est homo, id est substantia nominis risibilis esse proponitur. In secunda vero affirmatione non is qui est homo, sed id quo est homo, id est nominis qualitas individuorum forma dicitur. Similiter si quis dicat, animal est sensibile, animal est genus hominum: item, sensibile est corpus, sensibile est differentia; item, risibile est homo, risibile est proprium hominis; item album est corporeum, album est accidens: quamvis eisdem nominibus rerum suppositio in propositis enuntiationibus fiat, priores tamen de substantiis nominum, secundæ vero de qualitatibus eorumdem intelligendæ sunt. Et hujus- D modi infinitæ sunt orationes, quæ sub eisdem nominibus non modo æquivocis aut quolibet schematis genere translatis, verum etiam univocis, de aliis atque aliis debere intelligi, ipsa rerum proprietas, et orandi regula prudentem docet interpretem. Omne vero nomen, diversa significat, substantiam videlicet et qualitatem. Ut album, id quod appellatur album, quod est substantia nominis; et id quo appellatur album, quod est ejusdem nominis qualitas. Sub eodem igitur nomine quod est album, si quis dicat, album est corpus, album est accidens, rerum proprietatem secutus interpres, sicut dictum est de eo quod appellatur album, quod vere est corpus; hoc vero de eo quo appellatur album, quod vere est accidens, interpretabitur. Neque enim id quod album est accidens esse, neque id quo album est corpus esse, rerum ipsarum permittit proprietas. Similiter ergo cum dicitur hominis atque Dei in Christo facta conjunctio, non debet intelligi quod is qui homo est et is qui Deus est in Christo conjuncti sint. In eo

namque nihil est quod sit homo quod ei qui in illo Deus sit intelligatur conjunctum. Sed ipse Christus qui Deus est, etiam homo est, qui nulla ratione sic potest conjungi. In ipso itaque divina essentia, qua Christus est Deus, et humana subsistentia, qua ipse est homo, recte intelliguntur conjunctæ, et ex sensu accipiendum est quod dicitur, hominis Deique facta conjunctio. Quod etiam ita accipiendum, auctor, sicut jam diximus, declaravit, cum eumdem sensum repetens, dixit: Sed si ita humanitas divinitati conjuncta est. Ne ergo lectorem decipere possit aliqua dictio, quæ cum sensum aurium sono excitat, in quacunque oratione ponatur, offert menti quæcunque significat, rerum proprietatem, quam apud philosophos didicit recolat, et loquendi rationes quas logica ministrat attendat; atque σύνταξιν ex grammaticorum, λέξιν ex dialecticorum seu sophistarum, ῥῆσιν ex rhetorum locis considerans, de tot significatis id quod ad propositum pertinet, convenientium illi rationum adminiculis, eligat. Et ut de cæteris orandi taceam speciebus, in affirmationibus, quæ res subjecta cujus rei prædicatæ suscipit nomen, inter cætera quæ significantur, notare contendat, ibique mentis suæ intellectum constituat. Quod quidam, qui cum nihil intelligant, omnia judicant, homines impudentissimi, desipientia sapientissimi, absque discrendi ratione disertissimi, minime cogitant attendendum. Ideoque non ex sensu mentis ejus qui loquitur verba, sed ex verbis sensum, et alium sæpe quam illum cui sunt articulata, accipiunt, in his etiam quæ ipsi proferunt verba non intelligentes, neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant. Unde cum audiunt hominis Deique factam in Christo conjunctionem, putant quod is qui homo est et is qui Deus est in Christo dicantur conjuncti. Quemadmodum si dicantur humani spiritus, qui anima vocatur, corporisque in Christo facta conjunctio; recte intelligitur non modo id quo anima est spiritus, et quo caro est corpus, id est, spiritus corporisque naturæ, verum etiam ipsa anima quæ est spiritus, et ipsa caro quæ est corpus, esse in Christo, ibique esse conjuncta. Sed non ita potest accipi, cum dicitur hominis Deique conjunctio in Christo facta: scilicet utilis qui homo est et is qui Deus est intelliguntur esse conjuncti; sed tantum divina essentia et humana subsistentia, id est divinitas et humanitas. Neque vero hæ per apprehensionem humanitas divinitati conjuncta est, nihil (*supple*) unum. Nam et ipse in sequentibus addet. Nihil (inquam) naturaliter unum, ex horum utrisque confectum est: videlicet non ex his alicujus unius constat proprietas. Quocirca nec Christi. Ac per hoc, Christus nihil est, scilicet non est aliquid naturaliter unum, quod tamen est. Nomen quippe ipsum quod est Christus, unum quiddam significat, id est, ipsum qui dicitur Christus, et ex multis collectam proprietatem, qua dicitur Christus, et hoc intelligitur ex singularitate hujus vocabuli, quod est Christus.

Ac si.] Quasi: Vocabuli singularitas unum ostendit. At qualiter unum sit videndum est. Non simpliciter unus non est, qui secundum Nestorium, ex eo qui Deus est et ex eo qui homo est conjunctus est. Certum est autem quoniam qui Deus est, est etiam persona. Persona vero personæ nisi secundum appositionem conjungi non potest. Si vero duabus personis manentibus, illa videlicet quæ est Deus, et illa quæ est homo, ea conjunctio naturarum, id est divinitatis et humanitatis, facta est, quale superius diximus, hoc est secundum appositionem. Quasi: quæ Deo et homine manentibus personis aliter fieri non potest, nihil unum ex duobus effici potuit. Attende quod ait: Si humanitas divinitati secundum appositionem conjuncta est, nihil unum ex utrisque confectum est; et quando secundum appositionem fieri intelligenda sit, ostendit cum ait: Si duabus personis manentibus conjunctio fit earum. In quo manifeste demonstrat quod nulla est naturarum secundum appositionem A conjunctio, nisi earum subjecta in quibus ipsæ sunt vel de quibus prædicantur sibi invicem secundum appositionem conjuncta sunt. Nam in corpore animalis, carnis et ossis naturæ non appositione, sed compositione conjunctæ dicuntur: quoniam caro et os in ipso corpore animalis, non appositione, sed compositione conjuncta sunt. Nam quandocunque ea quæ sunt aliquod subsistens componunt, et ea quibus sunt ipsa componentia totius subsistentis illius proprietatem componunt. Non autem universaliter convertitur. Sæpe etenim alicujus subsistentis proprietas ex multis est naturis composita, ipsum tamen subsistens simplex ex nullis subsistentibus constat. Ut animæ illa specialis subsistentia, qua ipsa est et dicitur anima, ex diversis subsistentiis constat. Item attende quod non ait: si duobus quæ sunt manentibus; imo ait, si duabus personis manentibus ea conjunctio, etc. Plurima enim sunt quæ personæ non sunt, quorum aliqua secundum appositionem, aliqua B secundum compositionem sibi invicem conjunguntur, ut lapis lapidi: quandoque sola appositione, quando compositione conjungitur. Sed persona personæ nunquam componitur. Omnino enim nihil unquam ex duabus personis fieri potest. Ideoque nec earum naturæ naturam aliquam componere possunt. Sed secundum personarum, quæ quandoque contingit, ad se invicem appositionem, earumdem quoque naturæ ad sese dicuntur appositæ. Si igitur Deo et homine duabus personis manentibus, naturarum Dei et hominis est ad se invicem facta in Christo secundum appositionem conjunctio non est una ex ipsis Christi facta proprietas, et quoniam nihil nisi proprietatis suæ singularitate unum est, consequitur quod secundum Nestorium, qui, qualiter dictum est, Deo et homine, duabus personis manentibus, duas in Christo naturas sibi invicem non compositione, sed appositione junctas opinatur, nihil unum est Christus. Ac per hoc omnino nihil, vere. Quod enim non est unum, C nec esse omnino potest; sicut etiam quod non est, non est unum. Est enim philosophis multarum propositionum locus, et per se nota propositio, quod esse atque unum, universaliter convertitur. Quodcunque enim est, unum est; et quodcunque unum est, est. Verbi namque singularitatem suppositæ rei singularis proprietas exigit. Sicut et pluralitatem verbi rerum suppositarum illa quæ uni convenire non potest proprietatum diversitas. Ut si quis de Platone loquatur, sive unum sive multa de ipso affirmet, vel neget, verbo singulari hoc faciet. Non enim dicet, Plato legunt, sed legit. Nec Plato sunt, sed est homo albus, astrologus, et hujusmodi alia. Si vero Platonem et Ciceronem supponat, non dicet, Plato et Cicero est, sed sunt hoc vel illa. Nisi forte verbi tropo prædicati nominis singularitati singularitas ipsius verbi reddatur: ut omnia Cæsar erat. Ergo quicunque dicit sunt, de pluribus; qui vero dicit est, de uno se loqui secundum præcepta grammaticorum significat. D Est autem illud unum quandoque simplex, ut anima; quandoque compositum ut animal; et aliquando continuum, ut corpus animalis; aliquando disgregatum, ut acervus. Tamen, sicut simplex, ita et compositum suæ proprietatis singularitate est unum. Nec modo illa quæ linearum suarum terminis interpositis sunt continua, ut corpus animalis: aut quolibet alio modo sine disgregatione junctissima, ut ipsum animal, absque spiritus corporisque dissolutione; verumetiam ea quæ ex pluribus a se invicem disgregatis conjunguntur, ut acervus lapidum, aut hujusmodi aliquorum, chorus tritici, aut leguminum, aut hujusmodi aliorum, suæ tamen proprietatis singularitate unum sunt.

Sed esse, etc.] Quodcunque est, unum est. Sed esse Christum, id est quod de Christo verbi singularitate dicatur, est, coram omnibus, et absque multiplicitate sensus manifeste ac sine falsitate alicujus admistione veraciter confitemur; et quoniam quodcunque est, unum est, et Christus est: unum igitur

esse proprietatis suæ singularitate, dicimus Christum. Quod si ita est, ut utique est, non sunt in Christo Deus et homo duæ personæ, sed sicut ipse proprietatis suæ singularitate unus est, ita quoque ejusdem proprietatis naturali dissimilitudine unam ejusdem Christi sine dubitatione personam esse necesse est: et vere. Si Christus, qui est et Deus et homo, qualiter diximus, unus est, non sunt in ipso Deus et homo duæ personæ. Nam si Deus et homo essent in illo duæ personæ, ipse non posset esse unus Christus. Quasi: Sed essent duo Christi, unus ille qui esset unus Deus, alter ille qui esset homo. Dicere vero duos esse Christos, unus qui Deus sit, alius qui homo sit, nihil est aliud nisi insania mentis præcipitatæ, a sua quasi quadam altitudine rationis. Cur enim omnino duos illos, videlicet unum hominem, alium Deum, audeat Nestorius vocare Christos? Quasi: Nulla omnino est ratio. Atque idem admirans idem repetit, ut rationem illam qua quælibet quibus ipsa convenit possunt duo vocari, ab istis removeat. Ait ergo: Vel cur eum qui Deus est vocet Christum, si eum quoque qui homo est, appellaturus est Christum, cum is qui natura Deus est, et is qui natura homo est nihil habeant naturaliter simile, et ut alio nomine idem dicatur, nihil habeant conjunctum ex Dei atque hominis facta, imo si maneant duæ personæ, ficta copulatione? Sensus: Cur simili nomine abutatur in diversissimis naturis? cum scilicet, si cogitur Christum diffinire, utrisque (ut ipse dicit) Christis non possit adhibere unam substantiam diffinitionis, id est substantialem, saltem secundum substantiam formæ, etsi non secundum formam substantiæ diffinitionem. Hæc enim sola ratio quæ cujuslibet nominis appellatio naturaliter est communis, si videlicet qualitas secundum quam est nomen illis quorum est nomen, tota formæ substantiæ est communis, ut homo vel album. Quæ communio inter Deum et hominem, neque secundum aliquam subsistentiam, neque secundum aliquod accidens esse potest: quoniam Deus et homo nullo genere, nullo accidente possunt esse conformes; et ita nomen hoc quod est Christus, de Deo et homine, personis videlicet tam genere quam individuali proprietate inter se diversis, univoca appellatione prædicari non potest: Vere; etenim, si Dei atque hominis diversa secundum genus substantia est, ut utique est, unumque nomen Christi, in utrisque, id est uterque appellatur, hoc nomen quod est Christus, nec conjunctio diversarum substantiarum, id est divinæ essentiæ et humanæ subsistentiæ, unam quod in principio erat personam creditur fecisse quod non erat, id est gigantem geminæ substantiæ, æquivocum est nomen Christi, id est nomen hoc quod est Christus, et nulla una diffinitione potest concludi; quasi: Quod non est verum. Sensus: Neque univoca, neque æquivoca appellatione duarum in Christo personarum, nomen est Christus.

Quibus autem, etc.] Hucusque dialecticis ratiocinationibus unam esse personam Christi non duas ostendit. Nunc rhetorum utens firmamento, multa breviter tangit, quibus idem firmissime ostendit. Quasi duos dicere Christos, unum Deum, alterum hominem, nulla ratio habet. Auctoritas autem, qua hoc posse astrui videatur, similiter nulla est: nam quibus unquam Scripturis ad intelligendum Deum et hominem nomen Christi geminatur? Ac si dicat: nullæ. Quid vero novi, hoc est, quid novum per adventum Salvatoris effectum est, si in hominis quæque creditur a Deo facta assumptione, Deus atque homo diversæ manserunt personæ? Hic si quis dicat, creditur ne in hac assumptione aliqua novitas facta? Respondemus: Ita utique. Nam catholicis et fidei veritas, et raritas miraculi constat, in eo quod Deus dicitur hominem assumpsisse. Hoc autem miraculum ex his ex quibus admiratio solet contingere, videlicet ex rei magnitudine atque novitate. Quam enim magnum est, hoc quamque novum! Quasi: Nihil tam novum tamque magnum est, quam magnum A est atque novum id quod semel nec ullo alio sæculo possit evenire, ut scilicet natura ejus qui est solus Deus, conveniret compositione cum humana natura, quæ erat ab eo diversissima; atque ita ex distantibus naturis fieret copulatione una persona.. Diligenter attende quod ait, fieret copulatione una persona; et non intelligas quod naturarum copulatione fieret persona, sed quod fieret copulatione una. Non enim quod erat factus est Christus, sed quod non erat. Erat autem Deus et Filius Dei, et persona, et unus, sed sine diversarum naturarum copulatione. Si quis ergo quærat, Christus quid factus est? nemo respondebit quod ipse sit factus Deus, vel quod sit factus Filius Dei, vel quod sit factus persona, vel quod sit factus unus; sed quod sit factus diversarum naturarum copulatione unus. Quid unus? Unum totum, unum compositum, et hujusmodi. Et hæc est mirabilis novitas. Solent quidem usu nascentium, qui vocatur natura, in una persona plurima diB versarum specierum conjungi: ut carnes, ossa, sanguis, cholera, et hujusmodi, et cum his omnibus anima, quæ tamen inter se aliquo genere et aliqua ratione conveniunt. Item subsistentiæ generales et differentiales, quæ partes sunt spiritalium subsistentiarum; et accidentia, quæ etiam numerantur in partibus personalium proprietatum, quæ inter se quandoque aliquo genere semper aliqua ratione conveniunt; sed quod omni genere omnique ratione diversa aliquod unum componerent, nulla unquam consuetudo nascentium habuit; quod tamen in ea persona quæ Christus vocatur, factum est, in qua divinæ essentiæ conjuncta est humana subsistentia, quæ ab ea non modo omni genere, verum etiam omni ratione intelligitur esse diversa: illa enim est essentia, ista est subsistentia; illa sine principio, hæc est principio; illa creator est, ista creatura aliquid est. Unde harum in Christo facta conjunctio, novitas est. Secundum Nestorii vero sententiam, qui C sicut erant ante incarnationem Christi divinitas et humanitas, videlicet sine aliqua sui inter se copulatione, ita Christo incarnato dicit eas manere, quid contigit novi? Ac si dicat, nihil, quod ex verbis ipsius manifestum est; inquit enim: Humanitas divinitasque servant proprias personas, id est, sicut ante incarnationem Christi, Deus et homo erant diversæ personæ, ita et post incarnationem. Et quasi hoc omnibus debeat esse indubium, quadam id admirationis forma confirmat, dicens: Quando enim non fuit propria divinitatis una, itemque propria humanitatis alia persona? Quasi: Quando non fuit Deus alia persona quam homo, et alia homo quam Deus? Quando vero non erit? Quasi: Semper fuit, et semper erit, alia hic ab illa; vel quid amplius? Quasi: Quid novi contigit? etc. Vel quid amplius contigit in generatione Jesu, quam in generatione cujuslibet alterius hominis, si discretis utrieque personis, id est Deo et homine, discretæ etiam fuere naturæ, id est D divinitas et humanitas? Ita enim, qualiter dictum est, discretis videlicet manentibus personis, id est, Deo et homine, illic, hoc est in generatione Jesu, nulla conjunctio naturarum, divinitatis scilicet et humanitatis, potuit esse, ut in quolibet homine, id est in cujuslibet hominis generatione; cujus hominis Deo auctore atque operante generati, cum propria, et adeo per proprietatem suam discreta persona subsistat, nulla divinitas, non dico Græce secundum munus vel muneris quemlibet usum, sed dico excellentissimæ substantiæ, id est essentiæ est ei, hoc est, ejus humanæ naturæ aliqua compositione conjuncta. Deus enim, qui nusquam non est, ubique suæ substantiæ plenitudine totus est, ideoque in omni homine est, cui etiam ad aliquos usus Pater et Filius donant Spiritum suum. Sed nullus illorum essentia divinitatis suæ humanitati qua homo est compositæ Deus est, Jesus autem solus est, in quo omnis plenitudo divinitatis est: nam et sicut ubique et extra omnia, ita in ejus humano corpore atque

spiritu Pater, et Filius, et eorum spiritus totus est, spiritus quoque Patris, et suus ad quoscunque usus, idem Jesus vult, in ipso est. Pater quoque in ipso est personali proprietate, alius ab ipso; sicut et Spiritus sanctus in ipso, personali proprietate alius est ab ipso. Ipse vero in se esse non potest, unde cum ipse dixisset : Pater in me est, non subjunxit, et ego in me; sed potius, et ego in Patre. Sunt ergo in Filio, Pater et Spiritus sanctus, personalibus proprietatibus ibidem, sicut et ubique alii ab ipso : ipse vero, non in se, quoniam personali proprietate a seipso alius esse non potest; in corpore tamen ejus et anima, sicut dictum est, et Pater, et Filius, et Spiritus sanctus, totus est, et personalibus proprietatibus diversi a corpore ipsius et anima. Nam neque corpus ejus neque anima, est vel Pater, vel Filius, vel Spiritus sanctus. Essentia vero qua Filius cum Patre et Spiritu sancto idem singulariter et individualiter est, subsistentiis corporis ejus et animæ, imo toti humanitati in ipso conjuncta est, quod in nullo homine alio factum est. Unde nullus aliorum, quamvis in eorum corporibus atque animabus, imo in ipsis Pater, et Filius, et eorum Spiritus sit, quamvis etiam illis a Patre et Filio et Spiritus sanctus datus sit, et multæ gratiæ in eodem Spiritu, nullus unquam divinitatis essentia Deus est. Ipse vero cujus essentiæ humana subsistentia conjuncta est, et Deus et homo est.

Sed * *fortasse Jesum*, etc.] Superius cur duos Nestorius Christos, unum Deum, alterum hominem diceret, admirans quærebat, cum neque univoca appellatione possent, neque æquivoca, præter Scripturarum usum deberent duo Christi dici. Nunc quod nec etiam nominis translatione eosdem, id est Deum et hominem, duos dici Christos conveniat, ostendit. Quasi : Deum et hominem, quos in ipso duas dicit Nestorius esse personas, cur appellet Christos miror, cum nihil simile habeant, etc. Sed fortasse Jesum, id est personam hominis, illam videlicet personam quam in Christo hominem esse putat, idcirco vocet Christum, quoniam divinitas quædam, mira quædam sit operata per eum. Quasi : sicut Scripturæ de venturo Messia promiserant. Esto. Quasi : Concedatur hoc. Deum vero ipsum, illam videlicet personam quam in Christo putat esse Deum, cur vocet appellatione Christi? Quasi : Vocet illam quoque Christum eadem causa? Quoniam scilicet divinitas mira quædam sit operata per eum? Ac si dicat : Non convenit. Si vere Nestorius dicat illam personam quam in Christo esse hominem putat, hac de causa recte vocari Christum, quoniam divinitas mira quædam sit operata per eum, quæro cur non ipsa quoque elementa, id est, terram, aquam, aerem, ignem, simili vocabulo audeat appellare, per quæ Deus mira quædam quotidianis motibus, generationis, corruptionis, augmenti, diminutionis, alterationis et etiam secundum locum mutationis, operatur. An infirmabit similitudinis rationem, dicens non ad rem pertinere quod de elementis opponimus, ideo quia irrationabiles substantiæ non possunt, sicut supradictum est, habere personam, id est esse personæ quæ Christi vocabulum excipere possint? Quasi : Non valebit, quoniam et irrationabiles substantiæ plurimæ sunt quæ et personæ sunt, et per eas mira quædam divinitas operatur, nulla tamen earum Christus vocatur. Nonne etenim in quibusdam hominibus, in se sanctis, ac quantum ad alios, divini cultus pietate conspicuis, apertus Divinitatis actus aguoscitur, quorum tamen, ac si dicat, nemo Christus vocatur? Ideoque illa persona in Christo quam putat esse hominem, non idcirco appellabitur Christus, quoniam per eum mira quædam sit operata divinitas. Nihil enim interrerit cur non sanctos quoque viros, per quos Deus mira operatur, nec eorum subsistentiis, quibus aliquid sunt, copulata divinitas eadem appellatione dignetur, ut scilicet vocentur Christi, si persona quæ

A est Christi, quæ sicut semper fuit Deus, ita semper fuit persona, in assumptione humanitatis non est ex conjunctione divinitatis et humanitatis una.

Sed forsitan, etc.] Quasi : Nihil intererit cur non sanctos quoque viros, etc. Sed forsitan dicat Nestorius illos quoque, id est sanctos, per quos mira quædam est operata Divinitas, vocari Christos : fateor, sed non veros Christos, imo ad imaginem veri Christi : et quare ad imaginem ejus, paulo post dicet. Quod si nulla una persona conjuncta est ex homine atque Deo, id est, si personæ unius proprietas ex humana atque divina natura non constat, arbitrabimur omnes illos qui vocantur Christi, non ad imaginem veri Christi Christos vocari, sed ita veros Christos esse, ut arbitremur hic esse verum Christum qui creditur genitus esse de Virgine. Et quare arbitramur, supponit : Nulla quippe persona secundum Nestorium, in hoc Christo vero est adunata ex Dei atque hominis copulatione, id est hujus personæ B quæ est Christus, qui esse cœpit nunquam persona, individualis proprietas minime intelligenda est ex divina et humana natura constare, sed Deum et hominem in Christo diversas esse personas. Sicut nec in eis, sanctis videlicet, qui Dei Patris, et ipsius Christi ejus Filii, Spiritu sancto sibi per gratiam dato, de venturo in carne Christo prædicabant, quorum scilicet personales proprietates nequaquam ex divina et humana natura erant compositæ : sed unusquisque illorum erat persona, et Spiritus Patris et Filii, illis ab eodem Patre et a Filio datus, alia ab ipsis erat persona, ad usus diversos vere illis data, et ad hunc usum maxime, ut, sicut jam dictum est, de venturo Christo prædicarent. Propter quod, hoc est, cujus ipsorum cum Christo consortii ratione, ipsi quoque appellati sunt Christi, quia per hoc quodam modo erant ejus, quem sua prædicatione ostendebant, imago.

Jam vero, etc.] Quasi : His quæ diximus patet Deum et hominem non esse in Christo duas personas. C Jam vero sequitur id quod omnino indubium est, ut scilicet Deo et homine in Christo secundum Nestorium manentibus diversis personis, nullo modo credatur humanitas esse assumpta a divinitate, quod tamen recte credentium fides habet. Diligenter attende quod dicitur a divinitate assumpta humanitas, et non tam ex dictionibus sensum, quam ex sensu dictiones judicaturus, quid secundum grammaticos locutio, quid secundum rhetores elocutio lectoribus intelligendum ministret, ex rerum ipsarum proprietatibus disce. Auctores enim consueverunt dictionibus sensus eisdem sæpe diversos, sæpe diversis eosdem proferre. Ex eodem enim intellectu dictum invenitur, et Deus assumpsit hominem, et divinitas assumpsit humanitatem, illud personæ, hoc naturarum nominibus. Illa enim nomina, id est Deus, homo, a naturis quidem diversis, sed tamen personæ unius sunt nomina. Hæc vero, id est divinitas et humanitas, naturarum sunt nomina; sed illa, hoc est Deus D et homo, quandoque ex intellectu personæ, quandoque ex intellectu naturarum, utraque quandoque alterum pro persona, alterum pro natura intelligenda ponuntur. Similiter et hic, id est divinitas et humanitas, aut utraque pro naturis, aut utraque pro persona, aut alterum pro persona, alterum pro natura dicitur. Nam cum dicimus, Deus assumpsit hominem, et divinitas assumpsit humanitatem, ex eodem hic dicimus sensu, et ibi Deus et hic divinitas ad intelligendam personam; hominem vero et humanitatem, ad intelligendam naturam his orationibus proferuntur. Non enim assumpsit persona personam, neque natura naturam, neque natura personam, sed tantummodo persona naturam : formam enim servi nihil nisi Christus accepit. Sed Nestorius audiens, Deus assumpsit hominem, putat intelligendum quod qui Deus erat eum qui homo est assumpserit; quod esse non potest, nam unus si

* In textu supra, col. 1346, legitur : *Esto vero, Deum.*

idem est Christus, videlicet qui et Deus erat, et homo est, qui se ipse ipsum nulla ratione assumere potuit: quia non nisi diversorum ulla potest esse assumptio. Quod si in Christo unam putat esse personam illum qui Deus erat, alteram vero esse personam illum qui homo est, atque illum qui Deus erat eum qui homo est assumpsisse, hoc quoque impossibile est. Nam sicut omnino idem, ita omnino diversum assumi non potest. Non vero sunt aliqua inter se magis diversa quam ea quæ omni genere et personalibus proprietatibus diverso sunt. Non indefinite dicimus genere, sed universaliter omni genere. Nec dicimus quibuslibet proprietatibus, sed personalibus proprietatibus. Sunt enim quæ differunt genere, sed non omni: ut lapis et lignum, quæ tamen uno genere corpora sunt, et differunt proprietatibus, sed non personalibus, ideoque unum aliquod componere possunt: ut domum, vel hujusmodi aliud. Sunt etiam quæ omni genere, ac per hoc totis proprietatibus, sed non personalibus, et idcirco in uno esse possunt: ut color et superficies, quæ nullo genere, nulla proprietatum naturalium parte conveniunt; et tamen in uno sunt, quoniam earum proprietates personales non sunt. Non enim color per se a superficie unus, cujus proprietas id non efficit ut cum superficie in uno esse non possit. Item sunt quædam quæ proprietatibus etiam personalibus differunt, et tamen omni genere suo et specie etiam conformia sunt: ut Plato et Cicero. Sunt etiam quæ conveniunt, non dico diversarum numero naturarum suarum imaginaria vel substantiali conformitate, sed unius simplicis atque individuæ essentiæ singularitate. Differunt autem personalibus proprietatibus, ut Deus Pater, et ejus Filius, et utrorumque Spiritus. Sed, sicut jam diximus, non sunt horum omnium aliqua a se invicem ita diversa, sicut ea quæ omni genere totisque personalibus proprietatibus differunt. Omnino enim disjuncta sunt quæ æque personis naturisque separarantur, id est quæ personalibus proprietatibus et naturarum dissimilitudine distant, prorsus (inquam) disjuncta sunt. Nec magis, imo nec tantum homines boveseque inter se disjuncti sunt, quam divinitas humanitasque in Christo discreta est, si in assumptione qua Deus hominem creditur assumpsisse, ipsa divinitas et humanitas, id est Deus et homo, mansere personæ. Homines quippe ac boves, a se invicem proprietatibus speciebusque disjuncti, una animalis, hoc est generis communitate, quæ est per substantialem in ipso conformitatem, junguntur. Illis enim, hoc est hominibus et bobus, etsi secundum proprietates et species differentibus, est tamen communis secundum genus substantia. Et qualiter hoc intelligi debet, explanat aliis verbis, eumdem sensum repetens ita: Eademque universalitatis collectione natura. Quod enim dixerat substantia, hoc dicit natura, et quod dixerat communis, hoc dicit eadem; et quod dixerat secundum genus, hoc dicit universalitatis collectione. Propriore etenim Scripturarum usu, substantia, quæ alio nomine dicitur subsistentia, est eorum quæ per eam subsistunt natura; genus vero nihil aliud putandum est, nisi subsistentiarum secundum totam eorum proprietatem, ex rebus secundum species suas differentibus similitudine comparata collectio. Qua similitudinis comparatione omnes illæ subsistentiæ dicuntur unum universale, unum dividuum, unum commune, unum genus, una eademque natura. Hac itaque communi natura homines, sicut dictum est, bovesque junguntur; Deo vero atque homini quid non erit disjunctum diversa ratione, si scilicet sub diversitate naturæ illorum, quæ certa est, quoniam essentiæ Creatoris nulla rei creatæ subsistentia potest substantiali similitudine esse conformis, personarum quoque discretio in Christo mansisse credatur?

Non est igitur, etc.] Quasi: Deo et homine in Christo personis manentibus, nullo modo creditur a divinitate assumpta humanitas. Non est igitur salvatum genus humanum, et item aliis verbis idem dicit: Nulla in nos salus processit Christi generatione, qua a divinitate non esset assumpta humanitas. Tot; quasi: Multorum prophetarum scripturæ illusere populum credentem Christi generatione in se processisse salutem. Omnis auctoritas Veteris Testamenti spernatur, per quam auctoritatem promittitur mundo salus Christi generatione. Manifestum est autem per ea quæ Nestorius opinatur, eam non provenisse, si videlicet in Christo Dei et hominis eadem diversitas est in persona quæ est in natura, hoc est, si in Christo Deus et homo ita sunt diversæ personæ, sicut in ipso divinitas et humanitas sunt diversæ naturæ. Eumdem quippe salvum fecit, quem non ministra originali concupiscentia, sed divina gratia præeunte creditur assumpsisse. Attende quod ait eumdem, et quem, et non intelligas, quod eum qui homo est, Christus qui est Deus, et Filius Dei assumpserit. Hoc enim auctor hujus sui tractatus exputat disputatione: quoniam nulla ratione vel seipsum, vel aliam a seipso personam assumere potuit. Sed ut ipse, qui ut natura Deus erat, et relatione Dei Patris Filius, et individuali proprietate esset etiam homo, assumpsit ea quæ sunt hominis, id est humanum corpus, et humanam animam, et etiam usque ad similitudinem servi formam humanam, et hoc in seipso ab omni reatu atque vitii necessitate per gratiam munda glorificavit; et idcirco dicitur hominem et assumpsisse et salvum fecisse. Si vero quod opinatur Nestorius verum est, hoc est si manet æque in Christo divinæ atque humanæ naturæ personæque discretio, nulla omnino hominis a Deo assumptio intelligi potest. Qui igitur manente hominis persona assumi non potuit, juro non videbitur per Christi generationem potuisse salvari. Non est igitur hoc quoque, quod a catholicis recte creditur et optatur, videlicet per Christi generationem humanam, hominum salvata natura; quod credi nefas est. Ex his igitur manifestum est quod in Christo non sunt duæ personæ Deus et homo, sed ipse Christus una persona est, divina essentia vere Deus, et humana subsistentia vero homo. Sed postquam permulta sint quæ hunc Nestorii sensum de diversitate personarum in Christo valeant impugnare atque perfringere, tamen de argumentorum copia hæc interim libasse sufficiat.

Transeundum quippe est ad Eutychen, qui, etc.] Hucusque errorem Nestorii et posuit et destruxit, nunc errorem Eutychis similiter prius ponit, et postea destruit. Hic etenim cum esset evagatus ab orbitis veterum, hoc est cum dimisisset vestigia antiquorum, cucurrit, id est velociter incidit in errorem contrarium errori Nestorii, asserens tantum abesse a catholicæ fidei veritate quod Nestorius opinatur, ut videlicet credatur, hoc est credi debeat gemina persona esse in Christo, ut ne naturam quidem duplicem esse in eo oporteat confiteri. Ait quippe Eutyches ita esse assumptum a Deo hominem, id est humanam naturam, ut scilicet ea, hoc est talis hominis cum Deo adunatio facta sit, ut natura humana in eo post adunationem non manserit: hujus autem error probabitur ex eodem fonte ex quo error Nestorii, vere. Nam sicut Nestorius arbitratur non posse esse in aliquo naturam duplicem, quin persona fieret duplex: quod ideo arbitratur, quia (sicut supra dictum est) in omnibus naturis putat dici posse personam; atque ideo cum in Christo esse naturam duplicem confiteretur, duplicem etiam esse personam credidit, ita quoque Eutyches non putavit naturam duplicem esse in aliquo sine duplicatione personæ; et ideo cum non confiteretur duplicem in Christo esse personam, arbitratus est consequens esse ut ejus una tantum videatur esse natura. Itaque Nestorius, tam secundum naturalium quam secundum theologicorum rationes recte tenens in Christo esse naturam duplicem, hoc est divinam et humanam, non modo falso contra philosophiæ veritatem, verum etiam sacrilege contra Christianæ fidei religionem, confitetur duas eo

dem esse personas : unam videlicet quæ Deus est, alteram quæ homo est. Eutyches vero recte, quantum ad rei veritatem et catholicam fidem, credens Christum esse unam tantum personam ; et falso contra rationes, et impie contra religionem, credit unam quoque ipsius solam divinam scilicet esse naturam. Qui Eutyches, convictus non argumento quo quæstionis pararetur ambiguum, sed ipsa evidentia rerum : quod recte dico, quandoquidem omnibus, absque quibuslibet extra sumptis inventis, manifestum est aliam esse naturam hominis, aliam Dei, ait se confiteri duas in Christo esse naturas, sed hoc ante adunationem divinæ et humanæ naturæ, unam vero esse post adunationem. Quæ sententia ipsius non aperte quod vult eloquitur, id est cui sensui mentis illius hæc verba, videlicet ante et post sint articulata, et ex quo ipsius sensu prolata sint, certa proprietatis significatione non exprimitur. Nam et ante ex diversi præcedentis, et post ex diversi sequentis temporis intellectu, potest proferri. Ut tamen ejus dementiam perscrutemur, hanc temporum diversitatem divisione exponimus, ostensuri quoniam quodlibet horum temporum quæ manifestabit divisio, velit intelligi, dicendo, ante et post ; tamen impossibile est eam quam ipse opinatur divinitatis humanitatisque fieri adunationem. Dicimus ergo quod adunatio hæc divinæ et humanæ naturæ in Christo, aut tempus generationis ejus, scilicet in utero Virginis facta est, quoniam tunc Verbum caro factum est ; aut tempus resurrectionis, quoniam tunc anima humana, quæ vera Christi morte fuerat ab ejus corpore separata, eidem conjuncta est. Sed si tempore generationis adunatio facta est, quod dicit ante adunationem factam, in Christo naturas illas, divinam scilicet et humanam, fuisse duas : ideo dicit quoniam carnem illam quam Christus assumpsit in Virgine (sicut prædictum est), evidentia rerum convictus, recte dicit a divina natura antequam Christus illam assumeret, esse diversam. Sed de carne illa duarum quas ponemus opinionum unam habere videtur. Videtur enim putare quod Valentiniani putaverunt, videlicet etiam ante generationem Christi fuisse humanam carnem non a Maria sumptam, sed aliquo alio modo, incarnationi illius præparatam ; Mariam vero virginem appositam, ex qua caro illa, quæ ex ea Virgine sumpta non esset, nasceretur ; illam vero carnem quæ ante generationem, sicut dictum est, fuerit, a substantia divinitatis, hoc est a divinitate, et divisam atque separatam, id est omnino diversam ; cum Christus ex Virgine natus est, ita adunatam esse Deo, id est divinæ naturæ, in utraque natura, videlicet divina et humana, videretur esse facta una tantum natura. Vel si hæc ejus non est sententia de carne Christi, quod scilicet non a Maria sumpta sit, illa poterit esse (dicentis duas naturas esse Christi, ante adunationem, unam post adunationem, si, sicut dictum est, adunatio generatione facta est), ut videlicet corpus quidem sumpserit a Maria, quod tenet catholica fides : sed antequam illud sumeret, diversam fuisse ab invicem deitatis humanitatisque naturam : sumptam vero humanam naturam, esse factam unam cum Deitate, atque omnino illam cessisse in substantiam divinitatis, hoc est in ipsam divinitatem. Quod si hanc adunationem non putat esse factam generatione, sed resurrectione, rursus id duobus supradictis modis fieri arbitrabimur, videlicet aut de Maria, aut non de Maria carne assumpta. Christo enim genito, et aut non de Maria assumente corpus, aut ab eadem assumente carnem, arbitrabimur ejus naturas, quas sæpe diximus, divinam scilicet et humanem, duas quidem fuisse usque dum resurgeret ; post resurrectionem vero, unam ex duabus factam, ita (sicut prædictum est) ut scilicet humana natura non manserit.

De quibus, etc.] Errorem Eutychis de unitate naturæ Christi hucusque posuit. Nunc antequam illum destruat, contra illam opinionem qua putare quis potes naturam humanam in Christo fuisse non a Maria sumptam disputat, et nequaquam hoc fieri potuisse demonstrat. Quasi : Aut non assumente, aut assumente Christo de Maria corpus, etc. De quibus verbis nascitur illud disjunctum, quod videlicet interrogabimus, hoc modo dicentes : Natus ex Maria Christus, aut ab ea carnem traxit, aut minime ab ea. Quod si non confitetur Eutyches ex ea Christum traxisse carnem humanam, dicat, quo homine indutus advenerit, id est cujus humana substantia factus homo apparuerit ; et secundum quam divisionem hominis velit sibi dici, quoque ostendit, ipsemet dividens et dicens : Utrumne eo qui prævaricatione peccati, ab honore conditionis humanæ deciderit, an alio indutus ? Si dixerit quod advenerit, indutus eo de cujus semine quadam quasi generationis propagatione ductus est homo, dicat quem præter Mariam, id est cujus alterius substantiam est vestita divinitas ? Et recte quæro quem alium : nam si non ex semine Abrahæ atque David, et postremo Mariæ (quasi), de quibus hoc promissum fuerat, fuit caro illa qua Christus de Maria natus est, ostendat ex cujus hominis carne sit derivatus. Et proprie loquor dicendo derivatus, quoniam post primum hominem, Adam videlicet, omnis caro humana, ex humana carne quadam propagatione diducitur. Mulier namque quæ illi in adjutorium data est, de costa ipsius legitur fuisse formata ; ex his vero et deinceps ex mare et femina, ministra originali concupiscentia, deciso utriusque corpore, quicunque præter Christum generatur. Ipse quoque Christus, non quidem ministra originali concupiscentia, sed sola ineffabili et inscrutabili divina operante gratia, deciso hominis corpore, homo factus est. Sed si quem hominem præter Mariam Virginem Eutyches dixerit, a quo humana generatio Salvatoris sumpta sit ? Duo illi inde inferri posse videntur, quod videlicet et ipse errore suo confundetur, et illusus ipse falsæ opinionis errore, videbitur ab illis qui Scripturas noverunt ascribere sua assertione mendacii notam summæ Divinitati, quæ mentiri non potest ; et recte videbitur, quandoquidem in sanctis, hoc est immutabilitate dictorum firmis divinationibus, id est prophetiis, quibus divino revelante numine plurima quæ humanam latebant rationem manifesta patuerunt, promittitur Abrahæ atque David, non dico ex eorum, sed dico ut ex eorum semine toti mundo salus, hoc est ille per quem fit salus, oriatur. Tunc enim non modo quod eveniat, verum etiam ut eveniat, promitti aliquid dicitur, cum promissionem ipsam rei eventus necessario sequitur. Nec dico necessarius sequitur, sed necessario sequitur. Quod utique fit, cum ab eo qui mentiri non potest, id est a Deo promittitur. Recte ergo promittitur, ut ex eorum semine, etc., cum præsertim si humana caro conceptione Salvatoris ab aliquo sumpta est, non ab alio sumi potuerit, nisi unus etiam promissione veritatis, immo veritate promissionis procreabatur, id est Abraham et David. Si igitur corpus humanum non est sumptum a Maria, sed a quolibet alio homine per Mariam, tamen est procreatum quod fuerat primorum parentum prævaricatione corruptum, id est, si hoc Eutyches opinatur, superius dicto, quod est a consequentibus argumento, repellitur. Quod si non eo homine, id est non illius hominis corpore Christus indutus est, qui homo pro peccati pœna mortem, hoc est pro peccato pœnam mortis sustinuerit, illud eveniet ex loco proprietatis ducta ratione argumenti, videlicet ex nullius hominis semine talem potuisse nasci, qui fuerit sine prædicta pœna mortis, quæ est debita pœna originalis peccati. Sensus : Nullus unquam genitus per concupiscentiam coitus, sine mortis pœna esse potuit. Si igitur ex nullo pœnæ mortis propter originalem reatum obnoxio, talis caro sumpta est, recte infertur, quod ex nullo homine sumpta est.

Unde fit ut noviter videatur esse formata. Sed hæc, etc.] Hic breviter tangendum videtur quod in ultimo

hujus libri capitulo de humanæ naturæ statu clarius intelligi poterit, quod videlicet cujuslibet subsistentiis, aliud est natura, aliud est status. Natura enim subsistentis est, qua ipsum subsistens aliquid est. Hæ vero sunt substantiales formæ, et quæ illis in ipso subsistente adsunt qualitates et intervallares mensuræ ; cætera vero quæ de ipso naturaliter dicuntur, quidam ejus status vocantur, eo quod nunc sic, nunc vero aliter retinens has quibus aliquid est mensuras et qualitates, et maxime subsistentias, statuatur. Nam sæpe manente colore, et trium vel quatuor, vel quotlibet cubitorum lineis, semper autem veri nominis subsistentiis manentibus, homo nunc hoc, nunc illo situ, vel loco, vel habitu, vel relatione, vel tempore, vel actione, vel passione statuitur ; et idem permanens, secundum extrinsecus sibi accidentia variatur. Idem enim est homo sedendo quod stando, et extra domum quod intra, et inermis quod armatus, et dominus quod servus, et mane quod vespere, et quiescendo quod agendo, et lætus quod tristis. Sciendum tamen est aliqua cum sint alicujus horum generum, tamen secundum illa dicitur esse generatio, et corruptio subsistentis, ut incorporatio et animatio, quæ sunt habitus genere. Cum enim corpus animatur, vel anima incorporatur, fit hac corporis et animæ coujunctione generatio animalis; itemque corporis et animæ disjunctione, ejusdem animalis corruptio. Unde animatio corporis et incorporatio animæ subsistentiæ videntur : et sunt utique, sed neque animæ, neque corporis, sed illius quod ex his compositum est, animalis. Anima namque præter sui incorporationem perfecte est anima ; et corpus præter animationem perfecte est corpus ; animal vero, nec est nec potest esse animal ; præter animæ incorporationem et corporis animationem ; ideoque animæ et corporis sunt extrinseci habitus, animalis autem suæ generationis et corruptionis subsistentiæ. Generationis et corruptionis dico, quoniam sunt aliæ verioris nominis subsistentiæ, quæ nunquam a subsistente recedentes, perpetuæ vocantur, ut corporalitas, et illa qua anima est ; et dicitur genere spiritus, quæ non modo corporis et animæ, verum etiam hominis sunt perpetuæ subsistentiæ. Sicut enim anima hominis nunquam desinit esse genere spiritus, neque corpus ejus esse genere corpus, ita homo, etsi remoto corporis habitu et animæ, desinit esse homo atque animal, nunquam tamen desinit esse corpus et spiritus. Sicut autem divina potestate hæc perpetua, antequam essent aliquid, his perpetuis subsistentiis, eis esse aliquid potuerint, postea vero solo auctore Deo, quod poterant esse fuerunt, et in his ipso solo continente perpetuo manserunt ideoque necessario sic futura dicuntur, ita etiam divina potestate prædictis, atque hujusmodi aliis generationis et corruptionis habitus, et his quæ illorum potestatem sequuntur, eorum subjecta aut generationis seu corruptionis suæ tempus, et generari, et esse, et corrumpi potuerunt, postea vero Deo, sola voluntatis suæ causa, operante generationis et corruptionis motibus, diversos status habuerunt. Nam ut de cæteris taceamus, homo corporis animatione, atque animæ rationalis incorporatione animal fit atque homo. Habet autem recte credentium fides, quod hanc in homine corporis animæque compagem, sine aliqua corruptione, divina conservasset voluntas, si homo ipsius factoris sui mandata servasset. Cum vero mandati prævaricatione pœnam meruit, Dei justitia ex suæ voluntatis unica causa, multorum generum passionibus, et etiam corporis et animæ dissolutione illum affixit. Postea tamen placuit illi justificare peccatem, assumere dejectum, reformare corruptum ; et in illa reformationis natura eumdem deinceps sine fine servare. Ante peccatum ergo fuit, et post reformationem futurus est immortalis : sed ante peccatum, quia potuit non mori ; post reformationem vero, quia non poterit mori ; ante peccatum tamen potuit mori, post peccatum vero A non potuit non mori ; unde neque mori, neque non mori ante peccatum impossibile fuit. Sed, sicut dictum est, et post peccatum non potest non mori, et post perfectam reformationem non poterit mori. Unde etiam inter hominis subsistentias, quibus vere ipse est aliquid, hæc post peccatum necessaria ipsius mortalitas a philosophis numerata est, et in illa qua ejusdem esse exponitur diffinitione, posita. Cum enim ab illis quæritur quid est esse hominem, respondent, esse animal rationale mortale. Quo philosophorum usu quidam nostri temporis et Christianæ professionis decepti dubitaverunt an post resurrectionem veri homines futuri sint, quod eis minime videbatur, eo quod humanæ subsistentiæ parte, hoc est mortalitate carituri sint. Nobis autem videtur quod neque mortalitas, neque immortalitas sunt hominis subsistentiæ, sed mortalis dicitur homo, quia potestate divina dissolvi, ante peccatum potest quidem absque ulla necessitate ; post peccatum vero necessario. B Immortalitas quoque dicitur, quoniam eadem divina potestas eum, dum sine peccato fuit, ita conservavit ut non dissolveretur ; post reformationem vero ita conservabit, ut nunquam exinde dissolvatur : et ideo dicitur non posse dissolvi. Non idcirco enim dicitur non posse vel dissolvi, vel non dissolvi, quod Deus hæc facere non possit, sed quod ut ita se haberet, vel ante peccatum, vel post peccatum, vel post resurrectionem, homo, divina voluntas statuit. Secundum hoc dicitur, sol non posse non moveri, cum tamen divina potestas eum, ut non moveatur, sistere possit. Et hujusmodi sunt infinita. Sunt ergo, ut de cæteris taceamus, hominis mortalitas et immortalitas, sive necessaria sive non necessaria, non subsistentiæ quibus ipse sit aliquid, sed ejus in diversis temporibus, secundum divinam potentiam sive voluntatem suam, status. Non tamen diceretur ante peccatum verus homo, si pœnis quæ pro peccato inflictæ sunt subjaceret, quamvis mori atque non mori posset. C Neque vero post peccatum putaretur verus homo, nisi eas usque ad animæ corporisque dissolutionem sentiret. Post resurrectionem quoque corporis et animæ conjunctio semper manebit. Sunt ergo mortalitas et immortalitas, quibus in diversis temporibus secundum prædictas rationes dicitur homo posse vel non posse mori vel non mori, potentiæ quædam ex eventuum consuetudine nobis notæ, ideoque in argumentum veritatis humanæ substantiæ, secundum prædictorum temporum diversitatem, sæpe sumuntur. Diligenter tamen est attendendum, quod si quis præter humanæ generationis legem sit homo, ad illius humanæ substantiæ veritatem probandam vel improbandam, hæc mortalitatis et immortalitatis inventa non faciunt. Si quis enim dicat Christum non esse verum hominem, quia post peccatum primorum parentum nulla moriendi necessitate tenetur, aut ante resurrectionem suam non fuisse talem qualis post communem omnium resurrectionem futuri sunt beati, eo quod passus est, non D procedit. Non enim lege peccati, hoc est ministra humana concupiscentia, ex mare et femina genitus est, ideoque nec originali reatu, nec peccandi nec patiendi ulla necessitate, nec ante nec post passionem tenetur ; sed sicut voluntare caro factus est, ita voluntate et passus est, et resurrexit, et sine passione aliqua deinceps permanebit. Quoniam tamen divina dispositione omnis humana caro fit, aut ex mare et femina, aut ex mare sine femina, aut sine mare ex femina, aut sine mare et femina, oportuit ut Christus, aut non fieret, aut aliquo istorum quatuor modorum fieret caro. Cum autem trium modorum exempla ipsa faciente jam præcessissent, Adam namque neque ex mare neque ex femina, sed ex terræ limo plasmaverat ; Evam vero ex mare sine femina ex costa Adæ ; cæteros autem quoscunque ex mare et femina ; quartum qui restabat, in seipso sine mare ex femina caro factus, ostendit, quamvis quidam (sicut jam diximus) mentiti sunt carnem ejus noviter

fuisse formatam. Sed hoc refelli potest hac quæ sequitur ratione, quoniam scilicet hæc, sicut illi opinantur, noviter formata caro, aut ita visa est oculis hominum, ut putaretur esse tale corpus quod per originalem assumptionem ab homine diceretur humanum, quod tamen revera, hoc est veritate dictæ originis, non esset humanum, quippe quod non dico nulli pœnæ, sed dico nulli originali pœnæ subjaceret, quod secundum hujus temporis statum probabiliter adjungimus; aut nova quædam præter originalem, ut dictum est, assumptionem, quæ non sola opinione dicatur, sed reipsa sit vera hominis natura, ad tempus formata est; nec subjacens pœnæ originalis peccati, hoc est quæ pro peccato primorum parentum omnibus ex eis per concupiscentiam genitis,qui etiam ideo originali tenentur reatu, inflicta est. Sensus : Hæc noviter secundum aliquos formata caro Christi, aut visa est quod non fuit, videlicet esse per originalem assumptionem ab homine corpus hominis, aut sicut non fuit, nec visa est fuisse ab homine; sed si visa est quod non fuit, imo si quod visa est non fuit, scilicet per assumptionem factam ab homine verum hominis corpus, Divinitas aperte arguitur mentita, quæ ostenderet; quasi : Eo quod ostenderet hominibus, per eas quæ solent esse hominum originaliter assumptorum proprietates, corpus quod non esset verum, qualiter dictum est, hoc est, per assumptionem factam ab homine corpus; et cum non esset ita verum, tum fallerentur hi qui secundum hoc verum esse arbitrarentur. At si nova, præter assumptionem, veraque reipsa non ex homine sumpta caro formata est, quo, id est ad quid, et cujus utilitatis causa, tanquam rei factæ ficta est, tanta, id est tot personarum, vel ab Abraham, vel ab Adam usque ad Christum generationis ejus tragœdia, hoc est rei adeo altæ tanta humiliatio? ut ille cujus generatio erat sine tempore, generaretur in tempore. Ubi est, cujus videlicet utilitatis fine fuit tantus ambitus passionis, ad quam oblatus fuisse, quia voluit dicitur? Sensus : Qua utilitate voluit pati? Ego quippe puto, ne in homine quidem qui potest errare, nedum in Deo qui non potest, non stulte fieri, quod inutiliter factum est. Si quis vero dicat quod hæc Christi non ex homine facta incarnatio, et ejusdem voluntaria passio utiliter facta est, quæro ad quam utilitatem facta probabitur tanta humilitas Divinitas, quod videlicet Deus æternus, temporaliter generatus et passus sit, si homo qui periit peccato primorum parentum, temporali generatione ac passione Christi non est salvatus? Quod utique secundum aliquos non est, quoniam ab eis negatur esse Christi ea quæ est secundum carnem generatione assumptus. Rursus igitur, sicut error Eutychis, quod in præcedentibus dictum est, sumpsit principium ab eodem fonte causæ a quo Nestorii error, quia scilicet uterque non putat naturam duplicem esse in aliquo sine duplicatione personæ, ita ad eumdem finem relabitur, ut videlicet quemadmodum secundum Nestorium, ita quoque secundum Eutychen genus humanum non sit salvatum; et unum hoc inferatur, repetit dicens : Quoniam, secundum eum, si tamen hæc ejus fuit opinio, non est Christi incarnatione assumptus, is qui esset æger, id est humana substantia, quæ in primis parentibus, et deinceps in omnibus ex eis per concupiscentiam generatis, originali reatu tenerentur, et originali vitio infirma, passionibus laborasset; et ideo salvatione curaque (ordo verborum conversus est, pro cura salvationeque) egeret : cura, ut hic qualiter auctorem suum coleret instrueretur, reatus certa promissione dimitteretur, concupiscentiæ ardor minoraretur, postremo ex toto omnis ejus ad peccandum motus, et etiam vitium tolleretur; salvatione vero, ut pro peccato non puniretur, et non modo sine peccato, verum etiam sine inquietatione aliqua deinceps servaretur. Hanc autem sententiam, quod Christus non assumpserit corpus ex homine, videtur Eutyches traxisse (*supple*) ex verbis Evangelii Joannis, ubi legitur ipsum Dominum dixisse.

A *Non ascendit in cœlum*, etc.] Si tamen hujus erroris fuit, ut crederet corpus Christi non vere fuisse ex homine, sed sumptum ex terra aliunde, atque a Deo formatum in cœlo, quod illi idcirco visum fuisse videtur, quoniam recte creditur Christus cum corpore in cœlum ascendisse, et putat cum eo cum quo de cœlo descenderat; quod tale exemplum continet, hoc est quod hæc ipsius Evangelii verba significare videntur, quibus ipse Christus ait, ita : Non ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo. Quod longe aliter intelligitur : nam de Christo et omnibus salvandis hoc dictum est, et est verborum veritas irrefragabilis, si quis non nesciat eam, quæ est ratione consortii capitis et membrorum, junctissimam unitatem.

Sed satis, etc.] Superius auctor, volens disputare contra opinionem illam qua forte quis putat humanam naturam in Christo fuisse non a Maria sumptam dividens ita ait : Natus ex Maria Christus, aut ab ea carnem humanam traxit, aut minime. B Deinde contra illos qui putant quod a Maria minime traxerit, disputavit, et per plura quæ inde provenire videntur inconvenientia, opinionem illam omnino improbavit. Unde nunc ad aliam prædictæ divisionis partem volens transire, et errorem Eutychis de naturarum in Christo post resurrectionem adunione destruere, ait ita : Sed satis dictum videtur de ea divisionis parte, si videlicet corpus quod Christus excepit, non credatur assumptum ex Maria. Si vero assumptum ex Maria; confirmative, pro *ex* dicit, si assumptum est, quasi : Quod utique est, neque sicut Eutyches ait, permansit perfecta humana divinaque natura, id tribus, etc. Disputationem suam a divisione incipit, et divinæ humanæque naturæ conjunctionem in Christo, qua supra contra Nestorium non per appositionem esse, hic contra Eutychen non esse per commistionem ostendit. Commistio namque est per compositionem confusio quæ non nisi in tribus modis fit. Si igitur in Christo divi- C na humanaque natura per commistionem conjunctæ sunt, id non nisi tribus effici potuit modis; et quibus, divisione declarat, dicens : Aut enim divinitas translata est in humanitatem, aut humanitas in divinitatem, aut utræque ita in se temperatæ sunt atque commistæ, ut neutra substantia teneret propriam formam. Hic dicendum videtur, quod eorum quæ vere miscentur corporum naturæ, non nisi per denominationem dicuntur misceri; per subjectorum tamen corporum misturam, recte et absque denominationis tropo dicuntur confundi. Ut albedo et nigredo nequaquam miscentur, quoniam incorporales sunt, albi tamen atque nigri permistione confunduntur. Igitur sola illa quæ sunt, misceri; illa vero quibus sunt, confundi contingere. Unde manifestum est quod divinitas et humanitas quæ de Christo vere prædicantur, in ipsorum non dico non recte, sed nec etiam denominative, dici possunt in se permistæ; neque vero Dei atque hominis in eodem aliqua per- D mistione confusæ, quoniam ipse quidem Deus et homo est, qui sibi ipsi, etiamsi secundum se totum corporeus esset, permisceri non posset. Omnis enim permistio diversorum est. Sed neque in illo sunt unus qui Deus sit, et alter qui sit homo : quorum, etiamsi fieri posset, permistione divinitas et humanitas dicerentur denominative permisceri et recte confundi, quasi tamen in illo sint unum quid quod sit Deus, et aliud quod sit homo. Sic in quolibet homine est quiddam quod est anima, et aliud quod est corpus, de quorum videlicet Dei et hominis in Christo permistione disputans, dicat : aut Deus in homine translatus est, aut homo in Deum, aut utrique in se ita temperati atque commisti, ut neuter propriam formam retineat. Sic denominative de divinitate et humanitate loquitur dicens, aut divinitas in humanitatem translata est, etc.

Sed si divinitas, etc.] Si assumptum est ex Maria corpus Christi, neque post resurrectionem permansit perfecta humana divinaque natura, quibus hoc

fieri modis, si verum esset, contingere deberet, juxta illorum quæ vere permisceri, aut in se confundi solent rationem, divisit. Nunc eo ordine quo modos illos enumeraverit, a divina et humana natura, quæ in Christo vere et perfecte sunt, diversis rationibus removit. Quasi : Si non permansit in Christo perfecta humana divinaque natura, aut divinitas in humanitatem, etc. Sed si divinitas translata est in humanitatem, hoc est si Christus, antequam de Maria corpus assumeret, erat sine initio Deus, quando surrexit conversione divinitatis in naturam corporis, desiit esse Deus, factum est in illa translatione quiddam quod credi nefas est, ut videlicet humanitate, hoc est humana natura permanente in substantia immutabili, divinitas, hoc est divina essentia verteretur, quod quam absurdum sit et rationi contrarium, declarat dicens : et quod existeret, hoc est existere deberet, naturaliter passibile atque mutabile, idipsum remoto omni sophistico loco, actu rei permaneret immutabile ; id vero quod recte creditur naturaliter immutabile atque impassibile verteretur in rem mutabilem. Hoc igitur, in hoc autem, ut videlicet immutabile fiat mutabile, et mutabile fiat immutabile, nulla nisi forte sophistica ratione contingit.

Sed humana, etc.] Quod divinitas in humanitatem transferri non potuit, ostendit ; nunc quod nec humanitas in divitatem, ingreditur demonstrare. Quasi : Divinitas in humanitatem non est translata. Sed humana natura in divinitatem esse conversa forsitan videatur, id est videri potest ex verbis Athanasii, qui cum dixisset de Christo quod, licet Deus sit et homo, non duo tamen, sed unus est Christus, et explanans qualiter unus subjecisset, unus autem non conversione divinitatis in carnem, addidit, sed assumptione humanitatis in Deum. Tanquam volens intelligi, quod divinitas quidem in Christo sicut erat, sine initio manserit ; humanitas vero in divinitatem saltem post resurrectionem conversa sit. Quem sensum confirmare videntur etiam Hilarii verba dicentis : Christus ante passionem partim homo, partim Deus, in passione totus homo, post resurrectionem totus Deus. Unde et in Germaniæ partibus, quidam volens astruere quod non modo Christi, verum etiam omnium salvandorum humana substantia, a Deo post resurrectionem desinens esse humana, fiet divina ; ut sicut Deus ubique totus est, ita quoque unusquisque beatorum ubique totus sit, inter multa sacræ Scripturæ verba quibus hunc errorem suum astruere posse sibi visum est, prædicta Athanasii verba in ejusdem opinionis argumentum adduxit. Hic tamen, si proprii nominis sui titulo hæretici quæsisset honorem, ecclesiasticæ auctoritatis sententia fieri posset insignis : sed quia tacito nomine suo hæresis novæ zizania generoso semini verbi divini occultus sator, non tam litteris quam lituris injecit, ipse quidem ignotus hominibus indemnisque manebit. Verba vero Athanasii, non eo quo hujus erroris auctor vult intelligi sensu, accipienda sunt : cum enim vir sanæ fidei dixisset, non conversione divinitatis in carnem, minime subjunxit, sed conversione, imo sed assumptione humanitatis in Deum. Utique vere atque circumspecte : conversio namque demutat substantiam ; assumptio vero non demutat. Sed est assumptio dejecti, ut videlicet quod vilicavit dejectio, gloriosum reddat assumptio. Sic igitur humana in Christo natura recte intelligitur non assumpta conversione, sed assumpta glorificatione in Deum. Secundum hanc rationem illa quæ modo commemoravimus Hilarii verba intelligenda videntur. Qui enim et antequam in cruce pateretur, et dum pateretur, et de morte suscitatus vere Deus et homo erat et est, ante passionem partim homo, partim Deus, fuisse dicitur, quia tunc et humana prout volebat infirmitate jejunans esuriebat, ambulans lassabatur, et hujusmodi aliis nostræ necessitatis infirmitatibus vere laborabat, et divina prout conveniebat potestate mercenarios de templo ejiciebat, infirmos sanabat, peccata dimittebat, mortuos suscitabat. Dum vero a suo discipulo tradebatur, a ministris principum tenebatur, a principibus judicabatur, inter latrones occidebatur, fere nihil divinæ tunc potestatis ostendens, sed tantum illa quæ nostræ sunt infirmitatis sustinens, quasi totus videbatur homo. Cum autem resurgens ex mortuis, jam non moritur, nec mors illi ultra dominabitur, abstinens a cibo, atque comedens sine esurie, clauso exiens sepulcro, clausis januis intrans, totum quod vivit, Deo vivens, nihil eorum quæ nostræ infirmitatis sunt, sed tantum ea quæ sunt divinæ glorificationis ostendens, quasi totus est Deus, qui tamen humanæ subsistentiæ veritate verus est homo, et veritate divinæ essentiæ, verus Deus. Non igitur Athanasii seu Hilarii verba eo sensu accipienda sunt, ut intelligatur Christus prædictis temporibus essendi vices in se alternasse, sed alterutrius substantiæ proprietatibus quod erat exeruisse. Itaque quamvis humana natura in Deum assumpta sit, non tamen est in divinitatem conversa. Hoc vero, ut aliquo tempore sit in divinitatem conversa, qui, id est quomodo fieri potest ? Quasi : Nullo modo. Et hoc volens ostendere, partes hominis, quas Christus, cum fieret homo, assumpsit, enumerat ; et quod in divinitatem converti non potuerunt, demonstrat. Ait ergo : Divinitas, hoc est Deus Filius Dei, Christus videlicet, in ea qua ipse factus est homo, generatione sua, scilicet et humanam, hoc est rationalem animam et corpus suscepit. *Supple :* Quorum neutrum in divinitatem potuit verti. Etsi enim res in rem verti ac transmutari potest, non tamen omnis in omnem. Quæ autem, et in quam, et quare possit aut non possit, primum divisione, dein exemplis aperit, dicens : Nam cum aliæ substantiarum subsistentium sint corporeæ, aliæ incorporeæ, generaliter dicimus, quod neque corporea in incorpoream, neque incorporea in eam quæ est corpus, mutari potest. Nec vero illa quæ sunt incorporea, mutant in se invicem proprias, sive substantiales, sive accidentales formas. Vere. Sola enim illa mutari transformarique, hoc est transformatione mutari, vel mutatione transformari in se invicem possunt, quæ habent commune subjectum unius rei, scilicet materiæ. Quasi : Quod non habent incorporalia cum corporalibus nec corporalia inter se. Sicut enim prædicturus est, nullo materiæ nititur fundamento incorporeorum natura : sola autem et omnia corpora habent naturæ suæ subjectam materiam, ideoque non nisi corpora in se mutari possunt. Nec tamen hæc omnia, sed ea tantum quæ in se non modo facere, vel pati, sed et facere et pati possunt, id vero, quod scilicet non omnia quæ unius materiæ habent commune subjectum, sed et ea quæ et facere et pati, et non dico in quælibet alia, sed in se invicem possunt, probabitur hoc modo, id est his quæ sequuntur exemplis.

Neque enim.] Quasi : Vere non omnia, etc. Æs enim non potest naturæ consuetudine permutari in lapidem, quamvis lapis in æs mutari possit. Lapis namque pati potest, non tamen ære faciente, sed igne : lapis enim solutus calore in æs vertitur. Itaque ignis in lapidem facit, sed non ab eo patitur ; lapis patitur, sed non ab ære ; æs vero nec in lapidem facit, nec a lapide patitur. Ac per hoc, non nisi faciendi et patiendi vicem reddunt, quod esset et facere et pati in se. Neque vero idem, videlicet æs, permutari potest in herbam. Nam herba quidem et facit et patitur ; sed non in æs vel ab ære ; et æs similiter et facit et patitur, sed non in herbam vel ab herba.

Nec quodlibet, etc.] Quasi : Æs nec in lapidem nec in herbam potest mutari, nec quodlibet aliud corpus in quodlibet aliud transfigurari potest, et omnino nulla res in aliam, nisi et eadem sit materia rerum in se transeuntium, et etiam a se facere et pati possint. Hoc autem in duabus novissimis rebus manifeste exemplat, dicens : Ut cum vinum atque aquæ miscentur, utraque sunt talia, quæ communicent sibi actum passionemque, hoc est, quæ et in se in-

vicem agant, et a se invicem patiantur. Vere. Potest enim qualitas aquæ aliquid pati a qualitate vini ; potest item, hoc est, similiter qualitas vini aliquid pati a qualitate aquæ. Quod ait qualitatem pati, denominatio est : quia namque id quod quale est adeo patitur, ut qualitas ejus ab ipso recedat, qualitas ipsa pati dicitur. Fit autem hæc passio, vel in altero tantum, vel in utroque : sed si in altero tantum, id quod passum est corruptum dicitur, non immistum ; si vero in utroque, utrumque vocatur immistum. Quod qualiter contingat, eisdem vini et aquæ exemplis demonstrat, dicens :

Atque idcirco, etc.] Quasi : Potest vini qualitas, etc. Atque idcirco, si aquæ quidem fuit multum, vini vero fuerit paululum, vinum et aqua non dicuntur immista, sed alterum, id est vinum dicitur corruptum qualitate alterius, id est aquæ. Hoc enim manifestum est, quod si quis fundat vinum, quod paululum est, in mare, quod videlicet multum est, vinum non mistum est mari, sed est corruptum in mari : quia mare pristinam sui retinet qualitatem e nomen, vinum autem nec nomen retinet vini, nect qualitatem ; et qua de causa hoc fiat, subjungit dicens : Idcirco utique quoniam qualitas aquæ pro multitudine sui in quo est corporis nihil passa est a qualitate viui, sed econtra potius ea quæ dicta est sui corporis multitudine, commutavit in se propriam qualitatem vini : et sic quidem eorum quæ in se invicem et pati et facere possint, alterum corruptum dicitur, non immistum. Si vero naturæ, quæ a se facere et pati possunt, sint mediocres, et qualiter hoc sit dividens, ostendit cum addit : sibique æquales, vel paulo inæquales, illæ vero miscentur ; et tanquam diffiniens quid sit misceri, adjungit : et mediocribus inter se qualitatibus temperantur. Atque hæc quidem, id est vel alterius corruptio vel utriusque commistio, fuerit in corporibus, neque vero his omnibus, sed aliquibus, videlicet his tantum quæ, ut dictum est, a seipsis et facere et pati possunt, communi etiam, sicut dictum est, atque genere eadem materia, qualitatibus eorum quæ corrumpenda sunt vel immiscenda, subjecta. Generaliter enim omne corpus quod vere secundum omnia quæ in ipso sunt subsistit, in generatione et secundum aliqua in corruptione, videtur habere, et habet revera communem materiam, non modo ὕλην, quam Plato silvam nominat, quæ quidem secundum philosophos est, sed non est aliquid, verum etiam illam quæ non suo nomine dicitur esse, sed secundum suam subsistentiam perpetuam dicitur aliquid esse. Quibus solis nomen materiæ recte convenit. Nihil enim vere et suo nomine materia vocatur, nisi ὕλη quæ est, sed non aliquid est ; et corpus quod non est, sed aliquid est. Illa itaque omni corporum et eorum quæ sunt in corporibus est materia ; hoc vero omnium quæ primam ac perpetuam subsistentiam ejus in ipsa sequuntur. Sed quod hæc materia communis et eadem omnium corporum dicitur, non est intelligendum ipsius singularitate, sed una potius diversarum numero substantiarum conformitate, ut quod auctor dicit, communis et eadem, intelligatur communitate substantialis similitudinis eadem. Sunt ergo diversa corpora illorum quæ post primam subsistentiam in se recipiunt una conformitate materiam, et facit unum in alio, et patitur ab alio. Sed, sicut jam sæpe dictum est, non omne ab omni, vel in omni, vel facere aliquid, vel pati potest. Diligenter attende quod, cum facere solis vitalibus, pati vero solis sensibilibus convenit, tamen insensibilia et invitabilia dicit facere et pati, non utique præter usum Scripturarum, in quibus sæpe legitur, quoniam causæ faciunt, et quæ illarum actus suscipiunt patiuntur, maxime si ejus quod actum suscipere dicitur aliqua fiat mutatio.

Corporea vero, etc.] Quod corpora quædam sibi invicem miscentur, aut altero manente alterum in eo corrumpitur, et exemplis et ratione monstravit.

A Nunc quod neque incorporea inter se, neque corporea in corporea permutari possunt, ostendit dicens : Corporea vero in incorporea nulla ratione poterunt permutari, et quod permutandi ratio desit illis, subjungit : quoniam scilicet corporea et incorporea nulla sibi communi materia subjecta participant, quæ quidem suæ subsistentiæ genere, quam utroque aliquid sit, maneat, sed alterius alterum, vel alterutrius utrumque qualitatibus susceptis, in alterutra permutetur.

Omnis enim, etc.] Quasi : Corporibus et incorporalibus nulla est communis materia. Vere utique, quoniam nulla omnino est incorporeorum materia. Quod ait ita : Omnis enim natura incorporeæ substantiæ talis est, quod nullo fundamento materiæ nititur. Nam nec etiam ὕλη potest eorum esse materia. Nullum vero corpus est cui, hoc est cujus naturæ non sit subjecta materia ; nam ὕλη quidem corporibus, corporum vero naturis cæteris a prima subsis-
B tentia, ipsa corpora.

Quod cum ita sit, etc.] Breviter quæ dixerat in unum conducens, concludit, quod corporea et incorporea permutari non possunt. Ait ergo : Quod cum ita sit, cumque ne ea quidem quæ naturaliter habent communem materiam in se transeant, nisi illis adsit potestas in se et a se faciendi et patiendi, multo magis in se non permutabuntur illa quibus non modo communis materia non est, sed etiam quare non possit esse communis ; manifestum est, quoniam scilicet cum alia res nititur fundamento materiæ, ut corpus, alia omnino non egeat, id est, nec etiam potest egere subjecto materiæ, ut incorporeum. Cum igitur materiæ fundamentum, cui innititur corpus, incorporeum habere non possit, non potest fieri ut corpus permutetur in incorporalem speciem. Unde, ac si dicat : manifestum est quoniam corpus, quod Deus Filius Dei, Christus scilicet, assumpsit, non potuit effici secundum essentiam Deus.

C *Nec vero*, etc.] Probavit quod Christi corpus in divinitatem verti non potuit ; modo vult probare quod nec anima ejus in eamdem potuit permutari. Quam probationem ex ejusdem rationis loco deduxit, per quam idem etiam de corpore demonstravit : quoniam videlicet nulla est incorporalibus communis materia. Quasi : Non potest fieri ut corpus in incorporalem speciem permutetur. Nec vero fieri potest ut incorporalia permutentur in sese commistione aliqua, videlicet sive illa qua manente altero alterum corrumpatur (sicut supra de vino et mari dictum est), sive illa qua utrumque mutetur, sicut de vino et aqua dictum est. Et quare non possint permutari in sese incorporea, ex hujus quæ sequitur maximæ propositionis loco certum poterit esse. Quorum enim nulla est communis materia, nec in se queunt verit ac permutari. Non autem potest esse communis, quæ omnino non est. Certum vero est quoniam nulla omnino, sicut prædictum est, est in corporalibus
D rebus materia. Manifestum igitur est quod non poterunt in se invicem permutari. Recole, si didicisti argumentationis necessariæ artem, et vide cujus generis atque figuræ syllogismo propositum probat. Nunc enim propositionem maximam quæ est : Quorum nulla est communis materia, non poterunt se invicem permutari, certum reddidit, quod nulla incorporea in sese permutantur ; quo certissimo sumpto, assumit : Sed anima et Deus sunt incorporeæ substantiæ, et hoc esse recte creduntur ; quod quoniam probatione non indiget, quanquam Ἀνθρωπομορφῖται corporalem imaginati sunt Deum, infert dicens : Non est igitur humana anima permutata in divinitatem, a qua, sicut supradictum est, est assumpta.

Quod si, etc.] Hic tandem totam ratiocinationem, in id quod proposuerat, videlicet quod humana natura non est in divinitatem conversa, concludit, et breviter in unum conducens, quod supra de corpore, nunc de anima necessaria ratione intulerat, ait : Quod si neque corpus neque anima Christi potuit

verti in divinitatem, ut utique, sicut ostensum est, non potuit, nullo modo fieri potuit ut humanitas, id est humana natura, quæ per has intelligitur partes, converteretur in Deum.

Multo minus vero, etc.] Si divina et humana natura in Christo per mistionem conjunctæ sunt, id non nisi tribus modis posse fieri superius dixit ; videlicet, si aut divinitas in humanitatem, aut humanitas in divinitatem transferretur, aut utræque in se ita commiscerentur, ut neutra substantia propriam formam retineret. Quod autem divinitas in humanitatem, vel humanitas in divinitatem transferri non possit, manifestis rationibus docuit. Si vero altera in alteram transire posse non creditur, multo minus credi potest earumdem translationem illo factam modo esse, quem prædicta divisio tertium explicavit : videlicet ut utraque, id est divinitas et humanitas, in sese confunderentur, quoniam, sicut superius demonstratum est, neque incorporalitas, hoc est incorporeum transire potest ad corpus, ut scilicet fiat corpus ; neque rursus econverso corpus transire potest ad incorporalitatem, ut fiat incorporeum ; et hic quoque sæpe jam dictam repetit rationem, dicens : Quandoquidem his, hoc est corpori et incorporeo, nulla communis materia est subjecta, quæ secundum suæ perpetuæ subsistentiæ genus esse aliquid retinens, alterutris, id est alterutrius qualitatibus, permutetur.

At hi, etc.] Errorem Eutychis hucusque destruxit, nunc eumdem breviter commemorat, ut in quo catholici cum eo conveniunt, et in quo, differunt, ad ducta in unum et veritatis illorum, et figmenti ejus comparatione, melius pateat ; quasi : Divinitas et humanitas in sese transire non possunt. At hi, id est Eutychiani, aiunt ita : Ex duabus quidem naturis Christum consistere, in duabus vero minime ; et ex quo sensu hoc dicant, aperit dicens : Hoc scilicet intendentes, quoniam quod consistit ex naturis ante conjunctionem duabus, ita potest conjunctione fieri unum, ut illa ex quibus dicitur constare, non maneant ; et exemplum quo id ostendere volunt, supponit : Veluti cum mei aquæ junctum confunditur, neutrum manet, id est neque mei retinet esse mei, neque aqua esse aqua ; sed alterum alterius copulatione corruptum, quiddam quasi nescio cujus nominis tertium facit. Quod ac si dicat, neque est mel, neque aqua, sed ex his quiddam unum. Atque ita, hoc est secundum hanc rationem, illud quidem quod ex melle atque aqua tertium fit, dicitur ab illis ex utrisque constare, in utrisque vero negatur ; et quare in utrisque negatur, supponit : Non enim poterit illud tertium in utrisque constare, quandoquidem natura utrorumque non permanet. Sed ex utrisque, aiunt, recte dicitur. Ex utrisque enim constare potest, licet ea ex quibus conjungitur, alterutra qualitate non maneant. Itemque idem aliis ex parte repetit verbis, ne quasi alieni sensus pravus interpres, vel tacendo rationes præteriisse, vel decurtatis et inconvenientibus invertisse forte dicatur. Dicit igitur : In utrisque vero, aiunt, naturis hujusmodi unum constare non poterit, quoniam ea quæ in se transfusa sunt non manent, ac cum non maneant non sunt, ideoque ab hoc nomine aliena, non recte dici possunt, utraque in quibus constare videatur, cum tamen non constet, sed ex utrisque vere constet, tamen illis utrisque transfusis in se invicem mutatione qualitatum, imo mutatis qualitatibus utrorumque eorumdem in se invicem transfusione. Catholici vero partim dicunt, partim contradicunt quod opinantur Eutychiani, utrumque enim rationabiliter confitentur : nam confitentur Christum consistere et ex utrisque naturis et in utrisque. Sed qua ratione hoc dicatur, paulo posterius explicabo.

Nunc illud, etc.] Sicut illas quibus errorem suum Eutyches posse astruere sibi videbatur rationes recapitulavit, ita quoque suas quibus eumdem errorem destruxit, recapitulat et ait : Nunc illud est manifestum, convictam esse sententiam Eutychis eo nomine, id est ea omnibus nota ratione, quod videlicet cum non nisi tribus modis fieri possit, ut ex duabus naturis una subsistat, scilicet aut divinitas translata sit in humanitatem, aut humanitas in divinitatem, aut utraque in se invicem permista sint, nullum horum modum fieri potuisse, superius dicta argumentatione declaratur. Nunc restat id quod supra promisimus nos paulo post explicaturos, scilicet, ut doceamus quemadmodum catholica fides dicat Christum consistere et ex utrisque naturis et in utrisque.

Ex utrisque naturis, etc.] Supra, cum contra Nestorium disputans diceret, Dei hominisque conjunctionem non fieri κατὰ παράθεσιν, hoc est secundum appositionem, dictum fuisse recordor, diversos esse modos diversa sibi invicem conjungendi. Et alia quidem per apprehensionem, ex quibus non fit unum, alia vero per compositionem, ex quibus unum aliquid fit, conjungi. Quæ vero per compositionem, alia per commistionem alterius vel utriusque, alia sine commistione. Unde manifestum est quoniam omne compositum ex utrisque componentibus, aut ejus proprietas ex utrorumque componentium naturis consistere dicitur. Sed hoc multipliciter, sicut subdivisio prædicta declarat, quod ita ait : Ex utrisque naturis aliquid consistere, duo significat ; unum quidem, cum dicimus aliquid jungi ex duabus naturis per confusionem, quod est ita, sicut ex melle atque aqua aliquid jungitur. Id autem conjunctum tale est, ut in eo ex quolibet modo confusis composito, scilicet vel si una natura vertatur in alteram, vel si utræque in se invicem misceantur, nullo modo tamen utræque permaneant.

Alter vero modus est, etc.] Sed interponit quod secundum hunc modum Eutyches ait, Christum consistere ex utrisque naturis ; dein dicit : Alter vero modus est consistendi aliquid ex utrisque naturis, quod videlicet illud aliquid compositione unum ita junctum est ex duabus naturis, ut illa tamen ex quibus junctum esse dicitur maneant, nec aliquo modo in alterutra vertantur, scilicet nec unum in alterum, nec in se invicem utraque. Et hoc humanæ fabricæ convenienti exemplo declarat ita : Ut cum dicimus coronam ex auro gemmisque compositam. Quod exemplum recte ad id propter quod inductum est facit : hic enim, hoc est in corona, neque aurum in gemmas translatum est, neque gemma in aurum conversa ; sed utraque permanent quod erant antequam fieret ex eis corona. Quod intelligitur ex eo quod subjungit, nec derelinquunt propriam formam : vel aurum illam qua erat aurum, vel gemma illam qua erat gemma. Sic et in omnibus non modo humano ministerio, verum etiam naturaliter Deo operante sine componentis alicujus confusione compositis, componentia sunt quod erant, atque de ipsis compositis prædicantur : sive similis alia cum aliis, sive per se alia, sive alii quæcunque componentium sunt veri nominis subsistentiæ, et earum illa propria quæ illius cujus sunt generis omnibus semperque conveniunt ; nec tantum dum manent in illius compositionis habitu componentia, sed etiam antequam ipsa jam existentia componantur, et postquam a se invicem fuerunt dissoluta. Nam quicunque nondum generatus, futurus est homo, jam est corpus, ut Antichristus. Quicunque vero jam dissolutis anima et corpore non est homo, adhuc est et corpus et spiritus. Quod probatur per illa corporis atque spiritus propria, quæ solis his generalibus, a quibus hæc nomina sunt indita, conveniunt subsistentiis ; quæ vero de nondum conceptis et de jam dissolutis dicuntur, ut de Antichristo, quod est in lumbis paternis, et de Phaetonte, quod est situs in sepulcro, quæ neque de illo, neque de isto dicentur, nisi et ille jam esset, et iste adhuc esset genere corpus. Etsi enim a se invicem partes dissolutione recedunt, non tamen ab eo cujus sunt

partes, si non integritate compositi, saltem numero sui. Talia ergo ex aliquibus constantia, non solum ex illis, sed et in illis constare dicimus, ex quibus consistere prædicantur. Tunc enim, hoc est, si in ipsa compositione non corrumpuntur, sed retinent esse quod erant, possumus dicere coronam in gemmis auroque consistere. Gemmæ enim sunt gemmæ, atque aurum est aurum : in quibus, quasi dicat, in sua substantia permanentibus corona consistit. Quod non ita dicere possemus, si vel alterum, vel utrumque in compositione corrumperetur. Nam in priore compositionis modo, non est mel atque aqua, in quibus constet illud quod ex utrisque compositione jungitur.

Cum igitur, etc.] Quasi : Cum utraque componentia manent, tunc et in his ex quibus constat compositum consistere dicitur. Igitur cum fides catholica confiteatur utrasque naturas, divinam scilicet et humanam, manere in Christo, easdemque persistere sine aliqua corruptione perfectas, quod est nec alteram transmutari in alteram, jure dicit Christum consistere, et in utrisque naturis et ex utrisque. Et sicut supra Eutychis verba cum illis quæ ei videbantur rationibus repetebat, ut melius ejus error pateret, ita et catholicorum verba cum eorum rationibus repetit, ut et ipsa a fidelibus teneantur indubia. Ait ergo : In utrisque quidem naturis Christum consistere, fides catholica dicit, quia manent utræque ; ex utrisque vero, quia Christi quæ erat ab æterno persona, et sine aliqua compositione una fit, non quidem quod erat, id est persona vel una, sed quod non erat, id est utrarumque naturarum adunatione una : naturarum dico, non illa adunatione corruptarum, sed sine aliqua corruptione manentium. Ex hoc autem manifestum est quod cum Eutychis perfidia et fides catholica dicat Christum ex utrisque naturis junctum esse, non tamen secundum eam significationem hoc fides catholica tenet secundum quam Eutyches pronuntiat ; vere : nam ille, hoc est Eutyches, sumit talem significationem conjunctionis, cum dicitur ex utraque natura, ut non confiteatur Christum in utrisque consistere ; et quare non confiteatur in utrisque, subjungit : neque enim confitetur utrasque manere. Catholicus vero sumit eam significationem consistendi ex utrisque, quæ sit prima illi significationi, eamque conservet, quæ in utrisque consistere confitetur. Patet igitur, quoniam hoc quod dicitur ex utrisque consistere æquivocum est, ac potius amphibolum, et gemina significatione, ad quam rationabiliter verborum se σύνθεσις habet, diversa designans ; et quæ diversa, divisione ostendit, dicens : Una quidem significatione designans non manere substantias, id est, ita ex utrisque consistere, ut non maneant substantiæ, ex quibus illud quod copulatum est dicatur esse conjunctum ; alio autem modo significans ita ex utrisque conjunctum, ut utraque permaneant.

Hoc igitur expedito, etc.] Hucusque Nestorii et Eutychis errores sibi invicem contrarios et docuit et submovit. Nunc quod inter eos fides catholica medium teneat, ponit. Quasi : Ex utrisque consistere, æquivocum vel ambiguum est. Expedito igitur, id est divisione soluto hoc modo æquivocationis atque ambiguitatis, nihil est ultra quod ab Eutyche vel quolibet alio possit opponi, quin sit id quod firma veraque (ordo conversus, pro vera firmaque) : vera, quoniam rescita se habet ; firma, quoniam argumentis probata fides catholica continet, videlicet Christum eumdem esse hominem humanæ substantiæ integritate perfectum, eumdem veritate divinæ essentiæ Deum, et hoc quidem contra Eutychen cum Nestorio, eumdemque qui homo sit, sicut supra dictum est, perfectus atque essentia verus Deus, unum esse personali proprietate Deum, essentiæ quidem veritate, ac Dei Filium proprietate. Nec, sicut minus intelligentibus forte videtur, astrui quaternitatem Trinitatis, dum homo, hoc est humana natura, additur supra perfectum Deum, sed unam individuali proprietate personam, eamdemque, quæ sicut Pater, vel ejus Filius, vel ejus Spiritus sanctus sine initio fuerat, personam non aliam explere, hoc est plenum reddere numerum Trinitatis ; et ita eamdem, ut cum humanitas passa sit, id est cum non divinæ, sed humanæ naturæ conveniat passio, et secundum eam tantum passus sit Christus, vere tamen dicatur Deus esse passus. Quod nequaquam diceretur, si Deus et homo κατὰ παράθεσιν, hoc est secundum appositionem sibi invicem juncti essent in Christo. Sed quoniam, teste sacra Scriptura, sicut anima rationalis et caro unus est homo, ita Deus et homo unus est Christus, hoc est quoniam de uno singulariter et individualiter Christo divina et humana natura, his quæ ab eisdem sunt indita Christo nominibus, videlicet Deus et homo, ita vere et sine translationis alicujus schemate prædicantur, sicut de quolibet homine natura animæ et carnis, his quibus ab eisdem naturis homo appellationem habet nominibus, scilicet anima et caro dicuntur, supposito eodem Christo, quovis istorum prædicatorum nominum, alterum, et quidquid naturæ per illud alterum significatæ causam naturaliter comitatur, poterit prædicari. Nam et cum homo sit anima et corpus, hoc ejus, id est hominis nomine, quod est animal vel rationale eodem supposito, poterunt vere prædicari. Non modo illa quæ sunt propria animarum, verum etiam illa quæ sunt propria corporum, ut octo animæ intraverunt in arcam. Hic enim hoc plurali nomine, quod est animæ, non animas hominum, sed ipsos homines auctor supposuit ; et quod non animabus, sed solis corporibus convenit, intrare videlicet, prædicavit. Similiter potest dici, quoddam rationale est album, ut hoc nomine, quod est rationale, quod ab animæ potentia non modo ipsius animæ, sed etiam hominis nomen est, homo ipse intelligatur suppositus ; et tamen ad hanc suppositionem, albedo quæ non animæ, sed corporis qualitas est vere prædicata. Item hoc hominis nomine, quod est corpus vel album, eodem homine subjecto, possunt vere prædicari de ipso non modo corporum, verum etiam animarum propria : ut rationale vel musicum, vel hujusmodi alia. Et generaliter quotiescunque unum multis secundum eamdem facultatem appellatur nominibus, quolibet eorum, facta suppositione rei cujus sunt nomina, vere possunt cætera prædicari. Sed non omnia prædicata his quibus fit suppositio connexionis consequentiam rederet : sciendum namque connexionum prædicativarum alias quidem consequentes, alias vero accidentales esse : consequentes sunt, ut corporeum est coloratum ; accidentales, ut corporeum est rationale. Corporalitati namque color debetur, non potentia discernendi, quæ sicut color solis corporibus, ita solis spiritibus convenit ; sed quoniam in uno corpus et spiritum esse contingit, de illo uno quæcunque sunt naturaliter corporis atque spiritus, sicut jam sæpe dictum, vere poterunt prædicari. Nec ullo modo connexionis veritatem prædicta accidentalitas poterit impedire, si et quod prædicatur, et quo suppositio fit, illi uni secundum eamdem rationem conveniant. Secundum eamdem rationem dicimus, ne forte quis audiens de eo quod corpus est dici, album est corpus, album est contrarium nigro, putet posse dici, corpus est contrarium corpori. Quamvis enim et corpus, et album, et contrarium, ejusdem rei sint nomina, non tamen secundum eamdem rationem, quoniam corpus et album a naturis, contrarium vero a disserendi ratione idem appellant. Ideoque de illo contrarium non vere poterit prædicari, nisi eo nomine quod illi a causa contrarietatis impositum est supponatur. Ita album est contrarium, vel hujusmodi alio nomine cujuslibet rei a causa suæ contrarietatis imposito. Non enim sibi contrariæ, nisi forte per denominationis tropum albedo et nigredo dicuntur, sed causæ contrarietatis albi et nigri, quæ vere contraria sunt sibi invicem. Diligenter tamen est attendendum, quod cum dicitur album est accidens, nequaquam album ex albedinis causa,

lbedo ipsa accidens appellatur. Unde manifeest, quod disserendi ratione vere de aliquo icare non possumus, nisi subjecto prædicatum am rerum significatarum consequentia conner. Ideoque connexio qua dicitur, Deus passus quamvis accidentalis sit, vera tamen est, non ipsa Deitas aliqua conversione sui facta sit anitas (inconvertibilis, hoc est et omnino inantabilis est), sed quod a Deitate, hoc est a Deo t assumpta, ac per hoc in Filio Dei Christo vist vere conjuncta, cujus conjunctionis ratione fit non modo in naturalibus, verum etiam in ogicis accidentalis, et tamen vera dictionum exio : quam quia Nestorius vere fieri posse non , cum jam hoc exemplaverit, hac accidentali et connexione, quæ est, Deus est passus, in qua et Christi persona, hoc suo a divinitatis essenomine, quod est Deus, supposita, prædicatur o, quæ non divinitatis, sed animalis sensibilitait propria, item exemplat, id est, alia accidenet tamen vera connexione, in qua eadem Chrisrsona, illo suo ab humanitatis subsistentia noo, quod est homo, subjecta, prædicatur esse m Dei : quod non est secundum humanam rationem, sed secundum divinam. Dicit itaque, homo est, appellatur Dei Filius : et hoc non antia divinitatis, quæ humanitatis in ipsam ersione provenerit, sed manente substantia huitatis, quæ, etsi non est in divinitatem conversa, n est divinitati naturali unitate conjuncta. Et hæc, id est divinitas et humanitas discernantur isceanturque intelligentia, cujus potestas est et uncta dividere et divisa conjungere, tamen idemque personali proprietate, et homo sit humanæ naturæ corruptione perfectus, et sine æ naturæ aliqua transformatione, Deus verus. quidem, eo quod ipse sit ex Dei Patris subia, hoc est ex Deo Patre, secundum substantiam creatus, sed genitus ; homo vero eo quod ex Ma-Virgine, secundum substantiam corporis, quod sit ex ea, et secundum animam, quam accepit , sit procreatus.

mque, etc.] Quod vere, quamvis accidentaliter ur, Deus est passus, homo est Dei Filius, dixit, inionem qua forte quis hoc verum esse concet, removit dicens : Non quo ipsa divinitas huitas facta sit, et non substantia divinitatis, sed anitatis. Item dicit, accidentaliter quidem, sed , quod qui homo est, Deus est; et quare hoc supponit : Eo quod scilicet homo fuerit a Deo Dei, id est Christo assumptus ; hoc est quod a dixerat de humanitate ita, sed quod a Deitate assumpta ; et econverso qui Deus est, homo est. uare hoc, subjungit : Quoniam homine, hoc est ana natura, tanquam bene habente habitu vestisit ; hoc est quod superius dixerat : Quia tamen nitati substantia humanitatis naturali unitate uncta est ; cumque in eadem persona aliud sit nitas, quæ suscepit ; aliud humanitas, quam sust; idem tamen, id est eadem persona, Christus licet Deus est atque homo ; hoc est quod prædit : Et cum hæc ista intelligentia ita discernanermisceanturque, tamen unus idemque, et homo erfectus, et Deus. Attende quod ait, divinitas quæ epit, et intellige quod Christus, qui ante susceptem hanc Deus erat, suscepit, ideoque dictum esse, nitas suscepit, quia non natura, sed persona sust naturam.

im si, etc.] Quod dixerat, qui homo Deus, et qui s homo, et eas quas supposuerat rationes, videeo quod homo fuerat assumptus a Deo, et quoa Deus homine vestitus, adhuc contra Nestoriaet quod cum in eadem persona aliud sit divini-aliud humanitas, idem tamen Deus atque homo adhuc contra Eutychianos inculcat. Sed oblitus blat, aut nescius dicat, quoniam qui loquitur, modo illorum de quibus loquitur, verum etiam

